HIPPOCRATIS MAGNI COACÆ PRÆNOTIONES.

OPVS ADMIRABILE,
in tres Libros distributum.

Interprete & Enarratore
LVDOVICO DVRETO,
Segusiano.

Ad HENRICVM TERTIVM Galliæ & Poloniæ Regem Christianissimum.

Cum Rerum Memorabilium INDICE amplissimo.

GENEVÆ,
Apud Stephanum Gamonet.
M. DC. LXV.

HENRICO III.

GALLORVM ET POLONORVM REGI CHRISTIANISSIMO,

TRIVMPHVM.

OFFERO ac dedico tibi librum, Chriſtianiſsime Rex, qui, quibus nominibus vt eſſet Maieſtati tuæ gratus acceptúſque efficere potuit, ſibi illa ſuiſque paginis vniuerſa præſcripſit. Nam & profitetur ſe docere Medicinæ ſcientiam: & Hippocratem auctorem laudat; interpretem refert, qui fortunatus natus principe te vixit, parentem meum Ludouicum Duretum. Hominum tutori tibi legitimo atque paſtori, patri patriæ, nulla eſt ars ex omnibus quæ poſsit eſſe commendatior quàm ea, quæ tibi tuos, téque tuis populis præſtare nouit diu incolumem. Hippocrates autem, magnus ſeruator dictus Theſſaliæ, Macedoniæ, Thraciæ; toti olim Græciæ præluxit: quæ gentium reliquarum famam, ſplendore nominis obſcurauerat: fœlix gloriæ ſuæ ſpectator & beatus, maiores, quàm vlli vnquam mortali, honores ſibi à ſuis delatos vidit; Regum ipſe nepos, Aſiæ & Affricæ latè dominantes Reges, quaſi tam inſigni & illuſtri nomine tyrannos indignos, ad illius ſe amicitiam applicantes, repudiando neglexit: nunc gratiam à te non paruam init, quòd thronum tuum venerans ſuſpicit; auguſtam tuæ maieſtatis, id eſt, iuſtitiæ ac pietatis, ſedem: quòd terram tuam, ne hoc illi vnum ad fœlicitatem deeſſet, iam per annos ferme quadraginta, poſthabitis aliis, maximè vnam coluit, vtque inibi ipſe viciſsim coleretur, ſapientiæ in ea ſuæ domicilium conſtituit. Iam verò parentem meum & fouebat, dum vir eſſet, & ſuſtentabat iam ſeneſcentem, conſcientia ſuæ erga te integritatis & fidei: cuius ne immemor ſæculorum poſteritas eſſet: quod in ſuis optimum maximúmque duxit, hoc ſapientiæ arcanum, theſaurum ſanita-

tis, Asclepiadis quondam pretiosissimum, diu cæteris opertum, sub auspiciis professionis à te demandatæ, longo vsu, assiduis vigiliis, sibi tandem, si amicis credimus, patefactum & apertum, tibi moriens testamento legauit; sceptri si quod esse posset ornamentum tui. Quem tu igitur, Henrice, viuum, opinione probitatis magna, industriæ nonnulla dilexisti; eius vita functi nomen, fauoris & beneuolentiæ significatione illustra: ipsius munus accipe, medicorum signiferi ac ducis auctoritate maximum, vtilitate amplissimum: cúmque dolorum cruciatus & morbos, in tuam tuorúmque vitam coniuratos hostes esse noueris: reliquorum iam partim factus, partim etiam designatus, precibus Ecclesiæ, victor; de his tu quoque interim ex hoc præsidio, libenter, hilarè, & magnificè triumpha.

Majestati tuæ humiliter subjectus seruus fidissimus,

IOANNES DVRETVS, Ludouici Filius.

IOAN-

IOANNES DVRETVS, LVDOVICI FILIVS
doctissimo Medico Petro Droëto S.

MEMINI, Droëte doctiss. ante annos quinque visitatum abs te, amicitiæ causa, parentem meum, Coacis prognosibus operam nauantem seriò, deprehensum fuisse. Tum autem illum, honorificè locutum multa de Hollerio, quem docentem virum audiuerat adolescens; conqueri apud te vehementer de Iacotio cœpisse. Quam enim, aiebat, gratiam, pro superata libri omnium vtiliss. difficultate, à bonis omnibus referre potui ac debui; eius ingratissimus homo ita fuit cupidus, vt eam mihi subreptam velit. Nouerint saltem qui eius commentaria, hoc eodem conscripta proposito, viderint; hæc mea dictata ocyus, chartis impressa serius & vulgata extitisse. Ad quæ tu, in me intuens, optimo seni, ab homine malè nato & educato, secus esse non potuisse, quàm Hollerio fuit; cuius in medendi praxim meditationes longè præclarissimas, correptas furto, suo olim nomini inscripsit. Non dubitare te quin ea quæ parens ipse meus, anno supra mille & quingentos septuagesimo, in hoc idem opus palam & publicè edisserebat, vt cætera quæ Luteriæ, Monspesuli, cæteris florentibus Medicinæ laude Academiis enarrabantur, conductitiis Amanuensium operis comparauerit. At enimuero cum ante annos plus minus triginta, studia vestra, Ludouico Dureto hunc librum explicanti data, socij medicinæ impertiretis, communi tecum hospitio vsum fuisse si negauerit; mortalium impudentissimum futurum. Horum igitur Droëte nisi iam oblitus es, eorum publico testimonio, parentis causam probatam, rémque assertam esse; quæ me vt optem pietas adducit, eadem te vt velis hortatur.

PETRVS DROËTVS, IO. DVRETO, LVDOVICI FILIO S. P. D.

MEMINI, doctiss. Durete, me fœlicis memoriæ parentem tuum, olim præceptorem meum, visitasse cum doctiss. Curtino nostro: neque etiam sum oblitus, te legisse tum Commentarios in prænotiones Coacas à parente conscriptos: quoniam institueramus sermonem de ægritudine honestiss. vxoris D. de Sansi, de cuius salute spem omnem sine causa D. Magnus, medicus, amiserat. Sat scio præterea quàm honorificè sæpius parens tuus, mentionem de spectatissimo Hollerio fecerit, & quam de illo Hollerius opinionem suscepisset. Factus est aliquando Hollerius obuiam tuo parenti, cum è schola domum repeteret; & tu, mi Durete, inquit ille, salebrosas prænotiones Coacas habes in manibus: sequor vestigia tua, respondit: At ille, Tu meliorem viam es ingressus, eam persequere. Magnum est laudari à laudato viro. Nunc ad Iacotium. Ille est certè acuti ingenij, & indefessi laboris: sed bona fide possum affirmare quod petis; me scilicet illum habuisse comitem & socium studiorum, vnáque raræ eruditionis parentem audiuisse prælegentem prænotiones Coacas: quod, meo periculo, fatebitur Iacotius: nisi velit infamiæ & ingratitudinis notam nomini suo inuri. Superest vt tibi gratias agam: quoniam ex media senecta me in eam ætatem reduxisti, in qua tam præclara artis medicæ lumina, suo splendore adolescentum animos illustrabant. Bene vale, è Bibliotheca nostra 4. Idus Aprilis.

IOANNES

IOANNES DVRETVS, LVDOVICI FIL. LECTORI.

QVOD harum expectationem lucubrationum, quam, ante annos decem, sponte sua fecit ac dedit; explere viuus non potuit, vix vereor vt parenti meo illudat quispiam: saltem eorum qui viderint, aut percunctando audiuerint, vt vix bene vnquam ex incommoda valetudine emerserit, ex quo prædictionum Coacarum explicationem in se recepit: vtque morbo, quoad potuit, constictantis, & ænigmatum, quibus plena sunt Coacarum omnia, difficultati decertantis; plurimus labor in vsu medendi fuerit, & profitendi, quotidiano versatus. Equidem hîc, omni vanitate, credo, & inuidia procul, affirmare possum; operam ab inualido iam sene in munera tria simul fuisse collatam, quorum vnum aliquod ipsum per se, vel robustissimum iuuenem, in ipso ætatis flore, contriuisset; docendi, inquam, scribendi, & ægrotos omnibus horis sollicitandi. Itaque concidit sub onere tandem, vt necesse fuit, qui numquam animo succumbere potuit: nec tamdiu optatum, qui iam instare videbatur, videre ei contigit, finem meditationum commentationúmque in has prognoses suarum. Quinquaginta octo in calce, aliquot etiam in progressu intactas liquit; puta 82. 83. 164. 165. 166. lib. 1. 6. cap. 5. lib. 2. 31. cap. 16. lib. 2. 55. 56. tract. 3. & 5. tract. 4. lib. 3. Credo quod longioris disputationis aliquando pertæsus, cum nouo proposito animum, tanquam ferculo palatum, oblectare cuperet; relictis aliis, alias sumebat in manus: plurimum deceptus ea spe qua ducebatur explendi lacunas omnes, antequam finem scribendi facere cogeretur. Enimuero, quod eo dictum duntaxat velim, ne qui à me promanauit error, fortè in immeritum redundet; feci vt cum interprete locutæ prognoses istiusmodi omnes, ab omnibus iam, vt spero, intelligantur: quin & sententias Græcas, quæ in propositarum obscurarum aut dubiarum intelligentiam & fidem citatæ erant & productæ, paucis exceptis, quibus prospectum erat, in studiosorum gratiam, latinas feci; paternam hîc phrasim ita ex professo imitatus; illîc dictatas olim publicè, quarum copiam habui, huius eiusdem operis explicationes ita sequutus; vt per me quidem minimè steterit, quominus hoc monumentum sui, à se eodem inceptum, elaboratum, perfectum, inuida inuita morte, posteritati reliquerit. Nunc vtinam quantum studuit, tantum & placeat & iuuet: tum demum peruenisse ad exitum sibi in omni vita propositum videbitur.

IN COMMENTATIONEM OPERIS.

EXit opus tandem, multos quod pressit in annos
Duretus, Coi lux & imago senis.
Fallor. Non operis, non libri nomina quadrant:
At melius dici Bibliotheca potest.
Cunctarum hîc seges est medicarum uberrima legum:
Et modica medicas m le coërcet opes.
Morborum causas, & signa, πρόγνωσιν; & horum,
Legibus & cautè, queis medeare, docet.
Venalis medicinæ hæc Ilias unica prostet:
Frustra alios cudes bibliopola libros.

Guill. de Ballou Med. Parisiensis.

Quòd iunior patris vestigia clara sequatur
Duretus, proles digna parente suo.
Illi hæc cum multis communis gloria floret:
Nec quicquam laudis res habet ista nouæ.
Sed quòd Duretus senior, pars maxima nostræ
Atque ornamentum præsidiumque scholæ:
Duretus princeps Medicorum, à principe Coo
Tam multis annis dissitus atque locis,
Diuinum Hippocratem tam bellè exscripserit, ut non
Hippocrates similis sit magis ipse sibi.
Laus demum hæc rara est, à nullo audita, nec ullis,
Quod meminisse queam, concelebrata libris.

Nicolaus Ellain, Parisiensis Medicus.

L. Dureti prosopopœia.

Multiplices linguas, multas scrutatus & artes
Præcolui cunctis Hippocratem Medicum.
Vnus in ore fuit, studiis præfectus & unus.
Ille mihi solus cura, labórque fuit.
Regia, me, lustris plus quinque, docente cathedra:
Illum Parisiis audiit & didicit.
Doctrinæ & cathedræ, nostris ex ossibus, uno
Successore dato, mens adiit superos.
Hæc fuerit series quæ & quanta nepotibus, ecce;
Æternùm Coacæ proferet artis opus.

H. Monantholius Medicus & Professor Regius.

Macte

MActe animi iuuenis, multos vigilata per annos,
Qui patris monumenta tui das luce potiri.
Et facis vt fati, Parcarum & lege solutus,
Ora hominum videat: scriptis, depellat ab agris
Corporibus morbos; viuâ quibus ante superstes
Voce medebatur. Duo iam clarissima secli
Lumina præsentis, primo vestire nitore,
Et, tenebris pulsis, in apertam educere lucem
Hippocratem voluere diu: non attamen ante
Prodiit is cultu patrio, vtroque colore
Agnoscendus; eum donec solertia magni
Dureti eripuit mendis, variisque lituris:
Ora repurgatum, germana & voce loquentem
Exhibuit. Quæ ne venturos scripta nepotes
Effugiant, nostris iaceantve incognita sæclis,
Tu, solo genitore minor, puer optime, fidis
Commendas foliis, titulisque illustribus ornas:
Et facis Hippocratem, rediuiua vt voce loquentem,
Posteritas habeat, comitem Hippocratisque parentem:
Ambobus vitæ filum, seriemque retexens:
Et reduces patriis decorans natalibus ambos.

Henricus Blacuodæus Scotus, Doctor Medicus Parisiensis.

In tumulum Ludouici Dureti.

Ludouicus Duretius.
De cuius ludo virtus.

NE tumulum magni per terras quære Dureti,
Vlla potest tantum condere terra virum?
Nominis ille satur, medio se inuoluit Olympo:
Immensi sobolem se memor esse Poli.
Sed monumenta suæ virtutis multa reliquit,
Nomini & erexit mille trophæa suo.
Mille trophæa, modum sæclis factura futuris,
Digna vel Asclepio terque quaterque Deo.
Nempe erat Asclepiæ princeps Duretius artis,
Quem coluit facili doctus Apollo manu.
Quem cultum æthereâ gremio demisit ab arcis,
Atque suas terris iussit obire vices.
Auspiciis Phœbum fœlix æquauit ab ipsis,
Hunc vnum & potuit Phœbus habere parem.
Attamen auriloqui cœlestia labra Dureti
(Ambrosia & Coo pasta labella fauo)
Mille Deo medico medicos peperêre fecundos:
Et prolem, ingenij pignora certa sui.
Nominis omen erant Duretio nomina, CVIVS
DE LVDO VIRTVS *prodiit eximia.*

Ioannes Dacier, Medicus Parisiensis.

Creditur ipse lubens pridem Duretus ad astra.
Cycladas emensum sistit amœna Coos.
Hoc, ait, Hippocratis conduntur marmore gazæ:
Impiger, haud parcas, prome viator, opes.
Exerit; Argolia, Ausonidque regressus in vrbem:
Cernit, eheu, vitæ stamina secta suæ.
Ornare exuuiis humanos ditibus, inquit,
Quis vetat? inuita hæc edita sorte dabo.
Eruta, nate, Coo, nostro simul eruta busto;
Æternes iubeo, quæ peritura tuli.

Ioannes Cornutius, Parisiensis Doctor Medicus.

POsthuma progenies, magni post fata parentis,
Nascitur, & superas, fœlicibus exit in auras
Auspiciis, Durete, tibi: sed nescia mortis
Progenies, & quæ durando plurima vincet
Sæcula. Namque illi hoc medices inuentor, & idem,
Nascenti, pater amnorum promittit Apollo.
Fortunate senex, maneis cui fama sub ipsos
Ista venit, tantorum operum iustissima merces.
Nos quoque fœlices, moriens quibus ista relinquis
Virtutis monumenta tuæ, diuinâque mentis
Semina, venturos quibus & cognoscere morbos
Sit facile, & certis cunctos prædiscere signis
Ante suos ortus: docuit quæ maximus olim
Hippocrates, Coïs mandans arcana tabellis.
Iam nulli tacitæ venient in corpora pestes
Et pater ipse Deûm, vocem qui sustulit illis,
Abstulerit frustrà sonitus, & murmura linguæ.
Ergo eris ô nobis semper Deus, & tua viuet
Æternùm soboles, nullo mutabilis æuo.

R.Callierius.

Vt lacus Arcadibus, Pheneum quem patria dixit,
Ambiguas suspectas aquas effundit in agros:
Quarum, dum seram pepulere crepuscula lucem,
Exuccis minimum si quisquam faucibus hausit;
Viscera turbari, & fluidas pendêre lacertos
Agnoscit, vitæ demolirique prioris
Robora, nec firmo consistere poplite corpus.
At contrà quicunque sitim orta luce leuarit,
Illis, & medium cum sol conscenderit orbem:
Inde valet, fit multo etiam robustior ætas.
Sic quis vbi abstrusas Græco desiderat artes
Hippocrate, attonitus, melius nil pectoris haurit
Quicquam oculis, voluens animo maiora capaci.
Ni quodcunque latet, Diis acceptissimus aui
Duretus nostri, sublimi more recludat,
Augusta hanc in rem referunt oracula mentis.
Ille etenim vigili perspexit singula cura,
Vndenec ingeniis inuestigata priorum,
Quæque diu latuere, docet, Phœbo. & Ioue digna.
Qua duce, Diuinam, diui scrutabitur artem
Hippocratis, toti fietque salutifer orbi.

A. de Guinant.

L'honneur qu'auoit acquis ta science profonde,
Qui te faisoit regner dessus tous les sçauans,
Souuerain Hippocrat, & qui, depuis tant d'ans,
Esclairoit de ses rais, tous les coins de ce monde.
Sans ton docte DVRET, qui de prés te seconde,
Ia ne voleroit plus és bouches des viuans:
Mais luy plus que jaloux de tes honneurs si grans,
Les espand derechef par cette terre ronde.
Or vous qui ne voulez ces illustres enfans
De ce grand HIPPOCRAT auoir pris leur naissance;
Ores recognoissez quelle est vostre ignorance,
Et de combien estoient deceus vos jugemens.
Ia ne vous craindront plus les diuines COAQVES,
Ny les malins efforts des enuieuses parques.

P. Cousseau.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΛΟΔΩΙΚΟΝ ΔΟΥΡΕΤΟΝ, ΙΑΤΡΩΝ λαμπρότατον.

ΜΗΚΕΤΙ ἠελίου ἐπ' αἰθέρος ἄλλο ἐρήμας,
Ἀστέρον θαλπνότερόν τις βλεπτὸν μὴ δύναται.
Οὕτως Ἱπποκράτους οὐδεὶς ἔβλεψε φαεινὸν
Ἐξ ἀρχῆς ἰατρὸν λαμπρότερον μεγάλου.
Ἥλιος αἰθέριος λάμπει, κ' ἀγλαΐζεται ἔτος
Ἐν δρόμῳ ὡς αὐτοῦ μὴ σκοπέειν τὸ δύνασθαι.
Ἢν ἐπὶ κυάνεον νέφος ἤγαγ' ἐς αἰθέρα Βορέου
Πνοίη, ἑαυτὸν ὡς λιπὴ καλυψαμένη.
Ἔνδοξα ὡς ἔστι πολυθρύλλητα ἕκαστα,
Δόγματα Ἱπποκράτους σύντομα κ' αὐτοτελῆ.
Τὶς μὴ ἔθει δρεπτὸ μὲν κορυφαῖς δύναται ἀφορισμῶν,
Δουρέτε εἰ ψυχῆς μὴ τὸ σκίασμα ἔχῃ.

Α. ΓΗΙΝΑΝΘΟΣ.

Primus liber, de febrium symptomatis, paroxysmis, & crisibus.
Secundus, de morbis cum febre aut sine febre exortis intus, partium singularum propriis, vtriusque sexus communibus. Continet capita xxvi.

COACARVM

COACARVM HIPPOCRATIS MAGNI PROGNΩΣΕΩΝ

LIBER PRIMVS.

INTERPRETE ET ENARRATORE
LVDOVICO DVRETO, *Segusiano.*

OΙ' ἐκ ῥίγεος περιψυχόμενοι, κεφαλαλγέες, τράχηλον ὀδυνώδεες, ἄφωνοι, ἐφιδρούντες, ἐπανέστησαντες. θνήσκουσι.

1 *Qui ex rigore perfrigent, & vnà dolore tum capitis, tum ceruicis impliciti, mox voce capti, paruo sudore madent, vt se collegerint; moriuntur.*

FVIT illud consilium Hippocratis, vel potiùs discipulorum eius, qui præceptoris diuitias atque ornamenta quamplurima posuerunt in hoc amplissimo & augustissimo Medicinæ theatro, primùm symptomata febrium, omniáque quæ in iis apparent & fiunt bonis aut malis ægrotantium rebus, orta de motu & more ipsarum; ἐπιφαινόμενα & ἐπιγινόμενα vocant, omnia, inquam, febrium ἴδια, theoremațis explicare; partim definitis, quæ vel catholica, vel hypothetica sunt; partim etiam quæsitis: quia febres occupant τὴν οἰκουμένην, i. vniuersitatem. Mox aliorum quoque morborum qui tam intra & intus, quàm foris & extrinsecus, idque cum febre, vel sine febre, in partibus singulis sexus vtriusque enascuntur & stabulantur: omniumque adeo quæ cernuntur in habitu corporis, in actionibus, ac denique in excrementis. Magnum certè opus, vel diuinum, credo, cum excellentia præstantiáque operum quæ docta posteritas de Medicina fecit.

Inter symptomata febrium atque signa quæ vel ex motu veniunt, vel ex more febrium; primus occurrit Rigor, omnium, penè dixerim, comes indiuiduus, vel in periodo typica, vel in crisi, vel in erratico paroxysmo typi experte. Ac nullus feracior locus est in Medicina ad incundam διάγνωσιν febrium, quàm de Rigore. Sed ea rigoris varietas, & quæ cuiusque natura sit atque conditio; siue is periodicè, siue criticè, siue etiam symptomaticè moueatur; tam scilicet natura duce, quàm dominatu morbi; dicetur in singulis rerum earum decisionibus quæ in tractatu hoc primo huius diuini operis continentur. Primum hic Rigor occurrit symptomaticus, omnium, qui sic oriuntur, calamitosa vi pessimus, qui tantum periculo adiicit periculosi iam morbi, vt cita inde mors veniet. Ratio autem causáque cur ita sit, palam erit in examine.

QVI EX RIGORE.] Id est, concussione totius compaginis, maximè autem partium posticarũ quæ adiacent lumbis, metaphreno, ceruici ad caput; dum scilicet proritantur appulsu cacochymiæ illuc è vasis caprellæ, & viam ad exitum affectantis; quem quia tam citò non habet, partes exacti sensus, vbi subiitit, vellicando lacessit, cum incredibili afflictione caloris viuifici quæ est in corde: tum enim viuificus ille calor intro recurrit, dum cacochymia foras excurrens, ac primo appulsu passa repulsam, concussionem mouet cum frigore partium calore viuifico defraudatarum. Non enim caloris afflictio concussionem infert; sed ipsa concussio afflictionem. Declarat illud, frigus, sine concussione, partiũ extimarum, totiusque compaginis, dum prope abest caloris vitalis extinctio, vel est contumax interceptio. Quinetiam lipyriarum febrium, ardentiúmque comes est frigus partium extimarum, incar-

descentibus æstu costis vel hypochondriis : tum enim caloris retractio est foris intro concussionis expers. Nam illa rigoris concussio febris ardentis critica, ipsam exoluit, sudore vel hæmorrhagia; sperabili antè crisi de signis pepasmi; Periodicus item rigor intermittentium febrium, discessionem affert paroxysmi diurni, quem ipse commouit. Scitum est illud, *Quibuscumque per febres, rigor quotidie incidit, ipsarum quoque diurna discessio est.* Quoniam enim bile commota per totam compaginem rigor cietur, ob eamque causam singulis paroxysmis vacuatur & expurgatur; consentaneum est vt paroxysmi diurni vacuatio fit & intermissio cum febris vacuitate.

Sed tamen rigoris hic positi alia ratio est atque conditio : non enim criticus aut periodicus esse potest, qui frustra cietur, & quem frigus excipit partium extimarum, totiusve compaginis; cùm incalescere potiùs debuissent, vt in periodo typica tertianarum, & critica continuarum ardentium. De hoc scripta sententia est : *Si crebrò rigor incidit, nec vlla febris discessio est, fractis iam viribus ægri, lethale.*

Ortum porrò hic tamen habet è vasis, non ab vlceribus, quæ altera rigoris occasio numeratur; qualem ciere profectò solet empyema pleuritidis aut peripneumoniæ, qui antè non erat, dum cruda manebant costarum phymata, aut pulmonum, aliarumve partium: quæ phymata κατ᾽ ἐκπύησιν, vlcera nominantur, & quorum hic nulla suspicio esse potest: at magna est biliosæ cacochymiæ, *Rigores*, inquit Galenus, *qui siue vlla parte afflicta fiunt, è lumbis & dorso causas & principia ducunt.*

6. Epid. & 5. aphoris. Hist. 1. 1. Epid.

PERFRIGENT.] Non quidem amabili frigore alsiosi, qualis exacto paroxysmo, vel in discessione febris critica; aut etiam læti, mitigato ardore febrili, vt Philisco contigit, qui tertio die diluculo ad meridiem visus est fieri ἀπύρετος, febris expers. Quod sanè περιψύχεσθαι, quàm ψύχεσθαι potiùs dici, Galenus obseruat in prorrhetico; vbi eiusmodi perfrigeratio, cùm ardoris reliquiæ sub hypochondriis latent, insidiosa iudicatur.

Sed *perfrigent*, inquam, frigore pene dixerim glaciali, marmore frigidiores, eò planè adducti, quò spectat illa sententia : Cùm ex rigoribus exudante paruo sudore, perfrigeratio est, graue malum. Etsi Galenus à lectione ἐκ ῥινῶν, i. *è naribus*, loco eius quæ est, ἐκ ῥιγῶν, *i. ex rigoribus*, adiungendam putauit hæmorrhagiam; vnde sudores exigui perfrigerationem denunciant : vetus nihilominus huius operis lectio, ἐκ ῥιγῶν habet, auctoritatem quærens ab illo prorrhetico, αἱ ἐκ ῥιγέων περιψύξιες μὴ ἀναθερμαινόμεναι κακόν, i. *Quoties à rigore perfrigeratur quis, nec denuo incalescit; malo est loco.* Sed ista sit-ne firmiter fixa perfrigeratio, an verò caloris vicissitudinem habeat : tum, sit-ne totius corporis extimarum-ve partium; permagni refert intelligere. Enimverò firmiter fixa perfrigeratio, vbi non denuo incalescit qui semel perfrixit; emortui est caloris vtriusque, viuifici & vitalis, ob eamque causam funesta. Sic Galenus ad prorrheticum modò adductum, ἀποσβεννυμένου τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ [illegible]. Altera illa, quæ cum cita caloris vicissitudine est, similiter vt prior, accedit labefactata virtute caloris natiui partium solidarum; quæ non ampliùs recreatur affluxu è corde viuifici nectaris suaue calentis : sed mox à frigore incandescunt æstu fugaci, de conflagrantium viscerum flammæ appulsu; quæ citò euanescens, partes, vt priùs, relinquit marmore frigidiores. Talem animaduertit primùm in Pario, mox in puerpera; περιέψυξε, inquit, καὶ ταχὺ πάλιν ἀνεθερμάνθη i. *Perfrixit, mox rursum incaluit.* In prorrhetico, *Qui cùm perfrixerint & sudarint, denuo incandescunt; malo sunt loco.* Vbi Galenus, ἀναθερμαινομένους ἀνωμάλως interpretatur. Sed ista quidem vicissitudo cuiusmodi sit, vnde veniat, & quorsum appareat; planum faciet enarratio prognoseos, ab hac, tricesimæ secundæ. Sed frigoris vel in extremis artubus oborti, vel toto corpore, calamitosior vis est eius quod per totum corpus. Nam huius quidem noxa cernitur in emortuo calore natiuo, illius non semper. Atque imprimis distinctio esse debet extremorum : si quidem cùm manus & caput propiùs absint à fonte caloris natiui, quàm pedes; credibile est minùs & seriùs refrigerari, cùm adest paupertas vel interceptio viuifici nectaris : contrà in caloris retractione, quam viscerum inflammatio facit.

prorrh. 34. sect. 2. 1. prorrh. 31. sect. 2. 2. Histor. 1. & 2. sect 3. 5. Epidem. prorrh. 32. sect. 2. 2.

ET VNA DOLORE TVM CAPITIS, TVM CERVICIS, IMPLICITI.] Ponuntur incommoda concussionis irritæ & frustra obortæ à rigore; tum enim μετάστασιν, i. *transflationem* habet rigorifera ipsa bilis, ad diaphragma & caput.

Et quia μετάστασις quocumque appulerit, morbifica illic est, vbi subsistit; sanè translatio bilis ad caput, vnde non habet exitum, symptomata illic mouet partis obsessæ propria, morbificique humoris: sunt autem cephalalgia & delirium. Est enim ratum illud, quòd humor calidus, qui sursum fertur ad caput, vel hæmorrhagiam ciet, vel paraphorica edit symptomata, & cephalalgica.

Porrò autem cùm ea sit ratio τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν ἀποφύσεων i. *principatuum & propaginum*; vt mutuò se afficiant, mutuasque tradant operas, valetudine quidem aduersa, in ægri perniciem; vel, vt præceptor loquitur, συμπεπονθότος τοῦ κατ᾽ capitis quidem sic à bile distenti & proritati sympathia propagatur ad partem vicinam & sociam, quæ est medulla ceruicis, & eius membranæ, quarum afflictio acerbissimum mouet dolorem, cum pari cephalalgia coniunctum; quando hic nulla vis incidit in musculosum genus. Atque in hoc ceruicis dolore similiter fit vt in illo: *Ceruicis afflictio, mala est quidem in omni febre, pessima verò iis qui sunt in metu insaniæ.*

libr. 2. acut. prorrh. 41. lib. 2.

MOX VOCE CAPTI.] Hoc satiscentis cerebri multùm oppressi proritatique signum est syllogisticum, ipsiusque adeo spinalis medullæ : sicut subtillum sanguinis in comate contumaci, effœto iam cerebro, cum scilicet magna oppressio cerebri transit in exolutionem ipsius, & alteratio in alienationem. Quòd certè funestum est, vt mox docebitur in aphonia hic posita. Enimverò vt omittam cæteras aphoniæ causas, quæ multæ sunt, & alio loco aphoniæ dicato à nobis conscriptæ; certum est hic aphoniam notari, quam impotentia facit efflandi, materiæque vocalis inopia & paupertas. Impotentiam parit efflandi vocalium musculorū exolutio, non autem contractio, qualis in ebriis cernitur voce captis atque conuulsis. Exolutio accidit musculorum vocalium, non impertita ipsis facultate, ac spi-

aph. 5. lib. 5.

ritui

situi animali, quantum sufficit ad efflandum. Materiæ autem vocalis inopia & paupertas sequitur paucitatem spiritus, hoc est aëris inspiratione parua & rara; cuius molitio sic est de cordis calore exiguo, & cuius extinctio est in propinquo: vnde spirandi vsu pene collapso, vt parua & rara est inspiratio, quæ parca manu spiritum ad cor ducit; ita vaporis fumidi, materiæque vocalis minima expiratio. Ex quibus efficitur, vt in aphonia descripta nulla sperabilis sit vitæ salus, defixa firmiter infirmitatis causa, tam in cerebro, quàm corde. Et qui cum tali aphonia conualuerit, Hippocrates vidit neminem. Exemplum est in historia de Pythione, cuius quidem breuiario expressa fuit decisio hæc à Scholæ Coæ magistris, vt mox dicetur.

PARVO SVDORE MADENT.] ἐφιδρoῦντες, i. quibus exudat crebrò sudor exiguus qui morbum 10 subesse ibi testatur, vbi exudat. Hic autem exudat in capite & ceruice, vnà dolentibus. Primum quidem expressus ab oppressione, posthmodum ab effœtis partibus sponte sua exudans de succo alibili, quem exolutæ partes nequeunt retinere. Nam ἐφιδρώσιες, i. *sudatiuncula* altera significatio, quæ in madore est totius compaginis, visa est in Pythione, cùm ille animam exhalaret.

VT SE SE COLLEGERINT,] i. Cùm videantur morbo leuari, & rediisse ad se iterum atque iterum. Quod Pythioni legimus contigisse, quem audiuimus, cum ei quo die primùm decubuit, ingens rigor obortus esset, cum febre acuta, & idem secundo die factus esset, ἄναυδος, ἄφωνος, βραχύπνοος, i. *voce pariter atque sermone captus, & vnà spiraret parcè & rarò*, cum frigore partium extimarum, maximè autem manuum atque capitis, quæ paruo sudore pòst maduerunt; eundem tertio die quietem habuisse, tum 20 quarto etiam, dum sub meridiem iterum factus est sermonis expers & vocis, cum frigore partium extimarum, quæ mox in petus incaluerunt: sed quinto die rursum eundem fecisse opinionem leuationis, vel, vt præceptor scripsit, [illegible]. Atque ita cùm morbus vires acquireret eundo, & vnà vicissim alternis diebus insidiosa esset leuatio; tandem ad vltima ventum esse virium collapsarum, & ipsum decimo periisse perfrigidum, [illegible], ac diffluentem sudore. Est igitur ἐπαναφέρειν, iterum atque iterum velut resurgere, quod illud ἐπὶ ostendit; sicut in illo ἐπιρριγοῦν, quod est crebrò rigere. Nam ἀναφέρειν verbum reperio vsurpatum de iis qui periculo defunguntur, & restituti viuunt. Testis est illa sententia præceptoris, [illegible], i. *Eorum qui strangulando exoluuntur, nec dum mortui sunt; illi demum ad vitam non redeunt, quibus fuerit circa os spuma.* Sed hæc leuatio non est fida, quin potiùs insidiosa, pestifera, quemadmodum illa etiam Pythionis, quam facit humoris morbifici huc illuc μετάστασις. Qualem pleuritici experiuntur, cùm in difficili 30 & biliosa ancatharsi, lateris dolor quiescit; non quidem falsò, sed insidiosè, & loco pleuritidis, mortiferam infert peripneumoniam, aut sæuam phrenitidem, cœptis immanibus efferam. Talis anginæ ratio est, quando relictis faucibus, libertatem adferens degluttiendi, migrat in guttur, siue laryngem, facitque anginam cùm orthopnœa & sæui doloris cruciatu, cita morte funestam. Insidiosæ huius leuationis multa exempla theoremate illo catholico continentur, *Non est fidendum iis quorum leuatio est sine signis & causis*, vel, vt loqui solet præceptor, ἀσήμως & ἀλόγως. (aph. 26. lib. 2.)

MORIVNTVR.] Atque id meritò, si verum est illud Hippocratis, vt certè omnino est, Τὰ ἀλεθρία ἀσήμως [illegible], i. *Perniciosa, quorum sine signis leuatio est, mortem subesse ostendunt.* (prorrh. 17. lib. 1.) Perniciosa enim sine signis mitescunt, vel ob translationem, vel propter effœtam vim partium solidarum, ac 40 sensus amissionem, pene emortuo calore natiuo. Et cùm ad vltima ventum est, natura sui diligens pugnam instaurat, Priami more cum Pyrro, ac tum victa concidit atque iacet, collapsis iam omnibus sui præsidiis. Nec verò id nouum est, naturam tum decertare, cùm in propinquo mors est; quando iam vetus est illud Galeni. [illegible]. Loquitur autem de pulsu, qui desperatis, animam penè agentibus, non rarò fallit imperitos medendi, quia tum editur maiore appulsu venæ micantis. (libr. de prædicã. do ex pulsib.)

2 Αἱ μετὰ καταψύξιος δυσφορίαι, κάκισαι.

50 *Quæ vnà cum frigore sunt dysphoriæ, pessimæ.*

SYMPTOMATICVM est hoc frigus, vt omnis tollatur critici aut periodici excusatio. De causa eius aliter statuendum quàm fuit in citimo. Est enim retracti caloris viuifici, vel intercepti symptoma. Vt enim partes extimæ tantum habent caloris, quantum viuifici nectaris euius appulsu calent: sic eo defraudatæ frigent. Defraudantur autem, cùm eius caloris retractio est, vel à systrophica viscerum phlegmone; vel à causo; vel etiam à lipyria febre. At tum illius frigoris comes est ἡ δυσφορία, i. molestia incredibilis, & anxietudo, quæ cernitur in iacendi habitu inquieto cum ægra difficilique admodũ tolerantia symptomatum omnium quæ ab illis febribus, vel à viscerum phlegmone inferuntur. Nam 60 tum efferuntur fastidio & contumacia in eos qui præsto sunt, intùs incendio conflagrantes, cum inexplebili siti, iactatione varia sursum deorsum, dextrorsum & contrà; omnis figuræ, & loci, & situs impatientes: more illorum quos in secunda valetudine tædet subinde rerum earum quæ priùs placuerant: quod apud Hippocratem est ἄση, vnde & ipsum venit nomen δυσφορία. Atque hic [illegible] propriè est ægrotorum, qui huc in omnem partem iactantur, nec vllo consistunt loco: sicut & ἄση, quam facit Hippocrates duplicem; vnà cum nausea, [illegible], i. *cùm os ventriculi malè habet à morsu prauorũ humorũ*; altera verò, [illegible] (aph. 34. lib. 7.)

ὀχῆμα φαδίως, i. *quando facultas à corpore sic grauatur, vt nullam facile ferat figuram.* De hac protheticum illud est, Οἱ ἀσώδεες ἀλυσμοὶ παροξυνόμενοι, κακόν, i. *Quoties sine nausea exacerbatur est cum fastidio, malè res eunt.* Vbi Galenus author est, huiusmodi ἄσην, i. *fastidium* mortiferè ipsos habere quos occupat. Altera autem ἄση, qua ægri sunt ναυσώδεις, i. *nauseabundi*, legitur in vxore Dromeadi, separatim ab ea quæ dicta est modò fieri ἀσωδέως, quam ἀλυσμὸν propriè nominauit. Erat enim Dromeadi vxor ἀσσώδης ἀλύουσα, i. *fastidio inquiete afflicta.* Hic non est dubium quin illa mulier fastidio esset morosa, siue ἀσώδης, de cordis morsu, quam alibi vocat præceptor ἄσην περὶ τὴν καρδίην: eandemque ἀλυσμὸν exerceret crebra huc illuc corporis artuúmque iactatione, omnis figuræ & loci pertæsam. De virium oppressione, apud eundem ibidem est, πολὺς ῥιπτασμὸς, ἐπὶ τὰ δέξια, ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ, i. *frequens iactatio quæ fit, subinde vertendo se in dextrum & in sinistrum.* Omnia autem nomina quibus fastidia cordis & corporis explicantur; ἄση, ἀλυσμὸς, δυσφορία, ῥιπτασμὸς, ἀδημονία, βληστρισμὸς, μετεωρισμός; omnia inquam, sub nomine continentur τῆς δυσφορίας, non solùm in idea symptomatum prædictorum, sed in ipsorum causa; vt siti, dolore, cordis morsu, ardore, dyspnœa, oppressione viscerum, corporis grauitate, & cæteris, quæ molestiam ægris pariunt intolerabilem. Est igitur graue malum ἡ δυσφορία, quæ cernitur in acerbissima vi symptomatum prædictorum, ex causis illis quas posui, enatorum. Sed multò grauior est ὑπερδυσφορία, quæ illos habet mortiferè quos inuasit & occupat: vnde sunt etiam ὑπερδύσφοροι: ob eam sanè causam, quòd morbo iam fracti, calamitatem illam fastidij, quo tenentur, parentem, dignè pro merito nequeunt ostentare. Ac tales casus ægrorum siue calamitates verè sunt.

lib. 7. Epid. in Carade.

Pessimæ κάκισται, i. quibus ad ægri mala vix peius aliquid potest accedere: vel etiam quæ sunt eiusmodi, vt nulla bonorum oppositione vinci se patiantur. Sunt enim quædam κακὰ, i. *mala* in ægris, quæ à bonis vincuntur. Sed illa demum κάκιστα meritò nominantur, in quibus, τὰ μὲν ὑπάρχοντα κακὰ, & ἀσυμβαίνοντα καλὰ, i. omnia quæ adsunt mala & ab iis absunt bona. Eorum contraria sunt ἄριστα, cùm scilicet, καλὰ ὑπάρχοντα & ἀσυμβαίνοντα κακά; sicut in optimo hypochondrio annotauit Galenus. Æqui boniq; consulent æquales mei Medicinæ studiosi, nomen hic nouè vsurpatum Latinè, analogia dysenteriæ & cæterorum nominum quæ transierunt in coloniam Latinitatis: quia sunt Latina voce inexplicabilia.

lib. 2. Prog. Nomen scilicet dysphoriæ.

3 Κατάψυξις μετὰ σκληρυσμοῦ, ὀλέθριον.

Frigus cum rigida cute artubúsque, funestum.

Est quoque frigus hoc symptomaticum, signo extincti caloris viuacis, ab exhausto humidi primigenij partium solidarum, quod intulit febris tabifica & μαρασμώδης. Tale est illud frigus iam positum, ex proth. *Frigus quod denuo non calescit, pessimè habet ægrum.* Vbi Galenus author est, eo frigore denunciari eximiam paupertatem, & νέκρωσιν caloris natiui, quæ ita manet, de non excepto, vel non percepto affluxu viuifici nectaris, quod est in corde iam perexiguum. Est igitur frigus hoc pessimum atque funestum: quando caloris firmiter fixa extinctio, nullam relinquit spem fore vt reuiuiscat. Extinctionis firmiter fixæ opinionem facit frigoris assiduitas vnà tractabilis cum rigida cute & artubus, quam σκληρυσμὸν nominauit. Sic autem videtur examen hac de re conuenienter suscipi.

proth. 31. sect. 1.

Cum rigida cute.] Cùm scilicet defraudata succo venarum alibili primùm, mox humido primigenio prorsus exhausta, siccitate collapsa obriguit, durior facta & aspera, quæ antea molliter erat solida, succi plena, & læuis. Sic enim ratio comparata est partium, totiúsque compaginis; vt cùm macrescere cœperint, laxa fit cutis, & pallida, de dissipato spiritu, & humore, quibus antea recreabantur, & humescebant. Sed cùm ad vltima ventum est τοῦ λεπτυσμοῦ, i. *habitus imminuti*, tum cutis collapsa tensaque obrigeat, mollitudine omni, læuitatéque sublata, per siccitatem partium solidarum, primigenij sui humidi, iam exhausti, fructu carentium. Atque hic λεπτυσμὸς, i. *extenuatio*, siue macies ad extremum perducta, non inchoata, nec pressa leuiter, sed fixa firmiter (vt nulla sit excusatio diarrhœæ fugacis, vigiliarum, inediæ; quibus exactis, redintegratio facilis esse solet) hæc, inquam, posita extenuatio, causam habet in morbis quidem acutis; febrem tabificam, cuius ardore & κακοηθείᾳ sanguis, & adeps, & vnà teneræ carnes liquuntur; in cæteris autem qui transierunt in vetustatem [illegible] cæcum ignem, qui facit μαρασμὸν [illegible], vnde cùm homines plurimùm emacruerint, postridie moriuntur eius diei quo nigra deiecerint. Similis quoque ratio est phthisicorū macie confectorum, quam intulit vlcus pulmonis ferinum, siue θηρίωμα, depascendo quicquid in corde est sanguinis, & aërê inficiendo quem ducimus, cum assidua febre, μαρασμώδει, horrifera. De rigida cute in phthisi & empyemate, multa sunt ex præceptore, suo quæque loco à nobis conscripta. Est igitur cutis, vt siccitate dura, sic inæqualitate aspera; cum scilicet cachexia transit in extremum marcorem. Ac sanè cutis huiusmodi nominatur à præceptore, δέρμα σκληρὸν, περιτεταμένον, καὶ καρφαλέον i. *dura, intenta, & arida.*

Artvbvsqve.] Artuum meminisse hîc visum est, similiter vt fecit præceptor in illo, Αἱ σκληρότητες τοῦ σώματος, καὶ οἱ σκληρυσμοὶ τῶν ἄρθρων, καὶ αὐτὸς διαλελυμένος, καὶ αἱ κατακλάσιες τῶν ἄρθρων, κακόν. i. *Cutis intenta, corporis artuumque durities, tum si exolutus sit æger ipse, artuumve distorsio; graue malum.* Sed illa sententia non est solius qualitatis, in corpore frigido, atque duro, tractabilis; quemadmodum hæc prognosis: verumetiam actionis deprauatæ, aut perditæ, in decumbendi, vel in iacēdi habitu, aspectabilis. Est enim decumbendi actio deprauata, ἐν τῇ κατακλάσει τῶν ἄρθρων, i. *in artuum distorsione*: cum scilicet decübendo in dorsum, vt refert præceptor, artuum est indecora compositio; vel contractorum; vel implexorum;

lib. 1. Prog. & lib. 5. Aphor. lib. 6. Epid. p. 2. lib. 1. Prog.

vel

vel etiam, præ fastidio, huc illuc proiectorum: atque id contra consuetudinem decumbentis. In hoc iacendi habitu, nulla vis lucet animalitatis, proptereáque iacendi nulla est actio: quæ tamen non tollitur de grauitate τῶ σωμάτων, i. ponderi corporis, verum de summa infirmitate, ac pene dixerim, ἀδυναμίᾳ τοῦ φέροντος, i. impotentia facultatis portantis. Ac tantum interest inter naturalem habitum decumbendi, & hunc iacendi; quantum inter auem glande traiectam, quæ ruit; & eam quæ sua sponte deuolat è sublimi, pauperibus pennis præceps in terram. Decumbendi habitus naturaliter constitutus apparet, dum quis decumbit molliter in latus alterutrum, modicéque sunt illi artus reflexi. Iacendi autem miserrima eius conditio est, qui & supinus iacet membris collapsis, ac sine potentia se conuertendi; & qui subinde ad pedes delabitur. Nota sunt verba, ἐκδρ[illegible], [illegible].

10 FVNESTVM.) Quia tum nulla salus vitæ sperabilis esse potest quando collapsa sunt animalitatis & vitæ præsidia, tum in cerebro, tum in corde: quorum effeta vis deprehenditur; illius quidem, in motus amissione; huius verò in extinctione vtriusque caloris, vitalis, & vitalis: cum ista firmiter infirmitatis causa iam explicata.

4 Ἐκ καταψύξιος, φόβος καὶ ἀθυμίη ἀλόγως, ἐς σπασμὸν ἀποτελεῦται.

Ex frigore, cum adest metus & mœror immeritò, conuulsione finis fit.

20

SYMPTOMATA frigoris hic ponuntur in principatu animi: quemadmodum modò vidimus in deprauato corporis artuúmque motu à cerebro. Etenim metus infectio est animi propter expectationem mali futuri. Mœror autem, fatalis quædam & inexpugnabilis tristitia. Vtrumque fit contractione spirituum, vel potius ψυχ[illegible] ad sua principia; aut ipsorum principiorum infectione, vt lanæ albæ veneno fucatæ Assyrio. Sed ea contractio spirituum fit à re non conuenienti; quo iure quæque iniuria, animo repræsentata. Infectio autem, ab intemperie primùm concepta; quæ malignam continenter gignit cacochymiam; vel à translatione symptomatica humoris morbifici, exitum non habentis. Ergo si ex frigore, per caloris natiui collectionem, aut interceptionem: non autem per illius [illegible] (nam tale frigus esset funestum.) Si igitur ex illo frigore, metus
30 & mœror abs re incidunt, quæ duo symptomata, melancholiæ sunt propria; palam est ipsa per conuulsionem exitum habitura: nisi hæmorrhoidibus, varicibus, aut etiam menstruali profluuio conuulsionis causa tollatur. Quod accidisse legimus Thasiæ, quam, naturâ, [illegible], i. morosam, fuisse narrat Hippocrates. Sed ad naturæ illius habitum, tristitiæ adiuncta confirmatio, ipsam planè reddit melancholicam. Et cum iam aliquot menses, in ea tristitia [illegible], i. susque deque exegisset; post diuturnam morbificæ causæ generationem, statim oborta febre à [illegible], i. metu & infractione animi, crebrò conuulsa est, fuitque symptomatum cataphoricorum & conuulsionum crebra vicissitudo. Sed tamen eo morbo defuncta est, liberali sudore: & menstruorum profluuio. Quòd autem conuulsio sit melancholiæ soboles, declarat aphorismus ille, *Melancholici fiunt epileptici*: tum ille qui scriptus legitur 56. lib. 6. *En qui sunt melancholici metuendi abscessus; aut enim apoplexiam corporis vel*
40 *paraplegiam, aut conuulsionem, aut maniam, aut cæcitatem minantur.* At si principiorum infectio, tum a translatione symptomatica, tum à primigenia intemperie post diuturnam alterationem, ipsis alienationem induxerit; conuulsio quæ inde venit, neque liberali excretione, vt in muliere Thasia, neque [illegible], i. repẽdente abscessu, vt in Herophonte, vllam curationem recipit: quòd à priuatione habitus denuo comparari non possit. Scitum est illud, *Qui à melancholia è potestate mentis exeunt, illi si superueniat tremor, procul dubio moriuntur. Et, Phrenitici, spectatores, fanatici, etiamne tremuli.*

H̃ 3. tr. sect. 1. lib. 3. Epid.

aphor. 44. sect. 5. lib. 6. Epidem.

5 Ἐκ καταψύξιος οὔρων ἀπολήψιες, κάκιστον.

50

Ex frigore pestifera est vrinæ suppreßio.

VRINÆ suppressio, vesicæ propria est. Quia non antè serum illud eorum qui sunt in venis humorum, vrinæ nomen habet; quàm ad vesicam venerit, in eáque stabulari cœperit. Sed [illegible] tamen pertinet etiam ad partes vnde manat, per quas secernitur, & in vesicam illabitur. Ac talis vrinæ suppressio vesica vacua, vt sæpenumero partes illas in vitio esse denunciat; ita non rarò spem affert secundi iudicij in morbis acutis. Notissima est peritis medicis illa sententia, *Ante rigorem suppreßio est vrinæ, si quidem è bonis ducatur.* Hic autem commemorata vrinæ suppressio in bonis duci non potest, quia ex bonis non venit. Bona autem dicuntur symptomata perturbationis criticæ, iam antè significata signis quæ apparent ad tempus: vt illa ad speciem cutis.
60 Atqui perfrigeratio symptomatica non potest, bonis ægri rebus, ischuriæ prænuncia esse: sicut ischuria, rigoris, indéque sudoris. Non enim signa critica, & causæ criticæ retro commeant ad significandum. Ac ne longum faciam, quemadmodum ischuria, quæ loco venit, præclarè apparet ad salutiferum rigorem, atque sudorem: sic è conuerso, quæ à rigore & sudore incidit ischuria, salutaris esse non potest. Ergo pestifera est omnis, quæ à frigore incidit, vrinæ suppressio. Et verò frigoris huius noxa, potissimùm vesicæ, quia est ἄναιμος καὶ ἄσαρκος, i. sanguinis & carnis expers, calamitosa est: vnde efficitur vt labefactata vi expultrice, non possit vrina excerni, vel stil-

p. 10. l. 5. 6. Epid.

pefacto sensu, rei molestæ, hoc est vrinæ, sensio non excitetur. Iam verò cùm ipsa suppressio sedu-xit & anadrome malefica sit, ad illam maleficentiam illud accedit etiam, quòd ipsa vesica, tum interceptione officij, tum sympathia partium quarum potentia corpus administratur, homini necando satis sit. Adde quòd illa perfrigeratio veniat à febris ardore, maximéque in vesica, omnium „ partium frigidissima, percipiatur; propterea que sit insanabilis, ob eam sanè causam, quòd omnis „ intemperies frigida, caloris vi nata, salutis desperationem adferat.

6. Μετὰ ῥῖγ😊 ἄγνοια κακόν. κακὸν δὲ καὶ λήθη.

Quæ à rigore incidit ignoratio mala est: obliuio item mala.

IGNORATIO, phantasiæ est abolitio: vt ἄνοια, ipsius iudicij. Sed ipsum iudicium, ὡς τὸ ἡγεμονικὸν i. velut princeps & prætor quidam, audiri non potest ἐν τῇ ἀγνοίᾳ. quæ nihil aliud est, quàm agnitionis priuatio. Quemadmodum & obliuio, rerum gestarum abolita recordatio. Vtrumque symtoma fit ab intemperie frigida cerebri, quam rigor inuexit. Ex quo efficitur alienum esse malum: vtrumque verò pessimum, si leuiter pressum non fuerit ad exigui prædicationem temporis: sed firmiter fixum ad diuturnitatem. Etenim, quò plures cerebri mansiones labefactantur, eò res ægri peiore sunt loco. Sic obliuiosus fuit Apollonius, qui ex quo decubuit, rerum omnium fuit immemor. Ac talem obliuionem funestam Hippocrates obseruauit in tempestate pestifera. Sic enim

3. Epid.

ait; *Cùm paroxysmorum initia occupasset* λήθη, [illegible], i. *obliuio, exolutio, vocis carentia.* Iam verò, in excretione iniussa, quæ antea sponte ægri fiebat, miseranda cernitur vis horum symptomatum. Etenim duplex omnis iniussa excretio est, vna quidē sine sensu, altera sine voluntate: [illegible]. In Dealcis vxore, quę toto morbi tēpore [illegible] fine voluntate fuit. Qua de re legimus aphor. 28. p. prioris prorrh. [illegible], *Quæ immemoribus funduntur vrinæ, pestifera.* Ad eam autem quæ sine sensu, pertinet prorrh. 46. p. 2. 1. prorrh. [illegible], i. *Liquida ferri ex aluo sentienti, quamuis apud se sit, pestiferum: vt Hepatico.*

7 Τὰ καυματώδεα ῥίγεα ὑπό τι ὀλέθρια, καὶ τὸ φλογῶδες ἐν προσώπῳ μεθ' ἱδρῶτ😊 ἐν τούτοις κακόν. ἐπὶ τούτοις ἡ ψύξις τῶν ὄπισθεν, σπασμὸν ἐπικαλέεται.

Causorum rigores stata quadamtenus lege fiunt funesti, tum rutila cum sudore facies, in his malum: quinetiam posteriorum frigus est conuulsificum.

SEQVITVR vt patefacta iniuria rigoris symptomatici, qui translatione humoris morbifici, naturæ auxilia labefactat per intemperiem hecticam, & complexionis effœtam vim (quorsum [illegible] spectauit Coacarum primæ & sextæ, quæ spem salutis præcidebant:) Sequitur, inquam, vt de illo rigore dicendum sit, qui pro varia temporum in quæ incidit, ratione: tum etiam pro crisis ipsius quam molitur, conditione; modò secundi, modò sinistri indicij est, vel ad interitum, vel ad salutem. Enimuerò, rigor proprium est causi [illegible], i. *iudicatorium*; ac sanè secundi existit iudicij, si iure & loco appareat: iure quidem, si causus venerit [illegible], i. *à lassitudine.* Qua de re illud scripsit Hippocrates, *Febres quæ itur ad fortes rigores, non mitescunt: sed ante vigorem, suppressio venit vrinæ, ducta ex bonis. Atque has ferè in eas cadunt, quas labor accendit.* Qui à lassitudine causi nascuntur, ferè illi sudore quiescunt, quem rigor denunciat: quoniam tales causi gignuntur quando venulæ exhaustæ, biliosos ad se rapiunt & acres ichores. Est igitur consentaneum, vt in sanabili causo, bilis quæ stabulatur in venis, exitum habeat intus foras; quæ dum celeriter fertur, sensionem excitet suæ feritatis & acrimoniæ in partibus exquisito sensu præditis; eáque sensio rigorem excitet, concussionem scilicet partium stimulatarum ad exclusionem rei molestæ. Relatum iam est illud, *Qui occupatur febre ardente, superueniente rigore, exoluitur.* Sed quoniam quæ iure fiunt ex morbi ipsius idea & [illegible], conuenienter non fiunt, nec ad salutem apparent, si loco non veniant; ad eam sanè [illegible], i. *rationis conclusionem*, præsentem hanc prognosim examinandam proponit. Tametsi, inquit, febrium ardentium, quæ à lassitudine exarserunt, rigor est indicatorius bonus, propterea que spei ac salutis plenus: tamen nisi loco appareat, ex illo ruit spes medici, ac sublapsa retro refertur. Sunt enim rigores febrium ardentium, siue causorum, ὑπό τι, hoc est, certa quadam lege, funesti. Sed explicandum quale sit illud ὑπό τι. Est igitur tale primùm, si rigor [illegible], hoc est crebrò incidat, cùm semel tantùm incidere debeat: deinde si febris finem non adferat; cuiusmodi est rigor, qui antè significatus non fuit vrinæ pepasmo, ad tempus; & vrinæ suppressione, ad speciem ipsam cuiusitum si vires effœtæ langueant, quæ sunt eiusmodi, vt neq; ipsius rigoris frustra oborti concussionem perferre possint, neque ad vacuationem liberalem sufficere.

aph. 9. sect. 1. li. 6 Epid.

lib. 4. de diæt. acut.

aph. 58. lib. 4. aphoris.

aph. 46. lib. 4.

Nulla

Nulla enim vacuatio, quãtumuis critica potest esse salutaris, vbi vires effœtæ languent. Hinc aphorismus, *si crebrò rigor cietur, nulla sperabili discessione febris, & fractis iam viribus ægri, funestum.* Ergo rigores febrium ardentium κρίσιμοι non indicabunt, si frustra cieantur. Quia præstat naturam feriari, quàm aliquid moliri frustra. Et, quicquid cietur, quod non excluditur, accessionem adiungit oppressionis. Quinetiam in omni rigore frustra citato, translatio fieri solet materiæ ad diaphragma & caput. Cuius translationis signum est, rutila cum sudore facies, quæ hic magnopere molesta est: quoniam pars obsessa totius materiæ non est capax, metúmque adfert delirij, conuulsionis, aut ipsarum parotidum. Deinde illa ἰδρώτια, i. sudatiuncula terrifica est; quia vbi sudor, ibi morbus: & nihil paucum est criticum: sed & ipsam morbi malignam cacochymiam ostendit. Quinetiam posteriorum frigus est conuulsificum, per aphorismum 65. lib. 5.

8 Αἱ ἐκ νώτου φρῖκαι πυκναὶ, καὶ ὀξέως μεταπίπτουσαι, δύσφοροι. οὔρου γὰρ ἀπόληψιν ἐπώδυνον σημαίνουσι. τὸ ἐφιδροῦν τούτοισι κάκιστον.

Crebri ex lumbis horrores cum cita caloris vicißitudine, calamitosi. Nam acerbißima vrinæ suppreßio denunciatur. Atque his exudare pestiferum.

RIGORIFERÆ omnis causæ sensio primùm excitatur in lumbis, indéque per dorsum ad caput viam affectat. Etenim rigor omnis cum frigore manifesto cietur. Atqui posteriora sunt non solùm ad excipiendum frigus, vt refrigeant, sed etiam ad sentiendum, aptiora. Est enim ratum & persuasum omnibus, quod omnis pars intemperata similem intemperiem faciliùs excipit atque percipit, quàm temperata contrariam. Posteriora autem neruosiora sunt anterioribus, ideóque frigidiora. Quod sanè si verum de omni rigore est; de eo præsertim cuius materia intra dorsum continetur, cuiusmodi hic proponitur: & qualem vt indicaret, ἐκ νώτου, dicere maluit, quàm, ἐν νώτῳ: primum sic indicans motionis initium, quæ aliunde non repetatur. Est igitur consentaneum, vt crebri ex lumbis horrores, ideo symptomatici esse putentur, quòd partis ipsius vitio enascantur, vbi & vnde cientur. Est enim horror symptomaticus empyematis. Ac prava quidem affectio, cuius symptomata sunt crebri isti è lumbis horrores, est inflammatio spinalis medullæ & membranarum eius; authore Galeno, comment. ad prorrh. 45. p. 2. lib. 2. prorrh. Atque ideo, cita caloris & frigoris vicissitudine, sunt calamitosi: quoniam caloris vi contra naturam exardent; natiui autem caloris paupertate refrigerantur: quemadmodum fit in repentina & cita potûum extimarum in vtrumque mutatione. Quòd autem cita hæc vicissitudo pariat vrinæ suppressionem, perspicuum fit ex aphor. 5. huius libri: vbi de illius maleficentia iam diximus.

HIS EXVDARE PESSIMVM. Nam illa ἐφίδρωσις signum est empyematis, cum summa virium infirmitate coniuncti: ex eo quòd deductum alimentum elabatur. *Quibuscumque diaphragmate interiùs enascitur gibber, his renum & vesicæ morbi contingunt multi.* Quæ omnia per sympathiam fiunt per quam afficiuntur omnium prima, quæ vicina sunt, & quæ generis eiusdem.

9 Ῥῖγος ἐν συνεχείᾳ, τοῦ σώματος ἀσθενέος ἤδη ἐόντος, θανάσιμον.

Frequens, in febris aßiduitate, rigor, fractis iam viribus ægri; pestiferus.

HVNC aphorismum ita vertendum duxi, ex perspicientia τῆς διανοίας, potius quàm ex verborum aucupio. Quod enim hoc loco scripsit ῥῖγος ἐν συνεχείᾳ, idem mihi omnino complecti videtur, quod pluribus annotauit aphorismo 46. lib. 4. cum ait. Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι: i. *Rigor in febrem minimè intermittentem si incidit.* Nam sanè illud, ἐμπίπτῃ, frequentem rigoris insultum significat: quemadmodum & aphoris. 75. l. 4. verbum. Οὐρέει πῦον ἢ αἷμα, i. *Sanguinem aut pus meiat*, certam quandam affectionem denunciat, qua quis aut sanguinem, aut pus meiendi finem non facit. Enimuerò multum interest, dicásne rigorem incidere, an incidisse: quemadmodum, & pus meiere, an minxisse. illa perpetuum, aut frequentem rigendi & meiendi actum designat: hæc cessationem indicant. Pertinet igitur ad inimicam vim rigoris, ipsa rigendi frequentia: cuius iniuria augetur, si non quiescat febris. Itaque talis rigor in malis ducendus; quòd pessimi signi opinionem faciat: cuiusmodi esse solent τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, i. *indicatoria non indicantia.* Quòd si ad symptomatis acerbitatem hanc accesserit summa virium infirmitas, pessimæ ibi causæ rationem habebit. Nam sine excretio rigorem sequatur, hæc sanè in febris assiduitate & virium infirmitate laudari non potest. Quemadmodum enim quibus intercepta aluus tantùm ægrè ducitur paruis & nigris, velut caprarum, globulis; hi neque hæmorrhagiam, neque aliam excretionem, abscessúmve criticum toleranter ferunt, quod ab exhausto laborent, superstite illius exhausti causa, quod globuli nigri declarant: sic neque iis quibus in febris assiduitate vires effœtæ languent, suo commodo vllum excretionis genus, quamuis alioqui criticum, excipere possunt. Sin autem rigor frustra fit, nec vllam excretionem promouet; quassationem illius diu vires iam fractæ

» non perferent. Erit igitur hic rigor planè symptomaticus, vt signum & causa, proptereáque le-
» thalis. Quoties enim ad morbum infestantem & symptoma, adiungit se virium infirmitas, nulla sa-
» lus vitæ videri potest sperabilis.

10 Οἱ πυκνὰ ἐφιδρῶντες, καὶ ἐπιῤῥιγοῦντες, ὀλέθριον. κἢ ἐπιτελευτῆσαι διαφαίνονται ἐμπύημα ἔχοντες, καὶ κοιλίας ταραχώδεας.

Sudatiuncula & rigoris crebra vicißitudo, funesta. Sic enim tandem conceptum empyema ostendent cum aluo turbata.

QVANDO sudatiuncula & rigor, vel horror, crebrò se mutuò excipiunt; sic malo res ægroti sunt loco, vt in angusto spes sit. Etenim post sudatiunculam perhorrescere nemo potest, è vasis; siquidem cita sit illius sudoris, atque horroris, vel rigoris vicissitudo: quoniam vanescit materia rigorifera per eum sudorem, quo vel in capite & thorace, vel toto corpore, subroscidus fuit æger. Id enim significat ἡ ἐφίδρωσις. Ex quo efficitur, illa duo, subsudare & perhorrescere, planè videri οὐ συνάπτειν, si ex vasorum cacochymia, horroris causa duci putetur. Ergo talis horror, aut rigor, neutiquam periodicus, aut criticus potest haberi. Atque empyemata quidem cum internarum partium omnium, tum verò maximè thoracis atque pulmonum, primùm rigore & noua febre oborta denunciantur: quoniam puris acrimonia vellicantur & eroduntur partes, quæ sunt vicinæ atque communes obsessæ. Sequitur & ipsum rigorem sudatiuncula vicissim, & crebrò exudans, facultatis infirmitate, ob quam succi alibilis dissipatio fit. Et quoniam crebra est illa sudatiuncula, vel potiùs assidua, scripsit, ἱδρῶτας πολλούς, i. sudores multos, in Prognostico: quemadmodum in Epidemiis, [illegible] i. pluuias minutulas, quæ continenter descendunt. Nam tale profluuium omnino funestum
» est, vt signum & causa, si alui adsit turbatio. Quoniam cùm à summa virium infirmitate nascatur,
» eius quoque infirmitatis accessionem adiungit. At quò plures facultates labefactantur; eò res ægri
» peiore sunt loco. Vide aphorismos 12. & 14. lib. 5.

prorrh. 8 sect. 1. & 2. 1.

11. Τὰ ἐκ νώτου ῥίγεα δυσφορώτερα. ὅς δ' ἂν ἑπτὰ καὶ δεκάτῃ ῥιγώσας, τετάρτῃ καὶ εἰκοστῇ ἐπιῤῥιγοῖ, δύσκολον.

Rigorum ex dorso vis, quàm altorum grauior. Quòd si quis decimoseptimo, itémque vicesimoquarto ita riguerit, contumaciam morbi denunciat.

Hoc spectat ista prognosis, vt intelligamus pestiferos quidem esse dorsi rigores, ductos ab empyemate, ex mente octaui quæ præcessit: sed eorum lethaleiorem vim esse, si, cùm decimoseptimo die inuaserint, vicesimoquarto affligant. Etenim illis temporibus, diuturnitate & vehementia morbi, vires effœtæ languent, vt neque rigoris acerbitatem, si frustra fiat; neque excretionem, si consequatur, suo commodo ferre possint. Adde quòd omnis mutatio, omnísque adeo παροξυσμός,
» qui cadit in vicesimumquartum diem, potiùs à putredinis diffusione, quàm à conflictu naturæ &
» morbi accidere videatur. Cæterùm illud δυσκολίη, ἀντὶ τοῦ χαλεπὸν hoc loco scriptum est. Detrimentum enim leue significat quod sanè hic magnum est.

Histor. de Hermocr.

prorrh. 29. sect. 3. 1.

12 Οἱ φρικώδεες, κεφαλαλγικοὶ, ἐφιδροῦντες, κακοηθέες.

Qui vnà cum morbo horrifero, cephalalgia torquentur; his pessimè caput exudat.

Hoc loco designati videntur qui hemitritæa febre laborant: quemadmodum & febres ipsæ dicuntur φρικώδεις. Quoniam iis qui sic affecti sunt, rigores erratici, & incerti contingunt, & alteram partem periodici paroxysmi in horroris molestia exigunt, αἱ φρικαὶ ἄτακτοι καὶ πλανώμεναι γίνονται. Nec desunt aliæ rationes, quæ huius sententiæ opinionem faciant. Primùm, quòd hæc morborum acutorum prognostica sunt; deinde quòd hanc sudatiunculam acutis accommodauit. Huc accedit quòd proximo aphorismo, τοὺς φρικώδεας nominat eosdem, quos prorrh. 23. p. 2. 1. morbo acuto correptos esse scribit.

Prorrh. c. 2. 1.

13 Οἱ φρικώδεες ἐφιδρούντες πολλῷ, δύσκολοι.

In febre horrifera, qui sæpe & multùm, sudore diffluent, miserandi.

EANDEM sententiam his verbis expressit prorrh. 23. p. 2. 1. *Sudoris frequentia & vbertas, quæ cum acutis febribus commouetur, periculi locum subesse ostendit.* Quod autem πολλῷ, vel illic πολὺς legitur; consultò verti, sæpe & multùm. Nam, vt rectè annotauit Galenus, *sæpenumero qui in morbis acutis continenter sudant, sed modicè, diu ægrotant illi quidem, sed non propterea moriuntur. At si crebrò magnam sudoris copiam illi profundant, palam est non multò post, eorum virtutem resolutum iri.* Quæ cùm ita sint, perspicuum est, illud φρικώδεες, ad morbos acutos potissimùm pertinere. Notanda est etiam huius loci ἐπίδοσις, i. *demissio*, in illo δύσκολοι: quemadmodum & superioris Coacæ in illo, κακόηθες.

14 Τὰ πολλὰ νωθρώδεα ῥίγεα, κακοήθεα.

Qui crebrò cientur veternosi rigores, funesti.

RIGEA νωθρώδεα sunt, qui coniunctam habent τὴν νωθρότητα, quæ cernitur ἐν τῷ ἀργῷ καὶ λήθῃ, i. in torpore & plumbea affectione corporis atque mentis: vnde ægroti delabuntur ad pedes, nec vllo modo sunt alacres, sed contrà pigri in assurgendo: nec eos, quibus olim familiariter vtebantur agnoscunt; quibus accedit inexpugnabilis κατάφορά, i. *inclinatio veternosa*, vt vigilare non possint. Quales fuisse legimus eos, qui in tempestate pestifera, ardenter febricitabant; quibus, ineunte paroxysmo, aderat commemorata ἄγνοια, λήθη καὶ ἀναισθησία. Ex quorum obseruatione scripta est iam explicata perceptio Coac. 6. *Ignoratio cum rigore, mala; obliuio item mala.* Verùm istius νωθρότητος siue torporis veternosi, cùm vna sit eadémque ἕδρα seu domicilium, nempe cerebri vis effœta, vel impedita; vtriusque causæ ratio sic ineunda. Nam ineunte morbo, impeditur cerebrum ex nimia morbifici humoris abundantia, quæ vel in cerebro localem habuit generationem, vel eò cursum inflexit; vnde, madefacto neruorum principio, toti corpori lentitudo & segnities quædam accidit. Qualem agnouit summus præceptor, quæ venit à tempestate Austrina; quando scilicet diu multúmque illius dominatu cœlum tenetur. *Austri sunt graues auditus, caliginosi, caput grauantes, cum vniuersi corporis artuúmque segnitie & exolutione.* Νότοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοί, νωθροί, διαλυτικοί, &c. Sed languor cerebri venit ab exhausto, per alienationem ipsius cerebri, quam alteratio diuturna inuexit. Atque illius causæ documentum extat notabile prorrh. 13. p. 1. 1. *Phreniticis alba deiectio, graue malum. An verò iisdem segnities incidit? Sed ei periculo multum rigoris accessione adiicitur.* Quem locum enarrans Galenus; *Commune*, inquit, *est segnities cuiusque, nasci à crassis, frigidis, & glutinosis humoribus, non autem tenuibus, calidis, & acrioribus: cuiusmodi est flaua bilis. Nisi fortè incidat cum in propinquo mors est; vt iam emortua facultate quiescere videantur: Tum enim per emortuam facultatem, non autem vitio humoris contingit. Ac tales qui ea segnitie occupantur, non potis est vllo modo seruari. Est autem commune symptoma eorum omnium qui ex immodica intemperie moriuntur.* Iam verò siue ab oppressione glutinosi & crudi humoris atque frigidi & contumacis, torpor veternosus existat, palam est à rigore symptomatico excuti non posse (quia in crudo humore nulla crisis sperabilis) sed contrà, rigoris crebra concussione, malis cumulari: quoniam ad oppressionem nobilissimæ partis, accedit perennis morbifici humoris translatio. Sin autem per νέκρωσιν. i. morticinium facultatis animalis, torpor adsit; mortem in propinquo esse denunciat. Sed & celeriùs opinione moriuntur, quibus cum tali torpore, crebrò rigores cientur: quoniam ea concussione vires deiectæ ad exitium præcipitantur. Quod superest ad explicationem; repetenda sunt ea, quæ scripsit Galenus ad sententiam illam penultimam, p. 1. prioris prorrh. *Quæ ex rigore venit segnities, hominem apud se non esse ostendit.*

part. 3. libr. 6. Epidem.

aphoris. 5. lib. 3.

15 Οἷσιν ἑκταίοισι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Qui sextum morbi diem agentibus fiunt rigores, iudicij sunt planè sinistri.

PERMAGNI interest quo die, quáue periodo, quid fiat in ægris, atque appareat. Vt enim quæ fiunt omnia, quæq; apparent diebus criticis, firmiora sunt quàm quæ in alia incidunt morbi tempora: sic ea quæ speciem boni præ se ferunt, debent haberi suspecta, si loco non fiant: quemadmodum & ea quæ mala esse putantur, mirificos adferunt sanitatis fructus, si antè significata, criseos lege, veniant illis diebus quibus certamen naturæ & morbi est in procinctu. Quoniam autem rigor omnis criticus excitatur repentina & citata bilis flauæ exclusione è vasis in partes exquisito sensu præditas; consentaneũ est vt virtute naturæ suscipiatur illa tam cita exclusio. Atque vt conuenienter id fiat; victricis naturæ, triumphatique morbi per ipsum πέπασμόν, i. *mitificationem*, signa vt priùs appareant necesse est: quoniam neque in cruditate vlla crisis bona sperabilis, neque salutariter fieri quicquam potest, quod antè

aphoris. 59. lib. 4.

significatum non fuerit signis, quæ apparent ad tempus, & ad speciem ipsam crisis. Quæ cùm ita sint, perspicuum est, neque icterum, neque rigorem, bonis ægri rebus incidere posse ante septimum diem: propterea quòd, vt ante quartum diem, nulla pepasmi significatio: sic ante septimum, nulla bilis flauæ exclusio salutaris. Scitum est illud Galeni, *Bilem effundi, celeriùs die septimo, ad crisim non potest.* Itaque rigor Dromeadæ vxori, icterus Hermocrati, sexto die fuit funestus. Attamen virgo Larissæa morbo defuncta est, cùm sexto die perhorruisset. Sed illud beneficio apponi debet quòd menstrualis tum fuerit: sicut Hermogeni, qui sexto die ictericus, liberali profluuio alui, ab interitu vindicatus fuit.

(aph. 62. lib. 4.)

16 Ὁκόσοισι φρίκαι πυκναὶ ὑγιαίνουσι, οὗτοι ἐξ αἵματος ῥύσιος ἐκπυήσκονται.

Quibuscumque morbo defunctis horrores crebrò cientur, iis pro hæmorrhagia fit empyema.

ΥΓΙΑΙΝΟΝΤΑΣ hoc loco significari arbitror eos qui morbo defuncti sunt, quorum antea spes in angusto erat; vt esse solet in abscessibus earum partium quarum potentia corpus administratur. Solemne est illud, Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα, ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται, i. *Quibus salubre est corpus, morbo defunctu, si purgentur, facile exoluuntur.* Vbi τοὺς ὑγιεινῶς ἔχοντας intelligit, eos qui nuper à morbo conualuerunt, & qui restituta vtuntur valetudine, non primitiua verò vtuntur, de quibus proximè ita scripsit; Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες, i. *Qui bene valent corpore, laboriosa est illis purgatio.* Cuius aphorismi veritas, cùm sensu communi facillimè percipiatur, pertinet ad superioris demonstrationem: argumento ducto à maiori, vt vocant, ad minus.

(aph. 35. libr. 2. — aph. 36. lib. 2.)

Hoc spectat igitur hæc prognosis, vt animo complectamur eos qui abscessus periculo sine sanguinis profusione defuncti sunt, pro ea empyema experiri. Etenim, verbi gratia, si cui sit hypochondrium tumore dolorifico ac duro obsessum, pessimè habebit; tum propter ipsius doloris acerbitatem, quæ maximè facit corpus infirmum; tum propter obsidionem partis cuius officio vita carere nequit: vt interim vicinarum partium contagionem prætercam, quæ vt communes & propinquæ, primùm, & maximè affici solent. Ergo non est dubium quin deterrimè affectus sit talis æger, ac magis metu nostercat, quàm spe salutis consoletur. Quòd si quæ salus vitæ expectanda esse videatur, hæc sanè in primæ periodi hæmorrhagia debet esse, maximè verò in iuuenibus. Sin autem nulla medici votis hæmorrhagia responderit, nec tamen doloris acerbitas, actionúmque ad vitam tuendam necessariarum interceptio, ægrum iuuenem morti dederit; reliquum erit, vt si, exactis viginti diebus, tumor non cessarit, neque quieuerit, in empyema mutetur & conuertatur. Ac empyematis quidem certissima sunt, horrores, τιναγμοί; quorum scilicet partes vbi fiunt, causæ existunt: quemadmodum Coaca 11. demonstratum est.

17 Τὸ φρικῶδες καὶ τὸ δύσπνοον ἐν τοῖσι πόνοισι, σήμεια φθινώδεα.

Dolores horriferi, cum suspirioso anhelitu, signa sunt tabis.

ΣΗΜΕΙΑ φθινώδεα hoc loco dicuntur, quæ sunt φθίσιος propria. Est autem φθίσις, vlcus pulmonum, quo emaciescunt homines, tum à consumptione sanguinis; tum ab aëris, quem spirando ducimus, tabifica qualitate, quam in pulmonibus exulceratis acquirit, dum illac ducitur ad cor, temperandi caussa calorem natiuum qui in sinistro cordis ventriculo continetur. Hæc cùm duplex sit apud Hippocratem, vna quidem primitiua, altera superueniens (atque primitiua quidem per διάβρωσιν ἢ ῥῆξιν, i. *erosionem & ruptionem*, vt accidat; tractatu ei rei dicato explicabitur) superuenientem hîc designat: de qua scriptum illud est, *Qui ex pleuritide facti sunt purulenti; siquidem à vomica rupta, pus liberaliter expurgarint ad quadragesimum diem, periculo defunguntur, sin minùs, tandem euadunt phthisici.* Hæc igitur φθίσις parit ab empyemate, quod πάχεος & γλισχρότητος non expurgatur. Sunt autem σημεῖα, febris assiduitas cum paroxysmis nocturnis, tussiendi & extussiendi irrita cupiditas, sudores multi, oculi concaui, ruboris per genas suffusio, vngues adunci, extremorum digitorum calor, cibi fastidia, pedum tumores, pustularum per vniuersum corpus eruptio.

(aph. 15. lib. 5.)

18 Ἐξ ἐμπυήσιος πλεύμονος, καὶ κατὰ κοιλίην ἐνίοτε ἀλγήματα, καὶ ἐς κλῆδα καὶ τὸ ὑποξέσχειν ἀσώδεα. σημαίνει πλέον πλῆθος ἐν τῷ πλεύμονι.

Vbi est empyema pulmonis, si ad ventrem nonnunquam, sæpe ad iugulum, dolor irrepserit, & cum anxietudine stertor adsit; expectorabilis materia vis magna ostenditur.

Empyema pulmonis fit, cùm eius phlegmone puris mutationem suscepit: neque sputo, neque sanguinis detractione, neque diæta, neque aliis remediis conuenienter præscriptis, curationem recepit. Solenne est illud. *Quæcumque harum partium dolores non quiescunt, nec sputi expurgatione, nec deiectione alui, nec sanguinis detractione, diæta, aut pharmacia; scire licet in empyema transituros.* Atque illud: *Empyema est planè funestum, si cum sputo bilioso appareat: maximè verò si die septimo primùm prodire cœperit.* Nam cæterorum empyematum signa eduntur vigesimo, trigesimo, quadragesimo die: nonnumquam etiam sexagesimum expectant. Atque empyematis quidem à phlegmone signa sunt qui in thorace crebrò cientur horrores, & pondus obsessæ partis quæ antè dolebat. Huius maximè expetenda crisis, est ἀνακάθαρσις, quæ si liberalis fuerit cum febris vacuitate, ciborum appetentia, sine siti; aluus autem fæcibus figuratis feratur, & modicis; ipsumque adeo sputum purulentum, suo candore, læuitate, & æqualitate, partis vnde manat integritatem, caloris innati vim, & materiæ bonitatem ostendat, bene est ægro, & confestim seruatur. Sin autem ἀνακάθαρσις nulla est; reliquum erit vt æger ab interitu vindicetur vrinæ purulentæ, stranguriosæ, & abradentis profluuio: nisi fortassis eadem materia aluus feratur. Quòd si ne hæc quidem medici votis respondeant, aut frustra expectentur; postremum illud erit, vnde aliquid speretur: vt vel parotidas, vel in cruribus natura liberalem moliatur abscessum. Ac siquidem ad parotidas materia viam affectet; difficultas spirandi maior aliquantisper nascetur; mox autem cessabit, sine alia manifesta illius vacuitatis causa: hypochoodrium verò, cum mollitudine, omni dolore carebit. Sin autem ad inferiora cursum instituat, hypochondrium æstu incandescet, & intumescet: spiritus verò ducetur ex facili. Quòd si cum hypochoodrij tumore, & æstu, summa difficultas spirandi coniuncta sit; tanta profectò expectorabilis materiæ copia denunciatur, vt pariter æqualiterque superiora & inferiora obsideat.

19 Οἱ φρικώδεες, ἀσώδεες, κοπιώδεες, ὀσφυαλγέες, κοιλίας καθυγραίνονται.

Horriduli, anxij, membris perfracti, lumbos dolentes; profusiore tandem sunt aluo.

Quæ sunt hoc loco καθολικῶς, i. *in vniuersum* enunciata, dubitanter quæsita videntur prorrh. 53. sect. 2. prioris, his verbis, ἆρά γε τοῖσι ἀσώδεσιν αἰτιώμενοι, ὀσφυαλγέες, [illegible] μέλανα διελθεῖν, i. *An in fastidio sine nausea lumborum dolore; si feritas adsit delirij; spes est nigra duci ex aluo?*

Hoc spectat igitur, vt animo complectamur, vacuationum inclinationes fieri, vt natura, & humores cursum inflectunt. Estque perceptio planè huiusmodi, *Quibus cum horrore, fastidio, lassitudine, lumbi dolent; iis fere liquidis excrementis alui feruntur.* Vtrum verò hæc πρόγνωσις καθολικὴ sit vera, & verè καθ' ὅλου enunciata; illud profectò est de quo quærendum. Enimuerò qui sunt horriduli, opinionem faciunt citati humoris exitum non habentis: proptereàque oppressionis multum adiicientis. Atque illius oppressionis symptomata sunt, anxietas, κόπος, atque lumborum dolor. Sed illam anxietatem fieri scripsit ἀναυσίως, i. *sine nausea*; vt accusari stomachus iure non possit: sed virium à corpore oppressarum iniuria, qua illæ sunt omnis figuræ: & loci impatientes. Inde etiam nascitur ipse κόπος; indeque sic affecti nominantur κοπώδεες. Et autem κόπος, illa corporis affectio, qua si vel minimum quis moueatur, lassitudinis vlcerosæ, vel tensiuæ sensio excitatur. Ac ne plura quæ περὶ κόπου dici possunt consecter, comprehendam breui: sic enim statuo: κόπον hic videri τονώδη, i. *tensiuum*, qui nunquam metum adfert delirij per anadromen ad caput: quemadmodum adferre solet κόπος ἑλκώδης, καὶ φλεγμονώδης, i. *vlcerosus & inflammatorius.* Nisi quis fortè obiiciat, quod initio scripsi ex prorrh. 53. s. 2. prioris prorrh. *Qui lumbos dolent, atque etiam fastidiosos, tandem fieri profusiore aluo, cùm è potestate mentis exierint: ac nigra deiicere.* Quod sanè verum est, si validæ vires ἀναρρόπως moliantur excretionem, vel abscessum, versus eam partem vnde manauit morbifica vis ad superiores. Est enim ratum illud, & persuasum omnibus Asclepiadis; quòd semper humoris morbifici παλινδρομίη, i. *recursus*, eò fit, vnde primùm ἀναδρομήν, i. *excursum* habuit, aphor. 2. sect. 1. lib. 6. Epid. At verò hîc nos profusioris alui causas ὁμογενέας, i. *congeneres* omnes agnoscimus, in motu humoris, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione. Nam c[illegible]m ab irrito motu horroris ex venis ducti nulla sit excursio, opinionem faciat hæmorrhagiæ; nulla exclusio, quæ sudorem promoueat: reliquum est, vt sperabile sit alui profluuium. Vt enim ἀναρροπή, i. *ascensus* significatur cardiogmo, fastidio cibi, oris amaritudine, & tenebricosa vertigine: sic & καταρροπή, i. *descensus*, torminibus alui, lumborum dolore, & genuum grauitate. Dolent autem interiores lumbi, per mesocola, quæ veniunt à neruis qui ex spina oriuntur.

Hist. 5. p. 1. lib. 3. Epid.

20 Τὰ ἐπιρριγέοντα καὶ ἐς νύκτα μᾶλλόν τι παροξυνόμενα, ἄγρυπνα, φλεδονώδεα ὄντα ἐν τοῖσιν ὑπνοῖσιν ἐστὶν ὅτε οὖρα ὑφ' ἑαυτῆς χαλῶντα ἐς σπασμὸν ἀποτελευτᾷ.

Quibus incidente rigore, nocturna exacerbatio somni vacuitatem adfert, cum fatuitate coniunctam, si nonnumquam in somnis vrina excidit; conuulsione finis fit.

SYMPTOMATA rigoris frustra oborti, per anadromen ad cerebrum, explicantur: mox ca-, quæ per successionem, & propagationem causæ morbificæ, à cerebro, & in cerebro excitantur. Ac primum symptomata quæ per anadromen à rigore frustra cirato nasci solent, sunt, cephalalgia, somni vacuitas, delirium quoque ipsum. Sed cùm cephalalgiæ nomen hoc loco, non scripserit; reliqua duo, vigiliæ, & 10 noctes insomnes, tum ipsa fatuitas, ab eodem fonte principia, causasque ducunt. Etenim vigiliæ & noctes insomnes, effectricem sui causam agnoscunt cerebri intemperiem calidissimam, & vaporis somniferi prauitatem. Fatuitas verò, siue nugarum garrulitas, phrenitidem planè denuntiat, authore Galeno comment. ad hist. 15. s. 3. 3. Epid. Verba Galeni sunt hæc: loquitur autem de vxore Dealcis, quæ modò garriebat, modò silebat. τὸ μὲν γὰρ λέγειν πολλὰ, φρενιτικόν. τὸ δὲ σιγᾶν, μελαγχολικόν. τὸ δὲ, περιεστάλθαι, κοινὸν ἀμφοῖν αἱ μάλιστα, εἰ δὴ τὴν περὶ τὴν ψύξιν περιστάσιν, i. *Nam garrulitas ipsa erat phrenitica: silentium autem melancholicum: contractio ipsa, vtriusque est communis. Nisi forte à perfrigeratione fuisse putandum est.* Ergo vigiliæ, somni vacuitas, nugarum garrulitas, siue fatuitas; primitiua sunt mala cerebri, quæ primo statim bilis appulsu nascuntur. Sed hæc tolerabilia, & sanabilia videri possent, nisi per translationem & propagationem, grauiorum malorum consecutio adferretur. Cernitur autem successio mala; vigiliarum, in 20 somno; delirij ἐπιληψίας in vrina quæ redditur ἀπροαιρέτως, i. *sine voluntate, iniussa*, vtriusque verò infesta potestas, in conuulsione funesta. Quæ quomodo fiant omnia, paucis aperiam. Sed illa somni hoc loco necessaria distinctio est, vt pro sopore, seu pro comate vsurpetur: quemadmodum in Hermocrate annotauit; de quo illud scripsit, „ ἐκοιμᾶτο κωματώδης, i. *quiescebat veternosus.* Non enim ille somnum iniuit „ naturaliter conciliatum; vt conciliari solet, quando ad dormiendi necessitatem accedunt rtes illæ somni naturales causæ; vaporis somniferi suauitas; cerebri temperies, & mentis tranquillitas. Ergo ne longiùs abeam, non iniuit somnum Hermocrates naturaliter conciliatum: sed fuit soporatus, conniuendo scilicet palpebris, quas aperire non poterat, propter facultatis ipsius infirmitatem ab exhausto cerebri, & frigida intemperie per consumptionem tetorridam. Sed satis iam multa de hoc sopore, commentario ad illam perceptionem: Τὰ πολλὰ ἐκ τῶν ῥιγέων παρακρούσιες ῥίγεα, κακὸν, i. *Frequens cum segnitie rigor, malum.* 30

Sequitur fatuitas, siue nugarum garrulitas, quam diximus esse phreniticam, quæ in principalium cerebri actionum deprauatione consistit: estque delirium intermissionis expers, cum vigiliis, & febre coniunctum. De cuius delirij natura déque omnium qui in eo fiunt, atque apparent causis; plura sub loco dicentur. Pertinet autem ad rem illud, παραφροσύνη quod in phrenitidem sæpè cadit, à cerebri alienatione, cuius consecutionem attulit diuturna, & vehemens cerebri alteratio. Atque inter cætera; tum ipsius phrenitidis, dum viget; tum eius, quæ ipsi succedit, παραφροσύνης, symptomata; potissimùm obseruatur illa voluntatis amissio, quæ cernitur in deiectionibus & vrinis iniussis; quas sponte nostra excernimus, & cohibemus, quando valemus. Nam si in somnis comatosis, iniussa laxatur vrina, non solum resolutione partium, i. vesicæ, & sphyncteris musculi; sed etiam vitio rectricis potentiæ; palam est, illud malum conuulsionis successionem habiturum. Sicut ex perfrigeratione, metus & mœror, quæ sunt me- 40 lancholiæ propria. Visum est illud, *Quæ immemoribus & sine voluntate funduntur vrinæ, pestifera.* Quæ omnia iam pluribus sunt explicata, comment. ad Coacam 14. huius diuini operis.

21 Τὰ ξυνεχέα ῥίγεα ἐν ὀξέσι, πονηρά.

Qui crebrò cientur in acutis rigores, pestiferi.

EXPLICATIO repetenda ex commentario ad nonam. Tantùm illud commemorabile, quòd ξυνεχέα ῥίγεα dicuntur, ἀντὶ τοῦ συχνὰ καὶ διὰ τέλος, i. *qui crebrò exactum ad morbum cientur.* Nam propriè, τὸ 50 συνεχὲς, assiduitatem significat omnis intermissionis expertem, quæ in rigore locum non habet; cuiusmodi tandem is fuerit; criticus, symptomaticus, aut etiam periodicus. Nam periodicus est, exempli causa, tertianæ, quæ accessionem habet tertio quoque die rigoriferam, intermissione distinctam. Symptomatici assiduitas esse non potest: quoniam omnis rigor symptomaticus, vel translationem facit materiæ rigoriferæ; vel illius momentaneam exclusionem. At critici comes est absoluta morbi depulsio, atque sanatio. Ex quo efficitur, legendum συχνὰ, ἀντὶ τοῦ συνεχέα: vel explicandum τὸ ξυνεχέα, per συχνὰ καὶ διὰ τέλος, i. vt dixi, *qui crebrò cientur rigores exactum ad morbum* Vide histor. vniuersal. lib. 3. Epidem. & particulares multas eiusdem libri; maximè verò 13. & 15.

22 Αἱ ἐκ ῥίγεος, μετὰ κεφαλαλγίης, ἐκλύσιες, ὀλέθριον. 60

Si à rigore, cum cephalalgia, vires prosternuntur; funestum.

Si morborum magnitudine, symptomatúmque vehementia, non rarò ægroti cum integritate virium ad ex tium præcipitantur, quid fiet illis, quibus effœtæ vires summam morbi violentiam experiuntur? Etenim cum neque pepasmo ipsæ per se sufficiant; tum verò nullam excretionem quantumuis criticam suo commodo, perferre possunt: proptereáque nec vllam vacuationem quæ artificio fit medici ad imitationem naturæ comparato. Quæ cùm ita sint, perspicuum est; cephalalgiam à rigore natam, & educatam, perenni morbificæ causæ affluxu cum summa virium infirmitate coniunctam, esse funestam. Est enim cephalalgia primùm ipsa per se terrifica. Sed tum habetur pestifera, si & prægrandis, & contumax febris acutæ, prauíque alicuius signi coniunctionem habuerit. Qualem hoc loco descripsit. Primùm ex rigore nascitur hæc cephalalgia. Ergo per translationem humoris morbifici, qui corruptione propriæ substantiæ in vitio est. Omnes autem morbi, qui aliorum successione veniunt; per ἐπιγένεσιν, i. *propagationem*; aut per μετάστασιν, i. *translationem*, sunt prioribus molestiores. Deinde verò, hæc cephalalgia coniunctam habet febrem acutam. Non enim aliter fit symptomaticus rigor. Ergo materiæ cephalalgicæ perennis generatio est, & perennis affluxus, vnde vires acquirit eundo. Iam verò quòd ad vires languidas attinet, quas vocat ἐκλύσιας, ne nodum in scirpo quæram dictionis ipsius aucupio; sit illud firmissimum, ἐκλύσιας hoc loco dici, quas alibi προεξαδυνατησάντων nominauit, αἱ προεξαδυνατησάντων παραφροσύναι κάκισται, i. *Fractis viribus superueniens delirium, pessimum.* Vbi Galenus vim huius dictionis προεξαδυνατησάντων, animaduertit; nempe ex ea summam imbecillitatem significari. Adiecta enim præpositio ἐξ, verbi vim auget, vt infirmitatis summa sint omnia, quæ non alioquin exigua essent, neque obscura; si detracta particula ἐξ, προαδυνατησάντων; grauissimus author Galenus testatur commentario ad illum aphorismum, αἱ μετ᾽ ἐκλύσιος κατόχως ἀφωνίαι, ὀλέθριαι, i. *Quæ cum exolutione firmiter fixa, veniunt aphoniæ, funestæ.* prorr. 1. f. 3. 1.

23 *Τὰ αἱματώδεα οὖρα ἐν τούτοισι, πονηρόν.*

Cruentæ in his vrinæ, praua.

Vrinæ cruentæ, sic enim vertimus, οὖρα αἱματώδεα, sunt illæ quas Hippocrates οὖρα ἐξέρυθρα, i. *vrinas prærubras* nominauit, prorrh. 3. f. 1. 1. Tales nephritici multi excernunt. Ac, mea quidem sententia, scriptum hoc de vrinis cruentis, seu impensè rubris conuenienter congruentérque illi respondet, quod idem scripsit prorrh. 2. sect. 1. 1. Κοιλίης ὑποχωρήσιες ἐξέρυθροι κακὸν ἐν πᾶσι νουσήμασι &c. i. *Alui proluuies rubra, mala in omnibus morbis est.* Vt enim ex impensè rubra ventris proluuie, quæ scilicet carnium recens mactatarum loturam refert; malè affecti per infirmitatem iecoris significatio fit: ita ex prærubra vrina, renum male officio suo fungentium certissima signa petuntur. In iis igitur quorum à rigore, in cephalalgia, vires languescunt, hoc perniciosior erit prærubra vrina, quò plures potentiæ labefactatæ sunt: quemadmodum in tabe alui profluuium, lib. 5. aphor. in comate prærubra ventris proluuies, prorrh. 2. f. 1. 1.

24 *Ῥῖγος ὀπισθοτονῶδες κτείνει.*

Cum opisthotono rigor necat.

Opisthotonos Græcis dicitur, ceruicis posticæ conuulsio, cum scilicet caput ad scapulas inuitò contrahitur, comment. in aphor. 51. lib. 4. Est autem ὀπισθοτονώδης rigor, cùm difflationem impediens in neruosis corporibus sit causa, vt ipsa repleantur, comment. in aph. 13. lib. 6. quemadmodum & frigus, de quo dictum est Coac. 7. ψύξις τῶν ὄπισθεν σπασμώδης. i. *Posticarum partium frigus conuulsiuum.* Hac autem ratione interficit; quòd cùm respirationis vsum augeat, respirandi commoditatem adimit, instrumentis motu prohibitis.

25 *Τὰ φρικώσαντα, καὶ ἱδρώσαντα κρισίμως, ἐς δὲ τὴν αὔριον φρίξαντα παραλόγως, ἀγρυπνέοντα, μετὰ πεπαινόμενον, αἱμορραγήσειν οἴομαι.*

[illegible]

Si cui cùm perhorruerit atque sudarit criticè, rursus postridie horror sine causa ingruerit, ac tum à pepasmo somni sit expers; huic venturam arbitror hæmorrhagiam.

Τὰ φρικώσαντα καὶ ἱδρώσαντα consultò exposui in ea significatione, in qua legi solent, οἱ φρικώσαντες καὶ ἱδρώσαντες, i. *qui perhorruerunt atque sudarunt.* Sæpe enim affectionum nomina transeunt in

ægrotos. Sed illud ἀϊδρώσαντα κρισίμως putaui ἀσύγαστον: quoniam ex non ente nihil criticum significari aut fieri posse arbitror. Itaque legendum ἰδρώσαντα κρισίμως ex prorr. 57. f.3.1. vbi scripta hæc legitur sententia, his verbis, τὰ φρικώδεα ἅμα ἰδρώσαντα κρισίμως &c. Iam verò quòd repetitionem horroris ait fieri παρὰ λόγον, idem planè significat, nec non eòdem spectat, quò illud solemne in aphorismis: Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν οὐ πιστεύειν οὐδὲ φοβεῖσθαι τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παρὰ λόγον, i. *Leuationi quæ accidit sine signis, non est fidendum: quemadmodum nec verendum de malis quæ merito morbi non veniunt.* Vt enim suspecta est morbi cuiusque, sine signis & causis, leuatio: sic exterreri non ita debemus si quæ παρὰ λόγον apparent & fiunt, quamuis praua sint ipsa specie atque terrifica. In quo difficilis est τοῦ παρὰ λόγον, ἢ παραλόγως explicatio. Galenus interpretatur ἀλόγως, sed ne id quidem satis nisi exemplis illustretur, quemadmodum idem fecit commentario ad illum aph. 26. lib. 2. Quod superest, nos etiam consultò legimus ἀγρυπνίοντα vel ἀγρυπνοῦντα illámque particulam, μὴ, deleuimus tum ex prorr. 57. f.1.2. tum ex aph. 10. p. 1. lib. 6. Epid. Nam ἀγρυπνία, ferè esse solet symptoma perturbationis criticæ, ad sudorem, vel hæmorrhagiam. Quinetiam illud, κατὰ πεπασμοὺς emendauimus μετὰ πεπασμοὺς: quoniam in cruditate, quandiu ipsa manet, nulla crisis bona fieri potest.

Hoc spectat igitur hæc difficillima prognosis, vt intelligamus, non raro varias esse morborum crises, quæ ad salutem variè suscipiuntur, pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione. Docemur etiam varietatem illarum criseων sæpenumero denunciari vna eadémque concussione, cuiusmodi in rigore cernitur. Est enim rigor idem criticus, & sudoris, & hæmorrhagiæ prænuncius, aluúmque ciet deorsum & sursum. Quòd autem varietate criseων ægroti morbis acutis dupliciter defungantur, vt cætera omittam theoremata & exempla, quæ multa sunt apud Hippocratem; hæc duo instar omnium fidem nobis facient propositæ perceptionis. Ac primùm obseruationem ascribam quæ legitur in historia vniuersali: deinde historiam particularem subjiciam. Est autem hæc obseruatio, *Per id tempus seruabantur illi potissimùm, quibus horum quatuor signum aliquod apparebat. Qui scilicet vel sanguinem è naribus abundè profudissent; vel vrinas multas, multa & laudabili hypostasi præditas; vel dejectionum copiam biliosarum tempestiuè commotarum; vel dysentericarum etiam. Ac nonnullis quidem cùm istorum vnum satis non esset simul omnia fiebant. Ab illisque omnes superfuere.* Fuit Larissæa virgo, matura viro, quæ ardenter febricitauit ex repletione menstrualis materiæ, quæ nondum habuerat exitum. Hæc repletio fuit omnis malignæ cacochymiæ & inflammationis expers. Iraque omnis spes medici & cœptæ curationis fiducia in sola vacuatione semper stetit. Sed quoniam vteri, venarum, & capitis repletio, grauissimorum symptomatum consecutionem attulit; sic natura triumphauit de morbo, vt primùm sexto die, liberali hæmorrhagia, capitis plethoram sustulerit: quæ quidem plethora non erat fixa, nec contumax: sed pressa leuiter ad exigui prædicationem temporis. Inde virgo illa cùm perhorruisset, sudore diffluxit calido, idque toto corpore. Quod nisi fuisset, & menstrualis tum primùm esse cœpisset exactum ad morbum, & multò pòst etiam; liberalem hæmorrhagiam, sexto die, non habuisset sine relapsu. Est enim consentaneum vt sua cuiusque foci sit propria euacuatio; capitis, per hæmorrhagiam; venarum, per liberalem sudorem, vteri, per menstruale profluuium.

(constit. 3. 1. lib. Epid. — hist. 12. p. 3. lib. 3. Epid.)

26 Τὰ μετὰ ῥίγεος ἐπισχόμενα οὖρα, πονηρὰ, καὶ σπασμώδεα· ἄλλως τε καὶ προκαρωθέντι. ἐλπὶς δὲ καὶ ἐπὶ τούτοισι, τὰ παρὰ τὰ ὦτα.

Quæ cum rigore sistuntur vrinæ, sunt praua, & conuulsificæ: idque cùm aliàs, tum si cui iam soporato sistantur. Ac tum præterea parotidas fore, sperabile.

VRINÆ suppressæ calamitatem iam explicauimus progn. 5. & 9. tum etiam suppressionis illius causas aperuimus: vt ex earum perspicientia, prædicendi ratio compararetur. Vt enim diuersitate causarum distincta est illa suppressio: ita spem adfert secundi iudicij aut metum sinistri. Enimuero salutare est vrinam sisti ante rigorem criticum: si quidem illud ex bonis profectum fuerit, & antè pepasmo significatum; fitque illa suppressio παρὰ λόγον vesicæ, aquæductum, atque renum. Sed quemadmodum salutare est id fieri παρὰ λόγον instrumentorum, & κατὰ λόγον victricis naturæ; ita pestiferum esse arbitror, si idem fiat παρὰ λόγον naturæ, & κατὰ λόγον febris acutæ, vel partium afflictarum. Omnis autem quæ cum rigore inhibetur vrina, eam intermissæ excretionis causam habere non potest, quæ cernitur ante rigorem: quando materia intus foras cursum inflectit. Ergo ex ascensu symptomatico, partiúmve obsessarum vitio, sistitur. Et quoniam hîc nunquam fieri potest salutaris vacuatio, cùm alib quàm ad cutim vrinæ materia vesica non excepta fertur; reliquum erit vt repletione maligna partes obsessæ corrumpantur. Atque id locum habet vbi rigor cietur symptomaticè, i. à cacochymia vasorum. Sin ab inflammatione purulenta veniat; partes ipsas rigoriferas afficiet: vt qui in lumbis malè habitis, per phlegmonem spinalis medullæ, & membranarum eius crebrò cientur, cum cita caloris vicissitudine, acerbissimam vrinæ suppressionem adferunt, ob sympathiam partium nephriticarum, quæ sunt propinquæ atque communes, proptereáque primùm, & maximè vitiantur, lib. 3. περὶ ἀφορ. Sunt etiam conuulsificæ tales vrinæ, quoniam ad præparationem suscipientis causæ accedit vis efficientis. Etenim rigor frustra citatus est ἀνεπιδοτικῶς, motu materiæ ad neruos, exitum non habentis: tum frigus ipsum rigoris comes, difflationem prohibendo neruorum est conuulsificum.

(14. Coac. — 7. Coac.)

IDQVE

IDQVE CVM ALIAS, TVM SI CVI IAM SOPORATO SISTANTVR.] Ac si diceret; quando repletionis æquè atque vacuationis malum est ipsa conuulsio: planè efficitur vt si oppresso cerebro causis plethoricis, rigor incidat; ex ea concussione conuulsio superueniat, quæ in totius corporis iniusso motu consistit, non partium aliquarum: id enim significat τὸ σπασμῶδες, quod à sopore aut catoche venit, prorrh. 68. s. 3. 1. Nec verò impedimenta principij neruorum nisi explicentur solemni abscessu, aliter quàm vniuersali conuulsione tolluntur. Quòd si ad illud vitium oppressi neruorum principij, venenata vis vrinæ eò translatæ accesserit, necesse est, vt magnarum causarum complexio magnum symptoma toto corpori pariat: qualem ipsi vidimus non rarò epilepsiam ex vrinarum anadrome natam: nisi αὐτίκα, ac liberalem natura moliatur abscessum, quo tantis periculis defungatur. Quæ salutaris abscessus conditio in parotidibus sperari non potest: quòd illæ non fiant ἀξίως τοῦ ἀφελέσθαι τὴν νοῦσον, i. *comprehendendo morbo pares*: sed contrà, σμικρότεραι τῆς νούσου εἰσι, καὶ οὐ κάτω, i. *sed minores morbi sunt, nec deorsum fiunt*; comment. ad prorrh. 68. s. 3. 1. Sperabiles autem sunt ideo parotides, repleto cerebro humore crasso & frigido. Quâ de re extant multæ prognoses ad finem 3. prorrh. De parotidum autem natura, causis, periodis, paroxysmis, & crisibus, plura suo loco dicentur.

27 Τριταιοφυέα ῥίγεα ἢν ἐν μέσῳ παροξυνόμενα, πυρετῷ ἀτάκτῳ. πάνυ κακοήθεα. τἀναντία δὲ παροξυνόμενα τῶν σπώντων, τῶν μετὰ ῥίγεος, καὶ πυρετοῦ. ὀλέθρια.

Tritæophyarum febrium incerti rigores qui medio febris cursu exacerbantur; valde maligni. Contra verò quæ conuulsis cum rigore & febre exacerbantur; funesta.

TRITAIOPHYÆ, febres sunt intermissionis expertes, quæ tertio quoque die ingrauescunt sine rigore periodico, vel horrore potiùs: qualis esse solet earum quæ semitertianæ dicuntur. Habent enim hæ febres, exacerbationes horriferas atque statas: tritæophyæ verò nullas, aut certè incertas. Propterea rectè Hippocrates scripsit ea fieri ἀτάκτως, καὶ πλανωδῶς i. *inordinatè & erraticè*, i. *quarum rigores non vnà semper cum paroxysmis inuadunt*, vt ait Galenus. Et ibidem Galenus, *Rigores autem erraticos fieri*, ait, *qui singulis paroxysmis non adsunt, sed rarò: atque illi quidem admodum parui & breues*. Sed præstat ipsius Hippocratis verba audire de natura tritæophyæ febris. *Hi erant febres continuæ omnes, quæ nullo modo remitti videbantur: sed omnibus exacerbari potiùs tertiano quodam more & modo, cum altera die leuiores, grauiores altera sentirentur. Atque erant eiusmodi quidem febres omnium pessimæ quæ tum oriebantur, mansuetiores quidem per initia, sed continenter in peius versæ & auctæ: quæ si quando remissiores essent, at paulò pòst vehementius excandescebant; criticis præsertim diebus. Harum rigores inordinati erant atque erratici, quanquam istis omnia minimè.* Nascuntur hæ febres ex diuersorum humorum maligna cacochymia, quorum calor quidem acutam febrem accendit; frigidiore interim putrescente: vnde fit vt remissa priore, altera rursum accendatur; qua perseuerante, quæ prior inuasit, iterum exardescit: vt per huius febris importunitatem quieta esse natura non possit. Hic autem incerti rigores sunt valde maligni, propter molestos humorum motus, qui oppressionem adferunt, vnde crises funestæ: symptomata maligna stomachi, modò cum lethargo, modò cum vigiliis & delirio coniuncta: vt prætermittam infirmitatis accessionẽ.

28 Αἱ ἐκ ῥίγεος ἀφωνίαι, τρόμῳ λύονται· καὶ ἐπιρριγέοντας, τρομώδεα γινόμενα κρίνει.

Quæ ex rigore incidunt aphoniæ, tremore excutiuntur: sed & superuenientes crebrò rigores, tremore oborto quiescunt.

QVÆ ex rigore veniunt aphoniæ sunt insanabiles, si cum exolutione huiusmodi sint: quoniam ex iis significatio fit collapsæ potentiæ animalis, cum extinctione caloris natiui, qui in sinistro cordis ventriculo stabulatur: ex quibus efficitur vt propter summam potentiæ infirmitatem & materiæ vocalis inopiam, voce capiantur qui sic laborant. Notum illud. *Quæ cum exolutione & veterno sunt aphoniæ, pessimæ.* (prorr. 4. s. 3. 1.) Sed & reuocanda in memoriam harum prognosis prima. At si per oppressionem cerebri, vis efflandi denegetur musculis intercostalibus, quorum socia collectione, fit ἐκφύσησις, ipsa ad vocem edendam; non video quid opis à tremore possit adferri: nisi quis verbum τὸ λύειν, accipiat qua in significatione scriptum legitur aphoris. 26. 6. Οἷσιν ἂν ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνωνται, παρακοπὴ λύει. i. *Quibus in causo rigores adsint, delirio finiunt.* Sed neque rigores crebrò citatos, superueniente tremore finitè verisimile est, nisi fortasse ineunte morbo: ad cuius tremoris curationem venæ sectio necessaria est, vt in Pythione annotauit Galenus, cùm is primo die manibus contremuisset;

Quemadmodum & ipsa conuulsio febri nonnunquam finem imponit, quæ aut eodem febris die, aut postridie, aut ad summum perendie, incidit. Sed tamen qui ab oppressione fit tremor per translationem à genere venoso ad neruos, semper delirij consecutionem adfert, per aph. 26. lib. 6. Nam qui ab exhausto fit in propinquo mortem esse denunciat. Huc accedit, quòd à rigore in tremorem mutatio, fit in peius. Etenim in rigoris concussione, dominatu naturæ morbificus humor tenetur. Contra in conuulsione, humor naturæ potens est: non autem natura humoris.

29 Οἱ ἐκ ῥίγεος μετὰ κεφαλαλγίης ἐκλυόμενοι, σφαλερόν. Τὸ αἱματῶδες οὖρον ἐν τούτοισι, κακόν.

Qui à rigore cum cephalalgia exoluuntur, pleni sunt periculi. Cruenta his vrina, praua.

Hvivs prognoseos explicatio reperenda est ex 22. huius. Sed illud tantùm notabile, quòd illic ὀλέθριον; hic σφαλερὸν esse dixerit: non rectè tamen, sed ἐπιεικέστερον. Nam illud, σφαλερὸν, ancipitis iudicij est, cuiusmodi solet oriri ex causis. At verò, τὸ ὀλέθριον, firmissimum est ad prædictionem mortis, cuiusmodi iudicium stabile comparatur ex signis funestis, qualia hic describuntur. Vide comment. ad progn. 22. huius libri. Vrina cruenta, siue sit eiusmodi substantia, siue colore, pessima est. Illic enim vitia nephritica plane apparent: hic verò incendium feri mixtione bilis saturati. Illinc ex plurium partium offensione, maior calamitas significatur: hinc verò perpetua morbificæ causæ accessio, quæ adiungitur ad nobilissimæ partis oppressionem, & instrumenti ad vitam tuendam necessarij, interceptionem.

30 Οἷσι ῥίγος, οὔρου ἐπίστασις.

Quibus rigor, vrina subsistit.

Vrina subsistit à rigore, & ante rigorem. Quæ à rigore subsistit, praua est, conuulsifica, quo iure quáque iniuria partium vrinæ dicatarum: denique citam mortem adducit. Ante rigorem criticum, fœliciter & commodo ægri subsistit, vt dictum est. Sed satis iam multa de diorismis vrinæ suppressæ, Quamobrem ἀδιορίστως pronunciari non debet prognosis.

5. 9. & 26. Coac.

31 Σπασμὸς ἐν πυρετῷ, χειρῶν καὶ ποδῶν πόνον, κακοηθὲς, κακοηθὲς δὲ καὶ ἐκ μηροῦ ὁρμὴ ἀλγήματος: ἀλλὰ οὐδὲ γουνάτων πόνος χρήγυος. αὐτὰρ καὶ γαστροκνημίων πόνοι κακοηθέες, καὶ γνώμης παραφοροι· ἄλλως τε καὶ οὖρον ἢν ἐναιωρηθῇ.

Conuulsio in febre, manuum ac pedum labores terrifici; terrifica est etiam doloris à femore sursum irruptio. Nec verò à genuum dolore leuatio vlla sperabilis. Quinetiam surarum dolores mentem præcipitant: idque cùm aliàs; tum si in vrina pendulum sit enæorema.

ΤΟ ΚΑΚΟΗΘΕΣ consultò verti terrificum, ex propria dictionis illius significatione, quam exposuit Galenus comment. ad porrhesim 14. s. t. 1. his verbis, Κακοήθη νοσήματα ... *i. Morbos appellamus malignos, quicumque periculum ægrotantibus ita inferunt, vt non omnem tamen adimant salutis spem.* Atque id locum habet in conuulsione cũ febre coniuncta, si indefinitè enuncietur. Omnis enim conuulsio in febre terrifica est: quoniam metum semper adfert sinistri iudicij: sed tamen non semper desperata. Nam & puerorum conuulsio formidabilis est: quamuis non rarò pueri conuulsionis periculo defungantur, quòd ea sequatur potius naturam suscipientis causæ, i. puerilem neruorum infirmitatem, quàm efficientis, i. febris ipsius & malignæ cacochymiæ. *In morbis minùs periclitantur, &c.* Huius conuulsionis diorismi leguntur in progn. *Pueri conuulsionibus corripiuntur si febris acuta est: si aluus nihil reddidit, si vigilant, si expauescũt, eiulãt, si color pallidus, liuidus aut ruber euadit. His quidẽ facillimè obnoxij sũt puerulis, ad annos septẽ. Grãdiores autẽ pueros atq; viros nõ itẽ cõuulsiones in febribus preben-*

prehendant; niſi ſignum aliquod [illegible] *deterrimúmque acceſſerit: qualia pleraque in phrenitide exoriuntur.* Quinetiam metuenda eſt illa conuulſio quæ principio febris ſuperuenit. De qua ſcriptum illud reliquit ſummus præceptor, *Febris conuulſio finem adfert, qua aut eodem die, aut poſtridie, aut ad ſummum perendie inciderit. Sed ſi eam, qua venit, horam exceſſerit, neque ceſſarit; praua eſt.* Mulier vultuoſa & melancholica crebris conuulſionibus incunte acuta febre correpta eſt, cum viciſſitudine garrulitatis, obſcœnorum verborum, & comatis. Ac tum deſperationi propinqua erant omnia, cùm liberali menſtruorum profluuio per [illegible] & liberalem abſceſſum, illud periculum euaſit quod imminebat. Excipio mulierum hyſtericarum conuulſiones, quòd ſint fugaces & febris expertes. Iam verò tam infeſta eſt conuulſio, vt etiam in febre remedium non inueniat: niſi ſuperuenerit febris quæ antè non fuit; aut ſi antè fuerit, magis exardeſcat; quòd ſit [illegible] materiæ conuulſificæ, partibúſque ipſis conuulſis: tametſi *Conuulſioni febrem ſuperuenire melius eſt, quàm conuulſionem febri.* Ergo nulla conuulſio, cuiuſmodi ea fuerit, bonis ſit ægri rebus. Ac nulla vis maior naturæ quàm conuulſione poteſt inferri. Iam verò cùm illud, [illegible], accommodate ſit conuulſioni tributum, quam peperit repletio, fecitque vt [illegible] i. *iniuſſu noſtro* moueantur partes illæ, quæ olim [illegible], i. *noſtro iuſſu* mouebantur: vt nihil aliud ſit conuulſio, quàm iniuſſus earum partium motus, quæ naturaliter ſponte noſtra mouentur. Cùm igitur nomen illud, [illegible], conuenienter dicatur de illa conuulſione quam peperit repletio: tamen ſi quid ſentio, [illegible] periculum illius explicat, quæ ab exhauſto naſcitur, quæque nunquam incidit niſi ſignum aliquod valentiſſimum deterrimúmque acceſſerit: qualia in phrenitide exoriuntur. Eſt enim talis planè funeſta, ac deſperatæ ſalutis; qualem agnoſcimus in ſtridore dentium à delirio; in oculorum fixo intuitu, vago motu, quando huc illuc voluuntur illæſi; peruerſione oris; ſingultu; manuum quoque ſubſultu. Quid verò commemorem conuulſiones [illegible]. & hypercatharſeos? hæc nota ſunt omnibus. Denique cùm exaruerint nerui à febre tanquam ab igne; quæ inde conuulſiones veniunt per iniuſſam collectionem earum partium quæ naturaliter ſponte noſtra mouentur; omnes, inquam, illæ mortem venturam denunciant; & ipſam celeriùs opinione adferunt. Omnis enim conuulſio ab exhauſto nata ſemper idem facit atque ſignificat, quòd ea ſit violentæ febris & malignæ propria, [illegible] i. *& dolorifica affectio.* Nam cætera quæ ad criſim apparent, aut quæ ſunt ipſa cauſæ criticæ; non ſemper idem facere aut indicare apta ſunt: ſed vt ſunt morbi tempora; ſic illa commodo aut incommodo ægri apparent & fiunt. Ac de conuulſione hactenus.

Manvvm ac pedvm doloris terrifici.] Enimuero manuum ac pedum labores, ſi progreſſu veniunt febris malignæ, [illegible] ſunt [illegible] i. *laſsitudines vlceroſæ vel inflammatoriæ,* quæ metum adferre ſolent delirij. Sin autem tranſitu oriantur, perſpicuum eſt abſceſſum fieri qui morbo non ſufficiat comprehendendo. Nam quod obiicitur, Abderitam virginem ſuperſtite pedum dolore, febrem acutiſſimam depuliſſe; id verum profectò, ſed ea liberalem habuit hæmorrhagiam 17. & liberali ſudore tota defluxit 27. vnde conualuit.

Terrifica est etiam doloris a femore svrsvm irrvptio.] Huius theorematis ratio & explicatio petenda, primùm ex hiſtoria Calui cuiuſdam Lariſſæi, quem dolor huiuſmodi per refluxum ſuſtulit: cùm nullis remediis conuenienter præſcriptis, quieſcere potuiſſet. Deinde verò examinãda prorrheſis 1. ſ. 2. 1. [illegible] i. *Si quid per vrinam deferatur, poſteaquã femoris dolor euanuerit, delirij eſt argumento.* Ergo terribilis eſt omnium tumorum, omniúmque abſceſſuum refluxus; vlcerum tumidorum; parotidum; partiúmque capacium & incapacium: vt ex pleuritide tumorum poplitis: à femore, dolor Calui: à pollice dextri pedis, dolor Critonis: à minimo digito, Temeni neptis tumor. Sed in Herophonte & Heropyto ſalutaris fuit femoris & iſchij dolor, qui cùm per iuſtum tranſitum obortus fuiſſet, refluxum nullum habuit.

Nec vero a genvvm dolore levatio vlla sperabilis.] Quòd ita comparata ſit partium illarum natura; vt neque ſint criſis capaces; neque materiam illapſam mitificare, propter intemperiem frigidam, & ſubſtantiæ glutinoſam complexionem, poſſint: vt interim omittam doloris acerbitatem, materiæque illapſæ denegatam excluſionem, quam vel natura, vel artificium chirurgi, ferro & pyrotico moliri poſſit. Sed tamen Galenus commoda genuum dolentium & tibiarum, haud prætermiſit ad illud Hippocratis, quod legitur in eo qui in Dealcis horto iacebat, [illegible] i. *Genua & tibias indoluit. Genuum,* inquit Galenus, *dolores atque tibiarum, cùm humoris morbifici deorſum inclinantis,* [illegible] *ſigna ſint; in bonis cenſere oportet.* Atqui in eo ſic notabilis eſt genuum vnà & tibiarum dolor, vt nihil inæquale continendo morbo accidiſſe videatur in liberali abſceſſu partium inferiorum: deinde cùm illi balano medicatum fuiſſet, nigris excrementis ducta eſt aluus.

Qvinetiam svrarvm dolores mentem præcipitant.] Iiſdem verbis hanc prognoſin expreſſit ad finem ſect. 1. 1. prorrh.

Eò ſpectat igitur vt intelligamus, tantam eſſe ſurarum præſtantiam, communicatione officij cum partibus nobiliſſimis; vt quemadmodum in calcis fractura per [illegible], i. *expreſſionem ſucci* accidunt [illegible] i. *febres peracuta, continua, tremula, ſingultuoſa, paucorum dierum, mortifera denique:* ita quoque in ſurarum doloribus, à cacochymia maligna per excurſum ſecundum arterias, febris exardeſcat in corde; ſecundum neruos, delirium in cerebro excitetur: ipſa verò pars obſeſſa, conuulſione dolorifica prehendatur.

Idqve cvm alias, tvm si in vrina pravvm sit enæorema.] Ac ſi diceret; cùm in ſurarum doloribus à maligna cacochymia magnæ ſint cauſæ delirij, per communicationem materiæ ſecundum neruos cum cerebro; tum verò maior erit certiórque delirij expectatio; ſi tranſla-

in Coac.

hiſt. 11. p. 3. lib. 3. Epid.

aph. 49. l. 5.

Gal. c. 4. 3. de criſib.

prorrh. 3. ſ. 2. 1.

hiſt. 5. p. 3. lib. 3. Epid.

tionis vniuersalis à genere venoso ad cerebrum, signa appareant. Ac talis translatio potissimum ostenditur per enæorema prauum, quod in vrina est pendulum. Quæ obseruatio literis iam ex Hippocrate notata est. Cuius in explicatione Galenus negat ex vrinarum signis quippiam certò ad delirium apparere; quòd ea vrina duntaxat iecinoris, renum, vesicæ, ac venarum ipsarum, quæ sanguinis conceptacula sunt: tum facultatis ipsius humorum opificis robur, vel infirmitatem, ostendat. Sed idem Galenus in Larissæa virgine ita scripsit, Ἐπεὶ δὲ καὶ κατ᾽ ἄλλους ἀρρώστους αὐτῶν, ἐναιώρημα μετέωρον, ἐπιστησάμενος αὐτῷ παρέκρουσαν, ἐμφαίνων τοῖς τοιούτοις ἐναιωρήμασιν ἑπόμενον παραφροσύνην, i. *Sanè alias in ægrotis, notato enæoremati pendulo subiunxit, delirasse: vt inde constet, ad eiusmodi enæoremata phrenitidem sequi.*

prorrh. 1. f. 2. 1.

32. Οἱ ἐξ ὑποχονδρίων ἀλγήματος πυρετοὶ κακοήθεες· καὶ τὸ καρῶδες ἐπὶ τούτοισι, κάκιστον.

Ex hypochondriorum dolore febres malignæ: quòd si & sopor accesserit, pestiferum.

Operæ pretium est complecti animo quæ scripsit Galenus in suo proœmio ad sectionem secundam tertij τῶν ἐπιδημιῶν. Id enim propositi habet vt doceat nunquam adduci potuisse vt cogitationes & disputationes suas mandaret literis, nisi amicorum rogatu peregrè proficiscentium. Quibus vt morem gereret: primùm quæ illi attentissimis animis se docente audiuerant, de re anatomica, déque valetudinis cura, & morborum curatione, scripta reliquisse. Deinde verò cùm omnia quæ scripserat, lumen verborum & sententiarum ab vno Hippocrate accepissent: eorundem amicorum precibus victum, commentarios exarasse εἰς τὰ συγγράμματα ipsius Hippocratis: quorum catalogum recensuit in eodem proœmio. Cæterùm ne quid intentatum relinqueret, animum etiam ad scribendum appulisse, in eos libros qui nomine Hippocratis circumferuntur, meritò an immeritò: vt scilicet in iis definiendo ac disceptando ad veri & falsi distinctionem, ostenderet lumen ingenij sui, quo maioribus suis præluxit. Inter eos libros qui falsò Hippocratis esse dicuntur, τὰ προρρητικὰ numerantur: in quorum explicatione Galeni se extulit eruditio singularis. Sed beatissimum illud iudicium, quod admirabile est quantum excelluit, fixum hæreret ad memoriam sempiternam, si ille diutiùs animo vigilasset, lingua & calamo dormiuisset in censura prorrheticorum. Ac ne plura consecter quæ sunt in prorrheticis plurima, censore Galeno, explosa; quorsum tam multa eo loco scripsit in hac prognosi, vt eius authoritatem conuelleret planéque labefactaret? Hanc vnam præ cæteris omnibus elegit ad confutandum, iisdem ferè verbis quibus eandem exagitauit comment. ad 29. prorrh. f. 2. 1. Verba Galeni non adscribam, sed viri mentem explicabo, quæ est huiusmodi.

Neque ex partium, quæ sunt propriæ hypochondrij, dolore; febres nascuntur malignæ; sed ne acutæ quidem: neque ex partium nobilium quę iacent in hypochondriis, vt hepatis, alui, & diaphragmatis, inflammatione febres exardescunt terrificæ, nisi inflammatio magna sit. Nam febrium magnitudo inflammationis vi proportione respondet. Nec verò sunt audiendi, inquit, qui huic sententiæ indefinitè pronunciatæ fidem & authoritatem comparare student, eorum exemplis qui à febre hypochondriaca interierunt, cùm illi prætereant silentio eos qui inde conualuerunt. Est enim sophistica hæc persuasio: vt verè illud videatur esse dicturus, *Febres ex hypochondriorum dolore natas, æquè mites esse, atque malignas.* Hæc disputatio est Galeni, ex qua efficitur, nihil indefinitè pronunciari posse, quod faciat ad τὴν μέθοδον bene medendi, in cognoscendo, præuidendo atque curando. Deinde quando exemplis certatur, firmissimum nihil adferri ad faciendam fidem auditoribus, & medicinam ægrotis. Est enim legibus non exemplis docendum atque medendum. Quæ vt concedam omnia, quia sunt vera: tamen non efficitur, hanc prognosin eiusmodi esse, vt nota censoria castigetur. Quin germana erit eius hæc explicatio.

Ac primùm ἀλγήματος nomen, dolorificum morbum significat, non ipsum dolorem, prog. proximè explicanda, & multis aliis quæ sunt in Coac. quemadmodum & ipsa ὀδύνη pro affectione, causa doloris. Sic enim vocat ὀδύνην πλευρέων, i. *dolorem laterum*, ipsam pleuritidem. 2. acut. ὀδύνην ὀφθαλμῶν, i. *dolorem oculorum*, ipsum tumorem qui ophthalmia dicitur. Sic aphor. 8. sect. 1. lib. 6. Epidem. Ἐν Κρανῶνι, αἱ μὲν ὀδύναι νεαραὶ θερμαὶ i. *Cranone dolores recentes calidi*, &c. quem locum Galenus exponit comment. ad aph. 6. lib. 2. non ipsos quidem dolores calidos aut frigidos vocat, sed eos affectus quos sequuntur ipsi. Nam in hypochondrio, quod naturaliter esse debet λαπαρὸν, ὁμαλὸν καὶ ἀνώδυνον i. *molle, solidum, ac doloris expers*; nihil est quod magis inflammatorum viscerum opinionem faciat, quàm si ἐπώδυνον fiat καὶ σκληρὸν, i. *dolorificum atque durum.* Est enim dolor præcipuum symptoma inflammationis, quo nomine ipsa sæpe notatur, vt in pleuritide annotauimus. Hic si distinctio hypochondrij necessaria est; vt eo nomine non eius quod ambit, sed partium circundatarum, earúmque nobilium vitia intelligantur; omni tamen culpa vacat Hippocrates: aut ipse castigator eodem crimine condemnandus, qui illud similiter vt hoc non castigauit, Αἱ διαδοχαὶ τῶν ὑποχονδρίων ἐξ οἵων εἰς οἷα, i. *Successiones hypochondriorum, ex qualibus in qualia*, &c. Quo loco, hypochondriorum nomine, per metonymiam, viscera intelligit, quæ in hypochondriis continentur. Ergo in hac distinctione hypochondrij atque doloris, quæ facillima est: Galenus debuit enarratorem præstare se potiùs, quàm ita seuerum censorem & castigatorem. Nam quòd in dolore acerbitatem requirit, planè curiosum apparet, quòd febrem doloris symptomaticam

maticam esse, illud, τῶ ὑποχονδρίου, apertissimè planissiméque ostendat. Non enim febris nascitur symptomatica, nisi pars ipsa, vbi focum habet, inflammatione sit obsessa. Quòd autem requirit etiam vt febris inde nata celeriter, continenter, & acriter moueatur; quò inflammationi magnæ febris ipsa pariter æqualitérque respondeat, facilis depulsio erit, si aphotisticam breuitatem excusemus. Nam quę dicuntur ὀξέως, intensionum & remissionum diorismos intra se complectuntur. Sit igitur enarrator, non censor, qui febres hoc loco explicabit acutas: quemadmodum & is qui febrem conuulsioni superuenientem in aphorismis ὀξέως scriptam, ex Coacis perceptionibus, legit acutam, si superuenerit; aut, si antè fuerit, exardescentem. Sed leuiora sunt hæc quàm vt diuinum Galeni ingenium exercerent: Ergo vt modificationem huius prognoseωs paucis complectar, *Febres acutæ ex doloris acerbitate viscerum hypochondriacorum natæ; sunt terrificæ atque malignæ.* Est enim ratum & persuasum omnibus, quòd huiusmodi febres non minùs acerbæ sunt, quàm spei plenæ, de quibus ita scripsit aphor. 40. 6. *Quibuscumque dolorifica sine inflammatione hypochondria sunt; his superueniens febris dolorem exoluit.* Sed tempus est vt febris acutæ hypochondriaci doloris symptomaticæ, miseriam exponamus.

Enimuero febris & inflammatio viscerum hypochondriacorum, mutuas tradant operas in perniciem ægri. Ac febris quidem ipsa per se funesta est; incendio & dissipatione nectaris viuifici cordis; exhausto & marasmo τῆς ἀρχῆς ζωτικῆς, i. *vitalis principij*, & humoris primigenij partium solidarum; tum etiam cacochymia maligna, & eius translatione symptomatica ad partes quarum potentia corpus administratur. Ipsa autem viscerum inflammatio; doloris acerbitate; partiúmque vicinarum atque communium sympathia; tum etiam muneris & officij ad vitam tuendam necessarij interceptione; postremò difficultate curandi atque peiorum malorum successione; funesta vt plurimum esse solet. Qua de re theoremata sunt accuratè scripta, paténtque oculis ad legendum & intelligendum, sub finem primi libri prognost. & in hoc libro. Exempla verò leguntur in historiis Philisci, Sileni, Adolescentis, Hermocratis, Philistæ, & Apollonij. Philisco σπλὴν ἐπήρθη περιτόμῳ κυρτῷ, i. *extuberauit lien tumore rotundo*; obiit sexto die. Silenus exactum ad morbum habuit παλμὸν συνεχῆ τοῦ ὑποχονδρίου, i. *palpitationem hypochondrij indesinentem*; interiit vndécimo, quia iuuenis erat annos natus viginti. Hermocrati fuit tractabilis hypochondrij dextri tensio, inde sexto die ictericus, vitæ prorogationem habuit ad 27. morbi diem. Philistæ hypochondrij dextri percepta est tensio: quintum morbi diem agens interiit. Adolescens qui in mendacium foro iacebat, vtriusque hypochondrij tractabilem habuit tensionem ὑπολαπαρὴν: ex qua tensione Galenus ait, nullum significari vitium abdominis & musculorum sed inflammationem vel hepatis, vel lienis, vel diaphragmatis periculosam.

33 Οἱ μὴ διαλείποντες, ἐφιδρούντες πυκνά, μετὰ ὑποχονδρίου ἐντάσεως, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κακοήθεες· καὶ τὰ ἐς ἀκρώμιον, καὶ κληῖδα στηρίζοντα ἀλγήματα ἐν τούτοισι πονηρά.

Si cui sine febris discessione, sudatiuncula crebra cum hypochondrij tensione coniuncta sit; res eius malo sunt loco: sed multò peiore, si ei dolores ad iugulum & acromium se obfirment.

QVONIAM familiaris est apud Hippocratem affectionis & rei affectæ mutua vsurpatio, vt quæ alterutrius propria sunt, de altero impropriè non rarò dicantur; nos consideratè, clarioris doctrinæ causa, istam verborum confusionem sustulimus, totámque sententiam ad res ægri conuertimus: quamuis de morbo enuncietur. Ergo si cui in febris assiduitate, crebra sudatiuncula cum hypochondrij tensione coniuncta sit; idem planè exprimit, quod febres intermissionis expertes, subsudantes, &c. Nam illud ἐφιδροῦντες propriè cadit in ægros, non autem in febres: quemadmodum & illud, μὴ διαλείποντες, ad febres refertur, non autem ad ægros. Verumenimuero febres μὴ διαλείποντες hoc loco dicuntur, non quæ huiusmodi sunt tota historia, & intermissione carent: sed quæ incidente aliqua quietis causa, non tamen quiescunt: cuiusmodi esse legitur in aphorismis, *Febrienti superueniente sudore; si febris non quiescat, malum*, &c. Itaque multò meliùs explicasse videmur, τὸ μὴ διαλείποντες, *sine febris discessione*, quàm si *continuæ* vertissemus.

SI CVI IGITVR SINE FEBRIS DISCESSIONE CREBRA SIT SVDATIVNCVLA.] Ex sudatiuncula, nulla crisis bona spectabilis: quia nihil paucum est criticum. Est autem sudatiuncula; capitis & ceruicis; aut sudor exiguus quo fit subroscidum totum corpus: vnde vel oppressio partium; vel summa infirmitas significatur, per quam exudat succus alibilis, & assimilatione priuatur.

CVM HYPOCHONDRII TENSIONE CONIVNCTA.] Sanè hypochondrij tensio horrenda est, quæ nullam spem adfert hæmorrhagiæ, aut futuri abscessus in crure, aut leuationem purulentæ peripneumoniæ. Hic ergo tensionem non agnosco musculorum abdominis ex eorum tumore tractabilem & aspectabilem: sed eam quæ viscerum inflammatorum comes est. Atque illa quidem intrò & sursum; aut foras conuersa percipitur. Ac tensionis intrò & sursum conuersæ causa est inflammatio diaphragmatis; aut nimia siccitas: quando scilicet à febrili ardore exaruit. Qua de re extat illa prognosis; φωνὴ ὀξεῖα· τὰ εἴσω ὑποχόνδρια ἄνω εἰρύαται, i. *Acuta vox: his hypochondria retrahuntur intrò.* Vbi Galenus τὸ proτr. 1. ὀξ. £. ὂ.

ἀῤῥύσεως, interpretatur ἔλκεσιν: quoniam hypochondria in vitio non sunt affectione propria: sed eius à quo trahuntur, nempe diaphragmatis. Nam illud, ἀῤῥώστως, collapsum habitum semper significat: vt in illo, Καθαρίσιος σημεῖον τὴν αὐτὴν ὥρην τῆς ἡμέρας φυλάσσον, ἐξαπίνης γὰρ ἀῤῥωστεῖ, i. *Extenuationis signum inde est, si eandem inuadendi horam seruat febris: nam repentè illi concidunt.* Quam hypochondri tensionem obseruauit in Sileno. Υποχονδρίου ξυντάσις ἐξ ἀμφοτέρων ὑποφαινομένη πρὸς ὀμφαλόν, ὑπολαπαρός, i. *Hypochondrij tensio vtrinque extensa ad vmbilicum, & submollis.* Vbi Galenus, *Distensio hypochondrij absque tumore, id enim significat ὑπολαπαρός, hypochondriacarum partium inflammationem denunciat; quæ si diaphragma obsideat æqualiter, vtrumque hypochondrium sursum versus reuulsum, sine tumore distenditur.* Tensionis autem foras conuersæ duplex ratio est; vna quidem cum mollitudine hypochondrij, vt in Hermocrate & Adolescente; altera verò cum duritate, quando conuexa pars hepatis, tumore insigni obsessa est: de qua in prognost. Atque tensionem huiusmodi, duram scilicet & dolorificam, declarat illud quod sequitur.

Si dolor ad iugulum et acromium se obfirmet] Nam iuguli fixus dolor symptoma est inflammatæ partis conuexæ: eáque inflammatio citam mortem adfert; nisi hæmorrhagia liberali periculum depellatur.

34 Οἱ τριταιοφυέες, ἀσώδεες, πυρετοὶ κακοήθεες.

Tritæophyæ febres, fastidiosæ, terrificæ.

Quæ sint & cuiusmodi febres tritæophyæ, iam diximus ad 27. Sunt autem natura malignæ, tum specie & idea; tum magnitudine, more & motu; periodico, vniuersali, & particulari. Est enim febrium tritæophyarum cacochymia maligna & multiplex; vires acquirunt eundo, diebus criticis exardescunt, grauissimisque symptomatis ægros cumulant. Denique nihil fit, nihil apparet in eiusmodi febribus, quod metu non terreat magis ægrotos & medicos, quàm spe boni consoletur. Tam inimicarum febrium descriptio & historia legitur sectione 2. 1. τῶν ἐπιδημιῶν; ad quam referre & examinare oportet aph. 43. lib. 4. Iam verò si ad impetum tritæophyarum accesserit ἄση, vt sint, ἀσώδεες; pessimè est ægro: non ob eam sanè causam quòd adferant cibi fastidium & ἀποσιτίαν παντὸς γεύματος, i. *auersionem omnis edulij,* (id enim symptoma talium febrium esse solet οἰκεῖον) sed quòd iactatione illa sint importunæ, quæ omnis figuræ & loci impatientissimos reddit ægros.

35 Αἱ ἐν πυρετῷ ἀναυδίαι, κακόν.

Si quis in febre fandi sit impotens, malo est loco.

ἈΝΑΥΔΙΑ, i. fandi seu loquendi impotentia, nomen est nondum Galeno vsitatum, nec tritum. Illud enim præfatione quadam emollit, cùm ait τὴν ἀφωνίαν grauiorem esse τῆς, ὡς ἄν εἴποι τις, ἀναυδίας. Quid autem intersit inter ἀναυδίαν & ἀφωνίαν, declarat illud Hippocratis in historia de Pythione, quem scripsit fuisse ἄναυδον καὶ ἄφωνον, i. *non sermone solùm, sed etiam voce captum.* Sic enim Galenus, ἄναυδον, inquit, Hippocrates Pythionem dixit, ex eo quòd loqui non poterat; ἄφωνον verò, quòd faucibus vox hæreret, nec audiretur. Iam verò cùm alia sint vocalia instrumenta, alia dialectica; atque inter dialectica principem locum teneat lingua; erit sanè ἀναυδία paralyticæ linguæ symptoma: aphonia verò ἐσχάτης νεκρώσεως τοῦ γινώσκειν τῶν οὕτως ἐχόντων, i. *Caloris penè emortui indicium est in iis qui sic afficiuntur.* Hinc enim significatio fit collapsæ potentiæ animalis, penéque extincti caloris vitalis, vnde vocalia instrumenta motu priuantur, materiáque vocalis non sufficit ad vocem edendam. Vt enim vegeto calore vitali magna vox editur, quòd multus aër spirando ducatur, accedente etiam thoracis virtute; quoniam ex duobus magnis vt magnum quippiam fiat necesse est: sic in paupertate caloris, & thoracis infirmitate; exiles & obscuræ voces magis minúsve audiuntur. Ex quo fit, τὴν ἀφωνίαν ἐν ἀσθενείᾳ thoracis & materiæ vocalis inopia, denunciare; illuc, facultatis animalis vires effœtas; hinc verò, natiui & viuifici caloris extinctionem. Ergo nisi quis τὴν ἀναυδίαν contenderit esse τὴν σιγὴν i. *silentium* (quod in ægris melancholicum est, quemadmodum garrulitas phrenitica) perspicuum est τὴν ἀναυδίαν paralyticæ linguæ symptoma, non tam suopte vitio abhorrendam videri, quàm metu grauioris mali, i. paralyseos aut paraplegiæ: oppresso nempe cerebro nimia crudi humoris abundantia, qui vel in eo localem habuit generationem, vel translationem illuc. Quemadmodum autem, nerui septimæ coniugationis oppilatione; riguísque musculis linguæ per ingressum currentem, incidit ἀναυδία: sic paraplegia aut etiam paralysis, ab eadem causa prope adest, quòd ipsa medulla dorsalis propiùs absit à neruo septimæ coniugationis, quàm ab aliis omnibus qui cerebrales dicuntur.

part. 3. 6. Epid.

comment. in hist. 3. 3. lib. 3. Epidem. Gal. ibidem.

hist. 15. par. 3. Epidem.

36 Οἱ κοπώδεες, ἀχλυώδεες, ἄγρυπνοι, κωματώδεες, ἐφιδρούντες, ἀναθερμαινόμενοι κακόν.

Cui cum laßitudine, caligine, vigiliis, comate, sudatiuncula, æstu incandescunt; pessimè ægrotant.

In hac prognosi complexio est grauissimorum symptomatum, quorum vnumquodque metum adferre debet infœlicis exitus, quando cum febre coniunctum est: vt nihil necesse sit ea simul existere ad exterrendum. Ac primùm scire licet τοὺς ἀναθερμαινομένους hoc loco, dici eos qui febris ardore incandescunt. Nam in prorrhetico πυρετοὶ καυσώδεις vsurpantur pro eo quod hic legitur, ἀναθερμαινόμενοι κακοί. Sed & ἀναθερμαινόμενοι planè idem significare leguntur, quod ἀναπυρέττοντες comment. ad prognosin illam, Οἱ ἐκ περιψύξιος ἱδρῶντες ἀναθερμαινόμενοι, κακόν, i. *Qui ex perfrigeratione sudantes incandescunt æstu periclitantur:* quamuis ἀναθερμαίνεσθαι verbum sexcenties apud Hippocratem legatur, & intelligatur pro calore partium quæ perfrixerunt. Ratum illud, Αἱ ἐκ ῥίγεος καταψύξιες μὴ ἀναθερμαινόμεναι, κακόν. i. *Qui ex rigore perfrigerati denuo non incalescunt; malè sunt.* His ita constitutis, superest demonstrandum, febres continuas sine vlla expectatione discessionis & crisis, quæ coniunctum habent κόπον aut caliginem, aut vigilias, aut coma, aut sudatiunculam, omnino videri & esse detestandas. (Prorrh. 32. Prorrh. 35.a.)

Enimuero febres κοπώδεις, nomen habent ἀπὸ τοῦ κόπου: & qui lassitudine fracti sunt, κοπώδεις etiam, vt ipsæ febres, nominantur. Est autem κόπος totius corporis omniúmque artuum quassatorum molestia, per quam neque ipsi quiescere, neque moueri possunt vel minimum, sine lassitudinis sensione. Sed vt illius τοῦ κόπου duæ sunt causæ, labor & ocium: ita febrium, quæ inde κοπώδεις dicuntur, duo genera quoque existunt. Sunt enim quædam à labore ardentes, ab acribus & biliosis ichoribus intro in venas, vt dictum est, attractis. Sunt etiam sic nominatæ, quas parit suppressio excrementorum, quæ in peculiari cuiusque natura redundare consueuerunt: ac ferè in vetustatem incidunt febres huiusmodi κοπώδεις, per aphor. 44. lib. 4. & 1. s. 4. lib. Epid. Præterea vt erit distinctio specierum laboris, vlcerosi, phlegmonosi, tensiui; & temporum quibus prænuncius, coniunctus & successiuus existit; ita quoque varia morborum idea statuetur. Sunt igitur febres κοπώδεις his de causis horrendæ. Namque ardentes specie ipsa nos terrent; quæ si coniunctam habent vlcerosi aut phlegmonosi laboris sensionem, delirij & insaniæ metum adferre solent, prorrh. 3. s. 2. 1. Sin autem prænuncius labor fuerit ἑλκώδης ἢ φλεγμονώδης, deterior multò videbitur morbificæ causæ conditio, quæ rapta in venas corruptione, in vitio est. Quòd si idem labor successerit, damnum adferet ei parti, neque abscessus quantumuis critici certa crisis perficietur: vt in parotide, in huiusmodi febribus sæpe oborta, ex inchoata hæmorrhagia. Restat febris κοπώδης; cuius esse solet prænuncius, comes, & successiuus κόπος: non is quidem qui ἰσῶς dicitur, qui venit ἐκ πόνων, & musculoso generi πόνον inducit: sed is quem αὐτόματον, i. *sponte sua obortum* veteres nominarunt. Eius quidem febris difficillima curatio est. Quoniam quò diuturnior est causarum morbificarum impressio, eò morborum periculosior generatio. Difficultas pepasmi propter materiæ contumaciam, diuturnitatis causam adfert. Naturæ diu multúmque oppressæ sopita virtus, meatuum angustia, desperatam faciunt excretionem. Solo abscessu crisis futura speratur: nisi abscessus materiam & occasionem præripiat vrina crassa multa & alba; qualis Archigenis seruo profluxit.

Sequitur explicatio febrium ὀχλωδέων, quæ ob eam causam sunt formidabiles, & ἀχλυώδεις febres, quæ vaporibus caput replent & sensuum instrumenta: vnde efficitur vt mistione infectus humor oculorum aqueus, qui naturaliter lucet splendétque; ὄχλον, i. *perturbationem*, exhibeat crystallino humori sensuíque communi; tum etiam spectantibus ægri pupillam. Quæ causa est cur visa occurrat fallacia & turbulenta, qualia descripsit Hippocrates in Dealcis vxore, ἐψηλάφα, ἔτιλλε, ἐγλύφε, ἐκροκυδίζε, i. *palpabat, auellebat, sculpebat, festucas carpebat.* Ac talia sanè symptomata funesta esse dixit in prognostico, si non sint κρίσιμα. Sic in prorrh. scripsit, ὄμμα ἀχλυῶδες κακόν. De comate, vigiliis & sudatiuncula, non est quòd magnopere laborem. Iam enim multa dicta sunt: & plura suis quæque locis dicentur.

37 Οἱ κοπώδεες μετὰ φρίκης ἐφιδρώσαντες μὴ κρισίμως, ἀναθερμανθέντες ἐν ὀξεῖ, κακόν· ἄλλως τε κἢν αἷμα ἐπιστάζωσι περὶ ταῦτα.

Si quis in febre laboriosa cùm perhorruerit, nihil criticè exudarit; indéque febris acuta exarserit, funestum: idque cùm aliàs; tum si in hoc negocio sanguis stillarit.

Hvivs difficilimæ prognoseos mens potissimùm eò spectat, vt intelligamus, calamitatem & exitum ægrotis denunciari, quando frustra crisi tentata quæ morbi erat propria, morbus ipse vires acquirit, déque natura triumphat: cuius triumphatæ signum est, cùm ipsa per translationem multum oppressa, rursus aliam studet inire crisin ex qua leuatio nulla expectabilis: vt nulla esse solet ex sanguinis stillicidio, nisi hæmorrhagiæ liberalioris opinionem faciat: vt sæpe facit quando cum vrinæ pepasmo in quartum diem incidit, apparétque ad hæmorrhagiam septimo die futuram. Nec verò huius mei theorematis fidem derogare videtur 25. Coac. *Si cui cùm perhorruerit atque sudarit: rursus postridie horror sine causa ingruerit, tum a pepasmo somni sit expers, huic venturam hæmorrhagiam arbitror.* Illic

enim docemur varias esse morborum eorundem criseis, illámque varietatem criseωn sæpenumero denunciari vna eadémque concussione, quæ à rigore suscipitur. Sed id locum habet in dæuersorum focorum plethora, quæ neque ipsa per se maligna est, neque coniunctam habet viscerum inflammationem: deinde in liberali excretione, vt in sudore & hæmorrhagia. Hic autem febris laboriosa est, ergo malignæ & multiplicis cacochymiæ particeps. Deinde hic pro rigore horror cietur criticus, proptereáque irritus & inefficax: quoniam talis horror denunciat naturam morbificis causis opprimi, summámque esse humorum cruditatem; vt nihil tum salutariter possit excerni. Quòd si quis obiiciat rigorem etiam moderatum, ciere liberalem hæmorrhagiam: sanè quidem, sed in plethora corporis. Præterea illic sudor legitur; hic sudatiuncula quæ simpliciter adducta, fatiscentis naturæ est argumentum. Quinetiam hic febris exardescit à sudatiuncula, illic à sudore mitescit. Atqui multùm interest inter prauam & inchoatam crisin: sudor est κρίσιμος κρίνων, i. *iudicatorius iudicans*, ἱδρῶτες verò ἀκρισίη δεινὴ, i. *priuatio crisis sinistra*. Quòd enim à sudatiuncula hîc febris exarsit, & ἐπίδοσιν arguit cacochymiæ efferæ tum symptomaticæ translationis ad diaphragma & caput. Accedit huc, quòd vndecunque humor cietur, si exitum non habet, oppressionis damna adiungit. Postremò hic sanguinis stillicidium video: illic hæmorrhagiam expecto. Atqui nullum stillicidium in bono duccudum. Contrà δύσκριτον ἢ θανατῶδες, i. *aut praui iudicij, aut omnino mortiferum* existit. Ac εὐκρισίη quidem in qualitate bona sanguinis: θανατῶδες verò in mala; qualis esse solet sanguinis meracioris nigri.

aphor. 31 lib. 4. Galen. comment ad prorrh. 58. f. 5. 1.

lib. 1. Epid.

38 Ἰκτερώδεες, κατακορέες, θνήσκουσι. λευκὸν διαχώρημα τουτέοισι προσδιέρχεται.

Icterici multùm fœdati pereunt. Alba deiectio iis vnà secedit.

ICTERICI qui sint, & vnde nomen habeant, nihil necesse est scribere: quod neminem scripta mea lecturum existimem, quem ista nescire persuasum habeam. Sed ex ictericis qui moriantur, qui contrà eo morbo defunguntur, operæprecium est propalam explicare. Sanè moriuntur icterici, nec vnquam fœdum colorem eluere possunt, qui vel a motu morbi; vel ab hepatis inflammatione; aut scirrho, vel à veneno, potione aut morsu immisso, ita colorantur. Sic Hermocrates sexto morbi die factus ictericus, tandem obiit. Quod Heraclidæ etiam contigisset ab ictero sexti diei, nisi triplicis vacuationis beneficio, diarrhœæ, perirrheæ, & hæmorrhagiæ, morbum depulisset. Nam Phanagareonl talis icterus fuit lethalis, cui neque ducta est aluus, neque vrina profluxit, neque sanguis erupit. Ex quibus aphorismi illius veritas elucescit, *Quibuscunque in febribus icteri ante septimum superueniunt; malo sunt loco.* Moriuntur etiam quorum icterus symptoma est κακοπραγοῦντος τοῦ ἥπατος διὰ σκίρρον, ἢ φλεγμονὴν, ἢ ἔμφραξιν i. *Malè officium facientis hepatis à scirrho, inflammatione, vel obstructione.* Quæ vitia illa aphorismo continentur. *Hepar icterici indurescere, malum.* Nam quòd euitari non possit icterus venenatus à morsu aut potione, id verò meridiana luce clarius esse arbitror. Atque hi omnes symptomaticè facti icterici, saturato colore flauent: cuiusmodi colorem ita depinxit Hipp. Ἴκτερος ὅστις ὀξὺς, καὶ διὰ τάχεος ἀποκτείνων, ἡ χροιὴ ὅλη τοιάδε ἐστὶ, σιδίου ... ὥσπερ αἱ σαῦραι αἱ χλωραί. τοιοῦτος δὲ καὶ ὁ χρὼς καὶ τὸ οὖρον ὑπόστασιν ἔχει ὀροβῶδες πυρρόν. i. *Icterus acutus & qui celeriter necat, est eiusmodi. Color vniuersus similis cortici malegranati, lacertis virore similis, sanè & cutis tota eiusmodi. Vrina hypostasis est orobea russa.*

1. Epid.

aph. 42. lib. 6.

3. de morbis.

ALBA DEIECTIO IIS VNA SECEDIT.] Alba dicuntur biliosæ tincturæ expertia, quæque huiusmodi non sunt à colore cibi quo vescimur (etenim à pulticula siliginea, nihil mirum si aluus excrementis albis feratur, vt neque a pulticula leporina, si nigris.) Huiusmodi autem fiunt, teste Galeno, cùm bilis non ampliùs in ventrem confluit: sed vnà cum sanguine per habitum corporis diffunditur, idque aut propter obstructionem canaliculi fellis, aut propter ardorem conuexarum hepatis partium. Sed tamen Apollonij icterici talia leguntur fuisse excrementa. *Deiectiones erant variæ. Aut enim nigræ fuerunt, pauca, æruginosæ: aut pingues, crudæ, mordaces. Nonnunquam & lacteas visus est emisisse.*

Superest vt de ictero vnde conualescunt icterici, hoc loco dicamus. Eiusmodi criticus esse solet, pepasmo indicatus, qui & febris finem adfert die critico, sine hypochondrij duritate, & cum vrinis atque deiectionibus naturaliter coloratis existit. Vide aphor. 64. lib. 4.

39 Οἱ τριταιοφυέες, πλανώδεες, ἐς ἀρτίας μεταπεσόντες. δύσκολοι.

Tritæophyæ febres erraticæ, in pares mutatæ; sunt contumaces.

QVÆ sint & cuiusmodi febres tritæophyæ, iam explicauimus 17. & 34. Tum etiam quid inter ipsas & hemitritæas intersit, 12. Sequitur, vt quomodo tritæophyæ sint erraticæ, & quemadmodum ex eo motu incerto, certos habeant dierum parium paroxysmos, tum autem quid causæ sit quamobrem illæ ἀρτιακαὶ contumaciam morbi & ancipitem crisin ac sæpe funestam adferat, hoc loco dicendum esse videatur. Enimuerò tritæophyæ febres naturâ sunt περισσαὶ i. *quæ impari dierum numero exardescunt*, vel quæ symptomatum accessione diebus imparibus, sunt eximiæ & excellentes. Id enim facit bilis, quæ tertio quo-

tertio quoque die cumulata & putris mouetur. Sed quoniam non vnius tantùm bilis dominatu hæ febres tenentur: sed cacochymiæ multiplicis corruptione & vitio accenduntur; ferè fit vt corruptionis incremento & irritamento, lacessitarum partium complexio altereur & immutetur, ipsáque, vt ita dicam, ἀνωμαλότης vertatur in ἀρτιασμόν, i. dierum imparitas in paritatem. Ita enim comparata est natura vniuersitatis & partium singularum, totiúsque adeo naturalis œconomiæ, vt æqualia & similia quæ ab eadem facultate alterantur, prorsus æqualia faciant excrementa. Quinetiam tempus collectionis eorum excrementorum vt sit æquale necesse est. Nam partes quæ aluntur, quoad naturaliter constitutæ fuerint, ab eodem nutritæ alimento, æqualia quantitate, similia qualitate, eodémque temporis tractu colligent excrementa, eadémque periodo expellent. Atque ex illa similium & æqualium; pariter æqualiterque collectorum & exclusorum, in offensa perennitate; morbi existunt benéque constituti, ac ferè secundi iudicij: quos εὐσταθεῖς καὶ εὐκρίτους vocant. Quales regnare dicuntur quando anni tempora sua quæque exhibent ὡραῖα ὡραίως, i. tempestiua tempori. aph. 8. lib. 3. At si tempestiuæ non sint tempestates annorum; ipsaque defectio temporum in tempestatum alienatione consistat; vel etiam diæta in vitio sit, ex illa multiplici & maligna cacochymia inde nata, labefactatur valde naturalis œconomia, & æqualitas partium gignentium, mittentium, trahentium, aut suscipientium excrementa. Hinc morbi nascuntur & exacerbantur ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι, i. inconstantes ac difficiles iudicatu. Quales nuiile legimus tritæophyas febres, quarum explicatæ iam causæ præter cætera negocia quæ facessebant ægrotis, eam quoque molestiam adferebant, quòd χρόνια, δυσχερέα, καὶ πλανώδεα, καὶ ἀκρίτως τὰ πολλὰ διετέλει γινόμενα, i. morbi longi difficiles, inordinati, erratici, iudicij difficiliores. Sed nondum hic video tritæophyas videri erraticas incerto ordine particularium paroxysmorum, vt reuera dicuntur erraticæ: sed insperata vel inexpectata symptomatum accessione, exempli causa, rigoris quem scripsit Hippocrates, illic cieri consueuisse ἀτάκτως καὶ πλανωδῶς. Itaque sic erunt tritæophyæ febres erraticæ. Sed quomodo accessiones illarum febrium quæ olim fiebant ἐν ταῖς περισσαῖς, nunc fiunt ἐν ταῖς ἀρτίαις; vel quomodo ipsa ἀνωμαλότης mutatur in ἀρτιασμόν?

lib. 2. de feb. 26

aph. 19. p. 1. lib. 3. Epid.

Enimuero quantum complector animo, huius mutationis causam reperio, incertos rigores, qui medio febris cursu exacerbantur, i. cùm prior biliosa febris mitescere incipit, exardescente altera, pari die rigor cietur, cuius irrita concussione & maiore incendio conflagrarant ægroti, & per translationem miserius tractantur. Qua de re illud extat iam demonstratum. *Tritæophyarum febrium incerti rigores, qui medio febris cursu exacerbantur, valde maligni.* Medium autem cursum vocat, medium iter periodi particularis, quæ horis 48. absoluitur. Ergo cùm exacto priore paroxysmo biliosæ febris, & inchoata alterius exacerbatione, rigor incipit, palam est multò maiorem fore afflictionem diei paris; i. secundi, quàm fuerit imparis, i. primi. Est autem ille ἀρτιασμὸς qui paria exhibet, difficilis ac sinistri exitus, primùm quòd rigor ille τῷ ἀρτιασμῷ causa, sit, τὸ κρίνειν μὴ κρίνον· quia non cietur κατὰ λόγον, i. merito naturæ, nec παρὰ λόγον, i. immerito cacochymiæ malignæ. Itaque loco non cietur, proptereáque male. *Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus & iudicantur: quæ verò imparibus, imparibus.* Atqui tritæophyæ febres periodorum particularium, paroxysmos habent diebus imparibus. Ergo fœliciter paribus iudicari non possunt: quoniam bona crisis ferè fit in ordinario paroxysmo. Hic autem dierum parium paroxysmi sunt extraordinarij, qui nullum certamen naturæ & morbi in procinctu esse denunciant: sed contrà irritatæ frustra naturæ oppressionem cum infirmitate coniunctam, ex priore paroxysmo, tum verò ex horum importuna vi, quæ cernitur in ardore, maligna cacochymia, & obsidione nobilium partium quarum officio vita carere non potest. Considerate autem ipsas nominauit δυσκρίτους; quamuis ἐπιπόνους quoniam difficultatum illarum myriadem sic obseruauit. *Similiter illa contingebant in qui seruabantur, & qui non.* Sunt autem δύσκολοι contumaces quidem morbi: sed tamen κακοήθεις, quod hic locum non habet. Plurimos enim tritæophyæ febres interimunt. Nec solùm hæ febres tritæophyæ, quæ ex euentu paribus exacerbantur: sed illæ etiam quæ sunt eiusmodi proprio motu periodico, sunt δυσκριτώτεραι: vt quæ per initia imparibus paroxysmos habent, aut diuturnitatem morbi iudicent, aut pessimam crisin sexto die venturam. Nam cùm vehementer primo die ægrotant, & quarto prauum experiuntur paroxysmum, sexto moriuntur.

40 Οἱ ἐν κρισίμοισιν ἀλυσμοὶ ἀνίδρωτες, περιψυχόμενοι, κακόν· καὶ ἅπαντες δὲ οἱ ἄνευ ἱδρῶτος περιψυχόμενοι ἀκρίτως, κακόν.

Quæ diebus criticis vnà cum frigore iactatio incidit, expers sudoris mala. Atque in vniuersum, omnes qui sine sudore iniudicatò perfrixerint; malè vexantur.

Satis iam de alysmo aut etiam nimium multa a. 19. 34. sed illic quatenus in vitio est semper, eius causam quæsiuimus. Hic autem boni & mali alysmi distinctio continetur. Enimuero symptomatici omnes qui nullam spem adferunt crisis, cuiusmodi cernuntur in iis quos scripsit ἀλυώδεας ἄνευ ἐμέτου ἐπιταρασσομένους, i. iactabundos sine vomitu, insuper vexatos, omnes, inquam, toto genere pestiferi sunt. Mali sunt etiam atque terrifici, qui malè gestæ rei ob intentatam crisim meritò accusantur: idque diebus criticis,

prorrh. 27. L. 2. 4

quibus quæ fiunt omnia, quæque apparent, firmiora sunt, quàm quæ in alia incidunt morbi tempora. At sanè huiusmodi sunt, de quibus sermonem instituit.

Ergo, QVÆ DIEBVS CRITICIS] i. Periodis quaternariis, ante vigesimum diem; septenariis, ante quadragesimum; vicenariis, ante centesimum.

VNA CVM FRIGORE] non quidem periodico paroxysmi particularis; sed critico: vt sit *ἐπισημασία* i. *significatio* certaminis naturæ & morbi quod in procinctu est, eóque frigoris nomine significetur rigor.

IACTATIO INCIDIT] Non illa quidem *ναυτιώδης* nauseans, quæ morsu bilis excitatur in stomacho: sed altera longè peior, quæ fit oppressione virium cum viscerum æstu coniuncta; per quam omnis loci & omnis figuræ impatientissimi sunt ægri.

EXPERS SVDORIS] Ex quo efficitur eam iactationem, anxietudinem, siue alysmum, incidisse » κατὰ λόγον mali, cuius symptoma est: non autem ipsius naturæ decertantis pro sua salute. Omnia enim » quæ fiunt quæque apparent in morbis, eiusmodi sunt vt spem adferant prosperi exitus, aut metum » infelicis, quatenus eueniunt; illic κατὰ λόγον naturæ & παρὰ λόγον morbi; hic verò κατὰ λόγον morbi & παρὰ λόγον naturæ.

MALA] Quoniam iudicatoria non iudicantia aut sunt lethalia, aut difficilis iudicij. Sed illud leuius quàm si grauiorum symptomatum accessione, diebus criticis, deuicta natura, accidere videatur.

ATQVE IN VNIVERSVM OMNES QVI SINE SVDORE INIVDICATO PERFRIXERINT, MALE VEXANTVR] Damna rigoris, frigoris, & horroris cùm frustra fiunt motu malignæ cacochymiæ, aut vitio purulenti abscessus; omnia sunt *σημειωτικῶς* explicata. Superest illud dicendum, quòd non solùm desiderato sudore; sed etiam vomitu & deiectione, malum est frigus; ac multo peius irritum frigus, quam *ἀγωνιστικὸν μὴ κρῖνον*.

41 Καὶ οἱ ἐπιρριγώσαντες, ἐκ τούτων, ἐμέσαντες ἄκρητα, ἀσώδεες, τρομώδεες ἐν πυρετῷ, κακόν· καὶ ἄφωνοι δ' ἐκ ῥίγεος.

Quinetiam qui riguerunt, indéque syncera vomuerunt, fastidiosi, tremuli in febre, miseri quemadmodum à rigore aphonia grauis.

CAPVT est ad horum explicationem, illico adferre quod probatum esse debet omnibus; omnem perturbationem criticam non solùm in vitio esse cùm frustra suscipitur, vt esse solet signo & causa: sed multò magis si excretionem cieat materiæ ex qua plus incommodi denunciatur atque percipitur, quam adiumenti. Sed quid adiumenti posse adferri putem ex eo quod toto genere contra naturam gignitur atque cietur? Vetus illud, *Si talia purgentur qualia purgari oportet confert; & leuiter ferunt.* Ergo rigores qui superueniunt, cuiusmodi sunt critici aut symptomatici, non autem periodici; haud solùm eo nomine molestiam exhibent atque negotium naturæ facessunt, quòd frustra cientur: sed quod eorum concussione materia excutiatur vomendo atque deiiciendo, vnde spes salutis proiecta.

A perturbatione critica omnis incommoda excretio mala est. Sic prorrh. 29. s. 2. 1. *Vomitus cum iactatione synceri; mali.* Nec solùm vomitiones: sed etiam deiectiones, hæmorrhagiæ, sputa syncera sunt praua, ex ea synceritate, vt ita dicam, incommoda; & quæ cùm exprimuntur, præsentem mortem intentant: vt Philisco quintum morbi diem agenti, stillicidio sanguinis nigri & pauci, mortem citam attulit sexto die: Phileta interiit quinto die à vomitu bilis, primùm flauæ, mox æruginosæ. Sed hæc morborum acutorum propria sunt & cum lethalibus signis coniuncta. Sunt autem *ἄκρητα* idem quod *ἄμικτα*, in sua quæque complexione & consistentia, i. sui quæque seri naturalis expertia: cuiusmodi [1. progn.] cernitur sanguis niger, bilis æruginosa & nigra. Nam quæ vna pariter æqualitérque aut vomuntur aut deiiciuntur, aut etiam extussiuntur æruginosa & nigra; atque sunt illa sua quæque specie *ἄκρητα*, quamuis mixta, atque si per se singula exprimerentur. Sic præceptor, *Deiectiones variæ & variegatæ ad diuturnitatem sunt morbi. Ac mortiferæ sunt nihilominus. Ac si colores omnes idem vomat, valde est mortiferum.*

Quid verò, nónne huc spectet in aphorismis; *Et quò varij colores illi deteriores fuerint: maius ostenditur* [12. lib. 4.] *malum.* Sed in vomitionibus, deiectionibus & sputis, laudantur excrementa bilis & pituitæ *ἰσχυρῶς συμμεμιγμένα*, i. *accuratè permixta.* Quæ accurata permixtio existere nequit, nisi & mitia sint excrementa, & virtute caloris natiui in vnum coacta. Ergo vt vomitio vtilissima est, si pituita ac bile permixta est quàm exactissimè: ita synceriot siue meracior, pessima. Verum enimuero synceritatis illius malignitas medicum terret, ex perspicientia efficientis causæ. Quoniam pituita syncerior, ab intemperie frigida eam concretionem accepit. Sanguis autem niger, bilis item æruginosa & fusca, huiusmodi cernitur cùm exudarit tenuis humor ab incendio, quo sanguis aut bilis primigenia conflagrauit. Atque de crassiorum & meraciorum excrementorum causis ita conclusit Galenus; [2. progn.] *Crassescunt omnia duabus ex causis contrariis, calore & frigore; euaporante quidem calore, cogente autem frigore.*

QVEMADMODVM A RIGORE APHONIA] Sic legendum putauimus, emendando Græcum exemplar, vbi legitur *φωνή*, ex illo, [29. Coac.] *Quæ rigore incidunt aphoniæ*, &c. Nam *partium posticarum frigus est conuulsificum*, 7. Coac. Et *cum opisthotono rigor necat* 23. Coac.

42 Τὰ δ' ἐκ ῥιγῶν, μικρότερα ἰδρῶσι, περιψύχοντα, κακόν.

Si quis

Si quis autem à crebris rigoribus cum paruis sudoribus perfrigeretur; grauissimum habet malum.

Ad verbum sic verti, Græcum exemplar secutus. Sed in protrhetico ἀντὶ τοῦ, ἐκρίγῶν legitur ἐκ ῥιγέων. Quæ lectio huic sententiæ accommodata, illic à Galeno recipitur & explicatur: sed hic mea quidem sententia, probari non potest, quia de rigore symptomatico triplicem prognosin instituit; quarum prima fuit de rigore frustra citato, 40. altera de rigore qui prauam ciet excretionem, 41. tertia de frigoritero cum ephidrosi. Ergo si à rigoribus symptomaticis (nam critici aut periodici esse non possunt, quos calor & sudor, vel alia quæuis bona & salutaris vacuatio non excepit) si igitur quis à rigore, exiguo sudore madeat & perfrigescat: vel si cui à rigore exiguus & frigidus sudor artus occupet; palam est paruum sudorem non posse videri criticum. Ergo non facultatis expultricis virtute, sed retentricis potius infirmitate manat is sudor; qui quia gelidus est; caloris natiui extinctionem denunciat. Sed huius prognoseωs analytica explicatio requirenda ex commentario ad primam.

34. Γ. 3. ἐκ ῥιγέων.

43 Οἱ ἐφιδροῦντες, ἄγρυπνοι, ἀναθερμαινόμενοι, κακόν.

Qui cum sudatiuncula & somni vacuitate crebro exardescunt; malo sunt loco.

In prorrhetico leguntur ἐφιδρῶντες ἀναθερμαινόμενοι, i. authore Galeno, ἀναπυρέττοντες; grauissimum habere malum. Quod sanè cernitur in iis, qui cùm repentè a sudore perfrixerint, rursum calore febrili incandescunt: quod non fit αὐτομάτως, vt ex causarum perspicientia doctissimè Galenus annotauit. Sed huius prognoseωs demonstratio in commentario ad illam prognosin continetur. Οἱ κοπιώδεες, ἀχλυώδεες, ἄγρυπνοι, κωματώδεες, ἐφιδροῦντες ἀναθερμαινόμενοι ἐπικινδύνως. i. *Qui cum dolorifica artuum lassitudine, caligine oculorum, vigiliis, sopore à sudatiuncula exardescunt; habent periculosè.* Est enim hæc prognosis, reuera pars catalogi prauorum symptomatum; quæ nihil necesse est simul existere, cùm singula per se ipsa sufficiant ad exterrendum.

31. 2. 36 Coac. & prorr. 41. Γ. 2. 1.

44 Οἱ ἐφιδροῦντες ἐν πυρετῷ, κακοήθεες.

Qui exiguo sudore madent cum febre, in metu sunt mortis.

Hactenus de malis sudatiunculæ, quæ cernitur cùm è thorace & capite miliaris sudor exudat aut cum eo exiguo subroscidum est totum corpus. Hæc enim metum adfert sinistri iudicij; aut conclamationem vitæ, vt out exudat ille sudor per oppressionem partium; aut per infirmitatem potentiæ retentricis, qua defluit succus alibilis, cuius optanda erat assimilatio. Huc spectat inter alias, 42. huius.

45 Οἷσι χολώδεος διαχωρήσιος ἐούσης, περὶ στῆθος δῆξις καὶ πικρότης κακόν.

Quibus cum biliosa deiectione premitur morsu pectus, amarescitque os; malum.

Biliosarum deiectionum duplex omnino in qualitate & excretione, ratio est; vna quidem τῶν καλῶν καὶ κεκριμένων, i. *bene feliciterque ductarum*, cuiusmodi sunt bilis subrufæ crassescentis, qua multùm & rarò sine stridore fertur aluus, solida, mollis, & succi plena: altera verò est τῶν ὑπερχολωδέων καὶ ἀφρωδέων, i. *saturata nimium bilis atque spumantis, quæ non minùs excernendo infesta est, quàm stabulando*: Neque enim dum excernitur, hypochondriorum ardor extinguitur: sed exardescit magis; neque iactatio ipsa quiescit, sed maior inde molestia excitatur: quinetiam intestinorum & sedis sua feritate vlcerifica esse solet. Denique non minùs calamitatem arguit visceris vnde venit; quàm partibus ipsis quà fertur molesta est. Gignitur autem potissimùm hæc tam effera támque indomitabilis, τοῖσι χολώδεσι καὶ σπλαγχνώδεσι, i. *iis qui naturâ atque diætâ sunt biliosi & visterosi*. Huiusmodi autem bilis deiectionem, hoc loco agnoscimus, in qua, quemadmodum morsu prematur pectus, & amarescat os: tum verò quorsum hæc fiant, clarissimè explicandum. Vt igitur τὸ στῆθος propriè anteriorem thoracis partē significat, iuxta illud, Πόνοι στήθεος καὶ πλευρέων, i. *dolores pectoris laterúmque*: ita nonnunquam etiam mediū

aph. 54. lib. 5

illud os quicum dearticulantur costæ, quod à recentioribus στέρνον dicitur: vt in illo, Μικρὸς γὰρ ὁ γιγγλυμὸς ὁ ἐν τῷ στήθει, i. *Nam ginglisimus exiguus est dearticulationis quæ in pectore.* Quod si ita est vt τὸ στῆθος pro sterno vsurpetur; non erit absurdum eo nomine per synecdochen intelligere eam sterni partem, quæ τὸ ξιφοειδὲς nominatur, & per metonymiam, id quod sub illa ensiformi cartilagine continetur, orificium nempe ventriculi, quod veteres τὴν καρδίαν nominarunt, à cuius afflictione & morsu καρδιωγμὸς etiam nomen habet: vt nihil planè aliud esse videatur commemorata δῆξις περὶ τὸ στῆθος, quam καρδιωγμὸς, aphor. 65. lib. 4. Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν, καὶ καρδιωγμὸς κακόν, i. *In febribus ardor ventris ingens, cum cardiogmo, malum.* Ergo si bilis efferæ sursum deorsúmque fluentis feritate, pariter vnà stomachus morsu prematur, vnáque pariter aluus feratur; perspicuum est perenni generatione bilis, partium afflictarum præstantia; vicinarum atque communium sympathia, vt cordis viuifici; doloris acerbitate; & partium excipientium molestia, conditionem ægri esse miserrimam. Hic autem quoniam bilis acerrimæ abundantia per ἀνάρροπον i. *ascensum*, natat aluus & incandescit æstu, efficitur vt continuitate interioris tunicæ quæ stomacho & ori communis est, os ipsum amarescat, per aph. 11. lib. 4. & alibi passim. Porro autem cùm symptomata omnia sint partium obsessarum & humoris morbifici propria; hic sanè καρδιωγμὸς, erit symptoma stomachi: oris amaritudo, bilis ipsius. Nam amaritudo percipitur tantùm ex bile, vt καρδιωγμὸς symptoma est proprium τῆς καρδίας. lib. 3. progn. Atqui perrarò accidit vt pariter æqualitérque sursum deorsúmque natura sponte sua cursum inflectat, nisi dominatu morbifici humoris & efferi teneatur, vt in cholera morbo. Quinetiam perrarò accidit vt duæ partes tam sibi sint impares, vt æqualiter afficiantur, part. 2. lib. 6. Epid. Est igitur, cum biliosa deiectione cardiogmus planè malignus.

46 Ἐν πυρετοῖσι, κοιλίης ἐμφυσωμένης, πνεῦμα μὴ διεκπίπτον, κακόν.

In febribus, aluo inflata, si flatus liberum exitum non habeat; malum.

VT NIHIL est in vniuersi corporis qualitate & habitu, quod magis medici votis respondeat, quàm triplex hypochondriorum æqualitas, quæ cernitur quando illa sunt mollia, solida, & succi plena, ἀνώδυνα καὶ λεῖα: ita nihil apparet quod ad minuendam medici alacritatem propensius faciat, quàm sponte natus hypochondriorum meteorismus. Est autem meteorismus hoc loco dictus hypochondriorum tumor tractabilis & aspectabilis. Sed cùm illius meteorismi multæ sint causæ; inflammatio; scirrhus; inflatio, atque inflatio quidem vel pressa leuiter ad breuitatem, vel fixa firmiter ad diuturnitatem; hæc vna est quæ in quæstionem vocatur, ad intelligendum quæ tanta sit inflationis contumacia. Principio ventris inflatio cum febre coniuncta, inde sanè abest vnde abesse debuit. Nam talis inflatio quam vel oppilatio, vel spiritus flatulentus; vel ipsa denique intemperies peperit, superueniente febre discutitur, incidendo, tenuando, & ad temperamenti æqualitatem reducendo. *Quicunque ex hypochondrio laborant sine febre, iis superueniens febris laborem exoluit.* Quòd si quis dictionum anceps ventris inflationem, malè ad hypochondriorum meteorismum transferri existimet; sciat is velim, nomen τῆς κοιλίας hoc loco complecti, non solùm cibi & potionis promptuarium, sed amplitudinem illam abdominis quæ subiacet ipsi thoraci: in qua significatione homines prominulo abdomine, dicuntur προγάστορες; & ipsæ mulieres grauidæ gestare fœtum aluo. Quæ cùm ita sint, superest vt causam inueniamus, & explicemus tam contumacis inflationis. Enimuero ventris μετεωρισμὸς cùm plurimas habeat causas, tum certè πνεῦμα φυσῶδες, i. *spiritum flatulentum, qui facit inflationem.* Sed cùm illius inflationis duplex omnino causa sit; vna quidem in contumaci quadam affectione partium quæ sub abdomine iacent; altera verò in fugaci occasione rerum extrinsecus petitarum & incidentium; vtriusque talem attulit diorismum. Nam ea quæ nascitur à contumaci partium affectione, borborygmon non habet: sed distenta semper & inflata exhibet hypochondria. Altera cum borborygmo coniuncta, paulò pòst tandem residit. Nam borborygmus ille, signum est naturæ materiam ad lumbos & ilia depellentis, supernè deorsum, vnde vel deiectio liberalis; vel spiritus flatulenti cumulata & repentina eruptio.

Ergo ventris inflatio contumax fluenti spiritus exitium non habentis, signo quidem pessima est, ab intemperie hectica tenuium intestinorum; eorúmque peristaltico motu naturali contrario. Sed causa ipsa peior est: quoniam ex ea inflatione constante & contumaci, sexcenta symptomata naturæ præsidia labefactant, corpus infirmum faciunt, virésque morbo adiungunt. Quæ omnia sunt in promptu, patentque omnibus ad cognoscendum, suis quæque locis distincta & explicata.

47 Κοπιώδεες, λυγγώδεες, κάτοχοι, κακοί.

Si quis in laboriosa febre singultiat, vel obstupescat; morbo laborat pessimo.

Marginal notes: lib. 2. περὶ ἄρθρων. — 2. progn. — aph. 4. lib. 4. aphoris. — 39. lib. 6. aphoris. — aph. 24. libr. 4. — aph. 21. lib. 4. — Symptomata [illegible] nō solū dicuntur [illegible] vt Galeno visū est, ad 60. 2. Prorrh.

ET LABORIOSÆ febres,& ſingultuoſæ, & quæ coniunctam habent catochen; omnes ad vnum videri debent malignæ. Quoniam autem quæ ſint,& cuiuſmodi laborioſæ febres; analyticè iam explicauimus, 36. ſupereſt vt de ſingultuoſis primùm, deinde verò de iis quæ κάτοχοι exiſtunt, hoc loco dicamus. Sunt igitur ſingultuoſæ febres, ſingultibus crebræ moleſtis. Atque ſingultuum illorum natura in deprauato ventriculi motu conſiſtit, quando concutitur ad excutiendum id quod ſibi moleſtum eſt. Rerum autem vētriculo moleſtarum, non quidem in capacitate & aluo, ſed in membranis ipſis, tria omnino genera veteres ſtatuerunt; flatulenti ſpiritus inſinuationem; bilis acrimoniam & feritatem; tum glutinoſi humoris pituitoſi, aut melancholici contumaciam qua ad ventriculi tunicas contumaciter adhæreſcit. Nam qui ab exhauſto fiunt ſingultus, cùm exaruerint ventriculi tunicæ; conuulſionis potiùs naturam retinent, quàm concuſſionis. At multùm intereſt inter conuulſionem & concuſſionem: quamuis vtraque in deprauati motus genere collocetur. Etenim in conuulſione natura morbificis cauſis deuicta quieſcit. In concuſſione autem erigit ſe ad vincendum id quod ſe lædit. Sed tamen religio fuit Hippocrati & Galeno, ſingultum ab exhauſto, nominare cōuulſionem; quòd ea muſculorum propria ſit, non membranarum. *Naſcitur conuulſio à repletione vel inanitione: ita & ſingultus.* Sit ita ſanè, ſingultum ab exhauſto conuulſionem eſſe quandam ventriculi, non propriè dictam; cùm propriè dicta cernatur tantùm in partibus quæ naturaliter ſponte noſtra mouentur: vt in muſculis, quando ſua ſponte, non noſtra colliguntur. Sed in confeſſo eſt, parem vtriuſque, & conuulſionis & ſingultus noxam videri, quando ab æquali ſiccitate naſcuntur. Ac ne plura conſecter, quæ plurima leguntur apud Hippocratem; ſit illud inſtar omnium, *A perpurgatione conuulſio vel ſingultus, malum.* Certum eſt igitur ab huiuſmodi febribus, quæ ſingultibus crebræ ſunt, exitium certum manere. Etenim illas huiuſmodi eſſe diximus; vel à flatulento ſpiritu; vel à bilis feritate; vel à glutinoſi humoris contumacia. Quæ cauſa eſt cur diuinus Plato ex earum cauſarum perſpicientia quam ab Hippocrate hauſerat; ſpirationem cohiberi iuſſerit primùm, ad flatuum diſſipationem; mox aquam bibere, ad infringendam bilis efferæ acrimoniam; poſtremò ſternutamentum ciere, ad euellendum glutinoſum humorem qui contumaciter ad ventriculi tunicas adhæreſcit. Fecimus idem ex hiera picra permultis, qui cùm continenter ſingultiendo frangerentur, ducta aluo per quinque dies, glutinoſis & nigris humoribus; tandem ſingultiendi finem fecerunt. Sed ex illis, inquam, omnibus, quantum iſtæ mali febres foueant; vt ea quæ oculis ipſis videntur, planè apparet in omni concuſſionis cauſa. Nam ἐρύθημα illud φλογῶδες, vel oppreſſionem coloris natiui à diæta intemperanter inſtituta; vel καῦσον à febrili ardore; vel ἀνελκύσιες ἀνωθέουσαι, i. *reuolutiones ſurſum moleſtas* accuſat. Bilis efferæ feritate, qui cientur, hepatis vitio accepti feruntur: per ſympathiam quam facit vicinitas, vel communicatio duorum neruulorum ſextæ coniugationis. Quod quoties incidit, grauiſſimum eſſe malum denunciat. Etenim præceptoris ſcopus eſt in his febrium & aliorum morborum deciſionibus, quemadmodum in aphoriſmis libri ſeptimi; docere ſymptomata ἐπιγινόμενα, *i. propagata* morborum qui vires acquirunt eundo: ſed eorum maximè qui cæteros eiuſdem generis, prauitate præcedunt. Ergo ſingultus hepaticæ inflammationis ſymptoma erit, non leuis cuiuſdam, ſed inſignis & peſſimæ, in cuius feruentis ſympathiam ſtomachus trahi ſolet: partim communicatione neruorum, quos Hippocrates breuiſſimos eſſe dixit; ac tum ſanè ſtomachus, illius maximæ & peſſimæ inflammationis ſit particeps: partim etiam bilis multùm æſtu incandeſcentis copia, quam inflammatum viſcus, continenter gignendo & cumulando, eructat in caput & originem inteſtinorum: cuius inde affluxu & feritate, contingit vellicari ſtomacho & ſingultire. Nec deſunt etiam qui putant ſingultum ab hepate inflammato ſic naſci, quòd aluo compreſſa atque conſtricta, ſpiritus exitum habere non poſſit. Erat ex illis quæ propoſita ſunt de ſingultu quem facit concuſſio, illud extremum, vt diceremus de glutinoſo & acri humore qui contumaciter adhæreſcendo & irritando moleſtiam exhibet ſtomacho, cietque ſine intermiſſione ſingultus. Enimuero ſi ea materia tantùm ſtabulatur in tunicis alui, ſine affluxus perennitate, ſternutamento excutitur, vel hiera picra excluditur radicitus extirpata. Atque ſternutamenti auxiliares vires in Ariſtophane legimus, qui cùm ſingultiendo rumperetur, neque ſpiritum cohibendo, neque bibendo leuaretur; tandem ex præſcripto Eriſymachi Medici, citata ſternutatione, ſingultiendi finem fecit. Sed illud artificium medendi, primus aperuit ſummus præceptor. *Laborioſè & indeſinenter ſingultienti, ſuperueniens ſternutatio morbum exoluit.* Quòd ſi affluxus perennitate id fiat cum febre, proculdubio eadem prognoſeos iucundæ ratio erit, quæ fuit illius, non ita multis antè literis, explicati.

In Sympos.

58. aph. 5. lib.

17. aph. 7.

libr. 3. Epid.

aph. 13. libr. 6.

De catoche autem cum febre coniuncta, idem profectò theorema ad examinandum demonſtrandúmque in promptu erit, quod antè poſuimus, nempe; ſymptomata hæc grauiſſimorum eſſe morborum ἐπιγινόμενα, quæ ſcilicet ſuperueniunt inualeſcente morbo, vnde propagatio fit perennis affluxus, tanquam ex fontis cuiuſdam vberrimi perennitate. Vt igitur comatoſæ febres malæ: ita quæ κάτοχοι ingraueſcunt. Sed inter coma & catochen hoc intereſt, quòd in illo conniuent palpebræ; in hac ſupercilioſæ ſunt: quòd illius cauſa ſit nimia humoris abundantia, neruorum vim exoluentis; huius verò ſiccitas quæ tenſionem parit: qua affectione qui laborant, eodem ſtatu manent. Vide comment. Galeni ad 56. prorrh. ſ. 2. 1. Peſſimo autem loco ſunt catochi; quoniam huiuſmodi ferè ſunt in febre, à tranſlatione materiæ ſiccæ, quæ ipſos & ἀνθρωποὺς, i. *rubicundos* reddit, & cephalalgicos: deinde à ſuppreſſione alui quæ cephalalgiam auget, peiorémque facit. Huc accedit quòd talis catoche, non ita multò poſt, conuulſionis ſucceſſionem habet.

cōment. ad aph. 21. libr. 7.

48. 49. Ἐκ νώτου πυκνῆσι καὶ λεπτῆσι φρίκῃσι τάχ' ἕως ἀναθερμαίνοντες. δυσφόρως. Οὔρου ἀπόληψιν ἰσχυρὴν σημαίνουσι. τὸ ἐφιδροῦν τουτέοισι κακόν.

Crebri ex lumbis horrores, cum cita caloris viciβitudine, permolesti. Nam & grauisβimam vrinæ suppreβionem denunciant.

Explicatio & emendatio quærenda comment. ad 8. 10

50 Τὸ παρὰ τὸ ἔθος ποιέειν τι, οἷον προθυμέεσθαι πικρότερος μὴ εἰθισμένος, ἢ τοὐναντίον πονηρόν, καὶ πλησίον παρακοπῆς.

Siquis ea faciat quorum sit insolens, vt si appellat animum ad insueta, aut contrà; certè grauisβimum habet malum: ac tum delirium adest. 20

Magna vis est ad habitum mentis in iis quæ gignuntur in corpore, non quòd essentiam mentis mutari alterarive posse existimem, (est enim ἀναλλοίωτος καὶ ἄφθαρτος, i. *alterationis & corruptionis expers*) sed quòd in vitio sint meatus per quos ipsa permeat, quibus allabitur, tum ea quibus miscetur. Sic enim diuinus vir, diuinè. Δι' ἐκείνων γὰρ ὀχετῶν ἡ ψυχὴ ἀποχωρεῖ, καὶ περὶ ὅσα τινὰ προσπίπτει, καὶ ὅτῳ τινὶ συμμίσγεται, τοιαῦτα φρονέουσι. διὸ τοῦτο γνῶναι δυνατὸν τὰ τοιαῦτα ἐκ διαίτης μεθιστάναι. φύσιν γὰρ μεταποιῆσαι ἀφανέα οὐχ οἷόν τε. i. *Vt enim sunt affecti meatus per quos decurrit, & ad quos allabitur, quibúsque miscetur anima; sapiunt ita vel desipiunt. Itaque hæc diæta possunt emendari. At natura commutari inaspectabilis non potest.* Cuius admirandi theorematis demonstratio in aliarum prognoseon enarratione continetur. Ad præsentis prognoseos explicationem veniamus. Quantum ex omni doctrina Hippocratis, animo cóplecti possum, quatuor omnino signa reperio superuenientium deliriorum; quibus fœtæ sunt febres quæ incrementis auctæ sunt pessimis. Ac primum quidem cernitur in nugarum garrulitate & verborum obscœnitate silentio quoque ipso. Alterum in dissimilitudine morum institutorum. Tertium in sensionis vacuitate, sensuum irritatorum, actionúmque quiescentium in summa necessitate. Quartum in collocatione corporis indecora. Ergo nugarum garrulitas phrenitidis propria est: silentium melancholiæ: dictorum factorúmque proteruitas & insolentia in Socrate, etiam fugax, insaniæ: moderatio & temperantia in Thrasone; ἀναίδεια in Dealcis vxore, lethargi: supini aut proni corporis, brachiorum & crurum indecora collocatio, deliri, cuiuscunque opinionem facit. Quæ omnia cur ita sint, & ad quem morbi finem appareant; suis quæque locis [illegible], per Dei gratiam, explicabuntur. Nunc autem dixisse sufficiat; omnium deliriorum superuenientium argumenta, quæ in actionum insolentium nouo splendore, aut solitarum omissione constituit Hippocrates; omnium, inquam, notas & argumenta ex illis quatuor locis, tanquam ex fontibus, duci posse. 30 40

Ergo. Si qvis ea faciat qvorvm sit insolens.] Vt si sapientissimus Hippocrates nugas garriat, obscœna loquatur: Socrates verò sileat, vel irarum fluctuet æstu, cœptísve immanibus efferum se ostendat: iuuenis Melibœæ, sitis videatur expers in febre sitifera, idémque spiritum raro ducat in summa spirandi necessitate: Dealcis vxor modò garriat, modò sileat: postremò qui iacet manibus cruribúsque huc illuc non negligenter solùm, sed fastidiosè, sic proiectis.

Si qvis, inquam, hæc faciat qvorvm sit insolens.] Natura & educatione, diæta & vitæ instituto: vt nulla consuetudinis & mollis effœminatique animi excusatio possit adferri. 50

Vt si appelat animvm ad insveta.] i. Si appetat animo quæ antè non concupiuit: vt si suam sortem non fortè sed ratione datam, qua olim contentus vixit, non probet, sed laudet diuersa sequentes; vel si quis efferatur fastidio in suos æquales, contumacia in maiores, qui antea comitatem & obseruantiam coluit, eóque cultu bonam ætatis partem consumpsit; aut contra, si sui negligens à vitæ cursu fœliciter sapientérque instituto reuocetur, pulcherrimísque inceptis desistat: quod in melancholicos ferè cadit.

Certe gravissimvm habet malvm.] Quoniam significatio fit ægri multùm febrificis causis oppressi, quarum propagatione labefactantur animi instrumenta, quæ illustrat vel permeando vel appellando, vel etiam permiscendo. De paracope autem cuiusmodi sit in delirio, quæque illius differentiæ; quoniam scriptæ sunt prognoses; in illas commentarium differam. 60

Marginalia: lib.1. [illegible] — 16. Hist. 3. Epid.

51 Τὸ

51 Τὰ ἐν πονηροῖσι σημείοισι κουφίζοντα, καὶ τὰ ἐν χρηστοῖσι μὴ ἐνδιδόντα, δύσκολα.

Quæ prauis cum signis mitescunt, aut cum salutaribus nihil concedunt; contumacia sunt.

ADOLESCENTES fuere duo, quorum alter febre defunctus videbatur, cum vrinis tenuibus atque nigris: alter cum prætabra ventris proluuie & vrinis aqueis, curationem febris lentæ fœliciter recepisse: vterque tamen interiit, quoniam vtrique in vitio insanabili partes erant, quarum potentia corpus administratur: quod vitium antè non proditur, quàm effœtæ langueant, ex diuturna morbificarum caussarum impressione; qualis esse solet in hydrophobia ex morsu canis rabiosi; qualis in leuce & venenata lue venerea; qualis etiam in diabete, in quo renum sitis inexplebilis non antè percipitur, quàm insanabile malum sensionem sitiferæ caussæ in stomacho excitarit. Quemadmodum igitur non minùs sua debet habere bona suspecta qui repentè factus est colorațior & speciosior; quàm mala vereri qui contra consuetudinem multùm emacruit & colorem decorémque amisit: ita nemo est omnium qui de seipso possit videri securus, si antè vigil, nunc soporetur: si antè sitibundus, nunc παραλόγως superstite causa sitifera, sitis sit expers. De eius quoque bonis vereri decet, si dolore careat sine causa; si garrulus sileat, cum prauis vrinis; si ab effreni delirio & insania tremulus conquiescat; si mutationem accipiat magnæ & crebræ spirationis in raram: & quæ sunt eiusmodi. Sic Philiscus tertio morbi die visus est ἀπύρετος cum nigris vrinis; sexto interiit. Sic Pythion visus est leuari quinto die; decimo tamen obiit. Ne longum faciam, sed legibus, non exemplis complectar omnia quæ ex historiis adferri possunt ad fidem faciendam; hæc prima lex sanciatur. Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν· οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. i. *In quæ immeritò leuant, non est fidendum; nec vereri valde oportet, quæ sine causa mala inuadunt.* Altera. Τὰ ἄνευ σημείων ῥαστωνήματα, θανατώδεα σημεῖα. i. *Mortifera, quorum sine signis leuatio est, mortem subesse ostendunt.* Tertia. Δίψα παραλόγως λυθεῖσα ἐν ὀξέσι, κακόν. i. *Sitis sedata immeritò in acutis, malo est.* Quò pertinet etiam scriptum ad finem primæ, ἀσήμως ῥαστωνήσαντες θνήσκουσι. Nam febrium ipsarum insidiosa leuatio est ἄνευ λυτηρίων σημείων, i. *sine signis leuationum.* Sed causæ illius criticæ, atque signi, veritas conspicitur in angina faucium, quæ sine rubore ceruicis & sterni, aut sine purulenta screatione residit: proptereáque ἀσήμως, hic verò ἀσήμως euanuisse dicitur, ad generationem anginæ gutturalis funestæ. Pars altera mihi restat, de signis vtilibus quæ frustra apparent.

AVT CVM SALVTARIBVS NIHIL CONCEDVNT.] Quid enim? An cum pepasmo nihil concedit febris? Immo sanè frangitur. Nonne etiam phlegmone cum pepasmo puris mitescit, sine palindrome ac sine relapsu? An non pepasmus cuiusque morbifici humoris & citam crisin, & securam salutem denunciat? Dicam audaciùs, qui cum pepasmo interierit, Hippocrates vidit neminem. Quid verò somni benignitas, cibi suauitas, œconomiæ naturalis integritas, spirandi libertas; adhæc, sudorum, vrinarum, sputorum bene habita, benéque constituta excretio; nónne hæc omnia, pro cuiusque morbi natura, conuenienter apparentia, spem certam adferunt secundæ crisis? Quid igitur obstat quo minus verè fiant, ægróque proficiant? Dicam paucis quod sentio: pluris esse debet vnum prauum signum morbi alicuius, aut partis obsessæ proprium, quàm decem bona communia. Vt si pleuritico prosperæ res fluant naturalis œconomiæ, vitalis, & animalis: tamen nisi satisfaciat expurgatio materiæ bonæ, non putris, nec fœdi odoris; opinionem faciet futuri interitus. Idem, si cætera medicorũ votis respondeant, sola expectorabilis materia in vitio sit, periculo defungi vix poterit: quoniam tale sputum corruptionem partis denunciat, cuius officio vita carere nequit. Quòd si expurgatio quantitate omni expetenda, doloris vacuitatem non adferat; hic etiam spes in augusto erit: quoniam ad nobilissimæ partis oppressionem; accedit perennis morbificæ materiæ generatio, & perennis affluxus: quod ipsum vrinæ seu inflammatione multùm rubentes, aut nimia bile saturatæ, ostendunt. Quin etiam in parotidibus cum pepasmo vrinæ coniunctis; exigua curationis fiducia, si maneant suppurati expertes, propter sympathiam cerebri per progressum, aut transitum ad pulmones. Quòd si participes suppurati fiant, nec dum etiam periculo carent, si adsit cruditas: vt in pictoris ancilla; quoniam frustra materiæ in parte aliqua suscipitur concoctio, si vniuersitatis excrementa sint cruda. Ergo, cum parotidum concoctione, signo vtili, nulla fit ἄνεσις, i. *remissio* in cruditate vniuersitatis: nec in pepasmo huius vniuersitatis, vlla remissio, in parotidum cruditate & feritate.

Ergo. QVÆ PRAVIS CVM SIGNIS MITESCVNT, AVT CVM SALVTARIBVS NIHIL CONCEDVNT, CONTVMACIA SVNT.] Contumacia autem vocat, ex ancipiti alea vtriusque iudicij: quamuis τὰ δύσκολα, τὰ πονηρότερα vsurpentur.

52 Οἱ ἐφιδρῶντες, καὶ μάλιστα κεφαλὴν ἐν ὀξέσιν ὑποδύσφοροι, κακόν. ἄλλως τε καὶ ἐπ' οὔρεσι μέλασι. καὶ τὸ θολερὸν ἐπὶ τούτοισι πνεῦμα, κακόν.

In acuta febre, quibus cum anxietudine, miliari sudore potißimùm caput exudat; grauißimum habent malum; idque cùm alias, tum ab vrinis nigris. Quòd si accesserit caliginosa expiratio; damnis augentur.

FVIT semper illud Hippocratis institutum, vt Medicinæ theoremata καθ' ὅλου percepta; legibus & exemplis τῶν καθ' ἕκαστον, quasi ea quæ oculis cernuntur, visenda & examinanda propalam exhiberet, ad omnem τέκμαρσιν comparandam; cognitionis, iudicij & curationis. Quod idem in libris τῶν ἐπιδημιῶν potissimùm factitauit. Illud institutum in hoc diuino opere potissimùm cernitur, fidémque faciet proposita prognosis, cuius explicatio ineunda ad normam illius, quæ in commentario Galeni continetur, ad locum illum primi lib. τῶν ἐπιδημιῶν, vbi febrium ardentium funesta symptomata recensentur.

Ergo IN FEBRE ACVTA.] Ex ardore febrili concepto in bile, quæ substantia est tenuis, temperamento calida, qualitate acris: eáque febris inualescendo symptomatum propagatorum adiunctionem habet, & malignæ cacochymiæ.

QVIBVS CVM ANXIETVDINE.] Quæ ineunte morbo accidit à virium oppressione, per quam nec ægri vllo consistunt libenter loco, nec alacriter; sed admodum difficulter, locum mutant, omnisque figuræ impatientissimi, coguntur inuiti quiescere, ob virium oppressarum infirmitatem: propterea ἀλύοντες nominantur.

SVDORE MILIARI POTISSIMVM CAPVT EXVDAT.] i. Exiguo sudore caput madet. Sic enim capitis sudatiunculam nominauit, ἱδρῶτα κεγχροειδῆ 2. prognost. Idémque eos qui tam exiguo & miliari sudore subroscidum caput habent. [Greek illegible] i. *Pauxillum circa frontem & claniculas exudant*, &c. dixit 1. Epid.

GRAVISSIMVM HABENT MALVM.] Quoniam acuta febris specie ipsa prægrandis, tria hîc secum habet coniuncta, quæ putantur esse grauissima; inflammationem, propagationem ac translationem, & malignam cacochymiam. Quæ tria eiusmodi sunt; vt singula per se ipsa videri possint funesta, inflammatio scilicet vel potiùs ardor febrilis, per [Greek illegible] i. *consumptionem retorridam*; maligna cacochymia, per dissipationem spiritus, & caloris viuifici: translatio denique, per interceptionem officij ad vitam tuendam necessarij. Quòd si omnium syndrome sit in febre acuta: quidnam spei reliqui esse potest? Iam verò quemadmodum existere indicentur cum febre acuta, paucis aperiam. Ac primum febris acuta prægrandis, quæ vires acquirit eundo; celeritate, vehementia & assiduitate, citam crisin adfert interitus aut salutis: prout cacochymia est malignitatis expers, aut particeps: ipsáque nobilium partium complexio, propiùs aut longius abest à naturali statu. Sed difficillimum est in ea celeritate, vehementia, & assiduitate, viscera ipsa mutationem non accipere temperamenti, & complexionis, τῆς κράσιος καὶ συστάσιος. Hinc peruersio viscerum œconomiæ, & æquabilitatis gignentium, mittentium, trahentium aut suscipientium excrementa. Hinc etiam retorrida consumptio, vel exolutio viscerum, vnde cacochymiæ malignæ symptomatúmque inde nascentium, fœtura & ilias.

in 1. Epidem.

Declarant illud incendium, nigræ vrinæ, paucæ, ac tenues quæ sunt huiusmodi, nigræ quidem, peruisto iam bilioso humore: paucæ, tum ab exhausta omni sanguinis rorulenta humiditate, à febris æstu quò multùm incanduit; tum vrinæ-ductibus iam emortuis. Sed cacochymiæ malignæ feritas elucescit in anxietudine, qualem descripsimus, quæ non nisi cum oppressione virium esse potest. Eadem spectatur etiam in sudatiunculæ, potissimùm capitis, & clauicularum: ex qua significatio fit exolutarum partium solidarum, dissipatique nectaris viuifici, i. spiritus & caloris vitalis. Sequitur translatio, vel potiùs transitus & propagatio morbificæ causæ, superstite priore foco. Ea cernitur primùm in afflictione capitis; deinde in spiratione caliginosa.

Galenus negat vsquam legi [Greek illegible] apud Hippocratem: sed errat longissimè, quod pace tanti viri dixerim. Legitur enim lib. περὶ χυμῶν. Idem quoque negat aërem diei θολερὸν: sed illius animo excidit quod scripsit cōmentario ad prognosim 48.2. prognost. vbi de spumæ generatione philosophatur.

53 Ἄκρεα ταχὺ ἐπ' ἀμφότερα μεταπίπτοντα, καὶ δίψα δὲ τοιαύτη πονηρόν.

Extimarum partium cita in vtrunque mutatio, ac sitis huiusmodi; praua est.

ERAT etiã illis quæ inter febrium acutarum mala symptomata numerantur, partium extimarũ frigus; quod ipse non prætermisit, vbi ex causarum trium lethalium perspicientia, singularum signa recenset. Hoc autem signum mortiferæ inflammationis est proprium, quod is verbis expressit, *Extimi artus perfrigidi; magisque manus quàm pedes.* Nec verò pedum vlla mentio fit in Pythione, *Artuum extimorum frigus: sed manuum maximè atque capitis.* Enimvero manus & caput propiùs absunt à fonte nectaris viuifici, quàm pedes: vt credibile sit eas partes, & seriùs & minus perfrigerari quàm pedes. Sed id locum habet in paupertate & interceptione spiritus & caloris natiui, quam vocat [Greek illegible]

Histor. 3. vniuers. 1. Epid.

[illegible] [illegible] *i. spiritum in venis interceptionem.* Sed in caloris reuocatione seu retractione, quà faciunt viscera incendio conflagrantia, celeriùs & magis perfrigerantur manus & caput, quàm pedes. Quòd si & pedum æqualis refrigeratio sit, inde paupertas & interceptio denunciatur. Quæ causa est etiam cur hydropicorum pedes omnium primi tumescant: quòd illi absint longissimè à fonte caloris vitalis, i. à corde. Sed patefacta [illegible] significatione, sequentur vt quid & cuiusmodi sit illud, [illegible] ostendamus. Enimuero [illegible] propriè dicitur, *Cùm cessante & quiescente eo quod primò extitit, alterum in illum locum succedit:* vt vacuitate vnius, occupatio fiat alterius. Talem [illegible] in successione morborum agnoscimus, pleuritidis, peripneumoniæ, phrenitidis. Sed in illa successione, diuersorum locorum affectio est: hic autem vnius, i. vniuscuiusque & vniuersarum partium extimarum, capitis, manuum, atque pedum: vt non aliunde aliò, sicut à pleuritide in peripneumoniam; sed ibidem, i. iisdem in partibus, diuersarum affectionum fiat [illegible]. Illud verò, [illegible], denunciat caloris & frigoris vicissitudinem, idque per antonomasiam cæterarum qualitatū: quoniam calor & frigus, præter cætera, in partibus sentiuntur. Sed calor & frigus, non in earum qualitatum mutua moderatione consistit: sed in eo excessu, in quo summa sunt omnia, frigoris & caloris: qualia esse solent pedum & manuum cùm frigore obriguerint, aut cum ardore Solis vel ignis incanduerint. Nam, [illegible], vsurpari aliquando in iis qui cùm febrili incendio conflagrassent, facti sunt modicè alsiosi, vt febris expertes viderentur; disputatum pluribus est, comment. 1. Restat illud, [illegible], quod citam ostendit vicissitudinem, qualis non fit hyeme nec æstate: quoniam illis temporibus nec ita citò, nec ita multùm partes calore & frigore à sespsis mutantur. Tam citæ autem vicissitudinis qualitatum contrariarum valde insignium causa continetur comment. 56.

Quod superest de siti quæ citam habet vicissitudinem sensionis causæ sitiferæ, & falsò creditæ vacuitatis illius; illud pro certo tenendum, eiusmodi sitam fuisse in multis, quorum historiæ leguntur in lib. [illegible]. Atque de illa vicissitudine sensionis, [illegible] rerum naturæ molestarum, existimo scriptum fuisse, [illegible], *i. Sæpe dolorem non sentiunt*; vt illud, [illegible], citam vicissitudinem ostendere videatur.

Ergo. SITIS HVIVSMODI.] Quæ modò accensa, modò sedata [illegible] videtur: cùm scilicet æger modò est diligens, modò negligens potionis.

PRAVA.] Quoniam, quemadmodum cita mutatio partium extimarum, imbecillitatem denunciat natiui caloris & vim ardoris febrilis: ita quæ fit in siti [illegible], tum hebetudinem sensificæ facultatis; tum robur sitiferæ affectionis ostendit. Accidit etiam in hac falsò credita sitis vacuitate, vt sitiferæ affectionis non ante sensio excitetur; quàm acrior fiat sensus communis in sentiendo; & summa sit causæ & affectionis sitiferæ amplificatio. Sic & phrenitici multi sunt [illegible], *i. minime sitibundi*; multi etiam [illegible], *i. rarò venientes ad pocula. In acutis, quæ sedatur immeritò sitis, malo est.* [illegible] autem sedari dixit, cùm sine sudore, vomitu, deiectione, abscessu critico, ac sine medici epithemate, & purgatione vanescit. [Prorrh. 22. lib. 2. lib. 1. & 6. Epid. prorrh. 22. lib. 2.]

54 · Ἐκ κοσμίου θρασεῖα ἀπόκρισις, κακόν.

Moderati hominis proterua responsa, mali sunt ominis.

SI QVIS ea faciat quorum sit insolens, grauissimum habet malum. Quod cùm in aliis omnibus hominum dictis factísque locum habet, tum verò in morum institutorum dissimilitudine, quæ cernitur maximè in hominis moderati proteruo responso. Etenim morum insitorum leuis mutatio est: qui à corporis temperamento resultant, vt facilè ex temperamenti alteratione mutentur. Quo fit vt pituitosi homines irarum fluctuent æstu; contrà biliosi, feritate domita, mansuescant in morbis. Belli sunt homines melancholici, cùm incaluerint vino. At verò instituti mores dicuntur, boni quidem, qui præceptis institutísque sacrarum literarum & philosophiæ comparati, versantur in ea parte animi quæ mentis & consilij est: corúmque decus spectatur in pietate, iustitia, fortitudine, & temperantia. Quemadmodum igitur inueteratio ægriùs depellitur, quàm perturbatio; citiúsque repentinus oculorum tumor sanatur, quàm diuturna lippitudo depellitur: sic institutorum morum difficilior mutatio est, quàm insitorum. Quæ cùm inciderit, diuturnæ impressionis vestigia fixa relinquit ad summam curationis difficultatem, aut etiam desperationem. Sanabiles fuerunt mores & vitia Socratis, quæ mala corporis valetudine insita videbantur: in quem cùm multa collegisset Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, essétque derisus à cæteris qui illa in Socrate vitia non agnoscerent; ab ipso Socrate subleuatus est, cum illa sibi signa, sed ratione à se deiecta, diceret. [4. Tusc.]

Ergo vt difficillima est morum institutorum comparatio: sic etiam difficillima & insanabilis eorum depulsio. Sed moderati hominis proterua responsa eiusmodi sunt; quamuis exigui temporis; vt illa morum institutorum dissimilitudo in nullum aliud delirij genus cadat, quàm in phrenitidem. [illegible] &c. *i. Proterua responsio vel ad exiguum vsurpata tempus, furiosi est indicium animi.* Quem locum enarrans Galenus, *Si quempiam*, inquit, *audias respondentem proteruè, quanquam paulò post resipiat, ad séque redeat; animaduerte non cum febris tædio talia edere, sed in phreniticos affectus conuerti, qui deinceps accrescentes sensim, apparent ferini. Ferinas porrò phrenitidas vocat, in quibus vociferantur, calcitrant, mordent obuios quosque, ac si insanias forent.* [Prorrh. 1. lib. 1.]

55 Φωνὴ ὀξεῖα, ὑποχόνδρια τουτέοισιν εἴσω εἰρύαται.

Quibus acuta vox, hypochondria intrò sursum iis reuulsa sunt.

lib. 3. περὶ ἐλλείψ. / ἐλλειπ.

QVEMADMODVM moderati hominis dicta proterua, sunt planè phrenitica: sic etiam vox acuta quæ fuerat antè grauis, aliam phrenitidis causam aperit, quæ non in cerebro, vt illa prior iam explicata, sed in diaphragmate focum habet. Ac talem phrenitidem describens, *Ex alus quoque morbis*, inquit, *nascuntur phrenitides. Atque hæc quidem sunt quæ pati illis contigit. De dolore queruntur diaphragmatis, ita vt se contingi non sinant.* Ergo ne longius excurram in vocis acutæ, grauis, raucæ, canoræ distinctiones & causas; quæ in vocalium instrumentorum, mouentium, deducentium, modulantium, & excipientium; i. thoracis, arteriæ, laringis, atque palati & gargareonis, pulmonúmque, varia affectione: tum etiam in materiæ vocalis substantia, qualitate, copia, & exsufflatione considerari solent: pertinet illud propriè ad huius prognoseos explicationem, scire & intelligere, diaphragmatis inflammati vitio phrenitidem quoque fieri, proptereáque partem illam passim τὰς φρένας nominari. Sed diaphragmatis inflammati aut resiccati à febrili ardore, quo multùm incanduit aut etiam contracti atque quodammodo reuulsi à tunica succingente costas, ipsum etiam per siccitatem & incendium distendente; certissima signa sunt; hypochondriorum intrò sursum reuulsio, & vox acuta quæ fuerat antè grauis. Nam omne symptoma propagatum nouum est quod cernitur in mutatione qualitatum corporearum; charactere, colore, & mole; tum vero actionum ipsarum naturalium, vitalium, & animalium. Ergo vox acuta quæ fuerat antè grauis, expressionem violentam arguit materiæ vocalis, ab instrumentorum oppressione: qualis in sibilo auditur, quando spiritus per angusta viarum, qua data porta, sponte irrumpit; vel à luculento foco attrahitur ad vacuitatem replendam. Hypochondriorum autem reuulsio fit sursum intrò, non proprio vitio, sed alieno: diaphragmate scilicet obliquo situ collocato, per societatem peritonæi tunicæ quæ adiacet hypochondriis, ipsa in suæ contractionis sympathiam attrahente, paribus lineis, velut manibus quibusdam obliquis. Quid autem sit illud, εἰρύαται, Galenus explicat comment. ad 10. prorrh. lib. 2. & ad sententiam 3. part. 3. lib. 3. τῶν ἐπιδημ. Atque hæc satis sint.

56 Τὰ ἐκ καταψύξιος ἱδρώδεος ταχὺ ἀναθερμαινόμενα, κακόν.

Vel meliùs sic,

Οἱ ἐκ καταψύξιος ἱδρώδεες ταχὺ δ' ἀναθερμαινόμενοι, κακόν.

Si quis à frigore cùm sudarit, citò rursum ardeat, grauissimum habet malum.

31. prorr. libr. 2.
41. prorr. libr. 2.
32. prorr. lib. 2.

EXTAT in hanc decisionem talis Galeni enarratio. *Si quis à sudore frigidior statim reddatur, quàm è natura, ac rursum febrilis æstu incandescat; periculosè laborat.* Atqui legitur in textu, *frigus sudorificum*, non *horrifer sudor*. Sed loci διάνοιαν in prorrhetico, difficultatem hoc modo expedict. Etenim cùm superiore Aphorismo scripsisset refrigerationem partium extimarum, vel vniuersi corporis, quæ à rigore fixa manet firmiter, sine vlla caloris successione; infirmitatem vel σβέσιν, i. *extinctionem* caloris natiui palam ostendere subiecit, eam quoque refrigerationem videri mortiferam, quæ à sudore citò adfert siue adducit febrilis ardoris vicissitudinem. Est enim monstro simile, flammam sudore accendi, quæ potiùs extingui debebat: quemadmodū paroxysmi febrium intermittentium sudore mitescunt, & vis febrium ardentium. Sed id locum habet in sudore qui per excretionem fit, expultricis facultatis virtute. At cōmemoratus hic, causam habet retentricis infirmitatē, cum paupertate caloris natiui, quā declarat κατάψυξις. Iam verò cita illa febrilis ardoris vicissitudo, inde adeo fieri, mea quidē sententia, videtur, vnde & cita partium extimarum in vtrumque mutatio. Quemadmodum igitur frigus 31. prorrh. est fixum & stabile: sic 32. & huius 56. est fugax; non quidem reapse, sed appulsu frequenti flammæ in visceribus; primum quidem, vti iam dixi, accensæ; mox toto corporis habitu ἔκλαμψιν facientis, seu clarescentis.

33. Coac.

57 Οἱ ἐν ὀξέσιν ἐφιδρούντες, ὑποδυσφοροι, κακόν.

In acuta febre, quibus cum anxietudine miliaris sudor exudat; ægrotant cum periculo.

EXPLICATIO continetur comment. ad 52.

58 Οἱ παραλόγως κενεαγγέοντες ἐκ ἐόσης ἀδυναμίῃ, κακόν.

Qui abs re, nec vlla exhausti ratione, languent infirmi; mortiferè laborant.

IN PRORRHETICO decisio hæc ita legitur; αἱ παρὰ λόγον κενεαγγικαὶ ἀδυναμίαι, κενεαγγέοντι ἐκ ἐόντος, κακόν. i. *Quæ nullam vacuationis causam habent vires inualidæ,in omnis exhausti vacuitate,malum denunciant.*

Cuius prognoseos magnum est certè nomen,magna authoritas,magna quoque species ad ineundam τέχνημα bene conuenienterque medendi : quam primus Hippocrates ita constituit, Quorsum natura 10 magis opem requirit,illorsum etiam ferre oportet. Ergo si vires sint validæ cum securitate,priùs in curam morbi est incumbendum,quàm refectioni studendum. Contrà,si vires infirmæ sint ineunte morbo,ita se comparabit medicus; vt locum & opportunitatem habeat deducēdi alimentum,potiùs quàm necessitatem exhibendi,cùm minimè est opus,minimèque decet: quando scilicet instat crisis. At vires multis causis fiunt infirmæ, vt non tam infirmitate commoueri debeamus, quàm infirmitatis causa. Ac non minùs in vitio est,nec minùs peccat in commoda ægri, qui falsò credita infirmitate, cibū præscribit; quàm qui deducit vbi reuera est. Tenenda est igitur infirmitatis causa, vt ex perspicientia illius, remedia præscribamus, aut morbum oppugnando; aut vires reficiendo : prout natura est opis alterutrius indigens. Etenim qui morborum initiis contremiscunt,sanguinis detractione non rarò curantur: tametsi omnis tremoris natura in virium imbecillitate consistit : sed imbecillitatis causa tum indica-20 tur oppressio à suppressione nata, cuius proprium est remedium vacuatio; sicut annotauit Galenus in Pythione, qui febris initio manibus contremiscebat. Idem qui faciet aduersus tremorem affecto iam morbo coortum, fractisque iam viribus; ægrum profectò exitio dabit. Ergo tenenda est imbecillitatis causa, priusquam de alterutra ope naturæ ferenda statuatur : nec temerè vsurpandum vetus illud,quod in peruagato medicorum sermone versatur; Quæ à viribus indicatio sumitur, cæteris omnibus anteponenda. Etenim vires imbecillæ cernuntur in actionibus quæ tam sponte nostra προαιρετικῶς suscipiuntur; tum sua sponte ἀπροαιρέτως fiunt. Ac sponte nostra προαιρετικῶς suscipiuntur principes, sensificæ atque motrices in musculis: ἀπροαιρέτως autem, i. sua sponte , non nostra, motus cordis, & historia naturalis œconomiæ in coquendo, distribuendo, & excernendo; tum etiam quæ in singulis partibus absoluitur attrahendo, retinendo, &c. Ergo si corpus est plumbeum, ac νωθρόν : cuiusmodi esse solet eo-30 rum qui decumbendo deuoluuntur ad pedes; si respiratio minutula; pulsus exilis; nares acutæ; oculi concaui; collapsa tempora; deiectiones item lientericæ, hepaticæ; vrinæ tenues, crudæ: denique si crebra sit virium ἔκλυσις, quæ vulgo syncope nominatur; nec vlla vigiliarum, ieiunij, hæmorrhagiæ, purgationis excusatio possit adferri, palam est, talem ἀδυναμίαν quæ cernitur in officio, causam habere exolutionem τῆς ἰσχύος, quæ in temperamento partium & complexione consistit. Est enim ἰσχὺς in substantia, δύναμις in officio. Sic tempestas pestifera vel pestilentia ipsa, crebra syncopis esse solet; primùm quidem per imbecillitatem cordis; deinde verò per impotentiam micandi. Nā dissipato nectare cordis viuifico, i. vitali spiritu & calore: neque diastole sufficit ad hauriendum sanguinem è vena caua, & spiritum è pulmonibus; neque systole votis respondet in exprimenda fuligine à syrrhoë nectaris illius viuifici per arterias, tanquam per aquæductus, in vniuersum corpus. Eôdem pertinet aphorismus ille: 40 *Qui crebrò & multùm, sine manifesta causa, exoluuntur, inopinatò moriuntur.* Meliùs autem hîc παραλόγως i. *præter rationem* legitur, quàm in prorrhetico, παρὰ λόγον κενεαγγικαὶ, κενεαγγέοντι ἐκ ἐόντος, i. *præter vacuationis modum: immo vbi vacuatio nulla est.* Vbi vitium est τῆς ταυτολογίας, quæ fuit insolens præceptori φιλοσυντόμῳ i. *dicendi compendia amanti.* Nisi quis fortè distinctionem adferat τῆς κενεαγγείης vsurpatæ & pro vacuatione aspectabili, vt hæmorrhagia, purgatione tum pro inaspectabili, vt ieiunio, vigiliis, cōtentione animi. Ac de aspectabili solennis extat aphorismus. *In alui ductionibus & vomitionibus iniussis,&c.* Sic & quæ artificio fit medici, purgationi operam dando, si talis fiat, &c. De inaspectabili & occulta scriptum illud in curatione costarum fractarum. Enimuero inquit, Ην μὴ πυρετὸς ἐπιλαμβάνῃ αὐτοὺς ξυνεχὴς, κενεαγγέειν κακίον τοῖς τοιούτοισιν ἢ μὴ κενεαγγέειν, i. *Nisi fortè ipsos acuta corripuerit febris, peius est inanes esse, quàm cibi plenos.* Itaque non temerè quis illud, παραλόγως κενεαγγέοντι, refert ad τὴν κενεαγγείην 2. aphorismi lib. 1. 50 hoc autem κενεαγγέοντι ἐκ ἐόντος ad illud κενεαγγίην lib. 3. περὶ ἄρθρων. Iam ἀδυναμίας hoc loco scribi & legi, ἀντὶ τῆς ἐκλύσεως, i. *pro exolutione*, demonstrandum. Sanè Galenus nihil inter ἀδυναμίας & ἔκλυσιν interesse putat, comm. ad prorrh. 4. s. 3. 1. Αἱ μετὰ ἐκλύσεως κατόχως ἀφωνίαι, ὀλέθριαι, i. *quæ cum exolutione firmiter fixæ sunt fandi impotentiæ, mortiferæ.* Vt idem doceri velit quod illo, Αἱ ἐκ ... ἀδυναμίαι ... ἀφωνίαι, κάκισται. Quod etiam commentariis nostris mandauimus ad 22. huius. *Quæ à rigore cum cephalalgia fiunt exolutiones, mortiferæ.* Postremò commemorabile illud est quòd pluraliter scripserit, ἀδυναμίας, qui pluralis numerus idem significat quod, Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς, &c., Αἱ μετὰ ἐκλύσεως κατόχως: quemadmodum & λυγγώδεες κατόχως, i. *incessanter singultuosi*, 47 huius ex comment. ad 6. prorrh. s. 2. 1.

Histor. 1. sect. 2. li. 3. Epid.

aph 40. lib. 1.

prorrh. 8. sect. 1. 1.

aph. 40. lib. 2.

60 59 Ἐν πυρετῷ ἕλξις οἷον ἀπὸ ἐμέτου ἐς διάχρεμψιν τελευτῶσα, κακόν.

Diuturna in febre nauseabunda proritatio, screatu finiens; malum denunciat atque facit.

Ita vertendvm duxi, magis ex mente doctoris, quàm ex verborum aucupio. Sic enim ille clariùs in hanc sententiam. Τὰ ἐν ὀξέσι ἐμετώδεα ἐκλείματα, φλαῦρα. i. *Quæ vomitorio modo in acutis morbis nequicquam trahuntur, sunt funesta.* Hoc igitur spectat vt intelligamus; ægros malè affici, quando ventriculi irrita proritatio coniuncta est cum febre acuta: quemadmodum & καῦμα, & cardiogmus à feritate bilis æstu in ventriculo incandescentis, & orificium eius morsu lædentis. Qua de re solennis est aphorismus 65. Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν τὸ περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν, καὶ καρδιωγμὸς, κακόν. i. *In febribus malum quod circa ventrem est incendium cardiogmus item malus.* Et 45. huius, *Quibus cum biliosa deiectione premitur morsu pectus, amarescitque os, grauissimum habent malum.* Sed illud ἐκλείματα ἐμετώδεα, pertinet ad proritationem alui, quæ propria sponte fit alui in nausea: sicut & nostra etiam; cùm scilicet vomituriientes & nauseabundi, penna vel digito in fauces immisso, vomitionem ciere studemus, sed frustra atque nequicquam. Cæterùm ea proritatio quæ frustra fit, non minus incommoda est, quàm irrita concussio quæ facit singultum, aut quæ est ipsa singultus: de qua iam disseruimus comment. ad illam, *Qui cum laboriosa febre crebrò singultiunt, malè sunt.* Vt enim febris crebra singultibus, adiungit mala: ita quoque proritatio frequens, inflammationis metum adfert in stomacho: aut si fortè sit inflammatio iam inchoata; ipsam perducit ad summum suæ naturæ gradum. Sed eius proritationis causa est nausea contumacissima, quam parit humor efferus, qui contumaciter ad stomachi tunicas adhærescit; aut qui à visceribus continenter influit, facitque vt vomituriendo nonnihil quis difficulter vomat, nec tamen nauseæ vocationem habeat, sed potiùs incrementum percipiat. Ac sanè inter concussionem λυγμοῦ, & nauseam quæ facit ἕλξιν ἐμετώδη, hoc interest; quòd illa sit ventriculi tunicarum propria: hæc verò stomachi ipsius, qui vulgo cor dicitur: quamuis vtrumque symptoma sæpenumero simul existat.

Iam verò quòd ait, Screatv finiens, nihil aliud planè innuit quàm proritationem irritam, quæ tantùm screatus, non vomitus consecutionem adfert: tum propter humoris contumaciam; tum propter partis obsessæ infirmitatem. Quo sanè in vitio legimus fuisse mulierem cardialgicam: cui medicinam fecit Hippocrates, ptisana & succo mali punici: cuius remedij rationem docet Galenus lib. 2. de alimentis.

prorrh. 2. s. 3. i. | 47. Coac. | part. 2. libr. 2. Epidem.

60 Νάρκη ἐς ἀμφότερα μεταπίπτουσα, κακόν.

Stuporis vtrobique cita mutatio, mala est.

Stvporis natura in δυσαισθησίᾳ, i. *sensione obscura* rei molestæ, consistit. De ea scriptum reperio Νάρκη δὲ μετρίη, ὀδύνης λυτική. i. *Modicus stupor dolorem lenit.* Quod cernitur in iis qui perfusione frigidæ articulorum doloribus & inflammationibus vlcere carentibus, exoluuntur. Etenim perfusio frigidæ, causæ antecedentis perennem affluxum inhibet, coniunctæ feritatem infringit: quinetiam stupefaciendo partem affectam, impedit sensionem & perceptionem rei molestæ: in qua sensione & perceptione dolor existit: vel ipsa perceptio est atque sensio. Sed hebetudo sensus causam præterea habet, spiritus animalis paupertatem, vt in amblyopia, & vrinæ quadam suppressione; vel interceptionem, eámque duplicem, nempe compressionem nerui, vt in nephritide, *stupor femoru quod è directo*; aut inchoatam oppilationem paralyseos vel paraplegiæ prænunciam: quia spiritus animalis libertatem non habet permeandi ad eam partem à qua suscipitur actio.

Quæ cùm ita sint de natura stuporis, quæ causa videri potest citæ vtroque mutationis; vt quiescente sensu, veniat ἀναισθησία, & contra: aut si fiat ille transitus, quorsum & quamobrem mala est?

Quid enim? nonne terrifica magis est ἀναισθησία firmiter fixa, quàm quæ pressa est leuiter, quæque etiam habet vicissitudinem sensus? Non enim hic locum habet iam explicata prognosis de extimarū partium cita vtroque mutatione: quoniam illa mutatio est rei pessimæ in peiorem: hic rei minùs bonæ, vel etiam prauæ, in bonā. Est enim reapse semper in bonis sensus: ἀναισθησία verò semper omnino mala quæ sponte fit, vti iam dixi. Iamiam erumpet ex me vera vox, & dicam quod sentio; τὴν σφαλερὰν μεταπίπτουσαν, significate τὴν τῆς γνώμης citam vtroque τροπὴν: qua voce vtitur summus præceptor aphorismo 10. 5. Ac cita quidem fit vtroque mutatio sensionis, & falsò creditæ vacationis causæ molestæ, διὰ τὴν ἀμαύρωσιν τῆς αἰσθητικῆς δυνάμεως, καὶ ἰσχὺν τῆς διαθέσιος. i. *obscuritatem sentiendi facultatis, & vim affectionis ipsius.* Vnde efficitur, vt non priùs excitetur sensio in sensu communi, quàm acrior fuerit in sentiendo: ipsáque affectio summa omnia contineat suæ naturæ.

aph. 25. lib. 5. | 5. part. 1. 6. Epidem. | 55. Coac.

61 Στάξιες αἱ ἐλάχισται, κακαί.

Perexigua stillicidia, mala.

Perexigva

Perexigva sanguinis stillicidia sunt, copia & excernendi modo: cùm scilicet paucus stillatim è naribus manat sanguis. Omnia verò sunt difficilia, periculosa, atque terrifica: nisi hæmorrhagiæ liberalioris opinionem faciant, vt sæpe faciunt, quando cum vrinæ pepasmo in quartum diem incidunt, apparéntque ad hæmorrhagiam septimo die futuram. Secus enim malignos vel multos humores, naturæ dominatu regi non posse; aut infirmitatem summam ipsius naturæ; denunciant. Sed ea sunt eatenus difficilia, quatenus sinistrè iudicantia, aut mortifera. Ac sinistri quidem iudicij, in qualitate bona sanguinis: mortifera verò in mala: cuiusmodi cernitur in sanguine meraciore & nigro; qualis in Philisco stillatim manauit. Cuius distinctionis theoremata sunt 2. τῶ ὅπισθεν. Commemorabile est autem quod scripsit Galenus ad 56. prorrh. s. 3. 1. *Stillicidia vndecimo die difficilia. Cum est*, inquit, *malum omne stillicidium è naribus, tum verò mortiferum quod crassi est ac nigri sanguinis: quod quidem si in iudicem vel iudicatorium diem cadat; de eo prædicendum est certius.* Cæterum de stillicidij prauitate, permulta literis mandata leguntur apud Hippocratem: sed illa duo solennia sunt. *Si quis cum in febre laboriosa perhorruerit, nonnihil crisicè exudarit, indéque ardenter febricitarit, malum: idque cùm aliàs, tum si in hoc negotio sanguis stillarit.* Cuius difficillimæ prognoseωs explicatio petenda ex comment. ad 37. huius. Item. *Qui morbo ineunte sunt comatosi, vigiles*, &c. μάστηρ ἐν τούτοισιν ἀποστάζων, ὀλέθριον. ἥκιστα τὸ δ᾽, ἐὰν τεταρταῖοι ἄρξωνται, &c. i. *His stillantes nares sunt mortis signo, primis præsertim quaternarius.* Exempla sunt in Philisco & Pario, quorum vterque interiit, & historia vniuersali tempestatis pestiferæ in causo.

Histor. 1. 1. Epid. Hist. 1. part. 3. 3. Epid.

62 Καχὸν δὲ πάντως ἐν ὀξεῖ δίψα παραλόγως λυθεῖσα.

Omnino autem malum denunciat, quæ in acuta febre immerito sitis extincta est.

Pertinet ad perceptionem & explicationem illius in qua docetur; stuporis citam vel repentinam vtroque mutationem, malis omnino fieri rebus ægri. Quoniam non minus periclitatur is qui stupet hebetudine facultatis sensificæ; quàm cui sensio repentè excitatur per amplificationem dolorificæ causæ. Illud enim 5, aperit mentem authoris: vt hæc sententia illi iam explicatæ citima esse debeat. Iam verò nihil necesse est iterum cogitationes meas mandare literis, quas paulò antè propalam explicaui ad 51. & 53. Superest tantùm vt quid & cuiusmodi sit illud, παραλόγως, ostendam.

Enimuero παραλόγως & παρὰ λόγον idem significant: contraria autem sunt, τὸ κατὰ λόγον. aphor. 26. 2. Τῇσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσι, μὴ πιστεύειν, &c. i. *Leuationi quæ immeritò datur, non est fidendum.* Significat igitur, τὸ παραλόγως, abs te, immeritò, sine causa: quemadmodum τὸ κατὰ λόγον, iure, conuenienter, & meritò. Sed illud παραλόγως, i. *immeritò*, eiusmodi esse cernitur quando in sitifera causa nulla est potionis cupiditas vt in linguæ scabricie & rubris vrinis: aut quando in vacuitate omnium quæ sitim sedant, pepasmi, sudoris, somni, diarrhœæ, purgationis, vomitus, epithematum, falsò creditur sitis extinctio: aut quia laborat mens: aut quia concidit emortua facultas potum concupiscendi.

63 Οἱ πρὸς χεῖρα ἀναΐσσοντες, καχόν.

Qui ad manum exiliunt, malo sunt loco.

Fvit mulier quædam Thasia morosa, quæ à menstruorum suppressione febrem habuit conuulsionibus crebram: quibus quiescentibus, nugarum garrulitate & verborum obscœnitate insigniter delirauit: ad postremum vacatione conuulsionum; κῶμα ipsam subiit, & καταφορὰ καὶ πάλιν ἔγερσις ἀνήϊσσε κατέχειν οὐκ ἠδύνατο, &c. i. *Sopor, & veternum rursumque vigilia, exilit, neque contineri potuit.* Quæ historia, quid sit & cuiusmodi, τὸ ἀναΐσσειν, apertissimè planissiméque ostendit. Ac sanè hæc prognosis eò spectat, quemadmodum & huic citima, vt intelligamus quid illud sit, Ναρκώδης ἀμφοτέρως ταχὺ μεταπίπτουσα, καχόν. i. *Stuporis cita vtroque mutatio mala.*

64 Οἷσιν ἅμα πυρετῷ καυσώδει, οἰδήματα ὑπνώδεα, καὶ καταφερόμενα, ἐς πλευρὸν ὀδύνη ἐπελθοῦσα, παραπληκτικῶς κτείνει.

Quibus vnàcum febre ardente soporiferi tumores ac veternosi accidunt; dolor si latus occupet, paraplectico modo necat.

Existvnt febres ardentes, quæ principiis, crebræ sunt comate, obliuione, tum etiam vniuersi corporis exolutione, quam ἄφεσιν vocat. καὶ τῆς ἐκλύσιος καὶ ναρκώσιος, &c. i. *Neglectum ac veluti exolutionem, & segnitiem omnium corporis partium, cùm proiiciuntur paralyticorum instar.* Atque huiusmodi febres in hominum lentia.

3. Epid. in pesti-

vitam inuadunt à diuturna tempestate pestifera: qualis esse solet austrina flatu sonoro, placida, pluuiosa, & mollis exactum ad annum. Enimuero talis tempestas capita replet hominum nimia humoris abundantia: proptereáque symptomata facit κωματώδεα: quamuis ea perrarò incidant in febres ardentes, quæ potiùs repleri solent symptomatis phreniticis, quam comatosis.

Ergo. QVIBVS VNA CVM FEBRE ARDENTE.] i. Simulatque ex tempestatis austrinæ, pluuiosæ, & mollis dominatu in hominum biliosorum naturā inuasit febris ardens, per suppressionem & attractionem sc̃ti biliosi in venas, quod in peculiari natura gigni & redundare consueuit in tali tempestate austrina, quæ ad præparationem suscipientis causæ adiungit vim efficientis.

SOMNICVLOSI TVMORES.] Parotides, quarum opinionem facit, vel potiùs fidem τὸ κῶμα, quemadmodum philosophatur Galenus ad illud, *In cephalalgia, coma & surditas, ad aurem quippiam euenit. Reapse,* inquit Galenus *signa sunt hæc parotidum, si aniè sperauerimus talem fore abscessum.* Etenim qui ad caput humores cursum inflectunt, si quidem calidi sint atque tenues, deliria & hæmorrhagias adferunt: sin autem crassi & frigidi comata & parotidas. Ac sanè cephalalgia signum est vtriusque commune, sicut & surditas: sed calidiorum magis humorum consectanea est cephalalgia; frigidiorum surditas; ipsum verò coma proprium, quod pro lethargo sæpenumero vsurpatur. Sunt igitur somniculosi tumores qui prænuncium habent somnum; aut qui cum eo coniuncti sunt. Hîc autem somnus pro comate locum habebit, vt annotauimus ad 20.

prorr. 85. sect. 3. 1.

ACVETERNOSI.] i. Cum exolutione vniuersarum partium, in qua, velut in paralysi, membra cernuntur collapsa vt in iis qui deuoluuntur ad pedes: quæ affectio dicitur ὄρθια, νωθροτης, ἢ κῶρος.

lib. 3. Epid.

DOLOR SILATVS OCCVPET.] i. Si parotis pepasmō & suppurato curationem recipiat: sed intrò ad thoracem transitum habeat, vnde per ptyelismum non expurgetur; eóque ptyelismo parotis κατὰ λόγον & meritò non resideat quemadmodum annotauit Hippocrates; βῆχες μετὰ πτυαλισμοῦ ὄντες, τὰ παρὰ οὖς ἀποπαύουσι, vel λεπτύνουσι, i. *Tusses cum ptyelismo parotidas adæquant.*

prorrh. 74. sect. 3.1.

PARAPLECTICO MODO NECAT.] Non quòd paraplegia ipsa per se funesta sit; sed frigida nimium cerebri intemperies: vnde parotis & paraplegia veniunt. Sic enim philosophatur Galenus ad locum illum, *Per illam constitutionem hyeme cœperunt paraplegiæ, quæ inuaserunt plurimos, quorum citò interiere nonnulli; vt morbo admodum populari.* Consueta enim paraplegia in alicuius membri exolutione & paralysi quadam apparet: vt eadem sit paraplegia in quibusdam partibus, quæ apoplexia in corporis vniuersitate. Mea quidem sententia, idem expressisse videtur hoc loco, quod in prorrhetico, vbi ait: *Parotides prauæ sunt paraplecticis.* Cæterum vt dicam quod sentio, cùm paraplegia propriè vsurpata, sit eiusmodi qualem descripsi, proptereáque non possit haberi funesta, nisi partis vitio vnde manat; credibile est paraplegiam hîc dici pro apoplexia: quemadmodum & σκέλος [illegible], i. *crus apoplecticum*, pro paraplegia. Nam & Hippocrates narrat eos qui cum symptomatis iam commemoratis ardenter febricitabant, omnes fere ἀφώνους interiisse.

const. 3. 3. Epid. pror. 65. sect. 3. 1. lib. 5. Epidem. in cõstit. pestifera.

65 Πνιγμὸς ἐν ὀξέσιν ἐλθοῦσιν ἰσχνοῖσιν, ὀλέθριον.

Quæ dominatu febris accidit strangulatio, in faucium æqualitate, funesta.

GRAVITER *febricitanti, quanquam faucibus non tumentibus, si strangulatio derepentè superueniat mortiferum.* Itaque nos considerare fecisse videmur, explicando τὴν ἰσχνότητα faucium æqualitatem: qualis apparet in vacatione omnis tumoris atque ruboris. Nam in prorrhetico idem legimus iisdem pene literis exaratum, τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῷ ἀλγήματα πνιγώδεα, ἔχει τι σπασμώδες, i. *Dolores strangulatorii, in faucium æqualitate, conuulsionem afferunt.*

aph. 34. 4. prorr. 12. sect. 3. 1.

Hoc autem spectat, vt intelligamus; interceptionem respirationis ex insanabili causa, esse funestam, in summa spirandi necessitate. Summa autem spirandi necessitas cernitur in febre acuta: respirationis autem interceptio, in angina primæ speciei, quæ insanabilem habet causam, i. tumorem musculorum propriorum laryngis. Sed de angina loco dicetur pluribus: hîc autem sufficiat scopū authoris aperuisse.

66 Ἐν τοῖσιν ἤδη ὀλεθρίοισι τὰ σμικρὰ τρομώδεα, καὶ ἰώδης ἔμετος, θανάσιμα.

Quibus iam desperatis, leuis tremor incidit, & vomitio æruginosa; mors prope est.

QVIBVS IAM DESPERATIS.] Quibus tota morbi historia cum symptomatum vehementia, signorum prauitas semper coniuncta fuit: vt si cum fastidio, vigiliis, cephalalgia, difficultate spirandi, delirio, siti inexplebili, apparuerint vrinæ prærubræ perturbatæ. Denique si & incendio; & maligna cacochymia; & nobilium partium oppressione; terrificus iam inde ab initio fuerit morbus.

LEVIS

LEVIS TREMOR INCIDIT.] Qui cernitur in subsultu & gesticulatione manuum, lingua tremula, dentium etiam collisione à delirio. Præstat enim delirium superuenisse tremori, quàm tremorem delirio. Et, phrenitici sputatores, indéque fanatici, tandem tremuli moriuntur.

MORS PROPE EST.] Collapsis omnibus naturæ præsidiis, cùm antè in angusto spes esset, hic desperata omnia.

Est autem leuis hic tremor, symptoma cerebri post alterationem magnam, vt in phrenitide & insania, alienati: proptereáque insanabile. Talem tremorem annotauit in Theodori vxore. *Tremulæ factæ sunt manus, quæ mortuæ, conuulsæ sunt.* Sic & Dealcis vxor contrectabat, auellebat, radebat, legebat festucas. 7. Epid. Hist. 15. part. 3. libr. 3. Epidem.

10

67 Οἱ ἐν τῇσι ποτοῖσιν ὑποψοφέοντες, καὶ ὑποβορβορίζοντες ξηρῇσι, καὶ οἱ χαλεπῶς καταβροχθίζοντες πνεύματι βηχώδει· ὀλέθριοι ἐν ὀξέσι καταψυγμένοισι.

Quinetiam qui cum strepitu & murmure quodam bibunt in siccis, difficulter item deglutiunt cum spiratione tußiculosa; sunt desperati: præsertim si acutæ febris accesserit perfrigeratio.

20

SVNT etiam symptomata hæc planè funesta, quæ cernuntur in studiis ægri, quando illis actio non respondet: vt certè fit in summa difficultate bibendi, ac cibi capiendi. Ac talis difficultas visa est in Theodori vxore. Οἱ ψόφοι ἐν πίνουσι μεγάλοι ἐγίγνοντο, ἀποπτύουσι, καὶ ἀνεῖς ῥῖνα ἀφρώδη, i. *Sonitus bibenti magni, sputando potum reuiciebat naribúsque.* Quales etiam dicuntur esse phrenitici. Οἱ φρενιτικοὶ βραχύποται, ψόφου ἁπτόμενοι ... τρομώδεες. i. *Phrenitici bibentes raro sonitum edentes.* Quo loco, pace Galeni dixerim, illud, ψόφου ἁπτόμενοι, spectat ad ipsum bibendi modum. De permolesta autem pérque difficili deglutione, solennis est aphorismus. Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον. i. *Si febre correpto collum derepentè peruertatur, ac vix deglutire possit, cum nullus adsit tumor; lethale.* Prorr. 16. sect. 1.

30

68 Τὰ ἐν χερσὶ καὶ ποσὶν ἐρυθήματα, ὀλέθρια.

Manuum ac pedum in febre acuta rubores, funesti.

ΕΡΥΘΗΜΑ dicitur hoc loco rudi & crassa Minerua, signum inflammationis aspectabile, non autem symptoma κατ' ἐξοχὴν, quod principatum obtinet, nempe dolorem. Sed vt rubor locum habet in aspectabili phlegmone: sic etiam dolor in occulta. Est igitur ἐρύθημα, phlegmone, erysipelas, carbunculus quoque & herpes: vt eo nomine inflammationis omnia genera contineantur. Ergo si rubent manus & pedes in febre acuta, certum est, illum ruborem venisse per ἀπόστασιν aut μετάστασιν. Si per ἀπόστασιν accidit, semper in vitio esse solet: quemadmodum πρόσωπον εὔχροον ἢ τὸ λίην ἄχρουν ... i. *Facies aut coloratior aut pallidior*: & angina faucium, quæ, per ἀπόστασιν, cooiunctum habet ruborem ceruicis & sterni, cum amplificatione tumoris ipsarum faucium. Sin autem per μετάστασιν rubore suffundantur, palam est fluxione inchoata, nec morbo pari, id fieri.

40

69 Οἱ ἐκφυσῶντες, καὶ ἀνακεκλασμένοι, καὶ ὑποβλέποντες ἐν τοῖσιν ὕπνοισι, κακόν.

50

Qui dormiendo efflant, atque proiectos artus aut etiam retractos ostendunt, conniuéntque oculis; malo sunt loco.

MAGNA sunt argumenta prognoseos, quæ ex decubitu, somnique capiendi ratione & modo petuntur. Vt enim naturaliter quis decumbit firmis naturæ præsidiis, & mitiore morbo, in alterutrum latus; ex eóque decubitu maior libertas spirandi comparatur: ita si pronus iaceat, aut etiam supinus, cum extraordinaria artuum collocatione, opinionem facit grauioris morbi, effœtarum virium, ac delirij quoque ipsius. Idem qui suauiter somnum init, cum libertate spirãdi, commissis molliter vtrinque palpebris, ac modicè reflexis cruribus & manibus, & ex animi sententia naturæ dormiendo satisfacit.

60

QVI DORMIENDO EFFLANT.] i. Qui dormiendo edunt ἐκφύσησιν non ἐκπνοὴν naturaliter constitutam, properata musculorum intercostalium contentione ad excretionem fuliginosi excrementi, quod suffocationis metum adfert nimia abundantia quam impuritas cordis æstu incandescentis pa-

17.1. progn. 32.Coac.

rit: vnde non ita multò post minutula respiratio, cùm in propinquo mors est. In ea autem efflatione dormiunt hianti ore, eum strepitu, & stertore efflantes πνεῦμα θολερὸν. i. *spiritum crassum & perturbatum.*

Atqve proiectos artvs, avt etiam contractos ostendvnt.] *Distentio corporis artuúmque rigor, omnimóque exolutio, infractióque membrorum; malum.* Et in prognostico. *Quòd si pedes ostentans nudos à medico deprehendatur, manus & crura collúmque sine more & modo iactans; malum.*

70 Ικτεριώδεες, καταχορέες, θνήσκουσι· λευκὸν διαχώρημα τουτέοισι προσδιεκχέεται.

Icterici multùm fœdati, vel saturata bile perfusi, pereunt: alba deiectio iis secedit.

Explicatio commentario ad 38.

71 Αἱ ἐν πυρετοῖσιν ἐκστάσιες σιγῶσαι, μὴ ἀφόνῳ, ὀλέθριαι.

Qui cum silentio è potestate mentis exeunt; nec voce sunt capti, mortiferum habent malum.

Qvemadmodvm aphonia cum exolutione coniuncta, mortem denunciat: sic etiam insania taciturna superstite vocis libertate. Est enim ἡ ἔκστασις deliriũ in quo summa sunt omnia mentis perculsæ aut alienatæ, vnde fanatici homines nominantur. Sed eius insaniæ progressus huiusmodi esse solent, vt lacessito primùm cerebro à bile perusta, exoriatur insania melancholica, quæ cernitur in cœptis immanibus fanaticorum, qui paulò antè phrenitici fuerant: quoniã bilis atræ sunt acriores morsus, quàm flauæ. Quo fit vt illa ἔκστασις μελαγχολικὴ, i. *excessus melancholicus* appareat θρασώδης, i. *ferinus.* At verò quemadmodum fetitate bilis atræ, fit ἔκστασις illa μελαγχολική: sic alienatio cerebri à diuturna & vehementi alteratione, cùm scilicet exaruerit, aut inebriatum fuerit, vt lanæ inficiuntur veneno fucatæ Assyrio; tum pro clamore, silentium; pro iactatione, quies; pro artuum euibratione leuis tremor; pro vigiliis, coma & cataphora veternosa. Quales fuisse narrat phreniticos in pestilentia. Quò spectat illud, Αἱ τρομώδεες ἀσφώδεες παρακρούσιες τῶν φρενιτικῶν, &c. Quæ omnia symptomata conspexit & annotauit in Dealcis vxore, quam scripsit, exactum ad morbum fuisse ἄνευ σιγώσης; nec tamen voce captam, quòd vicissim fleret atque rideret, tum etiam, quòd nugas garriret. Ex quo efficitur, commemoratam hic insaniam cum silentio, symptoma esse deprauati animi, potiùs quàm cerebri sicci.

72 Τὰ πελιδνὰ γινόμενα ἐν πυρετῷ, σύντομον θάνατον σημαίνει.

Quæ liuent in febre, mortem significant breui venturam.

Gal. ad 5. 2. progn.

Bene ac fœliciter ad salutem ægri res erunt, quando æqualiter & molliter calet corpus. Et verò talis constitutio principatum obtinet inter eas quæ in bonis ducuntur: proptereáque ἀρίστη διάθεσις, i. *optima dispositio* nominatur: sed ea lege vt par sit æqualitati caloris, partium ipsarum mollitudo. Nam febrium καυσωδεστάτων, i. *ardentissimarum,* æquabiliter calor diffusus percipitur: sed in vitio est acrimonia & qualitate mordaci, tum etiam partium calentium siccitate. Quòd si ad eam caloris æqualitatem, & partium mollitudinem, accesserit ægri alacritas in assurgendo & conuertendo; nihil optari potest à medico quod ipse malit: quoniam ex ea constitutione quæ omnium est optima, significatio fit trium facultatum in suo cuiusque officio vegetarum; & principiorum cuiusque facultatis propriorum, benè & firmiter constitutorum, cerebri, cordis, & hepatis. Contrà si plumbeus homo sit qui ægrotat; neque in assurgendo & conuertendo alacer; opinionem facit pigræ nimium facultatis motricis, exolutíque neruorum principij. Ad hæc si eidem liueant digiti atque vngues, ex illo tum decidit omnis spes medici; immo προσδόκιμος ὁ θάνατος αὐτίκα i. *citò mors venit expectanda*, vt ait 2. prog. Quoniam liuor ille partium extimarum, nihil superesse arguit reliquiarum nectaris viuifici in corde ipso. Ac sanè liuor tam malè audit, vt semper extinctionem vel interceptionem spiritus & caloris vitalis denunciet: idem verò de nigrore semper suspicari non liceat: quia sæpenumero talis apparet in extimis partibus, prolapsu materiæ morbificæ per abscessum, qui leuationem si adferat, superstites maneat ægri, sola pars excidit quæ nigrorem conceperat. Itaque verissimum illud est. *Nigri omnino digiti minùs sunt mortiferi liuidis:* vt verè illud videatur esse dictum; partes extimas non rarò nigrescere per transitum: semper autem liuescere per progressum, nec vnquam absessus opinionem adferri.

73 Οἷον

73 Οἷσιν ἐν πυρετῷ, ἀλγήματος πλευροῦ γινομένου, κοιλίη ὑδατόχολα πολλὰ διαδιδοῦσα, ῥηΐζει· ἀσιτίαι δὲ παρακολουθοῦσαι, καὶ ἱδρῶτες μετὰ προσώπου ἀχροίης, καὶ κοιλίης ὑγρῆς, καὶ τῆς καρδιαλγίης· οὗτοι μακροτέρως νοσήσαντες, περιπλευμονικῶς τελευτῶσι.

Quibus in febre, lateris dolor incidit, si quidem perliquidis & biliosis profusè aluus feratur, mitescit: sin autem collapsa maneat appetentia, ac tum sudores cum saturato faciei rubore prorumpant, fluente aluo, & superstite cardialgia; hi cùm diutiùs ægrotarint, peripneumonico modo intereunt.

Omnis plenitudo vacuatione sola exoluitur, siquidem ipsa cacochymiæ malignæ sit expers, nec vlla sit inflammatio in parte obsessa. Nec verò inflammationis fixæ remedia possunt aliunde sperari, quàm ex pepasmo, & liberali ac libera humoris morbifici excretione; quatenus huc illuc cursum inflectit impulsu naturæ & propria obsessarum partium conditione. Notæ sunt crises peripneumoniæ, pleuritidis, hypochondriorum inflammatorum, &c.

In febre.] Magna tam specie, vt acuta; tum indiuiduo, vt quæ vires eundo acquirit: quia nihil concedit, sed contrà propagationem habet causæ morbificæ, quo ipsa viam affectat.

Quibus lateris dolor.] Non quidem pleuriticus, qui sensione inflammationis tunicæ costarum ac musculorum intercostalium, excitatur; quoniam is liberali profluuio alui non exoluitur: sicut nec vlla partium nobilium inflammatio; nec vlla repletio, quæ coniunctam habet malignam cacochymiam. Sed lateris dolor, qualem expressit infrà ; *Cum dolore lateris, non tamen pleuritico, nonnullàque perturbatione, hi euadunt phrenitici.* Et in aphorismis iam nominata pleuritide; πόνοι, inquit, πλευρῶν, *i. labores laterum.* Quæ symptomata sunt febris progressum facientis, nec dum tamen phlegmonicam inueterationem habentis.

Si quidem liquidis et biliosis cumulate aluus feratur.] Si quidem morbificis excrementis ducatur aluus, naturæ imperio, nec dominatu morbi symptomatica sit illa excretio. Atqui naturæ imperio vacuationem suscipi, declarat effectionis ipse modus, qui cernitur in qualitate, copia, & excretione humoris prorupti; deinde in consecutione, quia dolor mitescit. Mitescit, inquam, vt in Larissæa virgine: *Tertio die proruperunt hi tosa liquida, indéque sequentibus; quod totum alacriter tulit.* Sed non mitesceret in cacochymia maligna, cuius perennis generatio est in partium vitio & colliquatione: quæ causa est, cur alui profluuium in pestilentia sit funestum.

Gal. comment. ad hist. Lariss.

Sin autem collapsa maneat appetentia.] i. Si alui ductio atque profluuium consecutionē adferat τὴν ἀποσιτίαν: quale symptoma obseruauit in iis qui, sæuiente pestilentia, profusiore aluo fuerunt, *à cibis omnino alieni.* Est autem ἀποσιτία species τῆς ἀνορεξίας: quemadmodum & ἀσιτία. Sed inter ἀσίτους καὶ ἀποσίτους hoc interest, quòd ἄσιτοι sint, qui cibos non capiunt; ἀπόσιτοι verò, qui cibos auersantur, & quasi quodam fastidio contra eos efferuntur: quod genus ægrorum notauit. *Quæ deiiciebantur dolores minimè sedabant; ad ea quæ offerebantur, non nisi cum difficultate veniebant. Purgationes profectò læsere permultos.* Et in puerpera. Πρὸς δὲ τὰ γεύματα ἀποσιτικῶς εἶχεν, *i. In cibos omnes auersa erat animo.* Tantæ autem molestiæ causam ad morticinium naturalis facultatis referendam putauit Galenus, atque illius signum posuit τὴν ἀνορεξίαν.

hist. 2 vniuersali 1 Epid. sect. 3 lib. 4. Epidem. Hist. 2.

Collapsa appetentia.] Vt in Pario, cui profusior fuit aluus crudis humoribus: vel quod ad propriam huius loci explicationem pertinet. *Patet hoc cibi non appetiti symptoma phthisicu adueniré, illabente in stomachum eius catarrhi parte, qui in pulmones & laryngem decidebat.*

lib. 7. Epid.

74 Πυρέσσοντι, ἐν ἀρχῇ μέλαινα χολὴ ἄνω ἢ κάτω διελθοῦσα, θανάσιμον.

Si cui febris initio, bilis atra sursum deorsúmve exeat, mortiferè ægrotat.

Excretionum quæ in vitio sunt, quæque dominatu morbi suspiciuntur & fiunt, nulla est omnino tam mortifera, quàm bilis atræ. Est enim bilis atra pessimum excrementū, quòd feritate indomabili cæteris omnibus antecellit, triáque illa secum habet coniuncta quæ vim naturæ adferunt, quæque illius præsidia maximè labefactant, τὸ δριμὺ καὶ τὸ διαβρωτικὸν, καὶ τὸ ὀξῶδες, *i. acre, erodens, acidum.* Quæ causa est, cur dysenteria inde nata sit insanabilis: quemadmodum & cancer exulceratus. Atque

aph. 21. 4. aph. 24. 4.

inter bilem atram & melancholicum humorem tantum interest, quantum inter ferrum candens, & igne intactum. Nam lienosi qui sunt eiusmodi lienis duritate quam peperit diuturna humoris melancholici infarctura, dysenteria superueniente sanescunt: *Secessu, translatione, & vacuatione infarctorum lieni humorum melancholicorum, crassorúmque.* Et verò maniam ab humore melancholico gigni posse negat Galenus, nisi is perustione aut corruptione singulari, acrimoniam comparauit malignam. Nam quod idem author alibi scriptum reliquit, hæmorrhoidas & varices insaniæ vacationem adferre; Galenus commentario disertè scripsit, maniam illo loco vocari melancholiam propriè dictam, quæ tamen à bile non venit. Sic autem philosophatur. *Varix est hiatus aperta in coxendicibus & tibiis vena à sanguine melancholico, quem natura in partes repellit ignobiliores, qui humor furorem committebat: tum verò maximè cum crassus fuerit & melancholicus, horum est consecutio symptomatum, & illius solutio.*

aph. 45. & 48. 6. cōment. ad apho. 51. 6. aph. 21. 6.

Quæ cùm ita sint, ne longiùs excurram, planè efficitur; atram bilem quæ febrium initiis diu paulatim exit, & maligna cacochymia, & tempore morbi, & excernendi modo; denunciare & facere mortiferum malum. Ac primùm qualitate ipsa, quæ omnium pessima est, maliciam arguit partium vnde manat, necnon humoris vtriusque vnde gignitur, biliosi & melancholici, perustionem, aut corruptionem. Temporis verò distinctione noxia est. Etenim *per morborum initia excretio nulla suscipitur imperio naturæ: sed huiusmodi omnia symptomata sunt contra naturam affectionum.* Quo tempore natura morbificis causis » opprimitur, éstque humorum cruditas, vt ineunte morbo; tum certè non potis est salutariter quic- » quam excerni. Quod autem attinet ad ipsum excretionis modum; palam est fieri per ἄτονίαν, i. *laxitatem*, qualis esse solet dysenteria diuturna cruenta, non autem quæ citò prorumpit & liberaliter: quæ quia non est multorum dierum; propterea nec mortifera, nec auersionem cibi parit. Sed huius humoris effera vis non minùs incommodat partibus per quas repit, quàm earum vnde manat, labem & noxam arguit. aph. 22. 4.

aph. 22. 4. lib. 4. κατ' εἰάφειαν.

75 Οἱ μετὰ καταψύξιων οὐκ ἀπυξῳ ἐφιδροῦντες ἄνω, δύσφοροι, φρενιτικοί τε καὶ ὀλέθριοι ἐν ὀξεῖ.

Quibus cum crebra perfrigeratione febri adiuncta, sudor miliaris sursum exudat, vnáque iactantur, phrenitici ac desperati, in acuta febre, redduntur.

Exsistit symptomatum omnium complexio atque concursus, quæ in acutis febribus funesta esse dicuntur: qualia ipse recensuit primo τῶν ἐπιδ. *Statim namque ab initio acuta febris cum rigore exiguo, vigiliis, anxietate, siti, iactatione, sudatiuncula circa frontem & claniculas, delirio multo, timore, metu, frigidis extimis, pedibus manibúsque, sed manibus præsertim.* Symptomatum porro illa, principia causásque ducunt ab inflammatione, venenata cacochymia, & translatione symptomatica: quæ sunt omnino tres causæ funestæ in omnibus morbis acutis.

Ergo. Qvibvs cvm crebra perfrigeratione.] Quæ mortiferum maximè est febrium acutarum symptoma, & signum: quia cùm illud præter cætera sit proprium τῶν καύσων, vt in acutis febribus extimæ partes incandescant æstu; si fortè perfrixerint, opinionem faciunt, visceribus incendio conflagrantibus sanguinem in præcordiis & interioribus hypochondriis coactum subsistere: proptereáque partes extimas suo nectare viuifico defraudatas perfrigerari, & emori, tanquam à natura desertas. Ac ne plura adferam quæ sunt hac de re plurima apud Hippocratem; commemorabo illud quod huius symptomatis causam disertè exprimit: *Caput & manus ac pedes perfrigerari, malum, ventre costísque incalescentibus.*

aph. 4. l. 2. prognost. prorrh. 7. f. 1. 1.

Febri adivncta.] Vt nulla sit excusatio frigoris periodici, aut refrigerationis criticæ, febre execta: sed culpa viscerum incendio conflagrantium, quod sine febre non fit: qualis perfrigeratio symptomatica docetur illa prognosi. *Æstus, extincta febre, in hypochondrio superstes, malus.*

Svdor miliaris svrsvm exvdat.] Vnde vel oppressio, vel exoluta vis partium significatur: quod sæpenumero iam demonstrauimus.

Vnaqve iactantvr.] ἀλυσμῷ symptomatico, qui sperabilem crisin non facit, qualem descripsit 40. huius. *Quæ diebus criticis iactatio incidit, cum frigore, ac sine sudore, mala.* Et 52. *In acuta febre, quibus cum anxietudine, miliari sudore subroscidum caput est, grauissimum habent malum.*

1. Epid. in signis causi funestis.

Phrenitici ac desperati in acvta febre reddvntvr.] Enimuero phrenitici fiunt propter febris calorem quo caput conflagrat. Desperati verò, quoniam ad nobilissimæ partis oppressionem, accedit perennis morbificæ materiæ generatio, & perennis translatio.

76 Τὰ ἐπ' ὀλίγον ὀξέα ἀλγήματα, ἐς κληῖδα, ἢ τὰ ἄνω πίπτοντα, ὀλέθρια.

Doloris

Doloris acerbitas paulisper in iugulo fixa, si ad superiora vertatur, mortiferum adfert malum.

QVEMADMODVM qui circa coxas, i. lumbos & inferiores patres oborti dolores, si ad viscera transierint coxis relictis, mortem denunciant: sic etiam acerbi clauicularum dolores, quorum falso credita leuatio est. Notum est illud. Καταπληκτὸν δ' ἐστὶ καὶ ἐκ μηροῦ ὀσφύος ἀλγήματος, i. *Terrifica est etiam, doloris a femore sursum irruptio.* Cuius prognoseos ratio & explicatio petenda primùm ex historia Calui cuiusdam Larissæi, quem dolor huiusmodi per excursum ad exitium præcipitauit. Hippocratis verba sunt hæc. *Tertio die coxendicis quieuit dolor, mentis autem mansit perculsio atque iactatio, plurimum murmur: quarto sub meridiem crudelissimè interiit.* Repetenda est etiam ex commentario Galeni ad prorrh. 1. s. 2. 1. Quinetiam lumborum anadrome quid faciat, docetur 35. & 51. prorrh. Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομὴ, ὀφθαλμοῦ διάστροφοι, κακόν. i. *Ex lumborum ascensu oculi peruersio mala.* Quem locum enarrans Galenus ait, ex hac sententia nihil aliud complecti animo quempiam posse, quam, quòd lumbarium dolorum ad superiora translatorum fere sit particeps neruorum origo; cuius quidem symptoma proprium est, inter cætera, oculorum peruersio. Quid verbis opus est? hoc vnum spectat hæc prognosis, omnem translationem, omnémque excursum, qui ἀπόστασιν non habet. i. *exitum*; terrificum iure videri, atque non rarò funestum, siue mortiferum esse. Quod cuiusmodi sit, videamus. Sanè iuguli dolor commune symptoma est pleuritidis, & hepatis inflammati: sed illic per ἕδραν καὶ γένεσιν, i. *loco & generatione*; hic verò per συμπάθειαν: illic νυγματώδης, i. *punctorius*: hic verò τονώδης, i. *tensiuus.* Nam de symptomatico iuguli dolore ab hepatis phlegmone, antea iam scripsit ad hunc modum. *Si cui sine febris vacuitate, sudatiuncula crebra, cum hypochondrij tensione continuata fit, malè illi est: sed multò peius, si et dolores ad iugulum & acromium se obfirment.* De pleuritico autem iuguli dolore scriptum illud habemus. *Quando ad clauiculam sese extendit cum grauitate dolor, indéque ad brachium, secare iuuat venam interiorem cubiti.* Quo loco Galenus annotauit, τὸ βάρος, propriam significare sedem affectam: qui autem per sympathiam veniunt dolores, facere tensionem, non grauitatem.

Celsus et 6. libri 2. ex 33. huius operis, sed maximè ex prognost. vbi de lumbarium dolorum μεταστάσει agitur, quos vocat ἀποστάσεις. Hist. 5. part. 3 li. 3. Epid. 13. Coac. 2. de acut. diætæ.

Quæ cùm ita sint, perspicuum est, hanc doloris acerbitatem in iugulo; potiùs ad pleuritidem referendam esse, quàm ad symptoma hepatis inflammati. Quoniam hepatis inflammatio tensionem facit: pleuritis verò dolorem punctorium & grauantem: quæ duo planè sunt acerbiora, quàm tensio.

PAVLISPER IN IVGVLO FIXA.] i. Pressa leuiter ad exigui prædicationem temporis, non fixa firmiter ad diuturnitatem: quia ὀλίγον habet, quod significat ἐπ' ὀλίγον: vt in eo. Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι ἀποκρίσεις, θηριώδεις εἰσί. i. *Proterua paulisper responsa, effera.* Et alibi, τὰ ἐπ' ὀλίγον θρασέως ἀποκρινόμενα, μελαγχολικά. i. *Proteruè paulisper dicta, melancholica.*

25. prorrh. 1.

SI AD SVPERIORA VERTATVR.] i. Si transitum habeat ad caput (id enim significat πλανᾶται, pro μεταπίπτει.) Est autem μετάπτωσις, quando quiescente eo quod prius extitit, alterum symptoma succedit. Quòd autem metaptosis fiat ad caput, declarat illud vel maximè. Καὶ τὸ ἄνω πλανώμενον, vbi legendum videtur, Καὶ ἐς τὰ ἀνωτέρω πλανᾶται: vt idem hoc loco significetur, quod in prorrh. 5. s. 3. t. *Lateris dolor qui cum sputo bilioso sine causa euanuit, excessum affert mentis.*

MORTIFERVM ADFERT MALVM.] Propter translationem pessimam infernè sursum ad nobilissimam partem, materiam indomabilem, symptomatum vehementiam, & officij ad vitam tuendam necessarij, vacationem.

77 Ἐν μακροῖσιν (ἤδη) ὀλεθρίοισιν, ἕδρης ἄλγημα· θανάσιμον.

In diuturnis morbis (iam) exitialibus, dolor ani, mortiferus.

MORBI diuturni exitiales sunt phthisis, tritæophyæ febres, hydrops: qui sunt eiusmodi partium obsessarum vitio, generationis perennitatem habentium: vt phthisis, ab vlcere maligno pulmonum; hydrops à μαρασμῷ ἀφρυγεῖ i. *consumptione retorrida* hepatis, vnde alienatio facultatis sanguificæ. Nam tritæphyarum febrium calamitatem in his tribus annotauit Hippocrates, in diuturnitate, laboribus multis, & colliquatione: Τοῖσι μὲν δὴ χρόνον συχνὸν, καὶ πόνον, καὶ συντήξιας, i. *Post longum tempus, multósque labores, & colliquationem assiduam. Quæ autem illis contigere hæc sunt; dysenteriæ ac tenesmi, hydropes.*

IN DIVTVRNIS MORBIS.] Quorum diuturnitas in pepasmi difficultate ob materiæ contumaciam; in maligna cacochymia; vel in vitio partis consistit: vt tritæophya febris epidemica, & phthisis etiam sporadica.

IAM EXITIALIBVS.] Diuturnitate; symptomatis grauissimis, quibus sunt crebri, & colliquatione maligna: vnde naturæ infirmitas dominatu morbi tenetur.

DOLOR ANI CITISSIMAM MORTEM ADDVCIT.] i. Superueniente dysenteria, siue tenesmo, celeriùs moriuntur, quàm quis putasset. Quoniam tales abscessus naturæ iam effœtæ, sunt intolerabiles, tum vacuatione symptomatica; tum ipsa doloris acerbitate, qua nihil est quod magis faciat corpus infirmum. Ac vacuatio quidē symptomatica est per diarrhœam in phthisi, & in affecta pleuritide. Namque vt silentio præteream quæ Galenus annotauit ad aph. 14. lib. 5. vbi docet, diarrhœam non tam citò in phthisi funestam esse ipsam per se, quàm si cum pilorum defluuio coniuncta, esset; proferam illud quod idem scripsit ad illum aphorismum. *A pleuritide aut peripneumonia malè habito; diarrhœa superueniens, mala. Partium,* inquit Galenus, *affectiones aliarum alia non continuò suscipiunt, nisi cùm adest vehemens affectio.* Deinde propositis exemplis quæ à pulmonibus petuntur, & hepate, subiicit. *Sic igitur partibus respirationi*

aph. 17. libr. 6.

dicatis multùm grauitérque affectis, malè officium suum facientibus ; hepar contagione afficitur : quod ipsum apertissimè declarat, dum ait, *Si cui in dominatu pleuritidis diarrhœa superuenerat.* Etenim qui pleuritidis aut peripneumoniæ dominatu tenentur, iis diarrhœa tandem accidit, *quòd alimentum hepar, nec ad sese trahere, nec in sanguinem possit conuertere. Ipsum verò alimentum sæpe corrumpit venter.* Sed authoritatem maximè illud facit. *Quibuscumque acuto vel diuturno morbo, aut vlcere, aut alio quouis modo extenuatis, bilis atra sanguini persimilis deijcitur ; postridie moriuntur.* Iam verò quod attinet ad dolorem ani, palam est eo significari ; humorum κατακορέων καὶ ἀκρήτων, i. *syncerorum & viridium* deiectionem. Sunt autem illa excrementa vlcerifica sedis & intestinorum. Cuiusmodi autem sint τὰ ἄκρητα, & quæ huiusmodi, cùm alibi passim docetur; tum verò disertè comment. ad illum aphor. Ἐν νόσῳ πολυχρονίῳ διαρροίῃ καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν, i. *Syncera in diuturno morbo deiectiones, malè.* Et illum, Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερία, i. *Syncera deiectioni dysenteria superuenit.*

aph. 4. lib. 7.
aph. 23. lib. 7.

78 Τοῖσιν ἀσθενέως ἤδη διακειμένοισι, μὴ βλέπειν, ἢ μὴ ἀκούειν, ἢ διαστρέφεσθαι χεῖλος, ἢ ὀφθαλμὸν, ἢ ῥῖνα θανάσιμον.

Quibus iam morbo fractis, videndi vis audiendíve perit: aut etiam labiorum, palpebrarum, vel narium peruersio cernitur, mors instat.

IN HAC prognosi continentur signa iamiam futuræ mortis, cùm antea spes in angusto esset. Ea verò cernuntur in qualitate & actionibus corporis multùm à se mutati : quemadmodum superioris aphorismi, in excrementis.

QVIBVS IAM MORBO FRACTIS.] Diuturnitate, symptomatum vehementia, & colliquatione maligna: siue illa debilitas & virium exolutio fit κατὰ λόγον κενώσεως, ἢ παρὰ λόγον, i. *per manitionem aut citra*: ac si diceret. Si cui collapsa facultate vitali, & naturali, ac sine vlla spe crisis (quod significatur illo, ἐν μὴ διαλύσαντι τοῦ κακοῦ:, vbi sententia hæc legitur, & à Galeno explicatur.

58. Coac.

aph. 45. libr. 4.

VIDENDI VIS AVDIENDIVE PERIT.] Labefactata parte alterutra, vel vtraq; cerebri, vnde videndi vis, audiendíve manat. Sunt enim multæ mansiones in cerebro, quarum integritas variaque vitia, propriis cuiusq; neruis in sensuum instrumentis apparent. Quò plures autem labefactantur, eò deterius est ægro. Nam sola surditas morbi acuti & turbulenti consequens, ipsa per se terrifica est: quòd ea partis illius cerebri exolutionem denunciet, in qua facultas audiendi locum habet. Nam de mortiferis oculorum signis, permulta sunt accuratè scripta in hoc diuino opere: tũ in prognostico & prorrhetico.

AVT ETIAM LABIORVM, PALPEBRARVM, VEL NARIVM PERVERSIO CERNITVR.] Conuulsis à siccitate musculis qui mouentur à neruis tertiæ coniugationis: quæ partes conuulsæ, quia sunt propinquæ atque communes, primùm & maximè afficiunt.

MORS INSTAT.] Sublato respirationis vsu & motu: quia mors ipsa in extinctione caloris natiui consistit.

79 Ἐν πυρετοῖσι βουβῶνος ἄλγημα, νοῦσον χρονίην σημαίνει.

In febribus dolor bubonis, ad diuturnitatem morbi apparet.

EODEM spectat hæc prognosis, quò aphorismus ille, *In febre abscessus qui diebus primis non exoluuntur, diuturnitatem ostendunt morbi.* Ac mea quidem sententia, quod illic scribitur de abscessibus irritis, quibus scilicet morbi non exoluuntur, idem quoque hoc loco de bubonis dolore subaudiendum videtur : nisi fortè quis dicat, neque iniuria, nullum bubonis abscessum iure videri criticum : vt proposito familiari exemplo huius prognoseωs, de bubonis frustra oborto abscessu, vt fere frustra oboritur ; doceat nos theorema catholicum semper verum, & consequens abscessuum irritorum, qui per decubitũ apparent & fiunt. Etenim de bubonibus accommodatè etiam dici potest, quod de parotidibus verè scripsit Galenus. Ipsos videlicet esse minores morbos. Nam Herophonti doluit quidem bubo, sed illius doloris fugacis materia deriuationem perfacilem habuit ad crura, totius morbificæ cacochymiæ capacia. Doluit autem bubo κατ' ἴξιν lienis tumore obsessi, qui cùm deponeret tumoris materiam, eáque per bubonem ad crura cursum inflecteret ipsum bubonem dolere contigit: quoad fluxus materiæ quieuisset: vnde σκέλεα ἐπώδυνα, i. *crura doluere*, cætera omnia molestiæ leuationem habuerunt. Neque immeritò: Quoniam par morbo & infra abscessus contigit. Secus est de bubonis dolore firmiter fixo, qui neque ἀξίως neque κάτω, nec sine recursu aut sympathia partium nasci solet. Iam verò quod ad bubonis philologiam attinet, scire licet, Bubonem sæpenumero vsurpari pro inflammatione glandularum quæ sunt pone aures, in axillis, & inguinibus. Qua de re in promptu sunt illa. Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων, i. *Febres quæ superueniunt bubonibus omnes, præter ephemeras, sunt prauæ.* Vbi Galenus scribit. *Qui sine causa manifesta nascuntur bubones, cum viscerum inflammationibus vnà inuadunt, ob eámque causam febres*

cõment. ad prorr. 68. s. 3. 1. hist. 3. 1. Epid.

aph. 55. lib. 4.

cum

cum iis coniuncta, pessima esse solent. Huc etiam pertinet illud, *Mali sunt bubones, qui statim initio febrium acutarum efflorescunt.* Præstat in peste ac lue venerea, febrem superuenire buboni, quàm febri bubonem.

lib. 2. Epid. part. 5. lib. 6. Epid. part. 2.

Nec verò prætereundum illud quod maximè ad rem facit, Αἱ ἀποστάσιες αἱ ἐς βουβῶνας, σημεῖον μὲν τὰ βλαστήματα ἐχόντων, ἄτὰρ καὶ ἄλλων· μάλιστα δὲ αἱ ἐπὶ τὰ σπλάγχνα· κακοήθεες δὲ ὧδε. Commemorarem etiam dictiones tumorum qui in glandulis oriuntur: ex Galeno lib. 2. ad Glauconem: sed nihil necesse est. Cæterùm hîc & in Herophontis historia, nomen bubonis significat ipsum inguen: quemadmodum comment. Gal. ad 31. aphor. lib. 4. & lib. 10. Therapeut. vbi docet febris ardentis focum esse in maioribus venis, quæ sunt inter axillas, & bubones.

10 80 Ἐν πυρετοῖσιν ἀκρισίαι, χρόνους μὲν ἐμποιέουσιν, ἀτὰρ οὐχὶ ὀλέθριαι.

In febribus acrisiæ, diuturnitatis quidem sunt causæ, non tamen funestæ.

FEBRES quæ carent pepasmo & ἐνδείᾳ, i. *proritatione*, crises non habent.

20 IN FEBRIBVS ACRISIÆ.] i. Si cruda febris materia, nec in abscessus malos conuersa, ipsam faciat crisis expertem.

DIVTVRNITATIS QVIDEM SVNT CAVSÆ, NON TAMEN FVNESTÆ.] Cuiusmodi fere sunt acrisiæ sinistri iudicij ab irrito erethismo, cum pessimis signis. tum enim præstat naturam quiescere, quàm aliquid frustra moliri. Ac tales acrisiæ per oppressionem & malam translationem acerbissimi doloris; & sæpe interitus consecutionem adferunt. *Cruda nec cocta, atque in malos abscessus conuersa, carentiam crisis, dolores, mortémque inferunt: aut reditum morbi eiusdem.*

Id enim significat 1. Epidem. sect. 2. aph 44. 4.

81 Οἱ δὲ ἀλγημάτων ἰσχυρῶν πυρετοὶ, πολυχρόνιοι.

30 *Ex acerbis doloribus natæ febres, diuturnæ.*

AD PARTIVM omnium dolores extendit, quod 33. proprium fecit hypochondriacorum. Nec aliud est πολυχρόνιοι, quàm μακρὰ νόσος illic. Plurimos breui necant febres istæ: non pauciores, quod miserius, post iactationem longissimam. Euadit nemo, nisi diu multúmque exercitus. Hoc de iis intelligito quæ symptomaticæ essentiales se produnt vrinis & motu: causas in memoriam reuocans ex illo, quem designaui superiore commentario.

40 82 Αἱ τρομώδεες, ψηλαφώδεες παρακρούσιες, φρενιτικαί.

Contremiscere simul ac stulte palpare manibus; phreniticum.

SIC est profectò, quàm leuiter vtrumque fiat; etiam quiescere credito: vt ad eos maior medici attentio sit, ne se celari ab obscurioribus patiatur: quod Galeno accidisse nescirem, nisi ipse fateretur commentario ad prorrh. 33. s. 1. 1. cætera huic persimile, si hoc exceperis, de quo insuper admonet, adiecto ἀκριβῶς verbo. Vnde fit vt eò breuior esse interpretando debeam, quò Galenus longior extitit atque doctior.

50 Phrenitidi arguendæ, quæ delirium est insigne, mentis excessum habens; delitam actionem, palpationem scilicet, lintea & operimenta indecorè, nec necessariò colligentis; coniungendam putauit cum tremore, qui magni, secus, delitij non esset. *Delirium superuenire tremori satius, quàm tremorem delirio.* Alteratio cerebri simplex, per translationem symptomaticam tremoris frustra oborti, contracta; delirium inferet leue. Tremor delirio superuenire nequit, nisi magno; quod cerebri robur exoluerit à se prorsus alienari. Atqui, inquam, delirio hîc superuenit, actionis, vt dixi, iam delitæ comes. Pete à Galeno reliqua.

60 83 Οἷσι ἐν ξυνεχεῖ, ἄφωνοι κείμενοι, σκαρδαμύσσουσι ἦν, αἵματος ῥυέντος δὲ ῥινῶν, ἐμέσαντες φθέγξωνται, καὶ παρ' αὐτοῖσι γίνονται σώζονται. μὴ γινομένων δὲ τούτων, δύσπνοοι γινόμενοι, θνήσκουσι συντόμως.

In febre continua, qui voce capti iacent atque nictantur, siquidem prorupto è naribus sanguine, cùm euomuerint, vocem receperint, & apud se fuerint, periculo defunguntur. Sin autem secus acciderit; tum difficultate spirandi cita mors venit.

10

PRIMVM hîc symptomata proponuntur cerebri repletione, per humoris excursū, laborantis. Sunt autē, nictatio, & aphonia: quamuis illa semper affectionis huius propria non sint: sed hîc eiusmodi esse declarat euentus. Quoniam superueniente liberali hæmorrhagia, quiescunt. Deinde comparatæ libertatis, inoffensique cerebri intemperamento & complexione signa produntur; ratiocinatio, vox hominem sonans, & sermo: quæ omnia naturæ commoda, profusæ vacuationi accepta feruntur: quemadmodū exiguæ vel denegatæ, grauissima debentur mala, quæ cernuntur in suspirio & repentina morte.

IN FEBRIS ASSIDVITATE.] i. Vbi nulla est crisis expectatio, quæ adferat febris vacuationem atque quietem. Id enim significat, ἐν ξυνοχῇ quod idem valet, eodémque spectat, quòd illud. Ἐν συνεχεῖ τὸ σῶμα ῥῖγος ἀσθενέος ἤδη ἐόντος ἐπιγενόμενον θανάσιμον. i. *Rigor corpori iam à febre continua fracto superueniens, lethalis.* Vbi τὸ ἐν συνεχέϊ, non aliorsum spectare videtur, quam illud. Ἐν πυρετῷ μὴ διαλείποντι: quo loco hæc prognosis legitur. Ῥῖγος ἐπιγενόμενον, πυρετοῦ μὴ διαλείποντος, ἀσθενέος ἤδη ἐόντος, θανάσιμον. i. *Si non desinente febri rigor superueniat, mortiferus.* Hinc igitur febris assiduitas significetur, nec vlla per crisin significatam, remissio futura ostendatur ἀνέσιμος: quamuis sperari possit.

[9. Coac.]
[aph. 46. lib. 4.]

20

VOCE CAPTI IACENT.] Quemadmodum qui ab ebrietate sunt ἄφωνοι: quamuis hîc ἀφωνία non, vt illic, vniuersi corporis exolutionem denunciet: sed vocis amissionem, per oppressionem cerebri denegata musculis facultate mouendi, a spiritus animalis interceptione; non autem neruorum laryngis paralysi, aut vocalis materiæ paupertate.

[aph. 5. lib. 5.]

IACENT.] Sicut iidem ebrij voce capti: non autem sicut veternosi ἀποβολοῦντες, qui subinde ad pedes dilabuntur ab exhausto.

SIQVIDEM PRORVPTO SANGVINE.] i. Larga profusione sanguinis, qualitate, copia, tempore, & excernendi modo laudandi.

30

VOMITVQVE INIVSSO.] i. Sponte citato, propter ventriculi & cerebri sympathiam: quæ tollitur natura duce: non autem fit vt symptoma earum quæ sunt in visceribus affectionum: vt ea vomitio sit bilis pituitæ mult m permixtæ, eáque rara & multa.

VOCEM RECEPERINT.] i. Τὴν ἀναυδίαν καὶ τὴν ἀφωνίαν exuerint: restituta libertate instrumentorum sermonis & vocis, per intercipientis & opprimentis materiæ vacuationem.

ET APVD SE FVERINT.] Benè habita cerebri complexione & temperamento, quæ in offensa manserunt in repletione humoris cacochymiæ malignæ expertis. Alioqui vacuatio non profuisset, superstite offensione firmiter fixa.

PERICVLO DEFVNGVNTVR.] Nulla superstite materia, nec empyreumate: vnde relapsus & interitus consecutio adferri solet.

40

SIN AVTEM SECVS ACCIDERIT.] Vt scilicet iusta non sit vacuatio; aut ea indignè coorta, libertatem non habeant interceptæ ratiocinationis atque sermonis.

CVM SVSPIRIO CITA MORS VENIT.] Quoniam prolapsu materiæ ad pulmones, atque sublato respirationis vsu & motu, vita produci nequit in longum tempus.

84 Οἱ λαβόντες, ἐς τὴν αὔριον παροξυνθέντες, κακόν. τρίτην ἐπισχόντες, τετάρτην παροξυνθέντες, κακόν. ἆρά γε καὶ φρενιτικοὶ οἱ τοιοῦτοι παροξυσμοί;

50

Quibus postridie quàm inuasit, exacerbatio febris est; malè res eunt. Ac si perendie mitiùs, quartò iniquiùs exerceantur; grauissimum habent malum. An vero tales paroxysmi sunt etiam phrenitici?

MORBI cuiusque historiam, κατάστασιν Græci dicunt, si parium dierum exacerbationem habeat, scripsit Hippocrates esse difficilioris iudicij. Exempla sunt in promptu, paténtque omnibus ad visendum, in particularibus historiis & vniuersalibus τῶν ἐπιδημιῶν. In tempestate pestifera & febrium ardentium pestilentia, scriptum illud reperio. *Plerisque parium dierum fuere paroxysmi.* Vbi Galenus. *Rarò contingunt hæc. Nam obseruatione constat, causos, omnésque similes his morbos acutos imparibus diebus paroxysmos habere.* In Philisco ad finem historiæ adiecit. *Paribus paroxysmi:* obiit autem sexto. Idem quoque in Pythione, qui interiit decimo. Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia recenseam, complectar breui. Omnium febrium acutarum paroxysmos, qui paribus diebus cientur, huiusmodi planè videri, κατὰ τὴν ἀλλ-

60

[1. Epid. cōment. 2.]
[cōment. 3.]
[3. Epid. Hist. 1. 1.]
[Ep. Hist. 3. part 3]
[3. Epid.]

λοιωσιν

βιαίαν ἀλλοίωσιν, οὐ κατὰ τὴν φύσιν. i. *alteratione violenta, non naturali*: nec fieri λόγῳ naturæ decertantis pro sua salute, nec proprio & insito humoris motu, & ipsius naturæ impulsu: sed tamquam symptomata earum quæ contra naturam sunt affectionum. Huc spectat illa prognosis iam explicata, *Tritæophyæ febres erraticam pares mutate, fiunt contumaces.* Cuius explicatio mirificè confert ad intelligentiam huius fœliciter capiendam. Hoc vnum interest, quòd tritæophyarum febrium naturalis, vt ita dicam, ἀρτιότης, i. *imparitas*, vertatur in ἀρτιότητα, i. *paritatem*, propter incertos rigores, vnde & illæ dicuntur erraticæ. At verò dierum parium exacerbatio, quæ hic proponitur examinanda, primigenium habet eiusmodi typum, vt prima & secunda periodo, diebus paribus febres exacerbari videantur; imparibus autem mitescere: sed non exolui, neque in totum quiescere.

Arist. 5. Physic. 39. Coac.

Quod illud ipsum declarat.] QVIBVS POSTRIDIE QVAM INVASIT, EXACERBATIO FEBRIS EST.] Ac si diceret; quos febris exercet grauiùs secundo die, quàm primo, quo primùm inuasit. Exercet autem grauiùs, symptomatum grauiorum adiunctione; quæ cernuntur in febrili ardore, doloris acerbitate, iactatione, vigiliis, siti. &c.

MALE RES SVNT.] Quia quæcumque apparent & fiunt contra naturam morbi & ægri, pessima sunt. Vt enim biliosis, tum ægris, tum morbis, familiaris esse solet excrementorum biliosorum vacuatio, proptereàque minus stupenda; contrà ἀχόλων καὶ λευκῶν, i. *non biliosorum alborúmque*, praua; quoniam & morbi & ægri naturæ dissentanea est: sic paroxysmorum artiasmi, omnino cientur contra naturam febris acutæ, cuius materia, videlicet bilis, tertio quoque die cumulatur & putris mouetur. Quæ causa est, cur in ardentium febrium pestilentia, Galenus annotarit; perraró cieri diebus paribus paroxysmos, quos illic fuisse narrat Hippocrates. Quoniam omnes causi, omnésque adeo morbi, similiter vt illi, valde acuti; diebus imparibus exacerbari solent. Sed illa exacerbatio contra naturam morbi, causam habere videtur; efficientem quidem, humoris morbifici malignam cacochymiam; suscipientem verò, partium gignentium, mittentium, trahentium, & excipientium excrementa, vitiatam œconomiam, ab inueteratione causarum morbificarum, priusquam generatio morbi patefacta fuerit: ex quo vitio labefactari atque peruerti contigit constantem illam similium & æqualium, similiter & æqualiter collectorum, eadémque periodo excludi solitorum, perennitatem. Cæterum, quemadmodum in vicissitudine sitis, iam demonstratum est, eius falsò sedatæ sensionem de integro non excitari priusquam anima sui memor facta sit, incremento causæ sitiferæ: sic etiam mirum videri non debet, si fatiscente natura, imparibus diebus mitescant, ac rursum crescente causa, grauissimorum laborum perceptio fiat, &c.

cōment. ad prorr. 13.1. — cōment. ad prorr. 8.2.

AC SI PERINDE MITIVS.] Fatiscente natura, laborum quos pertulit, grauitate: cùm ante repentinam generationem morbi, ex inueteratione causarum, iam propemodum labasceret.

QVARTO INIQVIVS EXERCEANTVR.] Collectione, putredine, & motu cacochymiæ malignæ, excitata senius acrimonia, ad grauissimorum laborum perceptionem.

GRAVISSIMVM HABENT MALVM.] Præsertim ij quorum paroxysmi artiasmum habent initio statim febris. Sunt autem huiusmodi paroxysmorum artiasmi morborum initiis, vt si quarto die symptomatum summa sint omnia; sexto die, cum sudore frigido moriantur: alioqui in longius producuntur.

cōment. 3. libr. 1. Epid.

85 Ὁκόσοισιν ἐκλείπουσιν οἱ πυρετοὶ, μὴ κατὰ κρισίμους, ὑποστρεπτικοί.

Quibuscunque non critico die febres quiescunt; iis reuertuntur.

QVÆ prauis cum signis mitescunt, aut cũ salutaribus nihil concedunt, maliciosa sunt, inquit Hippocrates. Sed inter praua signa continetur ἡ ἀκρισία, quæ & crisis propriæ cuiusque morbi vacationem habet, estq. dierum & periodorum criticarum anomis. Nam & ipsæ crises, dierum anormes, faciunt dyscrisiam. Sic quartanæ hæmorrhagiæ sinistri sunt iudicij, pérque difficilis. Ictérus quoque ante septimum diem, lethalis. Omnino igitur, nihil fit ad salutem, neque apparet; nihil denique medico satisfacit, quod diebus & periodis criticis non appareat, atque fiat. Quemadmodum autem superiore prognosi, paroxysmorum parium in acutis febribus, dyscrisia iam patefacta est: sic in hac, criseωn pericula anormium, quæ scilicet critica lege non suscipiuntur & fiunt. Atque vt mala signa & symptomata dierum criticorum, firmiora sunt quàm aliorum sic ea quæ specie bona sunt in etsi anormi, spem certam salutis adferre non possunt. Itaque bona loco in bonis ducenda: sæpe etiam quæ specie mala videntur, si εὐλόγως ac loco appareant, non exterrent medicum medendi singularem magistrum: sed potiùs consolantur & recreant. Denique omnis morborum defunctio, quæ accidit per crisin anormem; causam habet, quam ex Aristotele suprà retulimus. Erit enim morborum diebus non criticis exolutio, κατὰ τὴν βιαίαν ἀλλοίωσιν. Altera verò κρισίμοις κατὰ τὴν ἀλλοίωσιν φυσικήν.

51. Coac. l. b. 6. Epid. aph. 62. libr. 4. — 5. Physic.

QVIBVSCVNQVE NON CRITICO DIE.] i. Constanti & inoffenso cursu dierum criticorum, indicantium, iudicantium, & intercalarium: cuiusmodi sunt quaternarij sex, ante vigesimum febris diem; septenarij tres; à vigesimo ad quadragesimum: vicenarij tres, à quadragesimo ad centesimum: vt indicantium significatio certa sit; iudicantium perfecta ἀπόστασις, κατ' ἔκρουσιν ἢ κατ' ἀπόθεσιν, i. *abscessus effluxio vel decubitu.*

REVERTVNTVR.] Superstite morbi materia, & empyreumate. Ac si diceret. Qui morbi ægros dimittunt diebus non criticis, ideo reuertuntur, quòd non videantur κεκριμένοι ἢ κεκριμένως ὀρθῶς, i. *iudi-*

aphor. 20. 2.

aphoris. 61.4. *cari aut iudicati esse integrè.* Sunt autem huiusmodi ὑποστροφώδεα, ὑποστρεπτικά, vel, vt idem loquitur, ὑποστροφὴν ποιέοντα; vel, ὑποστροφαὶ πυρετῶν. Quoniam quæ supersunt reliquiæ, cum illæ non sint naturæ consociales, vt assimilari possint; reliquum est vt putrescant, maximéque ab empyreumate relicto. Quinetiam ab iisdem reliquiis alimentum corrumpitur: quia impurum corpus, quò magis nutritur, eò cumulatius fit malis. Atque propterea dicuntur ἀκατάστατοι, quòd incertæ sint eorum constitutiones. ἐὰν προεκραγῶσιν, ἢ προεκκρίνωνται, ἢ ὑπολείπηταί τι. i. *Si qui ante tempus aut erumpant, aut excernantur, aut quid residuum fiat.* Quemadmodum autem mulierum partus omnino puerperam iuuant, qui pari contentione vteri atque fœtus suscipiuntur: sic illæ febres quæ ex certamine naturæ, tandem victricis, quiescunt; relapsus non habent. Atqui certamen illud, non nisi diebus criticis in procinctu esse solet. 10

86 Οἱ ἐν ἀρχῇ λεπτοὶ μετὰ κεφαλῆς σφυγμοῦ, καὶ οὖρον λεπτοῦ. πρὸς κρίσιν παροξυνόνται. θαῦμα δὲ οὐδὲν εἰ καὶ παρακοπὴ, καὶ ἔτ' ἀγρυπνίη γένοιτο.

Meliùs sic 4. περὶ διαίτης ὀξέων.

Οκόσοισι δὲ τῶν πυρετῶν δῖνοί τε ἀπ' ἀρχῆς, καὶ σφυγμοὶ κεφαλῆς εἰσί, καὶ 20 οὖρον λεπτὸν· τουτέοισι δεῖ προσδέχεσθαι πρὸς τὰς κρίσιας παροξυνόμενον τὸν πυρετόν· οὐ θαυμάσαι μηδ' ἂν οὐδ' εἰ παραφρονήσειεν.

Quibuscunque autem initiis febrium vertigo est, vnáque capitis venæ micant, cum tenui & cruda vrina; his proculdubio febris exacerbationem in crisibus expectare oportet: nec mirum videri, si non sint apud se. 30

SEQVITVR patefacta & explicata paritatis paroxysmorum particularium & criseωn irregularium dyscrisia & acrisia, deinceps de eorum quæ non criticè apparent & fiunt, quæque ob eam causam apparentia foris, critica non iudicantia nominantur, dicendum sit, ac demonstrandum, cur ita sint, & quamobrem aut mortifera, aut sinistri iudicij. Enimuerò micantium in capite arteriarum pulsus, vertigo; vrinæ quoque tenues, & aquosæ; ad hæmorrhagiam apparent, si loco appareant: quod sanè in hac prognωsi locum habere non potest, vt scilicet loco fiant. Quia ineuntium febrium sunt ὑποφαινόμενα.

libr. 1. Epidem. lib. 1. Epidem. tract. 14. lib. 1. 80. Coac. Atqui vetus illud admodum vulgare est. Τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ὑποφαίνεσθαι, i. *Critica ne citò se dent in conspectum.* Quæ sententia visa est Galeno digna ad demonstrationem symptomatici rigoris, qui ineunte causo fieretur. Sic enim ait. *Est etiam illud malignæ qualitatis proprium, rigore initio febris ardentis. Tametsi enim febris ardens, rigore superueniente exoluitur, critica tamen non decet statim apparere.* Vt enim cruditas humoris morbifici, quæ caret ἐρεθισμοῦ, acrisiam quidem facit, non tamen funestam: ita si accessionem habeat ἐρεθισμοῦ, consecutionem adfert sinistri iudicij atque mortis. Ex quo efficitur, temerè purgationibus operam dari in febre quartana; & acutorum quoque initiis, sine orgasmω: quoniam erethismus frustra inducitur, qui antè non erat: vnde labores & grauissima symptomata. Atque si nulla crisis bona spectabilis, dum cruditas manet: propterea nec vlla significatio, tum esse potest secundi iudicij. Erunt igitur symptomatica toto genere: non autem signa perturbationis criticæ, quæ scripta sunt in hac prognωsi.

QVIBVSCVNQVE AVTEM INITIIS FEBRIVM.] Ac si diceret. Quemadmodum paroxysmi parium dierum in morbis acutis, ipsæque adeo crises anormes, dyscrisiam adferre solent (id enim de- 50 nunciat illud, AVTEM,) sic etiam quæ initiis morborum videntur ὑποφαινόμενα, non possunt esse indicatoria iudicantia.

aph. 22. 4. part. 1. Quoniam initiis morborum, natura morbificis causis opprimitur, éstque humorum cruditas, vnde non potis est salutariter quicquam excerni, neque cieri.

2. Epid. 4. de acut. diæta, VERTIGO EST.] Cùm scilicet falsò creditur caput circumagi, vel circumrotari. Sic δῖνος dicitur: quemadmodum σκοτόδινος, quando cum vertigine coniuncta est tenebricosa visio: quæ duo symptomata, sunt turbulenti motus a flatulento spiritu, qui aut localem in cerebro generationem sui habet, aut sursum infernè transfertur.

part. 5 li. 2. Epid. 16. part. 2 6. Epid. cõment. ad Hist. 10. 1. Epid. de Clazomenio. VNAQVE CAPITIS VENÆ MICANT.] i. Micantium arteriarum pulsus aspectabiles medico, vel ægro tractabiles, etiam non admota manu. Quod symptoma est magni ardoris, vnde non tarò deliria excitantur: eoque magis atque faciliùs, quód quæ cernuntur micantes arteriæ proximè absint à cere- 60 bro: quando & illæ quæ procul aspectabili pulsu cientur, insaniam quoque denuncient. Sic accepimus. *Cui vena in cubito micat, iracundus & phreniticus.* Existunt tamen huiusmodi pulsus, qui opinionem faciunt abscessus materiæ in articulos dilapsuræ. Qua de re testimonium illud extat. *Temporum venæ non stabiles, sine faciei rubore, cum anhelatu & tussi non admodum firma; decubitum expectare faciunt in articulos edirectò, &c.* Verum hæc dicta sunto περὶ τῶν ἐν κρίσει φαινομένων: vt rectè annotauit Galenus.

CVM

CVM VRINA TENVI.] Non quidem rite colorata, quæ ipso quidem dolore spem boni faciat; tenuitate verò, crisews salutaris tarditatem, & morbi ipsius diuturnitatem: sed quæ omnino cruda sit & aquosa, cruditate scilicet morbi, necnon ipsius bilis sursum translatione ad caput. Quemadmodum enim vrina tenuis cruditatem morbi; sic vertigo cum aspectabili temporum pulsu coniuncta, capitis repletionem ostendit. Sed ea repletio capitis, temporum distinctione, critica aut symptomatica esse solet: quemadmodum vrina tenuis, vt sunt illius causæ diuersæ, quibusdam ad phrenitidem & insaniã; aliis ad hæmorrhagiam; senibus ad dysenteriam apparet: sæpe etiam prænuncia esse solet [illegible], per decubitum in diuturnis morbis.

1. Epid. aph. 7. 2 4. 1. prognost.

HIS PROCVLDVBIO FEBRIS EXACERBATIONEM IN CRISIBVS EXPECTARE OPORTET.] Ac si diceret. Quamuis ineunte febre, leuia esse videantur quæ propria sunt eius symptomata: tamen si cum vrina tenui, cruditatis nuncia, vertigo & micantium in temporibus arteriarum pulsus aspectabilis, negotium ægro facessat; diebus criticis non concedet: sed contrà vires acquiret: ob eam sanè causam, quòd illa symptomata quæ in capite excitantur, per anathymiasin aut perustionem accidant eorum qui in alui corpore continentur, humorum: proptereáque diebus criticis, feritate domita, non mansuescant; sed magis ægrescant: vnde & ipsa febris exacerbatio ex euentu, quotiescumque certamen in procinctu esse debet.

NEC VERO MIRARI SI NON SINT APVD SE.] Quoniam ad præparationem suscipientis causæ, i. cerebri, à spiritu flatulento multùm vexati; accedit vis efficientis, per anathymiasin & perustionem bilis in aluo stabulantis: tum etiam per ipsam illius translationem, quæ cum cruditate ingens delirium adferre solet, cum pepasmo hæmorrhagiam. Itaque symptomata illa repleti capitis, si perturbationis criticæ excusationem non habeant, neque ad crisin appareant; erunt profectò signa phrenitidis. Sed febrium initiis, vti iam dixi, nulla crisis, proptereáque nec vlla perturbatio sperabilem eam facit.

2. de diæta acut.

87 Ἐν ὀξέσι, κίνησις, ῥιπτασμὸς, ὕπνος ταραχώδης· σπασμὸν ἐνίοισι σημαίνει.

Commotio in acutis, iactatio, tumultuosi somni, nonnullis conuulsionem denunciant.

PERTINET etiam hæc prognosis ad comparandam præsensionem rerum in morbis euenturarum; ex perspicientia eorum quæ apparent & fiunt, tum etiam ex distinctione temporum quibus illa regnare videntur. Vt enim commotio, iactatio, tumultuosi somni, si loco fiant editis pepasmi signis, perturbationis criticæ sunt argumenta, iamiam futuram crisin denunciantia: sic etiam conuulsionis metum adferunt, si comitem habeant cruditatem: vt semper morborum initiis habere solent. Iam verò cuiusmodi sint commemurata illa symptomata; tum autem quare sint conuulsionis prænuncia; sequentis demonstratio edocebit.

88 Αἱ ταραχώδεες θρασύτητι ἐγέρσιες, παραφορεῖ· πονηρὸν, καὶ σπασμώδεες· ἄλλως τε καὶ μεθ' ἱδρώτων. σπασμώδεες δὲ καὶ τραχήλου καὶ μεταφρένου δοκέουσι ψύξιες· ἄταρ καὶ ὅλου τοῦ σώματος· ἐν τουτέοισι ἀφρώδεες οὐρήσιες.

Qui cum feroci perturbatione, somno excussi, è potestate sui exeunt; grauissimum habent malum, & conuulsificum: idque cum aliàs, tum si prorumpant sudores. Conuulsifica sunt etiam ceruicis & dorsi perfrixiones: cuiusmodi planè videntur corporis vniuersi: ac tum vrinæ spumantes.

VT RERVM omnium quæ naturæ ad perfruendum tributæ sunt, nihil est melius, nihil amicius, nihil denique magis consociale, quam illa quies quæ dono diuûm gratissima serpit: ita nihil æquè pestiferum, quàm molesta. Quemadmodum enim somnus ægrotum reficit atq; recreat spirituum instauratione, ciborum coctione; & morbificorum humorum pepasmo, vnde phrenitis mansuescit: sic admirabile est quantam principiis trium facultatum labem adferat, quantum naturæ præsidia labefactet, quantisq; damnis ipsos ægrotos oneret; si quid vel in causis somnificis, vel in somni ipsius neces-

ſitate peccetur. De hoc theoremate, ſunt quidem permultæ apud Hippocratem eximiæ ſententiæ atque illuſtres, quas nihil neceſſe eſt hoc loco ſcribere & explicare.

QVI CVM FEROCI PERTVRBATIONE SOMNO EXCVSSI.] i. Qui perturbatione mentis agitantur cùm exciti ſomno fuerint, eáque perturbatio coniunctam habet ferocitatem in viris, morum inſtitutorum cultu, antea manſuetis. Nam ταραχώδεες, propriè nominantur, *qui mente ſine cauſa percelluntur, quod phrenitidis eſt breui futura.* At verò non niſi cum adiectione dicuntur ταραχώδεες κοιλίαι, & ταραχώδεα οὖρα, i. *perturbatæ alui, perturbatæ vrinæ.* Sed illa ταραχὴ, quæ cadit in mentem; non eodem, in omnibus, modo apparet: quemadmodum nec eadem ſunt, pluribus eodem vino inebriatis, ebrietatis ſymptomata. Alia enim perturbatio cernitur cum mœrore & metu; alia cum exultatione & riſu; alia cum ſilentio; alia cum garrulitate; alia cum ferocitate. Eſt autem ferocitas, temeraria propenſio ad exceſſum.

cõment. ad prorr. 4. libr. 1. in Epid. paſſim.

SOMNO EXCVSSI.] Ac ſi diceret. Si turbulenti ſomni ſymptoma ſit ferocitas in homine moderato, cuius moderationem fouere debuerat ſomni ſuauitas, ſi vlla fuiſſet; omnémque ferocitatis cauſam depellere ac propulſare, ſi quæ ventura videretur: propterea̒que ſymptoma illud terrificum magis: quia inde venit, vnde arceri debuit.

E POTESTATE SVI EXEVNT.] Quoniam ita comparata eſt ratio omnis perturbationis, vt cùm ex leui mentis offenſione, immeritò homines dicantur ταραχώδεες; ſi ea leuis offenſio incrementum quoque accipiat, tum illi non ſunt ampliùs ταραχώδεες ἁπλῶς: ſed iam παραφρονοῦντες meritò nominentur, quales ipſi reuera exiſtunt. Sed inter omnia perturbationum genera, illa quæ ferocitatis eſt, conſecutionem citam adfert, non cuiuſuis delirij, ſed efferæ cuiuſdam phrenitidis & inſaniæ: vt ipſa θρασύτης, i. *audacia* breui reddatur & appareat θηριώδης, i. *ferina*: id quod præceptor annotauit in proteruo pauliſper reſponſo.

prorr. 25. lib. 1.

GRAVISSIMVM HABENT MALVM.] Sic enim vertimus τὸ πονηρὸν: quia idem ſignificat quod χαλεπὸν, i. *periculoſum*: quod idem vocat θανάσιμον, aph. 1. 2. *Quo in morbo ſomnus lædit, lethale.* Grauiſſimum igitur habent malum, ne dicam funeſtum: quia ferocitas principatum obtinet inter omnia perturbationum genera, ob eam ſanè cauſam, quòd febrium acutarum deliria propagata non habeant ferocitatem coniunctam: vt ſanè in nullum aliud delirij genus cadere videatur, quàm in phrenitidem.

ET CONVVLSIFICVM.] Quaſi velit. Quando ſit tanta ferocis delirij atrocitas, vt ſi etiam pauliſper appareat; indéque ſtatim quieſcat; tamen immanitatis & inſaniæ ſumma omnia tandem oſtendat (quòd ea ferocitas non ſit ſola offenſione mentis à febre, ſed à phrenitica affectione iam diu in cerebro concepta naſcatur) ſi eius phreniticæ affectionis inueteratio, acceſſionem cauſæ à turbulento ſomno accipiat; veriſſimum illud erit quod ſummus præceptor his literis exarauit. τὰ φρενιτικὰ σφοδρὰ, τρομώδεα τελευτᾷ, i. *vehementes phrenitides, in tremorem deſinunt.*

progn. 9. 1. lib.

IOQVE CVM ALIAS, TVM SI PRORVMPANT SVDORES.] E capite ſcilicet per ſudatiunculam, à cerebri oppreſſione: qualem agnouit in illo. *Tum rutila cum ſudore faces in his mala:* & alio loco, vbi ſic ait. *Turbulentis in febribus, vrinæ decolores, nigra enæoremate prædita, cum ſudoribus, phreniticæ.* Eſt verò mens viri vt doceat: actionem læſam partis obleſſæ firmiſſimum eſſe ſignum: læſionis verò ſpeciem, denunciare „ cuiuſmodi ſit ipſa affectio. Itaque cùm ipſa perturbatio, mentis affectæ ſit argumentum: ipſius pertur„ bationis idea, nempe ferocitas, phreniticam affectionem denunciat. Eſt autem morbificæ cauſæ tanta vis, vt oppreſſionem cerebri, quæ cernitur in ephidroſi; cæterarum quoque actionum cerebri deprauatio conſequatur, tum per ſe, tum ex euentu.

7. Coac. prorr. 4. libr. 1.

CONVVLSIFICÆ ETIAM VIDENTVR CERVICIS ET DORSI PERFRIXIONES.] Hæc pertinent ad rigores cauſorum, qui non cientur loco: propterea̒ fruſtra citari, tranſlationem faciunt cum refrigeratione poſteriorum coniunctam: quæ refrigeratio conuulſifica eſt, iuxta illud, *Quinetiam poſteriorum frigus eſt conuulſificum.* Sed hæc nihil ad conuulſionem phreniticam in hac prognoſi propoſitam; vt meliùs diuiſa, in prorrhetico, quàm hîc coniuncta legatur prognoſis.

prorr. 19. & 20. part. 5. aph. 34. 7. & 2. prorrh.

ACTVM VRINÆ SPVMANTES.] Sic in prorrh. meliùs quàm hic, Οὐρήματα ὑμενώδεα, i. *vrinæ membranoſæ.* Sunt autem ſpumantes hypoſtaſi, vel ipſo liquore, eáque ſpuma quò propiùs ab æqualitate abeſt, eò peiorem vim flatulenti ſpiritus, aut colliquationis denunciat: quæ duæ conuulſionis iuſtæ ſunt cauſæ.

cõment. ad prorr. 20. ſ. 3. 1.

89 Αἱ ἐν κώματι παρακρούσιες, σπασμώδεες.

Deliria cum ſopore, conuulſifica ſunt.

PHRENITICI etiam ſunt comatoſi, non quidem inueteratione phrenitidis, quæ adferat τὴν ἐς τὸ καταφορὰν ὑπνώδη, i. *inclinationem ſoporoſam*, per exolutionem cerebri; vt ſæpe adfert: ſed ſoporiferæ cauſæ cum phrenitica, pari, vt ita dicam, adiunctione. Sic enim Hippocrates. *Soporiferi erant phrenitici, maximè dum febris erat in æſtu.* Ad quem locum ita ſcripſit Galenus. *Materiæ craſsitudo faciebat coma, potiſsimum iis quibus in vitio erat caput.* Atque phreniticis quidem primariò caput afficitur: iis verò qui ardenter febricitant, ex euentu. Nam ardor febrilis prauos humores ſurſum ad caput effert, qui ſanè tum erant frigidi atque crudi. Eſt enim coma phrenitidi & cauſo ἀσύμφορον: ſed illis temporibus ideo fuit illis conſociale, quòd hominum capita erant repleta crudo humore, ex annua tempeſtate auſtrina, flatu ſonoro placida,

cõment. 3. ad 3. Epid.

placida, pluuiosa, & molli. Existunt alia comata phrenitidis consectanea: quemadmodum & comatis, ipsa phrenitidis.

lib. 1. prorrh.

DELIRIA CVM SOPORE.] Vel potiùs cùm lethargo. Nusquam enim lethargi nomen legitur in prorrhetico: sed in Coacis passim. De comatis autem & lethargi natura, loco dicetur & pluribus.

CONVVLSIFICA SVNT.] Siue coma phrenitidis consectaneum sit ab exhausto; siue primigenia affectione cum phrenitide ipsa coniunctum: ex tumultuosa crudi humoris commotione, quam ciet in capite & cerebro phreniticus ardor. Nam & febris ardens non rarò in cerebro focum habet. Sic enim Galenus commentario ad illam prorrh. *Acuta febri superueniens echo, cum visu tenebricoso, & grauitate quæ descendit ad nares, ad excessum mentis apparet melancholicum.* Gignitur, inquit, *ardens febris tum ex causis aliis multis, tum ex cerebro inflammato: hinc namque est delirium continuum, testatum signis phrenitida vera. Porrò autem ex eo qui in capite redundat humido spiritus flatulentus gignitur: vnde echo & obscuratio visus ex crasso humore, aut spiritu, qui in oculos decumbit.*

prorrh. 18. lib. 1.

90 Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παρακρούσιες, θηριώδεες· καὶ σπασμὸν δὲ προσημαίνουσι.

Deliria paulisper ferocia, mox erunt immanissima; atque futuras conuulsiones prænunciant.

HVIVS diuinæ prognoseωs explicatio repetenda ex commentario Galeni ad prorrh. 25. lib. 1. & ex nostra disputatione ad illam prognosin, *Moderati hominis proterua responsa, mali sunt omnia.* Vt nihil necesse sit plura scribere, quæ ad demonstrationem pertineant.

54. Coac.

Ergo. DELIRIA PAVLISPER FEROCIA.] i. Moderati hominis proterua quæsita atque responsa, præsertim à somno & immeritò. Est autem ferocitas habitus animi, quo ex professo aduersamur consiliis, & officiis ciuilibus; vel, temeraria propensio ad excessum ferinum, quo truculenti sunt homines & efferati.

PAVLISPER.] Sic enim vertendum duximus illud, ἐπ' ὀλίγον, quod etiam Galeno placere video, cuius ad hunc locum hæc enarratio est. *Qui exiguum ad tempus existunt feroces, mox quiescunt, suspectos haberi iubet,* &c. Et verò Hippocrates, ad perspicuitatem maiorem adiecit in prorrh. Καὶ ἢν ἐπ' ὀλίγον χρόνον γίνωνται, i. *Quanquam exigui sint temporis.* Quinetiam non ita pridem, τὸ ἐπ' ὀλίγον, *paulisper* esse diximus, in illo. Τὰ ἐπ' ὀλίγον ὀξέα ἀλγήματα ἐς κληῗδα καὶ ἀνωτέρω φθάνοντα, ὀλέθρια, i. *Acuti tantisper dolores, qui ad claniculam aut supra pertingunt, lethales sunt.*

MOX ERVNT IMMANISSIMA.] Quoniam, vti iam dixi, ferocitas illa moderati hominis, quæ ἀθρόως repentè se prodit; ex inueteratione affectionis phreniticæ in cerebro conceptæ; temeraria propensio est ad excessum θηριώδη: per facilem [illegible], i. *transitum* bilis flauæ in atram, cuius acriores sunt morsus quàm flauæ: proptereáque phrenitici fiunt fanatici, & efferati: Cernitur autem illa summa immanitas in iis, mordendo, percutiendo, sæuiendo in eos qui præsto sunt: vt etiam sibi ipsis manus adferant. Quod accidisse vidimus nobilissimo, fortissimo & optimo cuidam viro, cuius ego pietatem & singularem vitæ ac morum integritatem & mansuetudinem, per quindecim annos expertus fueram. Is autem cùm in febrem acutam incidisset, tertium agens diem, homo omnium modestissimus, cœpit esse ferox in quæsitis atque responsis; postridie, hoc est die quarto, cœptis immanibus sic efferus fuit, vt è secundo cœnaculo sese per fenestram præcipitarit.

Anno 1574. mense Iulio.

ATQVE FVTVRAS CONVVLSIONES PRÆNVNCIANT.] Quoniam, vt ait ille. Τὰ φρενιτικὰ νοσήματα, i. ἀγρίως, ἢ σφοδρῶς, ἢ ἰσχυρῶς, τρομώδεα παύεται, i. *Vehementes phrenitides in tremorem desinunt.* Quod paulo antè iam demonstrauimus ad 88. Quòd autem ferocitas veniat à forti affectione phrenitica in cerebro iam diu concepta; docet Galenus, qui constanter sustinet, nullum delirium ferocitate editum fieri causa febris: sed esse symptoma phrenitidis natæ & procreatæ in cerebro.

91 Ἐν τοῖσι μακροῖσι, κοιλίης ἄλογοι ἐπάρσιες· σπασμώδεες.

In diuturnis, sine causa assurgens moles alui, conuulsifica est.

HANC prognosin Galenus negat esse Hippocratis, comment. ad prorrh. 7. s. 3. 1. cui assentior facilè: quoniam moles alui conuulsifica esse nequit: tametsi in Aspasij filio, tale symptoma author prorrhetici annotauit, his verbis. Κοιλίης [illegible] ἀθρόως ὑγρὰ χαλώσης, ταχὺ ἐγκαταληφθεῖσα· ἔχει τι σπασμῶδες, ὥσπερ καὶ τῷ Ἀσπασίου υἱῷ, i. *Ventris circumtensio, non nisi coactè deiicientis humida, repentè intumescens; habet quid conuulsificum,* &c. Doctissima autem est Galeni enarratio in eam prognosin:

92 Τὰ ἀϊθὺ ταραχώδεα, ἄγρυπνα, ἐπιστάζοντα ἐκ ῥινῶν, ἑκταῖα κουφισθέντα, νύκτα πονήσαντα, ἐς ἣν τὴν αὔριον ἐφιδρώσαντα, κατενεχθέντα, παρακρούσαντα· αἱμορροεῖ λαύρως, καὶ λύει τὰ πάθεα. τὸ ὑδατῶδες οὖρον ταῦτα σημαίνει.

Qui febrium initiis perturbantur ſomni expertes; ſiquidem ſtillarit ſanguis, indeque ſextum diem agentes ſunt alacriores; ſed noctem exigant moleſtiorem; poſtridie autem cum ſudatiuncula ſoporati, non ſuæ mentis, ſanguinem liberaliter fundant; malis omnibus defunguntur. Ac talia denunciat aquoſa vrina.

[lib. 2. Epid. 61. Coac. prorrh. 56. ſect. 3. 1. 61. Coac.] NVLLA animi perturbatio, febrium initiis bonam criſin promittit: proptereáque meritò formidabilis exiſtit: quoniam bene præceptum illud eſt, *Vt critica ne ſtatim appareant.* Quinetiam, *Exigua ſanguinis ſtillicidia, ſiniſtra ſunt criſis, ne dicam funeſta*: vt ceteræ omnes judicatoriæ cauſæ exiguæ, quæ ſunt reuera judicatoria non judicantia, proptereáque mortifera aut criſis funeſtæ. Sed quatenus ea ſint malæ criſis, quatenus item mortifera, iam explicauimus. Ergo illa duo theoremata eiuſmodi ſunt, vt contra nihil adferri poſſe videatur: non tamen ita catholica, vt non recipiant diorismum, nec indefinitè pronuncianda. Diorismi ſunt in hac prognoſi propoſiti ad explicandum.

[88. Coac. & prorr. 4. 1. prorrh. 40 ſect. 3. 1.] QVI FEBRIVM INITIIS PERTVRBANTVR.] Mente ſcilicet atque animo. Febrium autem initiis vertendum putaui, τὸ εὐθὺ, quod meliùs exprimit mentem noſtri authoris, meliùſque cohæret cum omnibus membris huius prognoſeos; quàm illud, τὰ ἴδια: quod in hanc ſententiam ſcriptum legitur in prorrhetico.

SOMNI EXPERTES.] Quòd cum impediat excurſus ſanguinis bilioſi eductionem copioſam non habentis.

[158. Coac.] SIQVIDEM SANGVIS STILLARIT.] Exempli cauſa, quarto die: ac tum reddatur vrina laudabili prædita hypoſtaſi, iuxta illam prognoſin. *Quibus ineunte febre, ſternutamento excuſſo, è naribus ſtillat ſanguis; ſiquidem vrina quarto die hypoſtaſin habeat albam, febrem exſolutam iri per hæmorrhagiam ſeptimo die, oſtendit.* [aph. 71. lib. 4.] Vt enim laudabilis vrina tempus criſis prænunciat: ſic etiam ſtillicidium ſanguinis ad ſpeciem ipſam criſis, i. ad hæmorrhagiam liberalem apparet: qualis prorupit Metoni, qui etiam cum ſignis prauis à ſtillicidio, per hæmorrhagiam liberalem juſſam & injuſſam, morbo lethali defunctus eſt: [lib. 2. Epid.] quod miraculo apponendum duxit Galenus, adferens illud: *Præceptum vniuerſale confirmat hic æger. Quòd larga hæmorrhagia à magnis morbis vindicat.* Reuera autem quò natura & humor curſum inflectunt, eò criſeωn inclinationes fiunt.

[progn. 25. 1. progn. Hiſt. 10. p. 3. lib. 3. Epid.] INDEQVE SEXTO DIE ALACRIORES FACTI.] Optima eſt quidem omnis euacuatio, qua morbus in totum exoluitur. Bona eſt etiam, quæ facit vt ægri alacriùs ferant morbum: quemadmodum de ſudoribus præcepit. Hic autem commemorabile eſt, quòd ſexti diei leuationem prædicarit: tum quia dies ille tyrannus eſt: tum quia dierum imparium ſunt paroxyſmi, quàm parium. Eſt igitur conſentaneum, vt quæ diebus imparibus exacerbantur, paribus illa miteſcant, & contrà: quemadmodum in Abderita Nicodemo annotauit, qui in eius hiſtoria bis térve ſcripſit, ῥᾳστώνη, i. leuatio, diebus imparibus, cum ille paroxyſmorum artiaſmis vexaretur.

[Sent. 10. p. 1. 6. Epid. & aph. 1. 2. & 25. Coac.] SED NOCTEM EXEGERINT MOLESTIOREM.] Quia noctis moleſtia eſſe ſolet, paroxyſmum criticum præcedentis, atque ſymptoma eſt perturbationis criticæ; quod quidem accidit præter vim morbi, & naturæ merito. Commemorabilis eſt autem noctis moleſtia. Quoniam in ea perturbatione critica, quæ vi naturæ ſuſcipitur, ſecernendo, & ad excretionem præparando; ægrotum δυσφορίη, i. iactatio de nocte magis, quam interdiu eſſe ſolet: quoniam ipſa ſola ſomni vacuitas, inſtar grauiſſimi morbi, moleſta eſt.

POSTRIDIE AVTEM.] Quando certamen naturæ & morbi eſt in procinctu; ſeptimo ſcilicet die.

[81. Coac.] CVM SVDATIVNCVLA.] Ab oppreſſione fugaci, ſine vlla cerebri offenſione, quæ fixa ſit firmiter, quæque ab hæmorrhagia ſuperites maneat.

SOPORATI.] Ab eadem cauſa, per tranſlationem humoris mitificati.

NON SVÆ MENTIS.] Per ſympathiam febris fugacem, non autem per idiopathiam, protopathiamque, vt in feroci delirio.

SANGVINEM LIBERALITER FVNDANT.] Virtute naturæ; meatuum libertate, & materiæ comparato meabili exitu.

MALIS OMNIBVS DEFVNGVNTVR.] Perturbatione, ſopore, delirio, febre quoque ipſa: quoniam omnis repletionis vacuatio propria affectionem inde natam tollit, quæ & inflammationis & malignæ expers eſt cacochymiæ: maximè verò ſi illa vacuatio ſignificata fuerit pepaſmo ad tempus; & critica perturbatione, ad ſpeciem ipſam criſis, quæ fit diebus criticis, non alienis.

[81. Coac.] AC TALIA DENVNCIAT AQVOSA VRINA.] i. Tincturæ bilioſæ expers, cuius antea fuit particeps,

particeps, atque pepasmi: de quibus ita philosophatur. *Recordabor quibus à crisi, post multarum hypostaseon vrinas, aquosa contigerunt multa syncera, tenues, Bioni qui apud Silenum decumbebat; Kratæ qui apud Xenophanem; Aretonis seruo; vxori Mnesistrati.*

93 Τῶν ἐξισαμένων μελαγχολικῶς, οἱ τρομώδεες γινόμενοι, κακοήθεες.

Qui cum immanitate fanatici contremiscunt; proximè absunt à morte.

ΕΚΣΤΑΣΙΣ μελαγχολικὴ, insania est vehemens & plena immanitatis, quæ Græcis dicitur θηριώδης, Μελαγχολικὴ autem dicitur, ab atra bile, cuius ex flaua multùm facilis generatio est. Tum ab acertimo bilis atræ morsu omnia summa sunt immanitatis exempla. Non enim hoc loco melancholia describitur primigenia; quæ nihil aliud est, quàm delirium febris expers, cum metu & mœrore conjunctum: sed insania, vt ita dicam, atrabilaria, phrenitidis consectanea.

QVI CVM IMMANITATE FANATICI CONTREMISCVNT, PROXIME ASSVNT A MORTE.] Exhausto cerebro atque neruis: vnde accidit, vt labefactata virtute in substantia, facultas ipsa laboret, ac tandem fatiscat in officio: vt hic tremor symptoma sit alienati cerebri; sicut insania, fortiter alterati.

Gal. comm. prorrh. 14. sect. 2. 1. & Coac. 81.

94 Παραφροσύνη ἐν πνεύματι μινυθώδει, καὶ ἐφιδρώσει, θανατώδης· θανατώδης δὲ καὶ ἐν πνεύματι, σὺν λυγμῷ.

Delirium in spiratione minutula, & sudatiuncula, citam mortem denunciat. Mortiferum est etiam, in difficultate spirandi, cum singultu coniuncta.

HORVM verborum difficilior explicatio est, quàm perceptio. Vt enim facilè complector animo quid velint; ita difficilè sententiam interpretor, propter ancipitem verborum significationem & vsum, quò illa conuerti debent, ad ineundam prognoseos rationem, quæ ducitur è signis & causis eorum quæ apparent & fiunt. Iam primùm omnium, constat in spiratione cerni delirium, quando in necessario spirandi vsu, & libertate instrumentorum mouentium, deducentium, & excipientium, sola voluntas morem non gerit. Sed tamen illa difficultas spirandi, magna & rara; mortifera non est: qualem esse dicit hoc loco. Ea enim tantùm delirij opinionem facit; quia voluntas deprauationem ostendit. Atque illud delirij signum, versatur in sensu doloris amisso: quemadmodum & sitis immeritò sedata. Et quamuis pestifera sint illa symptomata, vt signa & causæ: tamen illa citam mortem non adferunt. Itaque non inconsideratè, nec temerè, breui mortiferum esse putaui sine vlla exceptione τὸ πνεῦμα μινυθῶδες. i. respirationem minutulam, breui finem habituram: id enim significat τὸ μινυθῶδες. Nam quod attinet ad ipsum πνεῦμα, nemini dubium est, quin pro respiratione vsurpetur.

aph. 6. lib. 2.

DELIRIVM IN SPIRATIONE MINVTVLA.] Non quidem ab ea spiratione indicatum, sicut à magna & rara denunciari solet in morbis acutis: sed cum ea spiratione conjunctum, ab inueteratione causæ phreniticæ in cerebro conceptæ. Est autem spiratio minutula, parua & rara; certissimum exiguique, penéque extincti caloris argumentum: eamque spirationem ex euentu frigidam expirationem nominauit, de qua talem prognosin instituit. *Frigidus qui ex ore & naribus spiritus expirat; iam lethalis est valde.*

1. prognost.

1. prognost. & comm. ad hist. 3. 3. Epid.

ET SVDATIVNCVLA.] In qua miliaris sudor è capite tantùm exudat, qui partis ipsius, vnde manat, exolutionem ostendit.

CITAM MORTEM DENVNCIAT.] Quòd in propinquo est caloris natiui extinctio, & respirationis priuatio, quam tollit vsus amissio, & languor effœtæ facultatis motricis.

Deephidrosi, vide 52. Coac.

MORTIFERVM EST ETIAM IN DIFFICVLTATE SPIRANDI.] Duplex omnino est difficultas spirandi quæ cum delirio desperationem adfert salutis, aut in angusto spem esse denunciat; magna, rara tardáque; parua & rara. Quoniam voluntas in vitio est, nec antè se erigit ad functionem, quàm acrior sensio excitata fuerit, per incrementum necessitatis: quod cernere est in rusticis qui stupent attoniti visu tabulæ politissima arte depictæ, quam dum hiante ore magna contentione animi intuentur; non antè respirant, quàm nimia oppressione pene suffocati, ad se redierint. Quòd si ad raritatem accesserit quoque tarditas, palam est cum deprauatione voluntatis, cerebrum laborare, vitio complexionis suæ: propterea̔que facultatem in officio pigram esse. Nam de rara & parua spiratione, cujusmodi sit, iam aperuimus.

CVM SINGVLTV CONIVNCTA.] In quo vel alui tunicæ caruerint; vel ipsum jecur magna

47. Coac. inflammatione sit obsessum: cóque pejus, quò plures partes laborant. Nam de singulis eius periculo alio loco iam diximus.

95 Ἐνύπνια τὰ ἐν φρενίτιδι ἐναργῆ, ἀγαθόν.

Quæ in phrenitide memorantur insomnia, bonum denunciant.

Nihil optari potest à medico quod ipse mâlit, quàm vt phreniticus somnum ineat, suauiterque dormiat. Ac suauitatis quidem argumenta ponit, insomnia, quæ cùm exacta fuerint iucundè & alacriter, memorantur ab eo cui visa occurrerunt tranquilla. Sunt autem insomnia rerum quæ intelliguntur, & sensu percipiuntur, in somnis quasi visa quædam, & spectra. In effingendi virtutem à sensu communi, rerum sensibus extimis perceptarum repræsentatio incidit: qui sensus communis nunquam vt extimi quiescit, & feriatur: sicut nec animus bonarum cogitationum epulis saturatus. Hinc philosophicæ disputationes grauissimæ, & poëticæ exercitationes diuinæ.

Quæ in phrenitide memorantur insomnia.] Non turbulenta quidem, & tumultuosa: sed placida atque tranquilla; siue illa sint ὄναρ; siue diuinum ὕπαρ: quoniam omnia fiunt insomnia per eas species quæ in animam receptæ sunt, aut per principia diuinitatis, eiusque cœlestes cognationes; qualia fuisse credimus Iacobi Patriarchæ, Iosephi, & Danielis, qui & ipsi conjectores veri fuerunt.

Memorantur.] Sic illud ἐναργῆ, non propriè quidem κατὰ τὴν φιλολογίαν; sed appositè κατὰ τὴν διήγησιν nostri authoris: vt ea ἐνάργεια vel euidentia, referatur ad eum qui somniat, quique insomnia mente percepta commemorat: non autem ad eos qui somniantem, loquentem audiuerint; aut etiam tumultuantem & progredientem viderint.

Bonum denunciant.] Primùm quidem, quia comatis metum adimunt. Nam comatosis, helluonibus, temulentis, & iis qui satagunt rerum multarum, aut nulla somnia, aut confusa referuntur: propterea quòd rerum imagines perplexæ inter se, non aliter corrumpuntur, quàm radij rotæ citissimis versationibus circumactæ. Ad hæc tranquilla & memorata phreniticorum somnia, præclarè ad salutem faciunt & apparent: quia phrenitidis crudæ & efferæ syncramatica non sunt, iuxta illud: *Vbi somnus delirium sedat, bonus est*, i. salutaris & signo & causa.

96 Ἐν φρενίτιδι λευκαὶ διαχωρήσιες, καὶ νωθρότης, κακόν· ῥῖγος ἐπὶ τούτοισι κάκιστον.

In phrenitide albæ deiectiones & corporis exolutio, graue malum: sed longè grauissimum, si rigor accesserit.

Quotiescumque ad nobilissimæ partis oppressionem & erethismum, accedit perennis morbificæ materiæ generatio; & excursus symptomaticus; ægro pessimè est; & propensione morbi, infœliciter eunt ad desperationem salutis. Ergo cùm phrenitis ipsa per se terrifica sit, vehementia symptomatum, & dignitate partis obsessæ; cui commoda omnia quibus vtimur, lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, rationis exercitationem, disputationem, accepta referre debemus: tum si ad eam miseriam accesserit causæ morbificæ maligna vis, per concussionem eò excussa, vnde pars ipsa tandem fatiscat; iam desperatum de vita.

Quamobrem. In phrenitide.] i. in delirio perpetuo, cum vigiliis & ferocitate conjuncto, quod in cerebro sedem habet, bile perfuso.

Albæ deiectiones.] Tincturæ biliosæ expertes, quæ non sunt eiusmodi colore ciborum qui capiuntur, vt lactis; quales in Apollonio visæ sunt, qui lacte victitabat in febre; sed quæ ex euentu tales apparent, vacuitate scilicet bilis, translatæ in cerebrum: cuius translationis causa est, incendium superioris hepatis. Atque ea translatio cita, præripit attrahendi occasionem vesiculæ fellis: sicut in ictero vis attrahendi impeditur, propter canaliculi obstructionem. Sed hoc interest inter albas dejectiones ictericorum, & phreniticorum; quòd cùm in vtrisque albæ ferantur; ex euentu tamen, illorum sint ejusmodi à suppressione bilis; horum verò à cita & symptomatica translatione.

3. Epid. Et corporis exolutio.] ἄφεσις νωθρότης, ἔκλυσις: non à cerebri oppressione, madefacto neruorum principio, vt in diuturna tempestate austrina; vnde phrenitici comatosi: sed emortua facultate. Nam à bilioso humore fieri nequit.

Graue malum denunciant.] Vel mortiferum potiùs. Quoniam tales νωθροὶ seruari non potis est: collapso principio vnde omnia naturæ, sensus & motus commoda suppetebant: itaque ergo ipsa perit & corruit animalitas, vt ita dicam.

Sed longe grauissimum, si rigor accesserit.] Ac si diceret. In ea desperatione salutis quam phrenitica νωθρότης ostendit; si rigor superueniat frustra citatus è venis; & accessione

causarum,

causarum, quia translationem facit ad caput; & adiuncta corporis infirmitate, quia mortiferum est, fractis iam viribus rigorem incidere, non dubium est quin citam mortem adferat, & ægrum ad exitium præcipitet.

97 Ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν, ἐν ἀρχῇσι τὰ ἐπιεικῶς τε ἔχοντα, πυκνά τε μεταπίπτοντα· κακόν.

In phreniticis, quæ ab initio deprehenduntur symptomata, & crebrò huc illuc cientur; mala.

ΤΟ ἘΠΙΕΙΚΩΣ, authore Galeno, dicitur id quod medium obtinet locum, inter symptomata spei plena, & illa quæ in spe exigua, metu nos terrent. Itaque phreniticorum symptomata, sic sanè hoc loco sint constituta, vt neque τὰς ἐκστάσεις μελαγχολικὰς, i. *excessum melancholicum*, neque τὰς λήρους, i. *delirium* præ se ferant: sed ἀξιοσημείωτα luculentam & commemorabilem ostendant in omnibus, aut certè quibusdam deliriorum notis: quæ cernuntur in negligentia sui, dissimilitudine morum, & verborum obscœnitate, aut etiam nugarum garrulitate. Ne longum faciam, erit sanè τὸ ἐπιεικὲς inter τὸ σφοδρῶς, ἰσχυρῶς, μανικῶς, & τὸ ἐπιπολαίως.

ad prot. 67. sect. 5. prort. 9. 1. aphor. 27. 2. proc. 50. sect. 2. 1.

IN PHRENITICIS.] Qui cum vigiliis & ferocitate, per sympathiam febris, continentèr delirant.

QVÆ AB INITIO SYMPTOMATA DEPREHENDVNTVR.] Ac si diceret. Si phreniticorum symptomata, phrenitidis initio sese prodant; quo tempore, vt in omnibus morbis acutis bene constitutis, omnia debent esse ἀσθενέστερα. Nam febrium acutarum initiis remissiores sunt paroxysmi, vigiliæ, dolores, fastidia, sitis. Si igitur symptomata fiant abundè, & sufficienter appareant; vnde significatio fit repentinæ generationis ex inueteratione causæ phreniticæ: quemadmodum in phrenitico Thasio annotauit Galenus.

aph. 29. 2. hist. 3. sect. 3. 3. Epidem.

ET CREBRO HVC ILLVC CIENTVR.] i. Si veritas causæ phreniticæ peragret omnes cerebri mansiones, vt in cæteris morbis acutis orgasmus materiæ efferæ mutationibus creber est, crebrumque facit transcursum ab vna parte in aliam. Atque talis orgasmus materiæ, substantia tenuis, qualitate acris, temperamento calidæ; tantùm fit morborum initiis: non autem cùm iam processerint. Si igitur phrenitidis initio, symptomata iam terrifica, crebro huc illuc moueantur; & variarum cerebri mansionum, & humoris phrenitici propria erumpant; vnde varietas deliriorum in videndo, audiendo, ratiocinando, imaginando, & memorando: tum etiam phrenitidis incrementum, quod cernitur in actionibus ad summum deprauatis, τοῦ ἡγεμονικοῦ, καὶ τοῦ θυμοειδοῦς, καὶ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, i. *principis, irascibilis, concupiscentis*; quæque ἐν τῇ ἐπιτάσει, iam factæ sunt θανατώδεες.

prot. 17.

MALA.] Quoniam symptomata hæc, sunt repentinæ phrenitidis ex inueteratione causæ phreniticæ; ob eamque causam peiora: sicut fera rabies à morsu rabiosi canis immissæ. Tum enim victa iacet facultas, quæ dominatu morbi renetur. Huc accedit, quòd plurium partium labefactatio peiorem morbum ostendit. Hæc autem prognosis iisdem pene literis expressa legitur in prorrhetico.

prot. 17. sect. 2. 1. & in phrenitico 3. Epidem. prot. 12. & 27. lib. 1.

98 Τῶν ἐξισταμένων μελαγχολικῶς, οἷσι τρόμοι ἐπιγίνονται, κακόν.

Inter eos qui è potestate mentis per melancholiam exeunt; quibus tremores incidunt, proximè absunt à morte.

91. Coac & prorr. 14. sect. 1. 1.

99 Οἱ ἐξιστάμενοι μελαγχολικῶς, τρομώδεες γινόμενοι, καὶ πτυαλίζοντες, ἆρά γε φρενιτικοί;

HVIVS prognoseos τὸ ὕστερον πρότερον in verbis, sententiæ absurditatem parit, & ab omni philosophica ratiocinatione excludit. Etenim nemo est omnium rei medicæ philosophorum qui dixerit, tremulos fieri sputatores, inde fanaticos; ad extremum phreniticos: sed contrà, phreniticos primùm; inde sputatores; mox autem fanaticos; nouissimè tremulos: qui sunt progressus ad interitum per consectaneam cerebri alterationem, & alienationem. Ergo sic meliùs,

Οἱ φρενιτικοὶ πτυαλίζοντες, ἐξιστάμενοι μελαγχολικῶς, ἆρά γε τρομώδεες γίνονται;

95. 96. 97. 98. Coac.

Phrenitici, sputatores, phanatici, etiámne tremuli?

Qvi sint phrenitici, inde fanatici, nouissimè autem tremuli; quæque sint eorum symptomatum causæ, & quorsum illa fiant atque appareant, satis superque iam demonstrauimus, & κατὰ τὴν λέξιν nostri authoris examinauimus. Superest, vt de sputatoribus, qui sint, & cuiusmodi: tum autem quæ sint illius ptyalismi causæ & notæ, dicendum sit.

Enimuerò sputatores dicuntur, qui aut familiares suos conspuunt; aut qui sine conspuendo, sputandi finem non faciunt. Id autem faciunt vel necessariò, vel indecorè. Ac necessariò quidem, propter stomachum alui, nimia humoris abundantia laborantem; per seri phrenitici in eas partes prolapsum: aut quoniam idem serum à cerebro in palatum & fauces exudat: quemadmodum fauciato capite, cum trauma exaruerit, pustulæ biliosæ pullulant in palato & lingua. Si exudante sero ab inflammatione, ophthalmia fit lachrymosa; pleuritis tussiculosa; hepatis magna inflammatio, singultuosa. Quamobrem mirum videri non debet, si phrenitidis eximiæ ptyalismo succedit insania θανώδης; vnde postremo & nouissimè tremor, cùm est moriendum. Hi sunt gradus quibus à phrenitide itur in requiem sempiternam. Iam quòd idem faciant indecorè, vt cætera omnia, demonstratione opus esse non arbitror. Satis enim constat, phreniticos nihil facere conuenienter, neque intelligere quid opus sit facto.

100 Οἱ ἐκμανέντες ὀξέως, ἐπιπυρέξαντες· φρενιτικοὶ γίνονται.

Quibus excussa insania, febris acuta superuenerit, phrenitici rursus fiunt.

Phreniticorvm relapsus accepti feruntur insaniæ reliquiis, quæ ea exacta supersunt in cerebro: quia insaniæ tanta est feritas, tantáque cerebri alteratio; vt, superstite empyreumate, vix videatur posse depelli. Quòd si ad eam suscipientis causæ affectionem, atque, vt ita dicam, præparationem; vis efficientis alicunde ingruerit; in proximo erit relapsus. Est enim natura sic comparatum, vt si pars aliqua in vitio sit; in ea se morbi acuti, primario & secundario foco obfirment. Quinetiam ab omni transitu & progressu, facilis fit ad eas partes recursus atque reuersio, vnde morbifica vis primùm manauit: siquidem in illis partibus impressa manent veteris mali vestigia.

hist. 1. & 9. 1. Epidem. aph. 96. aph. 21. 6.

Qvibvs excvssa insania.] Per transitum humoris fanatici, i. bilis atræ, abscessum liberalem habentis & εὐπόρροια: vt in Herophonte. Vt enim melancholicis & nephriticis bonæ sunt hæmorrhoides: sic insanientibus, alterutro vel vtróque abscessu hæmorrhoidum & varicum, insania solet excuti.

Febris acvta svpervenit.] Minimè per progressum & sympathiam alterius morbi, quod propriè significat illud ἐπὶ: sed quæ sit ipsa per se morbus παλίγκοτος καὶ ὑποστροφώδης, i. *recidens ac reuertens*; aut propter reliquias prioris exactæ; aut propter nouam generationem ab internis vitiis, externisve.

Phrenitici rvrsvs fivnt.] Quoniam insaniæ depulsio nequit esse tam exquisita, quàm repletionis, per propriam vacuationem. Nam insaniæ cacochymia, malignitate cæteris omnibus antecellit. Phrenitici autem fiunt, quoniam febris translatio ad cerebrum symptoma facit humoris morbifici proprium, & quod naturam magis sequitur efficientis causæ, quàm suscipientis. Est autem morbificus humor & causa efficiens bilis: cuius proprium symptoma in cerebro, est ipsa phrenitis: quemadmodum bilis atræ, excessus melancholicus. Quoties igitur ad præparationem suscipientis causæ, accedit vis efficientis, repentina inde est malorum generatio.

101 Οἱ φρενιτικοὶ βραχυπόται, ψόφου καθαπτόμενοι τρομώδεες ἢ σπασμώδεες.

Phrenitici parum & rarò bibentes, idque cum strepitu, tandem contremiscunt, aut conuelluntur.

hist. 3. 3. Epidem. part. 3. in Pythione. aph. 6. p. 2. 6. Epidem.

Βραχυπόται dicuntur, authore Galeno, ὅσοι καὶ βραχὺ καὶ διὰ πολλοῦ πίνουσι, i. *qui parum & rarò bibunt*. Nam qui parum & continenter bibunt, non illi quidem βραχυπόται, sed κατὰ βραχὺ πίνοντες nominantur: quemadmodum Pythion, secundo die fuit βραχυπνοῦς, cui posteà octauo die apparuit spiratio minutula, breui finem habitura. Sunt enim βραχύπνοοι qui parua vtuntur & rara spiratione: non autem parua & crebra, doloris & impediti thoracis symptomatica: quamuis aliter illud βραχυπνοῦ vsurpatum videatur in illo. Ἰχνώδεα ξυνεχέα χασμώδεα μακρόπνοα ἐν τοῖσι διψῶσι καὶ μὴ πίνουσι, βραχυπνοῖ. i. *Oscitationis cura continentis, spiritus ex longo interuallo ductus eorum qui non bibunt aut rarò, crebrò repetitus*. Sed de his aliàs.

Ergo. Phrenitici parvm et raro bibentes.] Quia sunt ἄδιψοι εἰσι, id est, *minimè sitibundi*:

sitibundi: non quidem humore in fauces exudante, vt in sputatoribus fieri diximus, aut tussi leuiter irritante quæ sitim causi sedat: sed deprauato sensu communi: vnde rei molestæ sensio non excitatur ἐν τῷ φαντασμῷ, nisi rarò, cum per accessionem causæ sitiferæ, phantasia redditur ἀισθητικωτέρα; aut etiam propter νάρκωσιν aluinæ facultatis ὀρεκτικῆς τῶν ποτῶν. Proptereáque non leuiter peccant in sua commoda, defraudando suum genium pernecessario potionis vsu. Id autem cernere est in ferà hominum rabie à morsu canis rabiosi immissa, qui ob eam causam ὑδροφόβοι nominantur.

Ioqve cvm strepitv.] Arefacta scilicet tunica œsophagi, musculisque faucium in degluttiendi officio laborantibus: quæ affectio iam expressa fuit in illo. *Quibus bibendo strepitus exauditur.* Et in vxore Theodori, de qua illud scriptum reliquit. *Sonitus bibendo magnus.*

Contremiscvnt avt convellvntvr.] Contremiscunt quidem, quando id quod mouet, & quod mouetur, mutuis certant imperiis: conuelluntur autem, motu iniusso musculorum ad sua principia, per nimiam siccitatem & marasmum viuacitatis. Vtrumque symptoma, est alienationis à vehementi alteratione, proptereáque mortis iamiam futuræ certissimum argumentum.

99. Coac. sent. 12. P. 2. 6. Epidem. prorrh. 8. sect. 2. 2. part. 3. 3. Epid. 67. Coac. 7. Epid. 93. Coac.

102 Τὰ ἐν φρενιτικοῖσι νοσηλικῶς, τρομώδεα, θανάσιμα.

Egregiè phreniticorum tremores, citam mortem denunciant.

Et tremvli fiunt, omnes egregiè phrenitici, iuxta illud: Τὰ φρενιτικὰ νοσηλικῶς, i. σφοδρῶς, ἢ ἰσχυρῶς, τρομώδεα τελευτᾷ. i. *Insigniter phrenitici, tremore finem faciunt.* Et tremuli facti paulò post moriuntur: quoniam tremor, cerebri iam alienati symptoma, desperationem salutis ostendit. Quòd à priuatione habitus denuo comparari non possit.

prorr. 9. sect. 1. 2. 93. & 97. Coac. 106.

103 Αἱ περὶ ἀναγκαῖα παραφροσύναι, κάκισαι· αἱ ἐκ τούτων παροξυνόμεναι, ὀλέθριαι.

Quæ circa res necessarias versantur deliria, pessima: indéque si ingrauescant, mortifera.

Necessaria sunt illa, quibus vita hominum sustentatur: vnde scilicet viuifica vis manat atque deducitur ad viuacitatem tuendam. Est autem viuifica vis ὁ σύμφυτος συνεστηκὼς τῇ ἀρχῇ ζωτικῇ, i. nectar illud sanguinis & spiritus, consociale vitali principio, siue humido primigenio, spiritu & calore perfuso. Ad comparandum nectar illud viuificum, necessaria sunt hæc; cibus, potio, & aër quem ducimus: quorum vsus liber esse debet, in secunda valetudine, & in aduersa: qui æquè studeat naturæ, & pugnet cum morbo.

Qvæ circa res necessarias cernvntvr deliria.] Qui [illegible] vel qui πρὸς τὰ πόματα ἔχουσιν ἀποστρεφόμενοι, i. fastidio & contumacia efferuntur contra cibos & medicos; qui parum & rarò bibunt, in causa prægrandi sitifera; qui magna & rara spiratione vtuntur, in febre ardente.

Pessima.] Quia cùm ineptè id faciunt, sui admodum negligentes atque immemores, quæ sunt apertissima signa mentis in officio laborantis; ad hoc malum illud accedit etiam, quòd defraudando se illis rebus, quæ præter cæteras sanitatis fructus mirificos adferunt, etiam grauiora mala incurrunt.

Indeqve si ingravescant.] Accessione causarum morbificarum, vnde symptomatum perniciosa vis: vt si è phreniticis fiant fanatici.

Mortifera.] Quoniam inde aduentat alienatio atque τὸ ξηρότερ, quam alteratio prægrandis induxit.

hist. vniuersali de pestilentia. histor. 2. par. 3. 3. Epidem.

104 Αἱ παρακρούσιες φωνῇ κλαγγώδεες, γλώσσῃ, σπασμώδεες, καὶ αὐτοὶ τρομώδεες γενόμενοι, ἐξίστανται σκληρυσμὸς ταύτῃσιν ὀλέθριον.

Qui in delirio vocem canoram edunt, lingua conuelluntur, iidemque toto corpore contremiscunt; cœptis immanibus efferi sunt: his rigida cutis morticina.

Qvi in delirio.] Quando phrenitidi siccæ & calidæ superuenit prægrandis à febre deliratio.

Vocem canoram edvnt.] Communicata siccitate, & impertita arteriæ quæ dicitur aspera: quemadmodum ab humore fit rauca.

LINGVA CONVELLVNTVR.] Quòd in siccioris cerebri contagionem trahantur musculi nouem linguæ, neruusque septimæ conjugationis, qui ipsos musculos mouendi facultate donat; ac linguæ tunica prorsus exaruit, quæ ipsi arteriæ communis est.

IDIMQVE TOTO CORPORE CONTREMISCVNT.] Per transitum bilis ad genus neruosum, indéque per progressum ad cerebrum: vnde additio causæ phreniticæ.

COEPTIS IMMANIBVS EFFERI SVNT.] Mutatione bilis flauæ in atram: vnde ex phreniticis fiunt fanatici & θεοπλήκτοι.

HIS RIGIDA CVTIS MORTIFERA.] Exhausto partium solidarum humido primogenio: id enim significat ὁ σκληρυσμὸς: de quo iam suprà diximus, ex lib. 6. Epidem. Vide comment. Galeni ad prorrh. 19. sect. 1. 1.

105 Αἱ προεξαδυναμησάντων παραφροσύναι, κάκισται.

Deliria cum fixa virium exolutione, funesta.

DELIRIA.] Quæ nascuntur ex affectione morbida eius partis quæ mentem in officio laborare facit.

CVM FIXA VIRIVM EXOLVTIONE.] Quam peperit dolorum acerbitas, morbi assiduitas, aut colliquatio ipsa: accedente etiam vasorum inanitione; tum aspectabili, tum inaspectabili.

FVNESTA.] Symptomatum vehementia partis obsessæ, vnde commoda omnia, quibus ad vitam tuendam vtimur, & ad bene viuendum; efficientis causæ contumacia; suscipientis infirmitate; curationis ἀδυναμίᾳ: quoniam nulla vacuatio quantumuis critica, potest esse salutaris, vbi vires effetæ languent: vt in perpetuum veritatis authoritatem retineat illud. Quando ad funestum morbum accedit summa virium infirmitas, retinendæ vitæ est desperatio.

106 Τὰ ἐν φρενιτικοῖσι πυκνὰ μεταπίπτοντα, σπασμώδεα, πονηρά.

Quæ in phreniticis, crebrò huc illuc cientur conuulsifica, periculosa.

QVÆ SIT & cuiusmodi crebra illa symptomatum phreniticorum μετάπτωσις. i. *transitio*, iam explicauimus. Sed & prognoseως huius enarratio legitur in prorrhetico. Cernitur autem hic transitus, tum in crebra successione rei & priuationis, vt sitis; tum in symptomatum intensione & remissione, ex dominatu variorum & diuersorum humorum; tum in variarum cerebri mansionum irritatione, & alteratione prægrandi: vnde successiua opera φανταστικοῦ, διανοητικοῦ, & μνημονευτικοῦ, i. *facultatum apprehendendi, iudicandi, & memorandi.* Eius autem triplicis transitus exempla leguntur in Epidemiis passim. Ac prioris quidem in illo, διψώδης, ἢ πάλιν ἄδιψος, i. *sitibunda, rursumque sitis expertes.* Alterius in muliere Thasia morosa, quam vocat δυσάνιον. Sic enim scripsit. Τῇ πρώτῃ, ἀρχομένης δὲ νυκτὸς, φόβοι, λόγοι πολλοὶ, δυσθυμίη, i. *Prima dies incunte nocte, timor, garrulitas, infractio animi.* Tertiæ in Dealcis vxore, quæ deprauatione τοῦ φανταστικοῦ, floccos carpebat, festucas legebat è pariete, sculpebat. Eadem iudicij alteratione, modò flebat, modò ridebat.

107 Οἱ ἐν φρενιτικοῖσι, μετὰ καταψύξιος, πτυαλίζοντες, μέλανα ἐμέτον δηλοῦσι.

Qui è phreniticis, cum perfrigeratione, sputatores fiunt; vomitum illi nigrum denunciant.

QVÆ SIT in phreniticis causa sputandi, & quorsum illi sputatores reddantur, alio loco est demonstratum. Sequitur vt quemadmodum ptyalismus phreniticorum, cum perfrigeratione conjunctus, vomitionem nigram denunciet; apertissimè, planissiméque ostendamus. Enimverò ὁ πυκνὸς πτυαλισμὸς, i. *screatus frequens*, nisi frustra & indecorè fiat, non est proprium phrenitidis argumentum pathognomonicum: sed ferè fit illa phrenitidis egregiæ symptoma propagatum, quando à phrenitide itur ad insaniam. Talis igitur ptyalismus, qui & indecorè & necessariò editur in phrenitide; si conjunctam habeat κατάψυξιν, non immeritò ad vomitionem nigram apparet, hac ratione.

QVI E PHRENITICIS] i. est Egregiè, assiduè, vel crebrò.

CVM PERFRIGERATIONE.] Extimarum partium, non vniuersi corporis: sic enim docuit, τὰ ἄκρα διαψύχεται, i. *extima perfrigerari*, quando nimia bilis abundantia, natat aluus, in iis qui contra consuetudinem prandio abstinuerunt, vnde ipsa cum stomacho grauiter molestéque affecta & stimulata, robur exoluit: proptereáque refrigerat extimas partes corporis. Est igitur perfrigeratio, symptoma

commune

communc ventriculi bile perfusi: quemadmodum cardiogmus, & oris amaritudo, partis obsessæ & humoris morbifici proprium. *aph. 17. 4. & 3. progn.*

SPVTATORES FIVNT.] Non quidem indecorè, sed necessariò: quia dum natat bile animus, vt qualitate ipsius os amarescit; ita liquore perfunditur atque repletur per continuitatem interioris tunicæ, quæ stomacho & ori communis est: vnde palpitatio labiorum jam iam futuri vomitus prænuncia.

VOMITVM ILLI NIGRVM DENVNCIANT.] Vomitum quidem ptyalismo; nigrum verò perfrigeratione. Ac nigrum fit excrementum quod priùs erat flauum; tum febris ardore; tum ventriculi sympathia cum cerebro, per similitudinem generis, operis societatem, & vasorum communionem. Sic enim & sauciati capite, statim bilem vomunt: vt cerebrum & ventriculus per συμπάθειαν quandam, mutuò se afficere videantur. Porrò autem nigra illa vomitio phreniticos efficit [illegible], per accessionem pejoris causæ phreniticæ. *prorrh. 30. 1. hist. 1. 3. Epidem. 2. progn. 2. comment.*

108 Τοῖσι ποικίλως διανοσέουσι, καὶ παρακρούουσι, πυκνὰ κωματώδεσι· προσδέχεσθαι λέγε μέλανα ἔμετον. *prorrh. 10. s. 11.*

Quos variè peragrant morbi, crebróque soporati delirant; hos vomitum nigrum manere dicito.

ILLI DEMVM ποικίλως διανοσέουσι. quos varia exercent symptomata; tum per triplicem commemoratam μετάπτωσιν, i. transitionem; tum per διάδοσιν, i. propagationem causarum morbificarum; tum denique per variarum partium πρωτοπάθειαν καὶ ἰδιοπάθειαν, i. affectum primum & proprium. Sic in phrenitide triplicem animaduertimus successionem priuationis & rei: intensionis & remissionis: tum etiam peragrationis omnium cerebri mansionum. Sic in fractura calcis, varietas symptomatum accidit, progressu conuulsionis per chordam musculorum suræ; febris acutissimæ singultuosæ, per arterias; delirij autem, per neruos. Sic etiam χεῖρες τρομώδεες, κεφαλαλγίαι, τραχήλου ὀδυνώδεες, ὑπόκωφοι, i. Manus tremulæ, capitis dolor & colli surditas; per variarum partium πρωτοπάθειαν, ciusmodi simul existunt. Nam cephalalgia symptoma est capitis; surditas, cerebri; manuum tremor atque ceruicis dolor, neruorum principij. *Coac. 106. prorr. 3. sect. 3. 1.*

QVOS VARIE PERAGRANT MORBI, CREBROQVE SOPORATI DELIRANT.] Phrenitide iam affecta, perfuso bile atra cerebro, vt lanæ veneno fucatæ Assyrio: cuiusmodi sunt illa iam explicata, *Deliria cum tremore & palpo conjuncta, valde phrenitica.* Non enim coma hîc nasci credibile est ab oppressione pituitæ in cerebro stabulantis, à diuturna tempestate austrina, vel ab edacitate & bibacitate: sed potiùs ab exolutione. *80. Coac. 90. Coac.*

HOS VOMITVM NIGRVM MANERE DICITO.] Per sympathiam cerebri & ventriculi, vicinarumque partium nutritioni seruientium: præsertim si accesserit ptyclismus, & partium extimarum perfrigeratio: alioqui nihil ad eam vomitionem prædicendam efficient crebra cum sopore deliria; neque symptomatum triplex illa commemorata ex distinctione causarum, varietas.

109 Τὰ παροξυνόμενα σπασμώδεα τρόπον, κάτοχα.

Quæ conuellendo exacerbantur, sunt catocha.

HINC PALAM est, delirium & catochen non ita secum pugnare, vt sint ἀσύστατα symptomata. Nam & κάτοχοι παρακρούοντες, i. cum sopore delirantes, leguntur: & παραφροσύναι, vel παρακρούσιες ψηλαφώδεες, i. deliria palpantium: & φρενιτικοὶ κωματώδεες, ἄγρυπνοι, i. phrenitici comatosi, vigiles. Nisi fortasse quis illud, κάτοχα, interpretari velit, authore Galeno, τὰ βεβαίως ἱδρυμένα, i. firmiter fixa. Sed certè constat παράκρουσιν & κάτοχον nasci ab iisdem causis, & in eadem cerebri mansione; sicut τὰ σπασμώδεα, in neruorum principio. *prorrh. 36. sect. 3. prorr. 30. 1. prorrh. 1.*

Itáque QVÆ CONVELLENDO EXACERBANTVR.] Cùm iam exaruit neruorum principium: vt in phreniticis qui parum & rarò bibentes, idque cum strepitu, conuelluntur, aut contremiscunt. *101. Coac.*

SVNT CATOCHA.] Firmiter fixa, non pressa leuiter: quæque, exhausto cerebri humore primigenio, faciunt vt attoniti stupeant, eodemque statu maneant quo deprehensi fuerint: vt videre videantur, nec videant tamen. Ac si diceret. Qui à neruorum principio conuelluntur, iidem ab eodem & æquali vitio cerebri, attoniti stupent. Est enim catoche symptoma cerebri; vt & delirium; conuulsio autem, neruorum principij.

110 Τὰ παρ' οὓς ἐπάρματα, ἐν μακροῖσι, μικρὰ αἱμορρώδεα καὶ σκοτώδεα ἐπιφαινόμενα, ὀλέθρια.

Parotides in diuturnis parua. At verò prærubræ, vertiginosæ, & alienæ spontis; pestiferæ.

HACTENVS de phrenitide, cuius historiam sic explicauit Hippocrates, in essentia, magnitudine, more, paroxysmis, periodis, partibus, causis, symptomatis, & crisibus; vt nihil omnino desideretur, quod quisque summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, cognosci ac percipi posse arbitretur, De parotidibus prognosin vnam instituit, quatenus illæ sunt febrium symptomata ἐπιγινόμενα: plura ad miraculum vsque dicturus capite proprio de parotidibus, in examine morborum omnium particularium: quod alteram partem constituit huius diuini operis Coacarum decisionum. 10

Ergo. PARΩTIDES.] Tumores contra naturam, qui nomen adoptant aurium quas infestant; ipsáque dignitate partium obsessarum & vicinarum sympathia; principatum obtinent inter omnes tumores extimarum partium, qui sunt eiusdem generis.

IN DIVTVRNIS.] Scilicet morbis, quorum diuturnitas, non in parua colliquatione & maligna cacochymia; sed in pepasmi difficultate consistit, ob materiæ contumaciam, meatuum angustiam, & facultatis excretricis infirmitatem.

3. Epid. constit. 3. — PARVÆ.] Non quidem tumoris amplitudine, quæ sæpe talis cernitur, qualem descripsit, propereáque ipsas nominauit μεγάλας: sed quòd sint bene habitæ, molles, diffusæ, doloris & inflammationis expertes, neque palindromen facientes, sed paroxysmo mites; periodo æquales; iudicio faciles, per diaphoresin aut suppuratum. 20

aph. 51. 4. & 6. Epid. p. 2. prorrh. 76. sect. 3. 1. — AT VERO SANGVINEÆ.] Quæ à sanguinis affluxu nascuntur, ex hæmorrhagia morbo impari; vel etiam ab excursu symptomatico sanguinis ἀποχώρησιν, i. expurgationem non habentis.

ET VERTIGINOSÆ.] Quæ per συμπάθειαν, i. consensum, cerebrum rursus afficiunt, quod ante parotidum eruptionem, signa iam ediderat suæ affectionis & vitij, cephalalgia, comate, & surditate: vnde parotidas iam nominauit, οἰδήματα ὑπνώδεα, i. tumores soporatos.

65. Coac. 1 h. 1. Epid. prorrh. 68. sect. 3. 1. — PESTIFERÆ.] Atque funestæ doloris acerbitate, recursu ad cerebrum; translatione ad pulmones. Huc accedit; quod illæ siue sint expertes, siue participes supputati, mortem intentant. Expertes quidem, nisi homines liberali diarrhœa, & vrinæ profluuiis, periculo defungantur, vt Clazomenius: participes verò, si vniuersitatis excrementa sint cruda & praua; vt in pastoris ancilla. In vniuersum, partis sperabilem vitæ salutem non facit, quòd sit abscessus ἡμίρροπος neque ἀντίρροπος, i. affluxui dimidiati, nec morbo paris. 30

III. Οἱ πυρετοὶ ἰλιγγώδεες, ἢ σὺν εἰλεῷ, καὶ μὴ εἰλεὸν ὀλέθριοι.

Febres cum vertigine tenebricosa coniunctæ, fuerintue ilei, necne; mortiferæ. 40

aph. 17. 3. — ΙΛΙΓΓΟΣ proximè abest, inquit Galenus, ab epilepsia & apoplexia. Est enim, vt idem ait, ὁ σκοτώδης ἴλιγγος, i. tenebricosa vertigo: quam facit turbulenta spiritus in capite commotio, à flatu & crasso humore: propereáque prænuncia esse solet apoplexiæ vel epilepsiæ: siquidem in cerebro localem habeat generationem.

4. de acut. diæt. & 87. Coac. 86. Coac. — Quæ cùm ita sint. FEBRES CVM VERTIGINE TENEBRICOSA CONIVNCTÆ.] In quibus falsò creditur circumagi caput, vnáque caligant oculi: maximè verò cum vrinis tenuibus, & febrium initiis: vt nulla sit excusatio perturbationis criticæ, qualis à pepasmo sæpe fit ad vomitionem & hæmorrhagiam; micantibus venis in capite.

Hist. 6. p. 2. lib. 3. Epid. aph. 11. lib. 7. — FVERINTVE ILEI.] i. Intestinorum tormina cum cardiogmo, sine vlla dejectione, per ἄνω ἀναδρομήν, i. reuolutionem ad superiora, vel chyli, vel ipsius fæcis aluinæ; ab inflammatione, aut contumaci oppilatione pituitosi, crassi & glutinosi humoris. Est enim ilei symptoma proprium & inseparabile, τὸ ἐν κάτω διεξιέναι, i. nihil infra transire: vomitus autem symptoma productum, cùm in propinquo mors est: vt in muliere quæ apud Tisamenum decumbebat. Ac si diceret: siue ἴλιγγος veniat per contagionem & sympathiam stomachi malè affecti, vt sæpe accidit: ἢ τὸ σκοτῶδες, i. caligo. 50

lib. 9. progn. — NEC-NE.] i. Si non à bile aluina perusta quæ fuliginem ad caput transmittat, vnde vertigo; indéque spiritum visorium inficiat, vnde caligo; qualis in aëre purissimo cernitur, quando fumida aura nigráque suffunditur: sed à pulmonum impuritate & æstu, cuius dolorifica sensio non excitatur, vt in stomachi cardialgia, & alui torminibus ab eadem causa: aut etiàm si causæ illius vertiginosæ & caliginosæ perennis in cerebro generatio sit, quæ metum adferat epilepsiæ vel apoplexiæ. 60

86. Coac. & 4. de diæt. acut. — MORTIFERÆ.] Quoniam vertiginosæ causæ, quæ vel in aluo; vel in pulmonibus; vel in cerebro stabulantur; febrium paroxysmis & crisibus exacerbantur, & efferæ magis fiunt: vt mirum videri non debeat si non sint apud se, qui vertiginosa & tenebricosa febre laborant. *Quibuscumque febrium initiis vertigo est; vnáque capitis venæ micant, cum tenui & cruda vrina; his proculdubio febris exacerbationem in crisibus expectare oportet: nec verò mirari, si non sint apud se.*

112. 113.

112. 113. Τοῖσι πνευματίοισιν ἐοῦσι, πυρετὸς ὕστερον ὀξὺς μετ᾽ ὑποχονδρίου ξυντόνου, καταψυχθεῖσι παρ᾽ οὖς μέγα ἔπαρμα.

Si cui suspirioso febris acuta post incidit; vnáque hypochondrij tensio sit, perfrigerato; magna parotis denunciatur.

IN HAC prognosi verissimum illud esse reperio, quod vulgo dici solet. Breuis esse laboro, obscurus fio. Sed omissionis potiùs vitium est, quam breuitatis. Omissio cernitur in diuidendo. Quæ cuiusmodi sit τὸ δι᾽ ὅτι & quæ τὸ ὅτι paucis aperiam & explicabo. Enimvero suspiriosi hoc loco dicuntur, vt cæteras suspirij causas omittam quæ sunt notissimæ, quibus conceptum in pulmonibus suppuratum, nec liberalem habet, nec liberam τὴν ἀναπνοήν: proptereáque ipsos in obsequendo contumaciores reddit adiuncta etiam necessitate spirandi. Nam suspiriorum causæ omnes ad ipsam pulmonum contumaciam referuntur. Huiusmodi enim sunt asthmatici: huiusmodi etiam οἱ πνευματίαι, quos fieri scripsit Hippocrates in pleuritide, ex inconsiderato & præcipiti vsu ptissanæ; priusquam dolor quieuerit, & os humescere cœperit. De quibus ita præceptor. Ἐν ἑπτὰ δὲ ἡμέρῃσιν ἢ ὀλίγῳ πλείοσιν ἀποθνήσκουσιν, ὑπὸ δὲ ὀρθοπνοίης, καὶ τοῦ ῥέγχειν ἀποπνιγέντες. ταχέως γὰρ πνευματίαι γίνονται, i. *Intra dies septem aut pauciores, moriuntur à difficultate spirandi, & stertore suffocati. Citò namque fiunt suspiriosi.* Deinde subiungit formam & ideam suspirij. *Sputum namque ipsum subsistens in via, spiritum ingressu impedit. Cogit autem ad celerem egressum*: vt nihil aliud sint οἱ πνευματίαι, quàm qui difficulter inspirant, & citò expirare coguntur. Et quia inter cæteras maximè conspicua est illa difficultas spirandi, ideo nomen habet παρ᾽ ὄχλον τοῦ πνεύματος; vt ab eo difficili spiritu, οἱ πνευματίαι nominentur, in quibus difficultas spirandi potissimùm apparet magna.

SI CVI SVSPIRIOSO.] Qui difficulter inspirat magna contentione musculorum, contumaciæ thoracis impatium; propter pulmonis oppressionem: idemque citò expirat, coactus nimia fuliginis abundantia, suffocationis metu; idque paulisper, dum ipsa materia, maioris suspitij causa effectrix, ad aures cursum inflectit, ibique parotidas facit.

FEBRIS ACVTA POST INCIDIT.] Quæ à pepasmo mitiuerat, nunc recrudescit; denegato exitu materiæ per anacatharsin, neque aluo liberaliter ducta; nec prorumpente vrina crassa cum hypostasi plurima.

VNAQVE HYPOCHONDRII TENSIO SIT PERFRIGERATO.] Hic maximum vitium est, in diuidendo: sed longè maius in enunciatione. Namque vt concedam suspirio, & febris incremento, post suppuratum, parotidas denunciari; ac suspirio quidem, quod sine prophasi apparet paulisper; & sine aspectabili causa quiescit: tamen non efficitur ad ineundam prognosin parotidum, necessariò concurrere hypochondrij tensionem: sed contrà ipsum videri debere & percipi molle, succi plenum, & expers doloris. Enunciationis autem vitium cernitur in eo quod legitur, καταψυχθεῖσι; cùm in prognostico scriptum sit: Οἷσιν αἱ ἀεὶ τὰ ὑποχόνδρια τὸ φλέγμα τι ἐγγίνηται; vbi Galenus τὸ φλέγμα interpretatur, θερμασίαν ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ φανερὰν, i. *ardorem manifestum.* Quæ cùm ita sint, hæc partitio & enunciatio locum habebit. 2. progn.

SI CVI SVSPIRIOSO.] Qui & parumper sine præuidentia suspirat, & sine aspectabili causa, suspirij finem habet.] FEBRIS ACVTA POST INCIDIT, MAGNA PAROTIS DENVNCIATVR. Deinde sic. AT VERO SI CVM HYPOCHONDRII PARVMPER ÆSTVANTIS TENSIONE, QVIESCAT SVSPIRIVM, SALVTE SPERABILI; ABSCESSVM FORE INFRA EXPECTATO. Hæc igitur partitio & enunciatio legitima instituentur ex perspicientia causarum & abscessuum criticorum: nisi fortè quis velit harum duarum prognoseωn complexionem eò sperare, quò illud iam explicatum. *In suppurato pulmone, si dolor ad ventrem & ad inguinum, parumper huc illuc prorepit; & cum anxietudine stertor adsit; expectorabilis materia vi magna ostenditur.* Sanè quidem: sed hypochondrij tensio in suspirio per protopathiam, parotidas nunquam denunciat, nisi ex euentu in causo; quando itur ad hæmorrhagiam, quæ morbo fit impar, & in abscessum pone aures conuertitur. Cæterùm huius prognoseωs mens potissimùm eò specta, vt intelligamus; parotidas, quamuis dimidiato, nec rependente abscessu reuera non sint criticæ & salutares in morbis acutis: tamen in suppurato pulmonis, ancipitem salutem omnino facere certam; si & suppurent, & fistulentur. aph. 51. 4. & 6. Epid. part. 3.

114 Οἷσιν αἱ ἐν πυρετῷ ὀδύναι γινόμεναι περὶ ὀσφὺν, καὶ τὰ κάτω χωρία, φρενῶν ἅπτωνται ἐκλίπουσαι τὰ κάτω, ὀλέθριαι· ἄλλως τε, κἢν ἄλλο τι σημεῖον προσγίνηται πονηρόν. Ἢν δὲ τ᾽ ἄλλα σημεῖα μὴ γίνηται πονηρά· ἔμπυον γενήσεσθαι ἐλπίς.

Quibus in febre dolores circa lumbos & inferiores partes oborti, iis relictis ad diaphragma transeunt, valde pestiferi: idque cùm aliàs

tum si quod aliud prauum accesserit signum. Sin autem cætera signa non sint praua; suppuratum expectandum.

ENIMVERO omnis symptomaticæ translationis, omnis metuendus exitus; vndecunque illa cursum ad superiores partes inflectit: sed ea demum salutis desperationem ostendit quæ firmiter fixa in parte nobili; ad vitam tuendam pernecessaria; prauorum quoque signorum accessionem habet. Sic Larissæo Caluo femoris dolor primo die obortus, secundo concessit; inde maior febris, somni vacuitas, partium extimarum frigus: tertio die omnino femoris dolor quieuit; sed è potestate mentis exiuit cum jactatione multa & tædio: tandem quartum agens, sub meridiem acerbissima morte interiit. Critonem recursus tumoris in pede oborti, secundo die interemit. Ne longum faciam; omnes morbi symptomatici, excursus & recursus consectanei, sunt primigeniis pejores: quoniam materia quæ corruptione propriæ substantiæ, in vitio est, partium, in quas transfertur, complexionem omnino labefactat. Sed juuat legere & intelligere diorismos quibus vtitur ad ineundam prædictionem futuri exitus, id est, translationis symptomaticæ, quæ prorepit à lumbis ad diaphragma. Sunt autem huiusmodi.

Hist. 5. par. 3. 3. Epid.

lib. ἐπὶ ...

QVIBVS IN FEBRE.] Cuius vacationem expectare non licet ex vllo præsenti materiæ decessu, qui nondum significatus fuit, neque ad tempus, neque ad speciem ipsam crisis.

DOLORES CIRCA LVMBOS ET INFERIORIS PARTES OBORTI.] Nulla incidente vi extrinsecus, nec vllo prolapsu catharri in musculosum genus lumborum; partiumque inferiorum, vt ossis sacri, aut femoris: sed incandescente arteria quæ superjacet lumbis; vel inflammata rachitide; vel etiam mesocolo quod à lumbis originem ducit. Atque is dolor sit eiusmodi vt conjunctam habeat cum acerbitate grauitatem, quæ signum est affectionis propriæ, non autem sympathiæ; nec vllam opem percipiat ab iis quæ offeruntur: qualis Larissæi Calui. Sunt autem lumbi, pars illa spinæ quæ absoluitur quinque vertebris, à nothis costis ad os sacrum: qui numerus vertebrarum lumbarium nusquam alibi quàm in homine reperitur, ne in simia quidem. Ac lumborum nomine intelliguntur vertebræ ipsæ, rhachitis, musculi ψόαι, arteria & vena lumbaris, renes quoque & mesocolum. Celsus vocat coxas τὴν ὀσφύν, vbi Latinè exposuit hanc prognosin.

libro 2. ἐπὶ ... cap. 6. 2.

SI IIS RELICTIS AD DIAPHRAGMA TRANSIERINT.] i. Si dolorifica in lumbis caussa, ad diaphragma, i. metaphrenon & partes quæ illic continentur, migrauerit; per ascensum symptomaticum materiæ temperamento calidæ, substantia tenuis, & qualitate acris; proptereáque efferæ & crebræ orgasmo: quemadmodum in illo. Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομῆς, ὀφθαλμῶν ἰλλώσεις, κακόν, i. *Ex ascensu à lumbis ducto, peruersio oculorum mala.* Vbi Galenus scripsit: *Lumborum ascensum ad caput, symptomata excitare partis obsessæ propria, & vicinarum atque communium consectanea*: sicut est palpebrarum peruersio: non secus atque in pulmonibus, quando illuc translatio fit, symptomata eduntur quæ in hac prognosi continentur.

prorrh. 34. lib. 2.

VALDE PESTIFERI.] Quoniam translatio materiæ fit infernè sursum, à partibus ignobilioribus ad nobiliores: quæ quia corruptione in vitio est; nec facilè vincitur, nec eæ partes labefactatæ facilè expediuntur: quarum officio vita carere nequit.

IOQVE CVM ALIAS.] Proprio scilicet translationis vitio in orgasmo siue impetu, & parte obsessa, caussisque orgasmi; vnde, quò, qua, & quamobrem.

2. Epid. part. 2.

TVM SI QVOD ALIVD PRAVVM ACCESSERIT SIGNVM.] Vt si dolor juguli paulisper fixus, ad cerebrum transeat; si malum sit intolerabile; si magna & frequens admodum respiratio; nulla doloris remissio; nulla aut perexigua expectoratio; sitis inexplebilis; inæqualitas febrilis ardoris; alui & costarum conflagratio; partium extimarum frigus: denique vrinarum, dejectionum, somni, sudorum mala conditio.

75 Coac. 2 progn.

SIN AVTEM CÆTERA NON SINT PRAVA.] Vt si cætera naturaliter sint constituta, aut proximè absint à naturali statu, quæ cernuntur in triplici corporis qualitate, actionibus, & excrementis.

SVPPVRATVM EXPECTANDVM.] i. Vomica pulmonis ab inflammatione, quæ nec expurgatione, nec aluo prorupta, nec sanguinis detractione, nec etiam diæta quieuit. Atque ea vomica spei adhuc reliquum quidpiam facit, si vel expurgatione, vel alui ductione, vel vrinis proruptis vacuetur: aut etiam secessum habeat vel ad aures, vel ad partes inferiores tumoribus illico obortis, qui suppurent & fistulentur. Hîc enim, τοὺς ἐμπύους agnoscimus, qui puris à phlegmone mutationem acceperunt: non eos quibus ipsum pus in spatium thoracis erupit: quamuis τὸ ἐμπύημα in vtraque significatione legatur.

113. Coac. 2. progn. aph. 8. 5. & 18. Coac.

115 Παιδίοισιν ὀξὺς πυρετὸς, καὶ κοιλίης ὑπόστασις μετ' ἀγρυπνίης, καὶ τὸ ἐκλακτίζειν, καὶ τὸ χρῶμα μεταβάλλειν, καὶ ἴσχειν ἔρευθος· σπασμώδες.

Puerilis acuta febris, aluus nihil reddens, vnáque somni vacuitas; tum calcitrandi vis crebra, coloris item mutatio, & ruboris suffusio; conuulsifica hæc sunt.

PVERVLIS.

PVERVLIS.] Præsertim lactentibus, crassiore lacte victitantibus, tum etiam dentientibus, natura crassis & succi plenis, ad septimum vsque annum ætatis. aph. 25. 3.

ACVTA FEBRIS.] Quæ superuacaneum humorem ciendo, nec excludendo, oppressionem facit; neruorumque imbelliam & musculorum collectionem iniussam. Est autem mõstri simile, febrem acutam conuulsificam esse, quæ ipsam conuulsionem sanat à repletione natam: cur idem non faciat in puerulis; nisi in promptu adferamus excusationem infirmitatis mollissimorum neruorum.

ET ALVVS NIHIL REDDENS.] Vnde sunt repleti multùm & excrementij puerui: ob eámque causam conuulsionibus obnoxij. Notanda διάλεκτος Ionica, quæ astrictionem alui designat, per ἐπίστασιν τῆς κοιλίης quam alibi nominauit ὑπόχωρησιν, ἐπίσχεσιν: sed tamen constat ἐπίστασιν τῆς κοιλίης, idem significare quod illud prognost. ἢν γαστὴρ μὴ διαχωρέῃ, i. nisi aluus secedat. ibidem.

10 VNAQVE SOMNI VACVITAS.] A terra lactis, & febris, & alui suppressæ anathymiasi quæ facit etiam vt puerulí expauescant & eiulent; quod est infirmi cerebri argumentum, & imbecillæ adeo edingendi virtutis.

CALCITRANDI VIS CREBRA.] Ob doloris acerbitatem, & membranarum stimulos & impotentiam.

COLORIS ITEM MVTATIO.] Si color pallidus, liuidus, aut ruber euadit: vnde significatio fit prauorum qualitate humorum; sicut ex rubore, sanguinis abundantis.

CONVVLSIFICA SVNT HÆC.] Conuulsionem denunciant atque faciunt vniuersi corporis; sed eam fugacem: proptereáque minùs terrificam.

20 116 Τὰ ἐξ ἀρχῆς ταραχώδεα, ἄγρυπνα, μέλανα δὲ συνεστῶτα, αἱμορροεῖ ἔνια.

Qui febrium initiis perturbantur in turbulenta somni vacuitate, vnáque nigra & figurata excernunt; ex iis nonnulli sanguinem reddunt è naribus.

30 IAM NOS ad Momi lucernam examinauimus, & ad medendi vsum accommodauimus diuinam illam prognosin quæ sic habet. *Qui febrium initiis perturbantur somni expertes, siquidem stillarit sanguis, indéque sextum morbi diem agentes sint alacriores, sed noctem exigant molestiorem; postridie autem cum sudatiuncula soporati, nec sua mentis, sanguinem liberaliter fundunt; malis omnibus liberantur. Ac talia denunciat aquosa vrina.* At verò quæ nobis explicanda proponitur, tametsi in limine formam & speciem illius commemoratæ spectandam exhibeat, longissimè tamen abest à sensu & scopo. Illic enim diorismi sunt eorum quæ contra legem febrium initiis apparent & fiunt: cuiusmodi sunt perturbatio mentis & stillicidium sanguinis: quæ tamen beneficio pepasmi ad ægri salutem conuertuntur, & criticam legem ægroti seruant in signis & causis, à quarto ad septimum diem, quo per liberalem hæmorrhagiam mala omnia recedunt. Hic autem quæ febrium initiis verenda est perturbatio; vt neque tum sperabilem crisin facit: ita prauorum 92. Coac.

40 signorum copula spem adimit conualescendi: sunt autem praua signa, deiectiones nigri stercoris & figurati, vel potiùs in globulos tanquam in spyrathos caprarum coacti, quod Græci vocant διαχωρήματα συνεστῶτα: quod est eiusmodi; spyrathosum quidem, propter longam in intestinis moram, vbi à febrili calore exaruit; nigrum verò, propter incendium quo interiora ægroti conflagrant. Galenus vocat διάθεσιν καυσώδη, i. dispositionem inflammatoriam. Hippocrates τὰ καυσώδη, quorum, vt ait Galenus, vis est, morbum indicare acutum & celeriter iudicandum, ταχυκρίσιμον; ac periculosum profectò, si valde adurantur. Atque in illo incendio & siccitate interiorum, vnde καυσώδη sunt etiam excrementa, non potis est salutariter quicquam excerni, vbi vires desunt. Et qui ab exhausto laborant nimium resiccati, neque aluinam excretionem, neque rigorem, neque sudores, neque parotidas, nec alium quemuis abscessum, naturæ commodo, perferre possunt. Itaque præclarè illud, vt cætera omnia, summus præceptor. Κοιλίαι ἐπιστάμεναι, σμικρὰ δὲ μέλανα, σπυραθώδεα πρὸς ἀνάγκην χαλῶσαι· μυκτὴρ δὲ ἐπὶ τούτοισι ῥαγεὶς κακόν. i. *Alui intercepta, quæ pauca nigra in globulos coacta, non nisi necessitate adacta laxant, his reseratæ nares, malum.* pror. 6. 4. prorr. 60. sect. 2. 1.

50 prorrh. 62.

117 Τὰ ἀγρυπνήσαντα ἐξαίφνης ἀλυσμῷ, αἱμορροεῖ· ἄλλως τε κἢν τι προεῤῥυήκῃ· ἆρά γε καὶ μεταφρίξαντες οἱ ἐπ' ὀλίγον περιψύχοντες;

Si quis repentè fuerit somni expers, idemque iactatus; sanguinem

60 *profundit è naribus: idque cùm aliàs; tum si quid antè reddiderit. An verò perhorrescat, qui antè paulisper refrixerit?*

ENIMVERO symptomata perturbationis criticæ quæ ad speciem aliquam crisis apparent, ex incertis certa redduntur, quando natura & humor cò sponte cursum inflectunt, quò ipsius crisis incli-

uationem fieti ἀμφίδοξα symptomata non planè testantur. Sunt enim, fateor, obscura & varia hæmorrhagiæ signa, repentina somni vacuitas, & crebra loci atque figuræ mutatio in perturbatione critica: sed ea tamen ex obscuris clara; ex incertis certa efficiet naturæ ad hæmorrhagiam propensio, quæ cernitur in sanguinis iam inchoata exclusione. Atque huius theorematis fundamentum præclarè in illo iactum est. *Talia denunciat aquosa vrina*, quæ ex incerto hæmorrhagiæ signo fit certum: quando à sanguinis stillicidio quarti diei cum vrinæ pepasmo, cæteri dies morbi ad septimum vsque legem criticam seruauerunt, in signis & causis; tum in perturbatione critica; vel sola vrina colore & consistentia prorsus aquosa, hæmorrhagiæ iamiam futuræ certissimum est argumentum: ad quam stillicidium quarti diei, tanquam ad fontes digitum intendit. Huiusmodi illud est: *Quibus ineunte febre sternutamento excusso, è naribus si sanguis stillatim siquidem quarto die vrina hypostasin albam exhibeat: febrem per hæmorrhagiam septimo die sanatum iri ostendit.*

92. coac.

155. coac.

Ergo. SI QVIS REPENTE FVERIT SOMNI EXPERS.] Quem antè iniuit ex facili: vt ea somni vacuitas tantùm symptoma sit perturbationis criticæ, à naturæ contentione: non autem coacti morbi.

IDEMQVE IACTATVS.] Alysmo fugaci.

SANGVINEM PROFVNDIT E NARIBVS.] Per excursum criticum, qui citam eductionem habet.

IDQVE CVM ALIAS, TVM SI QVIO SANGVINIS ANTE REDDIDERIT.] Quia stillicidium illud denunciat naturæ & humoris propensionem; facitque vt illa duo signa ἀμφίδοξα efficiantur τεκμήρια, i. syllogistica.

AN VERO PERHORRESCAT, QVI ANTE PAVLISPER PERFRIXERIT.] Sanè quidem à frigore prodest horror: cuius concussione fit excussio rei molestæ, per Aphor. 59.4.

118 Περὶ δὲ τοὺς παροξυσμοὺς βήσσοντες, καὶ ἐφιδροῦντες μικρὸν κακοήθεες.

Qui circa paroxysmos tußiunt, ac leui sudore subroscidi sunt; grauißimum habent malum

QVICQVID eiusmodi est, vt inde naturæ infirmitas, causæ morbificæ feritas, partiumque nobilium offensio denuncietur; ægroto pessimè esse idem quoque significat. Regnabant in Thasiis tusses, cum rauca voce coniunctæ & siccæ, quæ tandem miseros iacere ὀρθίους coëgerunt. Ac tum horriduli, continenter & vehementer hemitritæo laborarunt. Sudabant illi assiduè: sed non vniuersè, nec liberaliter. E quibus qui dominatu morbi omnino tenebantur; neque tantisper quidem pepasmum in sputo ediderunt: sed in cruditate expectorabilis materiæ morbum exegerunt. Atque fauces eorum dolorificam vim catarrhi expertæ sunt, cum rubore & inflammatione exactum ad morbum. Erant autem tenues, efferæ; acres fluxiones, quæ citò miseros labefactabant.

Ergo. QVI CIRCA PAROXYSMOS TVSSIVNT.] Catarrhi citati in pulmones procumbentis feritate; nec tussiendo quicquam extussiunt in paroxysmi horrore: qualis esse solent hemitritæi & phthisis: ex quo duplicem concussionem experiuntur, quæ mutuò se fouet in perniciem ægri.

AC SVDATIVNCVLA.] Capitis, ceruicis, atque thoracis; primùm quidem ab oppressione; deinde ab exolutione partium solidarum, & succi alibilis exudantis perenni delapsu.

GRAVISSIMVM HABENT MALVM.] Duplici concussione: febris & catarrhi ferinè conspiratione, causæ morbificæ vi efferata, naturæ infirmitate, & partium nobilium offensione, faucium, laryngis, atque pulmonum. Consensus febris & catharri cernitur in eadem vtriusque periodo, ab exolutione facultatis retentricis, repletione cerebri, & commotione catarrhi à febrilis ardoris intrò recurrentis anathymiasmi tetra & praua.

119 Ἐς πλευρέων ὀδύνης καὶ πνιγμοῦ προσγενομένου, ἔτι ἐμπυοῦνται.

Si cui ad lateris dolorem accesserit suffocatio, purulentus efficitur.

OFFICIVM est medici, tanquam è specula, præuidere futuras morborum successiones & transitus, quando eorum notitiam animo & mente complexus est, per actionum vitia, & vitiorum species aut „ differentias. Vt enim actio læsa partis affectæ certissimum est argumentum: sic læsionis species, affe- „ ctionem ipsam cuiusmodi sit, apertissimè planissiméque ostendit. Præuidendi autem ratio continetur, proposito pleuritidis exemplo, quod perspicuitate & excellentia vincit res cæteras quæ sunt eiusdem generis.

SI CVI. Omnis ætatis, temperamenti, complexionis, & sexus: maximè verò homini naturâ, vitæ instituto, & victus ratione bilioso: vnde plures opportunitates & causæ ὁρμῆς, i. *humorum impetus*, sæuique doloris.

AD LATERIS DOLOREM.] Acerbissimum, sanguinis biliosi affluxu, per inflammationem membranæ

branæ sensus acerrimi excitatum; continenter stimulis lacessentem: à quo symptomate omnium molestissimo, pleuritides nominantur, ὀδύναι τοῦ πλευροῦ. [2. de acut.]

ACCESSERIT SVFFOCATIO.] i. Difficilis respiratio, cita in expirando, perquàm molesta in inspirando; & quæ paulò antè fuerat parua & frequens, nunc cernitur asthmaticorum similis, i. suspiriosa quæ difficillimam habet inspirationem & citam necessariò expirationem, suffocationis metu à nimia fuliginis abundantia.

EFFICITVR PVRVLENTVS.] i. Mutatio fit inflammationis in vomicam: quia dolor inflammatorius remedio nullo conuenienter adhibito concessit. Ac suppuratum illud, cùm ex aliis signis perspicitur; tum verò maximè si eius initio difficiliùs spirabat æger cum rigore, cuius antea fuit expers; & cum 10 dolore graui, qui antè fuit acutus. Funestum est autem suppuratum: siquidem sputum est biliosum & purulentum; maximéque si die septimo, critico potentissimo, vnde opinio fit futuri interitus decimoquarto: nisi affulgeat spes bona salutis ex optima conspiratione bonorum signorum quæ in ægroto luceant splendeantque ab Hippocrate explicata. [2. prognost.]

120 Οἷσιν ἐν συνεχέσι φλυζάκια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκφύει· θανάσιμον, μὴ γινομένης πυώδεος ἀποστήματος· μάλιστα δὲ τούτοισιν εἰώθασι γίνεσθαι παρ' οὖς.

20

Quibus in febris aßiduitate postula toto corpore suboriuntur; mortiferum illud est : nisi purulento abscessu, qui hîc potißimùm ad aures erumpit, periculo defungantur.

ILLÆ DEMVM pustulæ sunt pestiferæ quæ nutu morbi, non autem naturæ dominatu erumpunt: quamuis toto corpore efflorescant, nec vllam partem expertem sui relinquant: vt ea ratione spem fa-30 ciant bonæ valetudinis: quòd talis abscessus inferior non sit morbo: sed pro materiæ morbificæ abundantia dignè oriatur atque appareat. Sed longè aliter atque secus res habet, quando à gargalismo hæc fiunt, nec febris finem adferunt, quin faciunt potiùs vt ea vires acquirat eundo; ipsa verò φλυζάκια non iudicant cùm iudicare debent, proptereáque sunt lethalia.

QVIBVS IN FEBRIS ASSIDVITATE PVSTVLÆ.] In morem bullarum exurgentes. Id enim significant τὰ φλυζάκια. Galenus φλυκταίνας interpretatur, earumque φλυκταινῶν hanc esse causam docet, collectionem ichorum corporis superficiem erodentium. Quarum generationem ex ichoribus venenatis diuinè Hippocrates explicauit. *Æstiuo Cranone carbunculi: densis pluebat nimbis, idque tempestate austrina. Ichores subnascebantur in cute, qui pruritum excitabant, inde pustulas ambustis similes*, φλυκταινίδας ὥσπερ πυρικαύστου. Scite autem licet nomen ichoris vsurpari pro virulento sero atque maligno 4. acut. qui locus 40 à Galeno citatur comment. 2. Epid. [4. acut. 2. prognost. 2. Epid.]

TOTO CORPORE SVBORIVNTVR.] Sic Hippocrates; *Cùm intumescebant vlcera omnia, tum in pudendis frequentißimè.* Et paulò pòst, ἐκθύματά τι μεγάλα: vbi Galenus, *Perspicuum est*, inquit, *τὰ ἐκθύματα nomen habere ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, quod est, ἐξορμᾶν, quando humores sponte sua in cutim prorumpunt & efflorescunt*: vt ἐκθύματα 3. Epid. nihil aliud sint quam ἐξανθήματα 1. Epid. sed illa à motu & incitatione; hæc verò à forma & impressione. Commemorabile est quod toto sparsa corpore nihil opis adferant: sed contrà magis ægros affligant: qua de re illud extat. *Si cui salsuginosa sputa vnàque tussis quiescunt; ei totum corpus, velut exanthematis obsitum, rubet: ac tandem asperitate fit rigidum, iamiam futura morte.* Vt non ineptè hæc prognosis ad propositæ explicationem pertinere videatur.

MORTIFERVM ILLVD EST.] Propter humoris efferi symptomaticum motum atque refluxum; 50 aut propter sputi salsuginosi & tussis expectorantis suppressionem, vnde suppuratum, cuius argumenta sunt pustulæ.

NISI PVRVLENTO ABSCESSV, QVI POTISSIMVM AD AVRES ERVMPIT, PERICVLO DEFVNGANTVR.] Vel abscessu crurali, qui, vt parotides, suppuratum habeat & fistuletur. Atque id locum habet in suppurato, non autem in febre acuta, nisi cum vrinæ pepasmo: vt iam demonstrauimus. [112. & 113. coac. 110. coac.]

121 Ἐν ὀξεῖ τὰ μὲν ἔξωθεν περιψύχεσθαι, τὰ δὲ εἴσωθεν καίεσθαι, καὶ 60 δίψαν· κακόν.

In acuta febre exteriora perfrigerari, interiora verò sic vri, vt etiam sitim faciant; exitium portendit.

Qvando febrilis calor molliter & æquabiliter, intus foras perpetuat suum cursum, & cum illius appulsu percipitur partium extimarum totiusque corporis mollitudo; ægro bene est: ac talis constitutio censenda est omnium optima, quæ in qualitate habitus considerari solent. At verò si vt excrementa, cuiusmodi sunt vrinæ albæ, sic ea qualitas vniuersi tractabilis, sit contra naturam morbi, periodi, ægri, temporis, & tempestatis; opinionem facit res ægri pessum abire. Quod quomodo & cur fiat, sic explicandum.

cõment. ad 48. aph. 4.

In acvta febre.] Quæ celeriter, vehementer, & continenter mouetur; estque natura omnis intermissionis expers, nec vllam quietem promittit, propterea̕que sola hæc frigoris symptomatici consc[illegible]a est.

prorr. 34. 2.

Exteriora.] Extimæ partes corporis; quæ sunt, frons, nates, auriculæ, manus, & pedes vel etiam vniuersitatis superficies, excepto ventre & costis. Nam τὸ περιψύχεσθαι καὶ περίψυξις pariter similitérque de vtroque dicuntur.

Perfrigerari.] Non quidem modicè, vt Pythion & Parios; qui modicè facti sunt alsiosi, vt febris expertes viderentur, cùm paulò antè febris ardore conflagrassent: sed paulò pòst rursum incanduerunt. At quorum exteriora velut gelu obriguerunt: siue ea perfrigeratio sit firmiter fixa & stabilis; siue citam habeat caloris fugacis mutationem, de qua iam diximus. Ac citæ illius mutationis in alterutram qualitatem eximiam caloris & frigoris causas propalam explicauimus.

53. Coac.

Interiora vero sic vri.] Quorum tanti inflammatio est, vt faciat ἀνάκλησιν καὶ διάληψιν. i. *reuocationem & interceptionem* ipsius sanguinis atque nectaris viuifici, ad reficiendam partium viuacitatem confluentis.

Vt etiam sitim faciant.] Inde ducto humiditatis in partibus illis exhausto, in quibus siccitatis sensio, est ipsa sitis: linguam dico, palatum, stomachum: quo sese intemperies cordis, pulmonum, iecoris, æstu conflagrantium, extendit Galenus in arte.

Exitivm portendit.] A consumptione viuifici nectaris in corde atque visceribus; quam faciet (nisi quàm citissimè extinguetur, sed vix, ac sæpe, ac vix quidem extinguitur) amplificatio febrilis caloris cum natiuo retracti, quem ipse pariter accendit: vt sua sibi sint naturæ præsidia iam aduersa.

122 123 Οἱ συνεχέες διὰ τρίτης ἐπιτείνοντες· ἐπικίνδυνοι. Οἷσι δ' ἂν πυρετὸς διαλίπῃ ἀκίνδυνοι.

Febres continuæ tertio quoque die ingrauescentes; supra modum periculosæ. Quòd si quando febris discesserit: periculi vacatio est.

Versatvr illud in hominum peruagato sermone, febrem intermissionis expertem omnino mortiferam esse: participem verò, spei plenam; atque idcirco in paroxysmis ipsis medicum consolari & ægrum, expectatione releuandi. Etenim febres continuæ sunt eiusmodi, quales descripsit Hippocrates. *Est autem acutissimus, maximus, difficillimus, ac denique lethalis, febris continua, morbus.* At quæ intermissionis participes sunt; quartana quidem securissima est, atque libertatis vindex in epilepsia; tertiana verò exacta, citæ est crisis, nulliusque periculi. Sed continuarum febrium, vt sunt periodicæ differentiæ: ita grauiorum aut leuiorum malorum signa & causæ existunt. Enimuero, *quibus postridie quam inuasit, exacerbatio febris est, malè res eunt.* Et, *tritæophyæ febres, erraticæ, in pares mutatæ; sunt contumaces.* Etenim quæcumque apparent & fiunt contra naturam morbi, pro pessimis haberi debent: quoniam febris acutæ materia bilis est, quæ naturaliter imparibus diebus cumulata mouetur. Quid igitur facit continuas tertio quoque die ingrauescentes, videri periculosas; cùm illæ naturaliter, proprio scilicet bilis motu, exacerbentur? In promptu causa est, quam sic ordine explicabo.

54 Coac. 39. Coac.

Febres continvæ.] Omnis intermissionis expertes, propterea̕que omnium acutissimorum, grauissimorum, & mortiferorum malorum capaces: ob eam sanè causam, quòd vel in visceribus, vel in maioribus venis atque arteriis, tanquam in ergastulo, maligna cacochymia præditæ stabulentur.

Tertio qvoqve die ingravescentes.] Non quidem simplici & periodico motu, qui fit secundum naturam acutæ & tertianæ: sed grauiorum malorum incremento, quæ cernuntur in febris ardore, doloris acerbitate, iactatione, cardiogmo, delirio, vigiliis, inexplebili siti. Denique in omnibus symptomatis translationis malignæ qualitatis, & inflammationis; cuiusmodi sunt tritæophyæ. *Toto tempore reliquo remittentes, criticis diebus exacerbatæ trahentesque in peius. Parum certè, nunquam, remittentes: sed paulò pòst rursum vehementiùs exacerbatæ, criticisque versæ in deterius.* Cuiusmodi sunt etiam hemitritæi, *continenter in acutum ducta.* Nam febres omnes continuæ, quæ διὰ τρίτης, i. *tertio quoque die* exacerbantur, cum accessione grauiorum malorum; aut sunt tritæophyæ, aut hemitritæi: de quarum febrium natura satis iam multa scripsimus.

cõment. 2.1. Epid. 27. & 39. Coac.

Periculosæ.] Tritæophyæ quidem; quòd à longinquitate temporum & laborum amplificatione, & praua colliquatione, abscessus prauos faciant: hemitritæi verò, quòd aliorum quoque malorum accessionem habeant, & grauiorum propagationem faciant; vt lethargi: quia sunt φρικώδεις, idest, *horrifera*;

mortifera; proptereáque ipsas dixit esse τῶν λοιπῶν θανατωδεστάτας, id est, *inter omnes maximè mortiferas.* (1.Epid. cōment. 3. aph. 43.)

QVOD SI QVANDO.] i. Quouis modo; siue sit longa accessio, breuis intermissio; aut contrà.

FEBRIS DISCESSERIT.] Videlicet tertiana quæ ἀπὸ ῥίγεος mouetur, sed intermissionem habet, quia: *Quibus in febribus rigor cietur, eodem ipso die febres exoluuntur.* Cuius intermissionis causam Galenus comment. in illum aphorismum doctissimè explicauit. (4. aphoris. 63.4.)

PERICVLI VACATIO EST.] Quoniam febres intermissionis participes, malignæ & venenatæ qualitatis, & inflammationis sunt expertes: quæ duæ sunt causæ funestæ in febribus, quas putris humor accendit.

124. Ἐν μακρῇσι πυρετοῖσιν, ἢ φύματα, ἢ ἐς ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται καὶ ἢν γίνωνται, οὐκ ἄχρηστοι.

In febribus diuturnis, aut phymata solent, aut in articulis dolores oriri: qui ita coorti, non sunt inutiles.

HIPPOCRATIS illud est. Οἱ πεπασμοὶ ταχυκρισίην ... δ.ε.i. Omnino à pepasmo natura triplicem viam inuenit qua deducitur ad conseruationem sui, morbumque depellit; aut enim foras excludit sudore laudabili, ictero critico, exanthematis quoque ipsis; aut introrsum excernit, deiectionibus, vrinis, hæmorrhagia. postremò transitum facit materiæ morbificæ, per διαδοχὴν. i. *traditionem* supernè deorsum, è directo & procul, in partem capacem, vbi tumor nascitur, nec morbo impar, nec ipsius potens naturæ. Atque si in natura vegeta, validæ sint vires contra humorem biliosum & tenuem, cum libertate meatuum; sanè in eo meabili corpore, quod vocant εὔρουν, sperabilis excretio est à pepasmo, introrsum, aut foras: quatenus natura & humor, huc, illúcve cursum inflectunt. At verò si naturæ, humoris, meatuum quoque ipsorum sit impar conspiratio ad excretionem; vnius tantùm vitio, aut naturæ infirmioris, aut materiæ contumacioris, aut etiam quia meatuum libertas desideratur, morbi diuturnitas à pepasmo per abscessum excutitur: quem facit materiæ ἀπόθεσις, i. *depositio* intus foras, aut supernè deorsum; quò natura viam affectat, & vbi iam excipiendi præparatio est. Nam in affecta ætate, collapsis iam viribus, materiæ contumacia, meatuumque angustia; vt neque excretio, sic neque abscessus fit vllus, sed corruptionis successio est: vnde mira morborum subinde nascentium multitudo.

Ergo. IN FEBRIBVS DIVTVRNIS.] Quæ ægri vtilitati productæ sunt à vigesimo ad quadragesimum diem, & vltrà; neque doloris ab inflammatione nati; neque incidentis causæ intrinsecus, vel ab ægroti contumacia, vel à medici imperitia; diuturnitatis excusationem adferunt: sed vnius tantùm pepasmi difficilis, cuius difficultas, vel in materiæ contumacia, vel in virium infirmitate consistit.

AVT PHYMATA.] Ac si diceret. Si naturæ expellenti, morbifici humoris crassitudo, vel ipsa meatuum angustia morem non gerat; atque in excretionis ipsius conspiratione sit impar naturæ: phymata oriri solent; id est, tubercula, furunculi, tophi, exanthemata, ecthymata, phlysacia, phlyctænæ; & quæ sunt eiusmodi. Nam phymata suo velut ambitu continent omnia mala cutis & carnis; quæ veniunt ab iis quæ sunt in habitu corporis inutilia: ne sim ambitiosus in dorismis τῶν φυμάτων, quæ ἀπὸ τοῦ φύειν, nomen habent, id est, *à fundendo*, vnde dicitur fundus: *Fundit humo facilem victum iustissima tellus.* (2.Epid.)

AVT IN ARTICVLIS DOLORES ORIRI.] Quasi ita velit. Si non tam ipsius naturæ vitio, quàm materiæ contumacia; excretionis *via* intus, aut introrsum foràs, subsistit; dolores in articulis cooriuntur, prolapsu materiæ in eas partes infirmas, laxas, atque capaces. Atque ita comparata est febrium continuarum historia, sicut intermittentium diuturnarum, vel erraticarum; vt febris quartanæ successionem habeant.

Hoc spectat igitur vt intelligamus; diuturnam febrem continuam secundi iudicij, siquidem ipsa diuturnitas in materiæ contumacia, non in naturæ infirmitate consistit; abscessum habere intus foras ad cutim: sin autem humoris dominatu tenetur naturæ imbecilior vis expultrix; abscessum fieri introrsum, supernè deorsum.

QVI ITA COORTI, NON SVNT INVTILES.] Vide 25.26.27.28.29.30.31.3. prognost. Requirenda etiam explicatio ex 44. aphor. 4.

125 Κεφαλαλγίη ἐν ὀξεῖ, ὑποχόνδριον ἀνεσπασμένον, μὴ ῥυέντος αἵματος ἐκ ῥινέων, ἐς φρενιτικὸν περιΐσταται.

Cephalalgia in febre acuta, hypochondrium sursum intrò reuulsum; sanguine non prorupto è naribus; phrenitidis habent euentum.

IN MORBIS acutis ad prædicendum τέκμαρμα certa est, quæ hypochondriorum tractabili habitu & situ initur. Bona hypochondria vel potiùs optima, quæ vocat εὔογκα καὶ λαπαρά, i. *solida, succi plena & mollia*; vel in distentionis, & contractionis mediocritate posita, opinionem faciunt bene constitutæ naturalis œconomiæ, ex bona complexione & temperamento viscerum quæ in hypochondriis continentur: proptereáque bonæ valetudinis in morbis acutis futuræ, maximè verò in febribus. Contrà de hypochondriorum triplici inæqualitate, cuiusmodi ea fuerit, semper verendum: siue ea percipiatur in ardore; siue in contractione aut tumore, quem vel inflammatio dolorifica, vel inflatio, vel scirrhus expresserit; siue in duritate recens oborta, aut quæ iam in vetustatem inciderit. Sed inter ea genera inæqualitatis hypochondriacæ, contractio principatum obtinet, quæ fit intrò sursum diaphragmate inflammato: de qua hoc loco sermonem instituit.

CEPHALALGIA IN FEBRE ACVTA.] Capitis dolor prægrandis & contumax, febris acutæ cõsectarius per propagationem causæ morbificæ, non autem per transitum, vnde expectetur hæmorrhagia critica: qualem cephalalgiam vtrinque superuenientem & vtróque inclinatam; scilicet ad fœlicem exitum morbi, vel ad ægroti exitium; descriptam & expressam legimus in Epid. & in prognost.

HYPOCHONDRION SVRSVM INTRO REVVLSVM.] i. Si ad cephalalgiæ acerbitatem symptomaticam, prauum accesserit signum; quod cernere est in hypochondrij sursum intrò reuulsione, quæ nunquã accidit proprio hypochondriorum vitio, sed alieno; diaphragmate scilicet inflãmatione obsesso, in cuius contagionem & sympathiam trahitur peritonæum, quod adiacet hypochondriis, ac veluti obliqui septi transuersi manibus, foris intrò & sursum versus, ipsum abripitur: ac tum hypochondria, suspensi tactus appulsum ferre vix possunt.

(prorrh. 30. s. 1. 55. Coac. hist. 2. 2. Epid. & 5. part. 2. 3. Epid. 2. prognost.)

SANGVINE NON PRORVPTO E NARIBVS.] Quia liberalis hæmorrhagia sæpenumero cephalalgiæ finem adfert, doloresque sanat inflammatorios hypochondriorum; siue illa sint vacua, siue distenta. Ac sanè illa crisis hæmorrhagiæ, iuuenum propria est, intra septimum morbi diem: perrarò autem profluuio sanguinis.

PHRENITICIS HABENT EVENTVM.] i. Ad phrenitidem conuersio fit, denegata crisi propria cephalalgiæ febrilis, & hypochondriaci doloris inflammatorij. Phrenitis autem venit; tum à diaphragmate inflammato; tum à cephalalgia febris acutæ consectaria. 3. περὶ νούσων, & 1. Epid.

126 Τὰ λειπυρικά, μὴ χολέρας ἐπιγενομένης, οὐ λύεται.

Lipyriæ febres, non nisi superueniente cholera, exoluuntur.

QVEMADMODVM cephalalgia, febris acutæ consectaria: tum hypochondriacus dolor inflammatorius, vnde vtrinque de phrenitide vereri oportet, sanguinis liberali profluuio exoluuntur: sic lipyria febris, quæ maligna cacochymiã proximè ad pestilentem accedit, symptomatum est plena grauissimorum; propria humoris morbifici, & sola excretione sanescit: neque aliter curationem recipit. Est enim consentaneum, vt quò natura & humor viam affectant, eò conuenienter per loca lege naturæ cõmoda, neque ex euentu incommoda moueantur. Estque omnino triplex inclinatio, vnde purgandi via tum iussa, tum iniussa, initur; vna quidem naturæ; altera humoris morbifici; tertia partis obsessæ. Nam iuuenes per hæmorrhagiã, febribus ardentibus vt plurimùm defunguntur; senes verò per dysenteriam. Sic æstate bili motem gerimus, sursum mouendo: pituitæ verò hyeme, deorsum ducendo. Et quorum morborum curatio in sola purgatione consistit, siquidem illi diaphragmate superiorem locum teneãt, vomitione: contrà si inferiorem, deiectione curandi sunt. Ac ne omnia consecter quæ sunt innumerabilia, comprehendam breui. Sic enim statuo; purgationis modum, vt sponte sua ex impulsu naturæ, motu humoris, & meatuum conditione suscipitur: ita ex tribus illis quæ modò recensui, à medico artificiosè captandum esse; artificio scilicet ad imitationem naturæ comparato.

(περὶ τῶν ἐν ὀξέσι νοσημάτων. 2. de diæta. acut.)

Ergo. LIPVRIÆ FEBRES.] Quæ sunt eiusmodi, vel à calore, quo extimas partes defraudant; vel à mœrore & anxitudine inseparabili; qualis est τόνος primi generis, qualis etiam quarti. Ac sanè patriũ extimarum frigus, lipyriæ consectarium esse solet; non quidem natiui caloris retractione, vel interceptione, vt ferè fit in ardentissimis febribus: sed facultatis vitalis exolutione, quam facit bilis morsu & stimulis sæuissima stomacho qui sensus acerrimi est. Nam lipyriæ materia biliosa focum habet in aluo, vnde prohibetur exitu à contumaci obstructione, partiumque obsessarum languore, facitque homines πικροὺς καὶ μελαγχολικούς, i. *amarulentos & mæstos*, fastidio & contumacia insolentissimos, anxitudine miserabiles, omnis figuræ & loci impatientissimos, somni expertes: cum spiratione in faucibus elisa, quam πνεῦμα προσπταῖον vocant ἐν τῷ ἄνω φορᾷ πυκνόν, ὃ μέγα λίαν, id est, *respirationem offensantem, ascensu crebram, & valde magnam*. Nonnumquam etiam labrum inferius cietur, vnáque manibus contremiscunt. Denique ita comparata est lipyriæ febris ratio, vt eam iure optimo κακοηθεστάτην Galenus nominarit.

(cõment. ad 48 aph. 4. diet. cap. 39. 3.)

NON NISI CHOLERA SVPERVENIENTE.] Prægrandi & cita perturbatione alui, sursum deorsumque pariter æqualiterque citatæ. Sic enim χολέραν Paulus descripsit; quantùm fideliter conuertere potui. Pauli verba sunt. Ἡ χολέρα, τῆς γαστρὸς ἐστὶν ὁμοῦ [illegible] ταραχή, ἐκ τοῦ διεξιόντι καὶ δι' ἐμέτων γινομένη. Quam descriptionem ille Galeni simia transtulit in suum librum, ex comment. ad 4. περὶ διαίτης ὀξέων. Atque talis cholera verè simpliciterque dicitur, vt nihil necesse sit alteram ad huius loci explicationem adferre, quam vocat Hippocrates χολέραν ξηρήν: ad cuius curationem vomitu interdicendum; aluus

(4. de acut. diæt.)

aluus ducenda clystere pingui & calido; balneo dulcis aquæ, & oleo corpus fouendum; somno indulgendum, vinóque tenui meraco & veteri; cibis abstinendum, & lacte asinino vtendum. Quæ omnia siccæ choleræ alexiteria, febris lipyriæ sunt deleteria. Est igitur hoc loco subaudienda χολέρα absolutè dicta, quam paulò antè descripsimus: quæ quidem cum sicca communem habet excretionis modum, hoc vno excepto, quòd siccæ choleræ flatulenti spiritus acerrimi irritatio est, huius verò efferri indomitique humoris sursum deorsumque excretio.

Exolvvntvr.] Vacuatione propria humoris morbifici. i. bilis: & partium obsessarum neoterismo. i. temperamenti & complexionis inde comparata integritate.

Existit hoc loco difficilis quæstio, vtrum lipyria, quæ in erysipelate alui consistit, quæque maligna cacochymia superat omnes febres, si pestilentem exceperis, vacuatione quiescat, cùm illud sit in confesso omnibus; nullam eiusmodi febrem ita sanescere, quæ coniunctam habeat cum inflammatione cacochymiam malignam. Sanè quidem si tantam natura potentiam habeat, vt per se ipsa moliri possit exclusionem, vnde nihil reliquiarum supersit. Atque id miraculo apponendum: quoniam difficillimus est morbus, quem effugiunt pauci: maximè verò quando lipyria venit æstate, cùm violento Sirius æstu terras exurit: non autem autumno, à vini multei bibacitate, & baccarum edacitate: quam diarrhœa funditus ex aluo tollit.

Sed illud maiorem iudicandi difficultatem parit, quod ait: lipyriam febrem non nisi superueniente cholera posse sanari; cum ipsa cholera sit peracuta, vnde cita mors venit per σπασμὸν i. *contractionem* maximè surarum. Eam difficultatem omnino tollit, quòd cholera hic superuenit; non exolotione virium, sed alui concussione. Deinde quòd aluo molestiis omnibus lipyriæ febris defuncta, cessat ipsa cholera: vt verè illud videar esse dicturus, eam demum choleram in bonis ducendam, quæ contentione alui suscipitur contra vim febris lipyriæ in aluo stabulantis.

127 *Ἴκτερος, πρὸ μὲν τῆς ἑβδόμης ἡμέρης ἐπιγενόμενος, κακόν· ἑβδόμῃ δὲ, καὶ ἐνάτῃ, καὶ ἑνδεκάτῃ, καὶ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, κρίσιμον, μὴ σκληρύνων ὑποχόνδρια· ἢν δὲ μὴ, ἐνδοιαστόν.*

Icterus ante septimum diem, insidiosus. At septimo, nono, vndecimo, decimoquarto proruptus; salutaris, qui hypochondria non obdurat: sin autem, anceps.

Permaoni naturæ interest quando quid fiat; quidve appareat in morbis acutis. Vt enim τὰ κρίσιμα non sunt eiusmodi, quæ apparent morborum initiis: ita nihil salutariter potest excerni, quando natura morbificis causis opprimitur, estque humoris cruditas & cootumacia; idque cum alias, tum verò in phymate vniuersali, continuo, quod in cutim effunditur intus foras: cuiusmodi est morbus regius, quem ἴκτερον Græci vocant. Est enim phyma icterus: quemadmodum & phlyzacia, siue ecthymata, aut exanthemata: & funditur intus foras ad cutim loco sudoris in crisi acutorum morborum: quemadmodum icterus symptomaticus, introrsum per cutim, quando iecur in vitio est, oppilatione, inflamatiooe, aut scirrho: quæ triplex est omnis ἐμφράξεως: quam expressit Galenus. Sed icterus criticus acutorum morborum, eiusmodi esse nequit ante septimum diem: quoniam phyma est vniuersale atque continuum; quod, vti iam dixi, funditur intus foras ad cutim; non autem introrsum per cutim; quo multùm fœdati icterici esse solent. Atqui phymatum & absessuum criticorum non tam facilis, nec tam cita explicatio est, quàm excretionis quæ intus & introrsum foras suscipitur liberali sudore & hæmorrhagia. Hic enim meabile corpus est, quod Græci vocant εὔπνουν; naturæ virtute, meatuum libertate, & humoris morbifici præparatione. At verò in phymate, aut vis expultrix imbecillior est; aut materia contumacior; aut ipsi denique meatus angustiores.

Quæ cum ita sint, planè efficitur quòd Icterus.] i. Defœdatio cutis à bile flaua, intus foras ad cutim effusa.

Ante septimum diem.] Quo alter quaternarius absoluitur, & cuius crisis à primo quaternario denunciari solet, prospicique tanquam è specula; & ante quem septenarium τὰ κρίσιμα non sunt verè κρίσιμα: proptereàque funesta, aut certè sinistri iudicij.

Insidiosus.] Quoniam die quarto significatus non fuit, editis pepasmi signis, vnde certamen naturæ & morbi septimo est in procinctu. At nihil optabilis iudicij esse potest, neque in perturbatione critica, neque in ipsa crisi, quod antè, sui certaminis significationem loco non habeat; non solùm ad excretionem, sed etiam ad phymatum effusionem. Talem Hermocrates morbum regium expertus fuit, qui tandem post crebros relapsus, 27. die interiit. Fuit item Phanagareoni, sexto die proruptus. Quod idem contigisset Heraclidæ ab ictero sexti diei, nisi triplicis vacuationis beneficio, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, & perirrhœæ; calamitosam vim morbi depulisset.

At septimo, nono, vndecimo, decimoqvarto proruptvs.] Diebus nempe criticis: ob eam sanè causam, quòd imperio & nutu naturæ res eant, & ἐκ λόγου suscipiantur,

in paroxyſmis dierum imparium. Ex quo apparet, icterum ſolius febris continuæ indicatum eſſe; quòd hîc dierum meminerit, non periodorum, & inter cæteros, decimiquarti.

SALVTARIS.] Id enim ſignificat τὸ κρίσιμον, abſolutè ſimpliciterque expreſſum: quemadmodum & ipſum nomen τοῦ κρισίμου.

QVI HYPOCHONDRIA NON OBDVRAT.] i. Modo hypochondria non ſint dura, ſiue illa duritas primigenia fuerit, ſiue ipſius febris conſectaria: vt ſæpè fit irrito naturæ motu. Quod accidiſſe legimus ei cui decimoquarto morbi die iecur intumuit. Eſt autem illius duritatis cauſa, inflatio, ſcirrhus, & inflammatio: ex quibus cauſis icterici multùm fœdati pereunt, albáque deiectio iis vna ſecedit cum vrinis eruoſis, ac ſaturato colore flauis.

lib. 2. Epid. 38 Coac.

SIN AVTEM ANCEPS.] i. Ancipitis iudicij ab inflatione; ſiniſtri verò ab inflammatione & ſcirrho. Ac ſi diceret; talis icterus ante & poſt ſeptimum diem calamitoſus: quia ſymptomaticus à viſcerum cacopragia, quæ diebus criticis tolli non poteſt. *Ictericis durum iecur fieri, malum.* Fuit in Hermocrate ὑποχονδρίου ἐὸν ἐν ὄγκοις λαπαρῶς, i. *diſtenſio mollis.* Fuit Apollonius μεγαλόσπλαγχνος, id eſt, *viſceroſus*; idem habuit περὶ τὸ ἧπαρ ὀδύνην ξυνήθη, id eſt, *conſuetum circa iecur dolorem.* Vterque ictericus factus interiit.

aph. 42. 6 part. 2. & 3. li. 3. Epidem. malè erat αἰνεσίδης.

128 Αἱ πυκναὶ διὰ τῶν αὐτῶν ὑποστροφαὶ, περὶ κρίσιν ἐμετώδεες, μελάνων ἐμέτων ποιέουσι· γίνονται δὲ καὶ τρομώδεες.

Crebri eodem modo relapſus qui ſub criſin ſunt vomitores, tabi atri vomitionem faciunt: exiſtunt etiam tremoriferi.

VERISSIMVM illud eſt quod vulgo dici ſolet. Frangit arcum intenſio. Sic laſſitudine artus franguntur, cùm diu multumque in ſuo quique officio laborarint: quamuis nulla alia rei moleſtæ, quàm exercitationis nimiæ ſenſio excitetur. Sed longè aliter ventriculi ſe res habet, quando is vomiturit, vomit, atque ſingultit. Tum enim non ſolùm affligitur concuſſione; ſed etiam rei ipſius moleſtia quæ concuſſionem ipſam facit. Ex quo efficitur vt ſi in vomitu perſeueret, pro excrementis pituitoſis, æruginoſa & atrabilaria tandem excludat: maximè verò ſi bilis perennitatem adferant crebri relapſus: de quorum natura & cauſis hoc loco dicendum eſt; tum autem quare ſint vomitores; tabique atri vomitionem faciant; atque tremorem adferant.

ſent. 5. part. 1. 4. Epid.

CREBRI RELAPSVS.] i. Si febris à diſceſſione, cùm vale dixerit, velut poſtliminio reuertatur: quod Græcis ὑποστρέφειν, vnde ὑποστροφαὶ nomen habent, morbique ipſi nominantur ὑποστροφώδεις; & quæ ὑποστροφὴν ipſam faciunt, τὰ ὑποστροφώδεα, ἢ τὰ ὑποτροπικά.

EODEM MODO.] i. Iiſdem periodis quaternariorum, ſeptenariorum, & vicenariorum; quod illud eſt, κατὰ λόγον τῶν ὑποστροφέων: vt in duobus fratribus & cæteris quorum iudicia & relapſus narrantur 1. Epidem. Vel EODEM MODO.] i. Typo ſimili, & æquali periodo: quod ferè accidit, vel importuna morbi exacerbatione quæ loco non fit; vel præpropera excretione, vel à reliquiis quæ ſuperſunt. Vt enim quæ ſuperſunt reliquiæ, relapſus adferunt: ſic etiam quibuſcumque non critica lege febres quieſcunt, poſtliminio reuertuntur.

aph. 1. part. 4. lib. 6. Epid. 2. aph & 84. Coac. 59. Coac. prorr. 25. ſect. 3. 1. & 26. ſ. 2. 1. 107. Coac. prorr. 30. ſ. 1. 1.

VOMITORES.] Non quidem liberali & libera vomitione: ſed nauſeabunda potiùs alui proritatione, quam vocat ὄλιγον οἷον ἀπὸ ἐμέτου, vel τὰ ἐμετώδεα ἐκλείψοντα, vel σμικρὰ ἐμέσματα ἐγγὺς ἀλλήλων ἰόντα.

TABI ATRI VOMITIONEM FACIVNT.] Quia nigrum fit excrementum, quod priùs erat flauum: tum febris ipſius ardore & crebrò relapſu; tum crebrò irrita ventriculi proritatione: quemadmodum phreniticis accidere legimus, de quibus extat. *Qui è phreniticis cum perfrigeratione ſputatores redduntur, vomitum illi nigrum denunciant.* Vbi Galenus ſic ait: *Vomitum quidem illis denunciant ptyeliſmo; nigrum verò, perfrigeratione.*

EXISTVNT ETIAM TREMORIFERI.] Relapſus illi τρομώδεες, i. potiſſimùm manibus contremiſcunt; ſtabulante in aluo bile: & increſcente malo. Exiſtunt etiam conuulſifici, faciuntque σπασμοὺς τῶν γαστροκνημιῶν, i. *muſculorum conſtituentium ſuras.* 5. aphor.

129 Τὰ ἐν τριταίοισι πυρετοῖσι ἀλγήματα παροξυνόμενα, τριταιογενῆ ποιέεται, καὶ θρομβώδεα αἵματα διαχωρέει.

Quæ tertianarum febrium paroxyſmis ingraueſcunt mala; eorum gentilitia ſunt.

EXPLICATIO petenda ex 125. *Febres continuæ tertio quoque die ingraueſcentes, valde ſunt periculoſæ.* Nam alterum prognoſeos membrum non benè cohæret, nec reuera eſt ἀνακόλουθον: illud verò τριταιογενῆ conſultò verti *paroxyſmorum tertianorum gentilitia*; non quidem ſimplici & periodico motu, qui fit ſecundum;

cundum naturam acutæ & tertianæ: sed grauiorum malorum accessione, quæ in commentariis nostris ad illam prognosin recensentur.

130 131 Ἐν πυρετοῖσι κατὰ φλέβα τὴν τοῦ τραχήλου σφυγμὸς καὶ πόνος, ἐς δυσεντερίην ἀποτελευτᾷ. Τὸ μεταβάλλον πολλάκις χρῶμα κατὰ θερμασίην, χρήσιμον.

In febribus quæ cum dolore micant in collo venæ, dysenteria habent euentum. Huc spectat etiam crebra coloris in calore mutatio.

ENIMVERO arteriarum in collo micantium pulsus aspectabilis, non est proprium dysenteriæ signum, nec etiam hæmorrhagiæ: quemadmodum nec crebra coloris in calore mutatio; nisi in febribus à natura iam deuictis. Nam febrium initiis pulsus & coloratio subinde noua, certissima sunt argumenta [illegible] parotidum, conuulsionis, atque phrenitidis.

Ergo. IN FEBRIBVS.] Quarum pepasmi sperabilem faciunt crisin.

QVÆ CVM DOLORE MICANT IN COLLO VENÆ.] Pulsu aspectabili medico, & ægro perceptibili non admota manu, cum sensione rei molestæ à repletione particulari sanguinis cum ardore coniuncta. — 87. Coac.

DYSENTERIÆ HABENT EVENTVM.] In senibus sicut hæmorrhagiæ in iuuenibus. Qua de re commemorabile illud est quod scripsit Hippocrates, *Erupta sunt plurimis hæmorrhagiæ: potissimùm verò adolescentibus & ætate florentibus. Peribant autem ferè omnes hæmorrhagiæ expertes. Seniores verò ad icteros, perturbationes aluinas, aut etiam dysenterias deducebantur: vt Bion. Populata sunt etiam dysenteriæ.* Itaque non inconsideratè micantium arteriarum pulsus dysenteriam, ex euentu, denunciare putabitur, vt hæmorrhagiæ succedaneam, ad quam propriè apparet pulsus ille in superata febre. Quatenus autem pulsus ille sit dolorificus, & ad hæmorrhagiam appareat, vide comment. Galeni ad aph. illum. *Vehementi in vlceribus pulsu hæmorrhagia superueniet.* Conuenienter autem videor cum hac prognosi illud quod sequitur coniunxisse. — 21. lib. 7.

HVC SPECTAT ETIAM CREBRA COLORIS IN COLORE MVTATIO: alioqui nihil præ se fert boni, iuxta illud: *Si noua coloratio subinde inducatur, diuturnitatem morbi ostendit.* Ex quo efficitur, coloris mutationem in perturbatione critica, sperabilis esse boni. Contrà in propagatione morbi, ancipitis esse iudicij: quoniam affectiones variæ, vnde coloris varietas, non tam facilè à natura vincuntur, quàm simplices & vniusmodi. — aph. 40. lib. 4.

132 Τοῖσι χολώδεσι πνεῦμα μέγα καὶ πυρετὸς ὀξύς, μετὰ ὑποχονδρίου ἐντάσιος παρ' οὖς ἀφίστησι.

Biliosis hominibus respiratio magna, & febris acuta, cum hypochondrij tensione coniuncta, ad aurem se recipit.

QVÆ IN hac prognosi commemorantur signa, sunt quidem syllogistica ascensus ad superiora, vnde [illegible] initi debet hæmorrhagiæ potiùs, quàm parotidum: nisi fortè quis ipsas dixerit hæmorrhagiæ consectarias ex euentu: quòd excretionis imperfectæ, facilis in abscessum conuersiu fiat. Notum est illud: *Si quid ex fluentibus relinquatur, promptus ad abscessum morbus.*

Ergo. BILIOSIS HOMINIBVS.] Natura atque diæta. i. victus ratione & vitæ instituto: vnde sanguinis bile perfusi facilis gargalismus ad caput, facilisque orgasmus. — aph. 18. part. 2. 6. Epid.

RESPIRATIO MAGNA.] Et frequens: quæ signum est ἀξιόλογον cordis prægrandi æstu incandescentis: vnde micantium arteriarum pulsus magni, veloces, & crebri.

FEBRIS ACVTA.] Concepto in bile febrili ardore, quæ in maioribus venis & arteriis stabulatur: quam hæmorrhagiæ singularem esse causam in causo scripsit Galenus.

CVM HYPOCHONDRII TENSIONE CONIVNCTA.] Enimuero hypochondrij tensio doloris expers & inflammationis, [illegible] denunciat: quemadmodum & tensio dura ac dolorifica inflammationis propria, hæmorrhagiam salutarem vnicam habet. Sed ea tensio sic habetur parotidum prænuncia, si hæmorrhagiæ quantitas desideretur ad perfectam & criticam exolutionem febris acutæ. Sic enim Galenus comment. ad illam sententiam. *Hypochondrij tensio cum comate & cephalalgia, parotidas excitat.* — li. 1. prognost.

AD AVREM SE RECIPIT.] i. Parotidem facit: non quidem sponte sua, quæ ad hæmorrhagiam viam affectat: sed deriuatione reliquiarum excretionis, atque vt ita dicam, παροχετεύσει: quò spectat illud: *Laboriosa febre laborantibus, ad articulos & maxillas sunt abscessus expectandi.* — aph. 18. 4.

133 Οἱ ἐκ μακρῶν ἀναλαμβάνοντες, εὖ σιτοῦ, μηδὲν ἐπιδιδόντες ἐπιστρέφουσι κακοήθως.

Qui diuturno defuncti morbo, ex animi sententia cibum capiunt, neque proficiunt, grauißimè relabuntur.

Explicatio continetur comment. Galeni ad aphorismos 8. & 31. lib. 2.

134 Οἷσιν ἐν πυρετοῖσι φλέβες αἱ ἐν κροτάφοισι σφυγματώδεες, καὶ πρόσωπον ἐρρωμένον, καὶ ὑποχόνδριον μὴ λαπαρὸν χρόνιον. Καὶ οὐ παύονται χωρὶς αἵματος ῥύσιος ἐκ ῥινῶν πολλῆς, ἢ λυγμὸς, ἢ σπασμοῦ ἢ ὀδύνης ἰσχίων.

Quibus in febribus temporum venæ micant, vnáque facies succi plena atque decora; nec hypochondrium molle est; diuturnum. Nec verò illa quiescunt, nisi prorupto liberaliter è naribus sanguine, aut conuulsione, aut etiam coxarum dolore.

Diuturnorum morborum, nec simplices, nec vniusmodi ferè sunt crises; maximè verò quando cum pepasmi difficultate, quæ diuturnitatis causa est, viscera in vitio sunt: vnde accessio diuturnitatis.

Ergo. Quibus in febribus.] i. Si cui in febris assiduitate, nec dum sperabili eius vacatione ex iis quæ apparent & fiunt: vti spes crisis affulget in perturbatione critica, iam antè signis pepasmi denunciata.

Temporum venæ micant.] Pulsu aspectabili medico, explicatis multùm arteriis, quarum maioris motus & citatiores natura ciet ad expulsionem rei molestæ: proptereáque eam micandi insuetam rationem aliter expressit. φλέβες κροτάφων οὐχ ἱδρυμέναι, *i. temporum venæ instabiles.*

sect. 16. part. 2. 6. Epid.

Vnaque facies succi plena atque decora.] Sic mihi rectè videor explicasse illud προσώπου ἐρρωμένου, i. ad verbum, *facies bene valentium similis*, & potissimùm sui: cui opponitur προσώπου διαφθορὴ *i. facies vitium*. Est facies succi plena, quæ cernitur in colore & mole: sicut decora in charactere. Apparet enim sæpe facies saturato colore rubro suffusa: sed vultuosa, δυσαίσθ., & aspectu terribilis, quæ προσώπου ἐρρωμένον dici non potest. De qua legitur. Προσώπου εὔχροια, καὶ τὸ λίην ξυνεστηκὸς, πονηρὸν, i. *Facies aut læta & viuida, aut demissa nimis & mæsta, mala*. Et. Μετώπου ξυναγωγὴ ἐν πυρετῷ, φρενιτικὸν, i. *Frontis contractio, phrenitica*. Itaque facies bella, succi plena, atque decora, quæ in febre non leui nullam ostendit remissionem, sed potiùs intensionem habet; aut certè manet eadem, ad diuturnitatem morbi apparet. Verum enimuero, si ille faciei saturatus rubor sit extraordinarius ἐς τὸ λευκοχλωρότερον τρέπων, *i. albiore modo*; parotidum erit prænuncius; per deriuationem denegatæ, aut imperfectæ hæmorrhagiæ. Sin autem τὸ χλωρὸν λαμπρὸν, *i. illustris rubor* mutationem habeat ἐς τὸ λευκοχλωρότερον τρέπων, *i. in modum albidiorem*, abscessum in articulis fore denunciat.

prorr. 14. sect. 2. 1. aph. 27. lib. 2. sect. 16. part. 2. 6. Epid.

Nec hypochondrium molle.] i. Non in mediocritate contractionis & distensionis positum: sed prominulum ab inflatione quam facit contumax oppilatio, non autem ab inflammatione, neque à scirrho. Etenim hypochondrij distensio fugax & critica, quæ in acutis febribus hæmorrhagiam, in transitu purulentorum pulmonum, cruralem abscessum denunciat: illa, inquam, distensio hic locum non habet.

Sequitur enim. Diuturnum.] Ex materiæ contumacia, & generatione perenni. Est enim generationis perennitas in vitio hypochondrij.

Nec vero illæ quiescunt nisi prorupto liberaliter e naribus sanguine.] A citatiore & maiore pulsu, quem eò natura ciet, fortiusque potentiam excretricem mouet, vt se exoluat molestiis causarum morbificarum: atque ita sanguinis profluuia infert.

aph. 22. 7.

Aut conuulsione.] Per transitum materiæ à venis ad musculosum genus; iuxta illud: *Febri conuulsio finem imponit*, &c.

163. coac.

Aut etiam dolore coxarum.] Abscessu ad eas partes ampliores, laxiores, & imbecilliores transeunte, per 51. Coac. Vide historiam Herophontis. Dum autem materia transit ad ischium, tumet hypochondrium tumore fugaci, vt in Herophonte. Est autem hæc prognosis ἀκριβὴς in hypothesi, & euentu.

135 Ἐν καύσῳ κοιλίη καταρραγεῖσα, θανάσιμον.

In febre ardente si aluus profusè feratur, mortiferum.

ENIMVERO propria crisis causi, hæmorrhagia, in bonis ducenda non venit si criticam legem non seruet: qualem multis antè prognosibus iam expressi. Itaque profluuium alui, specie ipsa terrificum videri debet, quia non est proprium causi; quemadmodum hæmorrhagia & sudor. Extitisse tamen leguntur qui aluo prorupta, febris ardentis curationem receperunt. Et verò Hippocrates quatuor omnino statuit febrium ardentium iudicatorias causas; è quibus tertio loco commemorat perturbationes aluinas biliosas, aut etiam dysentericas εὐκαίρως, i. opportunè.

IN FEBRE ARDENTE.] Quæ celeriter, continenter, & vehementer mouetur; illáque symptomata secum habet coniuncta, sitim inexplebilem, linguæ scabriciem, partium extimarum frigus, alterutrum ἀλυσμὸν nempe [illegible]: prout focorum varietate distincta est; cauarum scilicet partium hepatis, magnarum venarum, cerebrique ipsius, prorrh. 28. l. 2. 1.

SI ALVVS PROFVSE FERATVR.] 1. Sæpe, multùm & rapidè liquidis excrementis feratur, siue ducatur: vt sit proluuies alui proruptæ.

MORTIFERVM.] Sanè quidem, si & ineunte morbo, & excrementis feratur hepaticis, ex cacopragia in attrahendo, aut sanguificando; vel etiam aluinis, à vitio stomachi omnia quæ offeruntur corrumpentis. Ac sanè huiusmodi profluuium quia non suscipitur ratione critica naturæ humores noxios infrà expellentis, sed imbecillitate facultatis hepaticæ, aut alui morticinio; vt in Pario: huiusmodi, inquam, profluuium, mortiferi signi rationem obtinet, sed multò magis causa mortifera est; quia liberali & crebra ductione corpus facit infirmum, ipsumque ad exitium præcipitat.

prorr. 6; lib. 5. Hist. 1. sect. 3. 3. Epid.

136 Ἐκ κοιλίης ἀλγήματος ἐπιπόνου πυρετὸς καυσώδης, ὀλέθριον.

Ex dolore ventris crudeli, causus lethalis.

Vide comment. ad Coac. 33. & 81.

137 Ἐν τοῖσι καυσώδεσιν ἤχων προσγενομένων μετ' ἀμβλυωσμοῦ καὶ κατὰ ῥῖνας βάρους ἐξίστανται μελαγχολικῶς, μὴ αἱμορραγήσαντες.

In calidis febribus, si fletu sonoro personent aures cum visus hebetudine, & narium grauitate, nec sanguis prorumpit; excessum patiuntur melancholicum.

QVEMADMODVM excursus ad superiora sanguinis bile perfusi qui educitur per hæmorrhagiam critica lege susceptam & factam, crisin facit propriam febris ardentis: ita si exitum inde non habeat, quò symptomaticôs, non autem vllo modo criticôs translatus est; phrenitidis & insaniæ consecutionem adfert. Sed earum affectionum ratio & generatio planissimè iam patefacta & explicata nouam disputationem non exigit in philologia & philosophia. Superest vt commemorata hoc loco signa quatenus ad insaniam vel ad hæmorrhagiam apparent, doceamus.

Ergo. IN CALIDIS FEBRIBVS.] Quæ sunt eximiæ inter acutas, celeritate, vehementia, & assiduitate; eximiáque illa secum habent coniuncta, linguæ scabriciem, sitim inexplebilem, partium extimarum frigus interiorum ardorem cum alterutro alysmo.

SI PERSONENT AVRES.] Nulla re scilicet extrinsecus incidente: sed flatu sonoro exitum non habente, quem facit crassi humoris resolutio à febrili ardore in cerebri arce concepto, vbi focus & domicilium est febris ardentis: quemadmodum in aliis quoque visceribus. Existit autem sonitus ille acutus aut grauis: pro meatuum libertate, vel angustia; materiæ tenuitate, aut crassitudine, tum expellentis naturæ valida vi, aut infirma.

CVM VISVS HEBETVDINE.] A tetro vapore, & venenato humore; oculorum visoria instrumenta fœdante.

ET NARIVM GRAVITATE.] Quam facit humoris copia quæ in nares incidit, indéque non habet exitum: quem sanè haberet, si mitificatus humor naturæ imperio regeretur.

NEC SANGVIS PRORVMPIT.] Ac si diceret. Si echo aurium, visus hebetudo, narium grauitas, symptomata sunt febris calidæ in cerebro natæ, vel eò translatæ: non autem signa perturbationis criticæ ad hæmorrhagiam critica lege susceptam & prorupturam.

EXCESSVM PATIVNTVR MELANCHOLICVM.] Est enim consentaneum, vt si [illegible], id est, [illegible], sed merito morbi, venerint illa symptomata echus, hebetudinis, & narium pon-

derosarum, quæ fiunt in sensoriis, labefactatis partibus cerebri vnde vis audiendi, videndi & olfaciendi manat; si bilis flaua in cerebro peruratur, vel toto corpore atrabilaria facta, eò transferatur, summa delirij omnia consequantur, fiatque μανίας μελαγχολικὴ i. *insania melancholica.*

138 Τοὺς ἐν καύσοισι τρόμους, παρακοπὴ λύει.

Febrium ardentium tremores delirio soluuntur.

Tremores, ardentium febrium symptomata propagata, potissimùm eò spectant, vt intelligamus; humorum morbificorum, vel potius cacochymiæ malignæ translationem sæpe fieri à venis ad neruos, & contrà: quæ cùm sint partium nobilissimarum, cerebri & iecoris ῥιζώματα, venæ quidem huius; nerui autem illius atque spinalis medullæ; necessariò efficietur vt cacochymiæ malignæ vtròque facta translatio symptomata faciat partium obsessarum propria: cuiusmodi est tremor neruorum; indéque progressu principia & fontes afficiantur, signáque in iis luceant quæ propriarum affectionum pathognomonica esse dicuntur: cuiusmodi delirium est cerebri effera bile perfusi.

His ita constitutis. Febrium ardentium. Quæ focum habent in maioribus venis atque arteriis, in quibus acerrima bilis & effera putris cumulata mouetur, nec dum habet exitum intus, aut introrsum foras; per hæmorrhagiam scilicet, aut sudorem.

Tremores.] Deprauati artuum, pariter iussi & iniussi, motus: in quibus id quod mouet, & id quod mouetur, ex æquo certant virtute, & contumacia quam facit oppressio. Quæ affectio perraro cadit in febres ardentes, éstque symptoma eximiarum quas peperit bilis acerrima plena orgasmi: propteréaque hæc prognosis melius in aphorismis sic expressa legitur. *Quibus in febre ardente, tremores fiunt, &c.*

Coac. 33. & 78. Delirio solvuntur.] Non quidem ægrotis morbo defunctis, quod propriè τὸ λύειν significat: sed grauioris mali successione, tremoris molestiis liberatis. Est enim delirium grauius malum quàm tremor: quando tremoris consectarium est per transitum ἀπὸ τῶν πεφυκότων εἰς τὴν ἀρχὴν, i. *à propaginibus ad principia.* At verò sicuti metu debilitat delirium tremoris consectarium: sic tremor delirio superueniens planè funestus. Illic enim alteratio est vix emendabilis: hic autem alienatio insanabilis, quæ priuationem dicit habitus.

139 Ἐν καύσῳ ῥύσις ἐκ μυκτήρων, τεταρταίῳ, κακόν· ἢν μή τι ἄλλο ἀγαθὸν συμπέσῃ· πεμπταίῳ δὲ, ἧσσον κινδυνῶδες.

Si cui ardenter febricitanti, & quartum morbi diem agenti, sanguis fluat è naribus; grauissimum habet malum: nisi quid aliud bonum accesserit. Idem si fiat quinto, minùs periculosum.

Tametsi hæmorrhagia febris ardentis, vna, inter cæteras, crisin facit ad ægri salutem; quòd ea verè fit critica: tamen nisi loco & conuenienter fiat, desperationem adfert salutis. Loco non fit quartana hæmorrhagia: conuenienter non fit, stillatim & parca manu. Quæ quia sunt pluribus iam explicata, ad illud me conuertam.

156. Coac. Nisi qvid alivd bonvm accesserit.] Vt liberalis hæmorrhagia, crebrò repetita: qualem fuisse legimus Meroni, post quartanam modicam, & cum prauis tum signis coniunctam. Vel: nisi quartanum stillicidium, pepasmi etiam quartam accessionem habeat. Tunc enim liberalis hæmorrhagia septimo die futura ostenditur: vnde sperabilis vitæ salus.

malè fuit ὀφθαλμοῖσι. 140 Οἷσιν ἐν τοῖσι καυσώδεσιν, ὑποπεριψύχουσι, διαχωρήμασιν, ὑδατοχόλοισι, συχνοῖσιν, ὀφθαλμῶν ἴλλωσις, κακόν. ἄλλως τε κἢν κάτοχοι γένωνται.

Quibus ardenter febricitantibus, modicè alsiosis, ex aluo crebræ deiectiones, liquidæ, & biliosæ prorumpunt, vnáque oculorum peruersio est; calamitosum: idque cùm aliàs, tum si reddantur obstupidi.

Complexio

Complexio est & consecutio symptomatum propagatorum, quorum aduentus & generatio, magnarum affectionum consectaria esse solet: nec earum quidem omnium; sed inter eas eximiarum. Eximiæ quidem sunt febres ardentes in quibus apparent, extimarum partium frigus; dejectiones liquidæ, & biliosæ ex aluo proruptæ; oculorum peruersio, & catoche ipsa. Quæ omnia quemadmodum fiant, & quorsum appareant, sic mea ratio est.

Quibus ardenter febricitantibus.] Quibus cum celeritate, vehementia & assiduitate, summa sunt omnia febrilis ardoris, qui cernitur in linguæ scabricie, siti inexplebili, costarum aut ventris incendio.

Modice alsiosis.] Per interceptionem & retractionem caloris natiui. Alsiosos autem modicè dixit; qua oratione symptoma expressit inseparabile febris ardentis.

Ex alvo crebræ dejectiones, liquidæ, et aquosæ prorumpunt.] id est, multùm & sæpe liquidis excrementis fertur aluus: propter ventriculi φλεγμονήν, aut jecoris κακοπραγίαν.

Vnaque oculorum perversio est.] Nempe musculorum vtriusque canthi conuulsio, quam facit consumptio viuacitatis, & dissipatio nectaris viuifici cordis; illa quidem, à febre ardente; hæc verò, à profluuio alui.

Calamitosum.] Quia trium facultatum in officio vim debilitatam; triumque principiorum, hepatis, cordis, & cerebri exolutionem denunciant.

Idque cum alias, tum si reddantur obstupidi.] Ac si diceret. Si trium facultatum principia exaruerint, maximéque cerebrum, cuius symptoma sit ἔκπληξις; non pressa leuiter, sed fixa firmiter à siccitate insanabili. Id enim significat τὸ κάτοχος. 47. Coac & prorr. 6. lib. 2.

141 Καῦσος, ῥίγεος ἐπιγινομένου, λύεται.

Causus, rigore superueniente, soluitur.

Qui et cuiusmodi sit rigor, frigus, & horror; prima distinctio harum decisionum suo veluti fini complectitur. Scire autem licet, hoc loco rigorem subitum, febris ardentis finem adferre; si lege critica suscipiatur, & fiat. Hæc verò lex in rigore critico sanciatur, vt febris ardentis materia primùm in venis mitificata, exitum inde habeat, natura duce, ad panniculum carnosum, & cutim; quæ rei molestæ appulsu concutiatur ad excussionem & exclusionem. In concussione rigor existit. In excussione sudor, hæmorrhagia, vomitus, & alui profluuium. Sed illa concussio quæ facit rigorem, sic habetur optima, si & pepasmo denunciata fuerit ad ipsum tempus; & suppressione vrinæ, ad speciem ipsam perturbationis criticæ, i. rigoris, qui varia ciet excretionum genera, prout natura & humor huc illuc cursum inflectunt.

Ergo. Causus.] i. Febris ardens, quam genuit biliosus & acer humor quem arefactæ venulæ rapuerunt: quam causæ morbificæ hypothesin Galenus, tanquam demonstrationis fundamentum, posuit. aph. 58. 4. & 4. de acut

Rigore superveniente.] i. Repentè, egregiè & semel coorto: per excretionem bilis morbificæ intus foras ἐκ τῶν ἀγγείων, non autem ἐκ τῶν σαρκῶν. Sunt enim hi duo in vniuersum fontes, ex quibus manant rigores symptomatici, critici, & periodici.

Solvuntur.] Quiescunt, liberali & libera vacuatione bilis febriferæ, quam vacuationem ciet rigoris concussio per hæmorrhagiam, sudorem, alui profluuium: vt nihil reliquiarum supersit ab ea concussione, pepasmo significata, conuenienterque suscepta atque facta. In aphorismis legitur. τῷ καύσῳ ἐχομένῳ, ῥίγεος ἐπιγενομένου, λύσις. i. Causo detento, rigore soluitur superueniente. Pertinet etiam ad explicandum sent. 9. & 10. part. 1. lib. 6. Epid.

142 Καῦσοι ὑποτροπιάζειν εἰώθασι, καὶ ἡμέρας τέσσαρας ἐπισημήναντες ἔπειτα ἐφιδρώσιν. εἰ δὲ μή, τῇ ἑβδόμῃ ἢ δεκάτῃ.

Febris ardens, vt quaternarium ad crisin designarit, si sudatiunculam habet, redibit pro certo. Sin minùs, septimo vel decimo.

Existit quidem crisis perfecta morborum acutorum propria, tum propter ἐρεθισμόν, i. prouocationem; tum quia ferè est meabile corpus naturæ vi, meatuum libertate, & materiæ præparatione: quæ tres omnino sunt opportunitates liberalium & liberarum excretionum, per quas ægroti se morbis liberant. Et quamuis inter acutas eximiæ sint febres ardentes τῷ ἐρεθισμῷ: tamen quia non semper in promptu est triplex illa opportunitas τῆς κρίσεως in febre ardente; ideo neque semper vocis medicorum crisis respondet. Itaque pro hæmorrhagia fit stillicidium; pro liberali sudore, ἐφίδρωσις: vnde materia morbi superstite, & empyreumate, recidiuus accidit morbus. Non enim sudatiuncula, non etiam

G

stillicidio, febris ardens perfectè quiescit. Ex quo efficitur, vt morbi reliquiæ, quæ ab imperfecta crisi supersunt, relapsum adferant morbi exacti.

Quæ cùm ita sint. FEBRIS ARDENS.] Quæ inter acutas principatum obtinet; quarum propria est crisis per plenam & liberam excretionem.

VT QVATERNARIVM AD CRISIN DESIGNARIT.] Quamuis ediderit signa secundæ crisis, atque in futurum perfectæ, in pepasmo vrinæ, qui cernitur hypostasi, materia & loco laudabilis. Ac si diceret; tametsi febris ardens primum quaternarium exegerit sine terrificis illis symptomatis quæ ineunte morbo apparent & fiunt ad exitium ægri, qualia leguntur 1. lib. Epid. sed contrà, naturæ virtute processerit, ac sperabilem vitam fore ostenderit, ex vrinæ pepasmo qui septimo die venturam crisin promittit. 10

SI INDE SVDATIVNCVLA EXVDARIT.] Vnde nemo vnquam febre defunctus est absolutè: quia criticam legem non seruat in excernendo; cùm nihil paucum sit criticum. Est autem huiusmodi, non quidem oppressione, vt esse solet febrium initiis; non exolutione, vt fatiscente natura diuturno & prægrandi morbo: sed inchoata excretione, cuius copiam & libertatem perficere non potuit triplex illa conditio & opportunitas τῆς εὐφορίας: de qua iam scripsit.

REDIRE SOLET.] Ob causas iam explicatas: ac redire quidem eodem ipso die quo discessisse videbitur, i. quarto. Sin minùs, septimo vel decimo.

Eodem pertinet Coac. 7. *Causorum rigores certa quadam lege sunt funesti: tum rutila cum sudore facies, in his mala.*

20

143 Τῶν καυσώδεας διακρίνουσιν αἱ τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέραι, κουφίζουσαι ἢ διαφθείρουσαι.

Eorum qui ardenter febricitant decisionem faciunt quatuordecim dies; vel ad interitum; vel ad salutem.

ENIMVERO febres acutæ intra quatuordecim dies crisin subeunt interitus, aut salutis. Quamobrem mirum videri non debet de ardentibus quæ inter acutas eximiæ sunt. Etenim quibus cita mors venit, inquit Hippocrates, cita etiam crisis: quòd morbi eorum celeriter, continenter, & vehementer procedant. 30

Ergo. EORVM QVI ARDENTER FEBRICITANT DECISIONEM FACIVNT.] Velut arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi, vltrò citróque habitarum, quod ratum cuique esse debet, decernunt & statuunt.

QVATVORDECIM DIES.] Qui duas morbi hebdomadas, & quatuor absoluunt quaternarios; siue illi referantur ad τὴν πρώτην εἰσβολήν, i. *primum insultum morbi*; siue ad ἐπίδοσιν, i. *adiectionem incrementi*: prout initio est ardor febrilis, aut postea incessit. Existunt autem quatuordecim dies arbitri quàm longissimo interuallo. Nam & quinto & septimo alterutrius exitus decisiones fiunt: quoniam mutationis repentinæ, quæ crisin facit, celeritatem adfert perpetua & vehemens irritatio: qua certè nulla peruicacior excogitari potest quàm in febre ardente. 40

AD INTERITVM, VEL AD SALVTEM.] Superato morbo per naturæ virtutem ex pepasmo & excretione plena & libera humoris morbifici: quæ duo sunt instrumenta crisis perfectæ, quam perfectè & exactè subeunt morbi acuti. Nam crisis semiflua non cadit propriè in morbos qui absolutè sic nominantur: sed in eos qui ἐκ τῆς μεταπτώσεως, i. *transitu* ad quadragesimum diem: quamuis existant febres ardentes cum ἐμμόρφῳ crisi, vt superiore prognosi demonstratum est.

144 Ἐκ καύσου ἀποστήματος παρ' οὓς μὴ γινομένου πυώδεος, οὐ πάνυ σώζονται. 50

Si cui ex febre ardente venit parotis quæ purulenta non fiat; haud facilè superstes euadit.

IAM PRIMVM omnium constat, propriam febris ardentis crisin libera & liberali excretione suscipi atque perfici humoris qui in vitio est, per hæmorrhagiam aut sudorem. Quòd si pro sudore, sudatiuncula; pro hæmorrhagia, exiguum sanguinis stillicidium; excretionis loco, abscessus nascetur ad aures; denegata hæmorrhagiæ profusione & copia: quemadmodum paulò antè iam demonstrauimus. Vt autem parotides veniant ex febre ardente; tum verò quem habeant exitum cùm superuenerunt; iam suprà diximus, & infrà dicetur pluribus. 60

131. Coac.

110. & 112. Coac.

145 Οἱ ληθαργικοὶ τρομώδεες ἀπὸ χειρῶν, ὑπνώδεες, δύσχρωτες, οἰδηματώδεες, σφυγμοῖσι νωθροῖσι, καὶ μετάρσια τὰ ὑποφθάλμια, καὶ ἱδρῶτες ἐπιγίνονται, καὶ κοιλίας ὑποιδέουσι χολώδεας καὶ ἀκρητέας· ἢν δὲ καταξηρὰς ἴσχωσιν, οὖρα καὶ διαχωρήματα προΐοντα λαθραίως. Τὸ οὖρον ὑποζυγίου· πιεῖν τε οὐκ αἰτέουσιν, οὐδὲ θάτερον οὐδέν. Ἔμφρονες δὲ γινόμενοι τράχηλον ἐπώδυνον φασὶν ἔχειν, καὶ διὰ τῶν ὤτων ἤχους διαΐσσειν. Ὁκόσοι δὲ σώζονται τῶν ληθαργικῶν, ἔμπυοι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνονται.

Lethargici manibus contremiscunt, soporati, decolores, vnáque turgiduli, cum pulsu sepulto. Apparent etiam genæ sublimes, biliósáque aluus profusior intumescit; quam si astrictionem fortè habuerint: attamen vrinæ & fæces iniussæ clam ægro secedunt. Vrina iumentorum similes. Porro autem nec bibere, nec aliud quippiam sibi dari postulant. Sed cùm resipuerint, ceruicis dolore angi queruntur, flatúsque sonoros per aures erumpere. Ex lethargicis, quicumque seruantur, ferè purulenti redduntur.

REPLETI capitis symptomata sunt cataphorica, aut cephalalgica, aut catarrhoica. Inter cataphorica numeratur lethargus. Est autem delirium intermissionis expers, cum febre, sopore, & cita obliuione conjunctum. Ac delirium quidem cernitur in dissimilitudine morum, indecora corporis compositione, & ἀκαθασίῃ laborum, sopor, in veterno & exolutione: febris, in calore, vrinis, & pulsu: cita obliuio, in necessariis rebus; vt oscitatione; respiratione, dejectionibus, & vrinis. Nam oscitando diductam inferiorem maxillam claudere non meminerunt: nec micturientes matellam se poposcisse: magnum & rarò spirant: iniussa excernit aluus, & iniussa vesica.

Ergo. LETHARGICI.] Numeris omnibus absoluti, qui cerebro pituita putri, velut inebriato, continenter delirant: cum febre, sopore, & cita obliuione. Est enim delirium illud intermissionis expers, cerebri malè affecti per idiopathiam, symptoma: sicut phrenitis. *comm. a. f.r.*

MANIBVS CONTREMISCVNT.] Quando lethargi inueteratione fit cerebri alienatio: vel propagatione causæ lethargicæ à parte postica cerebri in ceruicem.

SOPORATI.] Cum vicissitudine fugacium vigiliarum, & arctioris somni: ex contraria vi putredinis, & materiæ putrescentis.

DECOLORES.] Faciei sympathia cum cerebro pituita inebriato. Est autem consentaneum vt color humori similis efflorescat.

TVRGIDVLI.] Cuiusmodi sunt qui somno indulgent meridiano, aut qui ad multam lucem dormiunt, exhalandi vini, & concoquendæ crapulæ causa. Nam diuturnior somnus facit τὴν ἕψησιν, i. *elixationem*: quæ causa est cur lethargici videantur leucophlegmatici. *1. prorr. 2. de acut.*

CVM PVLSV SEPVLTO.] Pigro, tardo, vndoso, cum ἀσφυξίῃ intercalari: per exolutionem facultatis pulsificæ, in vsu pulsandi pernecessariæ. Ex quo perspicuum fit Hippocratem pulsuum notitiam habuisse, eorúmque scientiam excoluisse: quod etiam testatur apertè locus ille 1. lib. περὶ γυναικείων; loquitur autem de puerperis quæ non sunt puerperiales, i. quibus puerperia non benè respondent. Σφυγμοὶ βληχροὶ, ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐξίτ· ἄλλοτε ἀειρόμενοι, ἄλλοτε ἐκλείποντες, i. *Pulsus molles; qui attolluntur nonnunquam, & nonnunquam deficiunt.*

APPARENT ETIAM GENÆ SVBLIMES.] Cuiusmodi cernere est ebriosis diuturno somno excoctis: à peruersione quam facit musculorum vtriusque canthi æqualis contentio.

TVM SVDOR EXVDAT.] Exiguo sudore madent; initio quidem, per expressionem ab oppressione; postea verò ab exolutione partium solidarum.

BILIOSAQVE ALVVS PROFVSIOR INTVMESCIT.] Biliosa quidem, bilis dominatu, & febris corruptione; profusior verò, sua sponte iniussa: tum quia lethargici non sanæ sunt mentis; tum quia sensu carent partes excretioni dicatæ. Tumida autem conspicitur aluus, vt in hydropicis, cum alui profluuio.

QVAM SI ASTRICTIOREM FORTE HABVERINT.] Quòd exaruerint fæces.

ATTAMEN VRINÆ ET FÆCES EXEVNT INIVSSÆ CLAM ÆGRO.] id est, Non ægri sponte fertur aluus, neque vrinæ funduntur: sed sine voluntate & sensu commeiunt & concacant

lectum. Qua de re scripta sunt illa. *Vrinæ quæ effluunt immemoribus, lethales.* Et, *Ex aluo tenuia effluere,* &c.

prorrh. 18. s.1.1. & prorr. 46. s.2.1.

VRINÆ IVMENTORVM SIMILES.] Perturbatione fieri in venis, à flatulento spiritu cum ardore febrili. Quæritur in prorrhetico vbi de vrinis agitur quæ immemoribus ægris, sua sponte, funduntur. *Ἆρά γε τοῖσιν οὖρα ἐκ τῶν ὑποστάσεων ἀναταράξιος*, i. *An quod illis latium excidit, est eiusmodi ac si hypostasin conturbauerit?* Quæ perturbatio si ad iniussam vrinæ ductionem accesserit; tanto pejus, quò plures facultates in vitio sunt. Tales vrinæ nominantur etiam *θολερὰ οὖρα.*

PORRO AVTEM NEC BIBERE, NEC ALIVD QVIPPIAM SIBI DARI CONTENDVNT.] Quoniam nulla suiferæ causæ sensio excitatur in iis qui non sunt apud se, nec suæ sunt mentis: vnde sui negligentes existunt, ac tam immemores vt si quid fortè poposcerint, cùm in manus sumpserint, id se manibus tenere ampliùs non meminerint, nec recordentur.

SED CVM RESIPVERINT.] Explicato cerebro per materiæ decubitum, & restituto in pristinam complexionem ac temperamentum: quod perraró accidit in tam maligna cacochymia, tantáque naturæ oppressione.

CERVICIS DOLORE ANGI QVERVNTVR.] Propter transitum materiæ à cerebro in sobolem eius medullam: vnde vigente lethargo, manibus contremiscebant per propagationem materiæ tum in cerebro stabulantis.

FLATVSQVE PER AVRES VI EXPRIMI.] Cum sibilo & tinnitu, qui echus naturam distinguit à flatu sonoro & murmure, éstque huiusmodi propter conditionem validæ expressionis: quod ipsum significat, τὸ ἐκθλίβεσθαι. Est autem illa echo, spiritus flatulenti soboles, quæ modò grauis, modò acuta percipitur: prout valida aut remissa expressio est; flatus crassior aut tenuior; meatus amplitudo vel angustia.

137. Coac.

EX IIS QVICVNQVE SERVANTVR, FERE PVRVLENTI REDDVNTVR.] Ex pulmonum vomica: nisi ante ad exitium præcipitentur à peripneumonia nata ex prolapsu materiæ corruptæ, & fractis iam viribus à lethargo.

malè fuit ἀφ-δρα.

146 Ὁκόσοισι ἐν πυρετοῖσιν ἀκρίτως τὰ τρομώδεα παύεται. τουτέοισι χρόνῳ ἐς ἕδρην ἀπόστασις ὀδυνώδης ἐκπύουσα, καὶ κύστις ἐπώδυνος.

Quibuscumque in febribus tremores immeritò conquiescunt, iis lapsu temporis sedis dolorifici & purulenti abscessus nascuntur; vnáque in vesica doloris acerbitas.

HÆC PROGNOSIS decisionem facit historiæ commemorabilis de Pythione, quæ prima legitur sectione 1.3. τῶν ἐπιδημιῶν. Etenim cùm Pythion febris initio manibus contremiscere cœpisset, nec eius tremoris finem inuenire potuisset in quo permultos dies cum febre exegit; denegata liberali excretione, foco febrili & sputi materia obsessis pulmonibus; tandem natura expediuit se illo symptomate per abscessum purulentum in sede, & stranguriosam vitam. Id autem accidit quadragesimo die morbi.

Ergo. QVIBVSCVMQVE.] Præsertim iuuenibus: quorum validæ sunt vires ad pepasmum & excretionem.

IN FEBRIBVS.] i. Febrium initiis, quibus natura morbificis causis opprimitur; eáque oppressio facit tremorem, vt Pythioni.

TREMORES.] i. iussorum in artubus motuum deprauatio: ex pari & mutua contentione rei quæ mouet tum eius quæ mouetur; quæ deprauatio cernitur in virtute illius, & contumacia huius: vnde homines toto corpore, omnibusque artubus contremiscunt: quod idem est atque illud: ὅλου τοῦ σώματος ἀκρατὴς τρομώδης. i. *totius corporis impotentia quadam tremula.*

IMMERITO CONQVIESCVNT.] Sic ergo de industria illud, ἀκρίτως, vertendum putaui: quia idem videtur esse quod, παραλόγως. Immeritò autem conquiescunt, sine propria crisi oppressionis illius quæ facit tremorem. Propria autem crisis est hæmorrhagia. Quæ causa etiam cur ipse Galenus ita scripserit. *Si febrium initiis tremor inciderit, nec vlla sit virium exolutio ex anteacta diæta; sanguinis detractio necessaria est.*

IIS LAPSV TEMPORIS.] Intra quadragesimum diem, si vires validæ pro ægro pugnarint contra vim morbi, anteáque pepasmi signa ediderint: vt in Pythione per sputa ὑπόπυα, i. *subcocta.*

DOLORIFICI ET PVRVLENTI SEDIS ABSCESSVS NASCVNTVR; VNAQVE IN VESICA DOLORIS ACERBITAS.] Sic in Pythione. Ἐμπύημα, inquit, κατὰ ἕδρην, καὶ στραγγουριώδεα ἐγένετο ἀπόστασις. Vnde, τὸ ἄρθρα, in, τὸ ἕδρην, commutandum duximus.

147 Τῶν πυρεσσόντων οἷσιν ἐρυθήματα ἐπὶ πρόσωπον, καὶ πόνος κεφαλῆς ἰσχυρὸς, καὶ σφυγμὸς φλεβῶν αἵματος ῥύσις τὰ πολλὰ γίνεται.

Si cui febricitanti rubor in facie luceat; vnáque capitis dolor prægrandis; & vnà venarum emicet pulsus; ferè profluuium sanguinis è naribus inde venit.

Magna expectatio est hæmorrhagiæ criticæ in morbis acutis, quam si neque medicus præuidere, neque præuisam, cùm in propinquo est, velut digito indicare potest; vix videtur summam vituperationem posse vitare. Quemadmodum autem præuideri debeat, sæpe iam diximus. Hic quænam sit indicandi ratio cùm propè abest, planissimè explicatur.

Si cui febricitanti.] Quando spes est releuandi, ex mansuetudine morbi, viribus ægri, vnde signa pepasmi certa innotescunt.

Rubor in facie splendeat.] Suffusa sit rubore facies per excursum sanguinis mitificata bile perfusi: vnde certa opinio eductionis è cerebro per nares.

Vnaque capitis dolor prægrandis.] Aucto capite repletionis causis: ex translatione critica humoris morbifici.

Et vna venarum emicet pulsus.] Aspectabilis medicò in temporibus ægri, & ægro perceptibilis atque molestus: ex dilatatione extraordinaria venarum, quæ hic pro arteriis vsurpantur. Atque illa dilatatio extraordinaria, non est consectaria cordis micantis: sed repletionis particularis arteriarum, vel etiam partium in quibus illæ micant. Cui quidem repletioni cum adjunctum sit partium repletarum robur, & meatuum amplitudo; propius nihil est, quàm vt vacuationem habeat loci & materiæ propriam: ac profluuium, inquam, sanguinis e naribus, inde veniat: quæ sunt authoris verba.

148 Οἷσι δὲ ἆσαι, καὶ καρδιωγμοὶ, καὶ πτυαλισμοὶ, ἔμετος· οἷσι δὲ ἐρυγμοὶ, φῦσαι, ψόφοι κοιλίης καὶ ἐπάρσιες· ἐκταραξις κοιλίης.

Quibus autem fastidia, cordis morsus, & crebra saliua; in procinctu vomitio est: quemadmodum si ructus, flatus silentes, crepitus ventris, atque inflatio; rapidè fertur aluus.

Quemadmodum à sanguine multa bile perfuso veniunt hæmorrhagiæ iis qui ardenter febricitant, quâs in propinquo esse denunciant signa superiori prognosi explicata: sic etiam vomitiones febrium finem faciunt; quando ita comparata est ratio morbi & ægri, vt naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione, humor qui in vitio est, ad ventriculum & stomachum cursum inflectat. Vt enim cephalalgia in febre acuta, hypochondrium sursum intrò reuulsum, sanguine non prorupto à naribus, phrenitidis euentum habent: sic lipyriæ febres, non nisi cholera superueniente, sanantur. Ac de inclinatione critica ex impulsu naturæ, humoris motu, & domicilio ipsius morbi; multa nos quidem ad illarum prognoseωn explicationem attulimus ex lib. τῶν χυμῶν. Est igitur vomitio inter excretiones criticas numeranda, si iure & loco, sponte sua suscipiatur & fiat. (125. & 126. Coac.)

Quibus autem fastidia.] Ac si diceret. Si loco tensionis hypochondriacæ, dolore & inflammatione carentis, fastidiosa sit aluus, quæ est acerrimi sensus, facitque homines anxios, vt ita dicam, virium exolutarum, omnisque loci & figuræ impatientes: non quidem ἀσώδεις, vt in iis quorum virtus à corporis oppressione obruitur; sed καυσώδεις, à stomacho prauorum humorum morsibus valde afflicto.

Cordis morsus.] Quasi ita velit. Si nulla sit alia illius anxietatis causa, quàm biliosus humor quo tunicæ ventriculi sunt imbutæ, vnáque stomachus morsu vellicatur; vnde consecutio adfertur τῷ καρδιωγμῷ, quod symptoma est, non quidem cordis micantis per se, sed oris ventriculi, quod veteres τὴν καρδίαν nominarunt: vt nulla suspicio sit anxietatis à virium oppressione; sed tantum à ventriculi & stomachi afflictione, cuius proprium symptoma est cardiogmus & cardialgia. Ac cætera omnia vomitionis signa quæ aliarum quoque partium & affectionum communia sunt, huius vomitionis efficiuntur propria. (61. aph. 4. & 5. progn.)

149 Τοῖσι χρονίζουσιν ἀσφαλέως ἐν πυρετῷ ξυνεχεῖ, χωρὶς πόνου καὶ φλεγμονῆς, ἢ ἄλλης προφάσιος· ἀπόστασιν προσδέχεσθαι πόνου, καὶ οἰδήματος, καὶ μᾶλλον ἐς τὰ κατωχωρία· προσδέχεσθαι δὲ δεῖ τὰς ἀποστάσιας τοῖσιν ὑπὲρ τριάκοντα ἔτεα μᾶλλον· ὑποσκέπτεσθαι δὲ τουτέοισι τὰς ἀποστάσιας, ἢν τὰς εἴκοσιν ἡμέρας πυρετὸς ὑπερβάλλῃ· τοῖσι δὲ πρεσ-

βυτέροισι ἧσσον γίνονται· καὶ πολλῷ γινομένων τῶν πυρετῶν. οἱ δὲ διαλείποντες καὶ λαμβάνοντες πεπλανημένως, φθινοπώρου μάλιστα, ἐς τεταρταῖον ἐπιεικέως μεθίστανται· καὶ μᾶλλον τοῖσιν ὑπὲρ τὰ τριήκοντα ἔτεα γεγονόσιν. Αἱ δὲ ἀποστάσιες, τοῦ χειμῶνος γίνονταί τε μᾶλλον καὶ παύονται βραδύτερον, καὶ ἧσσον παλινδρομέουσι.

Quibus inueteratio est cum securitate febris continuæ, nec tamen doloris, inflammationis, aut illabentis causa vis vlla inciderit; abscessum dolorificum, tumidúmque imis in partibus expectare oportet: potissimùm verò iis qui annos triginta compleuerint. Ac sanè abscessus tum expectare licet, cùm febris viginti dies exegerit. Maioribus autem rarò abscessus fiunt: quantumvis longiùs febres eorum processerint. At verò febres intermissionis participes, quarum anormes sunt accessiones, idque autumno; degenerant abundè in quaternas: iis potissimùm qui in annis triginta sunt grandiores. Caterùm supradicti abscessus & hyeme magis veniunt, & seriùs finiunt, & minùs reuertuntur eò vnde venerunt.

aph. 45. 4. 1. Epid. de Bione. 6. Epid. & 4. aph. part. 1. 6. Epid.

SEQVITVR vt patefacta excretionum criticarum τεκμήρια; deinceps de critico abscessu dicamus. Existunt enim morbi quorum curatio decubitu materiæ suscipitur atque perficitur, in quibus excretio nulla sperabilis nisi ex euentu, vt ita dicam: sicut dysenteria in febre acuta, senum vrinæ crassæ, albæ, & copiosæ. Nam quibus in febribus rigores valida concussione cientur, tardò abscessus cooriuntur. Est autem abscessus κατ' ἐξοχὴν hoc loco dictus, qui fit κατὰ τὴν ἀπόστασιν, *i. per decubitum* materiæ morbificæ in artubus siue articulis. De cuius lege critica in qualitate, copia, tempore, decumbendi modo, & partium excipientium conditione; alio loco iam diximus. Ergo morborum critici abscessus huiusmodi fere sunt.

QVIBVS INVETERATIO EST CVM SECVRITATE FEBRIS CONTINVÆ.] Ac si diceret. In diuturnis morbis qui saluis ægri rebus producti sunt à vigesimo ad quadragesimum diem & vltrà, cum signis quæ spem vitæ faciunt in doloris acerbi vacuitate, somni & cibi suauitate, & libertate spirandi.

NEC TAMEN DOLORIS, PHLEGMONES, AVT ILLABENTIS CAVSÆ VIS VLLA INCVBVERIT.] Si nulla sit alia diuturnitatis causa quàm difficultas pepasmi, quæ posita est in materiæ copia aut contumacia; nec vlla excusatio possit adferri phlegmones atque doloris, siue viscerum in suo cuiusque officio laborantium, vnde materiæ morbificæ perennis generatio: nulla etiam causarum extrinsecus illabentium, vt pertinaciæ clinicarum quæ nihil rectum putant nisi quod ipsæ præscribunt; negligentiæ aut inscitiæ medicorum, vnde non mediocriter peccatur in commoda ægri, maximè verò quando per ignorantiam inter se dissentiunt, eáque dissentio non est opinionum, sed voluntatum; postremò ægroti contumaciæ, ac tempestatum cœli repentè cooartarum.

ABSCESSVM LABORIFERVM, TVMIDVMQVE IMIS IN PARTIBVS EXPECTARE OPORTET.] Quia in promptu non sunt tres illæ opportunitates ad excretionem ciendam necessariæ, libertas meatuum, validæ vires, & materiæ præparatio quæ fit meabilis. Nam diuturnarum febrium crassior materia est: tum ab oppressione fractæ vires liberalem & citam excretionem ciere non possunt; nec intus foras; nec foris introrsum. Ex quo efficitur vt denegata excretione, quod reliquum est ipsa per se natura laboriosè perficiat atque suscipiat, materiam exprimendo supernè deorsum κατ' ἴξιν in partes amplitudine capaces, & laxitate ad excipiendum idoneas. Sunt autem abscessus, dolorifici quidem, sed laboriferi magis, quia laboriosos faciunt articulos in suo quemque munere & officio faciundo: prætumidi verò apparent, materiæ collectione quam exceperunt.

POTISSIMVM VERO IIS QVI ANNIS TRIGINTA SVNT GRANDIORES.] Quoniam viris ætate illa minoribus ferè in promptu est triplex illa iam commemorata opportunitas qua excretio omnis suscipitur atque perficitur, naturæ, meatuum, materiæque meabilis. Attamen in prognostico minores natu annorum triginta, abscessuum feraciores, qui sunt breuiores temporis, esse scripsit: *Frequentiùs verò*, inquit, *citiusque gignuntur abscessus huiusmodi, minoribus annis triginta.* Sed huius prognoseωs lectio, illi prognosticæ anteponenda videtur: quoniam iuuenum excretiones propriæ sunt in morbis acutis; ob eam sanè causam, quòd ipsa natura, & iuuenum humor, ad excretionem cursum inflectit.

Ac

Ac sane abscessus tum prævidere licet, cum febris viginti dies exegerit.] Quando acutorum morborum decisionem faciunt, quatuordecim dies ad interitum vel ad salutem; neque exactus quispiam est morbus acutus qui non eo temporis interuallo historiam suam exegerit; præerepta crisis occasione & causa, per excretionem, inclinatio fit ad abscessum: modò validis viribus natura pro ægri salute pugnet cum morbo, vt in cephalalgia prægrandi, & jecoris inflammatione; pro hæmorrhagia fit suppuratum.

Senioribus autem raro abscessus fiunt; quantumuis longius febres eorum processerint.] Vt in iuuentute excretio sperabilis est: sic in ætate constanti abscessus. At supra illam ætatem, quando scilicet ventum est ad senectutem, neutrum sperabile;
10 quoniam in senectute vires diuturnitate morbi languent; materiæ contumacia est; meatuum item angustia. Ex quo efficitur, vt in oppositione triplici τ εὐφορία; nihil à natura suscipi, nedum perfici posse videatur. Quod reliquum est igitur, aut concoctione lenta absoluetur, aut successionem adfert corruptiunis & cachexiæ.

At vero febres intermissionis participes, quarum anormes sunt accessiones.] Fuit illud Hippocratis iudicium de abscessibus criticis, vt eos non agnouerit nisi in febris assiduitate; nunquam verò in discessione, quam ἀπυρεξίαν vocant. Sic enim ait in prognostico. *Abscessum porro expectare oportet, si continua est febris.* Ergo febres intermissionis participes quæ paroxysmi discessionem perfectam habent, cuiusmodi sunt tertianæ; sed quarum, inquam, anormes sunt accessiones, i. typo regulari carentes: sic enim errorem febrium in paroxysmorum particula- comm. 3. 1. Epid.
20 rium ἀταξίᾳ dixit versari. Sunt autem eiusmodi primigenia ἀταξία, vel secundaria. Ac primigenia quidem, propter humorum qui in vitio sunt, ἀπηλλαγμένα, i. *naturæ varietatem*, putredinis inæqualitatem, variamque partium obsessarum naturam. Secundaria autem, à causis extrinsecus illabentibus, aut irrito naturæ motu, vt à rigore frustra citato qui febrem tritæophyam, ex imparibus paroxysmis, in pares degenerare facit.

Idque autumno.] Inæquali, qui mutuo caloris & frigoris imperio regitur; & qui cùm ab intemperie calida ac sicca æstatis exactæ exudarit tenuior bilis portio, superstite crassiore, melancholici humoris dominatu tenetur, cum paupertate caloris natiui, & cruditate quam pariunt αἱ ὀπῶραι, i. *bacca arborum*: quia, vt inquit Hippocrates, sunt ἐργασίαι ἡλιώσεις, πολυποσίαι, σιτία ἀκατάστατα, ὀπῶραι, οἶνοι, i. *opera insolata, frequentes potus, cibi inconstantes, arborum bacca, vina fortia.*
30 Aliunde degenerant in quartanam.] Sic enim [illegible], vertendum duximus, quod significat sufficienter: vt in illo, ἐν φρενιτικοῖσιν ἐν ἀρχῇ, [illegible], &c. Ac si diceret; autumnus abundat quartanis, non solùm ἐν τάξει quartanarum incipientis; sed ex abscessu aliorum morborum per transitum in quartanam: quia melancholici humoris generatio est per autumnum, proptereaque feracior est quartanarum cæteris anni partibus. prorrh. 67. sect. 11. 97. Coac.

Iis potissimum qui annis triginta sunt grandiores.] Quoniam ætate illa par est efficienti causæ, suscipientis commoditas, ad generationem febris quartanæ.

Cæterum supradicti abscessus et hyeme magis veniunt.] Quoniam frigidiores sunt, crassiores hyberni humores procreandis abscessibus accommodati: quemadmodum tenues ad excretionem nati.
40 Serius resoluuntur.] Propter humoris contumaciam, ac temporis frigidam tempestatem.

Et minus reuertuntur eo vnde venerunt.] Quoniam piger est in mouendo humor temperamento frigidus, qualitate mitis, substantia crassus. Atqui recursus omnis fit per impulsum humoris temperamento calidi, substantia tenuis, & qualitate acris.

150 Τοῖσι δὲ πολλάκις ὑποστρεφομένοισιν, ἢν ἑξάμηνον ὑπερβάλλωσιν, ἰσχιάδικὴ φθίσις ἐπιεικέως γίνεται.

50

Quibus autem crebri sunt eodem & inde relapsus, exacto semestri labore; coxaria tabes incessit.

Enimuero febres continuæ diuturnæ, relapsibus & abscessibus crebræ sunt; illinc, reliquiis quæ supersunt, vt superesse solent; hinc, noua partis iam afflictæ afflictione. Ergo si abscessus [illegible] coxæ, non ea fuerit in omni lege critica perfectio, perfectáque transitio quæ ægrotum febre exoluat; ex crebro relapsu, crebra fit etiam cacochymiæ superstitis & succrescentis in eam partem apostasis,
60 quæ iam lassitudine fracta est, atque perdoluit. Sed inter articulos principatum obtinet coxa, tum amplitudine loci, tum laxitate, & motus ad progrediendum majore vi præter cæteros. Quoniam igitur ita comparata est coxæ ratio vt facilè in eam fiat humoris prolapsus; siquidèm cruda morbi sint omnia, eóque perseuerante, finis decumbendi non inueniatur; ex eo eueniet vt & doloris acerbitate, & difficultate paroxysmi (vnde abscessuum serior euolutio) tum etiam decumbendi assiduitate pars labefactata, suóque, vt ita dicam, defraudata genio; in labore officij incremento prohibeatur: quæ

affectio, particularis tabes dicitur, vt in pupilla; non autem ficut in phthoe, & tabe dorfali. Vide 5. de articulis, & 67.2.prog. Huc pertinet etiam quod idem fcripfit. Τὰ προκρινόμενα, ἐὰν ὠμῶς κρίνηται, ὑποστροφαί· ἢν δὲ μή, ὀλέθριαι. φθίνοντα δ' αὖ καὶ ὀλίθρια τὰ μὴ σμικρά. i. *Quæ ante tempus iudicantur; fiquidem cruda adhuc materia, recidiuam faciunt; fin autem, crifis defectum. Hæc nifi exigua funt, mortifera exiftunt.*

2. Epid.

151 Ὁκόσα ἐν πυρετῷ ἀποστηματώδεα σημεῖα μὴ ἀποδίδοται, κακοήθεα.

Quæcumque dantur in febre abfceffuum figna, fi ex animo medici non fluunt; praua funt.

Qvemadmodvm fuperiore prognofi iudicatoriarum caufarum non iudicantium triftes exitus demonftrantur: fic de fignis hæc ftatuit; quando eiufmodi non funt qualia debent videri & apparere, quorfum prænuncia effe putantur. Quæ figna videntur critica, fi eiufmodi non fint, metum adferunt finiftri iudicij. Sic & hoc loco.

Qvæcvmqve dantvr abscessvvm signa.] i. Quicumque fpeciem præ fe ferunt, & opinionem faciunt excretionis futuræ, aut tranfitus falutaris; vt faciei rubor, micantium arteriarum afpectabiles pulfus, cephalalgia, hypochondrij fugax tenfio, hæmorrhagia, pallida & turgidula facies quæ fuerat antè viuida, difficultas fpirandi, articulorum labor, hyberna tempeftas.

Si ex animo medici non flvvnt.] Qui nihil mauult quàm vt natura liberetur caufis morbificis, ἔξω, ἔσω, ὃ ἄγει ἢ ἰῇ δεῖ, i. *intrò, vel foras, aut aliò quò decet.* Ac fi diceret. Si illa quæ fiunt, quæque apparent, non fint eiufmodi naturæ vi & commodo, fed potiùs nutu & dominatu morbi; vt nihil boni rependant ipfi naturæ. Id enim fignificat τὸ ἀποδίδοται: quemadmodum & συντηρεῖν.

Prava svnt.] Per regulam iudicatoriorum non iudicantium.

152 Τῶν πυρετῶν οἱ μὴ ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσι, μήτε μετὰ σημείων λυτηρίων ἀφιέντες, ὑποστροπιάζουσι.

Quæ febres, neque diebus criticis, neque cum falutaribus fignis vale dicunt; poftliminio reuertuntur.

Prior pars verfione & enarratione patefacta fuit 85. Coac. Signa autem λυτήρια vertimus, *falutaria*; quæ funt eiufmodi in perpetuo pepafmo, excretione cuiufque morbi propria, & critico abfceffu omni ratione laudabili; denique in iis quæ iure & loco apparent & fiunt. Ac de falutaribus fignis, & prauis nihil intactum reliquimus comment. ad eam prognofin. *Quæ praua cum fignis mitefcunt, aut cum falutaribus nihil concedunt; contumacia funt.* Extat etiam Galeni commentarius in hanc prognofin, 5. progn.

31. Coac.

153 Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων ἐν ἡμέρῃσι κρίνεται τεσσαρεσκαίδεκα.

Acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur.

Et hæc explicata fuit in illo. *Eorum qui ardenter febricitant, decifionem faciunt quatuordecim dies; vel ad interitum, vel ad falutem.* Iifdem etiam literis expreffa legitur in aphorifmis; vbi Galenus doctiffimum edidit commentarium.

141. Coac: aph. 23. 2.

154 Τριταῖος ἀκριβὴς ἐν πέντε, ἢ ἐν ἑπτὰ περιόδοισιν· ἢ τὸ μακρότατον, ἐν ἐννέα κρίνεται.

Tertiana exacta, quinque aut feptem periodis, aut nouem ad fummum, indicatur.

Hvivs prognofeos enarratio continetur in commentario Galeni ad 59. aphorifmum 4.

155 Οἷσιν ἀρχομένοισι πυρέσσειν, αἵματος στάξιες ἐκ ῥινῶν, πταρμοῦ γινομένου, λευκὴν ὑπόστασιν τὸ οὖρον ἴσχει ἐν τῇ τεταρτῃ· λύσιν ἐν ἑβδόμῃ σημαίνει.

Quibuscumque febrium initiis, oborta sternutatione, sanguinis stillicidia sunt è naribus; siquidem vrina quarto die hypostasin habeat albam, vacationem morbi, septimo fore ostendit.

OMNE QVIDEM sanguinis stillicidium, vt cæteræ omnes causæ perexiguæ, in malis ducendum, éstque omnino χαλεπόν. i. *periculosum*; propterea quòd ductu naturæ neque suscipitur, neque perficitur. Qua de re plura sunt à nobis alio loco disputata; maximè verò in illa: *Per exigua stillicidia, sinistra sunt crisis*: Et in illa etiam: *Si quis in febre laboriosa cùm perhorruerit, nonnihil criticè exudarit, indéque febris acuta exarserit, calamitosum: idque cùm aliàs, tum si in hoc negotio sanguis stillarit.* Sed tamen ita comparata est ratio exiguarum causarum, vt si qualitate ipsa materiæ in vitio non sint, accessionem verò habeant pepasmi non solùm inchoati, sed iam perfecti; non minus opinione & bona spe secundi iudicij nos consolentur, quàm metu sinistri exterreant. Est enim semper fidendum pepasmo. [61.Coac.] [37.Coac.]

Ergo. QVIBVSCVMQVE.] Maximè verò iuuenibus, natura & vitæ instituto biliosis, à 18. ad 35. ætatis annum.

FEBRIVM INITIIS.] Acutarum scilicet, quarum celerrimi sunt motus, proptereáque celerrimas habent mutationes, indéque celerrimas crises. Initiis autem dixit, quia tum natura morbificis causis opprimitur, éstque humorum cruditas, vnde nulla excretio salutaris. Ac si diceret. Quamvis illud verè sit positum, causas & signa affectatæ crisis statim non debere conspici; tamen in proprio febris pepasmo, qui semper optatus venit omni febris tempore, fœlicitérque apparet, vt quæ iniqui esse iudicij putantur, ob intempestiuos motus, pepasmi beneficio fiant ἴκεια, appareantque ad speciem certam futuræ crisis perfectæ.

OBORTA STERNVTATIONE.] Per concussionem cerebri ad exclusionem rei molestæ: vt nulla cerebri multùm oppressi, neque satiscendis suspicio sit: vt in iis qui febrium initiis sunt comatosi. [prorr. 1. f.1.]

SANGVINIS STILLICIDIA SVNT E NARIBVS.] Quæ solent esse formidabilia tempore, paucitate & excernendi modo.

SI QVIDEM VRINA QVARTO DIE HYPOSTASIN HABEAT ALBAM.] Quæ celeritatem & securitatem crisis denunciat: quoniam omnino bona est illa hypostasis, tempore, materia, loco.

VACATIONEM MORBI SEPTIMO FORE OSTENDIT.] Per liberam & plenam hæmorrhagiam, quam denunciauit stillicidium: sicut hypostasis occasionem illius. Vide comment. ad 92. huius diuini operis. [aph. 71. 4.]

156 Τὰ δὲ ὀξέα κρίνεται αἵματος ἐκ ῥινῶν ῥυέντος ἐν κρισίμῳ· καὶ ἱδρῶτος πολλοῦ γινομένου· καὶ οὔρου πυώδεος, καὶ ὑαλώδεος γινομένου, ὑπόστασιν χρηστὴν ἔχοντος, καὶ ἀθρόου γινομένου· καὶ ἀποστήματος ἀξιολόγου. καὶ κοιλίης μυξώδεος, καὶ αἱματώδεος, καὶ ἐξαπίνης καταρραγείσης· καὶ ἐμέτων οὐ μοχθηρῶν κατὰ κρίσιν.

At verò morbi acuti indicantur sanguine prorupto è naribus in tempestiua crisi; sudore item multo; atque purulenta vrina, & vitrea, laudabili prædita hypostasi; quæ cumulatè funditur; tum abscessu etiam commemorabili; necnon mucosa & cruenta aluo repentè citata; postremò vomitionibus minimè malis in crisi.

VT ACVTORVM morborum non vna est mansio, nec vna suscipientis & efficientis causæ conditio: ita nec vna crisis idea in qualitate humoris, tempore, loco, & excernendi modo. Ac sanè distinctiones omnium criticarum causarum hæmorrhagiæ, sudoris, vomitionum, dejectionum, abscessuum, iam patefecimus. Quod superest de vrinis & menstruali profluuio; repetenda illarum causarum explicatio ex 1. τῶν ἐπιδημ. *Signorum quæ visa sunt optimum maximumque fuit, plurimosque liberauit à ma-*

ginæ periculis, conuersio vrinæ in stranguriosam. Deinde subjungit. *Vrinæ illis erant multæ, rubræ, puri permixtæ, dolorificæ.* Quem locum enarrans Galenus sic ait: *Hæc omnia sunt deponentis corporis redundantiam, succorum vitiosorum. Propterea seruati sunt omnes. Illa porro redundantia cum varia esset, meritò fuit vrinarum varietas: vt omnes omnibus non essent eadem, sed his tales, & tales illis.*

157 Ὕπνοι βαθέες, μὴ ταραχώδεες, βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν· οἱ δὲ ταραχώδεες μετ' ἀλγήματος σώματος, ἀβέβαιον.

10

Somni arctiores nec tumultuosi firmißimam crisin denunciant: contrà tumultuosi cum labore coniuncti, incertam nec stabilem.

Omnium rerum à medico expetendarum nihil est optabilius bona crisi, quam ipse præuiderit, exceperit, & in medendo ad legem criticam examinarit, ex perspicientia signorum prænunciorum, adjunctorum, & consequentium. Sanè in optimam partem cognoscitur medicus, & existimatur iure optimo adeptus bene sapientérque medendi facultatem. Quid plura? Omne tulit punctum quem penes ista vis est, atque norma curandi. Sed explicata sunt alibi signa crisis prænuncia, ad tempestiuam occasionem, & speciem ipsam crisis. Adjuncta sunt etiam patefacta in criticarum excretionum tempore, copia, loco, & excernendi modo. Sequitur vt consequentia propalam explicentur. 20

Exactæ criseos ad criticæ leges τὴν τέχνην, omnia quæ in ægrotis naturaliter sunt constituta fidem faciunt bene fœliciterque non solùm à natura susceptæ, verumetiam perfectæ & absolutæ. Etenim iudicantia & iudicata suis quæque locis ἀτρεκῶς, & certam opinionem faciunt restitutæ valetudinis, & metum auferunt futuri relapsus. Sed vti iam dixi; exactæ criseos iuxta legem criticam signa ostendunt, cùm alia permulta quæ cernuntur in qualitate corporis, actionibus, & excrementis; tum verò maximè somnus ipse. De quo ita philosophatur Hippocrates.

Somni arctiores.] Qui sunt ejusmodi per aliquot dies à crisi, quando necessitati par est dormiendi somnique iucundi commoditas in temperie cerebri, materia somnifera, & tranquillitate animi bonarum cogitationum epulis saturati. Sic enim eos qui aliquot dies in vigiliis exegerunt, mitescente morbo, arctior somnus ita complectitur vt penè carotici esse videantur. Quæ causa impulit virum vt illam quæstionem posuerit ad disputandum. *Τὸ καρῶδες ἆρά γε πανταχοῦ κακόν; i. Estne sopor vbique malus?* 30

probl. 29. l.1.

Nec tumultuosi.] Quando scilicet homines morbo defuncti lege critica, placidè somnum ineunt qui dono diuûm gratissimus serpit; eóque alacriter & soluuntur & excutiuntur, suauitate & copia materiæ somniferæ quæ dormiendi necessitatem velut nectare quodam cœlesti saturat, ob cerebri bene habiti temperiem, & mentis ipsius tranquillitatem. Ex quibus efficitur vt phreniticorum memorata insomnia boni sint ominis. Nam phrenitici memorando somnia in somnis tranquilla, certam opinionem adferunt victricis naturæ, deuictique morbi. 40

95. Coac.

Firmissimam crisin ostendunt.] i. Fœliciter à natura susceptam atque perfectam, inoffenso cursu signorum & criticarum causarum: vnde nec vllæ supersunt morborum reliquiæ, nec ipse relapsus in metu est.

Contra tumultuosi.] i. Turbulenti, perculsa mente, delirióque proxima. Est enim ταραχὴ absolutè dicta, cerebri alteratio, quæ in propinquo delirium esse denunciat: ob eam enim causam quod malè affecto cerebro anathymiasis terra vim adferat.

prorr. 4. l.1.

Cum labore coniuncti.] Qui loco alacritatis, lassitudinem & grauitatem adferunt; tum propter paucitatem & impuritatem spiritus animalis, nectarisque in corde viuifici, & morbifici humoris cruditatem.

aph. 1.2.

Incertam nec stabilem.] Sic enim bona quæ fiunt immerito naturæ; & mala merito ipsius, vocat ἀβέβαια, i. *incerta*, vel ad salutem, vel ad exitium. 50

aph. 26. 2.

158 Ἑβδομαίοισιν, ἢ ἐνναταίοισιν, ἢ τεσσαρεσκαιδεκαταίοισι ῥύσιες ἐκ ῥινῶν λύουσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοὺς πυρετούς. Ὁμοίως δὲ καὶ κοιλίης ῥύσις χολώδης καὶ δυσεντεριώδης, καὶ πόνος γουνάτων, ἢ ἰσχίων, καὶ οὖρον πεπανθὲν πρὸς τὴν κρίσιν. Ἐν γυναικὶ δὲ καὶ ἐπιμηνίων ῥύσις.

60

Septimum diem morbi agentibus, aut nonum, aut decimumquartum, sanguinis profluuia è naribus vt plurimùm tollunt febres. Similiter etiam aluus biliosa liberaliter ducta, aut dysenterica.

Quinetiam

Quinetiam genuum, coxarúmve labores; aut bene coacta sub crisim, & crassa largáque vrina. Idem quoque facit in fœmina profluuium menstruale.

HÆC PROGNOSIS antithesin continet illius iam explicatæ. *Quæ febres neque diebus criticis, neque cum signis salutaribus vale dicunt, post interuallum reuertuntur.* Explicatio autem petenda ex 1. & 3. τῶν ὑπὸ. Coac. tum ex prognosibus suprascriptis. [152. Coac.]

159 Οἱ ἐν πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγήσαντες ἱκανῶς ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quicumque in febribus vndecumque sanguinem profuderunt, cùm refectioni studere incœperint; iis alui profusiores redduntur.

NVLLA EST omnium vacuationum quæ tam faciat corpus infirmum, quàm profusa hæmorrhagia; vndecumque illa ducatur & fiat. Est enim sanguis nectar viuificum quo partium omnium viuacitas recreatur atque reficitur, ad vitæ & animalitatis perpetuitatem: si modò ea sperabilis esse posset.

Ex quo efficitur vt QVICVMQVE.] Omnis ætatis & sexus.

IN FEBRIBVS.] Et aliis morbis acutis, vt in pleuritide, qua exacta cùm os humescere cœperit, siquidem sua sponte quieuerit, refectioni operam dari præcepit per integrum ptissanarium; sin autem artificio medici post liberalem sanguinis detractionem mitueerit, simplici cremore contentum vult esse pleuriticum. Febrium autem meminit, & subaudiendam cæterorum morborum historiam intelligit, ob eam sanè causam; quòd sæuientibus illis, natura mage opem requirit contra eorum calamitosam vim, quàm contra dissipationem sui: proptereáque pugnandum potiùs remediis generosis, quàm refectioni studendum.

VNDECVMQVE SANGVINEM PROFVDERVNT.] Vel narium hæmorrhagia, vel menstruali profluuio, vel repetita sæpius detractione sanguinis incisa vena brachij aut malleoli.

CVM REFECTIONI STVDERE COEPERINT.] Defraudato antea genio cibi abstinentia, si vires essent validæ cum securitate ac sine vllo infirmitatis metu, ob necessitatem pugnandi cum morbo, vt in pleuritide, donec os ipsum humescere cœperit copiosa & libera ἀνακαθάρσει, i. *expurgatione.* Refectioni autem studendum à declinatione & discessione morbi, ad pristinum vsque naturæ statum, cibis qui æquè sunt naturæ coosociales, atque morbo aduersi.

IIS ALVI PROFVSIORES REDDVNTVR.] Quoniam illæ sunt effœtæ & languent paupertate caloris natiui, ex magna hæmorrhagia, vnde multùm laborant vel etiam fatiscunt in officio mitificandi cibos, sanguinem procreandi, & distribuendi. Huc accedit quòd illæ diuturna officij vacatione factæ sunt ignauiores, nec desiderio ipsius naturæ ciborum auidissimæ respondere possunt: quia omnis mutatio quæ ab ocio ad negocium suscipitur, numquam bene perficitur: eáque omnino « grauissima esse solet. Illud autem, καθυγραίνονται, profusiores aluos significat, quæ crudis excremen- « tis feruntur non sicut ὑγραίνονται, aphor. 20. 2. quod simplicem alui libertatem ostendit. Sed vt 4. aphor. & in prorrhetico, ὑγραίνονται. [4. aph. 17. 4. prorrh. 30. l. 3. 2.]

160 Οἱ ἐν πυρετοῖσιν ἐφιδρῶντες, κεφαλαλγέες, κοιλίην ἀπολελαμμένοι σπασμώδεες.

Quibus in febribus, cum sudatiuncula caput dolet, iis suppressa aluus conuulsionem denunciat.

IN HANC prognosin sic effertur Galenus, comment. ad 30. prorrh. l. 3. 2. *Lædi expectationis causa, conuulsionibus tentatum iri pronunciat. Fortè enim cùm aliquem ita affectum conuelli vidisset, non profectò plures, totum penè librum prædictionibus replexit conuulsionis & delirij. Si quis igitur ei confisus, caput in febre dolentes, cum sudatiuncula, & aluo suppressa, conuulsum iri affirmare audeat; cùm aberrauerit sæpius; euentus veritatem semel fortassis assequetur.* Verumtamen sicut in prouerbio est, bis terve quod pulchrum est; hæc decisio tanquam aureis notanda literis, iterum iisdem verbis expressa legitur in secunda parte huius diuini operis. Quæ causa me mouet, vt eam sic interpretandam existimem.

QVIBVSCVMQVE.] Πληθωρικοῖς οὖσιν, i. *repletionis causis* à spiritu & diæta multùm afflictis multumque oppressis.

IN FEBRIBVS.] i. Febrium initiis, quo tempore oppressionis summa sunt omnia.

aph. 38. 4. CVM SVDATIVNCVLA.] Capitis indigena, per expressionem ab oppressione: quia, vbi sudor, ibi morbus.

CAPVT DOLET.] Intemperie scilicet atque solutione continui, à repletæ illius partis cacochymia maligna, vel illic collecta, vel eò translata, nec inde facilem exitum habente.

IIS SVPPRESSA ALVVS.] Ex cuius suppressione repletum iam caput maioris atque perennis repletionis incrementum habet.

CONVVLSIONEM DENVNCIAT.] Non quidem necessariò, nec semper: sed ex euentu atque nonnumquam. De conuulsionis autem natura & causis infrà dicetur.

10

161 Αἱ ἐπ᾽ ὀλίγον θερσεῖαι παρακρούσιες, θηριώδεες. καὶ σπασμὸν δὲ προσημαίνουσι.

Deliria paulisper ferocia, mox erunt immania: sed enim conuulsionem prænunciant.

EXPLICATIO ex commentariis nostris ad 89. & ex Galeno ad 25. prorrh. l. 1. s.

20

162 Σπασμὸς ἐν πυρετῷ γινόμενος, καὶ παυόμενος αὐθήμερον, ἀγαθόν.

Quæ in febrem cadit conuulsio, si eodem die quiescat; bene est.

ANTITHESIN habes in illo. *Conuulsio in febre lethalis.*

30

163 Σπασμὸς ἐν πυρετῷ γινόμενος παύει τὸν πυρετὸν, αὐθήμερον, ἢ τῇ ὑστεραίῃ, ἢ τῇ τρίτῃ· ὑπερβάλλων δὲ τὴν ὥρην ἐν ᾗ ἤρξατο, καὶ μὴ παυόμενος· κακόν.

Febris conuulsio vacationem adfert, quæ aut eodem febris die, aut postridie aut ad summum perendie incidit. Sin eam qua cœpit horam excesserit, neque quieuerit; male est.

40

NEMO EST omnium cui mirum videri non debeat, conuulsioni locum esse sanationis, cùm ea dejectæ naturæ symptoma existat, quando morbificæ causæ imperio regitur, eáque sæuiente, quiescit, vndecumque ipsa conuulsio venisse putetur. Quæ causa est cur etiam in puerulis periculi plena sit: quamuis in iis naturam sequatur suscipientis causæ. Diximus conuulsionem, injussum esse earum partium motum, quæ naturaliter jussu nostro mouentur, eumque motum ἀπροαίρετον, i. *injussum* fieri sua sponte, nobis inuitis. Sed id locum habet in primigenia conuulsione, in qua scilicet partes quæ conuelluntur, conuulsionis causam intra se continent; repletionem scilicet, aut nimiam siccitatem, cùm exaruerint, ac si incendio conflagrassent. Existit enim conuulsio altera, quæ fit ex euentu, cùm in opposito situ earundem partium, musculi sunt congeneres magnitudine, robore, & numero æquales. Ibi sanè voius loci resolutio, conuulsionem facit alterius: quemadmodum cernitur in oris tortura. Ne longum faciam. hic primigenia κατ᾽ ἰδιοπάθειαν partium conuulsarum proponitur; vtrum eò fiat, quo fieri posse narrat Hippocrates. Sanè huius duplex omnino causa est, quarum vnam tantùm agnoscimus. Nam ex conuulsione siccitatis nihil boni sperabile, sed contrà desperatio salutis ostenditur: quemadmodum in aphorismis & epidemiis testatum reliquit, & in chirurgicis libris.

50

Ergo. FEBRIS CONVVLSIO VACATIONEM ADFERT.] Conuulsio, inquam, à repletione nata conuulsarum partium, vacationem febris adfert per absolutum transitum intus foras, à venis ad musculorum genus; non ad panniculum carnosum, & cutim; vnde rigor: non etiam ad neruos ceruicales, dorsales, aut lumbares, vnde tremor, & inde delirium.

QVÆ AVT EODEM FEBRIS DIE, AVT POSTRIDIE, AVT AD SVMMVM, PERENDIE INCIDIT.] Ac si diceret. Si nulla sit opinio siccitatis, vt nulla tum esse potest; etsi orgasmus fiat intus foras, vt fieri solet ineunte morbo, non autem cùm iam processerit.

60

SIN EAM QVÆ COEPIT, HORAM EXEGERIT, NEQVE QVIEVERIT.] Quasi velit. Quamuis naturæ virtute suscepta fuerit atque perfecta; conuulsificæ causæ intus foras effluxu in musculosum genus, nec subito exitu; si eam, qua cœpit, horam exegerit; in summa contentione partium, & impedimento

& impedimento actionum ad vitam tuendam necessariarum, vt respirationis; neque quieuerit, restituta partium conuulsarum libertate, per sudorem, hæmorrhagiam, aut copiosam sanguinis detractionem: vt in illo. *Hemorrhagia vt suppressa conuulsionem facit, phlebotomia exoluit.*

MALE EST.] Causæ conuulsiuæ maligna cacochymia; doloris acerbitate, & officij ad vitam tuendam necessarij longa nimis interceptione.

164 Οἱ διαλίποντες, ἀνωμάλως δὲ χλιαινόμενοι, κοιλίης ἐμφυσωμένης, μικρὰ διαδιδούσης, ὀσφυαλγήσασι μετὰ κρίσιν· τουτέοισι κοιλίαι καταρ-
10 ρήγνυνται.

Quibus cum febris remißione inæqualiter incalescentibus, aluo inflata, modicè ducta, lumbi doluerint; ídque post crisin; iis alui profusè feruntur.

RELIQVIARVM materiæ febrilis commotio variè quiescens, & variè instaurata, nec tamen dela-
20 ta in habitum corporis, vbi rigorem fecisset, suo velut expiratu, ardoris in febris remissione nonnulli, χλιαρὸν sensim modò suscitat, quem mox restingui sinet. Fieri potest vt abscedat tandem in intestina; diarrhœámque committat; ab exiguo secessu tenuis humoris qui eò primùm illabitur, copiosioris eius vacuationis exordio priùs ducto; tantisper dum alui copia, qua oppletur, exonerata subsidit. Antè namque cùm cruditas esset, tumida cum borborygmo distendebatur, dolorémque distensione creabat lumbis, quorum neruis, originem mesocoli ascripsit sectio tertia sexti Epidemiωn:

165 Οἱ δὲ περικαέες, πρὸς χεῖρα νωθροὶ, διψώδεες, ἀσώδεες, κοιλίης ἀπειλημμένης βαρυνόμενοι ἐκλύονται· ἔστι δὲ ὅτε καὶ τὰ ἐξέρυθρα ἐν ποσὶ
30 καταχαύματα, τὰ αὐτὰ σημαίνει.

Contrà qui incendio conflagrant, ad medici manum torpidi, sitibundi, fastidiosi, aluo suppressa oppreßi, exoluuntur. Fieri potest vt pedum cum rubore ardor, idem denunciet.

ADVERSAM hæc superiori habet alui suppressionem absolutam: vbi non sicut antè, febrilis hu-
40 mor humescit: sed biliosus retorridus, multus, stomachum vapore feriens resoluit cum stomacho vires; quòd inde cor & cerebrum, validissima duo viscera, affici sit necesse. Itaque in viscerum æstu, & oppressione ab humorum copia suppressorum; vt iactentur; vix tamen animum, aut satis animi habent exhibendi manum poscenti medico: donec animo sæpe deficiunt, quod signum est inter funesta insigne. Hæc eadem sæpe facit sanguinis tenuissimi feruor, è vena dorsali ad stomachum reduentis. Feruorem autem testantur erysipelata, non tantùm in pedibus, quod ait; sed quacunque parte corporis; cum febre exorta.

166 Οἱ χειμερινοὶ τεταρταῖοι πυρετοὶ, ἐπιεικέως μεθίστανται ἐς τὰς
50 ὀξείας νόσους.

Hybernæ febres quartanæ, nonnunquam in acutas transeunt.

QVI TRANSITVS si non lethalis, est periculi plenissimus; intermittentis febris in continuam; eius quæ foras mouetur, in eam quæ intrò. Quid verbis opus est? morbi ῥᾴστου, ἀπαλωτάτου, ἀφυγοτάτου, ἀσφαλεστάτου, i. *facillimi, mansuetissimi, mitissimi, tutissimi*; in difficillimum, maleficentissimum, asperrimum, periculosissimum: cuius sunt symptomata singula, totidem morbi. Mutationem hanc asciscit, non tam
60 æstas, morborum intermittentium procreatrix eadem & vincendo expultrix, humorum foras citato motu, dissipata materia; proptereáque cùm reliquas, tum quartanas breuiores faciens, quàm hyems, quæ continentes magis morbos solet excitare, dum frigus suum opponit humorum excursui; quos, quantum potest, condit in viscera & intima penetralia corporis. Eò autem sese continuatum febrium materia recipit, lineam mouendi tenens à circumferentia ad centrum, contrariam intermittentium prædictæ.

6. Epid.

lib. [illegible]

lib. [illegible]

lib. [illegible]

H

a. ad Glauco-nem.

Id certè non ita procliue est vt fiat. Neque enim natura in contrarias motiones, sine violentia, agitur. Contingit tamen, quod ipsi post Galenum vidimus; qui medicamentorum præterea purgantium acriori & intempestiuo vsu, ex simplicibus quartanis duplices, triplicésque; ex triplicibus continuas otiri dixit. Atque iccirco prædictionis acerbitatem sapientiæ verbo mitificauit philosophorum sapientissimus, [illegible].

PRIMI LIBRI FINIS.

COACA-

COACARVM HIPPOCRATIS MAGNI PROGNΩSEΩN LIBER SECVNDVS.

INTERPRETE ET ENARRATORE LVDOVICO DVRETO.

DE CEPHALALGIA.

ΚΕΦΑΛΗΣ πόνος συντονος μετ' ὀξέος πυρετοῦ, καὶ ἄλλου σημείου τῶν δυσκόλων θανάσιμον· ἄνευ δὲ σημείου φαύλου ὑπερβάλλων τὰς εἴκοσιν ἡμέρας· αἵματος ῥύσιν, ἢ πύον ἐκ ῥινός, ἀποστάσιας ἐς τὰ κάτω σημαίνει· μάλιστα μὲν νεωτέροισι τῶν τριάκοντα πέντε, τὰς ῥύσιας· τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι, τὰς ἀποστάσιας προσδέχεσθαι· περὶ μέτωπον, καὶ κροτάφοις ὄντος τοῦ πόνου καὶ* συντόμου, ῥύσιας. CAP. I.

10

*melius συντόνου.

1 *Capitis dolor prægrandis cum acuta febre, alióve quopiam difficili signo coniunctus; mortiferus. Sin autem omni alio malo signo procul, dies viginti excesserit: sanguinis profluuium, aut suppuratum è naribus, aut partium imarum abscessus denunciat. Maximè verò triginta quinque annis minoribus, profluuia sanguinis: prouectioribus* 20 *autem, abscessus expectare oportet. Ac certè profluuia omnino sperabilia sunt in frontis & temporum dolore prægrandi.*

SEQVITVR vt patefactis veluti in conspectum quendam adductis magnarum affectionum, earúmque quæ inter ipsas excellunt symptomatis (quæ ἐπιφαινόμενα Græci vocant) deinceps in hoc secundo libro singularum partium laborantium decisiones exequamur; orsi à capite: sub quo nomine partem illam significamus quæ capillo tegitur, & cuius caluariæ adiacet; superiori quidem, pericranium; inferiori verò dura meninx. Quę fabricatio descripta legitur apud Hippocratem lib. de pertusionibus capitis, διπλόον δὲ ἐστι τὸ ὀστέον κατὰ μέσον τῆς κεφαλῆς, i. *duplex autem est ossis caput*, &c.

Earum capitis humani partium, vel intemperies, vel continuitatis lacessatio, vndecunque venerit, sensionem facit rei molestæ, i. dolorem qui partis afflictæ nomen sibi adoptat, & κεφαλαλγία dicitur: 30 quæ, vti iam diximus, capitis propria est; sicut delirium cerebri. Erit igitur cutis capillatæ, & pilo carentis, cephalalgia. Erit etiam pericranij, caluariæ, diploes siue diploidis; intensa, remissa, grauis, acuta; omniúmque fætissima duræ meningis.

CAPITIS DOLOR INGENS ET FIXVS.] Sic enim πόνον σύντονον rectè videor interpretari, quem in prognostico ad eundem scopum his verbis expressit. Κεφαλῆς ὀδύνας ἰσχυρὰς τε καὶ ξυνεχέας: vt πόνος idem fit quod ὀδύνη: σύντονος verò idem quod ἰσχυρὸς καὶ συνεχὴς, i. *prægrandis & intermissionis expers.* Sic igitur capitis dolor intensus, hoc est, intéperiei & solutæ continuitatis fortiter impressæ permolesta & acerba perceptio, fixáque firmiter, quæ nullã admittit sympathiæ excusationem, neq; perturbationis criticæ quæ fugax esse solet; sed indigenam generationem agnoscit, vel symptomaticum transitum, vel per-

ennem progressum sanguinis bile perfusi, qui exitum inde non habens, pondere, laceratione, & stimulis caput multùm affligit. Quæ causa est quamobrem considerate, non simpliciter, ἁπλῶς scripserit, sed philosophicè φυσικῶς, ex perspicientia causæ morbificæ & partis obsessæ: vt sanè, hoc loco, cephalalgiæ fixæ, tanquam morbi fixi, διάγνωσις, indéque πρόγνωσις ad explicandum proponatur. Simplex autem πόνος sæpenumero venit per sympathiam, quæ tensionem facit in partibus quæ laborant: nunquam verò grauitas, quæ vbi est, ibi etiam eius causa existit, per collectionem sanguinis, vel effluxum. Sic enim præclarè Galenus ad eum locum Hippocratis de pleuritide, vbi mammarum & brachij grauitatem examinat ad liberalem sanguinis detractionem. Ergo, capitis dolor ingens & contumax, quem facit indigena causa multa & acris, vel aliunde apportata, translatione vel progressu temperamentum & complexionem multùm & celeriter alterando, continuitatem lacerando; idque cùm aliarum partium, tum maximè duræ meningis.

prog. 18. sect. 2. 1. Cvm acuta febre.] Tum primigenia, quæ statim initio comitem habet cephalalgiam, cuius est, potissimùm sequi efficientis causæ naturam, i. symptomaticam translationem & orgasmum sanguinis bile perfusi: tum etiam cephalalgiæ consectaria: vt sæpenumero esse solet inflammati cerebri febris ardens.

prog. 49. 3. Aliove quopiam sinistro signo.] Sinistrum, hoc loco, signum, quod vocat δύσκολον, symptomatis terrificam vim ἐμφατικώτερον exprimit. Est enim τὸ δύσκολον leue malum. Hic autem grauissimum obiicitur, cuiusmodi est [illegible] totius capitis, æruginosæ bilis crebra & pauca vomitio, ceruicis dolor, amblyopia, echo, delirium quoque ipsum: vnde cita mors venit. Quæ omnia luculenter sunt explicata distinct. 3. 2. de morbis, & comment. 2. 1. Epidem. Quamobrem illud, δύσκολον, eòdem spectare videtur quò scriptum prognostici, ἢν μέν τι τῶν θανατωδέων σημείων προσγένηται, i. *Si lethalium quodpiam signorum adfuerit.*

Mortiferus.] Nec solùm mortiferus; sed etiam nonnullis cita morte funestus. Sic enim 1. τῶν ἐπιδημ. ἀτὰρ καὶ ἰώδεα ἤμεον, καὶ ἔνιοι ταχυθάνατοι τουτέων, i. *Sed & æruginosa vomunt, quorum nonnulli celerrimè moriuntur.* Quem locum enarrans Galenus ita scripsit. *Æruginosa vomitio, perustæ bilis flauæ irritamento fit, indéque propterea nonnulli citò moriuntur, quòd exaruerint partes in quibus ipsa bilis phrenitifera latitat: vnde contingit ægros conuelli, vnáque bilem æruginosam vomere, indéque celeriùs medicorum opinione mori.* Sed tamen in hac symptomatum miseria existunt nonnulli qui validarum virium beneficio in biduum, triduum, aut etiam quintiduum vitam producunt. Tametsi idem refert, cùm æruginosa vomuerint, septimum mor- (2. ἀφορισ.) bi diem agentes mori. Tam citæ mortis causa est doloris acerbitas quæ facit corpus infirmum, quæque ad infirmitatem adiungit humorum corruptionem; crebra malorum successio, & symptomatum vehementia; tum cerebri alienatio, per quam interceptio fit actionum ad vitam tuendam necessariarum.

Sin avtem omni alio pravo signo procvl.] i. Omnis alieni mali expers, quod vel consectarium sit in labore partium officialium, vel superuenerit malorum accessione: sed tantùm in alteratione consistat indigena, sine affluxus perennitate quæ cernitur in rubris vrinis, iumentorum similibus, perturbatis in genere venoso humoribus à flatulento spiritu cum ardore febrili, vnde conuulsifica vis incidit, vt in Polyphanto Abderita, cui cùm in prægrandi cephalalgia & febre acuta decimum (Epid.) diem agenti, sternutamentis medicatum fuisset, oborto ceruicis dolore acerrimo, fecit vrinas iumentorum similes, nec inde fuit apud se, crebérque sæuis conuulsionibus interiit. Huc accedit etiam vt nihil, malè instituta curatione, in commoda eorum peccetur: vti sternutamentis, nec iure, nec loco præscriptis peccatum est in Polyphantum.

Dies viginti excesserit.] Neque plena manu hæmorrhagia proruperit quæ dolorem sedauerit, morbúmque depulerit; neque doloris acerbitas hominem ad exitium præcipitarit, neque industria medici consecutionem attulerit sanitatis ante vigesimum diem; sanguinem detrahendo incisa vena basilica, ad febrem, cephalica & recta frontis ad amotionem causæ coniunctæ, tum etiam notando, purgando, cum abstinentia vini. Ipse autem cephalalgicus acerbissimam vim cephalalgiæ ad vigesimum diem pertulerit, quo tempore minora fieri incipiunt omnia, celeritatis, vehementiæ, & assiduitatis.

Sangvinis profluvium.] Quod tamen illis diebus non est sperabile, cùm exacta fuerit histo- (2. progn.) ria morbi acuti, quæ diebus absoluitur quatuordecim; sed potiùs in prima periodo intra septimum diem debeat expectari, vt in hepatica phlegmone: quemadmodum hic quoque legendum & obseruandum præcepit Galenus, comment. in hanc progn. sin quæ scripta legitur, quanquam non iisdem omnino verbis, 3. prognost. Quanquam hic quoque dies in acuto morbo locum sanguinis profluuio dare possit, per eductionem materiæ mitificatæ, quam, dum esset immitis, natura obtinere non potuit.

Avt svppvratvm e naribvs.] Quoniam humor qui fecit intensam cephalalgiam, nisi per hæmorrhagiam inde vbi stabulatur exitum habeat, aut per διαφόρησιν exudarit, quod reliquum est, in suppuratum aut corruptionem conuertitur. Nam scirrhi nulla suspicio esse potest. Itaque dominatu caloris natiui victa cephalalgiæ materia; primùm quidem fit suppuratum in suppurabilis materiæ foco conceptum, mox expuratum: quale cernitur in expurgatione purulenti pulmonis: quale in pleuritico empyemate: quale etiam rupta vomica hypochondrij, introrsum, vel foras. Ex quo efficitur verum illud esse quod in prognostico de hypochondriaca phlegmone Hippocrates [illegible] enunciauit.

Avt partivm imarvm abscessvs denvnciat.] Enimuero partium imarum abscessus lib. 2. περὶ νούσων & in aphorismis, super hac re nusquam leguntur. Hic enim coeptæ curationis fiduciam in hæmorrhagia, vel expurato stare scripsit. Dolenti caput & circumdolenti, [illegible], pus vel aqua vel sanguis fluens è naribus, aure vel ore, leuationem adfert. aphor. 10. 6. Atque idem a. περὶ νούσων

νίων, perniciosam cephalalgiam sedari posse tradidit hæmorrhagia, vel expuratio. *Septimum diem agens interit cephalalgicus; quem si euaserit, eadem pœna manet aut nonum aut vndecimum. At sanguine prorupto è naribus;* [Greek illegible], *i. effugit: fluit autem subbiliosa aqua, inde labentibus diebus, concoctum pus* &c. In prognostico autem eam defungendi morbo, quæ per abscessum fit, rationem non prætermisit: qualem in Herophonte obseruauit: qualem etiam in virgine Abderitana, cui à surditate superstes remansit pedum dolor, cætera perfectè conualuit, morbóque defuncta est qui antè lethalis videbatur. Ac de ratione abscessuum, multa primo libro iam scripsimus ad decisionem morborum diuturnorum qui ita iudicantur.

AC PROFLVVIA QVIDEM POTISSIMVM MINORIBVS TRIGINTA QVINQVE ANNIS.] Quoniam hæmorrhagiæ, omniúmque adeo excretionum laus est per iuuentutem & pubertatem, in quibus ætatibus tria illa sunt in promptu quæ ad ciendam excretionem sunt necessaria, naturæ virtus, meatuum libertas, & materiæ præparatio. Ac de profluuio quidem sanguinis illud iam ratum est; quò natura & humor cursum inflectunt, eò potissimùm criseωn inclinationes fieri. Scitum est illud etiam, tabem illis ætatibus maximè familiarem esse, quæ describuntur à 18. ad 35.

MAIORIBVS AVTEM ABSCESSVS.] Ita comparata est ratio abscessuum criticorum, vt primùm opinionem faciant sui in morbis qui saluis ægri rebus producti sunt ad vigesimum vsque diem, & vltrà. *Si vigesimum diem morbus excesserit, tum expectandus abscessus* 17.3. progn. quamquam 33. eiusdem docet iis qui triginta annos prætergressi fuerint, raro in abscessus febres desinere. Quæ causa est cur idem præceptor considerate sic prognosin instituerit, 16.3. *Expectandum magis est iunioribus annis 35, sanguinis profluuium, suppuratum senioribus.*

AC SANE PROFLVVIA OMNINO SPERABILIA SVNT IN FRONTIS ET TEMPORVM DOLORE PRÆGRANDI.] Dolor intolerabilis circa tempora, suspicionem auget hæmorrhagiæ futuræ, quæ si sua sponte non venit, primam curationem habet qua sanguis mittatur. Intolerabilis est autem frontis & temporum dolor in cephalalgiæ causa iam explicata, quòd earum partium crassissimæ sint venæ, ac cerebrum illic iaceat vberius quam parte postica. Quò fit vt cephalalgiæ omnis acutæ fugacis & fixæ sensio primùm sit in temporibus & fronte: quoniam cephalalgicæ causæ impetus non antè quiescit, quàm ad extremas venarum oras peruenerit: necdum feritas eius domatur, donec oscula venarum recluserit, exitúmque habuerit. Ex quibus efficitur verum illud esse quod antè posuimus; omnem vacuationis necessitatem vacuandi modum habere ex humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione & situ.

3. progn. Galen. comment. Cels. c. 2. 4. [Greek illegible] aph. 1. f. 1. 6. Epid.

2 Οἷσι κεφαλαλγίαι καὶ ἦχοι ἀπυρέτοισι, καὶ σκοτοδίνη, καὶ φωνῆς βραδύτης, καὶ νάρκη χειρῶν ἢ ἀποπλήκτους, ἢ ἐπιληπτικοὺς προσδέχου τούτους ἔσεσθαι, ἢ καὶ ἐπιλήσμονας.

Quibus cephalalgia & echus varietas sine febre, vnáque vertigo tenebricosa incidit, & tarditas vocis, & manuum stupor; hos vel apoplecticos, vel epilepticos, vel etiam lethargicos, fore expecta.

CEPHALALGIA symptomatica explicatur indigenæ cerebri causæ.

QVIBVS CEPHALALGIÆ ET ECHVS VARIETAS.] Si crebra cephalalgiæ mutatio sit, modò antica parte capitis, modò postica, dextra item atque sinistra; eáque mutatio crebra cephalalgiæ, variis distincta sedibus percipiatur in varia sensione molestæ rei impressæ: sicut & echus varietas in tinnitu, murmure, sibilo, & bombo: vt flatuum est crassitudo aut tenuitas, meatuum amplitudo vel angustia, facultatis expultricis robur vel imbecillitas. Quibus igitur ea est cephalalgiæ & echus varietas, per sympathiam cerebri flatibus à cruditate crebri, necnon ab indigena causa multùm afflicti, multúmque oppressi.

SINE FEBRE.] Vt nulla sit excusatio sympathiæ febrilis, vnde febrium initiis, conuulsionibus crebrò tentantur; vt Thasiana mulier vultuosa: nec verò vlla suspicio sit neque opinio febrilis ardoris in cerebro ipso, tanquam in foco, concepti, qui faciat echus & amblyopiæ assiduitatem cum narium grauitate coniunctam. Hic enim ecstasis melancholica denunciatur. Ergo sine febre sint hæc symptomata repleti cerebri & in officio laborantis consectaria, nec aliunde propagata: vt propagantur sæpe ab aluo biliosa, & purgatione sursum instituta curantur. Ac cerebrum in vitio sit, repletione, crudore, maligna cacochymia; ex tempestate austrina, pluuiosa, flatu sonoro placida; vel ex crapula, otio, & edacitate nata.

3. Epid. prorrh. 18. f. 1. r. aph. 17. 4.

VNAQVE VERTIGO TENEBRICOSA INCIDIT.] In qua falsò creditur circumagi caput, vnáque caligant oculi; quod facit turbulenta spiritus in capite commotio à flatulento spiritu & crasso humore: proptereáque prænuncia esse solet apoplexiæ, vel epilepsiæ, proximéque ab illis abest: quemadmodum de ἰλίγγῳ scripsit Galenus, qui reuera nihil aliud est quam [Greek illegible].

aphoris. 17. 3.

ET VOX PVSILLA.] Per propagationem à cerebro & neruorum principio in ceruicalem medullam, vnde imbecillitas τῆς ἐκφωνήσεως, *i. efflationis*: propter infirmitatem musculorum intercostalium in quibus facultas animalis non lucet, spiritus interceptione.

MANVVM STVPOR.] Oppilatione neruorum ceruicalium inchoata, ob quam efficitur vt spiritus animalis non perueniat liberè tota substantia ad eam partem à qua suscipitur actio.

HOS VEL APOPLECTICOS.] Omni, vt ita dicam, animalitate captos; quod cernitur, motus & sensus repentina priuatione, cùm spiritus animalis exitu prohibetur. Inde enim est vniuersalis exolutio, quæ apoplexia dicitur. Huc pertinet autem quod idem scripsit. *Quibuscunque bene habentibus capitis dolores repentè insurgunt, mox capiuntur voce, & stertunt; intra septimum diem moriuntur, nisi fortè febris superueniat.*

VEL EPILEPTICOS.] Oppresso cerebro in concussione ad excussionem; vnde conuulsio vniuersi corporis per contractionem τῶν νευρώνων, *i. propaginum*.

VEL LETHARGICOS FORE EXPECTA.] Ac si diceret, aut κινητικαὶ καὶ αἰσθητικαὶ δυνάμεις, *i. motrices, sentientésque facultates* labefactantur; aut etiam ἡγεμονικαί, *i. principes*, vt in lethargo. Nam læsionis species affectionem ipsam cuiusmodi sit, denunciat: hoc est crudorem & sphacelismum cerebri cum pituitæ corruptione coniunctum, vnde lethargus: de quo iam diximus priore libro.

3 Οἱ κεφαλαλγέες κατόχως παρακρούοντες, κοιλίης ἀπολειφθείσης, ὄμμα θρασυνθέντες, ἀνθηροὶ· ὀπισθοτονώδεες γίνονται

Si cui in cephalalgia firmiter fixa, parique delirio, substiterit aluus, vnáque voluantur ferociter oculi cum faciei saturato rubore; opisthotonicus tandem fit.

» EORVM QVI sursum ad caput feruntur humorum, calidi quidem acres ac tenues, deliria & hæ-
» morrhagiam cient: frigidi verò & crassi, comata & parotidas, aliáque symptomata faciunt caraphori-
» ca; amborum autem communis est cephalalgia, vti & surditas: sed illa potiùs calidorum, hæc frigidorum. De catoche autem quæ propria est cerebri, illud sit certum quod Philippus & Archigenes memoriæ prodiderunt, eam in tensione quam siccitas fecit, consistere: quemadmodum omne symptoma cataphoricum, in exolutione virtutis nerualis à nimio humore nata. Nam oculi catochorum aperti cernuntur atque immobiles: cuiusmodi esse solent eorum qui magna contentione aliquid intuentur. At comatosorum oculi sunt planè grauati, nec potis est ipsos continere apertos & palpebris explicatos. Quæ cùm ita sint, planè efficitur, commemoratam in hac prognosi catochen, non posse complecti suo nomine quæ passim de illa verè narrantur, si & cephalalgiam putetur habere coniunctam, & vim eximiam delirandi, & oculorum citam atque ferocem huc illuc volubilitatem: vt interim taceam faciem rutilam, & opisthotoni consecutionem. Enimuero catochi omnes stupent attoniti, eodémque statu manent quo deprehensi fuerint ac si obriguissent. Itaque non video qui fieri possit vt in iis prædicta symptomata videantur. Sed in hac summa difficultate, & multùm ancipiti consilij capiundi deliberatione, caliginem depulit ex oculis meis quod scripsit Galenus his verbis, aliorum opinione adducta, non sua. τὰ κάτοχα φασὶ τὰ βεβαίως ἱδρυμένα, ἢ τῇ κατοχῇ ἐμφερῆ νοσήματα, i. *Catocha vocant morbos firmiter fixos.* Quà authoritate fretus, ita vertendum & enarrandum putaui.

SI CVI IN CEPHALALGIA FIRMITER FIXA.] Quæ non aliunde quàm ægro referente, innotescit. Nam cætera morborum symptomata quæ vitio actionum versantur, ipsi medico aspectabilia sunt. Cephalalgiam autem firmiter fixam expressi, quòd illud κατόχως æquè sit aduerbium τοῦ κεφαλαλγέες, atque τοῦ παρακρούοντες.

prorr. 36. 2.

PARIQVE DELIRIO.] Defendit Galenus delirium & catochen non esse ἀσύμφωνα: id autem probat ex illo prorrhetici. Αἱ τρομώδεες, ψηλαφώδεες, ἐπαφώδεες παρακρούσιες πάνυ φρενιτικαί, i. *Deliria cum tremore & palpo coniuncta, phrenitica.* Quam ego prorrhesin veram admitto: sed in ea catochen non agnosco. Pari autem delirio exerceri τοὺς παρακρούοντας consideratè scripsi, respiciendo ad illud κατόχως quod adiacet ipsi delirio: quemadmodum & cephalalgiæ.

prorrh. 5. 2. & 81. Coac.

SVBSTITERIT ALVVS.] Vnde caput augetur cephalalgiæ causis, ipsáque cephalalgia peior fit atque acerbior: quoniam ad præparationem suscipientis causæ accedit vis efficientis: non tamen alui suppressio, quam in prorrhetico nominat κοιλίην ἀπολαμβανομένην; hîc verò ἀπολειφθεῖσαν, cephalalgiæ signum est: sed velut auctarium.

VNAQVE VOLVANTVR FEROCITER OCVLI.] Quoniam primus omnium trahitur in sympathiam cerebri malè affecti, ipsámque affectionem cuiusmodi sit, primus aperit; siue ea sit cataphorica; siue phrenitica. Itaque in suspicione delirij ab hypochondriorum pulsu, considerandos attentè oculos præcipit noster præceptor. Nam vt idem ait, Ἢν αἱ ὄψιες πυκνὰ κινέωνται· τούτοις μανῆναι ἐλπίς, i. *Si oculi crebrò moueantur, spes est furoris.*

CVM FACIE RVTILA.] Saturato rubore perfusa, & vultuosa: quæ signum est plethoræ cephalicæ æstuantis.

OPISTHOTONICVS TANDEM EVADIT.] i. Ceruicis conuulsione, scapulas versus tenetur: sicut

deliria

deliria omnia cum sopore coniuncta sunt conuulsifica, ob tumultuosam in cerebro humoris crudi commotionem, quam ciet phreniticus ardor. Opisthotonici autem fiunt, nisi hæmorrhagia liberali, parotidibus, aut aluiprofluuio ab opisthotono vindicentur: proptereáque dubitanter legendum, hoc modo. Ἆρά γε ὀπισθότονοι δὲ γίνονται; *An verò opisthotonici fiunt?*

89. coac. proth. 18.

4 Τὰ ὑποσείοντα κεφαλὴν, ὄμματα ἐξέρυθρα, παρακρούοντα σαφῶς ὀλέθρια. ὧ συναποθνήσκει τοῦτο (ἢν αἱμοῤῥοῇ) ἢ παρ' οὖς οἴδημα ποιέει.

male erat κεφαλῆς. hæc deerant, & malè ἀλλαὶ legebatur.

Perculsum caput, prærubri oculi, deliria clara: mortifera. Citò autem commoriuntur omnia, nisi vel hæmorrhagiam, vel abscessum faciant pone aures.

Enimvero partes officiales, vt singulæ sunt à natura constitutæ, variísque dicatæ officiis atque quodammodo consecratæ, suos quæque habent σεισμοὺς, i. *concutiendi motus* quando appulsu rei molestæ offenduntur. Sic enim sternutamenta, tusses, singultus cientur concussione cerebri, thoracis, & alui. Sed illa concussio quæ dominatu fit illarum partium officialium, saluis ægri rebus omnino suscipitur atque perficitur, ac nutu naturæ de causa morbifica triumphantis res eunt. At secus habet in symptomatica concussione qua partes franguntur, neque quicquam proficiunt: sed damnis augentur, & grauiorum symptomatum accessionem & successionem experiuntur. Ne longum faciam, longiúsve exempla petantur, ad propositæ huius prognoseos explicationem accedamus, in qua perculsi capitis symptomata grauissima continentur.

Percvlsvm capvt.] i. Perculsio ipsa capitis. Est enim frequens apud Hippocratem vsurpatio causarum morbificarum pro morbis, vt morborum etiam pro ipsis ægrotis, & contrà. Itaque perculsio capitis quam facit efferæ bilis excursus sursum ad caput, à rigore frustra citato, exempli causa: quemadmodum ex lumborum excursu sæpe accidit peruersio palpebrarum, quam ἴλλωσιν Græci vocant, quæ fit offensione capitis primùm perculsi ex ea tam cita irruptione à vasis in partes acerrimi sensus vnde acriter stimulatæ magna vi concutiuntur ad exclusionem materiæ dissocialis multùm & acris. Sed illa concussio, vt ita dicam, fit impetu potiùs materiæ, quàm naturæ potentis. Itaque serpit vis causæ morbificæ & progressum facit in partes quæ iure societatis & vicinitatis, facilè trahuntur in sympathiam & contagionem capitis ita perculsi.

20. coac. lib. 1.

Prærvbri ocvli.] Materiæ decubitu & gargalismo ex dura meninge & pericranio in proprias oculorum membranas quæ illinc productæ veniunt.

Deliria clara.] Quæ notis omnibus aspectabilia sunt; verborum obscœnorum & nugarum garrulitate; morum institutorum dissimilitudine, quam ferocitas ipsa denunciat; tum indecora compositione.

Mortifera.] Quemadmodum in cephalalgia intensa, prægrandi, & fixa, cum exitialibus signis coniuncta, qualia sunt hæc; prærubri oculi, & clara deliria. Nam oculi multùm rubent ab inflammatione partium cerebro adiacentium, tum rubor ille liuescit à frigore, frigus à σβέσει, i. *extinctione*: ob eámque causam funesti sunt illi colores. Deliria verò clara lucent in phreniticis qui mutatione bilis flauæ in atram è potestate mentis exeunt, postea contremiscunt cùm in propinquo mors est. Denique mortifera sunt illa, alteratione versa in alienationem quæ insanabilis est.

prort. 9. f. 1. t.

Ac cito commoriuntur omnia.] Ac si diceret; in iis nulla salus vitæ sperabilis: sed omnino ruit; propter summam doloris acerbitatem, hominísque phrenitici cœptis immanibus efferi; & partium obsessarum corruptionem, quarum officio vita carere non potest.

Nisi vel hæmorrhagiam.] Quoniam omnis repletio propria vacuatione exoluitur, quæ coniunctam non habeat qualitatem malignam, aut visceris alicuius inflammationem. Itaque si prædicta symptomata sint ἔκγονα tantùm repletioni capitis profuerit hæmorrhagiam cieri prima periodo, vnde ad se redeat æger, & suæ sit mentis.

83. Coac. lib. 1.

Vel abscessvm faciant pone avres.] Deriuatione sanguinis liberalem hæmorrhagiam non habentis. Atque tum parotides illæ videri poterunt salutares, si & suppurati fiant participes, & beneficio pepasmi vniuersali fruantur, qui cernitur in vrinis hypostasi bona loco, & bona materia præditis, neque recursu & sympathia doloris crudelissimi, sint exitiales.

5 Κεφαλαλγίαι μεθ' ἕδρης, καὶ αἰδοίων ἀλγήματος, καὶ νωθρότητα, καὶ ἀκρασίην παρέχει, καὶ φωνὴν παραλύει ταῦτα οὐ χαλεπά, ὑπνώδεες δὲ καὶ λυγγώδεες γίνονται ἐν τῷ μηνί· ἐκ τούτων φωνῆς λυθείσης τὸ αὐτὸ καθίσταντα.

Cephalalgia cum dolore sedis & pudendorum, segniciem crisi nulla exhibent, & vocem debilitant. Hæc quidem non sunt admodum difficilia, sed soporata existunt singultuosa ad nonum mensem. Hinc soluta voce eôdem recidunt.

Hæc prognωsis confusaneam habet syluam signorum atque symptomatum, quæ neque pathognomonica sunt, neque epigenomena per necessariam accessionem aut successionem, neque epiphænomena. Quamobrem ex iis nulla διάγνωσις, nulla etiam certa præsensio comparari potest eorum quæ illa spectare dicuntur. Omnis autem institutio diagnostica, omnis itèm prognostica, quæ ab Hippocrate, hoc est, cum ratione ipsa suscipitur; tanquam ex signis ducitur quæ veteres τὰ ὁμογενῆ καὶ ὁμοειδῆ nominarunt. 10

6 Ἀσκαριδώδεες γινόμενοι ἐν κεφαλαλγίῃ κώφωσις, καὶ κῶμα παρακολουθοῦντα τὰ παρ' οὖς ἐπαίρει.

Hvivs prognoseωs idem iudicium est, atque in superiore fuit. Non enim ascarides vllam opinionem faciunt futuræ parωtidis. Itaque tolerabilior erit sic, vt legitur in prorrhetico. 20

Ἐν κεφαλαλγίῃ κῶμα καὶ κώφωσις παρ' οὖς τι ἐξαίγεται: vel, παρακολουθοῦντα τὰ παρ' οὖς ἐπαίρει.

Cephalalgia consectarium cum surditate cωma, facit vt assurgant parωtides.

Cωma et surditas in cephalalgia faciunt vt assurgant parωtides: quoniam illæ nascuntur ab humore crasso & frigido, quando per transitū indigenæ causæ nascuntur. Atqui prima soboles cephalalgici crudoris est cωma, secunda autem surditas; quæ duo nisi pepasmo & suppurato, aut etiam profluuio alui sanescunt; si quidem saluis ægri rebus existunt, transeunt in eum abscessum qui ab auribus, quas infestat, nomen sibi adoptat, cuius prænuncia esse solet cum cωmate surditas: proptereáque οἰδήματα ὑπὸ τὰ ὦτα nominatum est superiore libro. 30

7 Οἱ κεφαλαλγέες κατόχως ὀδυνώδεες· ὄμμα ἐξέρυθρον αἱμορροεῖ.

Quibus cephalalgicis firmiter & acriter caput dolet, vnáque oculus multùm rubet; sanguis profundetur. 40

Cephalalgiæ prægrandis & firmiter fixæ tum criticæ, tum symptomaticæ propriæ est hæmorrhagia: sed ea tum præclarè facit ad ægri salutem quando primis incidit cephalalgiæ periodis: sic enim periculo defungitur æger quod propè aberat; si ea fit profusa, faciátque vt cephalalgicus suæ sit mentis. Plurimùm autem valet ad opinionem hæmorrhagiæ faciendam saturatus oculi rubor modò is non liuescat; quod signum est τῆς νεκρώσεως, iamiam mortiferæ. Quæ omnia paulò antè sunt ἀναλυτικῶς disputata. 50

8 Τὰ σείοντα κεφαλὴν, τὰ ἠχώδεα αἱμορροεῖ, καὶ γυναιξὶ τὰ γυναικεῖα καταβιβάζει. ἄλλως τε καὶ ἢν κατὰ ῥάχιν καῦμα παρακολουθέει. ἴσως δὲ καὶ δυσεντερικά.

Perculsum caput, aurium echo, hæmorrhagiam cient; aut mulieribus muliebria deorsum effunduntur: idque cùm aliàs, tum si inde rhachis incandescat æstu: fortaßis etiam dysenterica sunt hæc. 60

Non raro accidit vt ab eadem concussione excretiones variæ cieantur. Cuius theoreматis fidem

dem & persuasionem adfert prognosis illa superiore libro explicata. *Si cui cùm riguerit atque sudarit critıcè, rursus postridie rigor sine causa ingruerit, ac tum à pepasmo somni fit expers; huic venturam arbitror hæmorrhagiam.* Est enim idem rigor criticus, & sudoris & hæmorrhagiæ prænuncius; aluúmque idem ciet deorsum & sursum. De capitis autem perculsione & aurium echo; num illa sperabilem faciant hæmorrhagiam, aut mulieribus muliebria deorsum effundant; an verò etiam dysenterica videri possint, hæc mihi super his videtur ratio deliberandi.

15. Coac. 1. lib. — aph. 59. 4.

Etenim PERCVLSVM CAPVT] i. Perculsio capitis quam fecit excursus humoris, substantia, qualitate, ac temperamento efferi eductionem non habentis, & cuius plethora micant in temporibus & ceruicibus aspectabili pulsu venæ, diastole extraordinaria, cuius appulsu feriuntur partes vicinæ, non sine molestia & offensione.

130. coac. 1. lib.

AVRIVM ECHO.] Cuiusmodi ea fuerit meatuum amplitudine, vel angustia; humoris crassitudine vel tenuitate; virtutis expultricis robore vel infirmitate.

HÆMORRHAGIAM CIENT.] Quoniam perculsio capitis causam habet humoris efferi ἀναδρομὴν, quæ antè non quiescit quàm ad extremas venarum oras peruenerit, vbi facit ἀναστόμωσιν quà exitum habet. Aurium autem echo fit à flatu sonoro in aurium anfractibus, tanquam in ergastulis, concluso; quem facit crassi humoris resolutio à febrili ardore in cerebri arce concepto, vbi tum focus est ac domicilium febris ardentis.

prorrh. 18. f. 1. 1. & 157. coac. 1. libe.

AVT MVLIERIBVS MVLIEBRIA DEORSVM EFFVNDVNTVR.] i. Faciunt vt menstrua liberaliter profundantur: quod singulare & vnicum est naturæ perfugium atque præsidium ad salutem in omni repletione tam vniuersali, quàm particulari, & in omni sanguinis gargalismo siue orgasmo: quoniam ita comparata est mulierum natura, vt earum sanguis ad locos & naturalia cursum inflectat, proptereáque si bene valent natura & valetudinis cura, non nisi menstruales & puerperiales esse solent; nec vnquam hæmorrhagia, nec hæmorrhoidibus, nec etiam varicibus exercentur. Itaque tanta vis est profluuiorum hystericorum, vt puerperia puerperis, menstrua verò mulieribus vacuis atque adeo virginibus vix adhuc menstrualibus, morborum acutorum calamitosam vim abigant, faciántque vt morbis mortiferis defungantur. Nam grauidarum mulierum grauior & periculosior esse solet ipsa grauiditas in morbis acutis.

cap. 19. Hist. 3. de Hist. animal.

IDQVE CVM ALIAS.] Ac si diceret. Cùm in omni repletione particulari & vniuersali sperabile sit optandúmque in primis profluuium menstruale, quòd menstrua mulieribus ita sint consocialia, vt iuuenibus hæmorrhagiæ.

TVM SI INDE RHACHIS ÆSTV INCANDESCAT.] Quoniam repletionis vacuatio, omnísque adeo cacochymiæ purgatio significationem sui exhibet quò feratur, in partibus, vnde, & quà huc vel illuc viam affectat. Sic ad futuram hæmorrhagiam tensio est hypochondrij; in temporibus autem pulsu conspicuo venæ micant, & cum cephalalgia multùm rubent. Sic in suppurato pulmonum, difficilior spiratio noua apparet, iamiam futura parotide, hypochondrium verò æquale. Contrà futuro crurum abscessu, libertas spirandi maior: hypochondrij verò inæqualitas in tensione. Ergo proruptis menstruis non immeritò rhachis laborat æstu, si vel ad punctum temporis materia menstrualis cunctetur in lumbis vbi iacet vena insignis & arteria, vnde vasa feruntur ad vterum. Nam in trimestri menstruorum suppressione, rhachis lumborum intolerabili dolore cruciatur.

FORTASSIS ETIAM DYSENTERICA SVNT HÆC.] Maximè verò in senibus. Huc pertinet prognosis illa. *In febribus quæ cum dolore micant in collo venæ, dysenteriæ habent euentum.* Qua de re scriptum illud commemorabile est præceptoris. *Prorupta sunt plurimis hæmorrhagiæ, potissimùm verò iuuenibus. Peribant autem omnes hæmorrhagiæ expertes. Nonnulli etiam ab hæmorrhagia deducti sunt ad dysenteriam, vt Eratonis seruus, & Mylus. Nam seniorum propria sunt dysenteriæ, vt iuuenum hæmorrhagiæ.*

130 coac. 1. lib. — lib. 1. Epid.

9 Οἱ καρηβαρικοὶ κατὰ βρέγμα ὀδυνώδεες, ἄγρυπνοι, αἱμορραγέουσιν ἄλλως τε καὶ ἢν τις τραχήλου συντείνῃ.

Qui grauescente capite dolenter ad sinciput affliguntur, somni expertes; sanguinem profundunt è naribus: idque cùm aliàs, tum si quid protendatur ad collum.

QVÆ CEPHALALGIA nomine τῆς καρηβαρίας exprimitur, vnde οἱ καρηβαρικοὶ nominantur; cephalalgicæ causæ firmiter fixæ focum & domicilium caput esse ostendit. Nunquam enim τὸ βάρος nisi pro causa, vt ita dicam, coniuncta vsurpatur: indéque vacuationem moliendam denunciat, vbi grauitatis sensio excitatur. Secus atque aliter ἀπὸ τόπου ἐκ τόπου indicandum. Hæc enim sympathiæ non rarò consectaria sunt.

Ergo. QVI GRAVESCENTE CAPITE.] Et repletione particulari capitis; quam vel indigens causa, vel aduena tandem intexit.

DOLENTER AD SYNCIPVT AFFLIGVNTVR.] Quòd illa pars omnium cephalicarum sit acerrimi sensus, venásque habeat crassiores sanguine multo distentas, & quæ vbertate cerebri reli-

quis omnibus antecellit: ex quibus efficitur vt & indigenæ, & aduenæ cephalalgiæ omnium sit capacissima & feracissima, omnibus telis atque traumatis sauciata præter cæteras, cita etiam morte funestissima sit.

Somni expertes.] Vt omnis tollatur excusatio frigidi & crassi humoris soporiferi; materia vero acris & tenuis agnoscatur.

prorr. 13. c. 4. 1. Sangvinem profvndvnt e naribvs.] Facultatis expultricis virtute, & meatuum anastomosi, quam facilè affert sanguis bile perfusus: alioqui cerebro vis infertur, vnde phrenitis & melancholica ecstasis.

Idqve cvm aliis.] Ac si diceret. Cùm sperabilis omnino sit hæmorrhagia in temporum & frontis dolore prægrandi & fixo, atque in materia tenui & calida, quam demonstrauimos delirij aut hæmorrhagiæ consecutionem afferre, prout eductionem habet, aut non habet.

Tvm si qvæ cervicis tensio sit.] i. Quæ cernitur in conspicuo micantium arteriarum pulsu, vnde significatio fit repletionis particularis, quam fecit commemoratus iam ad caput excursus. Scitum est illud. Τραχήλου ὀδύνη σὺν ὄμμασιν ἐρυθροῖς, αἱμορραγικόν. i. *Ceruicis dolor cum oculorum rubore hæmorrhagiam ciet.*

10 Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσιν ἰώδεα ἐμέσματα μετὰ κωφώσιος, ἀγρυπνίῃσι ταχὺ ἐκμαίνει.

In cephalalgia æruginosi vomitus cum surditate & somni vacuitate; insaniam breui denunciant.

In prorrhetico legitur hæc prognosis, quam doctissimo commentario illustrauit Galenus. Itaque nullas hic meas arbitror esse partes, nisi vt transferam in hunc locum quæ illic sunt accuratissimè scripta, numerisque omnibus philologiæ & philosophiæ absoluta.

Ergo. In cephalalgia.] Quæ doloris acerbitate eximia est, ac cita morte funesta, nisi hæmorrhagiam habeat liberalem.

Vomitvs ærvginosi.] i. Æruginosæ bilis crebra sursum & parca exclusio, quæ & qualitate ipsius humoris, & copia, & ipso excernendi modo, calamitosa est. Ac qualitate quidem humoris: quoniam æruginosa bilis proximè abest à nigra, & quocunque illa cursum ad excretionem inflexerit, & materiæ quæ ipsam genuit, & partis vnde manauit ardorem & inflammationem ostendit. Copia autem, quoniam nihil paucum est criticum: quò spectat & illud. *Pauci vomitus biliosi, mali.* In excernendi modo vitium illud cernitur quod Hippocrates annotauit his verbis. *Vomitus cum varietate, mali; idque cùm aliàs, tum si frequentes fiant.* Talis autem vomitio symptomatica, venit per sympathiam alui quam dura meninx & cerebrum inflãmatum inuexit: cuius affectionis præter cephalalgia symptomata hæc sunt.

prorrh. 47. f. 2. 1. prorrh. 26. f. 1. 1. pror. 32. sect. 1. 1.

Cvm svrditate.] Consectaria morbi acuti & turbulenti, in homine non suæ mentis, labefactata scilicet parte illa cerebri vnde vis audiendi manat.

Et somni molesta vacvitate.] Propter calidam & siccam cerebri intemperiem quam bilis perustæ nimia peperit abundantia.

Insaniam.] i. Melancholicam ecstasin in qua insaniæ summa sunt omnia: quoniam bilis æruginosæ in atram facilis mutatio est, cuius malignæ & efferæ cacochymiæ morsus acerrimi esse solent.

Brevi denvnciant.] Quoniam humorum qualitate acrium, substantia tenuium, temperamento calidorum, cita ad vigorem malorum, quæ ipsi faciunt, expeditio esse solet: vt in Philista, qui cùm primò die flaua, mox æruginosa vomuisset; secundo, sub meridiem, è potestate mentis exiuit: cuius historia fundamentum esse videtur huius prognoseos.

al. οἱ δὲ κύστιες ἀπο[illegible]

11 Οἷσι κεφαλῆς καὶ τραχήλου πόνος, καὶ ὅλου δέ τις ἀκρασίη τρομώδης, αἱμορραγίη λύει. αὗται καὶ οὗτοι χρόνῳ λύονται, καὶ κύστις ἐπώδυνος.

Si cui capitis & ceruicis dolor, atque adeo vniuersi quædam infirmitas incidit cum tremore coniuncta, hæmorrhagia exoluit. Quinetiam lapsu temporis hæc mala effugiunt; ac tum vesica dolet.

Infirmitate corporis nemo exterreri debet, nisi terrifica sit infirmitatis causa. Terrifica est quam facit consumptio vitalis principij, nectarisque viuifici perennis, dissipatio. Terrifica est etiã quæ fit immeritò sine vlla vacuatione, tum aspectabili, tum inaspectabili. Nam facultatum effœtæ vires veniunt ab exolutione trium principiorum, hepatis, cordis, & cerebri. Quemadmodum igitur facultates in officio versantur: sic robur ipsum in trium principiorum temperamento & complexione cuique accommodata consistit. Si bene constituta sunt viscera, facultates in suo quæque officio vegetæ esse de-

beant

bent. Sed ista non retro commeant, neque vicissim verè semper enunciantur. Vt enim δύναμις in officio, τὴν ἰσχὺν arguit in substantia principiorum; sic ἰσχὺς non semper τὴν δύναμιν edit vegetam, cuiúsq; vis in officio, virtuti substantiæ principiorum pariter æqualitérq; respondeat. Id cernere est in baiulis, qui grauiora portant onera, proptereáque toto corpore contremiscunt. Hic certum est tremorẽ nasci ab infirmitate. Sed tamen de eo tremore vereri non decet, nec verò de infirmitate ipsa; quòd nulla sit eius terrifica causa. Secus est de fanaticorum tremore qui ab exhausto & cerebri alienatione incidit, mortémque præsentem intentat. Quæ cùm ita sint, mirum videri non debet, si hæmorrhagia nonnunquam infirmitatis causas exoluat, virésque reddat vegetas, quæ ab oppressione olim fatiscere videbantur: quod quemadmodum fiat, hæc prognosis apertissimè plenissiméque explicabit, hoc modo.

SI CVI CAPITIS ET CERVICIS DOLOR.] Πόνον dixit; melius fortasse βάρος quod per sympathiam nunquam existit, sæpenumero autem πόνος ἐκ πόνου. Ergo. Si cui capitis & ceruicis dolor symptoma plethoricum sit vtriusque partis; ac ceruicis quidem, aut per excursum infernè sursum, aut per propagationem causæ morbificæ in ceruicalem medullam, nec vlla vis extrinsecus incidisse putetur in musculosum genus, sed ille ceruicis dolor cuiusmodi sit in causa & symptomate ipso, qualem expressit prognosi prima 1. lib. qualem etiam in illo. *Ceruicis dolor malus quidem in omni febre; pessimus autem iis qui sunt in periculo insaniæ.* Et, *Ceruicis dolor, oculi prærubri, sanguinem fundunt è naribus.* [prot. 4. ex lib. 2. prot. 46. sect. 3. 2.]

ATQVE ADEO VNIVERSI INFIRMITAS QVÆDAM INCIDIT.] Ab oppressione quam facit ipsa repletionis suppressio, vel tantùm oppresso neruorum principio per sympathiam, quæ iure vicinitatis & societatis, propagationem mouet causæ morbificæ à principio in producta: qualis infirmitas cernitur, vti iam dixi, in baiulis, quando imparia gestant humeris onera, quibus depositis redduntur solito alacriores.

CVM TREMORE CONIVNCTA.] i. Cum deprauato quodam artuum motu, quando iussu nostro, non naturaliter, promentur: ob eam sanè causam, quia id quod mouet & quod mouetur, pari magisterio certant inter se. Ex tribus autem tremoriferis causis; oppressione scilicet, spirituum collectione, & virium exolutione, nos eam recipimus quæ contumaciora facit instrumenta ad parendum virtuti animali. Est autem oppressio, siue ea venerit per translationem humoris morbifici à venis ad neruos, quam finit delirium; siue per progressum à cerebro in producta.

HÆMORRHAGIA EXOLVIT.] Quoniam repletionis tum vniuersalis, tum particularis perfugium est in hæmorrhagia, quæ propria est plethoræ vacuatio. Quæ causa est etiam cur in Pythione primis diebus tremulo, hanc legem Galenus sanciuerit. Quotiescunque febrium initiis tremor incidit, si nihil antea vires effœtas reddiderit; tum venæ sectio necessaria est. [cõment. ad Hist. 1. f. 1. 3. Epid.]

QVIN ETIAM LAPSV TEMPORVM HIS MALIS DEFVNGVNTVR.] Eôdem spectat prognosis illa priore lib. explicata. *Quibuscunque in febribus tremores immeritò conquiescunt; iis, lapsu temporis, articulorum dolorificus & purulenti abscessus nascuntur, vnáque in vesica doloris acerbitas.* Ergo, lapsu temporum, hoc est, intra quadragesimum diem, si vires validæ pro ægro pugnarint contra vim morbi, antéque pepasmi signa ediderint: vt in Pythione, per sputa ὑπόχολα, i. subcocta. [146. Coac. 1. lib.]

ACTVM VESICA DOLET.] Ob stranguriam purulentam, & abradentem vrinæ proluuiem: qualis Pythioni profluxit, qui, sine critica hæmorrhagia, tremoris à repletione vacationem habuit. In prorrhetico legitur hæc prognosis ἀνάλογος, nec vlla vesicæ mentio fit. [prot. 60. f. 3. 1.]

12 (Κύςις ἀπολειφθεῖσα) ἐν τῇσιν ὀξείσι κεφαλαλγίῃσι, ἢ τῇσι ναρκώδεσι μετὰ βάρεος· ἐθέλει σπασμώδεα γίνεσθαι. [Deerant hæc.]

Vesicæ interceptio in cephalalgia prægrandi, aut stuporifera cum grauitate; conuulsione studet finiri.

VESICÆ interceptio, siue vrinæ suppressio, tum primigenia; tum etiam morbi acuti consectaria, conuulsionis habet euentum. Est enim tanta vrinæ suppressæ feritas vt omnia naturæ præsidia labefactet: maximè verò recursum habeat ad caput, vnde symptomatum grauissimorum prouentus. Hoc spectat igitur vt intelligamus, omne genus cephalalgiæ, tum calidæ & acutæ, tum etiam frigidæ, atque torpidæ, & soporatæ, conuulsionem adferre: quando ad præparationem suscipientis causæ miseria vrinæ suppressæ accedit: maximè verò si vel exolutionem vesicæ, vel eius ἀναισθησίαν vrinæ suppressio consequatur. Tum enim non solùm refluxum caput excipit: sed etiam cerebrum in vesicæ afflictæ contagionem trahitur, generis similitudine, & vasorum communione. *Ex perfrigeratione, vrinarum interceptio, mala.* Vide prognosin 17. f. 3. 1. prorrh. Plurimùm autem facit ad huius enarrationis veritatem quod scripsit Galenus ad illam prognosin. *Intercepta vesica, præsertim cum cephalalgia, habet aliquid conuulsificum.* [prorrh. 1. 1. prorrh. 18. 1.]

13 Κεφαλαλγίην λύει πύον διὰ ῥινῶν, ἢ πτύελα παχέα, καὶ αἷμα· λύει δὲ καὶ ἑλκέων ἔκθυσις· ποτὲ δὲ καὶ ὕπνος, καὶ κοιλίης ῥύσις.

Cephalalgiam tollit expuratum per nares, aut sputa crassa odore carentia. Quinetiam exoluit vlcusculorum vbertas: nonnunquam & somnus, & alui profluuium.

» Sane cvique morbo sua debetur crisis per exolutionem propriam causæ cuiusque morbificæ, » & neoterismum partis obsessæ. Exolutio fit causæ morbificæ excretione, pepasmo, abscessu; pro qualitate humoris, impulsu naturæ, & meatuum conditione. Sed incidunt tamen successiones morborum, quibus auocatur natura ab instituto cursu, vt qui opinionem fecerant excretionis per hæmorrhagiam, mutata velificatione, cùm inueterauerint, pepasmo vel abscessu exitum finémque inueniant. Ac ne longum faciam; huius theorematis authoritatem fundabit proposita ad explicandum prognosis.

Cephalalgiam.] Cuius inueteratio est, quæque saluis ægri rebus ad vigesimum vsque diem producta, sperabilem ampliùs non facit hæmorrhagiam quæ primis periodis in procinctu esse videbatur; cephalalgiam, inquam, firmiter fixam; humoris crassi & frigidi sobolem.

Tollit.] Amotione causæ coniunctæ, & partis obsessæ neoterismo. Id enim significat τὸ λύειν, quod Galeuus interpretatur ἐκθεραπεύειν τελέως τὸν ἄνθρωπον, i. *perfectè hominem sanare*, vt nihil reliquiarum supersit. Excipio tamen illud, τὸ λύειν, quod ab Hippocrate per sarcasmum vsurpatur aph. 26.6. Οἷσιν ἂν ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, [illegible] λύει, i. *Quibus, in causo tremores fiunt, eos delirium soluit.*

Expvratvm per nares.] Quoniam humor qui fecit intensam & prægrandem cephalalgiam, nisi per hæmorrhagiam, inde vbi stabulatur, exitum habeat, aut per διαπύησιν exudarit; quod superest, in suppuratum aut corruptionem conuertitur, aph. 10.6.

Avt spvta crassa odore carentia.] Quando per fauces pituita purulenta screatur, quæ illuc è foco cephalalgiæ descendit. Crassa autem, pepasmum; odoris expers, ipsius partis integritatem significat. At, vt parotidas discutit & ad æqualitatem cutis adducit tussicula cum ptyelismo coniuncta: idem quoque faciunt aduersus dolorem capitis sputa crassa odore carentia.

Exolvit etiam vlcervm profvsa vbertas.] Prompta in cutim materia multùm acri, cuius profusio cephalalgiæ pariter æqualitérque respondet. Id enim significat τὸ λύειν. Nam τὸ ἐκθύειν, idem quod ἐξανθεῖν. Vlcera autem facit ichorum collectio corporis superficiem erodentium.

Nonnvnqvam et somnvs.] Quemadmodum enim somno mitescit delirium: sic & cephalalgia suauitate anathymiaseos, & cerebri temperata complexione.

Et alvi profluvium.] Vti coma surditatem & ophthalmiam. Hinc veniunt in vsum ad curationem cephalalgiæ, catapotia cephalica.

14 Κεφαλῆς ἄλγημα μέτριον μετὰ δίψης ὑποδύσης, ἢ μεθ' ἱδρῶτος μὴ λύοντος τὸν πυρετὸν· ἀποστάσιας ἐν οὔλοισιν, ἢ παρ' ὦτα σημαίνει, μὴ κοιλίης ἐκταραχθείσης.

Capitis dolor modicus cum siti aluina coniunctus, aut cum sudore non exoluente febrem; vel gingiuarum abscessus, vel parotidas fore ostendit, nisi profusè aluus feratur.

Cephalalgia modica distinguitur ab intensa, cuius antè, naturam, symptomata, causas, & cessationes ostendimus.

Ergo. Capitis dolor modicvs.] Quem vel modica intemperies leuiter pressa facit, vel inferiorum partium sympathia.

Cvm siti alvina.] Cuius ab impuritate alui, sensio excitatur; quando ea natat vel pituita salsa, vel bilioso humore. Sic enim apud Hippocratem ὑποδύς pro aluo legitur vsurpata. Porro autem sitim distinguit alui ab ea quæ est vniuersi corporis, vt in causo; & à pulmonum siti, cuius causam & focum his verbis expressit. *Sitim sedant & arcent, frigidam auram ducere, & frigidam bibere.*

Avt cvm sudore non exolvente febrem.] Vel potiùs τῆς κεφαλῆς capitis, non σωματικῆς quia moderatus est dolor à causa, vti iam dixi, leuiter pressa. Ac si diceret; si modica cephalalgia indigena sudore capitis non sedatur, vnde expressio potiùs quàm excretio cephalalgicæ materiæ significatur.

Vel gingivarvm abscessvs.] A causa sitis aluinæ, per continuitatem interioris tunicæ alui, quæ palato & ori communis est, vel etiam prolapsu catarrhi in gingiuas, quarum vniusmodi est caro & simplex.

Vel parotidas fore ostendit.] Præsertim si capitis dolor coniunctum habeat coma, & surditatem.

Nisi profvse alvvs feratvr.] Qua profusione parotides non solùm arcentur, sed etiam cùm obortæ fuerint, dissipantur; vt in Clazomenio. Sed tamen in aluo perliquida, si è gingiuis exudee

exudet sanguis, pestiferum: quòd, labefactata naturali œconomia, sanguis in vitio fit, & sua corruptione partium substantiam labefactet; quod in gingiuis potissimùm cernitur, quarum simplex de vniuismodi caro est.

15 Κεφαλαλγίη καρώδης μετὰ βάρεος, ποιεῖ τι σπασμῶδες.

Cephalalgia veternosa cum grauitate, ferè conuulsifica est.

Explicatio repetenda ex commentario ad prognosin 12. huius libri.

16 Οἱ κεφαλαλγικοὶ, διψώδεες, ὑπάγρυπνοι, ἀσαφέες, ἀδύνατοι, ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ κοπιώδεες· ἦρά γε ἐξίστανται;

Cephalalgici, sitibundi, pene somni expertes, obscuri, morbo fracti, ex aluo liquida laboriosi; etiamne fanatici?

Symptomata hæc insaniæ metum adferunt ex euentu; quatenus scilicet ipsa insania in cerebri ardore febrili existit, cuius illa soboles esse possunt per progressum & sympathiam simplicem, vt cephalalgia, sitis, vigiliæ. Existunt etiam quæ per translationem insaniam faciunt consectariam, vt κόπος ἑλκώδης καὶ ἀδυναμίη, i. *lassitudo vlcerosa, imbecillitas*, aluus prorupta bile. Nam ἡ ἀσάφεια, proprium esse dicitur phrenitidis eximiæ. Vt igitur symptomata hæc, signa οἰκεῖα videri possunt insaniæ, quòd ea calidæ intemperiei, biliosique humoris sint ἔργα; sicut ipsa phrenitis: tamen ἴδιον τι ipsius phrenitidis ipsa nemo philosophus dixerit; cuiusmodi sunt illa quæ antè commemorauimus, verborum absurditas, morum dissimilitudo quam ferocitas denunciat, & indecora compositio. Erunt igitur ex euentu, nisi quis fortasse objecerit ea cum τῇ ἀσαφείᾳ conjuncta, in ἔκστασιν conspirare, cuius præparatio cernitur in ea obscuritate. Quoties enim ad suscipientis præparationem accedit vis efficientis, repentina inde morbi generatio consequitur: quemadmodum quoties ad partis afflictæ calamitatem, perennis causæ morbificæ accessio fit; efficitur etiam prioris morbi in grauiorem mutatio. Sic igitur symptomata hæc phrenitidis eximiæ, aut etiam insaniæ jamjam futuræ conjurata, vt ita dicam, videri poterunt: quamuis ea omnia simul existere nihil necesse sit.

Cephalalgici.] i. Cephalalgiæ acerbitate vexati, quam facit bilis effera cum sanguine mixta.

Sitibundi.] Siti aluina, per stomachi cum cerebro sympathiam, quæ cernitur etiam in vomitu æruginoso.

Somni expertes.] Propter calidam & siccam cerebri intemperiem, quam feritas bilis intexit, & anathymiaseos minimè somnifera qualitas: ex quo efficitur vt vacuitate somni cum doloris acerbitate conjuncta facilis mutatio sit bilis flauæ in æruginosam & atram; vnde insania.

Obscvri.] Phrenitidis inueteratione ac cerebro iam bile perfuso & infecto, vt lana alba veneno Assyrio fucata, vnde vires languent effœtæ, nec potis est membra jactari, vocem canoram edi; vel etiam silentio melancholico taciturni, qualem fuisse legimus Dealcis vxorem. Denique obscura deliria claris iam commemoratis contraria.

Morbo fracti.] Exoluti, multùm infirmi, tremuli, ψηλαφώδεες, τρομερά, quorum τρόμος cernitur ἐν τῷ ῥίγει.

Ex alvo liqvida.] Biliosis excrementis, meracis atque spumantibus sæpe & parum ducta.

Laboriosi.] Κόπῳ ἑλκώδει, qui sæpenumero delirij prænuncius esse solet, quando biliosæ materiæ laborificæ translatio fit ad caput; quod nunquam accidit in κόπῳ τονώδει, i. *labore tensiuo*.

Etiamne fanatici?] Ac si diceret. Etiámne adhuc è potestate mentis exeunt, insaniæque summa omnia præ se ferunt; quamuis & silentio & exolutione fuerint iam pene sopiti? Sanè quidem, non solùm eo nomine quòd deliria cum silentio, tremore & palpo sint valde phrenitica; sed quòd appulsu bilis atræ, morsus acerrimi, vt ita dicam, ψυχὴ αἰσθητικωτέρη γίνεται, i. *anima ad sentiendum excitatur*, non aliter atque sitis falsò sedatur, quæ excitatur rursum sitificæ causæ incremento. Omnis autem affectio fere sequitur naturam efficientis causæ, vt in illo. *Quibus excussa insania, febris acuta superuenit; phrenitici rursus fiunt.*

Prorrh. 33. f. 1. 1. hist. 15. f. 3. 3. Epid. Coac. 4. lib. 2. Prorr. 8. f. 1. 1. 100. Coac. 1. lib.

17 (Κεφαλαλγέες) ὑπόκωφοι, χεῖρας τρομώδεες, τράχηλον ὀδυνώδεες, οὐρέοντες μέλανα δεδασυμμένα, ἐμέοντες μέλανα· ὀλέθριοι.

Defuit;

Cephalalgici surdastri, qui manibus cōtremiscunt, ceruice dolent, nigra & aspera meiunt, ac nigra quoque vomunt; planè sunt desperati.

SYMPTOMATVM pestiferorum concursus cum signis funestis continetur, vnde certa vitæ desperatio est. Quoties enim ad symptomatum cacoethiam ipsa signorum accedit, nihil est de vita sibi promittendum: quoniam pestiferi morbi ingrauescentis magisterio, ægroti natura omnino tenetur. Enimvero de symptomatis illud præceptum est, ea inter spem metumque posita esse, quatenus huiusmodi sunt vel illiusmodi, pro varia temporum ratione, in quibus apparent & fiunt. At signa quæ ipsa per se existunt, nec vllam vim efficiendi habent, nunquam à se mutantur, vt bona mala fiant, aut mala bona. Vt enim pepasmus celeritatem & securitatem crisis denunciat: sic cruditas tarditatem & recidiuam. Sic vrinæ hypostasis materia & loco bona; dejectio qualitate, copia, tempore, & excernendi modo laudabilis & naturaliter constituta; sic etiam anacatharsis libera & liberalis sputi incorrupti, nec fœdi coloris atque odoris; arteria item fortiter & æqualiter micans; libertas spirandi; omnia hæc semper in bonis ducenda, quoniam semper apparent & fiunt κατὰ λόγον naturæ, contraria verò παρὰ λόγον naturæ, & magisterio morbi; proptereáque omnino mala atque terrifica. Secus est de symptomatis quæ non minùs bona spe nos consolantur, quàm metu exterrent; prout à natura stant, aut impetu morbi eduntur. Ergo vt cephalalgia, surditas, manuum tremor, ceruicis dolor, symptomata sunt ipsa per se terribilia: ita si adjunctionem habeant vrinæ nigræ & asperæ, vomitus item nigri, desperatam salutem ostendunt. Quæ omnia cuiusmodi sint, & quemadmodum fiant; tum autem quorsum appareant, huius est prognoseωs videre.

CEPALALGICI.] Signum diagnosticòn capitis malè affecti, symptoma verò prægrandis intemperiei, vel continuitatis solutæ.

prorr. 1. f. 3. 1. & prorrh. 32. f. 1.1.

SVRDASTRI.] Offensione τῆς ἀκουστικῆς δυνάμεως, i. audiendi facultatis, per dissolutionem integritatis in parte illa cerebri vnde vis audiendi manat.

QVI MANIBVS CONTREMISCVNT.] Quod illis vsuuenit propagata cephalalgiæ causa in ceruicalem medullam, vnde veniunt nerui ad manus.

CERVICE DOLENT.] Adducto in cerebri sympathiam neruorum principio, diuturna afflictione læso, nec vlla doloris causa extrinsecus incidente in musculosum genus. Etenim principiorum & propaginum facilis est mutua inter se contagio, facilisque mutua συμπάθεια. Atque hæc quatuor symptomata ab eodem fonte principia causasque ducentia, sunt quidem per se ipsa plena periculi, non tamen adimunt expectationem vitæ, nisi se illis praua quoque signa adjunxerint: cuiusmodi sunt quæ sequuntur.

NIGRA ET ASPERA MEIVNT.] Quæ sunt eiusmodi: nigra quidem, à sanguinis & quatuor humorum sero, prægrandi æstu & incendio conflagrante; non autem humore melancholico velut fuligine saturato: quod sæpenumero salutiferum est, præsertim mulieribus quæ à menstruorum vel puerperiorum suppressione laborant: aspera verò, propter hypostaseωn qualitatem orobearum, furfuracearum, spumantium, & laminearum; quæ sunt omnino quatuor prauarum tota substantia hypostaseωn genera. Nam plura sunt alia colore & loco malarum. Δεδασυμμένα autem ὁ δεῖνα nominauit præter consuetum scribendi modum in aphorismis, prognostico, & epidemiis, vbi nusquam legitur τὸ οὖρον δασὺ ἢ δεδασυμμένον: vt studio obscuritatis ita scripsisse videatur in hac prognosi, quemadmodum rectè annotauit Galenus nominans eam obscuritatis affectationem, τὴν ἐπιτήδευσιν τῆς ἀσαφείας.

Vide 7. Epidem vbi meminit bis ... p. 366. linea 35. & 40 comment. ad 12.

NIGRA VOMVNT.] In prorrhetico aliter scriptum reperio. Non enim vomitum nigrum cieri, sed venturum prædixit, ὡς ταῦτα τὸν μέλανα ἔμετον προσδέχεσθαι ἔδει: quod etiam Galenus transfert ad nigras deiectiones, quæ post æruginosas sequi solent, sicut & vomitio ipsa: sed eæ tamen frustra expectantur, cùm ipsæ per se sufficiant vrinæ nigræ & asperæ ad prædictionem interitus mox futuri. De vomitione autem nigra, deque vrinis nigris erit alius dicendi locus.

prorr. 3. f. 3. 1.

SVNT DESPERATI.] Sic enim ὀλέθριοι, per metonymiam, sunt ἀπολλύμενοι. Desperatæ salutis ratio in theoremate catholico exposita est.

18 Οἱ κεφαλαλγέες ἐφιδρουῦντες, κοιλίην ἀπολελαμμένοι σπασμώδεες.

Quibus cum sudatiuncula caput dolet, aluo suppressa; conuulsione tentantur.

prorrh. 25. f. 3. 1. 160. Coac. lib. 1.

ET IN PRORRHETICO, & in priore libro huius diuini operis, hæc prognosis expressa, & explicata legitur. Excipitur tamen hic febris, quam cum reliquis symptomatis voluit illic esse coniunctam. Et quoniam fastidiosè nimis videtur se Galenus gerere in eius prognoseωs decisionem, nec eam dignatur philologiæ & philosophiæ luminibus illustrare, ne quid intentatum relinquerem, tentaui & ipse aliquid quod nonnihil lucis adferret, quod in hunc locum transferri poterit ex comment. ad progn. fi. 160. prioris lib. Quod superest, hoc spectat hæc prognosis vt intelligamus, conuulsionem in metu esse quoties in cephalalgica oppressione, vnde sudor exprimitur qui cephalalgiam non exoluit, alui suppressio veterem auget oppressionem: quamuis non accidat necessariò, neque semper; sed ex euentu, atque nonnunquam. Nam parotides non rarò inde assurgunt. Hactenus de Cephalalgia.

DE

DE CARO ET CΩMATE.

CAP. II.

Ο ΚΑΡΩΔΕΣ (ἦ περί γε) πανταχοῦ κακόν; Defuit.

1 *An soporari vbivis malum?*

DICTVRVS de cataphoricis malis, à distinctione causarum disputationem instituit, vt ex earum perspicientia quid cuique euenturum sit, & quorsum illa fiant, certò statuatur. Id fecit primùm in Caro, qui inter illa est eximius. Symptomata sunt cataphorica, in quibus cernitur καταφορά τις ὑπνώδης, i. *inclinatio quædam somnolenta & veternosa*, vt neque oculis, neque cerebro lucem accipiant; sed contra semper oculis noctem commissis palpebris, ac, semper videantur solui in somnos, vigilentve aut dormiant. Sed inter ea symptomata principatum obtinet κάρος, quem veteres ἀπὸ τῆς κάρης, i. *à capite* nominauerunt, ex animaduersione cerebri occupati, quoties τὴν τῆς φαντασίας ἀπώλειαν ἢ ἔκλυσιν, i. *amissionem aut exolutionem phantasiæ* exprimere voluerunt. Est enim caros symptoma & signum phantasiæ exolutæ. Exolutionis autem causa est prægrandis frigida intemperies quam acidia pituita inuexit. Prægrandis intemperiei frigidæ causam esse dixi pituitam acidam quoniam cari natura & ὕπαρξις versatur ἐν τῇ λύσει, i. *in resolutione*; quemadmodum ἡ κατοχὴ ἐν τῇ τάσει, i. *in tensione*. Atqui non existit ἡ λύσις, quin nerui madescant, vnde exoluitur τόνος & robur eorum. Atque in caro cernitur animalitatis interceptio in sensu & motu; quemadmodum in apoplexia; si tantùm libertatem spirandi exceperis, quæ in apoplexia nunquam est, manet autem in caro. His ita constitutis, super quæstione proposita hæc mihi videtur ratio deliberandi, vt τὸ καρῶδες primùm hoc loco significet tum symptomatici cari speciem & ideam, tum arctioris somni & excussu difficilis necessariam satietatem; vel ex necessitate dormiendi quam peperit diuturna somni vacuitas cum pari opportunitate somniferarum causarum conjuncta; vel ex affluentia soporiferæ materiæ quam genuit liberalior vini vsus. Itaque certum est τὸ καρῶδες quod venit à prægrandi intemperie τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, id est, *sensorij primi*, siue primigenia, siue consectaria sit vt in Hermocrate, siue à mutua contagione musculorum temporalium & cerebri: certum est, inquam, tale καρῶδες semper in vitio esse, fierique pessimis ægri rebus. At verò τὸ καρῶδες quod sine vlla cerebri offensione fit quæ firmiter fixa sit, sed tantùm eum leuiter pressa, vt in ebrietate; vel certè nulla, vt in somno critico non turbulento; tale profectò καρῶδες cum spe salutis prædiuite initur. Tale καρῶδες fugat delirium; tale καρῶδες non rarò cephalalgiam exoluit, & in pueris, febrem: denique tale καρῶδες μὴ ταραχῶδες, βεβαίαν κρίσιν σημαίνει, i. *non turbulentum, firmam crisin ostendit.*

2 Οἱ κωματώδεες ἐν ἀρχῇσι γινόμενοι μετὰ κεφαλῆς, ὀσφύος, τραχήλου, ὑποχονδρίου ὀδύνης ἀγρυπνέοντες· ἦ πού γε φρενιτικοί. μυκτὴρ ἐν τουτέοισιν ἀποστάζων, ὀλέθριον, ἄλλως τε καὶ τεταρταίοισιν ἐοῦσιν, ἢ ἀρχομένοισι. κακὸν δὲ καὶ κοιλίης περίπλυσις ἐξέρυθρος.

Qui ab initio & continenter sunt comatosi, vnà cum capitis, lumborum, ceruicis, hypochondrij dolore, somni expertes; etiamne phrenitici? Substillum narium in his mortiferum; idque cùm aliàs, tum verò quartum diem agentibus, aut ineuntibus morbum. Pestifera est proluuies alui prærubra.

HIC GENVS alterum symptomatis cataphorismi proponitur explicandum, quod veteres κῶμα dixerunt. Est autem symptoma cataphoricũ in quo non potis est lucem accipere oculis, cùm illi semper noctem accipiant, quamuis nonnumquam difficile non sit è cerebro somnum excutere, nonnumquam etiam difficillimum, quando sopore sepultum est. Duplex enim κῶμα statuitur, vnum ὑπνῶδες, alterum ἄγρυπνον. Sed vtriusque communis est injussa oculorum conniuentia. In omnibus comatosis apparent oculi somno conniuentes: quemadmodum in lethargicis genæ sublimes. Est igitur coma, inclinatio veternosa quæ cernitur in conniuentia oculorum, quam facit exolutio virtutis nerualis in phantasia debili & infima. Sic enim dicitur coma phantasiæ infirmæ symptoma; quemadmodum caros abolitæ. Atq; in omni comate humoris ingressu neruoru τόνος exoluitur. Sed omne coma diuisum est in mixtũ & simplex. Ac mixtum quidem nascitur ex pari dominatu diuersorum humorum, bilis & pituitæ, pariter inter se concertantium. Simplex verò, vel à pituitæ simplicis & incorruptæ abundantia, vel à cerebri exolutione; vel ab eiusdem perfrigeratione febrilis ardoris consectaria. Atque mixtum coma semper est ἄγρυπνον, simplex ὑπνῶδες: illud tantùm oculis noctem accipit: hoc cerebro & oculis lucem fugit,

nec potest eam capere. Vtriusque autem commune est, oculis, veluti somno arctissimo, conniuere. Comatis mixti natura & causæ, tum autem malorum accessio atque successio, in hæc prognosi fœliciter exarata leguntur. Simplicis autem causæ & decisiones continentur in proximis.

QVI SVNT INITIO COMATOSI.] i. Qui continenter conniuent oculis, oppressione cerebri quam mixta facit cacochymia bilis & pituitæ pariter inter se concertantium; illa quidem, ad somni excussionem; hæc verò, ad soporiferam impressionem: & quarum mixtione monstrum nascitur biceps phrenitidis & lethargi, quod τυφομανίαν veteres nominarunt. Continenter autem ideo ponendum existimaui, vt indigena cerebri causa putetur: quoniam nullum coma, nullum delirium potest videri διηνεκὲς, i. *continuatum*, quando in cæteris paribus, pituitæ & bilis offensiones cerebrum in contagionem & sympathiam adducere possunt. Initio autem scripsit præceptor, vt omnis tollatur statim opinio cerebri vel exoluti, vel refrigerati à febrili ardore: quod ineunte morbo nunquam accidit, quo tempore natura morbificis causis opprimitur. 10

CVM DOLORE CAPITIS.] Excitata sensione rei molestæ, i. bilis irritantis, in parte sensus acerrimi, qualis est dura meninx; ex qua sensione opinio fit comatis neutiquam soporati & somno sepulti: quoniam in tali comate sunt corda oblita laborum, propter interceptionem, vel impedimentum animalitaris in soporatione sensus & motus.

CERVICIS ET LVMBORVM.] Per propagationem causæ morbificæ à cerebro in spinalem medullam, vel etiam perennem excursum ex lumbis ad caput: quoniam, vti iam dixi, facilis est contagio principiorum & productorum.

HYPOCHONDRII.] Vnde generationis & affluxus perennitas materiæ sursum ad caput, & ad suscipientis causæ præparationem accessio & vis efficientis. 20

3. Epid. part. 3. SOMNI EXPERTES.] Quoniam in summa dormiendi necessitate non suppetit opportunitas causarum somniferarum: quamuis in somnum solui reapse videantur, propter conniuentiam oculorum; nihilominus tamen somnum inire non possunt. Ac tale coma iure optimo dicitur ἐξ ὑπνώδεος ἄγρυπνον.

ETIAMNE PHRENITICI?] Ac si diceret. Etiamne tandem phrenitidis consecutio adferatur, hoc est, delirij perpetui cum vigiliis & febre conjuncti, quod facit bilis efferata morsus acerrimi in ea parte cerebri in qua mens principatum exercet. Sanè quidem, cùm alteratio cerebri vires acquisiuit eundo, pituitáque exhausta, cerebrum dominatu bilis tenetur, vnde coma excutitur. Ex quo efficitur, triumphata comatis causa delirium patescere, quod pariter cum comate regnabat, sed obscurè tamen quasi sepultum atque sopitum: quemadmodum si bilis, pituitæ abundantia pituitesceret, vtique proderetur lethargus. Quamobrem comatosi vigiles, & vna possunt esse phrenitici, & phrenitidis successionem habere. 30

Vide 62. Coac. 1. lib. hist. 3. 1. Epid. SVBSTILLVM NARIVM IN HIS MORTIFERVM.] Omnia enim sanguinis stillicidia sunt χαλεπὰ, i. *periculosa*, vt cæteræ omnes iudicatoriæ causæ exiguæ. Aut enim malignos vel multos humores naturæ imperio regi non posse, aut infirmitatem summam ipsius naturæ restantur: sed ea stillicidia sic habentur mortifera, si qualitate sanguis in vitio sit, qualis esse solet melanis, vt in Philisco.

IDQVE CVM ALIAS, TVM VERO QVARTVM DIEM AGENTIBVS.] Quoniam substilla „ & hæmorrhagiæ quarto die, contra naturam morbi cientur qui paroxysmos habet dierum imparium. Omnis autem αἱμορραγίη quæ vertitur in ἀρτιασμὸν, calamitosa est, facitque τὸ ἀκριτον θανατῶδες: quemadmodum rectè annotauit Galenus ad illam prognosin. *Stillicidia vndecimo mala.* 40

prorrh. 56. s. 3. 1.

AVT INEVNTIBVS MORBVM.] Non quidem periodo aut τρίτῃ (nam tertio die bona est hæmorrhagia) sed primo statim morbi appulsu, quam πρώτην εἰσβολὴν nominare solent: ob eam sanè causam quæ in substillo dicta est.

PESTIFERA EST ETIAM PROLVVIES ALVI PRÆRVBRA.] Nihil erat necesse ad faciendam fidem periculi superiorum symptomatum quæ sunt ὁμόδοξα conspirantia in idem; nihil, inquam, erat necesse aduocare τὰ ἐπιγενῆ quæ sunt in suo genere lethalia, cùm illa per se ipsa sufficiant. Enimvero coma mixtum quod phrenitidem habet conjunctam aut consectariam cum progressu causæ indigenæ, & translatione aduenæ, quodque substillo sanguinis tempore & qualitate pessimo, deuictæ naturæ signum ostendit, nihil ampliùs requirit ad persuasionem futuri exitij. Atque illa cernuntur in actionibus & excrementis quæ sunt ipsius cerebri & membranarum eius, proptereáque sunt ὁμόδοξα, & ad instituendam prognosin accommodata. Quod igitur adjecit, pestiferam esse prærubram alui proluuiem, verè quidem dixit, sed non appositè. Est enim proluuies illa pestifera, sed labefactatæ naturalis œconomiæ soboles, & hepatis multùm effœti certissimum argumentum: sicut symptomata iam explicata, cerebri; ob eamque causam funesta, quòd partium illarum officio vita carere non possit. Atque vt de illa proluuie, cuiusmodi sit, & quorsum fiat, paucis exponam; certum est omnem cruentam dejectionem jecori acceptam referri: sed periodicam atque fugacem virtute illius fieri; perpetuam verò, torminosam, carnium loturæ similem, summæ infirmitatis, planéque virtutis retentricis exolutæ syllogisticum signum esse. Quoties autem iecur ab inueteratione intemperiei iam exolutum sui tædet officij ad vitam tuendam necessarij, tum in angusto spes est. Atque ita proluuies alui prærubra homini necando, ipsa per se est satis, neque appositè, meo quidem iudicio, ad constituendam symptomatum ὁμοδοξίαν cerebri perniciem aduocata videtur, cùm sit ἐπιγενής, nec ab eodem fonte principia causasque ducat: nisi fortasse quis dicat; quò plures facultates, pluráque principia in vitio sunt, eò res ægri peius ire. Vide lib. 4. τῶν ἀφορισμῶν, & comment. Galeni ad prorrh. 2. s. 1. 1. 50 60

3 Οἱ κωματώδεες ἐξ ἀρχῆς ἐφιδρώσαντες, οὔροισι ἐπιπόνοις, καυσικοί, ἀκρίτως δὲ περιψύχοντες διὰ ταχέων, περικαέες, νωθροί, κωματώδεες σπασμώδεες· ὀλέθριοι.

al. ...

Comatosi quibus ab initio sudatiuncula exudauit, cum permolestá vrina, & ardore febrili immeritò alsiosi, mox æstu incandescentes, comatosi, subinde ad pedes delapsi; mortiferum habent malum.

ALTERVM genus comatis ab exolutione nati in hac prognosi continetur, quod suæ decisionis enarrationem à nobis requirit. Est enim decisio hæc multis obstructa difficultatibus, quas expedire difficillimum est, nec verò nisi à sciente animaduerti possunt. Ac primùm tollatur comatosi nomen quod in principio decisionis scriptum est, retineatur autem quod est in fine. Non enim ab initio sunt comatosi qui ab exolutione somno sepulti jacent: quemadmodum in comate mixto quod esse diximus monstrum biceps phrenitidis & lethargi, ex mixtione bilis & pituitæ pari robore inter se dimicantium. Tale coma initio statim apparet, nec morbi alterius consectarium esse solet.

Ergo. QVIBVS AB INITIO SVDATIVNCVLA EXVDAVIT.] Per expressionem quam fecit capitis oppressio. Vt enim sudatiuncula dicitur vel capitis, vel vniuersi corporis: ita huic loco apposita in scopum authoris, propriè ad caput pertinet; eáque, incunte morbo, causam habet expressionem, quemadmodum iam producto déque viribus triumphante, partium solidarum exolutionem.

CVM PERMOLESTA VRINA.] Sic enim legendum duximus, non autem, [illegible] Quorsum enim concoctio in concursu symptomatum funestorum, quæ nunquam bonitatis naturam exuit, vt ex bona fiat mala? nisi quis fortasse obiiciat fugacem esse concoctionem cum vicissitudine cruditatis, indéque fieri vt quæ sunt vrinæ modò pepasmi participes, modò expertes, non sint in bonis ducendæ: fortassis etiam videantur prauæ, vt quodam loco scripsit Hippocrates. Sed illud superstitione vel ostentatione non caret, sophisticum est, proptereáque ab omni philologia & philosophia explodendum.

pror. 61. f.3.1. comm.

Est autem permolesta vrina, quæ cum labore excernitur, non quidem vesicæ vitio, sed alieno.

ET ARDORE FEBRILI.] Sic enim οἱ καυσικοὶ sunt exponendi. Nam τὰ καυσικὰ dicuntur morbi in quibus ardor lucet; tum etiam excrementa præcalida, quorum vis est faciendi morbum acutum citissimæ crisis, valdéque periculosum, si ardore conflagrent.

ad pror. 24 f.3.1. comm. ad pror. 6. f.2.1.

IMMERITO ALSIOSI.] Non inconsideratè illud, ἀκρίτως, i. verti *immeritò*, quod est sine signis & salutaribus causis, vt in Philisco qui visus est febris expers in summo ardore. Tametsi enim cutis videtur alsior quàm solebat, non tamen sic febris vacationem denunciat, vt rectè annotauit Galenus comment. ad illam prognosin: Τὰ [illegible] πυρετοῦ [illegible], i. *Reliquiæ in hypochondrio superstites febris extinctæ, malæ.*

prorr. 7. f.1.1.

MOX ÆSTV INCANDESCENTES.] Conceptæ in visceribus flammæ appulsu; quæ cùm euanuerit, partes, vti erant, marmore frigidiores relinquit. Qua de re illud iam exposuimus. *Extimarum partium ista in vtrumque mutatio, ac situs huiusmodi praua est.* Quo loco adducta sunt multa quæ ad propositæ decisionis explicationem pertinere videbantur, illinc huc transferenda.

53 Coac. 1 lib. & prorr. 8. f.1.1.

SVBINDE AD PEDES DELAPSI.] Tales enim sunt νωθροί, in quibus ab exolutione insanabili neruorum principij cernitur ἡ ἔρριψις, quæ est veluti quædam [illegible]. Νωθρότης autem, ἔρριψις, καὶ [illegible], καὶ [illegible] idem significant 3. Epid. sect. 3.

COMATOSI.] Ab exolutione cerebri diuturna oppressione fatiscentis, quam initio denunciauit sudatiuncula capitis per expressionem: quia vbi sudor, ibi morbus.

MORTIFERVM HABENT MALVM.] Quoniam omne symptoma natum à principij exolutione, quam fecit morbificæ causæ inueteratio, mortiferum est atque funestum. Tale est substillum sanguinis nigri quartum diem agenti in comate mixto. Talis etiam prærubra alui proluuies ab effœto hepate, quod iam sui tædet officij.

4 Οἱ κωματώδεες ὕπνοι καὶ αἱ καταψύξιες· ὀλέθριοι.

Somni veternosi, vnáque alsiosi; mortiferi.

EXISTIT etiam mortiferum coma simplex quod cerebri inuexit refrigeratio quam ardor febrilis reliquit, exhausta cerebri, vt ita dicam, viuacitate: quale in Hermocrate animaduertit, quem somni vacuitas comatosum reddidit vndecimo die morbi. Fuit Hermocrati mortiferum illud coma, quoniam intemperies frigida, febrilis ardoris consectaria est insanabilis. Ea lege funestus est hydrops à [illegible], i. *consumptione retorrida* quam febris acuta induxit. Eádem lethargus à phrenitide.

Ergo, SOMNI VETERNOSI,] [illegible] κωματώδεες vel κῶμα ὑπνῶδες, coma soporatum sopore

excussu difficili, qui proximè accedit ad carum, & in quo vix potis est oculis aut cerebro lucem accipi.

VNAQVE ALSIOSI.] i. Cum refrigeratione conjuncti, quam vocat [illegible], quæ omnium maximè soporifera est, vnde soporatus est multùm Hermocrates vndecimo die morbi cùm decem jam dies exegisset in febris ardore, lingua perusta, vigiliis, hypochondrij tensione, ictero symptomaticè diffuso, non effuso; quibus adde excrementa perusta vniuersi corporis affectionem igneam denunciantia.

MORTIFERI.] Vide commentarium ad historiam 2. part. 2. 3. Epid.

Malè fuit [illegible]

5 Κωματώδεας, κοπιώδεας, κεκωφωμένους, κοιλίης κατεῤῥωγυίης ἐρυθρὰ διελθόντα περὶ κρίσιν ὠφελέει.

Cωmatosos, laboriosos, tum eos qui obsurduerunt, aluus prorupta subrubris excrementis adiuuat in ipsa crisi.

HOC TERTIVM genus cωmatis veternosi proponitur quod in oppressione cerebri causam habet, non quidem ex pari dominatu pituitæ & bilis indigenarum cerebri, qualem in cωmate mixto agnouimus: sed quod ex vtriusque humoris affectione nascitur in aliis partibus quæ cerebrum ipsum in contagionem & sympathiam adducere possunt. Eiusmodi sunt aluus & venæ, in quibus perturbatio commouetur à flatulento spiritu cum calore contra naturam, cuius perturbationis apparent signa in vrinis jumentorum similibus. Quale etiam cωma illud nascitur, de quo ita scripsit: *Cωmatosi maximè erant phrenitici, & qui laborabant causo, & qui alio quopiam morbo magno.* Quem locum enarrans Galenus sic ait: *Crassitudo materia faciebat quidem cωma, iis præsertim quibus affectum caput fuerat. Affligitur autem phreniticus, prima ratione affectionis, hoc est, ab indigena causa per idiopathiam. Καυσώδεις verò, ex quodam euentu. Etenim febrilis calor humores prauos effert ad caput. Tunc autem in ea tempestate pestifera redundabant crudi & frigidi.* Quemadmodum autem quæ in hac prognosi continentur symptomata cωmatis & τῦ [illegible], alibi sunt exposita in catalogo eorum quæ cum febre terrifica esse solent: ita remedium quo illa quiescunt, hic nobis excipiendum proponitur. Vt igitur, cωmatosi, laboriosi, caliginosi, vigiles, subsudantes malè sunt: ita, cωmatosos, laboriosos, obsurdescentes aluus aperta subrubra laxans, circa crisin juuat.

f 1. 3. Epid.

35. Coac. 1. lib.

6 Κωματώδεες ἀσώδεες, ὑποχόνδριον ὀδυνώδεες, σμικρὰ ἐμετώδεες, τὰ παρ' ὦς ἴσχουσι. πρόσθεν δὲ περὶ τὸ πρόσωπον ἐπάρματα μετὰ κώματος.

Cωmatosi fastidiosi, vnáque dolenter hypochondriaci, sæpe & parum vomentes, aurium abscessus habent. Antea verò faciei tumores cum sopore ipso coniunctos.

HIC ETIAM cωmatis decisio continetur, quod faciunt affectiones viscerum quæ cerebrum in sympathiam & contagionem adducere possunt, indéque materia illuc transfertur; aut etiam in cerebro ipso cietur, vnde parωtides consectariæ esse solent. Enimuero crudi humoris ad caput translatio euentum habet cωmatis atque parωtidum; idque cùm aliàs, tum si adjuncta sit præparatio causæ suscipientis, quæ cernitur in facie turgidula hominis jam soporati.

Ergo. CΩMATOSI FASTIDIOSI.] Qui & figuræ omnis & omnium ciborum fastidio efferuntur, acerrimæ bilis appulsu ventriculum & stomachum lacessentis atque quodammodo exoluentis: atque talis [illegible] reuera est ναυτιώδης, non autem ἀσιτος.

VNAQVE DOLENTER HYPOCHONDRIACI.] Hypochondrio scilicet inflammatione obsesso, vnde bilis exudat in aluum, neruulique duo jecori & ventriculo sociati affliguntur. Hæc jecoris inflammatio cerebrum quidem per aluum in sympathiam & contagionem adducere potest propagatione causæ morbificæ: quemadmodum ipsa tensio hypochondrij doloris expers transitum absolutum significat; quando scilicet humor, relicto priore foco, transit ad caput. Sed neutrum satis appositè, nisi apponatur commemorata suscipientis causæ præparatio. Nec verò hypochondrij tensio doloris expers aliò spectat in perturbatione critica, quàm ad hæmorrhagiam, in suppurato autem pulmonis, restituta spirandi libertate, quàm ad cruralem abscessum. Nam hypochondriacus dolor inflammatorius hæmorrhagiam habet salutarem primis periodis. Quid igitur superest? vt intelligamus transitum & progressum partium caput in suæ affectionis contagionem adducentium, non minùs præparatione suscipientis causæ, quàm vi efficientis, euentum habere vel hæmorrhagiæ, vel cωmatis, vel parωtidum. Nam cωma ab oppressione natum, quale descripsi, vel parωtidibus excutitur, vel aluo prorupta subrubris excrementis in crisi.

PARVM VOMENTES.] Quæ vomitio symptomatica est bilis continenter à jecore in ventriculum prorepentis, nec vllam leuationem adfert: sed contrà caput grauioribus damnis auget.

AVRIVM

Avrivm abscessvs habent.] Necessariò, vel ex euentu. Ac necessariò quidem, in primigenia cerebri affectione, quam hominis facies turgidula iam soporati ostendit, nisi aluus prorupta, parotidum materiam & occasionem tollat. Ex euentu autem, si hæmorrhagiæ inchoatæ deriuatio fiat pone aures, quod ipse innuisse videtur in prorrhetico, vbi non scripsit, vt hîc σφυγμοὶ ἐπιλαῦσιν, sed αἱμορραγίαι, μικρά, quemadmodum & 6. τῆς ἑνδεκάτης. Καὶ ἢν ἐκ ῥεόντων ἐγκαταλείπηται, ἕτοιμον τὸ νόσημα περὶ ἀπόστασιν, i. *Si quid ex fluentibus relinquatur, promptus ad abscessum morbus.* De parotidibus autem quæ & cuiusmodi sint, alio loco iam diximus priore libro: pluribus item dicemus in hoc secundo, si Dominus voluerit.

Antea vero faciei cvm veterno tvmores.] Ac si diceret; suscipientis causæ
10 præparatio maximum habet momentum ad ea quæ cuique accidunt suscipienda. Itaque turgidula facies velut ἰσθμὸς εἰδωλοποιεῖται indigenæ causæ soboles; vt in lethargo diximus, tum necessario, tum ex euentu; symptomatis cataphorici consectariam denunciat parotidem, quando ad caput translatio fit crudi & crassi humoris. Notum est illud: Ἐν κεφαλαλγίῃ κῶμα καὶ κώφωσις παρ' οὖς τι ἐξερεύγεται, i. *In cephalalgia coma & surditas ad aurem aliquid eructat.* Et, Ὑποχονδρίου σύντασις μετὰ κώματος ἀσώδεος, κεφαλαλγίης, τὰ παρ' οὖς ἐπαίρει, i. *Tensio hypochondrij cum comate fastidioso & cephalalgia, ad aurem assurgit.* prorrh. penult. & vlt. l.3.1.

7 Τὰ ἐξαίφνης παρακρούσαντα ἀλυσμῷ· αἱμορραγικά.

20 *Quæ continuò deliria exoriuntur cum iactatione coniuncta; hæmorrhagiam cient.*

Pertinet decisio hæc ad distinctionem suscipientis causæ, cuius διάγνωσις compatitur ex signis propriis morbi & partis obsessæ, quæ dicuntur ὁμολογά. Ergo si verum est, vt certè omnino est, quod posui superiore prognosi, non inferiores esse partes excipientis cerebri, quam efficientis causæ, vel ad generationem morbi, vel ad exclusionem materiæ morbificæ, tum per excretionem, tum per abscessum, planè efficitur vt quemadmodum facies turgidula & œdematosa hominis iam soporati cum hypochondrij alterutra tensione conjuncta, quamcumque μετάστασιν & ἀπόστασιν ad parotidas conuertit, nisi aluus prompta subrubris excrementis ipsas assurgere prohibet; ita facies prærubra cum
30 aspectabili pulsu venarum atque delirio, hæmorrhagiam fore denunciat.

Qvæ continvo deliria exorivntvr.] Affectione partium & sanguinis bile perfusi, quæ citò cerebrum in sympathiam & contagionem possunt adducere, facereque symptoma humoris morbifici proprium, quod est delirium non perpetuum. Nullum enim perpetuum est præter phrenitidem & consectariam eius insaniam, quæ causam habent in cerebro firmiter fixam.

Cvm iactatione conivncta.] i. Fastidio omnis figuræ & loci, propter cuiusque in decumbendo molestia; quod sani faciunt laboriosi quando satagunt modò huius, modò illius negotij, omnis moræ in quoque perficiendo impatientes, estque illud propriè τὸ ἀλύειν. Porro autem cùm duplex omnino sit causa quæ facit alysmum, vna, proprietas quædam humoris molesti, non tamen multa neque vsquequáque aluum replentis, sed in eius tunica stabulantis; altera verò facultatis à
40 corporis grauitate oppressio quæ summam in decumbendo δυσφορίαν efficit, vnde alysmus: hæc sanè in huius alysmi ætiologiam vsurpanda venit. aph. 54. 7. prorrh. 44. l.2.1.

Hæmorrhagiam cient.] Bene aut malè, prout alysmi tempus distinctionem adfert symptomaticæ jactationis, aut criticæ. Vide prognosin illam. *Quæcumque diebus criticis sine sudore perfrigerati jactantur, pessimè habent.* prorrh. 27. l.2.1.

8 Τὰ κωματώδεα, ἀσώδεα, ὀδυνώδεα ὑποχόνδρια, θαμινὰ σμικρὰ πτύοντα· τὰ παρ' οὖς ἐπάρματα.

50 *Comatosa fastidiosa, dolentia hypochondria, sputa item crebra & pauca; tumorum pone aures prænuncia.*

Hvivs decisionis ratio & explicatio in hunc locum apportanda ex comment. ad 6. huius cap. Sed hoc interest, quòd hic pathologica mutatio est morbi & ægri; deinde quòd ptyelismus pro crebra & pauca vomitione vsurpetur, quæ duo tolerabilia sunt apud Hippocratem; postremò, quòd suscipientis causæ conditio prætermissa sit, quam illic non prætermisit. Itaque complexio est confusanea partim signorum ἰδιοπαθῶν, partim συμπαθῶν, ex qua nihil statui potest neque necessariò, ne-
60 que ex euentu quid successurum sit.

9 Κωματώδεες ἦ ἔχει σπασμῶδες; melius ἔχουσι.

Comatosi etiamne quid habent conuulsificum?

Extremum illuderat vt diceret de mutatione prioris mali in pejus, quæ scilicet ferè accidit per causæ morbificæ & partis obsessæ alterationem majorem, vel incrementum, quando ad oppressionem partis nobilissimæ accedit perennis materiæ morbificæ affluxus. Ergo si coma non excutitur lege critica, vtrum habet conuulsionis euentum, nisi antea mortiferum sit? Enimuero coma mixtum quod in phrenitidem transit, conuulsione potest finiri, per alienationis successionem ex alteratione prægrandi. At verò in simplici comate vndecumque nascatur, id locum non habet; quoniam eius natura & ὕπαρξις consistit in resolutione; conuulsionis autem in tensione. Nisi fortasse quis adferat conuulsionis causam quæ ex euentu cernitur, quando vnius partis resolutio conuulsionem facit alterius. Sed istud esset deceptitium. Est enim par & æqualis in comate λύσις, vt nulla τάσις ex euentu fieri posse videatur. 10

10 Κωματώδεα μεμωρωμένα κάτοχα, ὑποχόνδρια καὶ κοιλίην ἐπηρμένοι, ἀπόσιτοι, ἀπολελαμμένοι, ἐφιδρουῦντες· ἆρα τουτέοισι τὸ θολερὸν πνεῦμα καὶ τὸ γονοειδὲς διελθὸν λύγγα σημαίνει. κοιλίη δὲ ἆρα χολώδης προσδιέρχεται; τὸ λαμπρὸν ἐν τουτέοισιν οὐρηθὲν ὠφελέει, καὶ κοιλίαι δὲ τουτέοισιν ἐκταράσσονται.

Comatosi fatui catochi, hypochondriis & aluo prominuli, ciborum fastidiosi, aluus nihil reddens, sudatiuncula exudans; etiamne spiratio caliginosa & genitalis vrina singultum denunciat? an verò etiam biliosa aluus vna secedit? vrina pellucida his adiumentum adfert: quinetiam iis alui perturbatæ feruntur. 20

Confusanea hæc symptomatum atque signorum sylua, ἀπόδειξιν nullam ostendit quò fiant atque appareant, nec verò vllam ἀπόδειξιν recipit quorsum quamobrem ita fiant atque appareant. Sunt enim permulta reapse ὄντα; plurima verò ἐπιλογιζόμενα: vt nulla inde constitui possit doctrina nec disciplina medendi, quæ ἐκ τῆς ἱστορίας καὶ τῆς ἐμπειρίας comparari solet. Sed tamen expetenda verborum & rerum explicatio, atque in hunc locum transponenda ex Galeni comment. ad prorrh. 6. f. 2. 1. 30

11 Ἐγκεφάλου σφακελίσαντος οἱ μὲν ἐν τῇσι τρίτῃσιν ἡμέρῃσιν, οἱ δὲ ἐν τῇσιν ἑβδόμῃσι τελευτῶσι· ταύτας δὲ διαφυγόντες σώζονται. Οἷσι δὲ διαλμηθεῖσι τῶν τιτρέων αἱρεθῇ διεστηκὸς τὸ ὀστέον· ἀπόλλυνται. 40

Cerebro syderato, alij quidem tertio syderationis die, alij autem septimo vitam finiunt. Quibus elapsis, periculo defunguntur. Sin autem anatome facta, os dissociatum cernitur; sine dubio moriuntur.

Quæ ex ancipiti certamine, incertáque marte naturæ & morbi ratio præsagiendi comparata initur, ancipitem quoque habet euentum interitus aut salutis. Nec verò quæ à magisterio morbi instituitur, firmissimum illud adferre potest ad certam, stabilem, omninóque veram ac minimè fallacem prognosin. Excipio tantùm apoplexiam, anginā primæ speciei, syncopen quoque cardiacam. At quæ prognosis ducitur ἐκ τῶν ἀπεγνωσμένων, vix vnquam, vel nunquam potiùs aberrat à scopo. Multi sunt quidem terrifici morbi specie & magnitudine ipsa; sed nulli adimunt spem salutis, nulli certò mortiferi atque funesti, in quibus non appareant signa superatæ naturæ, quæ veteres τὰ ἀπεγνωσμένα θανατώδη nominarunt. Cernuntur hæc in qualitate corporis, actionibus, & excrementis. Vt in prægrandi pleuritide spes in angusto est, non tamen certa desperatio: ita nihil spei reliquum, quando in stertore, aut nulla est, aut certè exigua perque difficilis, & praua expurgatio, cum vrina prærubra & pulsu effœto. 50

Sed quorsum, dicet aliquis, quorsum tam multa de morbis incerti iudicij atque mortiferis, quorum præsensio cum distinctione iam commemorata ad fidem faciendam comparatur atque initur? Quia profectò videmus hoc loco descriptam syderationem cerebri, quamuis ipsa per se terrifica sit, non antè videri funestam, quàm os caluariæ dissociatum appareat; vel omnino semper esse mortiferam, etiam si dies funestos exegerit, si tale sit ἀπεγνωσμένον dissociati ossis. 60

Ergo. Cerebro syderato.] Per prolepsin vsurpato syderationis nomine, i. dum syderatur cerebrum, vt inchoata videatur syderatio, non autem numeris omnibus absoluta, quæ insanabilis est;

est; tanquam priuatione inducta. Propterea que meliùs legeretur, σφακελίζοντος ἐγκεφάλου, quàm σφακελίσαντος; meliùs etiam quàm in aphorismis vbi scripsit. Ὁκόσοισι σφακελίζει ὁ ἐγκέφαλος: quod verbum κατασφακελίζειν vsurpatum defendit Galenus. Nam propriè sphacelus, perfectam cuiusque partis corruptionem significat. Sed quemadmodum carnis corruptio gangræna dici solet: ita syderatio ossis, nomen sibi vendicat τῶ σφακέλου, quod Hippocrates docuit, cùm ait, Κίνδυνος σφακελίσαι τὸ ὀστέον τῆς πτέρνης, i. *Periculum ne syderetur os pernæ.* Alibi verò carnem corruptam nominauit σαπρὸν, μυδῶσαν, καὶ σηπεδόνα quam corruptionem carnis recentiores gangrænam dixerunt. Vt igitur multùm interest inter gangrænam & γαγγραινοῦσθαι, quòd illa perfectam absolutamque νέκρωσιν carnis significet; hoc verò, ἀλλοίωσιν i. *ingredientem* & inchoatam corruptionem. Sic inter sphacelon & σφακελίζειν, ille enim, carbunculationem ossis; hoc verò, alterationem qua itur ad alienationem, denunciat. Atque vt sæpenumero rerum absolutarum verba & nomina pro inchoatis vsurpantur: ita quoque hîc talis vsurpatio consideranda videtur, vt σφακελίζειν dicatur cerebrum, quod in corruptionis metu est. Sed qui sit, & cuiusmodi cerebri sphacelismus, quæso attentè videamus; tum autem, quibusnam signis ad illius sphacelismi cognitionem deducamur.

aph. 48. 7.

Enimvero, Aristoteli sphacelismus crudor est cerebri, quem facit ὑγρότης πολλὴ καὶ ψυχρά, i. *mador multus frigidus*, quem fortasse quis rectè nominauerit cariem. Sed cum sphacelismum ita descripsit Hippocrates. *Syderato cerebro, dolor ab occipitio in spinalem medullam inuadit, ac tum frigus ad cor peruadit, naque sudor citò cietur, effluitque sanguis è naribus; nonnulli etiam vomunt; hi tribus diebus vitam finit.* Et infra, *Si quem sphacelus corripit, dolor anticam potissimùm capitis partem occupat, intumescit, liuescit, cum febre & crebro rigore. Hunc secare oportet, neque abradendo quiescere, donec ventum sit ad diploidem.*

probl. 11. part. 1.

ALII QVIDEM, TRIBVS; ALII VERO, SEPTEM DIEBVS VITAM FINIVNT.] Pro varia syderatæ partis condicione & situ. Nam syderato bregmate, & in puero, citior mors venit, quàm in occipite & adulteriore.

QVIBVS ELAPSIS, PERICVLO DEFVNGVNTVR.] Ac si diceret; si causam melasmi fortis natura expulerit, aut medicus multùm celer atque fidelis terebrando exhauserit, partique afflictæ neoterismum induxerit; restituentur.

SIN AVTEM ANATOME FACTA.] Per decussatam carnis sectionem, & pericranij à caluaria metuentem inflammari, auulsionem.

OS DISSOCIATVM APPAREAT.] Tactu & aspectu, & modiolo religiosè & prudenter circumacto, vt colore, charactere, & mole sit omnino à se mutatum, & à naturali connexione & situ amotum.

MORIVNTVR.] Quoniam signum est perfectæ νεκρώσεως, & quòd omne viuens consortis mortui impatiens esse solet.

12 Τοῖσι κεφαλαλγικοῖσιν, ὀστέα ῥαγεῖσιν ἐκ τῶν ὄπισθεν, ῥύσις ἐκ μυκτῆρος λαῦρος, παχεῖα, κακὸν· ὀφθαλμὸν προαλγήσαντες ἔτι, ῥιγέουσι. ἦρα αἱ κατὰ κρόταφον διαρραγαὶ, σπασμώδεες;

Cephalalgicis ex caluariæ postica fractura, si craßior è nare sanguis riuulosè prorumpat; graue malum denunciat. Atque cùm priùs oculo perdoluerint, rigent. An verò etiam quæ cadunt in tempora ossium effracturæ sunt conuulsifica?

HACTENVS de syderatione cerebri quæ τῶ τὸν σφάκελον vsurpatur, quæque intra tertium diem in quibusdam, in aliis verò decisionem habet intra septimum, interitus aut salutis: ac salutis quidem, si naturæ virtus exoluat se causa syderante per erysipelas faciei; aut si medicus ægri diligens & studiosus modiolo eximat tantum ossis caluariæ, quantum modiolus ipse suo circumactu complectitur, indéque saniem virulentam exhauriens parti σφακελίζειν incipienti, sed quæ σφακελισμὸν nondum contraxit, neoterismum inducat. Sequitur vt de fracturis caluariæ hoc loco dicendum sit, vt disputationi institutæ colophonem pulcherrimum imponamus. Disputatio quidem instituta fuit de symptomatis omnibus quæ capitis repleti & cerebri consectaria esse solent. Ea sunt, vti iam diximus, vel cephalalgica, vel cataphorica, vel catarrhoica. Ac singulorum decisiones sunt explicatæ, eorum scilicet quæ veniunt ἀπὸ τῶν ἐνόντων, i. *ab internalibus quæ intra sunt.* Superest igitur vt idem faciamus in iis quæ incidunt ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, i. *ab externis*, cuiusmodi sunt ea quæ capitis τραύματα nominantur. De quibus Hippocrates librum conscripsit, quo nihil diuinius inter medicorum & philosophorum scripta reperiri posse arbitror.

Ergo. CEPHALALGICIS EX CALVARIÆ POSTICÆ FRACTVRA.] i. Quibus lapsu, vel casu, vel ictu teli obtusi, grauis, & duri, validis contorti viribus, fissa est capitis proiectura postica, quam verticem vocat Hippocrates; aut si nulla sit proiectura postica, quibus occipitis fissura grauiter dolet caput. Fissuram autem dixi, non ἕδραν: quoniam hæc dicitur ῥωγμὴ, in qua longiùs excurrit linea quàm vbi telum insederit, quæque semper coniunctam habet τὴν φλάσιν, i. *collisionem.* Nam quicquid

finditur, idem vt collidatur necesse est; nec tamen hæc retro commeant. Potest etiam hoc loco intelligi effractura quam veteres nominarunt τὴν εἴσω ἐσφλασιν, quæ suo ambitu continet omnes differentias fracturarum, quæ sunt ἡ ἕδρη, ἡ ῥωγμὴ, καὶ εἴσω ἐσφλᾶσις. i. *teli sedes siue incisio, collisio, fissura, & effractura*, in qua percussum os labat vel intrò effringitur. Earum differentiarum descriptio in specie & idea cuiusque, accuratè scripta legitur in prædicto lib. περὶ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τρωμάτων. Hîc autem vis magna posticæ proiecturæ illata ostenditur, quòd & percussa findatur, & collisione summa sanguis exprimatur ad nares: sed hæc dicentur paulò pòst.

SI CRASSIORE E NARE SANGVIS RIVVLOSE PRORVMPAT.] Ac si diceret: si non solùm os percussum findatur, quod ægrè fit, quia crassissimum est, multáque carne contectum, propereáque omnium facillimè ictibus ac telis quibusque resistit, sed si tanta, inquam, ictus ac teli vis fuerit, vt summa collisione sanguis exprimatur ad nares è venis & arteriis quæ coeunt in vas insigne quod vsque ad nares excurrit. Quæ causa est cur ipsa frons inter caluariæ partes sola, & situ, & vasorum productione contineri dicatur; propereáque sola omnium, si percutiatur, inflammationi exposita: quoniam omnis percussæ caluariæ inflammatio superuenit, quando pars quæ continet, exonerat se in eam quæ continetur.

GRAVE MALVM DENVNCIAT ATQVE FACIT.] Denunciat quidem, quoniam vis teli & ictus illata, non minùs ossi crassissimo calamitosa est, quàm mitior ictus temporibus atque fronti. Huc accedit quod sanguis niger proruptus, & sphacelismi metum adfert, & cerebro crudorem & viuacitatis extinctionem inducit. Quod Halicarnasseo cuidam homini quinquagenario contigisse legimus, cui cùm ad cephalalgiam & otalgiam liberaliter sanguis detractus fuisset, vacuitate sanguinis læsum est carefrigetarum; indéque, cum delirio, mortis consecutionem habuit.

ATQVE CVM PRIVS OCVLI PERDOLVERINT.] Propagatione inflammationis duræ meningis ad oculos, quibus in oris ipsa finitur.

RIGENT.] Concepta rigoris causa, vel in parte quæ riget, vel in quam est recursus; in occipite scilicet vnde primùm manauit, indéque in spinali medulla: quod signum est μεγάλου morbi, & sphacelismi; qui denunciatur διὰ τῆς κατόδου εἰς τὰ σπονδύλια.

AN VERO ETIAM QVÆ CADVNT IN TEMPORA OSSIVM QVASSATIONES, SVNT CONVVLSIFICÆ?] Exoritur hîc alia quæstio de fractura caluariæ, vtrum quassata temporum ossa conuulsionem adferant; sicut ingens fissura & effractura occipitis, hæmorrhagiam. De qua quid statuam, sustineto, donec habeas capite ei rei consecrato, sub finem istius libri.

DE AVRIVM AFFECTIBVS.

CAP. III.

ΩΤΟΣ πόνος συντόνος μετὰ πυρετοῦ ὀξέος, καὶ ἄλλου τοῦ σημείου τῶν ὑποδυσκόλων, τοὺς μὲν νέους ἑβδομαίους κτείνει, καὶ συντομώτερον, παραφρονήσαντας, μὴ ῥυέντος πολλοῦ πύου ἐκ τοῦ ὠτὸς, ἢ ἐκ ῥινῶν αἵματος, μηδὲ ἄλλου τοῦ σημείου χρηστοῦ γενομένου· τοὺς δὲ πρεσβυτέρους βραδύτερον, καὶ ἧσσον διαφθείρει· τά τε γὰρ ὦτα φθάνει ἐκπυέειν, καὶ παραφρονέουσιν ἧσσον. ὑποστρέφουσι δὲ τὸ πολλοὶ τουτέων, καὶ ἀπόλλυνται οὕτως.

Aurium dolor intensus cum febre acuta, cumque sinistro quopiam signo; iuuenes quidem, septimo die aut etiam celeriùs, nec sua mentis, interimit, si quidem nec liberale sit expuratum ex aure, neque ex naribus hæmorrhagia; nec vero salutare aliud adfuerit signum: seniores autem & seriùs & rariùs tollit. Nam suppuratum præuertit, nec ita delirant. Sed tamen plerisque horum morbus reuertit, atque sic moriuntur.

A CAPITE & cerebro transitus est per progressum vel transitum ad aures, quæ grauibus admodum morbis obnoxiæ sunt: neque profectò alius vel importunior, vel acutior morbus est, quam is qui symptomata exhibet, tum epigenomena, tum epiphænomena aurium inflammatione obscissarum. Sanè aurium inflammationes atque dolores eiusmodi sæpe sunt, vt ad dementiam mortemque præcipitent.

pitent. Atque in auribus quàm in oculis aliquanto majus periculum est, quòd oculorum vitia intra ipsos noceant; aurium verò inflammationes facilem habent cum cerebro sympathiam, facilémque recursum. Quò magis inter initia protinus succurrendum majori periculo locus sit.

Ergo. AVRIVM.] Scilicet interiorum, non exteriorum quæ nominantur auriculæ, quia iure nullo societatis cum cerebro sympathiam habere possunt, quemadmodum audiendi meatus in cauitate ossium temporalium anfractuosa quæ ad cerebri amplitudinem excurrit, membranamque accepit acerrimi sensus, & neruum ad audiendi vim accipit quintæ conjugationis. Atque in eo sinu vernaculus quidam aër ambienti consocialis, triáque item ossicula, malleoli & incudis, stapedisque similia continentur.

15 DOLOR INTENSVS.] In quo acerbitatis & molestiæ summa sunt omnia, cuiusmodi esse solet inflammatorius in parte sensus exactissimi; vnde materia effera, tanquam in ergastulo conclusa, nequiuit exire nec exudare, proptereáque perennis syntimoris est morbi & causæ morbificæ. Atque eum dolorem meliùs idem præceptor nominat ἰσχυρὸν ὀξύν in prognostico.

CVM FEBRE ACVTA.] Doloris ipsius & inflammationis consectaria. Est enim aurium inflammatarum tanta vis dolorifica, vt febrem habeat symptomaticam; more magnorum morborum, maximè verò eorum qui inter ipsos eximij sunt. In prognostico eam febrem acutam propriis notis expressit, cùm ait, σὺν πυρετῷ ξυνεχεῖ τε καὶ ἰσχυρῷ, i. *cum febre & continua & vehemente.* Est enim febris acuta quæ celeriter, continenter, & vehementer mouetur; vt febris hæc primigenia videri possit, quæ per propagationem causæ morbificæ, aures alliciat. Sed nihil est ἀκμαῖον. i. *intensum*, quod ad-

20 junctum non habeat τὸ συνεχὲς, i. *continuum*. Atqui partium & humorum affectiones quæ cæteras in contagionem adducere possunt, τὸ συνεχὲς nunquam faciunt, i. contagiosi vitij assiduitatem.

CVMQVE SINISTRO QVOPIAM SIGNO.] Quoniam hic locus est fallax ad præsensionem certò instituendam, attendendum præcipit ad alia quoque signa quæ statim initio morbi apparent: sed παντοῖα nominauit ἐπισήμαντα quæ veriùs dicuntur σημεῖα θανατώδεα. Sunt autem in primis cephalalgia, dementia, & vrina praua tum alba, tum prærubra.

ad comment. prorrh. l. 1.

IVVENES QVIDEM, SEPTIMO DIE.] Iuuenes quidem, quòd temperamento & complexione sint biliosi. Est enim iuuenibus τὸ χολῶδες καὶ θερμὸν τὸ κρᾶμα, i. *biliosum & calidum temperamentum*, proptereáque inflammationibus mirum in modum exercentur. Septimo autem die, quemadmodum cephalalgici ex dolore intenso. Nam peracuti morbi intra septimum diem decisionem faciunt interitus aut salutis.

30 AVT ETIAM CELERIVS.] Idem quoque scripsit in prognostico, & lib. 6. τῶν ἐπιδημ. Δι' ὤτων καὶ ἐξ ὤτων, οἱ πολλοὶ θνήσκουσι τριταῖοι, i. *Per aures & ab auribus plerique tertio die moriuntur.* Quem locum enarrans Galenus sic ait: *Sæpenumero grauis morbus aures corripuit, qui serpendo, serie quadam, propter continuitatem, prorepsit ad cerebrum, mortisque causa fuit. Sæpe etiam contigit vt cùm magna materiæ copia cerebrum obsideret, eam natura amandarit ad aures, ægrotantique perniciem attulerit.*

NEC SVÆ MENTIS INTERIMIT.] Doloris acerbitate, cerebri ardore conflagrantis exolutione. Tales autem è potestate mentis exeunt, concepta in cerebro phrenitidis causa, quæ facilem habet mutationem in atram bilem, facilemque adfert cerebro alienationem ex alteratione prægrandi.

SIQVIDEM NEC LIBERALE SIT EXPVRATVM.] Hæc salutaris & propria crisis est om-

40 nium phlegmonatum, non expectanda tamen, vt expetenda, in capite aut visceribus. Nam suppurabilis materia & inflammatio, priusquam suppuratum concipiat, multos ad exitium præcipitat. Ac suppurato quidem & expurato aurium dolor exoluitur, si febris quieuerit fortè primigenia, cum salutari signo vrinæ.

NEQVE EX NARIBVS HÆMORRHAGIA.] Quæ phlegmonatum initiis facit vt non solùm periculo, sed etiam morbo defungantur ægroti, præcepta inflammationis & febris materia & occasione. Sic hypochondriaca inflammatio, sic etiam cephalica, non solùm inchoata, sed etiam perfecta quiescit.

NEC VERO SALVTARE ALIVD PRÆSTO FVERIT SIGNVM.] Cujusmodi esse solet πέψις materiæ inflammatoriæ, doloris remissio, somnus delirium sedans, febris vacuitas, aluus

50 rupta biliosis humoribus.

SENIORES AVTEM.] i. Homines constantis ætatis, & senes crudos.

SENIVS ET RARIVS TOLLIT.] Nam suppuratum præuertit, nec ita delirant, cùm æquè calido non sint temperamento gradum coctionis superante.

SED TAMEN PLERISQVE HORVM MORBVS REVERTIT.] Non sic defunguntur priore morbo, vt non iteratò recrudescat, ob pepasmi & excretionis inchoatum, non autem perfectum motum.

ATQVE SIC MORIVNTVR.] Ferendo posteriori morbo impares viribus, quas prior infregit.

2 Κώφωσις ἐν ὀξέσι καὶ ταραχώδεσι παρακολουθοῦσα, κακὸν· κακὸν δὲ καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσι. ἄγει δὲ τουτέοισι καὶ ἐς ἰσχία πόνους.

Surditas morbi acuti turbulentique succedanea, graue est malum: graue est item surditas diuturni. Quinetiam his dolores profert ad coxas.

SEQVITVR vt patefacto doloris inflammatorij periculo & crisi, prout cuiusque laborantis comparata est natura vniuersalis & particularis; sequitur, inquam, vt de ipsis aurium morbis, quatenus in vitio sunt functione propria, hoc loco dicendum sit. Præcipuum autem symptoma cernitur in surditate: sicut oculorum in cæcitate. Est autem surditas, perfecta offensio auditus: quemadmodum cæcitas ipsa visus. Ac secundùm cæcitatem misera est conditio surditatis, auriumque quæ obsurduerunt: quoniam earum vsum proximum à luminibus nobis natura dedit. Sed tamen surditate non vsque adeo exterreri debemus, nec symptomate, nec signo, donec perspecta fuerit eius causa, firmiterne fixa, & vbi; an verò leuiter pressa ad exigui prædicationem temporis atque fugax. Enimuero firmiter fixa in facultate audiendi cum febre acuta, metu nos terret, tanquam fatalis ad interitum. Stabilis autem in vitio instrumenti, & febris expers, nihil terrificum præ se fert: miserationem tantùm mouet amicis. At verò surditas leuiter pressa & fugax in morbis acutis, eum sanè habet euentum sinistri aut secundi iudicij, quem ipsa translatio vel propagatio, quo iure quáque iniuria, quóve iam loco denunciat; & succedanea illius symptomata, vt sunt parotides, hæmorrhagia, alui profluuium, & coxæ abscessus. Est enim talis surditas in quibusdam critica; in aliis symptomatica.

His ita constitutis. SVRDITAS.] i. Auditus interceptio, quæ fit impedito prohibitóque appulsu τῶν ἀκουστῶν, i. audiendorum; vel τῦ ἀκουστικοῦ, i. auditorij effœta virtute.

SVCCEDANEA MORBI ACVTI TVRBVLENTIQVE.] i. Delirij, cuius prænuncia esse solet perturbatio. Ταραχώδεα autem morbum dixit turbulentum, in quo delirium dementiáque splendet. Est igitur hæc surditas morbi acuti turbulentique succedanea; hoc est, delirij atque dementiæ.

GRAVE MALVM.] Non quidem symptomate læsæ actionis vnde malorum accessio sit ac damnis afficiatur ægrotus: sed signo labefactatæ partis illius cerebri vnde vis audiendi manat. Vt enim roboris exolutio est, ita vacatio facultatis. Huiusmodi sunt illa iam explicata: *Quibus morbo iam fractis, videndi vis audiendíve perit mors in propinquo est.* Existunt enim multæ in cerebro mansiones, quarum integritas, variáque vitia, propriis cuiusque neruis, in sensuum instrumentis apparent. Nam surditatis leuiter pressæ atque fugacis in febre, vnde illa veniat, & quorsum appareat, causas aperiet quæ huic citima est prognosis mox enarranda.

77. Coac. lib. 1.

GRAVE EST ITEM SVRDITAS DIVTVRNI.] Pars hæc prægnoseos non legitur in prorrhetico, vbi superior sententia Galeni commentario probatur verissima, & illustratur. Est autem veluti aphorismus quidam & breuiarium excerptum de historia Heropyti Abderitæ quæ narratur 3. ἐπιδ. part. 3. Fuit Heropytus Abderita cephalalgicus ὀρθοστάδην, i. ita vt cephalalgiam haberet susque deque, per aliquot dies. Inde acuta febre correptus decubuit, decimoquarto febris die obsurduit, durauit hæc surditas cum perturbatione atque delirio ad quadragesimum diem, quo sanguis prorupit è naribus, vnde resipuit, factusque è surdo surdaster. Deinceps a quadragesimo ad sexagesimum, crebra fuit hæmorrhagia, sed modica: cuius eo die vacationem habuit. Ac tum acerbissimus dolor coxam dextram exercuit, febris incanduit, nec ita multò pòst inferiorum omnium partium dolores venerunt. Denique ita res erant, vt vicissitudo quædam cerneretur febris cum surditate, & doloris ipsius coxarij. Nam in leuatione febris, incrementum erat doloris coxarij, & contrà, in huius remissione, febris exacerbatio. Atque in illa successione mutua laborum, tandem ad octogesimum ventum est diem, quo quidem omnia concesserunt, nihil tamen ex toto dimisit. Ad postremum, centesimo die omnia quieuerunt, febris & surditas exolutæ fuerunt, prorupta biliosis excrementis liberaliter aluo, editisque pepasmi signis octogesimo. Itáque periculosam putauit surditatem in diuturno morbo, qualem exegit Heropytus ad centesimum diem, qui validarum virium beneficio morbi mortiferi curationem habuit: eáque curatio propemodum miraculo apponi debet.

3 Ἐν πυρετοῖσι, κώφωσις κοιλίην ἐφίστησιν.

In febre, surditas aluum sistit.

EXISTIT altera surditatis causa quæ in meatus auditorij oppilatione consistit: quemadmodum superior in exolutione partis illius cerebri vnde vis audiendi manat, proptereáque vt illa per se insanabilis est, ita morbi acuti turbulentique consectaria desperationem salutis ostendit. Sed oppilationis qua impeditur appulsus τῶν ἀκουστῶν ad partem illam cerebri in cuius virtute vis audiendi posita est, oppilationis, inquam, non vnica consideratio est. Etenim quæ in vetustatem incidit, eius inueteratio curationem vix recipit. Repentina autem, febris quidem expers, locum habet remediis conuenienter præscriptis, si diuturna non fuerit morbificæ causæ generatio, quam multiplex & varia echo multò antè denunciauit; febris verò particeps, bene aut malè, commodo aut incommodo ægri finitur, quatenus critica aut symptomatica est.

Quæ cùm ita sint. IN FEBRE.] Quæ scilicet in contagionem cerebrum ipsum adducit, eóque transitum facit vel progressum febrilis materiæ, vt in Heropyto.

SVRDITAS.] i. Auditus interceptio per impedimentum appulsus τῶν ἀκουστῶν, propter oppilationem meatus, vel auditorij nerui offensionem. Qualis enim est conditio crystallini humoris ad visionem faciendam, talis & intimæ auditorij meatus oræ vbi dilatatum neruum attingit. Ergo surditas vitio instrumenti, non facultatis, qualis descripta est superiore prognosi.

ALVVM

ALVVM SISTIT.] Quoniam perrarò accidit vt simul existat sursum deorsumque humoris concitatio atque commotio, si choleram tantùm exceperis, quæ toto genere symptomatica est, nisi in lipyria febre quam sola exoluit. Talis autem surditas aluum sistit, non ratione sui, sed causæ suppressæ aluum ducentis. Est autem hæc, bilis excursus sursum ad caput: quamuis inducendæ surditati aptior sit frigidus humor per oppilationem meatus, & intimæ oræ stuporem. Sed tamen in febre surditatis causa est nimia biliosi humoris ad aures translati abundantia. Quæ causa est, cur & biliosæ deiectiones abducta surditate subsistant: & contrà, surditas exoluitur aluo prorupta biliosis excrementis. Sic enim Heropito surditas aluum sistit, quem alui profluuium, & dysenteria, surditate & coxario dolore celeriter explicauit. Ac de successione mutua surditatis & alui suppressæ, permulta sunt alibi literis Hippocraticis exarata, & à Galeno commentariis illustrata. aphoris. 28.4. aph. 28. & 60.4.

4 Ὦτα ψυχρὰ, καὶ διαφανέα, καὶ συνεσταλμένα· ὀλέθριον.

Frigidæ aures, pellucidæ, inuersæ; ad vltima iam ventum esse testantur.

CONSENTANEVM est etiam complecti animo quantùm auriculæ sint à se mutatæ in qualitate, & habitu corporis quæque sui. Sunt enim τεκμήρια quibus deducimur ad præsensionem futuri interitus, quando ita constitutæ apparent, vt iam vltimis propinqua esse omnia testentur: non secus atque nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, cutis circa frontem intenta & dura. Quemadmodum igitur vesicæ ἀναισθησία in morbis acutis, vnde vrina supprimitur; quemadmodum etiam τὸ ψῦχος καὶ πελίωμα τῶν ἀκρωτηρίων, i. *partium extimarum liuor & refrigeratio*: sic etiam auriculæ frigidæ, inuersæ, pellucidæ, mortem in propinquo esse denunciant. Quamobrem verò ita sit, paucis aperiam.

AVRICVLÆ.] Sic enim τὸ οὖς distinxit Galenus in aurem interiorem, & exteriorem quam prisci Latini auriculam nominarunt, quæ systasin habet cartilagineam.

FRIGIDÆ.] Quia frigoris capacissimæ; vt corpus cartilagineum pauco sanguine irrigatum, & nulla carne vestitum, facileque ab exhausto laborant vitalis principij vnde frigent, nec incalescunt nectaris viuifici afflatu, quo præter cætera defraudantur.

PELLVCIDÆ. i. Sic albescentes emortuæ, vt marmore albo frigidiores & politiores videantur. Non enim sic pellucidæ sunt vt lumen & lucem transmittant, quemadmodum æther, aër, vitrum.

INVERSÆ. Per quandam conuulsionis speciem, retrum illum versus, vnde seatiendi facultatem accipiunt. Non enim mouentur nisi in iis quibus supra auricularum radices latus prorepit musculus.

MORTIFERÆ.] Quoniam ad vltima ventum esse testantur. Vltima autem dico, consumptionem humidi primigenij in quo est vita, & caloris vitalis, nectarisque viuifici extremam paupertatem, vnde vita reficitur, eiusque dissipatio instauratur.

5 Βόμβος ἐν ὀξέσι, καὶ ἦχος ἐν ὠσὶ θανάσιμον.

Bombus in acutis, & echo in aure; mortiferum.

ACVTORVM morborum omnia tum pathognomonica, tum epigenomena, tum epiphænomena, certis definita distinctaque legibus, quorsum & quemadmodum illa fiant atque appareant, operæprecium est complecti animo ad bene & conuenienter cuique medendum. Sed inter eas leges quæ de morborum natura, deque illorum causis atque symptomatis sanciuntur, nullæ sunt magis medico necessariæ, quàm illæ quæ ex insolentium rerum obseruatione nascuntur. Huiusmodi sunt cœma in acutis, partium extimarum cita in vtrumque mutatio, & sitis huiusmodi; bombus, echo, vrinæ albæ, cæteráque omnia quæ fiunt, quæque apparent contra naturam morbi aut ægri. Quid enim minus est morbi acuti quàm cœma, bombus, & echo? Sunt quidem hæc omnia crudi humoris & spiritus flatulenti ἔκγονα, non autem sanguinis bile perfusi, qui regnare dicitur in febre acuta, proptereáque non sine causa videntur terrifica, sæpe etiam mortifera atque funesta, quatenus longissimè absunt à natura febris acutæ.

Quæ cùm ita sint. BOMBVS.] i. Flatus crassior qui bombilat, more apum, in ora interiore meatus auditorij, & ab ampliore loco repulsam passus, vt ita dicam, in angustiore agitatur, vnde exitum habere non potuit. Quæ causa est cur spiritus ille flatulentus, magno cum murmure interioris oræ meatus auditorij fremat, vbi scilicet dilatatum neruum attingit qui excipit sonorum appulsus, facitque τὸν ἦχον. Hinc aëris vernaculi integritas labefactatur, nec tum est ampliùs ambienti consocialis. Enimuero vernaculus ille aër silenti motu præditus, nunquam fremit, nec tinnit ipse per se, nisi cùm digitus in aurem impingitur, aliudve quippiam meatum oppilat. Ac tum illo fremitu auribus bene esse testatur, & naturâ & valetudinis cura.

Ergo. BOMBVS IN ACVTIS.] Qui non solùm celeriter, contineoter, & vehementer mouentur, sed etiam sunt ἐγχώριοι, indigena vel aduena causa. Nec verò bombus ille excusationem vllam habet perturbationis criticæ ad futuram hæmorrhagiam, vt fere nunquam habet, quemadmodum echo.

ET ECHO IN AVRE.] i. In meatu auditorio elisi flatus sonori sonorum varietate distincti, pro-

flatulenti spiritus crassitudine aut tenuitate, meatus angustia aut libertate, facultatis expultricis contentione aut remissione. Atque inter bombum & echo hoc interest, quòd in bombo solum murmur bombilat in ora interiore meatus auditorij, neque eliditur; in echo autem, spiritus elisio est quæ sonum edit grauem, acutum, mixtum; prout conspiratio est facultatis, flatuum, atque meatuum. Est autem varietas nulla in bombo, nisi κατὰ τὸ ἧττον ἢ μᾶλλον, i. *secundum magis & minus*. Sed tamen echus nomen non rarò τὸ χρηστικῶς vsurpatur, ac fortè sæpius quàm κυρίως. Hîc autem propriè vsurpatum, suspicionem non adfert criticæ perturbationis ad hæmorrhagiam, cuius echo non rarò prænuncia esse solet: vt in illo. *Perculsum caput, aurium echo, hæmorrhagiam cient.* Sed ipsam echo dixit in ore: quoniam flatu sonoro personat auris, qui vel sonum edit sibili, vel crepitus, vel etiam stridoris cuiusdam: quod in bombo fieri nequit ob causas prædictas.

Coac. 8. cap. 1. 1. libr.

MORTIFERVM.] Quoniam neque iudicatorium, neque iudicans, proptereáque non solùm difficilis iudicij, sed etiam mortiferum. Vt enim iudicatoria non iudicantia in excretionibus sunt lethalia, quando excrementa sunt toto genere praua, sic in qualitate corporis & actionibus dyscritis; vel in acrisia susceptis quæ absolutam nobilissimæ partis exolutionem ostendunt, cum ipsius causæ exoluentis perennitate; non solùm in angusto spem esse, verumetiam mortem propè abesse declarant. Talis explicata ratio est surditatis morbi acuti, turbulentique consectariæ.

6 Ἦχοι μετ' ἀμβλυωσμοῦ, καὶ κατὰ ῥῖνας βάρος· παρακρουστικὸν, καὶ αἱμορραγέει.

HVIVS regulæ veritas acquiri non potest, nec propalam explicari.

Meliùs sic.

Ἐν τοῖσι καυσώδεσιν, ἤχων προσγινομένων μετὰ ἀμβλυωσμοῦ, καὶ κατὰ ῥῖνας βάρεος· ἐξίστανται μελαγχολικῶς, μὴ αἱμορραγήσαντες.

In calidis febribus, sonori aurium flatus cum visus hebetudine & narium grauitate, sanguine non prorumpente; è potestate mentis abducunt.

CVIVS rei explicatio in hunc locum transponenda ex commentario ad 137. lib. 1.

7 Οἷσι κώφωσις μετὰ καρηβαρίης, καὶ ὑποχονδρίου ἔντασις, καὶ πρὸς αὐγὰς ἐνοχλεῖν αἱμορροεῖν.

Quibus aures obsurduerunt cum grauitate capitis, hypochondrij tensione, & splendoris offensione; sanguis è nare prorumpit.

EX HAC surditate afflatur veluti quædam aura salutis, quatenus hæmorrhagiam denunciat salutatem. Nam surditas morbi acuti turbulentique consectaria planè δυσοίωνον habetur, nec inde longè abest symptomatica echo, & bombus in morbis acutis. At surditas quæ aluum sistit per febrem, siquidem comitata fuerit signis pepasmi, vel hæmorrhagiam ciet; vel facit vt postliminio aluus feratur subrubris excrementis, & dysentericis, atque ita fœliciter subleuetur saluis & integris ægri rebus. Hîc autem signa ὁμοῦ δύο continentur hæmorrhagiæ iamiam futuræ, cum surditate coniuncta; nempe splendoris offensio, & tensio hypochondrij; quorum illud, causæ coniunctæ; hoc verò, antecedentis certissimum est argumentum: quando scilicet constat transitum fieri sanguinis bile perfusi ad caput, vnde vel hæmorrhagia cietur, vel delirium excitatur. Hoc autem loco sperabilis hæmorrhagiæ, non formidabilis delirij, firmissimum illud est quod initio posui, nempe vrinæ pepasmus, qui vt celeritatem, ita securitatem crisis denunciat.

Itaque. QVIBVS AVRES OBSVRDVERVNT.] Cita surditate quæ aluum sistit, non ratione sui, sed reuocatione bilis aluum ducentis: quoniam perrarò accidit vt concitatio bilis sursum vnà, deorsumque feratur. Itaque sursum translata surditatem inducit per opilationem meatus auditorij, & impedimentum appulsus τῶν ἀκουστῶν ad domicilium τῆς ἀκοῆς.

CVM GRAVITATE CAPITIS.] Vt cephalalgiæ causa in cerebro mansioné habere putetur, quod ipsa grauitate ostenditur, non autem solo dolore & πόνω qui non rarò accidit per sympathiam, grauitas verò nunquam: ex quo efficitur vacuationem inde suscipiendam, vbi grauitatis sensio est atque perceptio: proptereáque hic meliùs τὸ προσφέρειν, & appositè magis ad hæmorrhagiæ præsensionem apposuit

fuit, quàm in prognost. τὸ κεφαλὴν ἀλγέειν. i. *caput dolere*: quæ affectio non minùs sympathica est, quam idiopathica. Declarat illud ipsum quod idem τὸ κεφαλὴν ἀλγέειν, prænuncium esse dixerit vomitionis, vt paulò pòst, hæmorrhagiæ. Atqui nemo dubitat quin cephalalgiæ prænuncia sympathica sit: quemadmodum hæmorrhagiæ idiopathica. Tum enim per hæmorrhagiam indigena cephalalgiæ causa excluditur, vel etiam aduena quæ iam in cerebro stabulatur.

HYPOCHONDRII TENSIONE.] Dextri præsertim, quæ vacationem habeat inflammationis atque doloris. Hæc enim febrium acutarum crisim per hæmorrhagiam ostendit: quemadmodum ipsa tensio dura & dolorifica hæmorrhagiam ciet, indéque quiescit, alioqui mortifera, nisi suppurato & exputato conuenienti funesta vis præueniatur. Nam in particularibus morbis, exempli causa, in suppurato pulmonis non exputato, hypochondrij tensio superueniens, opinionem facit abscessus cruralis.

ET SPLENDORIS OFFENSIONE.] Sic enim τὸ ἐνοχλεῖν περὶ αὐγὰς vertendum putaui, quòd illud eòdem spectare videatur, quò scriptus in prognostico αὐγὰς ὑπὸ μὲν, ἢ μαρμαρυγὰς πρὸ ὀφθαλμῶν αὐτὶ τῶν ὀρτνέων. Sunt enim molestæ illæ quasi quædam ignis scintillæ, aut fulgetræ quædam fugaces quæ ob oculos obuersantur. Quinetiam splendoris appulsum oculi molestè fuerunt prærubri, in lacrymis vltro manantibus, quæ sunt etiam hæmorrhagiæ indices, nisi fortè sint ad interitum fatales. Sed illæ scintillæ signa sunt conspurcati spiritus à sanguine bilioso, qui non antè quiescit quàm ad extimas venarum oras peruenerit, quarum anastom- si, qua data porta, factáque vi via, profunditur.

SANGVIS E NARE PRORVMPIT.] Maximè verò iuuenibus, temperamento, habitu, & vitæ instituto, ac victus ratione biliosis, &c. Vide octauam cap. 1. decisionem, & alias multas.

8 Ἐν ὀξεῖ πυρετῷ ὦτα κωφοῦσθαι, μανικόν.

In acuta febre aures obsurdescere, furiosum.

SVPERSTITIO esset vel ostentatio distinctiones adferre delirij symptomatici, phrenitidis, atque insaniæ. Sunt enim hæc legibus definita atque distincta, quæ si repetenda essent transferendáque in hunc locum, necessariò illud vsurparemus quod alibi scripsit Galenus, ἐπὶ τῶν ὁμοίων ὅμοια λέγειν ἀναγκάζομαι. i. *in similibus similia cogimur dicere.* Constat igitur quòd insania phrenitidis hoc loco succedanea est per ἀν... είας, i. *concessionem* iter bilis flauæ in atram, quod facillimum esse solet, quando bilis flaua exitum non habuit post longum certamen, longamque in cerebro moram, vnde surditas succedanea, quæ antè fuerat hæmorrhagiæ prænuncia. Huius autem prognoseωs ratio & explicatio continetur comment. ad prognosin 137. prioris libri.

9 Οἱ δύσκωφοι ἐν τῷ λαμβάνειν τρομώδεες, γλῶσσαν παραλελυμένοι, νωθροί. κακόν.

Egregiè surdi, capiendo contremiscentes, lingua etiam capti, exoluti: grauissimum habent malum.

QVEMADMODVM surditatis commoda sunt explicata, quando cum signis hæmorrhagiæ coniuncta est, si ipsa hæmorrhagia accesserit quemadmodum etiam eiusdem surditatis incommoda sunt patefacta, si ea sit irritæ hæmorrhagiæ succedanea: sic in hac prognosi catalogus recensetur omnium symptomatum cerebri, quæque proferuntur à cerebro, ab eadem surditatis causa, hoc est à multarum cerebri mansionum exolutione. Est enim surditas cum vrinæ pepasmo, hypochondrij tensione indolente, & splendoris offensione hæmorrhagica. Est item surditas irritæ hæmorrhagiæ, turbulentique somni succedanea, furiosa. At verò prægrandis surditas quæ totum cerebrum ab exolutione in vitio esse testatur, cuiusmodi illa sit & quorsum appareat, declarabit huius prognoseωs decisio his verbis concepta. [prorrh. 7. 3 cap. 2. Coac. 8. 3. c. 2.]

EGREGIE SVRDI.] i. In quibus eximia sunt omnia surditatis, vt ea vix vnquam aut nunquam sanescat: quemadmodum lentiginosi & albescentes dicuntur δυσαλθεῖς, quòd eorum vlcera difficulter & ægrè sanescant, contrà qui corporis habent εὐχυμίαν & εὐσαρκίαν, idest, *succi bonitatem & carnis*, reuera sunt εὐαλθεῖς; non quòd illi faciliùs quàm cæteri saucientur, sed quòd faciliùs curationem recipiant.

CAPIENDO CONTREMISCENTES.] Scilicet manibus ipsis, quarum munus & officium est ἀντιληπτικόν, i. *apprehendi*. Contremiscunt autem, quòd in vitio sint nerui ex propagatione causæ tremotificæ à cerebro in ceruicalem medullam. Est autem effœta vis principij ab exhausto laborantis. Nam solemnis est mutua sympathia & synthimoria principiorum & quæ ab ipsis propagantur. Agnosco autem manuum tremorem alienati cerebri succedaneum, non alterationis phreniticæ consequentis prænuncium, qualem per sarcasmum alibi dixit delirio ipso exolui.

LINGVA ETIAM CAPTI.] Labefactata parte illa cerebri vnde vis loquendi manat, nouemque musculis linguæ defertur & datur per neruos septimæ coniugationis, eáque paralysis homines facit ἀφώνους.

Exolvti.] Qui subinde delabuntur ad pedes, nec potis est ipsos decumbere; exoluta, non oppressa facultate animali cuius imperio regitur ipsum corpus, etiam in decumbendo & dormiendo. Ac talis certè καθρότης est veluti quædam πάρεσις vniuersi corporis, vnde venit commemorata ἐρρίψις quæ cernitur in iacendo, non autem in decumbendo. Est enim decubitus quædam actio, cuius priuatio ἐρρίψις nominatur.

Gravissimvm habent malvm.] Quale dicuntur habere iis quibus in febre, nec sperabili vlla crisi, morbo iam fractis, videndi vis audiendíve petit. Talibus enim mors instat, collapsa parte illa quæ olim, dum esset integra, libertatem spirandi, facultatemque instrumentis mouentibus impertiebat, quæ nunc adimitur non secus atque in apoplexia. Collapsæ autem partis signa in cerebro & à cerebro, ad vltima ventum esse testantur.

10 Προσηκούσης ἀρρωστίης, κώφωσις, καὶ οὖρον ἐξέρυθρον, ἀκατάστατον, ἀναιωρευμένον· παρακρουστικόν.

Ingrauescente morbo, surditas, vrináque prærubra, nunquam residens, cum enæoremate; phrenitica sunt hæc.

Verissimvm illud est, quod sæpe iam posui, theorema catholicum. Si ad præparationem suscipientis causæ, vis aliunde similis magna & ingens ingruerit, prioris mali in peius necessaria mutatio est: Tum illud. Quoties in vitio est pars aliqua nobilis officialis, vel idiota, accessione perenni causæ morbificæ damnis augetur, sæpe etiam labefactatur. Sic æruginosi vomitiones cum surditate & vigiliis coniunctæ, insaniam breui futuram ostendunt. Sic etiam deliria cum exolutione virium firmiter fixa, vel, vt ipse author expressit, παρακρούσιες ἐμπεπηγυῖαι, mortifera. Ne plura consecter quæ sunt innumerabilia.

Ingravescente morbo.] i. Qui vires acquirit eundo, neque mitescit pepasmo, neque vlla excretione quæ faciat vt æger alacriùs morbum ferat, si quidem morbum ex toto non tollit, quod noster præceptor de bono & optimo sudore pronunciauit. Ergo ingrauescente morbo, symptomatum calamitosorum & signorum prauorum accessione & successione, per quæ deducimur ad cognitionem & scientiam inflammationis, venenatæ qualitatis, & symptomaticæ translationis ad partes illas quarum officio vita carere non potest.

Svrditas.] Quæ nascitur obruta bilioso humore parte illa cerebri in qua domicilium est atque mansio τῆς ἀκοῆς.

Vrinaqve prærvbra.] Non quidem multa bile saturata, sed inflammatione fieri multùm rubens. Sunt enim signa, vt Græci vocant, σημεῖα, surditas per translationem biliosi humoris, & tincta bile vrina quæ potiùs expers esse debet biliosæ tincturæ. Est igitur multùm rubens, inflammatione fieri quod in venis & arteriis incendio conflagrauit. Vrina enim humorum qui in iis vasis continentur, quemadmodum complexione & temperamento sint constituti, certissimum est argumentum. Nos autem prærubram vrinam potiùs quàm subrubram, hoc loco, legere & explicare malumus: quoniam subrubra vrina, nec signo, nec causa, in malis ducenda. Quinetiam tales vrinæ secundùm naturam coloratæ, ipsa coloratione sunt salutares: quamvis & tenues & cum diuulsis enæorematis excludantur, vt in Clazomenio annotauit. Quamobrem consideratè οὖρον ἐξέρυθρον, non ὑπέρυθρον legendum duximus & explicandum. (prorrh. 4.1.) (hist 10. 1.Epid.)

Nvnqvam residens.] Sic visum est, τὸ ἀκατάστατον, interpretari. Sunt enim huiusmodi vrinæ iumentorum similes, quæ Græcis οὖρα ὑποζύγια nominantur. Nunquam enim talium vrinarum fæces, vt ita dicam, residunt; quales in vxoribus Philini & Dromeadæ ita describit: *Vrinæ ita crassæ & turbidæ ac si perturbatæ essent, diu depositæ non residunt. Colore & crassitie sunt iumentorum vrinis similes.* Pertinet igitur τὸ ἀκατάστατον ad substantiam vrinæ, quæ nihil aliud est quàm serum quatuor qui in venis & arteriis continentur humorum. Denunciat autem τὸ ἀκατάστατον, summam in iis vasis perturbationem à flatulento spiritu, & insigni ardore febrili.

Cvm enæoremate. Improptiè quidem dixit οὖρα ἀναιωρευμένα, cùm illud ipsum enæorematis nomen vrinæ liquorem non exprimat, sed aliude veniat è partibus quarum coctionem, perustionē, vel colliquamentum denunciat. Sic in Philisco legimus enæorema rotundū, torosum; in aliis biliosum, nubeculosum, conglomeratum, nigrum; in aliis album, æquale, & læue. Nam enæorema pro hypostasi non rarò vsurpatur. Erunt igitur οὖρα ὑφιστάμενα, ἐναιωρευμένα ἀκατάστατα; & contrà, οὖρα καθιστάμενα, αἰωρήματα. (prorrh. 31.1.& aph.70. 4.)

Phrenitica svnt hæc.] Ομογενῆ quidem ab incendio nata, sed non ὁμοειδῆ. Fuit enim Galeni constans illud de vrina iudicium, quòd ea nunquam phrenitidem denunciat, sed ex ea tantùm significatio fiat vt se habent iecur, renes, vesica; quemadmodum etiam valeant vasa ipsa sanguinē continentia, tum autē quàm vegeta sit facultas & potentia per quam humores procreantur & mitificantur. Sed tamē Hippocrates scripsit, vrinas aqueas atque pellucidas, potissimùm ad phrenitidem apparere. Idem præceptor ait perturbatas vrinas iumentorum similes præsentem cephalalgiam, aut mox futuram denunciare. Quinetiam in Larissæa virgine signum posuit παρακρουστικὸν, i. *delirij*, ἐναιώρημα μετέωρον οὐχ ἱδρυμένον, i. *enæorema suspensum, non fixum.* Erit igitur inter Coacas decisiones referendum illud quod legitur in prorrh. Ην ἐναιωρηθῇ τι τῷ οὔρῳ, τῆς κνήμης ἀλγήματος ἀφανισθέντος, παρακρουστικὸν, ἢ, οἷα ἔχει στίγματα, i. *Si quid in vrina pendulum cernitur, vanescente cruris dolore; phreniticum: tum si quid eiusmodi in esbo* (aph.72. 4.)

appa-

appareat. Delirandi autem causa & ratio eadem planè hoc loco statuenda, quæ fuit præscripta in illo. *In cephalalgia æruginosi vomitus cum surditate & vigiliis, insaniam breui denunciant.*

10 Coac. cap. 1. prorrh. 10. s. 1. t.

11 Τὸ ἰκτερῶδαι ἐν τούτοισι κακόν. κακὸν δὲ καὶ ἡ ἐπὶ ἰκτέρῳ μώρωσις. Τούτοις ἀφώνοις αἰσθανομένοις ξυμβαίνει πνίγεσθαι. Τάχα δὲ καὶ κοιλίην ποιεῦσι λῆαι τουτέοισι.

Icterescere in his malum. Malum est etiam ab ictero infatuari. Tales enim voce captos contingit cum integritate sensuum strangulari. Fortasse etiam tadet aluum afflictam sui officij.

ENIMVERO nemini dubium est quin icteri symptomatici calamitas magna sit, & ad mortem sæpe fatalis. *Icterici enim multitias fœdati intereunt*, inquit magnus præceptor. Nec verò ita fœdarentur in critico ictero, cuius materia mitescere solet pepasmo, atque, vt ita dicam, pituitescere. Quinetiam icteri symptomatici diffusio causa est, critici verò, offusio siue exclusio intus foras, vt illius introrsum. Ergo nemini dubium est quin icterescere magnum sit malum in iis quorum symptomata & in cerebro, & a cerebro, actum esse de vita testantur. Sed quid accessione opus est icteri symptomatici, cùm illa prædicta per se ipsa sufficiant ad interitum? Iam verò quorsum illud etiam ab ictero infatuari, cùm fatuitati locus non sit in summa oppressione & ardore cerebri, quem & prægrandis surditas, & phrenitis ipsi denunciat? Hic sanè Galeni opinio est μώρωσιν, ἀντὶ τῆς φρενίτιδος vsurpari: sed neutrum tamen appositè. Non enim alterutrum simul cum phrenitide potest existere, nisi cùm in propinquo mors est. De aphonia autem, siue in vitio sint tantùm respirationis instrumenta, siue vniuersi motus exolutio, tum strangulatio ipsa cum sensuum integritate, postremò alui offensione malè habentis, quæ omnia sunt ἐπιγινόμενα, profectò nullam institutæ prognoseos decisionem adferunt, nisi quatenus illa plurimarum partium atque facultatum læsionem ostendunt, vnde peius est ægro.

12 Ἐπὶ κωφώσει καὶ νωθρίῃ, ἐκ ῥινῶν ἀποστάζειν, ἔχει τι δύσκολον· ἐμετὸς τουτέοισιν ἁρμόσει, καὶ κοιλίης ταραχή.

Si ad surditatem atque torporem substillum accesserit narium; aliquid sinistri præ se fert. Profuerit autem hos vomere, aluóque turbari.

HVIVS prognoseos prior pars veritatis luce omnino clarissima est, nec vllam continet ancipitem iudicandi rationem, si tantùm illam τῆς [illegible] demissionem emendaris, ac pro ea substitueris [illegible], quod dignè & appositè fiet pro eo ac meretur ipsa hypothesis, quæ habet symptomata pathognomonica, epigenomena, & epiphænomena [illegible], planè fatalia ad interitum. Cernuntur autem in surditate, torpore, & crebro delapsu ad pedes, substilloque sanguinis. Pars altera huius prognoseos omnem respuit philosophicam demonstrationem, quia non potis est benignè iis fieri quibus hæc mala contingunt. Nam per tantam infirmitatem saluti esse non potest vlla excretio.

13 Ἐκ κωφώσιος, ἐπιεικέως τὰ παρ' ὦτα, ἄλλως τε κ' ἢν ἀσώδες τι γίνηται· ἀτὰρ καὶ τοῖσι κωματώδεσιν, [καὶ μᾶλλον τουτέοισι] τὰ παρ' ὦτα.

hæc deerant, próque iis malè fuit τὰ [illegible]

Quæ à surditate nascuntur parotides, haud contemnendæ; idque cùm aliàs: tum si fastidij sit quippiam. Quinetiam comatosis maximè super his oriuntur.

SVRDITAS quæ aluum sistit, & coma simplex ab oppressione soporatum, certa sunt τεκμήρια parotidum, non quidem dolore & inflammationis sympathia eximiarum, cuiusmodi esse solent febrium ardentium succedaneæ, sed mediocrium tamen & spectabilium, in quibus cernere est vetus illud. Ne quid nimis. Id enim significat τὸ ἐπιεικέως. Quod autem attinet ad fastidium, causa illius in hunc locum reponenda ex 6. Coac. cap. 2. huius 2. lib.

14 Κώφωσις ἐκ πυρετῶν, ῥύσις τῶν ῥινῶν λύει, καὶ κοιλίης ταραχή.

Surditatem ex febribus natam soluit profluuium sanguinis è naribus, aluique commotio.

QVEMADMODVM in febre surditas aluum sistit: ita surditatem natam à febre exoluit profluuium alui. Sic & hæmorrhagia lib. 4. aphor. Sed satis iam de hac quæstione aut etiam nimium multa prognosibus supra explicatis.

DE PAROTIDIBVS.

Cap. IV.

Τὰ δὲ ὀδυνηρῶς παρ᾽ οὖς ἀνιστάμενα, ὀλέθρια.

1. Quæ verò dolenter ad aurem assurgunt; pestifera.

HACTENVS de surditate, ex cuius perspicientia, causarumque eius, decisiones pulcherrimæ sunt institutæ & explicatæ, quæ mirificos adferunt peritiæ fructus ad bene & conuenienter cuiq; surdo & surdastro medendum. De parotidibus, loco, disputationem instituit, quòd illæ sint auribus ipsis proximæ, atque vt ita dicam citimæ, vndè nomen habent atque quodammodo sibi iure vicinitatis & societatis, idipsum adoptant. Quinetiam in parotide dolorifica periculo locus est: quemadmodum in auris interioris dolore intenso, quem facit inflammatio cum febre acuta.

QVÆ VERO.] Ac si diceret. Patefacta aurium molestia in signis atque symptomatis, sequitur vt eorum qui sub auribus nascuntur & oriuntur tumorum historiam prosequamur. Id enim aperit particula, δὲ, quæ semper instituti sermonis cum superiore connexionem ostendit.

DOLENTER.] Ex qualitate & copia humoris morbifici, & distentione, ac duritate, & renixu partis obsessæ acerrimi sensus, viciniáque cogentis in contagionem & sympathiam afflictionis suæ. Sic enim Galenus parotidum dolorificarũ causas esse dixit τάσιν τῶν σωμάτων καὶ δυσκρασίαν ἰσχυρὰν, ἢ σκληρὰν, i. *partium tensionem & vehementem intemperiem.* Ex quo efficitur vt symptomatis vnius mentio, cæterorum omniũ phlegmones magnæ propriorum complexionem ostendat. Sunt autem rubor, calor, pulsus, repulsus, renixus, dolor; quorum priora duo, sunt alteratæ partis propria; totidem posteriora, immutari habitus, postremum verò ambarum commune.

1. lib. Ep.

AD AVREM ASSVRGVNT] Opportunitate glandulæ quæ iacet ad aures, & riuulorum sanguinis numerosa propagine, vnde partes illæ affluxus & refluxus incommoda facilè experiuntur, per orgasmum, exclusionem siue decubitum, & attractionem; quod omnium etiam glandulosarum commune est, præsertim verò bubonum. Assurgunt autem tumore contra naturam prærubro, & dolorifico, à tensione magna glutinosi humoris firmiter & contumaciter impacti, tum à prægrandi intemperie calida quam secum portauit sanguis bile perfusus, tum per excursum, tum per recursum, ex irrita hæmorrhagia.

PESTIFERÆ.] Primùm quidem parte obsessa, cuius vel vnica consideratio sufficit ad calamitosam vim ipsarum parotidum dolorificarum. Assurgunt enim sursum comprehendendo morbos impares; proptereáque ita sunt pestiferæ, tum etiam doloris acerbitate, humorisque morbifici refluxu, ad cerebrum, & deriuatione ad pulmones: vnde catholici illius theorematis veritas. Τὰ ἐπώδυνα ἀκρίτως ἐξαίφνης ἀφανιζόμενα, πονηρά, i. *Quæ ex mala crisi dolorifica sunt, si repentè flaccescant, mala.* Huc accedit, quòd parotides rubræ & dolorificæ, siue sint expertes, siue participes suppurati, semper periculi locum habent, expertes quidem, nisi liberaliter biliosis excrementis aluus feratur, profluatve vrina, vt in Clazomenio; participes verò, si vniuersitatis excrementa maneant cruda & praua. In vniuersum, tales parotides dici non possunt ἀλέκτωροι, vt Cassius voluit, à fausto salutis omine. Sunt enim abscessus ἐμπίρροποι neque ἀντίρροποι, i. *semifluι, non rependentes.*

commẽt. ad prorr. 68. f. 3. 1.

prorrh. vlt. sect. 3. 1.

2 Τὰ παρ᾽ οὖς, ἐκ τοῦ ἔμπροσθεν ἀλγήματος, ἐρυθήματα ἐν πυρετοῖσι γινόμενα· σημεῖον μὲν ἐρυσιπέλατος ἐπὶ προσώπου ἐσομένου. ἀτὰρ καὶ σπασμοὶ ἐκ τῶν τοιουτέων γίνονται μετ᾽ ἀφωνίης, καὶ ἐκλύσιος.

Parotides rubræ, exacti iam morbi superstites, in febribus ortæ signa sunt erysipelatis in facie nasciturι. Quinetiam ex talibus conuulsiones veniunt cum aphonia & exolutione.

MOR-

MORBORVM naturam & caussas tenere, est hoc sanè aliquid, vel potiùs multum. At successiones morborum, quò se illi vertant, velut è specula, præuidere: profectò est artificis fulgore suo vteutis, artesque infra se positas prægrauantis. Sed admirabile est quantam in medicis admirabilitatem faciat parotidum vera certáque prognosis, qualem hoc loco nobis explicandam proposuit.

PAROTIDES RVBRÆ.] Sic enim vertendum duxi τὰ παρ' ὦτα ἐρυθήματα, i. ad verbum, *sub auribus, vel pone aures suffusi rubores.* Nam τὰ ἐρυθήματα videntur hic dici, οἰδήματα φλεγμονώδη, i. *tumores inflammatorij*; quemadmodum idem vocat faucium inflammationes, τὰ ἐρυθήματα, & 6. [illegible] ἐρυθήματα. Est enim phlegmones pathognomonicū signum, rubor. Atqui phlegmone sub auribus orta, est vera parotis. Ergo parotides rubræ, quæ sunt eiusmodi ab excursu vel recursu, atque, vt ita dicam, eructatione sanguinis quo pars illa obsessa tenetur. Est enim consentaneum vt qualis humor, non refluxus, in parte aliqua stabulatur, talis & color eluceat. lib. 3. prog.

EXACTI IAM MORBI SVPERSTITES.] palam est nomen τοῦ ἀλγήματος pro morbo vsurpari qui caussa est doloris atque molestiæ. Itaque parotides quæ oriuntur ἐκ τῶν ἐπιγενομένων ἀλγημάτων, reuera sunt morbi iam exacti succedaneæ, vel illius morbi superstites, quæ aliunde venerunt, cuiusmodi fuerunt Hermippi Clazomenij, de quibus ita scriptum reliquit. *Assurgentes in febribus cum dolore parotides, vel etiam desinente febre, neque subsidunt, neque suppurant.*

IN FEBRIBVS ORTÆ.] Quales, inquam, fuerunt Clazomenij, cuius historia docemur, parotidas febrium acutarum succedaneas, quamvis & specie ipsa, quòd sint rubræ, & dolorificæ, & suppurati expuratique vacuitate, videantur funestæ: tamen cum signis coniunctas salutaribus, diarrhœa, dysenteria, aut etiam profluuio vrinæ, salutem ægro parere.

SIGNA SVNT ERYSIPELATIS IN FACIEM EXITVRI.] Per expressionem biliosæ materiæ vel biliosi seri è iugularibus arteriis & ceruicalibus venis amplioribus, in angustiores faciei, illinc productas. Sic enim prorepit materia parotidum ad maxillas, malas, & genas; vt facies ipsa nihil aliud sit quam dolorificum tuber. Secus in parotide diffusa & laxa 1. lib. [illegible]. Est autem erysipelas tumor citimus & fugax, dum premitur digitis, cuius molestia maior est in calore, quàm in renixu & pulsu. Caussam habet erysipelas, humoris biliosi orgasmum vel expressionem.

QVIN ETIAM EX TALIBVS CONVVLSIONES VENIVNT.] Ac si diceret. Terrifica est omnis dolorifica & rubra parotis, quæ nisi humoris morbifici suffusione in faciem erysipelatosam, lenitionem habeat, quia sunt acerbiores dolores tumoris crudi atque coacti, quàm latè diffusi aut etiam nisi profluuio alui, proruptáque vrina tollatur, facilè in spasmum transierint translatione symptomatica in cerebrum & neruos spinales.

CVM APHONIA.] Per interceptionem vocalium instrumentorum.

EX EXOLVTIONE.] Sanè quidem aphonia cum exolutione cohæret, iuxta illud: *Firmiter hærens cum exolutione vocis carentia, lethalis.* Sed tamen hic nulla sunt exolutionis argumenta, nisi cùm in propinquo mors est. Etenim conuulsionis & exolutionis nulla simul in nobis mansio esse potest. Ac sanè præstat exolutionem conuulsione tolli, quàm exolutione conuulsionem. prorrh. 4.1.C.14.

3 Τὰ παρ' ὦς ἐπὶ εἰλεῶσι δυσώδεσι, πυρετῷ ὀξεῖ, ὑποχονδρίου μετεώρου, χρονιωτέρως ἀρθεῖσαι κτείνει. male [illegible]

Parotides graueolentis volvuli consectariæ, cum febre acuta, hypochondrij meteorismo diutiùs tumescentes; interimunt.

ALTERVM genus parotidum pestiferarum describitur, quæ non sunt pestiferæ: quemadmodum superiores, conditione partis obsessæ, quæ capax non est humoris morbifici; aut doloris acerbitate, & cerebri sympathia; sed tamen quæ sunt funestæ, quamvis paulatim assurgant, ac diutiùs maneant, ob eam sanè caussam quòd cum symptomatis coniunctæ sint pessimis; vnde significatio fit partium corruptarum, ex eaque corruptione efficitur, vt ipsas partes tædeat sui quamque officij.

Ergo. PAROTIDES.] Alio nomine τὰ ὦτα à Satyris, qui priscorum lingua nominabantur σατύροι, erantque sub auribus tuberosi, vt visum erat pictoribus atque poëtis.

GRAVEOLENTIS VOLVVLI CONSECTARIÆ.] i. Ilei cum stercoris aut chyli vomitione coniuncti, cum ructu, spiratione, crepitu, & perspiratione totius fœtida. Hæc enim symptomata sunt ilei consectaria, quando ad vltimum ventum est. Nam proprium & inseparabile est ilei, nihil deorsum ferri, cum alui torminibus & cardiogmo; quod accidit per ἄνω εἴλησιν, i. *reuolutionem sursum*, vel chyli, vel fæcis aluinæ, ab inflammatione tenuis intestini, aut contumaci oppilatione crassi & glutinosi humoris. Itaque cerebri non leuis offensio esse solet, quando adducitur in sympathiam stomachi grauiter in illa vomitione & singultu vexati, adeo vt non solùm dementiæ, sed etiam conuulsionis consecutio adferatur. Coac. 111. 1 lib.

CVM FEBRE ACVTA, HYPOCHONDRII METEORISMO.] i. Cum prominente hypochondrio, nec ille meteorismus hypochondriacus ab inflatione prominet, vel à scirrho: sed ab inflammatione, sympathica quidem iecoris, idiopathica verò tenuis intestini: ex quo efficitur meteorismum illum borborygmi expertem esse, participem verò torminum acerbissimorum.

DIVTIVS TVMESCANTES.] Quod in aduerbio legitur hic, in prorrh. comparatiuum nomen

est hypochondrio meteoro adiunctum; vt meteorismi, non autem parotidum, diuturnitas repræsentetur. Sed neutrum rectè ad mentem præceptoris. Namque in meteorismo hypochondrij quem facit inflammatio, tum in voluulo fœdi odoris, periculo & citæ morti locus est potius, quàm diuturnitati. Nec verò diutiùs tument parotides cùm cita mors venit, vti venire solet in dolorifico hypochondrij meteorismo, & voluulo fœdi odoris. Non enim fœdi odoris, nec vomitus accessionem habet, nisi cùm in propinquo mors est. Itaque diuturnum illud, silentio prætereundum.

INTERIMVNT.] Non ipsæ quidem solæ, sed vitio partium vnde venerunt, quæ periculum vitare non possunt, nec suppurato, nec aluo prorupta biliosis excrementis: quod ipsum neque voluulo euenire potest, cuius illud proprium est & inseparabile; nihil deorsum ferri.

10

4 Τὰ παρ' ὦς, φαῦλα τοῖσι παραπληκτικοῖσι.

Parotides praua sunt paraplecticis.

PARTIVM QVA sponte nostra mouentur exolutio, parendique adempta potentia, quamvis symptomate ipso sit grauis & permolesta, quod nulla pars ne minima quidem officio vacare possit sine vniuersitatis dispendio, ad cuius conseruationem omnes optima conspiratione atque consensu pro se quæque incumbunt: tamen signo ipso causarum efficientium philosophica distinctio est, maioris mali, atque minoris terrifici, aut securi. Sunt enim læsorum principiorum facultatumque grauiores casus quam propaginum & instrumentorum. Hippocratis seculo extitisse legitur mulier quædam quæ cùm diu multumque tussiculosa fuisset, nec commemorabile quippiam extulisset, exolutionem passa est paraplegicam sinistri cruris, & brachij dextri; cætera bene habuit, omnique alteratione caruit faciei & mentis. Nec verò illa paraplectica exolutio vltra vigesimum diem producta est. Huic sanè cerebrum credibile est in vitio non fuisse. Itaque melius illi fuit, quòd illæso principio in eam paraplegiam incideret, quam suspicor esse natam ex transitu pulmonarij morbi; partim in brachium, intercepta expurgatione, partim in crus sinistrum, non bene suscepto nec bene peracto abscessu crurali, quò ipsa materia cursum inflexerat. Existunt etiam paraplectici, quibus luxatæ sunt κατὰ τὸ πλάγιον, i. in latus vertebræ ceruicales. Nam vertebrarum illarum duo semicirculi constituunt vnum foramen rotundum qua exitum habent nerui ceruicalis medullæ. Quò fit vt vertebræ vnius in alterutram partem luxatio, neruum exeuntem comprimat, vbi loco excidit. eaque compressio viam spiritui intercludit, vnde paraplegia partis illius cui mouendi vis denegatur, vt amplius iussu nostro vel sponte nostra, quod est κατὰ τὴν προαίρεσιν vel προαιρετικῶς, moueri non possit. Malæ sunt quidem illæ paraplegiæ, fateor; sed tamen symptomate ipso potiùs molestæ sunt: at quæ vitio principij veniunt, quibusdam sunt funestæ, quales commemorat Hippocrates historia 3. vniuersali 1. [Greek, illegible] *Hic ineunte hyeme paraplegia orta sunt multis, quorum nonnulli citò moriebantur, quòd esset morbus admodum epidemius:* [Greek, illegible]. Ad quem locum hæc scripsit Galenus. *Consueta tamen paraplegia in resolutionem membri desinit, hominem non interimit. At quæ per id tempus grassabatur, lethalis erat, cerebro tam admodum perfrigerato.* Quæ cùm ita sint, facilis erit demonstratio cur paraplecticis prauæ sint parotides, ex paraplegicarum causarum distinctione. Non enim parotides in paraplegia oriuntur, quin periculo sit locus ex causa ipsius paraplegiæ, & parotidum loco situ.

20

30

40

Ergo PARAPLECTICIS.] i. Alterutro brachio, aut crure alterutro captis, exempli causa: quemadmodum apoplectici toto corpore capiuntur. Qualis enim totius corporis exolutio in apoplexia cernitur; talis & brachij, aut partis alterius, in paraplegia. Sed huius prognoseos paraplegia ab eodem fonte principia causasque ducit vnde apoplexia ipsa, nempe à cerebro multùm refrigerato, vel potiùs a mansione eius aliqua multùm refrigerata, penéque extincta.

PAROTIDES.] Quæ inde veniunt vnde paraplegia ipsa cerebri symptomatica, quarum etiam prænunciæ sunt causarum efficientium notæ, coma & surditas; vnde scilicet eructantur.

PRAVÆ SVNT.] Ne dicam funestæ, vt iudicatoriæ omnes causæ exiguæ, quæ & qualitate mala, & loco, infausti sunt ominis. Ac qualitate quidem, quoniam sunt insuppurabiles; loco autem, quoniam periculo semper locus est in omni abscessu semifluo nec rependente: vt interim taceam afflictionem vicinarum partium nobilissimarum, in sympathiam & contagionem coactarum.

50

male fuit ἐν καρώσει.

5 Τὰ παρ' ὦς (ἐν ὀξέσι) μὴ ἐκπυοῦντα θανάσιμον. κοιλίαι δὲ καὶ τουτέοισι τάχα φέρονται. ἆρά γε τοῖσι τὰ παρ' ὦτα κεφαλαλγικοῖσι; ἆρά τε ἐφιδρῶσι τὰ ἄνω; ἦρά τε καὶ ἐπιρριγέουσι; ἦρά γε αἱ κοιλίαι καταρρήγνυνται; καί τι καὶ κωματώδεες; ἆρα καὶ τὸ ὑδατῶδες οὖρον ἐναιωρεύμενον λευκοῖσι, καὶ τὰ ὑποποίκιλα ἔκλευκα, δυσώδεα;

60

Parotides in acutis suppurati expertes, funesta. Sed forsan his alui ferun-

feruntur. An cephalalgicis assurgunt parωtides? An verò quibus sudatiuncula sursum exudat? Etiamne iis qui perhorrescunt subinde? Quid verò? etiamne cωmatosis aluo prorupta? Estne tum aquosa vrina cum enæoremate albo, cætera autem variegata, peralba, & fœdi odoris?

10 FVIT ILLVD studium præceptoris in hac prognωsi, vt crisin parωtidum dolorificarum, omniaque prænuncia ipsarum signa complecteretur; eáque cuiusmodi sint, & quorsum appareant, nobis examinanda proponeret. Sequar igitur illud consilium; parique studio ad examinandum aggrediar, omissa crisi parωtidum rubrarum & dolorificarum quæ cum acutis morbis coniunctæ sunt. Ac primùm scire licet ex consuetudine scriptorum Hippocratis lectum esse ἐν ὀξέσιν, ἀντὶ τῶ, ἐν μακρῇσι. Nam in diuturnis paruæ sunt ipsæ parωtides, quæ vel in iuuenibus non rarò, ἀσήμως καὶ ἀσινῶς, i. *sine signo, & tamen sine noxa* vanescunt, derogantque fidem ei catholico theωremati. *Quæ in iudicato flaccescunt dolorifici tumores, mali.* Nisi quis iure optimo veritatem eius defendat, quod scripserit, τὰ ἐπώδυνα, quod 1. τῶν ἐπιδ. in parωtidibus illis non agnouit, quas nominauit ἀνώδυνα. Sed vt redeam ad institutum, idem præceptor nos docuit eos qui parωtidas habent ex morbo acuto, non nisi per suppuratum & expuratum,
20 periculo posse defungi.

Ergo. PARωTIDES IN ACVTIS.] i. Quæ consectariam febrem habent; vel, quæ sunt exacti iam morbi acuti superstites, rubræ & dolorificæ.

SVPPVRATI EXPERTES.] Quod vnicum naturæ perfugium est in omni phlegmone cum summa doloris acerbitate, atque renixu, ex calido humore multùm impacto, multumque coacto, atque victricis naturæ omnemque recursum & gangrænam prohibentis, omnemq; à cerebro iniuriam propulsantis, certissimum signum est illud suppuratum laudabile, quod suo candore, partis integritatem; læuitate, caloris innati vim: æqualitate verò, materiæ ipsius bonitatem denunciat.

FVNESTÆ.] Ob eas sanè causas quæ suprà sunt expositæ, quas nihil necesse est hic denuo memorare.

30 SED FORSAN HIS ALVI FERVNTVR.] Ac si diceret; cùm in procinctu periculum est, ipsi periculo locum tollit aluus prorupta biliosis excrementis, quemadmodum accidit Clazomenio.

AN CEPHALALGICIS ASSVRGVNT PARωTIDES?] Sanè quidem, vt supra iam docuit: *In cephalalgia cωma & surditas faciunt vt assurgant parωtides.* 4. & 6. cap. 1.

AN VERO QVIBVS SVDATIVNCVLA SVRSVM EXVDAT.] Etiam si ab oppressione cerebri veniat illa ephidrωsis, quæ nunquam naturæ desiderio respondet in excernendo; vnde efficitur vt pro excretione fiat abscessus pone aures: quemadmodum in hæmorrhagia irrita, nec liberali, prognost. 4. Coac.

ETIAMNE IIS QVI PERHORRESCVNT SVBINDE.] Reuera omnis rigor qui frustra fit, translationem facit ad caput.

40 AN FLVENTE ALVO CωMATOSIS?] Maximè, cùm sit argumentum oppressionis summæ, de qua per diarrhœam nihil deducitur: nisi fortè cωma exolutionis soboles extiti, tum enim parωtis nulla assurget.

ESTNE TVM AQVOSA VRINA CVM ENÆOREMATE ALBO, CÆTERA AVTEM VARIEGATA, PERALBA, ET FOEDI ODORIS?] Profectò. Quia vrina alba tincturæ biliosæ expers, si nulla sit excusatio diuturni morbi, perturbationis criticæ, aut etiam bilis suppressæ vel ad intestina deriuatæ: translationem ad cerebrum factam esse, fierive denunciat; præsertim si pendulum sit enæorema, cuius significatio superioribus declarata, cacoethiam fœtori adjunctam ostendit.

50 6 Τὰ παρ' οὖς λαπάσσει βηχία μετὰ πτυαλισμῶν ἰόντα.

Parωtidas æquant tussiculæ cum ptyelismo orsæ.

QVEMADMODVM tumores injudicatò flaccescentes mortiferi: sic salutares illi qui idem faciunt cum signis & causis. Sed illius καταπιλήσεως in parωtide ἀσήμου, non vna eademque ratio est. Nam præter cæteras iam explicatas, ptyelismus proponitur, vnde qui periculo locus erat, tollitur: quemadmodum in faucium inflammatione ἐπικαίρια sunt καὶ ἔσωθεν, sputum purulentum, sternive rubor atque ceruicis; alioqui transitus fit mortiferus atque funestus è faucibus in laryngem, vanescente faucium
60 tumore ἀσήμως καὶ ἀκρίτως.

Ergo. PARωTIDAS ÆQVANT.] Sic enim τὸ λαπάσσειν vertendum, quod propriè significat molem æquari solo, non quidem per inaspectabilem æquabilitatis causam, quæ nulla esse potest ad salutem in parωtide dolorifica, multumque coacta: sed per aspectabilem morbificæ causæ vacuationem, tum propriam, tum succedaneam, cuiusmodi suscipitur suppurato & alui profluuio. Excipio tantum parωtidas doloris expertes 1. lib. τῶν ἐπιδ.

TVSSICVLÆ CVM PTYALISMO RVNTES.] Quas edit concussio pectoris materiam,

studentis excutere quæ per naturalem meatum deerat in amplitudinem oris, eáque per ptyelismum tabi & inflammationi locum tollit; quarum, profectò causa esset, nisi ea liberam expurgationem haberet. Hîc autem studiosi obseruabunt quantum intersit inter τὸ λαπάσσειν, καὶ ἀφανίζειν ex aphor. 14. part. 4. 6. τῶν ἐπιδ. & ex 1. eiusdem operis.

7 Οὖρα τοῖσι παρ' ὦτα ταχὺ, καὶ ἐπ' ὀλίγον πεπαινόμενα· φλαῦρα. καὶ τὸ καταψύχεσθαι ὧδε πονηρόν.

In parotidibus vrina citò & paulisper mitificata, pestifera. Et quæ huiusmodi est refrigeratio, pessima. 10

ADMIRABILE est quantum lucis adferat diuina hæc prognosis ad præsensionem futuri euentus morborum omnium particularium & vniuersalium quorum vis est in vniuersitate. Huiusmodi sunt, febris acuta, cynanche, pleuritis, parotis, &c. Ac ne in cæteris excurrat longius mea oratio, de parotidibus mea sic ratio est, nullas dolorificas parotidas videri posse secundi judicij quæ careant vrinæ pepasmo stabili, omnibusque parotidum diebus inde labentibus, ex quo apparere cœperit, conspicuo, firmiter fixo, & bonitatis accessione in dies magis ac magis laudabili. Etenim cùm parotis homini necando satis sit tum per se ipsa, tum ex euentu; si eius malum iam conceptum malæ causæ accessionem habeat: insanabilis profectò erit: ob eam sanè causam quòd prioris morbi, vel mali, semper in pejus mutatio fit, quando perennitas est tum generationis, tum affluxus materiæ morbificæ ad partem obsessam, quæ omni conditione iam exposita, periculi atque interitus locum habet. Quemadmodum autem in parotidibus vrinæ citò & paulisper mitificatæ sint pestiferæ, agendum videamus. 20

IN PAROTIDIBVS.] Cum febre conjunctis. Nam cætera capitis mala febris expertia, susque déque habent vrinas.

VRINÆ CITO ET PAVLISPER MITIFICATÆ.] i. Modò pepasmi participes, modò expertes, neque hypostasin laudabilem ostentantes exactum ad morbum: cuiusmodi sunt quæ cernuntur aliquando puræ, nonnunquam verò præditæ hypostasi alba & læui.

PESTIFERÆ.] Quia vicissitudo est magisterij inter naturam & morbum, qui vt vires acquirit 30 eundo: sic naturæ fatiscentis præsidia labefactat, iisque collapsis nulla amplius pepasmi signa eduntur,
„ sed cruditatis & prauitatis: ac tum de morbo multùm vereri oportet superata natura. Itaque tales
„ vrinæ pestiferæ sunt in parotidibus etiam purulentis; quod accidisse legimus pictoris ancillæ; quia
„ particularis coctio frustra suscipitur in cruditate vniuersalium excrementorum.

ET QVÆ HVIVSMODI EST REFRIGERATIO, PESSIMA.] *Extimarum partium cita in vtrumque mutatio, & situ huiusmodi, mala est.*

malè fuit χωλύειν.

8 Τὰ παρ' οὖς ἐν τοῖσιν (ὀξέσιν) ἐπυσάμενα, μὴ λευκῷ σφόδρα, καὶ ἀνόδμῳ· κτείνει· καὶ μάλιστα γυναῖκας. 40

Parotides in acutis purulenta, nec albo exactè ac nihil olente, interimunt; potissimùm verò mulieres.

ERIT PROFECTO catholicum hoc theorema; quòd vnde salus vitæ sperabilis, inde salutis desperatio esse debet, si id merito naturæ non fiat. Quod cùm in omni alio molimine locum habet; tum verò maximè in suppurato & expurato, quod quidem si in contrarium vergat naturæ, caloris natiui, materiæque habilis ad mitificandum; vt pro albissimo pure, fuscum aut nigrum; pro æquali, diuulsum; pro læui, asperum, rupta vomica fundatur; mali sit ominis, atque, vt ita dicam, fatale ad interitum. Quoniam autem parotidum rubrarum & dolorificarum omnis quæ lege critica suscipitur exolutio, suppurato perficitur, nisi profluuium ventris habeat succenturiatum, vel ptyelismum; vt erit suppuratum, colore, substantia, situ, odore; sic bonis aut malis ægroti rebus è vomica effundetur. 50

Ergo. PAROTIDES.] Quæ cum doloris acerbitate sub auribus ortæ sunt.

in coac. 2. libr.

IN ACVTIS.] Nam in diuturnis paruæ sunt, nec suppurabiles; vt appositè magis & consideratè legendum videatur, *in acutis*, quàm, *in diuturnis*. Sunt autem parotides in acutis, quarum decisionem continet citima huic prognosis.

PVRVLENTO.] Mutatione facta phlegmones in vomicam quæ pus effundit.

NEC ALBO EXACTE.] Scilicet pure, quod exacto candore, partis obsessæ integritatem significet 60 cum pari virtute caloris natiui, & benignitate humoris pepasmum recipientis: sed contrà, quæ pus reddunt ἀμοργώδες, i. *amurcosum*, biliosum, & inæquale.

AC NIHIL OLENTE.] Quod in prognostico requirit, ὡς ἥκιστα δυσῶδες, i. *quàm minimùm fœdi odoris*. Nam δυσωδία nimia, signum est putredinis, non pepasmi. Hîc autem vocat summo iure ἄοδμον,

non

non quòd omnino nihil oleat, sed quòd non sit graueolens: sicut mulieres bene olent, quæ nihil olent.

INTERIMVNT.] Quoniam δυσοδία, corruptionis atque putredinis signum, ipsáque putredo non minùs pestifera est cerebro, quam inflammatorius dolor, dum phlegmone ipsa maneret atque vigeret, si iis comitata symptomatis longè grauissimis. Talis prauitas cernitur in thoracis empyemate, vnde per vstionem pus exit fœtidum atque cœnosum. Talis etiam in iecoris suppurato & exputrato quod refert amurcam. Pertinet etiam ad huius loci explicationem, quod idem scripsit de pestiferis erysipelatis. Ἦν δὲ τὸ ῥεῦμα συνεστηκός, οὐ πύῳ ἴκελον, ἀλλὰ σηπεδών τις ἄλλη, i. *Erat autem consistens fluxio, non puri similis, sed alia quadam putredo.* Nam ex communi putredinis causa, quæ putrescunt, singula suam quæque propriam obtinent corruptionis & putredinis differentiam. Ergo illud demum pus erit laudabile & gratiosum, quod visu & olfactu percipitur album, æquale, & læue, minimumque fœdi odoris. Sic enim examinandum præcepit Hippocrates ad finem 1 libr. prognost. Subiungit autem hæc verba: Τὸ δὲ ἐναντίον τούτου κάκιστον: cuius demonstratio facilis erit ex perspicientia causarum optimi puris. Contraria enim contrariorum consequentia esse solent.

aph. 44. & 45. li. 7.

9 Τὰ παρ' οὖς, μάλιστα ἐκ τῶν ὀξέων ἐν τοῖσι καυσώδεσι γίνεται· κ' ἢν μὲν κρίσιν ποιήσῃ, καὶ ἐκπεπαίνηται, ἢ ἐκ ῥινῶν αἷμα ῥυῇ, ἢ οὖρα ὑπόστασιν παχεῖαν λάβῃ· ἀπόλλυνται. καὶ πολλὰ δὲ τῶν τοιουτέων οἰδημάτων προκαθίσταται.

male fuit pro.

Inter acutos, parotides potissimùm in causis assurgunt; ac tum si febrem lege critica non expellant, nec ipsæ coquantur, nec sanguis fundatur è naribus, nec verò vrina excipiant crassam hypostasin; moriuntur. Sed abscessus eiusmodi, non rarò antè residunt.

OMNIS parotidum dolorificarum decisio hic continetur.

INTER ACVTOS MORBOS.] Essentiales scilicet febres, quæ celeriter, continenter, & vehementer mouentur.

PAROTIDES.] Rubræ & dolorificæ.

POTISSIMVM IN CAVSIS ASSVRGVNT.] Per excursum ad caput, & recursum ad aures, quem facit irrita hæmorrhagia, quæ propria est causi crisis. Hoc autem interest inter febrem acutam & causum, quòd febris hæc, celeritate, vehementia, & assiduitate eximia sit; ac præter acutam, ardorem habeat inæqualem viscerum, & partium extimarum. Inde adeo veritas elucescit illius aphorismi. *Qui sunt in febribus laboriosi, iis potissimùm vel in articulis, vel in maxillis abscessus assurgunt.* Laboriosos autem vocat, vel à labore intenso & pertinaci, vnde veniunt febres ardentes; vel à quiete, ocio, cum nimia humoris abundantia, & contumacia, vnde nascuntur febres diuturnæ.

4 de diæt. acut.

AC TVM SI CRISIN NON ADFERANT.] Vt certè adferre non possunt: quia sunt abscessus οὐ κρίσιμοι neque ἀντίῤῥοποι. Solum enim critica lege assurgunt per transitum pulmonicorum morborum, siquidem purulentæ reddantur.

aph. 45. 4.

NEC IPSÆ EXACTE COQVANTVR.] Ac si diceret; quamuis parotides cum signis pepasmi ortæ sint à febre ardente quæ inter acutas eximia est: tamen nisi propria & exacta concoctione exoluantur; & in se ipsæ residant.

2. progn.

NEC SANGVIS FVNDATVR E NARIBVS.] i. Nisi hæmorrhagia liberalis periculi causam & occasionem tollat, vbi periculo locus est, ob causas iam explicatas.

NEC VERO VRINÆ EXCIPIANT CRASSAM HYPOSTASIN.] Quæ in desiderio suppurati & hæmorrhagiæ, duorum naturæ perfugiorum, in parotidibus dolorificis succenturiantur, vt aluus prorupta criticè, & ptyelismus.

MORIVNTVR.] Acerbitate doloris, & cerebri in sympathiam & contagionem adducti grauissima offensione.

SED EIVSMODI ABSCESSVVM PLVRIMI ANTE RESIDVNT.] Ἄσημοι scilicet & ἄκριτοι, vnde pestifera vis maxima esse solet, per theorema sæpius iteratum. Hoc autem spectat authoris oratio cùm parotides febrium ardentium consectariæ & succedaneæ, sint ἐν τοῖς οὐ συμφέρουσι, id est, *ex iis quæ absunt*, pestiferæ; tum verò funestæ, si omnem salutis conditionem effugiant foris intrò refluxu.

10 Προσεπιθεωρέειν δὲ καὶ τοὺς πυρετοὺς, ἢν τε ἐπιτείνωσιν, ἤν τε ἀνιῶσι· καὶ οὕτως ἀποφαίνεσθαι.

Ibi tum febres contemplari oportet, num ingrauescant, an verò mitescant; atque ita pronunciare.

Est hoc theorema experientiæ, quod cum superiori decisione coniunctum, futuri euentus parotidum dolorificarum certam prognosin constituit. Est autem huiusmodi. Si merito naturæ residunt parotides, febris ipsa mitescet atque quiescet; sin minus, ingrauescet: id quod significat, τὸ ἐπὶ τὸ χεῖρον.

Atque ita pronunciare.] i. Certò statuere quid euenturum sit, quod medici officium est nunquam aberrantis à scopo.

DE FACIE.

Cap. V.

ΠΡΟΣΩΠΟΝ ἐκ μετεώρου ταπεινούμενον, καὶ φωνὴ λειοτέρη, καὶ ἀσθενεστέρη γινομένη, καὶ πνεῦμα μανώτερον, καὶ λειότερον· ἄνεσιν ἐς τὴν ἐπιοῦσαν σημαίνει.

1 *Facies è tumescente residens, vox item blandior atque mollior, tum spiritus rarior atque facilior; remissionem postridianam fore denunciant.*

Deinceps operæprecium est cognoscere & intelligere num facies à se mutetur, & vnde mutatio illa veniat in colore, charactere, & mole, tum autem quorsum appareat.

Enimuero ægroti facies, quæ prima omnium venit sub aspectum medici, bene valentium similis esse debet, potissimumque sui. Etenim quò propiùs absunt à peculiari cuiusque natura, qualitas corporis, actiones, & excrementa; eò meliùs ægroti res eunt: quò verò longiùs, eò peius. Quænam autem qualitas corporis vel naturaliter constituta, vel à se mutata ex vitio complexionis & temperamenti, potissimum cernitur in faciei colore, charactere, & mole; primùm de mole prognosin duxit instituendam, cùm ea scilicet tumescit, vel residit in morbo. Ac primùm de ea quæ ex tumescente citò residit, sic orsus est in hac prognosi.

Facies ex tumescente residens.] Quæ nonnihil concessit de statu priore in quo erat cùm ægrotare cœpit, in eoque mansit vsque adhuc, quod morbi est diuturni; vel si eius molis accretio fuit, facies in se ipsa residit, pristinumque recipit characterem, humoris ipsius vnde tumescebat exclusione, vnàque etiam venæ in superciliis oculorum angulis, manibusque, aspectabili pulsu micantes quiescunt, idque secundo die, hoc est, critico. Sic enim alio loco. Ἢν πυρετῷ ἰσχυρῷ, τὰ περὶ τὸ πρόσωπον ἰσχνὰ ἐν ἡμέρῃ κρισίμῳ, τὴν ὑπιοῦσαν λύει. i. *Si decrescente febre, facies extenuetur die critico, sanationem promittit consequente.*

part. 5. lib. 2. Epidem.

Vox item blandior atque mollior.] Quæ fuerat antè rauca & aspera, vel, vt idem loquitur, φωνὴ λεκυθώδης καὶ κατηλοημένη i. *viciata vox & in faucibus elisa*, ob nimiam fuliginis abundantiam, pulmonum & musculorum intercostalium in exsufflatione laborantium oppressionem, tum etiam catarrhi perennem affluxum. Vox igitur antè vitiata, in gutture & faucibus elisa, quæque raucis, vt ita dicam, bombis stridebat; nunc blandior atque mollior, extincto cordis ardore, explicatis pulmonum alis, vocalium instrumentorum libertate restituta.

Spiritus rarior atque facilior.] i. Spiratio libera, facilis, & in mediocritate posita omnium circunstantiarum quæ cernuntur in motu, quiete, explicatione thoracis, & materiæ spirabilis qualitate; eáque mediocritas accepta refertur moderationi vsus in corde, libertati instrumentorum mouentium, deducentium, & excipientium: maximè autem voluntati regulariter se ad illam functionem gerenti. Cæterùm [illegible] scripsit de respiratione rariore quæ fuit antè citatior atque velocior à phlegmone cordis, cuius remissio & moderatio in die secundo ipsam fecit liberiorem & liberaliorem in vsu, voluntate, & instrumentis. Nam rara spiratio præter vsum necessarium, cum instrumentorum libertate, signum est delirationis. Propterea hic rariorem & faciliorem annotauit: quoniam talis respiratio vacationem denunciat phlegmones cordis cum libertate omnium instrumentorum laryngis, pulmonis, atque thoracis.

2 Προσώπου διαφθορὴ θανάσιμον· ἧσσον δὲ εἰ δι᾽ ἀγρυπνίην, ἢ κοιλίης ἐκταραξιν γίνηται καθίσαται δὲ ἐν ἡμέρῃ καὶ νυκτὶ τὸ διὰ ταῦτα διαφθαρέν.

Facies cadauerosa mortifera. Sed ea minùs tamen quæ ob vigilias, aut ventris solutionem eiusmodi est. Atque talis corruptio his de causis orta, vno die finitur.

Facii qualitas aspectabilis & tractabilis naturaliter constituta in colore, charactere & mole, non immeritò secundæ valetudinis opinionem facit. Quæ verò multùm à se mutata cernitur, terrifica esse solet: idque cùm aliàs, tum maximè in morbis acutis quorum acerrima commotio, & citam, & stabilem faciei mutationem adfert, ex causæ ipsius mutantis, & corrumpentis, perennitate. Quæ causa est cur philosophicè ex perspicientia causæ mutantis & corrumpentis, faciei corruptionem nominarit quam ipsi cadauerosam expressimus.

Ergo. FACIES CADAVEROSA] Qualis in cadauere cernitur, pallida atque collapsa, & omnino à se mutata in colore, charactere, & mole; vt ampliùs agnosci non possit, ne ab iis quidem qui ægroto familiariter vtebantur: cuius contrariam alio loco iam exposuimus, quam idem præceptor nominauit πρόσωπον ἐξηνθισμένον, id est, *faciem fucci plenam atque decoram.*

134. coac. 1. lib.

MORTIFERA] Quoniam sic emacruit, vt ad vltima ventum esse testetur. Emacruit autem exhausto humidi primigenij, vnáque etiam defraudata nectare viuifico cordis, id est, spiritu, sanguine, & calore vitali. Exhaustum humidi primigenij, partiúmque solidarum, vt ita dixerim, colliquamentum attulit febris tabifica, cuius ardore partes ipsæ liquantur. Nectaris autem viuifici defraudatio venit à paupertate sanguinis, & cordis multùm in suo officio laborantis infirmitate; ex qua efficitur vt neque sanguinem liberaliter haurire possit, neque spiritum quem ducimus excipere, eadémque duo naturæ nostræ sola σύμπνοα, id est, *conspirantia*, partibus omnibus, vti solebat, liberè & liberaliter impartire. Quoties autem perennis consumptio est partium solidarum, vnáque perennis dissipatio nectaris viuifici paulò antè descripti, morticina est eius natura qui ægrotat. Sed eius morticinæ naturæ significatio potissimùm lucet in facie.

SED EA MINVS TAMEN] Scilicet facies morticini hominis præuuncia est, nec inde tam cita & certa mors venit. Ac si diceret; quamvis omnino fatalis sit ad interitum, minimèque sanabilis morbus in quo talis facies cadauerosa cernitur prima periodo: tamen

SI OB VIGILIAS] i. Vacuitatem somni, non quidem cerebri intemperie, & anathymiaseos prauitate inductam; sed potius agendi aliquid causa, aut mœrore susceptam.

AVT INEDIAM] Vnde genius defraudatur, sytrhoe cordis non instauratur, necnon cerebri; vnde pallida collapsáque apparet facies, qualem notauit in iis qui incœnati dormitum iuere, quibus cauantur oculi cum palpitatione temporum, & partium extimarum refrigeratione. *Nam qualis terra arboribus, talis & venter hominibus.*

lib. 2. acut. lib. περὶ χυμῶν.

AVT VENTRIS SOLVTIONEM] Non quidem per ἐκκρίσεως firmiter fixam ab exolutione, vnde ipsum tædet sui officij, vt in pleuritide inueterata: sed aluo aliquantisper prorupta per fugacem diarrhœam, aut hypercatharsin.

EIVSMODI EST] Scilicet facies cadauerosa, per inchoatam extenuationem à spiritus & humoris dissipatione, non autem à partium solidarum perenni exhausto; nec verò eiusmodi sit ab vlla extrinsecus incidente vacuatione quam liquefaciens febris attulerit: sed ipsa per se extiterit.

ATQVE TALIS CORRVPTIO] Non quidem vera, sed quæ primo acceptu talis apparet, nempe collapsa & pallida; sed laxa, non interta, quod inchoatæ extenuationis signum est, non perfectæ.

HIS DE CAVSIS ORTA] Vigiliis, inedia, profluuio alui, hæmorrhagia, sudore, quarum vacuationum non firmiter fixæ sunt causæ, neque perennes à febre maligna, vnde solidæ partes liquuntur; sed fugaces.

VNO DIE FINITVR] Siue consistit, nec vltrà procedit: sed contrà initium habet ἐπανορθώσεως intra vigintiquatuor horas, si quidem ab illis causis fugacibus orta sit.

3 Γένοιτο δ' ἂν τοιόνδε· ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, ῥὶς ὀξεῖα, κρόταφοι συμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ συνεσταλμένα, δέρμα σκληρόν, χρῶμα ὠχρὸν ἢ μέλαν. πελιαινόμενον δὲ τουτέοισι βλέφαρον, ἢ χεῖλος, ἢ ῥὶς συντόμως θανάσιμον.

Fuerit autem sanè huiusmodi facies cadauerosa; oculi concaui, nares acutæ, collapsa tempora, frigidæ aures atque reuulsæ, cutis dura, color pallidus aut niger. Quòd si etiam liuida his fuerit palpebra, aut nasus, aut labrum: cita inde mors venit.

QVEMADMODVM signorum omnium syllogisticorum ex quibus exquiritur veritas omnis certáque τεκμήρια cognoscendi & prædicendi, nulla sunt magis πιθανὰ, quàm quæ spectantur in faciei colore, charactere, & mole; siquidem rerum earum spectabilium causæ perspectæ sint: ita causarum ignoratione nusquam magis erramus, labimur atque decipimur, quàm in dissimilitudine faciei. Sed ea distinctio iam superiore prognosi exposita est. Nunc cadauerosæ faciei characterem, & quamobrem ita sit, exponamus.

FVERIT SANE HVIVSMODI] In qua nec inediæ, nec vigiliarum, nec profusioris alui, nec aliarum rerum tabificæ febris minimè consectariarum, sed aliunde ortarum atque fugacium, excusatio possit adferri.

Ocvli concavi] Hebescentes, immobiles, & sua orbita abditi; spiritus animalis paupertate, septem musculorum æquali contractione, humorum trium, & quinque tunicarum consumptione.

Nares acvtæ] Exhausto musculorum qui narium pinnas intrò adducunt.

Collapsa tempora] Consumptione musculorum qui temporibus à capite cutim impertiunt, quæ alibi nusquam in capite cernitur.

Frigidæ aures] Quæ frigoris capacissimæ sunt, vt corpus cartilagineum, pauco sanguine irrigatum, nulla carne vestitum.

Revulsæ] Per quandam conuulsionis speciem neruum illum versus vnde sentiendi facultatem accipiunt. Non enim mouentur nostra sponte. Vt vera conuulsio esse non possit, nisi iis quibus latus musculus supra aurium radices prorepit.

Cvtis dura] Quando ad vltima est ventum maciei. Vide Coac.3.lib.1.

Color pallidus aut niger] Certissimum corruptionis argumentum, & defraudatæ partis nectare viuifico.

Palpebrarum autem, narium, labiorum livor, brevi lethalis] Quoniã signa sunt extinctionis caloris viuifici, quæ quidem in corde est ipsa mors. Atqui extinctio in parte vna, ad extinctionem apparet futuram in toto: multò magis si pars illa liuori opportuna non sit: vt hæ profectò non sunt natura sua cutaneæ. Atqui omnium difficillime liuorem palpebræ contrahunt largo spiritu irriguæ: vt sit omnium propterea in illis signum certissimum.

Προσώπου δ' εὔχροια καὶ σκυθρωπότης ἐν ὀξεῖ· κακόν. μετώπου ξυναγωγὴ ἐπὶ τουτέοισι· φρενιτικόν.

Egregiè colorata facies & vultuosa; pestifera. Quòd si præterea frons contrahatur; phreniticum.

Hic certe non minùs sua debet habere bona suspecta qui repentè speciosior & coloratior factus est; quàm mala vereri qui contra consuetudinem multùm emacruit, & colorem decorémque amisit. Quemadmodum autem iam patefacta & explicata est τεκμαρσις quæ dicitur ἐκ τῶν τεκμηρίων spectabilium in colore, charactere, & mole faciei, per corruptionem omnino à se mutatis, quæque ad vltima ventum esse testantur, aut sperabilem adhuc vitæ salutem ostendunt; idque ex perspicientia causarum eam mutationem efficientium, prout scilicet causæ illæ sunt leuiter pressæ atque fugaces, aut firmiter fixæ & stabiles: ita propositum illud est præceptoris in hac prognosi, decisionem facere eorum quæ prima fronte in facie bona esse videntur; solane, vt ita dicam, fronte; an verò reapse ipsi naturæ & ægro studere videantur.

His ita constitutis. Egregie colorata facies] i. Saturato rubore suffusa, nec eo quidem refluo, vt in iis qui verecundia erubescunt; sed fixo & stabili. Sic enim εὔχροιαν τοῦ προσώπου idem significare quod πρόσωπον ἐξέρυθρον Galenus author est in prorrhetico: quamvis gratiosum sit nomen εὐχροίη, & spei plenum, cùm alibi passim, tum verò in historia Claxomenij, in quo solum illud signum salutare notauit, ἦν εὔχρους. Itaque facies egregiè colorata contra naturam & consuetudinem eius in quo talis lucet splendétque, nec tamen hæmorrhagiæ criticæ opinionem facit, sed incendium cerebri apertè testatur, vnde facilis transitus ad melancholicam ecstasin esse solet, cuius in promptu est signum hoc.

14.f.a.1.

Et vvltvosa] Aspectu terribilis, qualem Hippocrates vidit in ea muliere quam vocat δυσαίνην, ex atræ bilis dominatu quæ facilem habuit generationem ex sanguinis æstu quo multùm incanduit; vnde primum facies visa est egregiè colorata. Melancholiæ autem certissimum signum est facies vultuosa. quod in illa muliere tanti fecit Hippocrates, ad melancholiæ, omnísque dementiæ contemplationem, vt cùm diuturni mœroris inueteratio purgationum menstrualium suppressionem excepisset; sola faciei capetratio tantæ calamitatis signum ediderit, accedente paulò pòst vicissitudine garrulitatis & silentij, quam sustulit menstrualis materiæ profluuium, cuius suppressio vrinas faciebat nigras cum securitate coniunctas, de quibus ita philosophatur Galenus. *Vrinarum color, etsi nigrarum, nihil mali portendebat, quòd menstruorum suppressio esset valde melancholicorum: vnde meritò factum est vt vultuosa & horribilis esset, nonnihil delirans, nonnihil etiam comatosa.*

Pestifera] Calamitosa, vel etiam mortifera. Ac calamitosa quidem mulieri Thasiæ, crebra vicissitudine conuulsionis & dementiæ; quam calamitatem sustulit profluuium menstruale. Mortifera verò, mulieri quæ Cyzici gemellas difficulter pepererat, indéque lochiorum excursu sursum ad caput nugas garriuit, siluit, tandémque è potestate mentis exiuit; cùm paulò antè fuisset vultuosa, contumax, atque fastidio & contumacia insolens. Itaque ergo conuulsionibus crebra, cum frigore extimarum partium, phrenitica interiit 14. die.

5 Περὶ πρόσωπον δ' εὔχροια, καὶ ἱδρῶτες ἀπυρέτοισι· κόπρανα παλαιὰ ὑπέοντα (4) σημαίνει, ἢ διαίτης ἀταξίην.

Exi-

Eximia faciei coloratio, & sudores febris expertium, faces vetustas subsistere, aut irregularem diætam testantur.

HACTENVS de signis facieique appareant in morbis acutis. Nunc de coloratione extraordinaria, aut mala consuetudine parta, & quibus artibus deleri possit, prognosin instituit.

EXIMIA FACIEI COLORATIO] Non insita, nec gentilitia, non item festiua, sed fixa & stabilis, quæque perennem habet in naturalis œconomiæ vitio causam.

ET SVDORES Multi à somno, per expressionem ab oppressione quam fecit nimia supervacanei 10 humoris abundantia, quæ vel inueterationem habet, vel recens nata est diætæ vitio, propterea que illa, purgationem, hæc vero, solam mutationem diætæ requirit. Sic enim Galenus. τὸ μὲν γὰρ πλῆθος [illegible] [illegible] ἀμαρτίας· [illegible]. Καὶ [illegible] ἀμαρτίας· [illegible] πολλὰ λαμβάνειν. [illegible]

6 Τὰ κατὰ ῥῖνας ἐρυθήματα κοιλίης ὑγραινομένης σημεῖα· [illegible] κατὰ τὰ ὑποχόνδρια, ἢ αὖ τι πλεύμονα πόνοισιν ἐμπυομένοισι κακόν.

Rubores narium, signa sunt profusioris alui: malum pulmonis aut 20 *iecoris empyemati.*

ΕΡΥΘΗΜΑΤΑ hoc loco dicuntur, non eodem modo quo in illa prognosi, τὰ παρ' ὦτα ἐρυθήματα, vbi tumorem significant rubrum, & phlegmonem ipsam sub auribus ortam quæ parotis nominatur. Hic enim simpliciter pro suffusione rubra vsurpantur, quæ non assurgit in molem tuberculi phlegmonosi, sed potius refert [illegible], i. *suffusionem* quandam erysipelatosam, alibi dictam [illegible]. Nec verò hic narium rubor [illegible], i. *eximiam illam faciei colorationem* exprimit, quàm superiore prognosi explicauimus. Illa enim vetustas fæces manere in aluo, aut irregularem diætam ostendit; hanc verò dicit profusioris alui signum esse. Itaque nullo modo ad commemoratam illam [illegible] potest referri. Erit igitur 30 hic rubor, mea quidem sententia, suffusio quædam erysipelatosa, per seri cuiusdam substillum quod in narium densitate subsistit. Et quoniam nimia illius seri abundantia natat caput, idè his vsuuenit quod balbis quos maximè longa exercent alui profluuia. Scitum est illud. [illegible] μακρή. Nam quoties è capite seri prolapsus excipitur à ventriculo, inde profluuium alui cietur.

MALVM IECORIS AVT PVLMONIS EMPYEMATI] Malum, inquam, rubores illos in facie efflorescere, quibus significatio fit vaporis teterrimi expirantis ex empyemate putido, quod ipsum per se est mortiferum. Vel etiam, malum est ad empyema sese alui profluuium adiungens, aph. 16. 6. Venit autem profluuium alui, vel prolapsu in intestina catarrhi quem expiratio illa commouit, vel rupta intus vomica, viámque inde habente ad aluum: quorum est posterius peius priore. Vide part. 40. s. 2. 6. 40 Epid. ac sustine donec audias explicari Coacam illam. *Peripneumonicus lethale est pus secedere.*

Coac. 1. c. 4. lib. 2.

aph. 32. 6

DE OCVLORVM AFFECTIBVS.

ΟΦΘΑΛΜΩΝ καθαρότης, καὶ τὰ λευκὰ αὐτέων ἐκ μελαίνων, καὶ πελίων, καθαρὰ γίνεσθαι χρήσιμον. ταχέως μὲν οὖν καθαιρόμενον, ταχεῖαν σημαίνει κρίσιν· βραδέως δὲ, βραδυτέραν.

Cap. VII

50

1 *Oculorum nitor, eorúmque alba ex nigris & liuidis nitentia, salutare. Ergo si pura breui redduntur, ea puritas citam crisin ostendit: sin autem seriùs, tardiorem.*

QVEMADMODVM oculi summa cura tuendi sunt, quòd illi ad vitæ simul & vsum & dulcedinem conferunt; ac præter ea quæ cuique animantium generi tributa sunt, præstantior alius in homine sit oculorum finis; naturæ cognitio, Dei comprehensio, ipsaque, penè dixerim, beatitudo: sic eos magna 60 contentione animi, intentáque visionis acie intueri oportet, ad comparandam futurarum criseon præsensionem, eorúmque quæ adsunt, quæque præsentia sunt perceptionem: idque cùm in omnibus morbis, tum maximè in acutis. Solene est illud Hippocratis. Ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὕτω καὶ χρώς. id est, *Vt va-*

6. Epid.

lent oculi, fit ipsa persona. Est enim rationi consentaneum vt si ex colore, charactere, & mole, temperamenti & habitus, humorúmque quorum dominatu pars vnaquæque tenetur, notitia comparatur, firmissimum illud ex oculis adferri possit. qui vt natiua puritate cæteris partibus antecellunt, ac suo nitore facultatum ipsarum virtutem faciunt aspectabilem: ita si à se mutentur, & facultatum quarum potentia totum corpus administratur infirmitatem, & naturalis œconomiæ impuritatem ostendant. Sunt enim gemmarum & margaritarum apertiores maculæ, quàm silicum obscurorum. Et quoniam oculi iure societatis & vicinitatis cerebri arcem contingunt, inde adeò fit vt principiorum τὴν ἰσχὺν in substantia, facultatum verò τὴν δύναμιν in officio, validásque vires declarent; quæ in natiua coloratione, habitu succi pleno, splendore, & facili motu cernuntur. Sin autem concaui, squallentes, malè colorati, & in mouendo pigri appareant, facultatum principia in vitio esse testentur, cerebrum scilicet, 10 cor ipsum, & iecur. Quæ omnia quoniam decisiones proprias sunt habitura, quibus, cuiusmodi sint, & quamobrem fiant atque appareant ratio explicabitur; sufficiet hoc loco propositæ prognoseos causas adferre, quòd ea cæterarum huius argumenti de affectionibus oculorum sit veluti canon & regula.

Quæ cum ita sint. OCVLORVM NITOR] id est, Oculi velut gemmei, puritate humoris crystallini, & aquei siue albuginei; tum etiam tunicarum araneosæ, corneæ, qua pupillam attingit, vueæ, & adnatæ politura: ex quibus efficitur vt rerum aspectabiliũ sint εὐπαράδεκτοι καὶ φύλακες, i. *prompti susceptores & custodes* oculi. Verumenimvero, vt visionis instrumentum est ὕδωρ διαφανὲς, i. *aqua pellucida*, quod facilè excipiendis & fideliter continendis rerum aspectabilium speciebus sit maximè accommodatum: sic proprium & vernaculum oculi lumen τὰ ὁρατὰ sibi συμφυὲς, i. *consociata*, velut portitor quidam, traiicit ab extimo lumine ad intimum animæ per quod visio ipsa perficitur. Quantum igitur ἡ αὐγὴ, i. 20 *radius* puritate superat aërem, vaporem, aquam, & terram: sic visionis instrumentum αὐγοειδὲς, i. *radiosum* cætera vincit αἰσθητήρια; auditus quidem, quod est ἀερῶδες, i. *aërium*; olfactus, ἀτμῶδες, i. *vaporosum*; gustatus, ὑδατῶδες, i. *aquosum*, tactus, γεῶδες, id est, *terrestre*.

Ergo. OCVLORVM NITOR] Qui est huiusmodi puritate humoris & tunicarum pellucidarum, cum politura adnatæ; tum etiam vernaculi luminis, vt ita dicam, fulgore. Atque is nitor cernitur ab iis qui oculos intuentur in pupilla, iride, & tunica alba; eiúsq; nitoris ipse sibi æger est conscius, qui neq; lucis appulsu offenditur, nec muscas venatur, floccos auellit, nec denique visis mendacibus exterretur.

EORVMQVE ALBA] i. Membrana ἐπιπεφυκυῖα, i. *suprema*, ab vltimis pericranij oris cum venulis eius ad iridem vsque producta, vbi efficitur communis tunica oculariun musculorum.

EX NIGRIS ET LIVIDIS NITENTIA] id est, Si oculi decorem amissum recipiant, & si oculo- 30 rum candida, liuore non ita pridem decolorata, tandem albescant, ac denuo naturaliter colorentur; non quidem instauratione complexionis emortuæ, quam νέκρωσιν Greci vocant, liuoris parentem: quia non potis est a priuatione ad habitum denuo comparari: sed amotione sugillationis quam veteres ἐκχύμωσιν nominarunt; cuiusmodi esse solent quæ sub oculis videntur percussionum vestigia, ὑπώπια Græcis dicta, si tantùm procatarcticam sugillati oculi causam exceperis. Cuiusmodi est etiam calcanei fracti mollis adhuc μελασμὸς, id est *nigredo*, inflammationis expers, quem facit venularum ῥῆξιν per sanguinis, ex alto lapsu, expressionem, qui tamen æquali duræ cutis succisione, fotu aquæ, & olei, tum elleborismo gangrænescere prohibetur.

SALVTARE] Id enim significat σωτήριον absolutè vsurpatum. Est autem salutaris natiua oculis restituta coloratio quatenus illa spem adfert secundi iudicij atque salutis: ob eam sanè causam, quòd trium- 40 phantis naturæ lumen, non minùs in oculis declaratur, quàm afflictæ calamitas. Itaq; quemadmodum oculi saturato rubore nigrescunt, vel etiam liuorem contrahũt ab inflammatione quadam cerebri, aut venularum repletione, aut sanguinis ipsius κακοηθείᾳ: quemadmodum item amblyogmo obscurantur per spirituum & splendoris vernaculi impuritatẽ: sic illis calamitatibus defunguntur per ἀφλεγμασίαν, i. *carentiam ardoris*, quam facit materiæ mitificatio victrice natura, & per sinceritatem spirituum humorúmque, quæ intacta superest, caligine omni dispulsa. Commemorata autem vitia oculorum, ὀλέθρια esse non possunt quando existunt; vt esse solent cùm in propinquo est critica hæmorrhagia & vomitio ipsa. Declarat illud quòd impuritatis & obscuritatis amotio salutarem fore crisim ostendit.

1. progn. & 2 de fract. vbi de calce.

Ergo. SI PVRA BREVI REDDVNTVR] Cuius puritatis argumentum est nitor, non ita pridem fœdatus, qui nunc restitutus apparet, facto iam morbo: vnde facultates lucent in officio, ex principio- 50 rum virtute, & meatuum libertate. Desperabilis est autem nitor in parte emortua, vel quæ gangrænam cõcepit. Pertinet autem ad huius prognoseos explicationem, quod idem scripsit de cerebro syderationem ingresso. *Cerebro syderato; alij quidem tertio syderationis die; alij autem septimo vitam finiunt: quibus elapsis periculo defunguntur. Sin anatome facta, os dissociatum cernitur, sine dubio moriuntur.*

Coac. 11. cap. 2. 2.

EA PVRITAS CITAM CRISIN OSTENDIT] Vt enim pepasmi excrementorum morbificorum, celeritatem & securitatem crisis denunciant: ita personæ ipsius qualitates naturaliter constitutæ, vel in toto corpore, vel in quibusdam partibus morbo obsessis, aut per sympathiam malè affectis, cùm restitutæ fuerint, & ad se redierint ex longo aduersæ valetudinis interuallo: quemadmodum in lingua docebitur. Non enim minora sunt argumenta futurarum criseon in qualitate corporis, quàm in pepasmo excrementorum; vt ratio ipsa docet in morbis siccis cùm iam humescere cœperint. Cæterùm nos 60 illud, τάχιον, potiùs ad temporis breuitatem, quàm ad celeritatem actionis referendum putauimus: sicut in illo fecit Galenus. Πτισάναι δὲ καὶ ταχέως παύονται, ἢ σώζονται. Idem enim significat τὸ ταχέως, quod τὸ αὐτίκα, aph. 12. 1.

SIN AVTEM SERIVS, TARDIOREM] Propter contumaciam morbi, & imbecilliorem naturæ virtutem. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Huiusmodi autem sunt illa. *Si futum*

tum citò appareat, morbum facit breuiorem, βραχύνει, sin serius, producit, μηκύνει. Hæc prognosis legitur in libello Hippocratis περὶ κρισίμων. aph.12.l.i

2 Τὸ ἀχλυῶδες τῶν ὀφθαλμῶν ἢ τὸ λευκὸν ἐρυθραινόμενον, ἢ πελιαινόμενον, ἢ φλεβῶν μελάνων πληρούμενον, οὐκ ἀστεῖον.

Oculorum caligatio, albúmve rubens, aut liuens, aut venis obsitum nigris indecorum.

ENIMVERO bene res erit, quando nitent oculi puritate humorum, & proprij atque vernaculi luminis, vt ita dicam, fulgore; aut si antea decolorati obscuratiue fuerint, pristinum decorem recipiunt. Qua de re extat superior decisio explicata. Sed vt natiuus ille, aut restitutus nitor, spem adfert secundi iudicij in morbis acutis: ita visionis obscuritas & caligatio; tum etiam oculorum fœda liuore aut saturato rubore decoloratio firmiter fixa, de vita actum esse testatur, cum aliis signis quæ foris cernuntur, & intus versantur, mox explicandis.

OCVLORVM CALIGATIO] Aspectabilis scilicet medico intuenti, & conscia ipsi ægroto qui sanæ est mentis. Ac medico quidem aspectabilis est in hypochymate, floccorum auulsione, & glaucomate vel amaurosi. Conscia autem ægroto in scotodinia, amblyopia, & cæcitate. Sic enim Galenus τὸ ἀμαυρώδεσθαι ὄμμα, ἢ τὸ ἀχλυῶδες, αὐτῷ τῷ πάσχοντι, ἢ τοῖς ὁρῶσι γίνεται δῆλον. Sed tamē hoc interest, quòd omnes caligantes hebescunt; non autem omnes hebescentes caligant. Nam caliginosis præter hebetudinem, visa occurrunt caligine inuoluta, veluti spectra quædam. Atque ea caligo nebulam & nubem contingit, nebula quidem crassior, nube verò tenuior. Est autem spiritus & humoris, velut aëris, perturbatio quædam, quam θόλωσιν Græci vocant. Sed hebetudinis nomen generalius est, quàm visionis caliginosæ. Vt enim caligatio & hebetudo sint visionis obscuræ: tamen caligatio accessionem habet caliginis intus conceptæ & genitæ. ἀμαύρωσις verò vel hebetudo concretionem nullam in hebescentibus ostendit humoris contra naturam, iis qui oculos intuentur: sed tantùm profligati splendoris notas aperit in oculis velut emortuis, cuiusmodi esse solent decrepitorum & iamiam moribundorum senum. Nos autem caligationem hic posuimus, qua hebetudinis & allucinationis ratio continetur. Sic in sacris literis caligarunt oculi Isaac, non allucinatione, sed hebetudine, vel amaurosi.

Ergo OCVLORVM CALIGATIO] i. Allucinatio qua muscas venantur, floccos carpunt, festucas auellunt, visis mendacibus exterrentur, vt Dealcis vxor; quod accidit humorum & spirituum impuritate, non quidem ex aluo, aut pulmonibus, neque ex ambiente aduena: sed oculi obscurati indigena firmiter fixa: vt nulla perturbationis criticæ excusatio possit adferri. Huius autem allucinationis, quam alibi vocat ἀμβλυωγμὸν, causa est, vaporis atri, aut crassi cuiusdam humoris è cerebro in oculos illabentis permixtio. Similiter hebetudo, quam facit splendoris propriíque luminis extinctio, vnde nominantur αἱ ὄψιες αὐχμώδεες, ἀλαμπεῖς, & ὄμμα ἀμαυρούμενον & τὸ ἀμαυροῦν. lib.6. Epid. i. *squallentes oculi, nec splendentes, oculus & hebetatus & hebes:* quod infirmitatem summam denunciat, & τὸ νέκρωσιν visificæ facultatis. prorrh. 18.l.1.

Quamvis autem caligationis nomine complexus fuerim visionem αὐχμώδεα ἢ ἀχλυώδεα, id est, *squalidam & caliginosam;* distinctionem tamen non prætermisit quam scripsit Galenus ad illud. Ὄμμα ἀμαυρούμενον φλαῦρον, καὶ τὸ ἀχλυῶδες πονηρόν, i. *Oculus hebescens signum malum: sic & concretus & caliginosus.* lib.2. progn.& 11 prorr. l.2.l.

ALBVMVE RVBENS] Ab inflammatione duræ meningis, & pericranij; vel à venularum repletione, & sanguinis κατοχῇ, vel etiam ab efferæ bilis suffusione. Atque illud album ita sit rubens, non quidē rubore fugaci qui maximam vim habere dicitur ad præsensionem hæmorrhagiæ; sed fixo & stabili planéque symptomatico, per propagationem inflammationis è dura meninge in tunicam albam.

AVT LIVENS] Liuet enim perfrigeratum, perfrigeratur emortuum, emoritur autem per extinctionem viuacitatis in vitali principio, & paupertatem nectaris viuifici à corde exhausto.

AVT VENIS OBSITVM NIGRIS] Per ἔκχυσιν vel ἐκχύμωσιν venarum pericranij, in venulas tunicæ albæ, vbi refrigeratus sanguis nigrescit. Qualis enim venarū color, talis & ipse sanguis exilit.

INDECORVM] ἄκοσμον, absonum quod nec iure, nec loco apparet, nec minùs exterret medicos metu sinistri iudicij, quàm idiotas. Nam si commemorata signa iure & loco fieri viderentur, propterea que essent, vel hæmorrhagiæ, vel criticæ vomitionis prænuncia; vt concedam idiotis videri terrifica; at certè medicos spe quadam salutis consolarentur. Itaque apud medicos locum decori haberent. At sunt einsmodi vt neque ab his, neque ab idiotis recipiantur. Sunt igitur omnino indecora, nec vllo modo gratiosa. Eorum autem signorum vim multis in locis expressit. *Hæc omnia confere oportet prænot.* & progn. & prorrh. 11. l.2.1.

3 Φλαῦρον δὲ καὶ τὸ τὴν αὐγὴν φεύγειν, ἢ δακρύειν, ἢ διαστρέφεσθαι καὶ τὸν ἕτερον ἐλάσσω γίνεσθαι, πονηρόν, καὶ τὸ τὰς ὄψιας πυκνὰ διαρριπτεῖν ἢ λήμια μικρὰ περὶ αὐτὰς ἢ αἰγίδα λεπτὴν ἴσχειν ἢ τὸ λευκὸν μεῖζω γίνεσθαι, τὸ δὲ μέλαν ἐλάσσω ἢ κρύπτεσθαι τὸ μέλαν ὑπὸ τὸ ἄνω βλέφαρον.

Sed praua quoque sunt hæc, lumen refugere, aut illacrymari, aut distorqueri, & alterutrum altero minorem fieri. Prauum est etiam, oculorum aciem crebrò huc illuc voluere: aut eandem lemis, tenuique pellicula obstrui, album increscere, nigrum diminui, aut nigrum etiam sub palpebra superiore occultari.

SED PRAVA QVOQVE SVNT HÆC] i. A regula & præscriptione naturæ multùm aberrantia. 10
LVMEN REFVGERE] i. Splendorem auersari Solis, & lumen à luce impressum, quod facit aspectabilem cuiusque corporis superficiem per colorationem quæ aërem pingit. Atque ea splendoris auersio, instrumenti vitio accepta referri non debet; vt in iis qui natura sunt myopes, propter pupillæ mydriasin, & spiritus subtilissimi facilem dissipationem; qualis etiam cum ophthalmia semper coniuncta est: sed infirmitati potiùs facultatis visificæ, quæ in partis illius cerebri exolutione consistit, vnde videndi vis manat, & profligationi vernaculi & proprij oculorum luminis quod ampliùs non habet externus lumen consociale, vti habere solebat, eiúsque appulsu recreabatur.

ILLACRYMARI] Vt lacrymarum exceptio nulla sit, vel à procatarctica causa, vt à fumo, & cæparum odore; vel à perturbatione critica hæmorrhagiæ prænuncia; vel à catarrhi propagatione in oculos, quam facit orgasmus, attractio, vel exclusio: sed ab exolutione caruncularum quas oculorum 20 canthis natura obduxit, vnde potentiæ retentricis effœta vis denunciatur; tum etiam à melancholia, vt in Dealcis vxore quæ modò lacrymas profundebat, modò risu os resoluebat. De lacrymis autem quod ad earum distinctionem attinet, sufficient illa præceptoris catholica. *Quibuscunque per febres acutas, maximè verò ardentes, iniussu ac sponte sua funduntur lacrymæ, iis hæmorrhagiam è naribus expectare oportet; si quidem cætera non sint exitialia: quandoquidem iis quorum malè res eunt, non hæmorrhagiam, sed mortem denunciant.* Et, *In febribus aliísve morbis sua sponte lacrymari, nihil absurdum: absurdum autem sine voluntate id facere.* aphor. 52. 4. Vbi Galenus ἄτοπον reprehendit, ac pro illo, ἀνοήτως, legendum censet, θανατώδως ἄτοπον, id est, *mortiferè absurdum.* Sed mea quidem sententia, idem significat hoc loco ἄτοπον, quod in superiore prognosi, οὐκ αἴσιον.

(margin: 1. Epid.)

AVT DISTORQVERI] Distorquentur autem conuulsione musculorum ipsos mouentium. Sed 30 ea conuulsio quæ fit iniussu musculorum motu, qui naturaliter sponte nostra mouentur, eiusmodi est, vt vel collectione extraordinaria fiat musculorum conuulsionis causam habentium, nempe exhaustum & siccitatem; vel paralysi & resolutione antagonistarum, vnde contrahunt se musculi, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum. Siue autem conuellantur à siccitate, siue resoluantur ab exolutione principij vnde vis mouendi in oculos propagatur; pariter æqualitérque in vitio sunt, non quidem proprio, sed alieno; labefactatæ scilicet facultatis motricis. Illud autem vitium cernitur potissimùm in musculis ocularibus, quemadmodum in temporalibus: quoniam τὰ κοινὰ καὶ τὰ ἐγγὺς πρῶτα καὶ μάλιστα κακοῦται, id est, *communia & vicina prima omnium, & maximè læduntur.* Eam percussionem attigit aph. 49. 4.

ET ALTERVTRVM ALTERO MINOREM FIERI] Quod accidit defraudato alterutrius oculi succo, propter inopiam vel interceptionem alimenti, vel etiam propter extinctionem facultatis ver- 40 naculæ & vniuersalis.

(margin: lib. περὶ χυμῶν. & in progn. & 1. περὶ ἀρθρῶν.)

PRAVVM EST ETIAM OCVLORVM ACIEM CREBRO HVC ILLVC VOLVERE] Huiusmodi sunt ὀφθαλμοὶ ἰλλαινόμενοι, καὶ στρέφοντες, contremiscentibus à siccitate musculis, qui tremor insanabilis est; vel inflammata parte illa cerebri vnde nerui oculorum motores nascuntur. Quæ causa est cur delirij notæ potissimùm luceant in deprauato & feroci oculorum motu: vt est facilis mutuáque τῆς ἀρχῆς καὶ τῶν νεύρων sympathia. Ac tremor ille commemoratus, delirij succedaneus esse potest, ac prænuncius: quia indecora est oculorum actio crebrò huc illuc volutorum. Delirio igitur superueniens accersit mortem. *Præstat enim delirium superuenire tremori, quam tremorem delirio.*

(margin: 6. Epid.)

AVT EANDEM LEMIS, TENVIQVE PELLICVLA OBSTRVI] Non quidem expressione humoris è cerebro, cuius tenuior pars facit ophthalmias ῥοώδεις, i. *fluentes*; crassior verò, lemas: pituita scili- 50 cet in angulis inhærescente, aut quæ inducit palpebris epiphyses, quas interpretatur Galenus ἐπαναστάσεις ὀχθώδεις. Hæc enim sequuntur naturam efficientium causarum, hoc est, tempestatum & suscipientium oculorum. Sed lemas intelligo, oculorum sordes, quæ cùm exaruerint, vel arenulas in angulis exprimunt, vel ἀχλὺν in ipsa pupilla propter infirmitatem potentiæ naturalis oculorum vernaculæ quæ succum alibilem mitificare non potest, vnde pro alimento restant vestigia pituitæ, quæ nihil aliud est quàm ἡμίπεπτον αἷμα, id est, *sanguis semicoctus.* Notabilis autem signorum obseruatio quibus facultatum vitia in oculis repræsentantur, animalis quidem, in hebetudine, allucinatione, tremore, exolutione, & conuulsione musculorum, vitalis, in liuore; naturalis, in cruditate.

(margin: part. 2. 1. Epid. part. 3. 3. Epid.)

ALBVM INCRESCERE, NIGRVM DIMINVI] Pertinet hoc ad ῥυτίδωσιν, vel ῥίκνωσιν, quæ propria est pupillæ corrugatio. De qua in oculorũ vitiis illud expressit. καὶ εἰ ῥυτιδοῖ μέλαν ἔσωθεν. Quem lo- 60 cum enarrans Galenus sic ait, *Dum oculos contingit corrugari intus, cùm adnata musculis oculum mouentibus membrana ad coronam producta, soluitur & laxatur.* Ergo, maius fit album, laxitate, minus nigrum, corrugatione.

(margin: 6. Epid.)

AVT

AVT NIGRVM ETIAM SVB PALPEBRA SVPERIORE OCCVLTARI.] Quod cernere est in iis qui animi deliquio exoluuntur, quibus obuertuntur oculi superiorem palpebram versus, vt occultata pupilla, quam nigrum vocat, nihil appareat praeter adnatam tunicam. Tum est moriendum ægro, quando hæc fiunt.

4 Πονηρὸν δὲ καὶ ὀμμάτων κοιλότης, καὶ ἔκθλιψις ἔξω σφοδρὰ καὶ λαμπηδόνος ἔκθλιψις, ὥστε μὴ δύνασθαι τὴν κόρην ἐκτείνεσθαι, καὶ βλεφαρίδων καμπυλότης, καὶ πῆξις ὀμμάτων, συνεχέως τε μύειν, καὶ χρώματα μεταβάλλειν, καὶ βλέφαρα μὴ συμβάλλειν ἐν τῷ καθεύδειν, ὀλέθριον. κακὸν δὲ καὶ ἰλλαίνων ὀφθαλμός.

Quinetiam praua sunt hæc, oculi concaui, & foras multùm exerti, tum sic perstricta oculorum acies, vt potis non sit amplificari pupillam; prætereà extimarum palpebrarum curuatura, oculorum concretio, aut ipsos continenter nictare, colorem mutare, nec posse palpebras dormiendo committi; pestiferum. Mala est etiam oculorum peruersio.

OCVLORVM cauitas cuiusmodi sit, & quamobrem ita sit, super in facie cadauerosa iam diximus. Certum est oculos fieri concauos, multúmque subsidere, quando liquantur à febre tabifica, adéstque vnà paupertas viuifici nectaris quod à fonte vberrimo cordis in extimas partes diffluebat dum bene res ibant; nunc autem parca manu in visceribus stabulatur. Sed ea calamitas colliquamenti & defraudationis quotidiani pabuli, potissimùm lucet in oculis, qui, vt molliores, faciliùs liquantur quàm cæteræ faciei partes; tum autem spiritus animalis multi participes in secunda valetudine, simul atque eo carere cœperint, collabuntur: vt mirum videri non debeat si tam vehementer subsidant.

ET FORAS MVLTVM EXERTI.] Paralyticis musculis & in cerebri exoluti contagionem adductis, quam affectionem cum superiore, Celsus Hippocratem secutus, ita coniunxit. *Hique aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt.* Hippocratis verba hæc sunt. Ὀφθαλμοὶ ἢ κοιλαινόμενοι, ἢ ἐξέχοντες, ἢ [illegible] γινόμενοι. Non minora autem sunt mala & incommoda exoluti principij, quàm exhausti in morbis acutis. Declarat illud repetita commemoratio concauorum oculorum in mentione exertorum, & veluti foras proiectorum, quamuis paulò antè concauorum meminerit in descriptione faciei cadauerosæ.

cap. 6. libr. 2. lib. 1. progn.

TVM SIC PERSTRICTA OCVLORVM ACIES, VT POTIS NON SIT AMPLIFICARI PVPILLAM.] Corrugatione scilicet vueæ tunicæ quæ facit pupillam, absumpto liquore albugineo, & spiritus animalis profligatione, & interceptione; collapso meatu visorio, hoc est, optico neruo, vnde spiritus animalis visioni dicatus ad pupillam oculi peruenire non potest, vt peruenire solet tota substantia.

PRÆTEREA EXTIMARVM PALPEBRARVM CVRVATVRA.] Quam cernere est in dormientium ὑποφάσει, quibus album quippiam dormiendo apparet, conuulsis pariter ocularium angulorum musculis, qui ad dimidium vsque tharsi ambo feruntur, eorúmque vnus aperiendæ, alter claudendæ palpebræ, dicatus est: vnde efficitur vt æquali vtriusque conuulsione pars altera tharsi claudatur, altera verò aperiatur. Talem curuaturam quam in prognost. κάμπυλον βλέφαρον nominauit, idem etiam per ὄμματος κατάκλασιν expressit, quam ipse Galenus palpebrarum διαστροφὴν interpretatur: sicut idem præceptor explicauit his verbis. Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ τὸ βλέφαρον, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, id est, *Febre non desinente, si labra, aut palpebra, aut oculus, aut nasus peruertatur.*

7. de placit.

OCVLORVM CONCRETIO.] In qua agnoscitur vel ocularium musculorum paralysis, vel æqualis contentio atque distensio, vel summa infirmitas & νέκρωσις quædam, vel profligatio mouentis ipsos facultatis. Constat enim oculorum πῆξιν in ἀκινησίᾳ consistere, cuius ἀκινησίας omnino sunt causæ prædictæ.

part. 1. 6. Epid. aph. 45. & 4. Coac. 78. 1. libr. comment. ad 11. prorrh. l. 2. 1. & ad 27. part. 5. 6. Epid. vide comment. ad 130. 1. lib.

AVT IPSOS CONTINENTER NICTARE.] Per auersionem splendoris, aut tremorem musculorum palpebras mouentium. Distinctio autem nictationis, repetenda ex 83. Coac. lib. 1. *In febre continua, qui voce capti tacent, atque nictantur, siquidem prorupto è naribus sanguine, vocem receperint, & apud se fuerint, periculo defunguntur. Sin autem secus acciderit, cum difficultate spirandi, cita mors venit.* Itaque nonnunquam ægri nictantur marmarigarum molestia & offensione.

COLOREM MVTARE.] In descriptione faciei cadauerosæ sic ait. *Quòd si etiam liuida his fuerit palpebra, aut nasus, aut labrum, cita mors venit.* Causæ sunt explicatæ.

NEC POSSE PALPEBRAS DORMIENDO COMMITTI.] Cute circa frontem intenta & rigida, vel resoluto & paralytico musculo laxo, cuius officium est præter cætera palpebras demittere.

PESTIFERVM.] Collapsis naturæ præsidiis, & viuacitatis extinctione à febre tabifica & colliquante.

MALA EST ETIAM OCULORUM PERVERSIO.] *Ex luminorum aradione oculorum ill sis, malum denunciat.* Commemorata autem signa omnia sunt exitialia, nisi sint a perturbatione critica; aut peculiari natura & consuetudine, aut a fugaci causa, vt vigiliarum, inediæ, profusioris alui. Sed ea quæ his de causis orta sunt, vnodie finiuntur.

5 Ὀφθαλμῶν ἐρυθρὸς ἀπυρέτῳ γινόμενος, κοιλίης πονηρίην χρονίην σημαίνει.

Oculorum rubra suffusio, febris experti, diuturnam ventris affectionem denunciat.

HACTENUS de oculorum affectionibus quæ cum febre sunt, neque ex perturbatione critica, aut peculiari cuiusque natura, aut etiam fugaci causa ortæ putantur: sed à calamitosa vi febris cum virium infirmitate coniuncta. Nunc de iis quæ in vacatione febris solæ existunt, cuiusmodi est oculorum rubor ita descriptus.

Coac. 5. cap. 5. 2. Epid.

OCULORUM RUBRA SUFFUSIO.] Ex capite fusa per seri cuiusdam substillum quod in oculorum densitate subsistit: non autem eximia illa coloratio & prærubra inflammatio sicca, quæ fæces vetustas subsistere, & irregularem diætam testantur; siue sit perturbatio tunicæ adnatæ, siue τραχώματα, i. *asperitas* palpebrarum, siue epiphysis, ὑπερσάρκωσις, aut sycosis; qualia sunt repleti capitis catarrhoica symptomata, ex diuturna tempestate austrina quam excepit aquilonia, vnde ὀφθαλμίαι, ῥεύματα, λημίαι σμικραί.

prorrh. 56. f. 3. r. Coac. 6. c. 5 lib. 2. aph. 32. 6.

FEBRIS EXPERTI.] Vt illa suffusio non sit tabificæ febris symptoma, non etiam signum perturbationis criticæ, quod, præter cætera, maximam vim habere dicitur ad hæmorrhagiam.

DIUTURNAM VENTRIS AFFLICTIONEM DENUNCIANT.] Vt enim rubor narium signũ est liquidioris alui: sic & rubra oculorum suffusio febris experti. Nam quotiescunque nimia seri abundantia narat caput, idem his vsuuenit quod balbis quos maximè longa exercent alui profluuia. In promptu causa est, quia cùm seri prolapsu ventriculus affligitur, profluuium alui cietur. Extitisse multi leguntur historia 2. 1. Epid. quibus post inueterationem ophthalmiæ fluentis, *sub æstatem facta est lienteria, vel etiam tenesmus, diarrhœa biliosorum tenuium, multorum, crudorum, mordacium, nonnullis aquosorum.* Porro Græcum illud πονηρίην χρονίην, diuturnam ventris afflictionem Latinè expressimus, in qua liquidis excrementis cum molestia & offensione fertur aluus. Quod enim de liquidiore aluo scripsit in aph. & Coac. idem in eam sententiam per afflictionem explicauit. Hippocratis verba hæc sunt. *Quicunque in febribus vndecunque sanguinem liberaliter profuderint, iis, cùm refectioni studere cœperint, κοιλίαι ἐκυγραίνονται.* In prorrh. scripsit in eandem sententiam, πονηρεύονται. Vide Galeni comment.

aph. 27. 4. Coac. 159 lib. 1. prorrh. 30. f. 3. 1.

6 Αἱ περὶ ὀφθαλμῶν ἐπαναστάσιες, ἐν τῇσιν ἀνακομιδῇσι κοιλίην καταῤῥηγνῦσιν.

Quæ circum oculos assurgunt pustulæ, dum refectioni opera datur, aluum prorupturam ostendunt.

pa. 1. 13 6. Epid.

QUONIAM ita comparata est naturæ ratio in omnibus qui nuper morbo defuncti sunt, vt aluus eorum pigrior sit in concoquendo, siue illius segnitiei causam dederit sanguinis liberalior euacuatio, siue diuturna officij vacatio, quòd febre vigente, potiùs in curationem illius incumbendum erat, quàm refectioni studendum: vnde adeo fit, vt propter imparem necessitati commoditatem, aluus collapsa siccior & immemor sui officij, cum paupertate caloris natiui, nec medici, nec ægri votis respondeat, dum refectioni opera datur, exacto iam morbo, aut certè affecto. Quæ causa est cur in ventriculo cruditati sit locus, symptomatúmque huius prognoseωs consecutio.

sect. 3. 3. Epid.

QUÆ CIRCUM OCULOS ASSURGUNT PUSTULÆ.] Quæ sunt epiphyses palpebrarum foris & intus pullulantes, visioni maximè officientes, quas prisci medici σῦκα vocabant, Galenus autem ἐπαναστάσεις ἐχθώδεις.

DUM REFECTIONI OPERA DATUR.] In permolesta ventriculi conuersione ab ocio ad negocium, necnon in caloris natiui paupertate, quam vel euacuatio liberalior, vel ardor febrilis inuexit; tum etiam collapso habitu ex officij quotidiani vacatione. Quæ consideratio vniuersalis & particularis naturæ, eo præceptorem adduxit, vt si pleuritis sua sponte quieuerit, ptisanam solidam pleniore manu exhibendam putarit; sin autem artificio medici curationem receperit, cremorem ptisanæ, & parciore manu.

2. acut.

ALUUM PRORUPTURAM OSTENDUNT.] Seri prolapsu, & fatiscente aluo. Nam quibuscunque liberalior sanguis vndecunque profluxit, iis, cùm refici cœperint, aluus liquidior cumulatè ducitur. Et, *Oculorum rubra suffusio, febris experti, diuturnam ventris afflictionem ostendit.*

7 Ἐπὶ

7 Ἐπὶ ὀμμάτων διαςροφῇ κοπιώδει, πυρετώδει, ῥῖγος ὀλέθριον καὶ οἱ κωματώδεες ἐν τουτέοισι κακόν.

Si ad peruersionem oculorum, laborioso febricitanti rigor accesserit: perniciosum. Tum comatosi in his grauissimum habent malum.

HÆC PROGNOSIS in prorrhetico iisdem exarata literis continetur, in cuius explicatione, tum perspicua est Galeni oratio vt facilè omnem dubitandi occasionem tollat de structura & connexione vocum illarum; [Greek illegible] & [Greek illegible]. Hoc spectat igitur Galeni oratio, vt intelligamus eò peius res ire, quò plura symptomata lumen suum ostendunt, ac plures partes labefactatæ sunt. Etenim peruersio oculorum, febris, lassitudo vlcerosa, rigor & coma, eiusmodi sunt vt nihil necesse sit ea simul existere cùm ipsa per se singula sufficiant ad exterrendum. Sed tamen pestiferæ sunt perenni generatione & propagatione in corporibus nostris causæ, vnde symptomata illa veniant quæ causæ illius morbificæ & partis obsessæ propria, & simul consectaria esse solent.

Ergo. SI AD PERVERSIONEM OCVLORVM.] Fixam & stabilem, quam vel vnius partis oculorum facit conuulsio, vel antagonistæ exolutio, [Greek illegible] Græci vocant. De qua illud perceptum extat Galeni. *In vniuersum, oculorum distorsio (per distorsionem autem explicat illud, dextro illoso fuit,) bono signo non est, sine ab excursu lumborum, siue quomodocunque fiat.*

LABORIOSO.] Lassitudine scilicet vlcerosa, quæ, vt phlegmonosa, etiam dementiæ opinionem facit; nunquam verò tensiua.

FEBRICITANTI.] Vt illa peruersio accidat propagatione causæ morbificæ à lumbis ad caput, vnde symptomatum amplificatio; non autem per transitum criticum, qualem expertus est homo ille qui in Dealcis horto iacebat.

RIGOR ACCESSERIT.] Frustra citatus è venis, non ab vlla parte vomicam habente; vt symptomaticus ille rigor frustra citatus translationem faciat ad diaphragma & caput. *Est enim rigorum ex dorso peius, quàm aliorum acerbior.*

PERNICIOSVM.] Quoniam ad partis nobilissimæ, id est, cerebri oppressionem, accessio fit perpetuæ translationis ab orgasmo.

TVM COMATOSI IN HIS GRAVISSIMVM HABENT MALVM.] Nec solùm comatosi, verùm etiam phrenitici, atque fanatici, pro varia morbifici humoris conditione. Nam eorum qui sursum ad caput feruntur humorum; tenues quidem & efferi, vel hæmorrhagiam cient, vel dementiam adferunt; crassi autem cum biliosis mixti, [Greek illegible]; frigidi verò ipsi per se, [Greek illegible] & surditatem. Omnia autem symptomata per symptomaticam translationem orta, sunt indigenis longè peiora; quoniam ad præparationem suscipientis causæ accedit vis efficientis, vnde magnorum malorum, & inter illa exitiorum consecutio adferri solet.

Prorrh. 17. s. a. 1. — Hist. 8. sect. 1. 3. Epid. — Prorrh. 1. s. a. 1. — Hist. 5. sect. 3. 3. Epidem. — 11 Coac. 2. lib. sect. 1. 6. Epidem.

8 Ὀφθαλμιῶντι ἀνδρὶ, πυρετοῦ ἐπιγενομένου λύσις· εἰ δὲ μὴ κίνδυνος τυφλωθῆναι, ἢ ἀπολέσθαι, ἢ ἀμφότερα.

Lippienti viro superueniente febre lippitudinis exolutio: sin minùs, cæcitatis aut mortis, aut vtriusque periculum est.

ENIMVERO pleraque mala superueniente febre sanescunt, quæ ipsius primigeniæ consectaria esse solent: quemadmodum multa existunt quæ febris finem adferunt, quibus ipsa remedio est, aut ægris damnosa, prout [Greek illegible] se habet. Quartana sanat epilepsiam: tertiana exhaurit & sistit catarrhum. Eadem adolescentes facit incrementis augescere. Si quis ebrius repente obmutescat, conuulsus moritur, nisi superueniente febre vocem recipiat. Melius est febrem superuenire conuulsioni, quàm conuulsionem febri. Sanè quidem febris conuulsionem exoluit, si acuta sit, nec priùs extiterit, aut certè si fuerit, exacerbationem habeat: alioqui febris conuulsioni impar, ipsam calamitosiorem & contumaciorem efficit ad exoluendum. Nam [Greek illegible], id est, *Apoplexia repentè orta, lenta superuenienti febre, mortifera.* Contrà conuulsio febre excluditur, quæ aut eodem febris die, aut postridie, ac etiam perendie, incidit.

Ergo. LIPPIENTI VIRO.] Cuius oculi sunt inflammatione obsessi, vel sanguinis in tunicam adnatam, vel acerrimi seri affluxu, per orgasmum, exclusionem, & attractionem. [Greek illegible] autem nomen simpliciter vsurpatum, æquè pertinet ad mulieres atque ad viros; quemadmodũ & illa in genere masculino expressa. [Greek illegible], &c. Nam & mulieres ophthalmia laborant. Eædem sunt etiam calculosæ. Cur autẽ *lippienti* adiunxerit illud, *viro*, non hercule inuenio, nisi quis fortè dicat acriora esse omnia febris & ophthalmiæ in viris, quàm in mulieribus; sed hoc non satis est. Dicam quod sentio, hanc prognosin breuiarium esse cuiusdã historiæ

Pron. 50. lib. 2. 161. coac. 1. libr. — aph. 18. 6. & in iureiurando.

eius Hippocrates fuit testis oculatus, quam nondum inuenire potui.

SVPERVENIENTE FEBRE] Non quidem per propagationem causæ ophthalmicæ, sed propriæ generationem vnde superuenit febris quæ antè non fuit, sicut in conuulsione diximus.

LIPPITVDINIS LEVATIO] Exudante sero acerrimo quod in pericranio stabulatur, & substillum perenne habet in oculos; aut etiam dissipato humore crasso qui oculorum venas replebat: non secus atque meri potione discutitur; vnde solennis ille aphorismus. *Dolores oculorum potu meri exoluit.* [aph. 31. 6.]

SIN MINVS] id est, Si nihil opis attulerit ipsa febris, nec intus foras morbificum humorem moueat per sudorem, nec foras introrsum, vt per liberalem hæmorrhagiam; sed orgasmum faciat in partem afflictam.

CÆCITATIS, AVT MORTIS, AVT VTRIVSQVE PERICVLVM EST] Cæcitatis quidem, per luminis oculorum proprij profligationem, humoris crystallini ἀναλύσεως, & pupillæ ipsius perstrictionem; ab inflammatione prægrandi, propter assiduam materiæ ad oculos κατάστασιν, vnde fit χύμωσις. Non minùs enim terrifica est catarrhi per febres conditio, quàm sperabilis exolutio.

AVT MORTIS] Calamitosa vi febris quæ cernitur in venenata qualitate, ardore, & translatione symptomatica. Quemadmodum enim dolores hypochondriorum inflammationis expertes, superueniente febre, sedantur: sic quæ ex hypochondriorum doloribus febres nascuntur, pestiferæ. [aph. 40. 6. & in prorrh.]

9 Οἷσιν ὀφθαλμιῶσι κεφαλαλγίη προσγίνεται, ἢ παρακολουθεῖ χρόνον πουλύν· κίνδυνος τυφλωθῆναι.

Quæ lippitudinem anteiuit cephalalgia, aut insecuta firmiter fixa hæret; periculum cæcitatis adfert.

QVEMADMODVM coryza, id est, catarrhus, isque ferinus, & sternutatio; siue ante pulmonis mala regnarit, siue iis iam ortis superuenerit, ipsos pulmonarios in discrimen vitæ adducit, facitque vt spes in angusto sit restituendæ salutis: ita cephalalgia firmiter fixa quæ lippitudinem vel anteiuit, vel consecuta est, periculum cæcitatis adfert. Sed calamitates coryzæ, & sternutationis crebræ in peripneumonicis, loco explicabuntur. Nunc de cephalalgia ophthalmiæ socia, quæ illam societatem iniuit per transitum aut progressum, ad huius prognoseos demonstrationem dicamus cuiusmodi sit, & quamobrem ab ea cæcitas in metu esse possit. [aph. 10. 6. & 13. coac. c. 1. 2. lib.]

Ergo. CEPHALALGIA] Prægrandis scilicet atque intensa, quam facit indigena causa multa & acris, vel aliunde translata, temperamentum & complexionem capitis multùm diúque alterando, & continuitatem lacerando; idque cùm aliarum capitis partium, tum maximè vtriusque meningis, cum desperabili hæmorrhagia, suppurato, abscessu, quibus exolui solet, nisi fortè cephalalgicum ante vigesimum diem ad exitium præcipitarit.

QVÆ LIPPITVDINEM ANTEIVIT] Humoris prolapsu in oculos, quem neque vacuauit hæmorrhagia; neque expuratum per nares; nec sputa crassa; odore carentia: nec viculculorum vbertas, nec alui profluuium.

AVT INSECVTA FIRMITER FIXA DIV MANET] Quia post vigesimum diem sperabilis non est hæmorrhagia, per quam cephalalgiæ molestia ægri defunguntur, quando ea incidit primis periodis: nec verò cephalalgici eo naturæ beneficio gaudent, quod expectandum præcipitur in ea prognosi. *Quibus cephalalgicus firmiter & acriter caput dolet, vnáque oculus multùm rubet, sanguis profunditur.* [9. Coac. cap. 1. 2.]

PERICVLVM CÆCITATIS ADFERT] Qualis oculorum πόνος etiam melancholicis in metu esse solet, de qua illud præceptum legimus, aph. 55. 6. Denique omnis ophthalmia quæ perennem habet humoris generationem & affluxum, vt in cephalalgia contumaci, metum adfert cæcitatis: quod in puella quadam nuper vidimus, quæ cùm menstrualis esset ac succi plena, nec ei menstrua responderent, post inueterationem cephalalgiæ, occæcata est.

10 Ὀφθαλμιῶντι διάῤῥοια ἀπὸ ταὐτομάτου χρήσιμον.

Quæ lippienti sponte diarrhœa cietur; salubris.

EADEM VM lege naturæ suscipitur vacuatio, qua morbificus humor excluditur conuenienter & dignè per liberalem & liberam excretionem, vel per abscessum ἀντίῤῥοπον in ea parte obortum, quæ omnino sit capax humoris morbifici. Melior est autem excretio quàm abscessus per decubitum. Sed ea excretio salubritati corporis accommodatissima est, quæ morbi cuiusque propria esse dicitur, in specie, materia, & subiecto: cuiusmodi est diarrhœa lippientibus, sponte naturæ ducta.

Ergo. LIPPIENTI] Ophthalmia laboranti, quam genuit acerrimi seri affluxus è cerebro vel dura meninge; siue illa sit primigenia, vel à spiritu, vel a diæta, vel ἀπὸ τῶν ἐκτός; siue præuiam habuerit cephalalgiam firmiter fixam quæ adferi periculum cæcitatis, ὅτε τὰ ὄμματα πονῶν ὑπὸ φλέγματος [illegible]

[illegible]

ἐξάρτῳ, id est, *oculi mutilantur decubitu pituitæ.*

DIARRHOSA.] Alui profluuium, in quo liquidis & subrubris excrementis fertur aluus, rarò & multùm, cum abdomine molliter contristo, solido, & succi pleno, tum crassescente paulatim humore prompto.

SPONTE.] Non ope, nec artificio medici, nec etiam vlla incidente extrinsecus causa; vt vitio diætæ, aëris inclementia, ventris afflictione, quam paulò antè nominauit ταραχὴν τῆς κοιλίης. Quamuis autem illud, ἀπὸ ταὐτομάτου per illud, *sponte*, philosophorum stomacho arrideat; tamen quoniam tum hîc, tum alibi commodo ægri suscipitur atque perficitur; ideo naturæ magisterio fieri idipsum diximus, quod non fit μάτην, vnde αὐτόματον deductum esse nonnulli voluerunt. Quidquid enim sponte sua, frustra non fit, nec temerè, naturæ imperio tribuendum putamus, quæ nihil facit μάτην. Atque αὐτόματον illud, vel αὐτομάτως, vel ἀπὸ ταὐτομάτου, opponitur τῷ τεχνικῷ: ita tamen vt αὐτομάτως nomen latiùs vsurpatum complectatur ea quæ foris incidunt, quo iure, quáque iniuria; vt in illo, Οἷσιν ἀπὸ ταὐτομάτου αἷμα ῥέει, τούτοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίον ῥῆξιν σημαίνει, i. *Qui sanguinem sponte meiunt, illis rupta est in renibus vena.* Vide Galeni comment. Ne longum faciam, extat locus apud Hippocratem, qui apertissimè planissiméque explicat quid & cuiusmodi sit τὸ ἀπὸ ταὐτομάτου. Τάδε δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεται, τὰ μὲν ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακά· ἡ ταραχθεῖσα ὑπὸ πλευριτικοῦ ἢ περιπνευμονικοῦ ἢ ἐμπυηματικοῦ κοιλίη, κακόν, i. *Sponte hæc bona maláque contingunt; aluus perturbatio pleuritico, aut peripneumonico, empyicóve; malum.* Contrà ὑδρωπιώδει, λευκοφλεγματώδει, ἀγαθόν, i. *Aquoso, lienoso, leucophlegmatiæ, aluus perturbata, bono est.* Deinde subiungit. Ταῦτα γὰρ οὐδὲ ... σοφίης οὐδὲ ἀμαθίης ... ἰητρῶν γίνεται, ἀλλ' ἀπὸ ταὐτομάτου, καὶ ἐπιτυχίης ... καὶ βλάπτει ... τῷ αὐτῷ λόγῳ. i. *Hæc enim à nulla pendent medicorum sapientia aut insipientia: sed casu & fortuitò contingentia, lædunt eadem & non lædunt.* [74. aph. 4.] [2. Physic.] [aph. 78. 4]

SALVBRIS.] Non quidem signo, sed causa: quòd ex diarrhœa nimiam praui humoris vacuet abundantiam atque reuellat. Idem quoque fit artificio medici ad imitationem naturæ comparato, per clysteres, & purgantia medicamenta.

11 Ὀμμάτων ἀμαύρωσις, καὶ τὸ πεπηγὸς, καὶ τὸ ἀχλυῶδες, κακόν. [malè ἀχλυώδης.]

Oculorum hebetudo, cõcretio, & caligatio; denunciat graue malum.

EXPLICATA est comment. nostris ad 1. huius cap. in qua recensetur catalogus oculatium affectionum quæ cum febre sunt.

12 Ὀμμάτων ἀμαύρωσις ἅμα λειποψυχίῃ, σπασμῶδες συντόμως.

Obscuratio oculorum cum exolutione, citam conuulsionem ostendit.

HVIVS prognoseos demonstratio debet mandari literis ex comment. Galeni ad illam prorrhetici, quæ sic habet. *Quinetiam ceruicis & dorsi oborta refrigeratio, conuulsifica est: quòd si præterea vrina fundantur spumanter, vnáque fuerit animi exolutio, & oculorum obscuritas, conuulsionem testantur.* His ita constitutis. [prorrh. 20. f. 3. 1.]

OBSCVRITAS OCVLORVM.] Non quidem à caligatione, sed ab exhausto humoris crystallini, & spiritus visifici, atque splendoris oculorum proprij extinctione, quam siccitas ipsa fecit à febrili ardore: siquidem illa obscuratio præuias habuerit conuulsificas causas, nempe ceruicis & dorsi refrigerationem cum vrinis spumantibus; quæ sunt profectò iustissimæ conuulsionis causæ. Nam *frigus posteriorum est conuulsificum*: maximè verò in causonibus, quando & sæpe & frustra venit, ac viribus ægri iam fractis. Vrinæ verò spumantes siue liquantur, siue à perturbatione flatulenti spiritus eiusmodi sint; veteruis modo semper conuulsionis futuræ opinionem faciunt. [7. Coac. 1. libr.]

CVM ANIMI DELIQVIO.] Non quidem syncope quæ cordis propria est, quæque in præcipiti virium omnium lapsu consistit: sed in lipopsychia, aut λειποθυμίᾳ dicta lipothymia, per quam significatio fit infirmæ facultatis animalis: sicut etiam per oculorum ἀμαύρωσιν. [prorrh. 20. f. 3. aph. 23.]

CITAM CONVVLSIONEM OSTENDIT.] Vel conuulsionem in propinquo esse testatur: quia præuiarum conuulsionis causarum vis primùm lucet in spiritus animalis dissipatione, vnde lipopsychia; & instrumentorum cerebro vicinorum atque communium consumptione, vnde non solùm ipsa conuulsio, sed etiam cita mors venit.

13 Ὀφθαλμῶν ὀρφνότης ἐν ὀξεῖ, καὶ κίνησις ὀξείη, καὶ ὕπνος ταραχώδης, ἀγρυπνίη, ποτὲ δὲ καὶ αἱ στάξιες ἐκ ῥινῶν [σπασμώδεα.] [malè ἀφόνως.] [deerat.]

Oculorum caligo in morbis acutis, citáque huc illuc conuersio, turbulentus etiam somnus, vigiliáque ipsa, nonnunquam verò & sanguinis stibstilla è naribus; conuulsionis prænuncia.

QVEMADMODVM partium posticarum frigus sæpe & frustra obortum, fractis iam ægri viribus, vrinæ item spumantes, maximam vim habere dicuntur ad conuulsionem ciendam: sic irrita vis eorum nihil efficeret, nisi eam suscipientis causæ præparatio ad efficiendum adduceret. Sed ea suscipientis causæ præparatio potissimùm cernitur in signis earum partium quæ sunt propinquæ atque communes foco & domicilio ipsius conuulsionis. Est autem cerebrum, in quo etiam signa sunt epigenomena & epiphænomena futuræ conuulsionis. Oculi verò, societatis & vicinitatis iure, omnium facillimè certissiméque cerebri afflictionem testantur. Quæ omnia in hac decisione his literis continentur.

OCVLORVM CALIGATIO.] Quam facit impuritas & obtenebratio, vel spiritus visifici & proprij oculorum luminis, vel humorum τὰ ὁρατὰ, i. *aspectabilia* excipientium; vt in iis veluti caliginis cuiusdam suffusio esse videatur, tum ipsis ægrotis, tum medicis atque propinquis oculos intuentibus. Conuenienter autem reposita esse mihi videtur ὀρθὸν, & expuncta ὀρθῶν: quoniam si ὀρθῶν oculorum sponte nostra contorta sit, οὐδὲν ἄτοπον, i. *nihil absurdum*. Sin autem ἀπροαιρέτως, nec naturaliter, erit quidem indecora atque terrifica. Verùm si eiusmodi sit resolutione omnium ocularium musculorum: nihil ostendet conuulsificum. Quòd si eadem sit oculorum ὀρθῶν quæ πῆξις, i. *concretio*; certum est ipsam in pari conuulsione positam esse ocularium musculorum. Sed de fixis oculis paulò antè scripsit in illo. Ὀμμάτων ἀπαιώρημα, ἢ τὸ πεπηγός. Præterea quomodo simul existere possunt immobiles fixique oculi, & ij qui crebrò huc illuc voluuntur? Quòd si quis obiiciat τὴν ὀρθὴν, idem hoc loco significare quod oculorum θράσος, quod est phreniticũ & conuulsificum: sciat is velim me istam ferocitatem agnoscere potiùs in torua conuersione, vel potiùs coniectione oculorum, quàm in rectitudine ipsa. Nam & Agamemnona sic intuitum legimus vatem Calchanta. Et cùm ille responso Calchantis iratum fluctuasset æstu, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην: paulò pòst ad Calchanta conuersum, & oculos in eum conicientem ita describit Homerus. Κάλχαντα πρώτιστα κάκ' ὀσσόμενος προσέειπε. Vbi Eustathius illud, κακ' ὀσσόμενος, δεινὸν ἐξ ὀργῆς ὑποβλεπόμενος interpretatur. Sed furibundæ Didonis, & cœptis immanibus efferæ contra Æneam, clarissima est illa ferocitatis in oculorum aspectu descriptio apud Virgilium.

> *Talia dicentem iamdudum auersa tuetur,*
> *Huc illuc voluens oculos, totúmque pererrat*
> *Luminibus tacitis, & sic accensa profatur.*

Huc accedit, quòd omnis dissimilitudo motuum quam ferocitas ipsa denunciat, in nullum aliud delirij genus cadit quàm in phrenitidem. Fuisset igitur philosophicum magis, rectitudinem oculorum, quam, si diis placet, ferocitas facit; potiùs videri phreniticam, quàm conuulsionis prænunciam, aut conuulsificam: iuxta illud, ὀμμάτων θράσος φρενιτικόν. i. *oculi ferocitas phrenitica*.

part. 4. Ken. 6. Epidem. IN MORBIS ACVTIS.] Et inter eos qui sunt eximij celeritate & vehementia, vt febres ardentes, quarum ardore natiuus calor, & spiritus profligantur; cerebrum exarescit; & symptomatica humoris efferi translatione affligitur.

CITVSQVE HVC ILLVC CONIECTVS.] Quæ affectio, tremoris propria est, vt concretio conuulsionis, si caui sint oculi; sin autem exerti, paralyseως. Atqui tremor ille in morbis acutis, suapte natura, quæ in siccitate consistit, & successione delirij, citam mox adferat conuulsionem.

TVRBVLENTVS ETIAM SOMNVS.] Perculsa mente, delirióque proxima: ob eam sanè causam, quòd cerebro malè morato, maléque constituto, anathymiasis fumida vim adferat, potiùs quàm consolationem.

VIGILIAQVE IPSA.] Quòd in summa dormiendi necessitate, non est par conciliandi somni commoditas, quam suppeditat vaporis somniferi suauitas, bona cerebri temperies, cum animi tranquillitate coniuncta.

NONNVMQVAM VERO, ET SANGVINIS SVBSTILLA E NARIBVS.] Quæ sunt omnino praua, vt cæteræ omnes causæ iudicatoriæ paucæ: præsertim si sanguis substillans, qualitate & substantia in vitio sit, idque die critico. Scitum est illud. *Exigua sanguinis stillicidia, sinistræ sunt crisis, aut planè mortifera.* (61. Coac. 2. libr.)

CONVVLSIFICA SVNT HÆC.] In morbis scilicet qui inter acutos eximij sunt vehementia & celeritate, vt febres ardentes, in quibus si luceant commemorata symptomata quæ in cerebro & à cerebro nata spectantur, conuulsionem affuturam testantur.

14 Πρὸς ἁφὴν μὴ περικαέες· φρενιτικοὶ γίνονται· καὶ μᾶλλον ἢν αἷμα μὴ ῥυῇ.

Qui ad contactum minimè sunt æstuosi; euadunt phrenitici, magísque si sanguinem non profundant.

FVIT HIPPOCRATIS consuetudo & institutum explorandi manu qualitates corporum cuiusmodi essent, in calore, consistentia, mole; vnáque micantium arteriarum pulsus. Eam explorandi rationem sæpe nominauit πρὸς χεῖρα, i. *ad manum*, vt in illo. Οἱ πυρετοὶ πρὸς χεῖρα οἱ μὲν δακνώδεες, οἱ δὲ πρηέες, i. *Febres ad manum mordaces nonnullæ, nonnullæ mitiores.* Et alibi. Οἱ πρὸς χεῖρα ἀναΐσσοντες, κακόν, i. *Qui ad manum exiliunt, malo sunt loco.* Hic autem vocat πρὸς ἁφὴν, quòd tangendi vis per vniuersum diffusa corpus (6. Epid. 63. Coac. 2. lib.)

maximè

maximè lucet, splendetque in manu.

Ergo. QVI AD CONTACTVM MINIME SVNT ÆSTVOSI.] Tales in prorrhetico nominat καυσώδεις, ἐξαίφνης περιψυχομένους, i. *æstuantes, innudicatò perfrigeratos*: vt qui causone, aut lipyria laborant. Περιψυχόμενοι autem opponuntur τοῖς περιψύχουσι. vt patet in illo. Οἱ καυσώδεις, ἀκρίτως περιψύχοντες, διὰ τάχεος θερμαινόμενοι, i. *Ardentes, inudicatò perfrigerati, mox rursum incalescentes.* Cætera perspicua sunt.

DE LINGVA, ET RELIQVIS ORIS PARTIBVS.

CAP. VII.

ΓΛΩΣΣΑ ἡ κατ' ἀρχὰς μὲν πεφρικυῖα, τῷ δὲ χρώματι διαμένουσα, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου τραχυνομένη, καὶ πελιαινομένη, καὶ ῥηγνυμένη· θανάσιμον· σφόδρα δὲ μελαινομένη· ἐν τεσσαρεσκαιδεκάτῃ γίνεσθαι δηλοῖ. Χαλεπωτάτη δ' ἐστιν ἡ μέλαινα, καὶ χλωρή.

1 *Lingua autem quæ initiis morborum rigidiuscula est, sed in calore manet, labentibus inde diebus exasperatur, liuescit, & fit hiulca; mortifera. At verò quæ multùm nigrescit, intra decimumquartum diem crisin fore ostendit. Ac certè calamitosissima est nigra & virulenta.*

MAGNA SVNT argumenta quæ ex qualitatibus & actionibus linguæ petuntur, cum perspicientia causarum res illas efficientium; ad cognoscendum & prædicendum quid cuique euenturum sit in morbis acutis. Est enim lingua sermonis organum, & gustatus. Eadem duabus expleta partibus quas linea mediana coniungit: vtraque autem spongiosa triplici contexta fibrarum seu villorum genere, tenui membrana contegitur, quam accipit partim à gula, partim à gutture; vnde cum illis societatem iniuit: sed propriam habet à neruo quartæ ac tertiæ coniugationis ad gustus rerum omnium saporatarum; quemadmodum & musculos nouem habet motuum variorum ministros ad sermocinandum, quorum, alij à styloide, alij ab hyoide & cornibus eius, alij à maxilla inferiore & mento exorti, optima conspiratione atque consensu linguæ inseruiunt. Erit igitur lingua naturaliter constituta, quæ in sermone atque gustatu similis est bene valentium, & potissimùm sui, nec vllo modo à se mutata est in colore, charactere & mole. Sin autem in vitio sit, ea profectò mala ostendet quæ in his decisionibus recensentur, quorum singula cuiusmodi sint, & quorsum appareant; ex causarum cuiusque perspicientia explicabuntur.

LINGVA AVTEM.] Ac si diceret; loco de lingua dicendum: Sed illud, *autem*, in omni philologia institutæ rei præsentis cum superiore connexionem ostendit.

QVÆ INITIIS MORBORVM RIGIDIVSCVLA EST.] Prima periodo, quæ primo absoluitur morbi quaternario, est φρικώδης vel, φρίκην habet, ab inchoata inæqualitate quæ pristinam sustulit læuitatem; quam φρίκην communis tunica linguæ siccior facta, obduxit. Solemne est illud Hippocratis. Τὰς φωνὰς οἱ τρηχεῖς φωνέοντες, καὶ αἱ γλῶσσαι ὑποτρηχεῖαι, καὶ ὅσαι τραχύνονται ὑπὸ νούσου ὁμοίως, i. *Qui vocem asperam edant, & quibus est subaspera lingua, & quæcunque similes his à morbo asperitates.* Itaque lingua φρικώδης vel πεφρικυῖα, i. *rigidiuscula*, nihil aliud est quàm aspera, cuius asperitas in minutissima inæqualitate consistit: quemadmodum Galenus explicat comment. ad part. 18. sect. 3. 6. Epidem. Atque eam minutissimam inæqualitatem comparat ponto, cùm primùm flante Zephyro, pristinam sui æquoris in tranquillitate positam læuitatem amittit, ac velut perhorrescere incipit. Multùm igitur differt lingua φρικώδης ab ea quæ dicitur πεφρυγμένη, multùm etiam τὸ φρικῶδες à μαρασμῷ πεφρυγμένῳ, i. *consumptione retorrida.* Quòd autem morborum initiis eam φρίκην notabilem esse dixerit, eo certè fecit, quia quibuscumque ardenter febricitantibus nulla vitæ salus sperabilis esse solet, eius desperatæ salutis signa potissimùm cernuntur ineunte morbo, qualia descripsit Hippocrates historia 3. vniuersali 1. Epidem. Quòd si quis obiiciat, Nicodemum Abderitam præclarè & fœliciter morbo defunctum esse, cui febris statim initio, lingua perusta visa est, sciat is velim, pepasmo & excretione febrem minuisse, & læuitatem linguæ restitutam fuisse. Hic autem prauitatis accessio docetur in signis quæ sunt ardentium febrium συνεδρεύοντα & in lingua vires acquirunt eundo. 4. acut.

SED IN COLORE MANET.] Gemino scilicet, qualis est suauerubens in lingua naturaliter constituta. Ac si diceret; quamuis lingua rigidiuscula sit, retinet tamen decorem coloris natiui, quoniam fucata non est fuligine, nec etiam perfusa humoribus qui stabulantur ἐν τοῖς κοινωνοῦσι, id est, in partibus quæ commercium habent cum lingua: cuiusmodi sunt pulmo, ventriculus, venæ hypoglottides, cere-

brum quoque ipsum. Quin etiam à matrice lingua ipsa fucatur. Præter hæc aliunde nusquam. Est enim catholicum illud Hippocratis. γλῶσσα ὁμόχροος τῶν οὔρων· διὸ καὶ ταύτῃ γινώσκονται χυμοί. i. *Lingua post rasilibus est concolor propterea que ab ea humores innotescunt.* Vbi Galenus τοὺς οὔρους interpretatur, ea quæ veniunt à ventriculo, vel à venis nutritioni dicatis; quibus & cerebrum adiungendum putauimus, pulmones, & ipsam matricem. Nam quod idem scripsit, colorationem linguæ denunciare humores quorum magisterio corpus tenetur; pertinet ad explicationem illius theorematis quod paulò antè posuit, γλῶσσα οὖρον σημαίνει, i. *lingua vrinam indicat.* Ad cuius theorematis demonstrationem Galenus hanc distinctionem apposuit. Τοῖς μὲν οὖν εἰρημένοις σημείοις ἀκολουθεῖ διὰ παντὸς τὰ δηλούμενα· τοῖς δὲ πράγμασιν ἐξ ἀνάγκης σημεῖα. *Signorum,* inquit, *prædictorum, res ipsæ omnino consectaria sunt: non autem rerum necessariò signa ipsa.*

LABENTIBVS INOE DIEBVS.] Exacta scilicet prima periodo quæ quatuor diebus absoluitur. Sic enim Hippocrates τεσσάρας χώρους vocare solet, inoffensam quatuor morbi temporum successionem: sicut & quatuor anni temporum, veris, æstatis, autumni, & hyemis anniuersariam vicissitudinem: vt si quis totam exegerit hyemem in sicca tussi cum raucitate coniuncta, nisi ἐν τῷ τετάρτῳ χώρῳ, i. *secunda vere* quiescat; alteram experitur tabis differentiam.

EXASPERATVR.] i. Quæ ineunte morbo fuerat τρηχεῖα ex minutissima inæqualitate, & inchoata asperitate à siccitate membranarum quas partim accipit à gula, partim à gutture; nunc tactu & visu percipitur τετρηχυμένη, i. perusta & quàm asperrima; glandularum saliuam affundentium, & venarum hypoglottidum nimia siccitate.

LIVESCIT.] Tum per ἐγχύμωσιν ἢ ναυτίασιν, i. *effusionem vel nauseam,* venarum virulentarum, tum per caloris viuifici paupertatem, penéque dixerim, extinctionem. Ac si diceret; lingua quæ prima periodo asperior facta, suaue rubens apparuit, & pristinum decorem coloris retinuit, si progressu temporis, inualescente morbo, plumbea videatur, ac si eiusmodi sit viridi bile suffusa atque fucata, per continuitatem interioris tunicæ pulmonum & alui, à perenni geoetatione bilis, & perenni ad illas partes affluxu. Omnino enim tam variis coloribus lingua fucatur, ex varia coloratione humorum atque vaporum ipsam fucantium. Est enim τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν ὅμοιον, i. *color humoribus similis.* Eius autem colorationis opportunitatem adfert linguæ ipsius mollitudo, & raritas, ac vasorum circumiacentium amplitudo.

libro de humoribus.

ET FIT HIVLCA.] Non secus atque hiulcatur pinguis terra quæ diuturna pluuiarum vacuitate, & solibus perusta exaruit, atque diuulsa est.

MORTIFERA EST.] Propter μαρασμὸν φθινώδη, quem ardor febrilis inuexit. Est autem μαρασμὸς φθινώδης à febre ardente, irreparabilis; propterea que funestus.

AT VERO QVÆ MVLTVM NIGRESCIT.] i. Quæ saturato nigrore fucata est, vnáque multùm aspera vel hiulca; vt par sit ratio causæ nigroris & asperitatis; & ambo sint καυσώδη symptomata conflagrantis incendio corporis, humorumque æstu incandescentium.

INTRA DECIMVMQVARTVM DIEM CRISIN OSTENDIT.] Quia febris ὀξεῖα, i. *perurens,* tam celeriter, tamque vehementer mouetur, vt citam mortem adferat. Obseruabit medicus philologiam planè philosophicam in nomine crisis. Non ita pridem in theoria ocularium affectionum crisis nomen, secundi iudicij significationem obtinuit; hic autem sinistri: sed illic apposita fuit τῷ χρίσιμον; hic autem τῷ θανάσιμον.

AC CERTE CALAMITOSISSIMA EST NIGRA ET XVΩPH.] Hippocratis catholica hæc sunt de linguæ coloribus. *Lingua,* inquit, *serum denunciat.* Nam linguæ χλωραὶ sunt χολώδεις, i. *biliosæ;* rubræ à sanguine, nigræ ab atra bile; λευκαί, i. *albo fucata,* à perusta fuligine, tum à materna parte; albæ à pituita. Quæ cùm ita sint, facere certè non possum quin à Galeno dissentiam in philologia & philosophia colorationis illius quam χλωρὴν vocat Hippocrates. Fuit illud Galeni iudicium, linguam tum esse χλωρὴν quando fucatur bile, quam ipse nominat ὠχρὰν, eamque bilem omnium mitissimam esse, quòd aqueæ cuiusdam substantiæ sit particeps, propterea que ἁπλῶς, i. *simpliciter & absolutè* bilem nuncupari; cætera autem bilis genera παρωνύμως sic appellari ξανθήν, ἐρυθρὰν, λεκιθώδη, πρασοειδῆ, ἰώδη, μέλαιναν, & ἄκρατον. Quod si verum est, non video cur eximia sit periculo lingua χλωρὰ, quam bilis mitissima, aut certè omnium minimè acris infecit. Sed audiamus Hippocratem qui numquam aberrauit à scopo, ac stemus in eo quod ille sapienter indicauit. Hippocratis verba hæc sunt: Γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεις, τὸ δὲ χολῶδες ἀπὸ πίονος, i. *Lingua virides, biliosa: biliosum autem à pingui.* At cuiusmodi sit bilis quæ gignitur ἀπὸ πίονος, idem clarissimè aperuit his verbis, Καὶ οἷσι τὸ μὲν πῖον, χολὴ ξανθή· τὸ δὲ αἷμα μέλαινα, i. *Ac quibus pingue, bilis flaua, quibus sanguis, nigra.* Constat igitur bilem flauam sobolem esse τοῦ πίονος. Sed eius bilis multi sunt gradus qui feruore illius assurgunt, & seri naturalis vacuitate. Huiusmodi sunt, æruginosa & vitellina. Nam si in secunda valetudine ἀπὸ τοῦ πίονος nascitur bilis flaua; ab illa exorta febris perurens, æruginosam procreabit. Verè igitur videor esse dicturus γλώσσας χλωρὰς, significare herbaceam. Est autem χαλεπωτάτη i. *periculosissima.* Id enim significat τὸ χαλεπόν Atque huius periculi citò incidentis causam explicat Galenus comment. ad prorrh. 10. l. 1. 1.

part. 14. sect. 5. 6. Epid. part. 3. sect. 6. 6. Epid.

2 Γλῶσσα παρὰ τὸ ἀρχαῖον ὥσπερ σιάλῳ λευκῷ καταλείφεσθαι· σημεῖον ἀνέσεως τοῦ πυρετοῦ, παχέος μένοντος τοῦ ἐπιχρίσματος, αὐθήμερον λεπτότερον δὲ, ἐς τὴν ὑστεραίην ἔτι, λεπτότερον, τεταρταίην. Τὰ αὐτὰ σημαίνει

μαίνει ἐπ' ἄκρην τὴν γλῶσσαν γινόμενα, ἧσσον ᾗ.

Lingua ad medianam lineam velut alba saliua peruncta; febris dimißionem denunciat, idque eodem die, si quod superinducitur, crassum est; sin autem tenuius, postridie; quòd si etiam tenue magis, perendie. Eadem planè ostendunt quæ sunt eiusmodi in extima lingua, sed non ita certò.

VT FACIES cadauerosa ex fugacibus causis orta, vno die finitur, & intra vigintiquatuor horas initium habet ἀνασφάλσεως, i. redintegrationis, vt facies è tumescente residens; vox item blandior atque mollior, quæ fuerat antè rauca & aspera; spiritus rarior atque facilior, in quo summa erant omnia difficultatis & angustiæ, vt tandem oculorum nitor, quos impuritas magna fœdauerat, spem adferunt citæ & securæ crisis atque salutis. Sic lingua inæqualitate ob siccitatem aspera, & tetri vaporis, corruptique humoris infectione multùm fœdata; si ex hiulca fiat aspera, ex aspera rigidiuscula, ac tandem pristinam læuitatem & mollitudinem amissam recipiat; eademque si progressus, vel potiùs, vt ita dicam, retrogressus faciat ex nigra in flauam, indéque in pallidam, mox in suaue rubentem. sanè ex ea mutatione ac veluti retrogressu in suum decorem coloris natiui; pro metu sinistri iudicij, consolabitur medicum spe summa secundi. Quod Nicodemo Abderitæ contigisse legimus, cui ἀρχομένῳ, i. febricitare incipienti, lingua perusta visa est; conualuit vigesimoquarto. Quod etiam Larissææ virgini, quæ, ineunte febre καυσώδει, linguam habuit λιγνυώδη καὶ ξηρὴν, i. fuliginosam & siccam; restituta est die sexto. Erit igitur hoc ratum persuasumque omnibus; symptoma febrium καυσωδῶν, partim medicos exterrere, partim etiam consolari, prout progressum habent in peius, aut retrogressum in melius; illic, παρὰ λόγον naturæ, hic κατὰ λόγον ipsius, pepasmo & excretione in morbi exclusionem incumbentis. Planum id faciet huius prognoseos explicatio quæ est huiusmodi.

LINGVA.] Quæ visa est non ita pridem aspera & fœdo colore fucata.

AD MEDIANAM LINEAM.] Quæ per mediam linguam excurrit, ligamentum acerrimi sensus ostentans, quamuis à larynge natum, quo bifida lingua connectitur, vestitur, munitur. Talem agnouit lineam Aristoteles in vtero, quam vocat δίπλασιον. (in lib. περὶ ζώων γενέσεως, legitur id in libro de ortu animal.)

VELVT ALBA SALIVA PERVNCTA.] i. Delibuta humore albo, læui & æquali, ac velut spermatico; qualis est laudata vrinæ hypostasis. Eius autem saliuæ albæ significatio comparatur ex perspicientia extincti ardoris quo viscera conflagrabant, mitificati humoris morbifici, & succi alibilis inchoata assimilatione, vnde supersunt reliquiæ albæ: sicut in vrina hypostasis alba, læuis, & æqualis, perfecto pepasmo.

DIMISSIONEM FEBRIS DENVNCIAT.] Non secus atque hypostasis alba; non minùs etiam quàm oculorum nitor qui ex antiquato liuore lucet, splendetque; nec verò aliter quàm os humescens in sicca pleuritide. Non enim minora sunt argumenta futurarum criseωn in qualitatibus corporum, quàm in pepasmo humorum morbificorum.

IDQVE EODEM DIE, SI QVOD SVPERINDVCITVR CRASSVM EST.] Vt enim pepasmi perfectio celeritatem crisis ostendit: sic eius perfectionis nota certissima est crassitudo humoris quæ in mediocritate consistit, eáque crassitudo virtute naturæ perficitur quæ diffusa est per solitas partes vniuersi corporis.

SIN AVTEM TENVIVS, POSTRIDIE.] Vt enim sunt gradus concoctionis: ita citò aut serò crisis ventura dicitur.

QVOD SI ETIAM TENVE ADHVC MAGIS.] Vt inde maior cruditas significetur, ex contumacia materiæ, & caloris natiui infirmiore vi.

PERENDIE.] Quia ex imperfecto signo tam cita crisis, atque perfecta, non est sperabilis.

EADEM SIGNIFICANT QVÆ SVNT EIVSMODI IN EXTIMA LINGVA, SED NON ITA CERTO.] Quamuis enim extima lingua quæ adiacet primoribus dentibus, exuuium scabrum, & fœdo colore fucatum prima deponat omnium linguæ partium: tamen quia longiùs abest à foco ardoris, ac ferè glandularum saliua madescit, non ab humore venarum mitificato, vt mediana linea: ideo non ita certo futuram crisin denunciat. Animaduertet autem medicus non eum describi humorem quo delibuta lingua in pulmonis inflammatione apparet. Hæc autem decisio legitur in libro περὶ κρισίμων.

3 Γλῶσσα τρομώδης μετ' ἐρυθήματος κατὰ ῥῖνας, καὶ κοιλίης ὑγρῆς, τῶν ἄλλων ἀσήμως ἐχόντων κατὰ πνεύμονα πονηρὴ, καὶ ὀξείας καθάρσιας ὀλέθρειας σημαίνει.

Lingua tremula cum suffusione narium rubra, & liquida aluo, si nulla de pulmonibus significatio sit, graue malum denunciat, citasque purgationes perniciosas indicat.

VT LINGVA omnis contra naturam tremula, est multùm terrificat sic eadem facie vt medicus toto corpore perhorrescat, quando ipsa contremiscit, cum illis conditionibus quæ in hac prognosi continentur.

LINGVA TREMVLA.] Quæ contremiscit dum exeritur, aut vocem efformat sermocinando: Contremiscit autem deprauato motu qui κατὰ προαίρεσιν, ἢ καθ' ὁρμὴν, *i. voluntate aut instinctu*, suscipitur: sed non κατὰ φύσιν.

CVM RVBORE NARIVM.] i. Ruboris suffusione à seri cuiusdam substillo, quod in narium densitate subsistit. De quo iam illud præceptum est. *Rubores narium signa sunt liquidioris alui.* Vide commentarium nostrum in eam prognosin.

Coac. 6. cap. 5. libr. 2.

ET LIQVIDA ALVO.] Quæ liquidis excrementis sæpe & multùm fertur, eodem modo quo in balbis quos longa exercent alui profluuia: vnde efficitur, ruborem hunc narium non posse referri ad eximiam illam faciei colorationem quæ fæces vetustas subsistere in aluo testatur.

Coac. 5. c. 5. lib. 2.

SI NVLLA DE PVLMONIBVS SIGNIFICATIO SIT.] Ac si diceret; si aluus liquida nullum adfert pulmonibus laborantibus adiumentum, nec fiat λόγῳ τῆς φύσεως. Qua de re illud scriptum manet iam explicatum: *Quibus in febre lateris dolor incidit, siquidem perliquida & biliosa aluus prorupta feratur, mitescit; sin autem collapsa maneat appetentia, ac tum sudores cum saturato faciei colore fundantur, & superstite cardialgia; hi cùm diutius ægrotarint, peripneumonico modo intereunt.* Ergo si nec aluo liquida, nec vrina cum hypostasi crassa prorupta, nec anacatharsi, nec parotidibus, nec abscessu crurali, pulmones vllam leuationis suæ significationem adferant, pestifera complexione malorum quorum vnumquodque ipsum per se fatale est ad interitum.

CITASQVE PVRGATIONES PERNICIOSAS DENVNCIAT.] Nam quibus hypochondriorum aut pulmonum mala suppurant, malè res eunt. Suppurant autem pulmonum mala quæ nec anacatharsi, nec phlebotomia, nec liberali vrinæ crassæ profluuio, nec abscessu crurali exoluuntur. Ac suppuratum illud, rupta vomica, suffocat ægrum; aut etiam rabificum est. Itaque cùm de pulmonibus nulla ad leuationem significatio est, tum ægri dicuntur ἔχεσθαι ὑπὸ περιπνευμονίης, *i. haberi à peripneumonia*, in cuius inueteratione superueniens alui profluuium, citam mortem adfert, propter συμπαθείαν ventriculi & heparis.

aph. 17. 6.

4 Γλῶσσα παραλόγως ἀπαλυνομένη, καὶ ἀσώδης, μεθ' ἱδρῶτος ψυχροῦ, ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ· μελάνων ἐμέτων ἐστὶ σημεῖον· τὸ κοπιῶδες ἐν τουτέοισι κακόν.

Lingua immeritò molliuscula facta cum fastidio, sudore frigido, insuper aluo liquida; signum est vomitionum nigrarum. Hîc laboriosum esse, grauissimum malum ostendit.

NON MINVS suspecta esse debent quæ, specie, bona esse videntur, nec sunt tamen: quàm quæ immeritò mala apparent. Nihil in bonis reapse ducendum, quod κατὰ λόγον naturæ non fiat. Nullum formidabile malum, quod παρὰ λόγον morbi apparet. Enimuero sitim sedari quæ non ita pridem fuerat inexplebilis; optimum esse videtur iis qui ægris præsto sunt: secus autem medicis qui exterrentur metu, si ea sitis conuenienter naturæ sedata non fuerit. Eodem modo de linguæ mollitudine sentiendum, quando ex rigidiore & asperiore, immeritò fit læuis & molliuscula.

LINGVA IMMERITO MOLLIVSCVLA.] Sine pepasmo & crisi, ac sine catharsi, & sanguinis detractione liberaliore, potu, & epithematis; superstite adhuc febrili ardore, & morbifici humoris cruditate.

FASTIDIOSA.] Sero imbuta quod fecit vt carnes natura dulces, gustanti sint ingrati saporis; vnde ἀποσιτία τῶν σιτίων γενομένων, *i. auersio ab edulius*, siue ea deprauatio venerit ab impuritate ventriculi, cuius interior tunica communis est linguæ, palato, & ori. Sic lingua & ventriculus mutuò se afficiunt. Est autem ventriculus domicilium τῆς ἄσης, *i. fastidij nauseabundi.*

part. 19. sect. 5. 6. Epid.

CVM SVDORE FRIGIDO.] Per exolutionem stomachi, & caloris vitalis retractionem: vnde refrigeratio partium extimarum, stabulante in aluo nimia bilis abundantia, vt in biliosis hominibus qui contra consuetudinem incœnati cubuerunt.

24. 2. de acut.

EX ALVO LIQVIDA.] Liquidis & serosis excrementis prorupta, ex nimio seri prolapsu à cerebro; vnde lingua molliuscula & ptyelismus.

SIGNVM EST VOMITIONVM NIGRARVM.] Maximè verò in phrenitide, si rigor inciderit, *Qui è phreniticis cum perfrigeratione sputatores fiunt, vomitum illi nigrum denunciant*; vomitum quidem, vt annotauit Galenus, ptyelismo; nigrum verò, perfrigeratione. Ac nigrum fit excrementum quod priùs erat flauum, ardore febrili, & ipsa ventriculi cum cerebro sympathia. Talis autem vomitio phreniticos reddit fanaticos.

prorrh. 30. f. 1. 1.

5 Αἱ τρομώδεες γλῶσσαι, τοῖσι δὲ κοιλίην ὑγρὴν ποιέουσι· μελανθεῖσαι δ' ἐν τουτέοισι, ταχὺν θάνατον σημαίνουσιν. ἆρά γε τρομώδης γλῶσσα σημαίνει οὐχ ἱδρυμένην γνώμην;

Quinetiam linguæ tremulæ, nonnullis faciunt liquidiorem aluum. Ibi tum denigratæ, mortem acceleratum iri significant. An verò etiam lingua tremula non solidam mentem denunciat?

LINGVÆ TREMVLÆ.] Non quidem inconstantes & fluxæ, quæque suo loco stare non possunt, à febrili ardore huc illuc citatæ; sicut ὀφθαλμοὶ ἰλλώδεες qui edunt citos coniectus & varios: sed nostro iussu ad mouendum excitatæ, siue exerantur, siue etiam voces efforment; quòd pati magis tetid tertent inter se facultas & instrumentum.

QVIBVSDAM ALIQVANDO LIQVIDAM REDDVNT ALVVM.] Etenim cùm lingua omnis tremula infirmitate fiat potentiæ animalis, si eius infirmitatis causa sit oppressio ex nimia humoris in cerebro abundantia, indéque lingua ipsa, vicinitate & societate madescat; eius madoris participem faciet aluum, per continuitatem interioris tunicæ quæ ipsi cum aluo communis est; eademque prorsus ratione in hoc tremore linguæ, aluus profusè feretur, quà balbis.

IBI TVM DENIGRATÆ CITAM MORTEM MOX AD FVTVRA TESTANTVR.] Ac si diceret; si lingua tremula cum alui profluuio multùm nigrescat, nec illa coloratio fugax breui habeat redintegrationem ad meliorem statum; mortem in propinquo esse denonciat: quòd ad calamitosam vim morbi, vnde perennis generatio atræ bilis ex flaua, eiusdemque excursus qui colore nigro linguam inficit; accedit summa virium infirmitas quam diarrhœa peperit symptomatica.

AN VERO ETIAM LINGVA TREMVLA NON SOLIDAM MENTEM OSTENDIT? Sanè quidem, si per epigenesin phrenitidis contremiscat: sicut & oculi ἰλλώδεες qui varios mouent coniectus, etiamsi nostra sponte in nullum aspectabile coniiciantur. Etenim cerebro conflagrante, non potis est oculos, nec linguam quiescere. Vt enim frigoris proprium est partes ipsas, in quibus stabulatur, pigras in mouendo, planéque immobiles reddere: sic è contrario, vis illa caloris esse solet, vt continenter moueat, nec vllam quietis partem impertiat. Itaque non solidam mentem nominauit, inconstantem & vagam; certissimum incandescentis æstu cerebri argumentum, vnde phrenitis, & consectaria eius tremula linguæ. In hanc particulam extat Galeni comment. ad 20. prorrh. s. 1. 1. Sed tamen hic meliùs per quæstionem, quàm illic per enunciationem, explicanda proponitur. *Gal. in arte.*

6 Αἱ τρηχεῖαι καὶ κατάξηροι γλῶσσαι φρενιτικαί.

Linguæ asperæ multumque siccæ; phrenitica.

QVEMADMODVM lingua tremula, qualem descripsimus, signum est non solidæ mentis: sic lingua aspera multúmque sicca, phrenitidem ipsam denunciat. Sed tamen vtrinsque signi sic comparata ratio est, vt neutrum habeat τεκμαρ ad indicandum, nisi quatenus affectionis consectarium est quæ in quæstionem adducitur. Exempla sunt multa in Epidemiis.

Ergo. LINGVA ASPERÆ.] Sic enim legendum duximus, authore Galeno. Nam Græcum illud, ἀκονία, nomen est inchoatæ inæqualitatis, quàm facit inchoata siccitas. Lingua madescit & molliuscula est, à consociali humore quem accepit ex vasis & glandulis saliuæ vberibus. Sed ea saliuæ vbertas cùm primùm exarescere incipit, tū lingua fit ὑπόξηρος, i. rigidiuscula (quam paulò antè τραχείας nominauit.) Sin autem siccitate processerit, asperitas maior percipitur. Quòd si etiam siccitatis summa sint omnia, tum vlceratur lingua; non secus atque squalor diuturnus terram hiulcat. Ergo linguæ asperæ multumque siccæ, exhaustis saliuæ fontibus atque riuulis vnde humescebant, per febrilem ardorem & cerebri incendium. *cōment. ad prorr. 1. t.*

PHRENITICÆ.] Per sympathiam cerebri æstu incandescentis; quemadmodum linguæ tremulæ quæ sponte sua, non autem nostra mouentur, signa sunt haud solidæ mentis.

7 Ὀδόντας συνερίζειν ἢ πρίειν ᾧ μὴ συνήθες ἐκ παιδίου, μανικὸν, καὶ θανάσιμον· ἤδη δὲ παραφρονῶν ἢν ποιέῃ τοῦτο, παντελῶς ὀλέθριον. ὀλέθριον δὲ καὶ ξηραίνεσθαι τοὺς ὀδόντας.

Collidere dentes aut stridere, si cui à puero familiare non sit: fanati-

cum, atque mortiferum. Quòd si quis iam demens id faciat; omnino funestum. Pestiferum est etiam dentes exarescere.

MAGNA SVNT etiam argumenta ad bene scienterque præsagiendum, quæ ducuntur ex partium illarum actionibus quarum vitio dentes, iniussu nostro commissi, colliduntur, crepitant atque strident; partim ipso crepitu, crepundiorum more sonori; partim stridentis plaustri, aut serræ secantis modo, fragosi.

Ergo. DENTES.] Octo primores, canini quatuor, & viginti molares in vtraque maxilla, vtrinque per gomphosin coarticulati: quibus in ore constructis manditur, extenuatur, & molitur omnis cibus. 10

COLLIDERE.] Vt, quasi quodam mordendi studio, firmiter ad se inuicem adhærescentes, mutuo attritu stridorem edant velut fragosum; qualis in molarum collisione auditur, vnde significatio sit conuulsorum maximè temporalium musculorum.

AVT STRIDERE.] Erat mihi animus verbum illud τρίζειν, & Latinum, *stridere*, per eam paraphrasin explicare quam apposuimus τῷ συνερείζειν. Sed non fuit satis animi, quòd animaduerterim Galenum eam dentium τρίσιν comparate vagis oculorum coniectibus, qui vulgo ἴλλωσις dicuntur. Ergo stridere dentibus planè significat dentium strepitus, qui vt in crepitaculis crebro allisu cientur (*claqueter* Galli vocant) quod est tremoris argumentum: vt illud collidere, conuulsionis.

SI CVI A PVERO FAMILIARE NON SIT.] Natura scilicet, aut instituto parta collidendi aut stridendi consuetudo; nec vlla sit puerilis ætatis excusatio in quibus hæc fiunt. Nam pueri conuulsionibus facilè exercentur, si febris acuta est, si aluus nihil reddit, si vigilant, si expauescunt. Denique si ita comparata tremoris & conuulsionis ratio, vt neque facultas, neque ipsius facultatis principium in vitio sit firmiter fixo. 20

FANATICVM.] Nam grandiores pueri atque viri non tam facilè in febribus conuelluntur, nisi signum aliquod valentissimum deterrimumque accesserit: qualia pleraque in phrenitide exoriuntur. *Phrenitici sputatores, fanatici, num etiamne tremuli?* Obseruabit studiosus temporales musculos, & masseteras, quorum a[illegible]ictione per sympathiam cerebri exhausti, dentium stridor & collisio contra naturam & institutum ægri cietur, incidente tremore, conuulsionem & collisionem adferre maxillæ inferiori. Sed ea conuulsio coniunctam non habet insaniam: sed τὸ κάτοχον συνθλώ[illegible]. Tanta enim præstantia temporalium musculorum, vt etiam solùm ἀλλοιούμενοι, ἢ ἐντεινόμενοι παρὰ φύσιν. *i. alterati & intenti contra naturam*, adferant τὸ καρῶδες, vel, vt scripsit Hippocrates, sunt ipsi καρώδεες. 30

2 lib. περὶ ἀρχῶν. prorrh. 14. f. 1. 1.

MORTIFERVM.] *E potestate mentis à melancholia exeunt; quibus tremores oboriuntur, malè sunt.* Vbi κακοήθες nomen, vt demissè dictum, Galenus emendat, ac pro eo substituit θανάσιμον. Tales enim progressus facit phrenitis ad interitum, vt suprà ostendi.

QVOD SI QVIS IAM DEMENS ID FACIAT, AD VLTIMA VENTVM ESSE TESTATVR.] Ac si diceret; si à phrenitide valentissima deterrimáque, afflictionem descriptam ostendat musculorum cerebro communium & propinquorum, per sympathiam exhausti principij & facultatis effœtæ; nullam salutem vitæ ampliùs posse videri sperabilem planè testatur. Itaque melius est delirium superuenire tremori, quàm tremorem delirio.

PESTIFERVM EST ETIAM DENTES EXARESCERE.] Causæ sunt explicatæ in lingua. 40

8 Ὀδόντος σφακελισμὸς ἀπόστημα παρὰ οὖλον φυόμενον λύει.

Dentis sphacelismus abscessum in gingiua exoluit.

DENTIVM stridor, itemque fragor quemadmodū fiant in morbis acutis, & quæ signa syllogistica inde ducantur, demonstratum est superiore prognosi. Nunc de affectionibus dentium quæ proprio ipsorum vitio inesse dicuntur, non alieno; sicut fragor & stridor à tremore aut conuulsione temporalium musculorum & masseterum. Illic enim dentium veluti rixæ & prælia cernuntur & audiuntur: sed tamen non sunt in vitio dentes ipsi. Hic autem secus est illis. In promptu est sphacelismus, in quo malorum eximia vis est inter omnia quæ dentibus possunt accidere. 50

Ergo. DENTIS.] i. Ossis acerrimi sensus, quod tantum atteritur, quantum molendo mandit ac tandiu crescit, quoad quiescit; omnium affectionum capax, omnibusque morbificarum causarum telis expositum, quibus & caro ipsa, nec cum minori perceptione rei molestæ; vnde sæuissimis doloribus cruciatur, in quoque symptomata conspiciuntur omnia intemperiei, phlegmones, continuitatis, & contiguitatis emotæ.

SPHACELISMVS.] i. Absoluta dentis corruptio, in desperatione viuacitatis. Tametsi enim sphacelus vniuscuiusque substantiæ corruptionem in omni parte complectitur: propriè tamen significatio eius ad ossa transfertur; vt nomen gangrænæ, ad carnes. Itaque καταγεγάγη cerebrum sphacelatum iam dixit, cui gangrænæ potiùs competit appellatio. Dentium autem sphacelismum facit, vel concepta in ipsis causa, vel gingiuarum corruptio: quemadmodum in tremore capitis, diffluens caro saniē, vermiculatum os facit caluariæ quæ politissima erat. 60

ABSCES-

ABSCESSVM IN GINGIVA EXOLVET.] Ac si diceret; dentis sphacelismus contiguitatis emotæ vitio incidit, propter affluxum ichoris, aut magnæ phlegmones feritatem: quoniam locati locus est conseruatio; quod in pueruulis cernere est qui fiunt galianc*ones, luxata brachij arthr*dia; & quæcumque ossa vitium attingunt, incremento prohibentur. Si igitur vel sponte sua excidat, vel chirurgia radicitus auellatur, vt necessariò auelli debet (quoniam omne viuens consortis mortui impatiens esse solet) ex euentu abscessum exoluet qui corruptionis causam dedit. Quod etiam faciendum præcepit Hippocrates, vbi demonstratio huius prognoseos continetur. *Quotiescumque dolore tentantur dentes; si cariosi sunt, si commouentur, veniunt auellendi; integri & immobiles vrendo exsiccandi. Iuuat etiam masticatio*, τὸ διὰ ... μα lib. περὶ παθῶν. Idem lib. 5. τῶν ἐπιδ. narrat Aspasij filiam leuationem habuisse odontalgiæ, infuso
10 castorio cum pipere.

9 Επὶ ὀδόντος σφακελισμῷ πυρετὸς ἐπιγινόμενος σφοδρὸς, καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον· ἢν δὲ σώζωνται, ἕλκεα ἐκπυήσει, καὶ ὀστέα ἀφίσαται

Si dente syderato ingens cum delirio febris accesserit; mortiferum: Sin autem periculo defunganturvlcera suppurabunt, ossáque absce-
20 *dent.*

SI DENTE SYDERATO.] Non quidem ab ichore & phlegmate putri, cuius quidem tabe excauantur dentes quos non domat ignis, flammave cremat; nec verò à cibis in aluo bilescentibus, aut mala & vitiata eorum gomphosi in alterutra maxilla: sed ab inflammatione cum pulsu & summa doloris acerbitate coniuncta, quam peperit sanguinis bile perfusi affluxus. Hic autem sphacelismum vocat, inchoatam syderationem: quemadmodum suprà in cerebri sphacelismo ostendimus, vbi ἐγκέφαλον σφακελίζοντες, non autem, σφακελίσαντες, legendum censuimus.

INGENS FEBRIS.] Per propagationem causæ morbificæ ad cor, quod etiam crebrò accidere scripsit Hippocrates, calce perfracto.

CVM DELIRIO.] Hic operæprecium fuerit Galenum philosophantem audire super eo sympto-
30 matum concursu qui consecutione fit calcis perfracti. *Consentit cor, per arterias, per neruos, cerebrum. Atqui cùm sit cor caloris natiui fons & officina, cerebrum ratiocinationis; consequens illud erit, febrem esse à corde, delirium, à cerebro. Atque in his casibus, sympathiæ vis magna lucet quæ in officij communicatione, & vicinitate principiorum & insitorum consistit.*

MORTIFERVM.] Est enim spes in angusto, cùm febris ingens accessionem habet prægrandis delirij.

SIN AVTEM PERICVLO DEFVNGANTVR.] Pepasmo & excretione libera, vt hæmorrhagia est.

VLCERA SVPPVRABVNT.] Victrice natura, & feritate morbi exclusa, & inchoati sphacelismi ad integritatem reditu.

40 OSSAQVE ABSCEDENT.] Luxata gomphosi dentium per supporatum; aut eorum iam corruptorum exclusione: quoniam πᾶν τὸ ἔξαιμον καὶ ἀλλότριον, ἀφίσταται ἀπὸ τοῦ ἐναίμου καὶ ζῶντος. i. *Exangue omne & alienum, à sanguineo & viuente separatur.* (lib. de capit. vulneribus.)

10 Οἷσι περὶ τὴν ὑπερῴην ὑγροῦ συστροφὴ γίνεται ὡς τὰ πολλὰ ἐκπυΐσκεται. (malè ...)

Quibus ad palatum humoris collectio est; fere fit purulenta.

50 TVMORVM omnium crises fere sequuntur naturam humoris morbifici & partis obsessæ. Atque vt comparata vtriusque ratio est κατὰ φύσιν: sic diaphoresi aut suppurato tumores exoluuntur. Vt autem alterutrius vel vtriusque conditio est παρὰ φύσιν, ἢ παρὰ λόγον τῆς φύσεως; ita gangrænæ, aut scirrhi consecutio adferri solet. Omnino enim, quicumque in partibus assurgunt tumores mutationem suscipiunt, aut digestionis, aut suppurati, aut gangrænæ, aut scirrhi. Atqoe ex illis quatuor mutationum generibus, priora duo sunt κατὰ λόγον τῆς φύσεως: posteriora verò παρὰ λόγον. Quæ cùm ita sint, considerandum, sitne omnino suppurabilis quæ ad palatum assurgit humoris collectio.

QVIBVS AD PALATVM.] i. Ad partem oris superiorem, fornicis modo, conuexam modicè, nec admodum cauam, vt in iis qui κεφαλὴν habent φοξὴν. fulcro cuneiformis ossis subnixam, foraminulis obsitam expurgandæ pituitæ dicatis, sed crassa membrana obductis, quam à ventriculo accepit. Est au-
60 tem cerebri basis quædam.

HVMORIS COLLECTIO EST] Sic enim συστροφὴν legendum & iotetpretandum duximus, quòd ea sola suppurati sit capax: quàvis & σύστασις huiusmodi esse videatur. Nam & Hippocrates omne rheuma, i. fluxum distinxit εἰς τὸ ὁρμώμενον καὶ τὸ ξυνιστάμενον, i. *in concitatum & consistentem.* Sed tamen conuenientiùs multò ad propositæ quæstionis decisionem, ἡ συστροφὴ legenda & explicanda videtur, quàm σύστασις. Multa enim συνίσταται, quæ non συστρέφονται, i. *consistunt quæ non colliguntur.* Nam qui humores (3. Epid.)

praui & efferi confluunt in partem aliquam, ibique cumulantur firmiter fixi, propriè dicuntur συστρέφεσθαι. Atque ex eo verbo συστροφαὶ nominantur, quæ suo ambitu continent tumores contra naturam à fluxione ortos, quorum ἰατρικὴν ad sanationem solùm occurrit phlebotomia. Omnium enim morborum systrophæ, alioqui sanabiles, fiunt insanabiles; nisi earum curatio initium ducat à sanguinis detractione; maximéque si pro phlebotomia purgatio præscribatur. Eam τῆς συστροφῆς conditionem atque naturam prudenter Hippocrates animaduertit in illo. *Quibuscumque mulieribus sanguis intra mammas conculcatur, συστρέφεται maniam prænunciat.* Quod non facit ipsius sanguinis αἴτιον, procreando lacti ad mammas cursum inflectentis. Sed quoniam ea collectio ferè purulenta euadit, quærendum videtur vtrum suppurari laudabilis ea mutatio suscipiatur & fiat. Extitisse dicuntur in tempestate pestifera quorum abscessus mutationem purulentam habuerunt, cum ligamentorum, ossium, & musculorum prolapsu. Nam à communi putredinis causa quæ putrescunt singula, propriam quæque obtinent corruptionis differentiam. Ergo non omne suppuratum in bonis ducendum. Nec verò omne rheuma ἀπεψίηφον fit simile bono puri; sed alia corruptio peior priore nascitur, vt est in eodem 3. Epidem. Quæro igitur an suppuratum laudabile semper sperandum in ea humoris collectione circa palatum. Enimverò suppuratum laudabile potiùs miraculo apponendum, quàm in validæ partis natura, humorisque mitificabilis mansuetudine sperandum. Nam ea collectio in palato non facilè fit, foraminum pleno, & si acciderit, præclusis foraminibus, membranam densiorem corrumpit ex facili, ossáque remuia, quæ cùm exciderint verissimum illud esse testantur quod scripsit Hippocrates: Οἷσιν ἐστὶν ἀπὸ ὑπερῴης ἀπέστη, τούτοισιν μέση ἡ ῥὶς ἵζει· ἧσι δὲ οἱ ὀδόντες, ἄκρη σιμοῦται, i. *Quibus os à palato abscedit, in medio naris resimatur. At quibus illud cui adhærent dentes, resimatur extima.* Pertinet hæc prognosis ad curationem virulentiæ, quæ nihil aliud est quàm propagatio phymatum virulentorum, quam facit humorum & viscerum conspurcatio ex contagione impura. Vide lib. 2. ἀρὶ νόσων, vnde prognosis hæc desumpta est.

[lib. 4. acut. 21.] [aph. 40. 5.] [3. Epid.]

11 Τὰ περὶ γένυας ἀλγήματα σφοδρά· κίνδυνον εἰς ὀστέα ἀποπλάσιν ἐλθεῖν.

Saui maxillarum dolores, excessuri ossis periculum adferunt.

EADEM ratio huius prognoseos quæ adducta est in suppurato collecti humoris ad ipsum palatum.

12 Χεῖλος συσπώμενον σημαίνει κοιλίης χολώδεος κατάρρηξιν.

Labri concussio biliosam aluum prorupturam ostendit.

A DENTIBVS & maxillis, ad labia transeundum, quorum affectiones eadem methodo quærendæ & examinandæ, qua in aliis faciei partibus vsi sumus. Sed eam quærendi & examinandi methodum in propositionis ipsius & singularum vocum explicatione indicabimus, hoc modo.

LABRI.] i. Oræ ipsius oris, quæ tum ad efformandas voces, tum ad mulgendas nutricum papillas facta est, atque quodammodo sculpta ex confusanea cute & musco, vt verè dici possit μῦς δερματώδης, ἢ δέρμα μυῶδες, i. *musculus cutaneus, aut cutis musculosa.* Ipsum verò labrum tali substantia præditum, quatenus vtrinque musculis iussu nostro mouetur; sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum; antrorsum, retrorsum.

CONCVSSIO.] Sic enim χεῖλος συσπώμενον idem significare hoc loco putamus, quod χεῖλος τὸ κάτω σειόμενον, i. *labrum inferius concussum.* Non enim diastrophe hic fingi potest ab exolutione partis oppositæ, aut conuulsione laborantis; nec verò κίνησις σπασμώδης quem facit vtriusque partis conuulsio. Hæc enim firmiter fixa, non aliunde continuationem accipiunt, quàm à cerebri afflictione. Atque ea concussio per sympathiam accidit ventriculi concutientis se ad excussionem rei molestæ: quemadmodum ptyelysmus. [4. acut.]

BILIOSAM ALVVM PRORVPTVRAM OSTENDIT] Quoniam illa concussio labij, consectaria est acerbissimi morsus in stomacho; proptereáque signum est vomitionis acerrimorum humorum.

13 Τὰ ἀπὸ οὔλων αἵματα κοιλίῃ ὑγρῇ· ὀλέθρια.

Qui è gingiuis insuper aluo liquida, sanguis exudat; pestiferum.

HÆC DECISIO, his expressa literis legitur ad finem huius diuini operis, prognosi penultima. Ἐν κοιλίῃσιν ὑγρῇσι, τὸ ἀπὸ οὔλων αἷμα ἀπορρέειν· θανατῶδες. i. *Aluo humida sanguinem è gingiuis effluere; mortiferum.* Non.n. ea ἀπόρρυσις manat à systrophe morbi qui leuationem adferre solet, vt in pleuritide, ophthalmia, phrenitide, cancro. De quo scriptum illud reperio in Epid. l. 5. & 7. *Apud Abderitas mulieri cuipiam in pectore obortus est cancer, effluebat autem è papilla sanies, quæ suppressa mortem attulit,* sed exoluta retentrice po-

ce potentia, & sanguinis ichorωσι prauitate, cum distillatione ferina quæ totum os primùm, deinde verò ipsum ventriculum facit aphtosum, vnde labefactatio naturalis œconomiæ, quæ potissimùm cernitur in lienteria, & vitiata hæmatωσι, cuius virium maximè patet in gingiuis quarum simplicissima caro est. Qualis igitur est αἵματος ἐξέρυθρσις in iecoris exolutione; qualis etiam sudor cruentus quem facit ichorosus sanguis exudans per cutim: talis & cruor qui è gingiuis elabitur. Cæterùm vt pestifera est dysenteria hepatica; vt etiam calamitosa lienteria quæ superuenit oti aphthoso, maximè verò grauidis quibus omnem gerendi & nutriendi opportunitatem adimit, proptereáque abortionem facit: sic etiam mortiferum denunciat malum qui è gingiuis ichorosus sanguis exudat: quoniam labefactata iamdudum naturali œconomia, cum desperatione τῆς ἀνορθώσεως, vires effœtæ breui ad interitum sunt collapsuræ, per consumptionem vitalis principij, & paupertatem nectaris viuifici.

Aristot. c.19.lib. 3.hist.

14 Πτύαλα ἀναχρέμψιες ἐν πυρετῷ πελιδναὶ, μέλαιναι, χολώδεες· πᾶσαι μὲν κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ κατὰ λόγον χρήσιμοι.

Malè fuit [illegible].

Sputi in febre expurgationes liuidæ, nigræ, biliosæ; omnes omninò malæ. Quæ autem conuenienter procedunt, salubres.

ΑΝΑΧΡΕΜΨΙΕΣ hîc idem quod ἀναπτύσεις, faciles & expeditæ; vel impeditæ & difficiles.

IN FEBRE.] Quæ nec intermissionem habet, nec dum vllam pollicetur: sed contrà quæ perpetuum ciet excursum ad thoracem, cùm eductio nulla leuationem adfert. *Praua sunt omnia sputa quæ nullam doloris leuationem adferunt.* 2.progn.

LIVIDÆ.] Argumento putredinis fœdæ quæ à morticinio partis vnde venit, separata esse nequit.

NIGRÆ.] Quæ sunt meracarum omnium pessimæ. 2. progn. *Si ita meracum sit sputum, vt nigrum appareat, deterrimum.* Est autem facta eiusmodi, vel perusta bile æruginosa; vel causa ipsius νεκρώσεως, i. *mortificationis.*

BILIOSÆ.] Æruginosæ, quæ sputa vocauit χλωρά. Huius generatio fertur accepta perustæ bili flauæ, quæ, participatione seri, antè quidem erat ὠχρά, i. *pallida*, nunc eo exhausto, redditur flaua & vitellina.

OMNES SVNT PRAVÆ.] Quoniam vacuationes malæ, malarum quoque affectionum signa existunt. Atqui meracorum excrementorum vacuationes sunt malæ. Appello meraca, expertia sui naturalis seri, à consumptione ardoris febrilis, vel in obsessa parte, vel in vniuerso corpore.

QVÆ AVTEM CONVENIENTER PROCEDVNT.] Si sunt flaui sputi accuratè pituitæ permixti, aut sanguine perfusi; non tenuis proindéque fugacis, vt in ferina destillatione; non etiam viscidi & glutinosi, quod exhibet contumaciam: si inquam, sputorum istiusmodi liberæ sint & copiosæ vacuationes, morborum initiis, quæ mali leuationem adducant, spirandi libertatem restituendo.

SALVBRES.] Quoniam καλῶς καὶ κοσμίως, i. *bellè & concinnè* suscipiuntur, proptereáque conferunt, & alacriter referuntur ab ægris.

Ex his apparet τὸ ἐπισχεῖν, quod erat in libro, rectè fuisse à nobis mutatum in τὸ ἰέναι. Cùm ex illo sequutum fuisset id absurdi, quod sputum quodcumque, modò ne suppressum, in bonis haberi deceret; etiam æruginosum, immo liuidum & nigrum.

15 Οἷσιν ἁλμυρώδεα πτύελα καὶ βὴξ ὑφίσαται· τουτέοισι χρὼς ἐρυθραίνεται, οἷον ἐξανθήματα· πρὸ δὲ τῆς τελευτῆς τραχύνεται.

Si cui sputa salsa, vnáque tussis quiescunt, illi rubet corpus velut exanthematis obsitum: sed ante interitum exasperatur.

SI CVI SPVTA SALSA.] Quæ sunt eiusmodi vel à putredine pituitæ, vel à seri biliosi cum pituita permixtione; eáque salsilago tabifica est, facitque siccam tussim cum raucitate coniunctam quæ nisi lapsu consequentis temporis quiescat, alteram tabis efficit differentiam à primitiua pulmonum exulceratione.

QVIESCANT CVM TVSSI.] Infirmitate partis quæ ampliùs concuti nequit ad promouendam expurgationem humoris tabifici qui in pulmonibus residet.

ILLIS RVBET CORPVS VELVT EXANTHEMATIS OBSITVM.] Pustulæ toto corpore pullulant; ab erodente sanie per ipsum diffusa.

SED ANTE INTERITVM EXASPERANTVR.] Quoniam partes solidæ suo defraudatæ alibili succo, & spiritus tabifici appulsu, & febre lenta; non solùm rigidiusculæ sunt, verùm siccitatis intensione, maiorem inæqualitatem concipiunt. Hoc est documentum phthiseως quam facit in corporibus nostris, ϕθόη.

16 Ἀνάχρεμψις πυκνὴ, ἤν δή τι καὶ ἄλλο σημεῖον προσῇ φρενιτικόν.

Screatio frequens, si quod aliud signum accesserit: phrenitidis nuncia est.

Hvivs prognoscus demonstratio legitur in 6. 12. & 30. sectionis primæ prioris prorrhetici; ex quibus nos etiam commentarium scripsimus ad 99. 1. lib. Quamobrem ne abuti videar otio & literis, mihi religio est denuo scribere περὶ τῶν αὐτῶν τὰ αὐτά.

DE VOCE.

CAP. VIII.

Αἱ μετὰ ἐκλύσιος ἀφωνίαι κάκισαι.

1. *Quæ cum exolutione veniunt vocis carentia, pessima.*

Versatvr illud in peruagato medicorum sermone, nullam vitæ salutem posse videri sperabilem, quando vis morbi cuiusque asperrima cum vitium exolutione coniuncta est. Atque illud the-re-ma catholicum legibus & exemplis medicinæ clarissimum fecimus comment. ad 22. 1 lib. Quemadmodum igitur *ex rigore cum cephalalgia exolutiones, mortifera*, quemadmodum etiam *deliria fractu tam viribus, pessima*, sic etiam *quæ cum exolutione, vocis carentiæ sunt, pessimæ.* Quoniam autem de aphonia & exolutione multa iam scripsimus; sufficiet hoc loco dicere, τῆς ἀφωνίας καὶ ἐκλύσεως ab iisdem fontibus principia, causasque ducere, eorumque symptomatum τὴν ὕπαρξιν consistere in extinctione caloris natiui: vnde paupertas materiæ vocalis: & facultatis motricis infirmitate, vnde vocalium instrumentorum ad ἐκφώνησιν, *i. efflationem*, & modulationem impotentia. Vide comment. ad 22. & 35. prioris libri.

2 Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παρακρούσιες· πονηρὸν, καὶ θηριώδεες.

Deliria paulisper ferocia, mox erunt immania.

Vide 54. & 90. prioris lib. & Galenum comment. ad prorrh. 25. s. 1. 1.

3 Οἷσι φωνὴ ἅμα πυρετῷ ἐκλείπει μετὰ ἀκρισίας· τρομώδεες θνήσκουσι.

Quibus cum febre vox hæret post acrisiam: tremuli moriuntur.

80. Coac. 1. lib.

Vetvs illvd scitum est; melius multò esse naturam quiescere, quàm aliquid frustra moliri. Nam & acrisiæ in febribus, in causa sunt diuturnitatis; non tamen funestæ, si vacationem habeant erethismi, i. proritationis: Quæ verò acrisiæ manant ab irrito erethismo; illæ sinistri iudicij esse solent. Ac tales acrisiæ per oppressionem & malam translationem, crudelissimi doloris atque interitus, non tarò, consecutionem adferre solent. Quæ causa est cur ita scripserit summus præceptor. ὠμὰ καὶ ἄπεπτα καὶ ἐς κακὰς ἀποστάσιας τρεπόμενα· ἀκρισίας, ἢ πόνους, ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτῶν ὑποστροφάς. i. *Cruda nec cocta, & in prauos abscessus conuersa, acrisias, labores, mortes faciunt, vel eorumdem recursus.* Sed cùm irrita omnis contentio terrifica est; tum illa maximè quæ frustra rigorem ciet, cuius inanem concussionem hîc subaudite oportet, quæ in illo prætermissa non est. *Quæ ex rigore incidunt aphoniæ; tremore excutiuntur.*

Ergo. Qvibvs.] In cruditate humoris morbifici, cum prauitate signorum omnium constitutis.

18. Coac. 1. lib.

Cvm febre.] Quæ intermissionem habet, nec vllam ostendit sperabilem.

Vox hæret.] Faucibus, nec de pectore depromi potest, propter infirmitatem summam intercostalium musculorum; siue illa causam habeat oppressionem; siue exolutionem potentiæ animalis, vnde suscipi nequit, nec perfici valida exsufflatio ad vocem edendam.

Post acrisiam.] Vel meliùs acrisias, frustra sæpenumero tentata crisi; quæ contentio quò frequentior est, eò peius res eunt: vt si crebrò cientur rigores fractis iam viribus ægri. Atque illud nomen τῆς ἀκρισίας, non quidem pro crisis vacuitate vsurpandum videtur, quam diximus causam haberi diuturnitatis, non interitus, quæque in pepasmi difficultate consistit, propter humoris morbifici contumaciã: sed potiùs atque veriùs, pro ea secundi generis acrisia, quam crudi humores, & in malos abscessus cõuersi attulere; per quam morbus vires acquirit eundo. Est igitur acrisia duplex; vna quidem, quæ vacuitatem crisis habet; altera verò, quæ crisin obtinere non potuit. Atque illa quidem mutationis expers

pers est,hæc verò prauæ particeps, prauique abscessus. Quòd autem acrisia sit irritæ mutationis consectaria, perspicuum fit ex eo quod scripsit in prorrhetico in eandem sententiam. ἐν φωναὶ μετὰ κρίσιος ἐκλείπουσαι, μετὰ φυρήσιος τρομώδεος. Vbi sanè illud, μετὰ κρίσιος, nihil aliud significat quàm ἀνωμαλίαν. prorrh. 39.S.1.1.

Tremvli morivntvr.] Pertinet hoc ad explicationem prognoseos illius. *Quæ ex rigore incidunt aphoniæ, tremore exoluuntur:* quod, mea quidem sententia, per sarcasmum scriptum est; quemadmodum & illud: Οἷσιν ἐν καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακρουσιν λύει.i. *Quibus in causis tremores fiunt, eos delirium exoluit.* Certissimum enim est, omnem aphoniam quæ à rigore venit cum virium exolutione, sanari non posse: quoniam inde significatio fit exolutæ potentiæ animalis cum extinctione caloris natiui. Nec sanè video quæ causa possit esse tremoris in exolutionem virium incidentis. 28.Coac. 1.lib. aph.26. 6.

4 Αἱ ἐν πυρετῷ ἀφωνίαι σπασμώδεα τρόπον: ἐκςᾶσαι σιγῇ· ὀλέθριαι.

Quæ in febre conuulsiuæ, sunt aphoniæ, si cum silentio fanaticæ fiant; mortiferæ.

Extat Galeni paraphrasis in hanc prognosin quæ sic habet: Αἱ ἐν πυρετῷ ἀφωνίαι, καὶ σπασμώδεα τρόπον γινόμεναι. τελευτῶσαι δὲ εἰς μετὰ σιγῆς ἐκστάσιν· ὀλέθριαι i.*Quæ in febre conuulsifico modo fiunt aphoniæ, si cum silentio insaniæ successionem adferant; mortiferum habent malum.* Nos igitur, ne aberremus, Galenum ducem sequemur hoc modo. prorrh. 19.S.1.1.

Qvæ in febre.] Aucta symptomatis atque grauissimis ægri damnis, propter acrisiam ex irrito erethismo: & cruditate ac feritate humoris morbifici in prauos abscessus conuersa.

Convvlsivæ svnt aphoniæ.]Quæ conuulsifico modo existunt, iniussa collectione partium materiam vocalem exprimentium, deducentium, excipientium, & modulantium: qualis aphoniæ causa consideratur in catalepticis & in ebriis qui voce capiuntur conuulsi. Atque multùm interest inter causas propositæ aphoniæ, & eius quam cum exolutione fieri iam demonstrauimus per extinctionem caloris natiui, & summam infirmitatem potentiæ animalis, proptereáque fatalem ad interitum iamiam futurum.

Si cvm silentio fanaticæ fiant.] Metonymia est afflictionis pro afflicto. Ac si diceret; si homines voce capti è potestate mentis exeant cum silentio, quod fortè cuipiam ridiculum videri possit, qui existimatit omnem aphonum necessariò reddi ἄναυδον, proptereáque mirum non esse, eum silere qui voce sit captus. Sed intermissione temporum hæc distinguuntur, vt in Pythione, qui altero die morbi fuit ἄναυδος, ἄφωνος, καὶ βραχύπνοος, i. *silens, voce captus, breue spirans.* Itaque si dissipata, vel aliò conuersa conuulsionis causa, vocem recipiat; nec tamen loquatur, ac lingua in vitio non sit; perspicuum est illud silentium excessus melancholici, vel melancholicæ insaniæ symptoma esse. Ex quibus ita mens in officio laborare videtur, similiter sunt affecti vt illa Dealcis vxor, quam vel nugarum garrulitate, vel silentio, eximiè phreniticam & fanaticam fuisse narrat Hippocrates. Qua de re illud extat iam explicatum. *Qui cum silentio è potestate mentis exeunt, nec voce sunt capti, mortiferum habent malum.* Etenim, quemadmodum feritate bilis atræ fit ἔκστασις illa μελαγχολική: sic alienatio cerebri à diuturna & vehementi alteratione, cùm scilicet exaruerit, tùm pro clamore, silentium; pro iactatione, segnicies; pro artuum contentione, leuis tremor; pro vigiliis, coma & cataphora veternosa. 71.Coac. 1.lib.

Mortiferæ.] Quoniam omnis partium nobilium alienatio desperationem salutis ostendit. Sic vxor Dealcis interiit. hist.15. se.3.3. Epid.

5 Αἱ ἐκ πόνου ἀφωνίαι δυσθανατοῦσι.

Qui ex dolore voce sunt capti; crudeliter moriuntur.

Qvoniam aphonia vndecumque venerit in morbis acutis, celeritatem moriendi ostendit; nunc ex dictione causarum ipsius aphoniæ, cuiusmodi sit; moribundorum ab illo casu, interitus docere instituit.

Ergo. Qvi ex dolore] i. Acerbissima conuulsione intercostaliom musculorum, quæ initiis morborum illapsa, firmiter fixa manet, nec intra eam qua incidit, horam, discutitur: alioqui febris medicatoria. 163.coac. 1.lib.

Voce svnt capti.] Denegata expressione & appulsu vocalis materiæ ad instrumenta φωνητικά, & impedita eorum modulatione ad vocem edendam.

Crvdeliter morivntvr.] Crudelissima morte intereunt, hoc est, vt Græci loquuntur, ῥηΐδιως ἀποθνήσκουσιν: vt contra, qui cum exolutione voce sunt capti; λαθραίως, clam. Crudeliter autem moriuntur, symptomatum vehementia in doloris acerbitate, meteorismo difficilis respirationis, iactatione, cephalalgia, delirio quoque ipso.

6 Αἱ μετ' ἐκλύσιος κατόχως ἀφωνίαι ὀλέθριαι.

Quæ cum exolutione firmiter fixa, sunt aphoniæ funestæ.

Enimvero duplex est omnino causa τῆς ἀφωνίας, vna quidem quæ διὰ τὴν τάσιν σφοδρὰν, i. *tensione forti*, altera verò διὰ τὴν ἔκλυσίν τε, καὶ χάλασιν τῶν τὴν φωνὴν ἐργαζομένων μυῶν τε καὶ νεύρων, i. *exolutione & laxitate musculorum neruorumque vocem edentium*. Atque illa quidem quæ in tensione consistit, fatalis est ad crudelissimam mortem, hæc verò, ad sensionis expertem. Nam aphonia cum exolutione musculorum atque neruorum firmiter fixa, moriendi sensum adimit. Quod superest, hic nullæ sunt aliæ meæ partes, nisi vt quid sit τὸ κατόχως explicem, huic loco accommodatum. Ne longum faciam: catoche & exolutio existere simul nequeunt, vt neque τάσις καὶ λύσις. Nam catoche ἐν τῇ τάσει consistit. Erit igitur ἡ κατόχως ἔκλυσις, exolutio firmiter fixa. Quòd autem τὸ κατόχως in ea significatione vsurpetur, perspicuum fit ex illo Galeni. *Symptomata catocha non solùm dicuntur quæ vocatam inferunt catochen; sed & illa etiam quæ sunt firma & fixa.* Similiter idem ostendit, quod ἀνακλητικῶς iam explicauimus, κατόχως, λυγγώδεις, κατόχως ἔχουσι. Huc etiam pertinet prognosis illa iisdem expressa literis quæ legitur prorrh. 4. s. 3. 1.

prorrh. 2. s. 3. 1.

côment. ad prorr. 60. s. 2. 1. 47. Coac. 1. lib.

7 Αἱ καταχλώμεναι φωναὶ μετὰ φαρμακείην, ἆρα πονηρόν; τουτέων δὲ πλεῖστοι ἐφιδρῶσι, καὶ κοιλίας καθυγραίνονται.

Interruptæ voces à medicatione, vtrum prauæ? Ac sanè plurimis sudatiuncula exudat, & liquidis excrementis fertur aluus.

Voces κατακλώμεναι idem significant quod κατακλῶσαι φωναί. Atqui κατακλασμὸς nomen in artubus frequens est apud Hippocratem, quando iacente supino ægroto videtur ἐν κατακεκλασμένα cruta, ἢ διαπεπλεγμένα, i. *contracta aut implexa*. Sic etiam in oculorum & palpebrarum peruersione, κατάκλασιν vsurpauit, cùm ait. Ὀμμάτων θράσος φρενιτικόν, καὶ ῥῖψις αὐτέων, καὶ κατακλάσιες, i. *Oculorum contuitus audax phreniticus sic & coniectus frequens, & contortio.* Vbi Galenus sic ait. Κατάκλασιν λέγει τῶν ὀφθαλμῶν, ὅταν διαστρέφηται τὰ βλέφαρα. i. *Κατάκλασιν appellat oculorum cùm eorum palpebræ peruertuntur*, Est igitur κατακλᾶσθαι, τὸ διαστρέφεσθαι; & ἡ κατάκλασις, ἡ διαστροφή, ἢ καμπυλότης. Quæ cùm ita sint, quænam peruersio in voce fingi potest, quam in cruribus multùm contractis & implicatis, tum in extimarum palpebrarum curuatura Hippocrates annotauit. An verò sunt hic voces expressæ, quas in tempestate pestifera tabidos depromere solitos narrat, easque vocat insueto nomine κατικλώους pro κατεκλασμένας. hoc est, *distortas*: quamvis illud vitium aptius & significantiùs participium illud, ἰλλαινομένη, explicaret, vt in illo, δεξιὸν ἰλλαίνει. *dextro illosus fuit.* Vbi Galenus τὸ ἰλλαίνειν interpretatur διαστρέφειν, quemadmodum etiam commentario ad illam prognosin, Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομαὶ ὀφθαλμῶν ἰλλώσιες κακόν. i. *A lumborum ascensu, oculorum illosis, mala.* Sanè operæprecium est legere & intelligere Galeni philologiam super eo loco vbi φωναὶ κατικλώους vocat Hippocrates: sed ea relicta, mihi abundè sufficit philosophiam doctoris amplecti quæ profertur paulò pòst in huius prognoseωs explicatione. Ac certè constat ex perspicientia rei ipsius, caussarumque ipsam efficientium; voces hic dici κατακλώμεναι, quas illic κατικλώους nominauit: nisi quis fortè dictionum auceps reclamet, malè actiuum participium pro passiuo vsurpari. Iam verò cuiusmodi & quamobrem illa κατάκλασις φωνῶν, ἢ φωναὶ κατακλώμεναι, iam ad docendum aggredior.

comment. ad part. 30. s. 1. 6. Epid. part. 31. se. 1. 6. Epid.

3. Epid.

hist. 3. part. 1 & 8. part. 2. 8. Epid.

Voces interruptæ] i. Quæ faucibus hærent, in quibus materia vocalis quasi conglomerata subsistit; vnde φωναὶ κατικλώους, quales annotauit Hippocrates in tabidis, ex prolapsu catharri ferini materiæ vocali occurrentis, maximéque in tempestate pestifera, austrina, ventis placida, & pluuiosa, quæ caput replet ichore, hoc est, sero maligno, & pituita salsa. Huiusmodi autem sunt interuptæ, ex pari contensione instrumentorum vocalium, & materiæ vocalis obruptæ catarrho ferino. Idem quoq; non rarò accidere narrat phreniticis alia ratione, ob infirmitatem & contractionem intercostalium musculorum, vnde materia vocalis in via subsistit. Etenim quibus interrupta vox est, similiter affecti videntur vt ij quibus spiratio in faucibus eliditur, & vnica inspiratione spiritum bis terve recipiunt. Ac talis difficultas spirandi nominatur πνεῦμα προσκόπτον, i. *expiratio offensans*. aph. 68. 4. πνεῦμα διπλασιαζόμενον, i. *respiratio duplicata*, part 2. 2. Epid. πνεῦμα ὥσπερ ἀνακαλεομένου, i. *respiratio velut perrupta*, hist. 3. 1. Epid. πνεῦμα ἀνασπώμενον, i. *respiratio retracta*, in Philisco, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις, i. *duplex intrò reuocatio*, 6. Epid. πνεῦμα ἐγκοπτόμενον ἐν τῇ ἄνω φορῇ, i. *respiratio ascendendo intercidens*, 4. acut. Conuulsionis autem nuncia est hæc respiratio elisa in faucibus. Sed inter eam respirationem, & intercisam vocem, vel, vt ita dicam, intercalarem aphoniam, hoc interest; quòd illa sit afflictorum duodecim musculorum spirationi dicatorum, neruorumque ipsos mouentium symptomatica; hæc verò, tremulorum intercostalium & neruorum; vel ipsorum vitio, vel materiæ vocalis obruptæ catarrho ferino & ad perpendiculum illabente. Denique vocis interruptio in deprauatione consistit τῆς ἐκφυσήσεως, i. *exsufflationis*, cuius copia & libertate voces ex animi sententia depromi solent.

A medicatione.] i Si quis inconsideratè purgationi operam dederit, quæ vel ὑπεξάγουσα & ,,choleram, vel oppressionem attulerit, citata materia quæ citam exclusionem non habuit. Omnis enim ,,materiæ concitatio quæ citam expurgationem non habet, oppressionem facit, ægrumque damnis afficit; non secus atque acrisia ab irrito erethismo humoris morbifici, in malos abscessus conuersi.

VTRVM CALAMITOSA?] Sanè quidem. Nemo enim est omnium quem id nescire persuasum habeam.

AC PLVRIMIS QVIOEM EXVOAT SVDATIVNCVLA.] i. Vel toto corpore exudat roscidus humor, vel in capite & ceruice; idque per expressionem ab oppressione, vel exolutionem à cholera & hypercatharsi.

ET LIQVIOIS EXCREMENTIS FERTVR ALVVS.] Aut quia ventriculum tædet sui officij, aut quia prolapsu catarrhi serini inconsideratè citati scatet aphthis quæ ipsi sunt ægrorandi causa, & in officio laborandi; vnde funesta lienteria.

10 8 Ἐν ἀφωνίῃ πνεῦμα οἷον τοῖσι πνιγομένοισι πρόχειρον· πονηρόν· ἆρά γε καὶ παρακρουστικόν;

In aphonia respiratio vt in iis qui strangulantur sublimis; pestifera. Etiamne phrenitica?

IN IIS QVI non nisi recta ceruice, vt anginosi; aut nisi residendo respirant, vt peripneumonici, & asthmatici, respiratio multùm sublimis cernitur, μετέωρος: qualis in anginosa muliere. Hanc vocat πρόχειρον, quòd eius violenta ductio prima omnium sub aspectum veniat medici intuentis, ac
20 velut prima in promptu sit ad intuendum. Talem etiam difficultatem spirandi expressit, cùm ait: Οἷα πνεῦμα ἀϊσσον, ... [illegible] ... ἐγκέεται. Coac. 6. capit. 18. lib. 2.

ETIAMNE PHRENITICA?] Sanè quidem, si neruorum vitio sit hæc difficultas spirandi, non instrumentorum deducentium & excipientium.

9 Αἱ ἐκ κεφαλαλγίης ἀφωνίαι ἅμα ἱδρῶτι πυρετώδεες, χαλῶντα ἐφ᾽ ἑωυτῆς· διαίτα, χρονιώτεραι. ἐπιρριγοῦντα τουτέοισιν, οὐ πονηρόν.

30 *Quibus ex cephalalgia voce captis, vnáque cum sudore febriculosis, aluus laxatur iniussa; vt se collegerint, diu tamen laborant. Atque his superrigere non est damnosum.*

IN HAC prognosi varia metonymia est afflicti pro afflictione, & afflictionis pro afflicto. Sed eam metonymiam facilè nos & conuenienter ad nostri authoris ἔννοιαν conuertemus, Galenum ducem secuti, cuius extat dilucida paraphrasis comment. ad 1. prorrh. s. 3. 1.

Ergo. QVIBVS EX CEPHALALGIA.] Aucto capite morbificis causis, indéque meningibus alteratione & distensione afflictis, quòd in cephalalgia laboret neruorum origo, non autem in capi-
40 te sit localis affectio aphoniæ.

VOCE CAPTIS.] Per violentam contractionem musculorum atque neruorum, quam fecit materiæ cephalalgicæ translatio ad partes depromendæ voci dicatas: quæ aphoniæ causa & ratio in illa prognosi iam explicata est. *Quæ in febre conuulsiuæ fiunt aphoniæ, si cum silentio fanatica fiant, mortiferæ.* Coac. 4. huius 8. cap.

VNAQVE CVM SVDORE FEBRICVLOSI.] Qui sudor exprimitur ex humore tenui, cuius nimia abundantia natat caput, vnde etiam facultas retentrix multum oppressa fatiscit. Est autem re- vera sudatiuncula, quæ per expressionem symptomatica est, nec vllam febris remissionem adfert, nec facit vt æger tolerantiùs ferat morbum.

TVM ALVVS LAXATVR INIVSSA.] Non quidem liquidis excrementis ducta, sed fæcibus; quod est ancipitis euentus. Vacuatio iniussa ferè symptomatica esse solet mentis in officio laboran-
50 tis, aut exoluti sphincteris musculi.

VT SE COLLEGERINT.] Vt morbo leuari nonnihil videantur.

DIV TAMEN LABORANT.] Materiæ contumacia, & naturæ infirmitate. Nisi fortè ad exitium rapiantur, oppressa & labefactata parte cuius officium est vitæ tuendæ necessarium. Patet illa labes vocis interceptione, & alui citra voluntatem ductione.

HIS SVPERRIGERE.] i. His si super illa quæ dixi oboriatur rigor: vt illud, ἐπὶ, frequentiam hoc loco non designet.

NON EST DAMNOSVM.] Modò sudorem promoueat. Sic enim vis sepulta & languens excitabitur ad exclusionem materiæ morbificæ. Idem quoque faciet sternutamentum.

60 10 Αἱ μετ᾽ ἀφωνίης ἐκστάσιες ὀλέθριαι.

Si quis voce captus è potestate mentis exeat; morti est proximus.

QVIA quò plures facultates vitium admittunt; eò est pejus ægroto. Offensionem cerebri delirium arguit; vocis interceptio, neruorum principij.

11 Αἱ τῶν ἐπιῤῥιγέων ἀφωνίαι· θανάσιμον. εἰσὶ δὲ κεφαλαλγέες ἔστιν ᾗ τι ἐπιεικέως.

Quæ à rigore incidunt aphoniæ, funestæ. Sunt hi nonnihil cephalalgici.

QVÆ A RIGORE.] Vnde scilicet nulla excretio promouetur: sed translationem habet materiæ morbificæ ad diaphragma & caput.

INCIDVNT APHONIÆ, FVNESTÆ. Quòd ad præparationem suscipientis causæ accedat perennitas & vis efficientis: Nam præparationem suscipientis, cephalalgia antecedens declarat.

SEQVEBANTVR *prognoses quatuor, quas, quia in demonstrationem non cadunt, Duretus rejiciendas putauit: iniuria temporum accidisse dolens, quòd ex optimis pessimæ sint factæ.*

DE RESPIRATIONE.

Cap. IX.

ΠΝΕΥΜΑ, πυκνὸν μὲν καὶ σμικρὸν ἐόν· φλεγμονὴν, καὶ πόνον ἐν τοῖσι καιρίοισι τόποισι σημαίνει. μέγα δὲ καὶ διὰ πολλοῦ· παραφροσύνην ἢ σπασμόν.

1 *Respiratio frequens & parua; inflammationem, & laborem denunciat partium spirabilium. At verò magna & rara; dementiam, aut conuulsionem.*

IN MEDICINA nullus feracior locus est quàm de spirando. Hic nusquam quidem non est, nec vllam instituendæ prognoseos rationem patitur esse expertem sui in morbis acutis. Quoniam enim respiratio sic ad vitæ conseruationem necessaria est, vt eius fructus, vel ad punctum temporis, videatur posse carere; quemadmodum spirandi libertas præclarè ad salutem apparet & facit in omnibus morbis qui celeriter, continenter & vehementer mouentur: ita difficultas spirandi omnis terrifica esse debet, quando excusationem non habet, aut perturbationis criticæ, aut crisis ipsius. Bene res eunt viri illius qui in aduersa valetudine, maximéque autem cùm incanduerit æstu febrili, spiritum ducit ex facili. Et qui in libertate illa spirandi vnà cum doloris acerbissimi nobilium partium vacatione, & somni benignitate; qui, inquam, interierit Hippocrates vidit neminem. Nam facilis illa & liberalis respiratio, mirificos adfert sanitatis fructus, non solùm temperatione & expurgatione febrilis ardoris qui focum habet in corde: sed etiam instauratione nectaris ipsius viuifici, perennitatem à corde habentis, quo partium solidarum viuacitas recreatur atque reficitur contra calamitosam vim febris, vnde absumitur, atque quodammodo liquitur.

Principio enim omni animantium generi à summo rerum opifice Deo tributum est, vt viuacitati cuiusque fugaci tuendæ & instaurandæ, viuifica quædam res atque facultas suppeteret, ac veluti præsto esset, ne ipsa viuacitas ante diem deficeret. Hæc autem viuacitas mansionem habet in vitali principio partium solidarum, quarum virtus est ipsa natura fundata in humido primigenio spiritu & calore perfuso, quod à semine vtriusque parentis in matricem illapsum, fatalem intra se fouet & continet vitæ & interitus necessitatem, quæ μοῖρα μοιρίδιος dicitur fabricationis humanæ. Hinc vita hominum natura & necessitate fatalis. Ac natura quidem, τῷ διακρίνεσθαι, i. *per secretionem*; necessitate autem τῷ συμμίγνυσθαι, i. *per concretionem*. Cùm enim vitale illud principium, quod τὴν ἀρχὴν ζωτικὴν veteres nominarunt, perpetuam patiatur διάκρισιν complexionis suæ, ac temperamenti quoque sui ἀλλοίωσιν, nec aliunde conseruationem & instaurationem sui obtineat, quàm ex appulsu τοῦ ἀέρος, quam propriè & consideratè, nectar viuificum appellamus: quoniam illud nectar votis naturæ & vitæ omnino respondere non potest, quantumuis naturaliter sit constitutum; hinc venit altera fatalis moriendi necessitas, quam ἐν τῷ συμμίγνυσθαι positam esse diximus: quemadmodum idem si, vel alteratione eximia, vt in acutis febribus; vel corruptione & alienatione, vt in peste & phthoe, in vitio sit; citam mortem properare facit: ac tum iam ægri, non quidem fato, sed ante diem perire & mori dicuntur.

Verumenimuero quemadmodum ex complexione, & temperamento, ac spiritu prolifico vitalis illius principij, iacta sunt tria illa fabricationis humanæ fundamenta, quæ tandem in vitæ & animalitatis assurgunt principia, cerebrum, cor, & jecur, ex quibus totidem facultates in corporibus nostris lucent:

cent: ita virtute & conspiratione optima principum illarum partium, ἡ ζωὴ ἢ τὸ βίου, i. *vita & animalitatis* ratio omnis perficitur atque absoluitur. Atque illa vitæ & animalitatis atque conseruatio cernitur in œconomia trium facultatum, naturalis, vitalis, & animalis; earumque tam constans & certa est συμπνοίη, vt mutuas tradant operas in perpetuitatem animalis. Vt enim per eam quam modo dixi τὴν σύμφυτον, partium solidarum viuacitas fluxa recreatur atque reficitur: sic ad ipsius perennitatem quam habet à corde viuificam, præsentaneum accipit subsidium, partim à iecore per iecorariam venam; partim à cerebro, per eam mouendi vim qua spiritum ducimus. Ergo in sanguine & spiritu viuifica syrrhoe continetur; nec aliunde accipit generationem & conseruationem sui. Nec verò vllum aliud requiri debet in rerum natura ὑγιεινὸν, nisi id vnum quod spiritui & sanguini putatur esse συνοικειῶν, i. *consociale*: cuiusmodi sunt ea quæ commendantur τῇ εὐχυμίᾳ, quæque suauitate participant gratiosi humoris atque odoris. Itaque superstitio est, vel ostentatio, celebrare aurum, si diis placet, potabile; cæteráque chymica ebriosi illius, fanaticique athei Paracelsi: quorum iampridem explosa commendatio est è schola Hippocratis, exulatque apud hypocritas medicos, & veteratores, quos nulla res præter versutam quandam hypocrisin commendare potest, & quorum vanitas ambagibus tantùm solertissima esse solet. Sed vt redeamus ad id quod demonstrandum suscepimus de respiratione.

Est igitur id ratum persuasumque omnibus, τὴν σύμφυτον vitæ conseruatricem, nutricatu & respirationem perennem obtinere sui generationem atque affluxum. De nutricatu aliàs, nunc de respiratione dicendum.

Respiratio igitur, ἀναπνοὴ Græcis dicta, est actio partim iussa, partim iniussa, qua ducitur aër, vaporque fumidus expurgatur. Hæc volucrum, pecudum, atque hominum communis est, omnium denique vocalium animantium. Nam insectorum spiratio, πνοιὰ Græci vocant, eodem modo non suscipitur, neque perficitur: quamuis in eundem scopum & finem ducta sit. Etenim sola transpiratio διαπνοὴν dicunt, sufficit illis, quòd modicus eorum calor satis habet, per eam diapnoen, refrigerationis ab aëre circumfuso: quemadmodum & mulieres hystericæ, quarum ad tempus nulla respiratio est, sublato ipsius vsu per dissipationem spiritus & caloris vitalis à venenata seminis corrupti aura; sed sola diapnoe tantisper contentæ sunt, donec suffocationis hystericæ causam excluserint, & ad se redierint. Ac piscium & insectorum materia non est vniusmodi quæ transpirando ducitur: quorundam enim tenuior est, vt apum, vesparum, quorundam crassior, vt fucorum, scarabeorum; crassissima est etiam lumbricorum, atque serpentum qui in latibulis exigunt acrem, hyemem donec soluta fuerit. Sic aquatilium eadem conditio est; quædam enim tenui vtuntur aqua fluuiali, vt lucij, leucisci; quædam crassiore, vt cyprij, quemadmodum & omnia genera geotis squamigeræ, quæ in mari veliferas circumnant puppes. Est enim consentaneum vt suum cuiq; sit consociale simile. Scitum est illud Theophrasti, & ante eum, Platonis, Ὅμοιοι ὁμοίῳ συγχαίρουσιν πάντα, i. *Omnia similibus gaudent.* Ergo quibus aërij spiritus, iis aër materia est ad respirationem; quibus aquei, aqua. Sed in aëria spiratione, quæ tum respirando, tum transpirando fit, certi etiam sunt gradus. Vt enim volucria tenuissimo vtuntur aëre: sic terrestria paulò crassiore: crassissimo autem planeque terreo, quæ hypogæa. Quamuis autem homini consentanea sit planeq; necessaria, purissimi, temperatissimi aëris respiratio ad spirituum ætheriorum instaurationem: nihilominus tamen crebra in eo cernitur spirituum alteratio, & alienatio, ex tempestatum ac temporum defectione, & locorum spurcorum aura impura; eoque fit aut qualis inspiratur aër ac circumfusus transpiratur, tales omninò sint mortalium spiritus atque humores, ex aëre quidem caliginoso, caliginosi; ex nebuloso, nebulosi; ex sereno cœlo, puri ac tenues, propterea q; salubres. Atqui vt multis de causis à Deo instituta respiratio est: ita si earum causarum ratio aliqua desideretur; vitiove id fiat spirabilis materiæ, aut respirationis ipsius; non potis est hominem salubriter viuere, quòd impar sit necessitati commoditas.

Quæ cùm ita sint, planè efficitur respirationis à Deo institutæ causas finales esse has; temperationem, refectionem, & purgationem caloris qui in sinistro cordis ventriculo stabulatur; & vtriusque spiritus instaurationem, vitalis & animalis. Atque in vniuersum tres causæ existunt cur ita ineatur & fiat, earumque causarum ratio omnis consideratur in vsu triplici iam commemorato, in instrumentis, & voluntate. Est enim respiratio, vt initio posui, actio partim iussa κατὰ προαίρεσιν, partim iniussa καθ' ὁρμήν. Cernitur autem προαίρεσις in certa quadam ducendi, cohibendi spiritum deuotione: quemadmodum ὁρμὴ quando nulla sponte nostra, sed tantùm sua, respiratio suscipitur atque absoluitur: sicut in arctissimo somno, sopore, & apoplexia; vbi necessitas ipsa spirandi, neruorum & musculorum vim excitat ad functionem. Sed in apoplecticis breui finem habitura est ipsa respiratio: quia cum stertore coniuncta est per spirabilium organorum infirmitatem, proptereaque interitu finitura. In ea spiratione nulla lucet electio, sed tantùm instinctus, quo duce, & tanquam authore, καθ' ὁρμὴν, spiritus intrò ducitur. Nam voluntatem ab electione, i. κατὰ προαίρεσιν, in respiratione quotidiana docet experientia, tum illud Hippocratis. Ἰσχειν χασμώδη συνεχέως, μακρόπνοος, i. *remedium oscitationis continentis, ex longis interuallis spiritum ducere.* Quem locum eleganter admodum, vt cætera multa, ex Hippocrate Plato in suum vsum transtulit, cùm de singultu disputatio incidisset, his verbis: Ἀπνευστὶ ἔχοντι πολλὸν χρόνον, παύεται ἡ λύγξ. i. *spiritum diu cohibendo singultus cessat.*

De instrumentis autem respirationi dicatis, primùm quidem eorum distinctio sic à veteribus tradita est, vt alia sint respirationis liberæ; alia verò, coactæ, atque, vt ita dicam, πρὸς ἀνάγκην editæ. Atque ita duæ omnino statuuntur respirationis species: vna quidem libera, altera autem coacta, & vim experta. Ac libera quidem est, quæ placido spirandi vsu planè est ἄψοφος, penéque dixerim, ἄφωνος: quemadmodum Hippocrates nominare solet tempestatem aquilonia m flatus sonori expertem, seu νοτιώδη, vt in illo. Ἄνεμος νότιος ἄψοφος, ἀπνοιαί τε πολλαί, i. *tempestas austrina, ventus placida.* Violenta autem, quæ as-

pectabili thoracis explicatione & collectione cernitur in iis qui aliquantisper citò progrediuntur, & currunt; eiusque multi sunt gradus ad suspitiosa ἄσθματα, περιπνευμονίας & ὀρθοπνοίας vsque. De quibus loco dicetur. Ac liberæ quidem, ad inspirandum suam dicauit operam diaphragma; ad expirandum verò, abdominis musculi. Violentæ autem, seni dextra atque sinistra musculi, quorum quaterni, inspirando; bini, expirando inseruiunt. Nam deducendo, & excipiendo spiritui, & expurgando vapori fumido, nulla instrumentorum distinctio est in omni respiratione, tum libera, tum violenta. Etenim commune est omnium vocalium animantum ducere aërem per arteriam; excipere, per ipsum pulmonem. Commune est etiam per easdem partes vaporem fumidum exhalare. Vt autem vaporis fumidi expiratio, si pariter inspirationi respondet, non minus meretur de vita, expurgando natiuum cordis calorem, quàm inspiratio, salubrem spiritum foris ducendo: ita vocis commoda secum refert è corde, quando intercostalium musculorum contentione expressa, vertitur in efflationem: ac tum à iussa larynge, tanquam ab aucupis canoro vtriculo, modulatè ad palatum reflectitur. Huc spectat vetus illud quod omnem de vocis natura, & caussis doctrinam paucis complectitur. Est autem huiusmodi. ὅσοις πολὺ τὸ θερμὸν μεγαλοφωνότατοι· καὶ γὰρ ψυχρὸς ἀὴρ πλεῖστος· δυοῖν δὲ μεγάλοιν, μεγάλα καὶ ἔκγονα γίνεται. *Quibus*, inquit, *caloris abundantia est, iis plena sunt voces. Etenim frigidus aër plurimus. Positis autem magnis duobus, oriunda quoque sunt magna.* Ac si diceret; si ad instrumentorum vocalium amplitudinem accesserit vocalis materiæ copia, vox inde oriunda necessariò magna erit. Est autem credibile, amplificationi caloris natiui, amplitudinem cordis, pulmonum, laryngis, atque thoracis conuenienter sufficere; nisi caput in vitio sit. Ex quo efficitur, vt si caloris natiui abundantia parem obtineat suæ amplificationis opportunitatem in respiratione & efflatione; vox plena, sonora, & magna edatur: quoniam copiosa vocalis materia, validis expressa viribus musculorum thoracis intercostalium, liberum habet exitum per venam arteriosam, fistulásque pulmonis, indéque modulationem accepit in larynge, per musculos duodecim ei vocimodulandæ dicatos. Fructuosa est etiam vaporis fumidi exhalatio siue efflatio; non solùm ad prolabentis catarrhi propulsionem: sed ad illius quoque iam prolapsi expurgationem. Ac tum tussiculosus aut suspiriosus malè habet, quando vaporis fumidi efflatio, neque prolabentis catarrhi appulsum & impetum inhibere, neque prolapsi contumaciam potest radicitus extirpare. Hinc veniunt asthmaticæ orthopnœæ: illinc depascentia vlcera, quæ θηριώματα Græci vocant, vnde catarrhi efferi, θηριώδεις nominantur. Sed patefacta respirationis vtriusque natura, perspectis etiam partibus, earumque omnium caussis, superest vt eius differentias, & cur ita sint, ἀναλυτικῶς explicemus.

Enimuero respiratio omnis naturaliter cōstituta, quæque vsui necessario cōuenienter congruenterque respondet; in moderatione & æquabilitate consistit inspirationis & expirationis. Ea moderatio cernitur in mediocritate cuique naturæ & habitui consentanea, rerum earum quibus respiratio patratur. Sed rerum earum quæ in respirando considerari solent, quatuor omnino genera esse reperio; motum, quietem, id quod mouetur, & id quod mouendo ducitur atque educitur. Ergo illa demum respiratio moderata erit, quæ in singulis hominum naturis, prout intensior est aut remissior vsus, mediocritatem ostendit motus, quietis, explicationis, & materiæ ipsius spirabilis, & in qua sani homines nullo modo à se mutati videntur. Hæc sanè est respirationis symmetria, in qua, scilicet, nihil nimis, quæque omni caret excessu atque defectu. Hæc, in libertate inspirandi & expirandi, spiritum ducit ex facili; vaporem excludit: vnde efficitur vt voto naturali cordis bene respondeat. Huic respirationi prima debetur laus vitæ hominum conseruandæ. Hæc cæterarum omnium quæ à symmetria deficiunt, veluti canon est & regula quædam, qua non solùm defectionis illius cognitio comparatur, sed etiam restituendæ moderationis amissæ ratio continetur. Vt autem simplex & vnica est symmetria: sic multa defectionum genera esse solent, tum in excessu, tum in defectu. Ac sanè tot esse necesse est, quot sunt ex quibus ipsa respirationis constituitur œconomia. Sunt autem, inspiratio, expiratio, contrariis editæ motibus; proptereáque quiete gemina terminatis. Itaque rerum earum respirationis œconomiam constituentium, singularum gemina erit à symmetria defectio; vna quidem, plus æquo; altera verò, minùs. Velocitas enim aut tarditas motus, à symmetro defectionem ostendit; raritas & frequentia, quietis; magnitudo & paruitas, inspirationis & expirationis; copia & paucitas, materiæ inspirabilis & expirabilis, cum frigore aut calore. Quæ omnia summus medicinæ dictator, paucis expressa literis, fœliciter ita complexus est. Πνεύματα σμικρὰ, μεγάλα, πυκνὰ, ἀραιά· εἴσω σμικρὸν, ἔξω μεγάλα· εἴσω μεγάλα, ἔξω σμικρά. τὸ μὲν ἐκτεῖνον. τὸ δὲ κατατεῖνον. διπλῆ εἴσω ἐπανάκλησις οἷον ἐπιπνέουσι. θερμὸν, ψυχρόν. i. *Spirationes paruæ, magnæ, magnæ frequentes, raræ; intrò paruæ, foras magnæ; intrò magnæ, foras paruæ, producta, offensans, bis intrò reuocata; calida, frigida.* Ergo dyspnœa omnis versatur in magnitudine, aut paruitate; frequentia, aut raritate; velocitate, aut tarditate; calore, aut frigore. Atque ita respiratio omnis in vitio esse dicitur, quando maior, aut minor est, tardior, aut velocior; frequentior, aut tardior; calidior, aut frigidior. Tum illæ defectiones tam in excessu, quàm in defectu, considerari debent; vel in vtraque respirationis parte; vel in alterutra: idque tam simplices, quàm compositæ. Existunt enim quædam foris paruæ, intus magnæ, & contrà: quædam item magnæ, veloces, atque frequentes; aliæ contrà, paruæ, raræ, & tardæ. Sunt etiam magnæ & raræ: plurimæ etiam geminatæ, tum inspirando, tum expirando. Sed tempus est vt earum dyspnœarum caussas, & quorsum ita fiant appareantve, ex nostri authoris præscripto fideliter exponamus.

RESPIRATIO.] i. Aëris inspiratio, vaporisque fumidi expiratio: sic enim spiritum, pro actu spirandi, interpretandum duximus, quòd ei ducendo comparata sit respiratio, proptereáque ipsa caussæ finalis nomen sibi adoptet. Quæ nominis ratio frequenter vsurpata legitur in Epidemiis, aphorismis, atq; prognosticis. Quinetiam à Galeno sic explicatur, cùm in prædictis libris, tum in iis quos de dyspnœa

scripsit;

scripsit; vt nihil necesse sit plura de spiritus nomine, quot modis vsurpetur, in hunc locum adferre.

FREQVENS.] i. Cuius inspiratio & expiratio, contrariis editæ motibus, breui quietis geminæ interuallo, & quasi puncto temporis terminatæ, crebrò inuicem subeunt atque succedunt; similiter vt arbores breui distitæ interuallo, densóque satu consitæ. Atque eam loci intercapedinem, eleganti metaphora, ad temporis interuallum accommodauit: tum hic, tum in aliis decisionibus iam explicatis, vbi *μανότερον πνεῦμα* legitur pro spiratione rariore quæ fuerat antè frequentior atque citatior, cùm inflammatio cordis præsens esset; cuius vacationem ostendit nunc rarior facta cum libertate instrumentorum, laryngis, pulmonum, atque thoracis. Hippocratis verba sunt hæc: *Πρόσωπον ἐκ μετεώρου ταπεινούμενον, καὶ φωνὴ λειοτέρη, καὶ ἀδυνατέουσα ..., καὶ πνεῦμα μανότερον. καὶ λειότερον ἄνεσιν ἐς τὴν ὑστεραίην σημαίνει.* i. *Facies è tumescente residens, vox item blandior atque mollior, tum spiritus rarior atque facilior; remissionem postridianam fore denunciat.* Eam proprietatem vocum, in arborum satu densiore aut rariore Theophrastus eleganter secutus est, lusitque illius aucupio festiuè. *Ἐν ταῖς φυτείαις ταῖς πυκναῖς, μανὰ δεῖ φυτεύειν, ἐν δὲ ταῖς μανοῖς, πυκνά.* i. *Plantando, arbores densæ, raræ; raræ densæ.* Quoniam autem hoc loco quæritur de respiratione frequenti, cur ita sit, breui sic habendum; ipsam per se nihil aliud denunciare quàm imparem necessitati commoditatem; vt quemadmodum Ascanius sequebatur patrem non passibus æquis: ita cùm amplificationi caloris, amplitudo spirationis respondere non potest, eius desiderium frequentia compensetur.

Coac. 1. c. 5. lib. ad

Coac. 1. c. 5. 2.

cap. 8. lib. 2. de causis plant.

ET PARVA.] Quæ sit inchoata, non autem perfecta explicatione & collectione thoracis ad liberè inspirandum & expirandum; nec dignè pro eo ac respirandi vsus exposcit. Est autem paruitas, defectio respirationis à symmetria in quantitatis defectu: quemadmodum frequentia in breuitate quietis, aut etiam penè nulla.

INFLAMMATIONEM ET LABOREM DENVNCIAT.] i. Incandescentis æstu cordis ardorem, & spirabilium instrumentorum contumaciam, per quam cordi morem non gerunt, neque parem adferunt vsui necessario promptitudinem. Neutra enim difficultas spirandi, alterutrius vitij signum est syllogisticum. Nam neque paruitas, semper dolorem; neque frequentia, semper ardorem ostendit. Ambæ simul vtriusque vitij consectariæ sunt; nempe doloris atque ardoris.

PARTIVM SPIRABILIVM.] i. Ad verbum, opportunitatem spirandi habentium; cuiusmodi sunt cor in triplici vsu; thorax in mouendo; pulmones in excipiendo; arteria in deducendo. Ac si diceret; frequens & parua respiratio denunciat in cordis æstu eius desiderio non responderi, quòd instrumenta spirabilia in vitio sint, thorax à pleuritide; pulmo à peripneumonia; larynx ab angina. Denique, vt paucis absoluam, quicquid eiusmodi est vt spiritum aditu prohibeat, vaporémque fumidum ad exitum citò sollicitet; suspiriosos homines facit. Quod in ptissana inconsideratè, id est nec iure, nec loco præscripta, sic noster præceptor animaduertit. *Syderatarum*, inquit, *ac velut de cælo tactarum costarum causa est, quòd priusquam dolor quieuerit, pleuritici homines moriuntur: mox enim πνευματίαι, i. suspiriosi redduntur. A spiritu autem multo & frequenti*, id est, *crebra respiratione, glutinosissimi sputi cruditas, libertatem meandi intercipit. Etenim illud ipsum quod inhibetur sputum, & quod ad pulmonum bronchia contumaciter adhærescit; & spiritum intrò duci prohibet, & citò foras excludi cogit. Atque ita vicissim mutuas tradunt operas in perniciem ægri. Etenim sputum inhibitum & quod subsistit, nec exitum habet spiritum crebrum facit: crebrior autem factus, glutinosum & contumax reddit sputum, nec sinit ipsum meabile fieri.*

AT VERO MAGNA ET RARA.] Quæ scilicet opponitur frequenti & paruæ, in qua, inquam, explicatur thorax quantum potis est, ac sine vlla difficultate in omnem dimensionem amplificatur, atque colligitur ad inspirandum & expirandum: propter libertatem instrumentorum omnium spirabilium quæ omni culpa vacant, cum facultatis virtute, & summa spirandi necessitate, ob febrem acutam.

EX RARA.] Interuentu longæ quietis inter expirationem modò expressam, & inspirationem mox repetendam: vt par sit expurgationi temperatio pernecessaria in ardore febrili; quod quia hîc locum non habet, cûr ita sit, paulò pòst aperit atque docet.

DEMENTIAM.] i. Actionum principum deprauationem, idque vel à cerebri inflammatione; vel à sanguinis multa bile perfusi eò translati suppressione: vnde dementia firmiter fixa & stabilis, cuiusmodi esse solet phrenitis atque insania. Est autem delirij proprium signum quod tantùm in illud cadit, non tamen inseparabile; magna & rara spiratio: ob eam sanè hypothesin, quoniam in summa spirandi necessitate quam febris acuta inuexit, & pari spirabilium instrumentorum libertate, quam magnitudo ostendit; sola voluntas in causa est quamobrem talis respiratio rara sit, quæ debuit esse frequens. Est enim tum æger sui negligens neque memor, & cuius voluntas non antè erigit se ad functionem, quàm acrior sensio excitata fuerit in phantasia per incrementum necessitatis: quod cernere est in rusticis hominibus qui stupent attoniti visu tabulæ politissima arte depictæ, quam dum hiante ore magnáque animi contentione, intuentur, non antè respirant, quàm nimia oppressione propemodum suffocati ad se redierint. Eadem ratione phrenitici *βραχυπόται* dicuntur, i. *parum & rarò bibentes*, ob deprauatum communem sensum; ex quo efficitur vt rei molestæ sensio non excitetur *ἐν τῷ φανταστικῷ* nisi rarò admodum, cùm scilicet per accessionem causæ sitiferæ, phantasia redditur *αἰσθητικωτέρα*. Huiusmodi autem deliria quæ posita sunt *ἐν τῷ ἀναγκαίῳ*, circa res necessarias versari dicuntur, de quibus eam prognosin iam explicauimus. *Quæ circa res necessarias versantur deliria, pessima: indéque si ingrauescant, funesta.* Talis fuit exitus Philisci, qui sexto die interiit, de quo summus artifex posteris artificibus illud meditandum reliquit. *Τούτῳ διὰ τέλεος τὸ πνεῦμα, ὥσπερ ἀνακαλουμένῳ, ἀραιὸν, μέγα.* i. *Huic non desiit spiritus rarus, magnus, velut reuolato, duci.* Idem legitur de Sileno. Idem de Dromeadæ vxore. Nam in

101. Coac. 1. lib. prorr. 8. t. 2.

103. Coac. 1. lib. 1. & 3. Epid.

Dealcis vxore, magna & rara ſpiratio ſucceſſionem habuit paruæ & raræ, quam βραχύπνοιαν vocat. Omnia autem quæ circa res neceſſarias verſantur deliria, enunciationem cauſæ catholicam habent in hoc aphoriſmo : ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων μὴ αἰσθάνονται· τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει. i. *Qui aliqua laborantes parte corporis, ſæpe laborem non ſentiunt, his mens laborat.*

C. 2. lib.

AVT CONVVLSIONEM.] Non quidem ipſa per ſe, niſi per hypotheſin iam propoſitam, cum deliria circa res neceſſarias ingraueſcunt, cuiuſmodi eſt illa. *Phrenitici parum & rarò bibentes, idque cum ſtrepitu; contremiſcunt, aut conuelluntur.* Etenim tum phrenitici contremiſcunt, quando id quod mouet & quod mouetur, mutuis certant imperiis, viciſſitudine motuum iuſſorum & iniuſſorum. Conuelluntur autem motu iniuſſo muſculorum ad ſua principia : quod ſymptoma eſt alienationis à vehementi alteratione, per nimiam ſiccitatem; proptereáque ſignum mortis iamjam futuræ. Huc ſpectat & illud : *Phrenitici ſputatores ſanatici; etiamne tremuli?* Tum illud : *Deliria pauliſper ferocia; mox erunt immaniſſima: atque futuras conuulſiones prænunciant.*

101. Coac. 1. lib.

99. Coac. 1. lib.

2 Ψυχρὸν μὲν θανάσιμον· θανάσιμον δὲ καὶ πυρετῶδες, καὶ λιγνυῶδες πνεῦμα· ἧσσον δὲ τοῦ ψυχροῦ.

Ac frigidus quidem ſpiritus eſt lethalis : lethalis eſt etiam æſtuoſus & fumidus; minùs tamen quàm frigidus.

VT MAGNA & rara ſpiratio certiſſimum eſt delirij argumentum: ſic parua & rara interitus iamiam futuri. Ac ferè omnes qui aliquantiſper magnum & rarò ſpirarunt, eò deueniunt; vt non niſi parua & rara ſpiratione vti poſſint : quoniam ex rei pernecessariæ omiſſione, naturæque, vt ita dicam, defraudatione, cum acceſſione & incremento cauſarum morbificarum, vires collabuntur & languent effœtæ. Quod vxori Dealcis contigiſſe legimus, quæ cùm dies aliquot morbi exegiſſet in magna & rara ſpiratione, cum nugarum garrulitate, viciſſim reddita fuit βραχύπνοος, remiſſa phrenitide ac viciſſitudinem habuit magnæ & paruæ ſpirationis; tum garrulitatis atque ſilentij : ac tandem βραχύπνοος, & ἄφωνος vigeſimoprimo die interiit. Nam Pythion ſecundo die fuit βραχύπνοος. ἄγρυπνος, καὶ ἄφωνος; paulò pòſt edidit : πνεῦμα μινυθῶδες, *reſpirationem minutulam*, quæ breui interitus finem habuit. Ne longum faciam.

SPIRITVS QVIDEM FRIGIDVS.] i. Cuius appulſu per expirationem, frigoris ſenſio excitatur medico qui proximè abeſt ab ægro. Talis ſpiritus conſectariam habet reſpirationem paruam & raram, vt rectè in prognoſtico annotauit Galenus; ac paruam quidem, nullo penè ſpirandi vſu neceſſario, neruorum & muſculorum vim ad functionem excitante; raram verò, propter fuliginis paucitatem quæ cum potentiæ animalis infirmitate coniuncta, paulò pòſt conſecutionem adfert τῆς ἀφωνίας μετ' ἀκινησίας.

LETHALIS.] Dilucidiùs ſic in prognoſt. *Frigidus autem per os & nares expiratus; lethalis admodum,* ἤδη, hoc eſt, iam inde à cauſis prægreſſis. Ac ſi diceret; à febrili ardore quo ipſum cor conflagrauit, extincta penè viuacitas perennitatem ampliùs non habet caloris viuifici, in cuius extinctione mortis natura conſiſtit. Qua de re illud à nobis iam explicatum eſt. *Deliria in ſpiratione minutula & ſudatiuncula, etiam mortem denunciant.* Non enim à minutula reſpiratione, delirij ſignificatio fit, ſicut à magna & rara: ſed cum ea ſpiratione coniunctum ſæpe apparet ex inueteratione phrenitidis in cerebro ſtabulantis. Denique quod initio poſui, parua & rara ſpiratio, ſiue minutula atque frigida, magnæ & raræ conſectaria eſt; per alienationem quam alteratio magna inuexit : quemadmodum inde venit pro clamore, ſilentium; pro iactatione, quies & ῥῖψις; pro artuum euibratione, leuis tremor; pro vigiliis, coma & cataphora veternoſa. Eſt autem lethalis hæc reſpiratio, tum propter irreparabilem caloris natiui extinctionem, tum quia omnis intemperies ab ardore frigida eſt inſanabilis. Ac ſanè tam certa eſt mortis præſenſio ex frigido ſpiritu, vt nulla ſpes ampliùs affulgere poſſe videatur : quamuis denuo incaleſcant ægroti. Teſtis eſt illa ſententia. *In lethalibus ſignis eſt ardens qui è cute ſpiritus expirat, frigido priùs nare excluſo.*

71. Coac. 1. lib.

part. 4. 6. Epid.

LETHALIS EST ETIAM FVMIDA ET ÆSTVANS VAPORATIO.] Talis expiratio fundit excrementum καπνῶδες, vel καπνηρὸν, quod etiam πνεῦμα θολερὸν nominauit lib. de humoribus: quamuis Galenus neget hoc eſſe Hippocratis. Ac tale excrementum καπνῶδες, oſtendit efflationem potiùs, quàm expirationem: properata ſcilicet muſculorum contentione ad expurgationem fuliginoſi excrementi, quod ſuffocationis metum adfert nimia abundantia, quam parit impuritas cordis, atque pulmonum æſtu prægrandi incandeſcentium. Qua de re illud extat: *Qui dormiendo efflant, malo ſunt loco.*

aph. 2. ſect. 2. 6 Epid. prorrh. 60. ſ. 2. 1. lib 69. 1. lib.

Quod ſequitur, MINVS TAMEN QVAM FRIGIDVS.] Oſtendit alterationem quantumuis maximam, longiùs abeſſe ab interitu, quàm alienationem quæ iam adeſt, quæque præſens eſt in parua, rara, minutula, ſeu frigida reſpiratione.

3 Καὶ τὸ μέγα ἔξω πνεόμενον, σμικρὸν δὲ εἴσω· καὶ τὸ μικρὸν ἔξω, μέγα δὲ εἴσω· κάκιστον δὴ καὶ πλησίον θανάτου.

Tum

Tum magnus foras efflatus, intrò paruus; & contrà, foras paruus, intrò magnus; peßimus est sanè, & morti propinquus.

EXPLICATÆ sunt quatuor differentiæ spirationis difficulter susceptæ. Sunt autem; parua frequens; magna rara; parua rara; frequens & magna. Earum omnium patefacta ratio est. Nunc de inæqualitate in vnica respiratione dicendum. Huiusmodi prima occurrit.

FORAS MAGNA, INTRO PARVA.] Causa in promptu est: quoniam ex nimia fuliginis abundantia, expirationis major necessitas incidit, quàm inspirationis; eique motem gerunt musculi qui expitando præsunt, contumacioribus fortasse iis quos inspirandi gratia quaternos, vtráque thoracis parte, natura collocauit. Est autem periculosa hæc respiratio: quoniam non minùs verendum de suffocatione, quàm de incendio natiuum calorem & humidum primigenium exhauriente, si conuenienter non temperetur.

FORAS PARVA.] Vaporis fumidi paucitate, & expirabilium instrumentorum vitio.

INTRO MAGNA.] Ob summam inspirandi necessitatem, ab ardore febrili, & inspirabilium musculorum omni culpa vacantium libertatem. Contraria enim contrariorum consequentia esse solent.

Talis autem respiratio qua spiritus ducitur intrò magnus, foras paruus: PESSIMA EST SANE, ET MORTI PROPINQVA.] Propter incredibilem spirandi necessitatem ex ardore quo cor ipsum conflagrat, vnde frequens repetita inspiratio, quantumuis magna, voto ipsius cordis respondere non potest, ob eamque causam, inchoatam expirationem intercipit anticipando, idque fortassis etiam propter musculorum expirabilium contumaciam, vnde syntimoria causarum mutuas operas in perniciem ægri tradentium; videlicet, ardoris vitalem spiritum & nectar viuificum exhaurientis: tum suffocationis ex nimia fuliginis abundantia quæ expirationem non habet. Quamuis autem causæ illæ sint planè mortiferæ: tamen non tam citò interitum properare faciunt, quàm parua & rara spiratio, in qua spiritus frigidi appulsus percipitur, exitum per os & nares habentis. Est enim iam verè illud positum, non esse tam citam mortem alterationis quàm alienationis præsentis: nisi quis fortasse excusationem adferat suffocationis quæ hic in metu est, vnde cita mors venit.

4 Καὶ τὸ ἐκτεῖνον, καὶ κατεπεῖγον, καὶ ἀμαυρὸν, καὶ διπλῆ εἴσω ἐπανάκλησις, οἷον ἐπιπνέουσι.

Quinetiam tarda, velox, obscura, duplex intrò reuocatio; qualis cernitur in iis qui super inspirant.

SPIRATIO TARDA ET PROPERATA.] Quæ cernitur in lenta inspiratione, & cita expiratione; ob eam sanè causam, summa periculi habet omnia, quòd in officio multùm laborant musculi inspirabiles, nec pares necessitati præstò se adhibent, vbi vel ipsa celeritas in desiderio, mora est propter potentiæ animalis infirmitatem à cerebri exolutione natam. Nam citæ expirationis causa est expirabilium musculorum contentio, suffocationis metu, quibus auxiliares manus adferunt intercostales; veluti concussio quædam fit thoracis studentis excutere id quod sibi molestum est. Omnes autem partes officiales, maiore contentione excitantur ad exclusionem rei molestæ quàm ad comparationem necessariæ.

OBSCVRA.] Τὸ ἀμαυρὸν, ἢ ἀμαυρότης, ἢ ἡ ἀμαύρωσις, symptoma proprium est visionis effœtæ, vbi nulla caligo est, nulla allucinatio, sed hebetudo simplex quæ nullam in hebescentibus concretionem ostendit humoris alieni, iis qui oculos intuentur: sed tantùm profligati splendoris notas aperit in oculis velut emortuis, cuiusmodi esse solent decrepitorum & iamjam moribundorum senum. Hoc igitur eo spectat vt doceat, obscuritatis huius causam non aliò referendam esse quàm ad exolutionem vitalis spiritus, & extinctionem caloris natiui: quemadmodum oculorum ἀμαύρωσις venit ab exhausto humoris crystallini & spiritus viuifici, atque splendoris oculorum proprij extinctione, quam siccitas fecit à febrili ardore. Ac tantum interest inter hanc respirationem & πνεῦμα θολερὸν, quantum inter hebetudinem & allucinationem. Huius respirationis exempla eduntur ad tempus in verè hystericis, quæ huiusmodi sunt dissipato respirationis vsu, non autem impeditis respirandi instrumentis.

DVPLEX INTRO REVOCATIO.] Hæc difficultas spirandi cernitur in iis quibus ipsa in faucibus eliditur, & vnica inspiratione spiritum bis terve recipiunt, vt pueris qui vapularunt. Conuulsionem autem significat. Contrario verò modo eduntur voces quæ faucibus hærent interruptæ, in quibus materia vocalis quasi conglomerata subsistit, ex prolapsu catharri ferini ipsi materiæ occurrentis. Cæterùm hæc difficultas spirandi nominatur πνεῦμα ἀνώμαλον, aphor.68. lib.4. πνεῦμα ἔσω ἀνακαλεύμενον. hist.1.t. Epidem. πνεῦμα ἀνακαλούμενον, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις. 6. Epidem. πνεῦμα ἀσθενὲς ἐγκαταλείπεται τῷ ἔσω φορῇ. 4. acut.

5 Εὔπνοια δὲ ἐν πᾶσιν ὁκόσα ἐν πυρετῷ ὀξεῖ, καὶ ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι κρίνεται, μεγάλην ἔχει ῥοπὴν ἐς σωτηρίην.

Spiratio autem libera in omnibus quæ cum febre acuta sunt, & in iis etiam quæ quadraginta diebus iudicantur; præclarè ad salutem apparet & facit.

Bonvs philosophus demonstrandi peritus, optimus idem medicus, quem penes est ἡ ἐπανόρθωσις τῶν παρὰ φύσιν, εἰς τὸ κατὰ φύσιν, i. *redintegratio eorum quæ à natura excidere* (ad quem veluti scopum omnia referuntur quæ pertinent ad bene & conuenienter cuique medendum) posteaquam difficilis respirationis omnes differentias explicauit, quas accuratè pertractauit in defectione à symmetria rerum omnium respirationis œconomiam constituentium; tum autem, cur ita, & quorsum fiant appareántve, causas aperuit: nunc spirationis liberæ commoda quibus vtimur ad cooquirendam valetudinem in morbis acutis, breuiter fœlicitérque commemorat. 10

Spiratio avtem libera.] Quæ voto cordis respondet, prout intensior aut remissior est spirandi vsus in febre acuta, idque sine offensione cæterarum causarum; spirabilium instrumentorum dico, & voluntatis. Non enim potis est complecti animo τὴν εὔπνοιαν quæ cernitur in moderatione inspirationis & expirationis cum mediocritate quietis & motus, quæ nusquam locum habet in febre acuta. 20

In omnibvs qvæ cvm acvta febre svnt.] i. In febribus tam essentialibus, quàm symptomaticis.

Et in iis etiam qvæ intra diem qvadragesimvm ivdicantvr.] Cuiusmodi sunt febres quæ, ἐκ μεταπτώσεως, retinent acutarum nomen, cuius naturam amiserant ex inchoata crisi, vel irrito erethismo: proptereáque periodorum quaternariarum in septenarias mutationem habuerunt à vigesimo die ad quadragesimum vsque.

Præclare ad salvtem apparet et facit.] Apparet quidem, signo libertatis causarum spirabilium, & salutiferæ causæ, quæ mox futuram salutem ostendit; qualis est illa: *Facies è tumescente residens, vox item blandior atque mollior, tum spiritus rarior atque facilior qui fuerat antè frequentior atque minor; remissionem postridianam fore denunciant.* Præclarè autem facit, non solùm temperatione & expurgatione febrilis ardoris qui focum habet in corde; sed etiam instauratione nectaris viuifici perennitatem à corde habentis, cuius appulsu partium solidarum viuacitas recreatur atque reficitur contra calamitosam vim febris, vnde absumitur atque quodammodo liquitur. 30

Coac. 1. cap. 5. 2.

DE CERVICE.

Cap. X.

ΤΡΑΧΗΛΟΣ σκληρὸς καὶ ἐπώδυνος, καὶ γνάθων σπασμὸς, καὶ φλεβῶν σφαγιτίδων παλμὸς ἰσχυρὸς, καὶ τενόντων ξυντάσις· ὀλέθριον. 40

1. *Ceruicis duritas & dolor prægrandis, maxillarum item coarctatio, venarumque iugularium pulsus fortis, vnáque chordarum contensio; mortifera sunt hæc.* 50

Nvnc de ceruice dicendum, cuius mala in omni febre grauissima esse solent, si nulla vis in musculorum genus inciderit: maximè autem quando phrenitis in metu est. Omnium verò terrificorum ceruicis malorum in causa est, vel cerebri propagatio, vel excursus qui ducitur è lumbis. Nam quæ intra ceruicem mala accidunt, laryngis aut pharyngis, i. faucium aut ipsius gutturis propria sunt; cuiusmodi est angina. Et quæ vertebrarum luxatarum symptomatica sunt, & λορδώσιν faciunt, aut κύφωσιν, aut etiam σκολίωσιν. Hîc autem ceruicis totius aspectabile & tractabile malum ingens proponitur, quod & doloris acerbitate, & officij necessarij impedimento, & partium nobilissimarum sympathia, symptomatumque numero, mortiferam calamitatem ostendit. Est autem huiusmodi.

Cervicis dvritas.] In qua ceruix obriguit ex fluxione nata humoris coacti, qui vel orgasmo, vel decubitu eò confluxit, omnémque ceruici efficiendi vim adimit, tum in proprio motu, tum in communicatione officij. 60

Et dolor prægrandis.] Qui veræ inflammationis symptomaticus est cum duritate coniunctus: quemadmodum in duritate hypochondrij dolorifica loco dicetur. Est enim vera inflammatio, iuxta recentiorum placitum, tumor contra naturam ex sanguinis affluxu coortus, cum rubore, calore,

calore, pulsu, renixu, & dolore conjunctus.

Maxillarum item coarctatio.] i. Iniussa firmáque inferioris maxillæ cum superiore adhæsio, per conuulsionem temporalium musculorum, quam facit expressio sanguinis multa bile perfusi è jugularibus arteriis, & ceruicalibus venis in angustiores illuc productas. Sic enim prosepit materia parotidum ad maxillas, malas, & genas; vt facies ipsa nihil aliud sit quàm dolorificum tuber. Qua de re illud extat iam demonstratum. *Parotides rubræ, exaltis iam morbi superstites; signa sunt erysipelatis in facie nascituri.* (Coac. 2. cap. 4.2.)

Venarumque iugularium pulsus fortis.] i. Aspectabilis medico, & ægro permolestus, ex dilatatione extraordinaria venarum, quæ pro arteriis vsurpantur. Atque illa dilatatio non est consectaria cordis micantis, sed plethoræ particularis, vel inflammatarum partium in quibus illæ micant.

Vnaque chordarum contensio.] Non quidem musculorum tenuium, chorda, in medio progressu, distinctorum, qui à styloide apophysi feruntur in maxillam inferiorem, aperiendi causa: sed fortissimorum tendinum crotaphitarum, qui subter zygomate inseruntur in apophysin coronoidem maxillæ inferioris.

Mortifera sunt hæc.] Doloris acerbitate, nobilium partium sympathia, officij necessarij impedimento: tum quia cum opisthotono rigor necat, tum quia musculi crotaphitæ ἀλλοιούμενοι καὶ κατατεινόμενοι παρὰ φύσιν, *i. alterati & intenti contra naturam*, à trismate quidem sunt καρώδεες, ab inflammatione verò phrenitici; ac tantorum malorum accessione homini necando intra decimum diem satis sunt, lib. 2. περὶ ἄρθρων. Vide lib. 11. de vsu partium.

2 Τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῇ ἀλγήματα πνιγώδεα ἀπὸ κεφαλῆς ἀλγηδόνος ὁρμώμενα· ὀλέθρια. (malè ἰσχνῷ. al. πνιγμώδεα)

Qui cum æqualitate faucium dolorifice strangulatus à dolore capitis concitantur; mortiferi.

Vt rerum omnium quas ad vitæ conseruationem Deus parauit, nihil est melius, nihil viuificum magis, nec magis expetendum, quam liberalis & libera respiratio: ita nihil æquè mortiferum atque strangulatio ipsa, quæ omnium, penè dixerim, funestorum symptomatum proximè abest à morte. Huic mortiferam vim non minorem tribuit summus præceptor, quàm forti apoplexiæ. Strangulantium autem causarum, quas Græci συνάγχας vocant, vt omittam πνῖγα ὑστερικὴν quæ fugax est, quæque opinionem tantùm facit strangulatus vnde nomen habet; strangulantium, inquam, causarum tria reperio genera, vnum est illaqueatio; alterum, inflammatio; tertium, dentis luxatio. (aph. 41. & 42.2.) De illaqueatione notum est illud. *Illaqueati exoluti, nec dum mortui, ad vitam non redeunt si os spumat.* Dentis luxati ratio (est autem ille dens, apophysis vertebræ secundæ ceruicis, quæ cum prima vertebra valido ligamento connectitur) dentis igitur luxati ratio & consectaria eius symptomata explicantur lib. 2. τῶν ἄρθρων. Hæc autem decisio inflammationis momenta continet, atque cynanchiæ huius causæ magnitudinem in perenni generatione, loco, symptomatumque vehementia nobis examinandam proponit. Omnia autem prædicta strangulantium causarum genera, nominantur cynanchica, quòd cynanchen illa faciant, i. caninam strangulationem, in qua, more canum, lingua exeritur, similiter vt illis cùm difficulter spirant. His ita constitutis.

Quæ cum æqualitate faucium.] Sic enim expressi τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῇ. Huiusmodi autem sunt fauces quæ carent omni rubore, calore, pulsu, renixu; quæ symptomata sunt inflammationis propria. Ac si diceret; si fauces omnis tumoris atque ruboris expertes appareant, quod in prognostico de angina scripsit, quæ nihil aspectabile, nihil tractabile ostendit neque in ceruice, neque in faucibus; ipsa verò abdita & occulta, summam doloris acerbitatem, summámque difficultatem spirandi parit, ὀρθόπνοιαν Græci vocant, in qua non nisi recta ceruice spiritus duci potest. Significat autem φάρυγξ amplitudinem oris quæ cernitur inter gulam & guttur, cui adjectiuum in genere fæminino ἰσχνῇ pro ἰσχνῷ congruenter adiunximus, ex veterum emendatione Galenique ipsius. (Prorrh. 54.f.2. & 12.f.3.)

3 Αἱ τραχήλου καὶ μεταφρένου ψύξιες δοκέουσαι, καὶ ὅλου δὲ τοῦ σώματος σπασμώδεες· ἐν τουτέοισι κριμνώδεες οὐρήσιες.

Ceruicis & dorsi perfrixiones falsò creditæ, totiusque adeo corporis; sunt conuulsificæ: in his farinaceæ mictiones.

Hvivs prognoseos explicatio repetenda ex comment. ad 88. 1. lib. Legitur autem sic. *Qui cum feroci perturbatione somno excussi, è potestate sui exeunt; grauissimum habent malum, & conuulsificum; idque cùm alias, tum si prorumpant sudores. Conuulsifica sunt etiam ceruicis & dorsi falsò creditæ perfrixiones,*

praui & efferi confluunt in partem aliquam, ibique cumulantur firmiter fixi, propriè dicuntur συστρέμματα. Atque ex eo verbo συστρέμματα nominantur, quæ suo ambitu continent tumores contra naturam à fluxione ortos, quorum ἡγεμονικὸν ad sanationem solùm, occurrit phlebotomia. Omnium enim morborum systrophæ, alioqui sanabiles, fiunt insanabiles; nisi earum curatio initium ducat à sanguinis detractione; maximéque si pro phlebotomia purgatio præscribatur. Eam τῆς συστροφῆς conditionem atque naturam prudenter Hippocrates animaduertit in illo. *Quibuscumque mulieribus sanguis intra mammas conculcatur, συστρέφεται maniam prænunciat.* Quod non facit ipsius sanguinis σύστασις, procreando lacti ad mammas cursum inflectentis. Sed quoniam ea collectio ferè purulenta euadit, quærendum videtur vtrum suppurati laudabilis ea mutatio suscipiatur & fiat. Extitisse dicuntur in tempestate pestifera quorum abscessus mutationem purulentam habuerunt, cum ligamentorum, ossium, & musculorum prolapsu. Nam à communi putredinis causa quæ putrescunt singula, propriam quæque obtinent corruptionis differentiam. Ergo non omne suppuratum in bonis ducendum. Nec verò omne rheuma δυσμενὲς fit simile bono puri; sed alia corruptio peior priore nascitur, vt est in eodem 3. Epidem. Quæro igitur an suppuratum laudabile semper sperandum in ea humoris collectione circa palatum. Enimverò suppuratum laudabile potiùs miraculo apponendum, quàm in validæ partis natura, humorisque mitificabilis mansuetudine sperandum. Nam ea collectio in palato non facilè fit, foraminum pleno, & si acciderit, præclusis foraminibus, membranam densiorem corrumpit ex facili, ossaque tenuia, quæ cùm exciderint verissimum illud esse testantur quod scripsit Hippocrates: Οἷσιν ὀστέον ἀπὸ ὑπερῴης ἀπῆλθε, τούτοισι μέση ἵζει ἡ ῥὶς ... *i. Quibus os à palato abscedit, in medio naris resimatur At quibus illud cui adhærent dentes; resimatur extima.* Pertinet hæc prognosis ad curationem virulentiæ, quæ nihil aliud est quàm propagatio phymatum virulentorum, quam facit humorum & viscerum conspurcatio ex contagione impura. Vide lib. 2. περὶ νούσων, vnde prognosis hæc desumpta est.

11 Τὰ περὶ γένυας ἀλγήματα σφοδρά· κίνδυνον εἰς ὀστέου ἀπόπλυσιν ἐλθεῖν.

Saui maxillarum dolores, excessuri oßis periculum adferunt.

EADEM ratio huius prognoseos quæ adducta est in suppurato collecti humoris ad ipsum palatum.

12 Χεῖλος συσπώμενον σημαίνει κοιλίης χολώδεος κατάῤῥηξιν.

Labri concußio biliosam aluum prorupturam ostendit.

A DENTIBVS & maxillis, ad labia transeundum, quorum affectiones eadem methodo quærendæ & examinandæ, qua in aliis faciei partibus vsi sumus. Sed eam quærendi & examinandi methodum in propositionis ipsius & singularum vocum explicatione indicabimus, hoc modo.

LABRI.] i. Oræ ipsius oris, quæ tum ad efformandas voces, tum ad mulgendas nutricum papillas facta est, atque quodammodo sculpta ex confusanea cute & musco, vt verè dici possit μῦς δερματώδης, ἢ δέρμα μυῶδες, *i. musculus cutaneus, aut cutis musculosa.* Ipsum verò labrum tali substantia præditum, quatenus vtrinque musculis iussu nostro mouetur; sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum; antrorsum, retrorsum.

CONCVSSIO.] Sic enim χεῖλος συσπώμενον idem significare hoc loco putamus, quod χεῖλος τὸ κάτω σειόμενον, *i. labrum inferius concussum.* Non enim diastrophe hîc fingi potest ab exolutione partis oppositæ, aut conuulsione laborantis; nec verò κίνησις σπασμώδης quem facit vtriusque partis conuulsio. Hæc enim firmiter fixa, non aliunde continuationem accipiunt, quàm à cerebri afflictione. Atque ea concussio per sympathiam accidit ventriculi concutientis se ad excussionem rei molestæ: quemadmodum ptyelysmus.

BILIOSAM ALVVM PRORVPTVRAM OSTENDIT] Quoniam illa concussio labij, consectaria est acerbissimi morsus in stomacho; proptereáque signum est vomitionis acerrimorum humorum.

13 Τὰ ἀπὸ οὔλων αἵματα κοιλίῃ ὑγρῇ· ὀλέθρια.

Qui è gingiuis insuper aluo liquida, sanguis exudat; pestiferum.

HÆC DECISIO, his expressa literis legitur ad finem huius diuini operis, prognosi penultima. Ἐν κοιλίῃσιν ὑγρῇσι, τὸ ἀπὸ οὔλων αἷμα ἀποῤῥέον θανατῶδες. *i. Aluo humida sanguinem è gingiuis effluere; mortiferum.* Non.n. ea ἀπόῤῥοια manat à systrophe morbi qui leuationem adferre solet, vt in pleuritide, ophthalmia, phrenitide, cancro. De quo scriptum illud reperio in Epid. l. 5. & 7. *Apud Abderitas mulieri cuipiam in pectore obortus est cancer, effluebat autem è papilla sanies, quæ suppressa mortem attulit,* sed exoluta retentrice po-

ce potentia, & sanguinis ichorosi prauitate, cum distillatione ferina quæ totum os primùm, deinde verò ipsum ventriculum facit aphtosum, vnde labefactatio naturalis œconomiæ, quæ potissimùm cernitur in lienteria, & vitiata hæmatosi, cuius vitium maximè patet in gingiuis quarum simplicissima caro est. Qualis igitur est αἱμορῥαγία ἰχωροειδὴς in iecoris exolutione; qualis etiam sudor cruentus quem facit ichorosus sanguis exudans per cutim: talis & cruor qui è gingiuis elabitur. Cæterùm vt pestifera est dysenteria hepatica: vt etiam calamitosa lienteria quæ superuenit ori aphthoso, maximè verò grauidis quibus omnem gerendi & nutriendi opportunitatem adimit, proptereáque abortionem facit: sic etiam mortiferum denunciat malum qui è gingiuis ichorosus sanguis exudat: quoniam labefactata iamdudum naturali œconomia, cum desperatione τῆς ἐπανορθώσεως, vires effœtæ breui ad interitum
10 sunt collapsuræ, per consumptionem vitalis principij, & paupertatem nectaris viuifici.

Aristot. c.19. lib. 3. hist.

14 Πτυάλου ἀναχρέμψιες ἐν πυρετῷ πελιδναὶ, μέλαιναι, χολώδεες: πᾶσαι μὲν κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ κατὰ λόγον χρήσιμοι.

Malè fuit ἀπὸ τῶν.

Sputi in febre expurgationes liuidæ, nigræ, biliosæ; omnes omninò malæ. Quæ autem conuenienter procedunt, salubres.

20 ΑΝΑΧΡΕΜΨΙΕΣ hîc idem quod ἀναχρέμψεις, faciles & expeditæ; vel impeditæ & difficiles.

IN FEBRE.] Quæ nec intermissionem habet, nec dum vllam pollicetur: sed contrà quæ perpetuum ciet excursum ad thoracem, cùm eductio nulla leuationem adfert. *Praua sunt omnia sputa quæ nullam doloris leuationem adferunt.* 2. progn.

LIVIDÆ.] Argumento putredinis fœdæ quæ à morticinio partis vnde venit, separata esse nequit.

NIGRÆ.] Quæ sunt meracarum omnium pessimæ. 2. progn. *Si ita meracum sit sputum, vt nigrum appareat; deterrimum.* Est autem facta eiusmodi, vel perusta bile æruginosa; vel causa ipsius νεκρώσεως, *i. mortificationis.*

BILIOSA.] Æruginosæ, quæ sputa vocauit χλωρά. Huius generatio fertur accepta perustæ bili
30 flauæ, quæ participatiue seri, antè quidem erat ὠχρά, *i. pallida*, nunc eo exhausta, redditur flaua & vitellina.

OMNES SVNT PRAVÆ.] Quoniam vacuationes malæ, malarum quoque affectionum signa existunt. Atqui meracarum excrementorum vacuationes sunt malæ. Appello meraca, expertia sui naturalis seri, à consumptione ardoris febrilis, vel in obsessa parte, vel in vniuerso corpore.

QVÆ AVTEM CONVENIENTER PROCEDVNT.] Si sunt flaui sputi accuratè pituitæ permixti, aut sanguine perfusi, non tenuis proindéque fugacis, vt in ferina destillatione; non etiam viscidi & glutinosi, quod exhibet contumaciam: si inquam, sputorum istiusmodi liberæ sint & copiosæ vacuationes, morborum initiis, quæ mali leuationem adducant, spirandi libertatem restituendo.

SALVBRES.] Quoniam καλῶς καὶ κρισίμως, *i. bellè & criticè* suscipiuntur, proptereáque conferunt, &
40 alacriter referuntur ab ægris.

Ex his apparet τὸ ἐπιτεῖνον, quod erat in libro, rectè fuisse à nobis mutatum in τὸ ὦδε. Cùm ex illo sequutum fuisset id absurdi, quod sputum quodcumque, modò ne suppressum, in bonis haberi deceret; etiam æruginosum, immo liuidum & nigrum.

15 Οἷσιν ἁλμυρώδεα πτύελα καὶ βὴξ ὑφίσαται, τουτέοισι χρὼς ἐρυθραίνεται, οἷον ἐξανθήματα, πρὸ δὲ τῆς τελευτῆς τραχύνεται.

50 *Si cui sputa salsa, vnáque tußis quiescunt, illi rubet corpus velut exanthematis obsitum: sed ante interitum exasperatur.*

SI CVI SPVTA SALSA.] Quæ sunt eiusmodi vel à putredine pituitæ, vel à seri biliosi cum pituita permixtione; eáque salsilago tabifica est, facitque siccam tussim cum raucitate coniunctam quæ nisi lapsu consequentis temporis quiescat, alteram tabis efficit differentiam à primitiua pulmonum exulceratione.

QVIESCANT CVM TVSSI.] Infirmitate partis quæ ampliùs concuti nequit ad promouendam expurgationem humoris tabifici qui in pulmonibus residet.

60 IIS RVBET CORPVS VELVT EXANTHEMATIS OBSITVM.] Pustulæ toto corpore pullulant; ab erodente sanie per ipsum diffusa.

SED ANTE INTERITVM EXASPERANTVR.] Quoniam partes solidæ suo defraudatæ alibili succo, & spiritus tabifici appulsu, & febre lenta; non solùm rigidiusculæ sunt, verùm siccitatis intensione, maiorem inæqualitatem concipiunt. Hoc est documentum phthiseos quam facit in corporibus nostris, ἦθος.

)

16 Ἀνάχρεμψις πυκνὴ, ἢν δή τι καὶ ἄλλο σημεῖον προσῇ, φρενιτικόν.

Screatio frequens, si quod aliud signum accesserit: phrenitidis nuncia est.

Hvivs prognoseos demonstratio legitur in 6. 12. & 30. sectionis primæ prioris protrhetici; ex quibus nos etiam commentarium scripsimus ad 99. 1. lib. Quamobrem ne abuti videar otio & literis, mihi religio est denuo scribere περὶ τῶν αὐτῶν τὰ αὐτά. 10

DE VOCE.

CAP. VIII.

AI μετὰ ἐκλύσιος ἀφωνίαι κάκισαι.

1. *Quæ cum exolutione veniunt vocis carentiæ, pessimæ.* 20

Versatvr illud in peruagato medicorum sermone, nullam vitæ salutem posse videri sperabilem, quando vis morbi cuiusque aspertima cum virium exolutione coniuncta est. Atque illud theorema catholicum legibus & exemplis medicinæ clarissimum fecimus comment. ad 22. 1. lib. Quemadmodum igitur *ex rigore cum cephalalgia exolutiones, mortifera*, quemadmodum etiam *deliria fractis iam viribus, pessima*, sic etiam *quæ cum exolutione, vocis carentiæ sunt; pessimæ.* Quoniam autem de aphonia & exolutione multa iam scripsimus; sufficiet hoc loco dicere, τὴν ἀφωνίαν καὶ ἔκλυσιν ab iisdem fontibus principia, causasque ducere, eorumque symptomatum τὴν ὕπαρξιν consistere in extinctione caloris natiui: vnde paupertas materiæ vocalis: & facultatis motricis infirmitate, vnde vocalium instrumentorum ad ἐκφύσησιν, i. *efflationem*, & modulationem impotentia. Vide comment. ad 22. & 35. prioris libri. 30

2 Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παρακρούσιες· πονηρὸν, καὶ θηριῶδες.

Deliria paulisper ferocia; mox erunt immania.

Vide 54. & 90. prioris lib. & Galenum comment. ad prorrh. 25. s. 1. 1.

3 Οἷσι φωνὴ ἅμα πυρετῷ ἐκλείπει μετὰ ἀκρισίας· τρομώδεες θνήσκουσι. 40

Quibus cum febre vox hæret post acrisiam: tremuli moriuntur.

80. Coac. 1. lib.

Vetvs illvd scitum est; melius multò esse naturam quiescere, quàm aliquid frustra moliri. Nam & acrisiæ in febribus, in causa sunt diuturnitatis; non tamen funestæ, si vacationem habeant erethismi, i. proritationis. Quæ verò acrisiæ manant ab irrito erethismo; illæ sinistri iudicij esse solent. Ac tales acrisiæ per oppressionem & malam translationem, crudelissimi doloris atque interitus, non rarò, consecutionem adferre solent. Quæ causa est cur ita scripserit summus præceptor. ὠμὰ καὶ ἄπεπτα καὶ ἐς κακὰς ἀποστάσιας τρεπόμενα· ἢ ἀκρισίας, ἢ πόνους ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτῶν ὑποστροφάς. i. *Cruda nec cocta, & in prauos abscessus conuersa; acrisias, labores, mortes faciunt, vel eorundem recursus.* Sed cùm irrita omnis contentio terrifica est; tum illa maximè quæ frustra rigorem ciet, cuius inanem concussionem hic subaudire oportet, quæ in illo prætermissa non est. *Quæ ex rigore incidunt aphoniæ; tremore excutiuntur.* 50

18. Coac. 1. lib.

Ergo. Qvibvs.] In cruditate humoris morbifici, cum prauitate signorum omnium constitutis.

Cvm febre.] Quæ intermissionem habet, nec vllam ostendit sperabilem.

Vox hæret.] Faucibus, nec de pectore depromi potest, propter infirmitatem summam intercostalium musculorum; siue illa causam habeat oppressionem; siue exolutionem potentiæ animalis, vnde suscipi nequit, nec perfici valida exsufflatio ad vocem edendam.

Post acrisiam.] Vel meliùs acrisias, frustra sępenumero tentata crisi; quæ contentio quò frequentior est, eò peius res eunt: vt si crebrò cientur rigores fractis iam viribus ægri. Atque illud nomen τῆς ἀκρισίας, non quidem pro crisis vacuitate vsurpandum videtur, quam diximus causam haberi diuturnitatis, non interitus, quæque in pepasmi difficultate consistit, propter humoris morbifici contumaciã: sed potiùs atque veriùs, pro ea secundi generis acrisia, quam crudi humores, & in malos abscessus cõuersi attulere; per quam morbus vires acquirit eundo. Est igitur acrisia duplex, vna quidem, quæ vacuitatem crisis habet; altera verò, quæ crisin obtinere non potuit. Atque illa quidem mutationis ex- 60

pers

pers est,hæc verò prauæ particeps, prauique abscessus. Quòd autem acrisia sit irritæ mutationis consectaria, perspicuum fit ex eo quod scripsit in prorrhetico in eandem sententiam. ὅσοι φωναὶ μετὰ κρίσιν ἐκλείπουσι, μετὰ πυρετοῦ προσαίσθον. Vbi sanè illud, μετὰ κρίσιν, nihil aliud significat quàm ἀκρισίαν. (prorrh. 59. f. 1. 1.)

TREMVLI MORIVNTVR.] Pertinet hoc ad explicationem prognoseωs illius. *Quæ ex rigore incidunt aphoniæ, tremore exsoluuntur*: quod, mea quidem sententia, per sarcasmum scriptum est; quemadmodum & illud: οἷσιν ἐν πυρετοῖσι τρόμοι γίνονται, παρέχουσι λύσιν. i. *Quibus in causis tremores fiunt, eos delirium exoluit.* Certissimum enim est, omnem aphoniam quæ à rigore venit cum virium exolutione, sanari non posse: quoniam inde significatio fit exolutæ potentiæ animalis cum extinctione caloris natiui. Nec sanè video quæ causa possit esse tremoris in exolutionem virium incidentis. (18. Coac. 1. lib.; aph. 26. 6.)

10

4 Αἱ ἐν πυρετῷ ἀφωνίαι σπασμώδεα τρόπον· ἐκστᾶσαι σιγῇ, ὀλέθριαι.

Quæ in febre conuulsiuæ, sunt aphoniæ, si cum silentio fanaticæ fiant; mortiferæ.

EXTAT Galeni paraphrasis in hanc prognosin quæ sic habet: αἱ ἐν πυρετῷ ἀφωνίαι, μετὰ σπασμώδεος τρόπου γινόμεναι, τελευτῶσαι εἰς τὸ μετὰ σιγῆς ἐκστῆναι, ὀλέθριαι. i. *Quæ in febre conuulsifico modo fiunt aphoniæ, si cum silentio insaniæ successionem adferant; mortiferum habent malum.* Nos igitur, ne aberremus, Galenum ducem sequemur hoc modo. (prorrh. 19. f. 1. 1.)

20

QVÆ IN FEBRE.] Aucta symptomatis atque grauissimis ægri damnis, propter acrisiam ex irrito erethismo: & cruditate ac feritate humoris morbifici in prauos abscessus conuersa.

CONVVLSIVÆ SVNT APHONIÆ.] Quæ conuulsifico modo existunt, iniussa collectione partium materiam vocalem exprimentium, deducentium, excipientium, & modulantium: qualis aphoniæ causa consideratur in catalepticis & in ebriis qui voce capiuntur conuulsi. Atque multùm interest inter causas propositæ aphoniæ, & eius quam cum exolutione fieri iam demonstrauimus per extinctionem caloris natiui, & summam infirmitatem potentiæ animalis, proptereáque fatalem ad interitum iamiam futurum.

30

SI CVM SILENTIO FANATICÆ FIANT.] Metonymia est afflictionis pro afflicto. Ac si diceret; si homines voce capti è potestate mentis exeant cum silentio, quod fortè cuipiam ridiculum videri possit, qui existimarit omnem aphonum necessariò reddi ἄναυδον, proptereáque mirum non esse, eum silere qui voce sit captus. Sed intermissione temporum hæc distinguuntur, vt in Pythione, qui altero die morbi fuit ἄναυδος, ἄφωνος, καὶ βραχύπνοος, i. *silens, voce captus, breue spirans.* Itaque si dissipata, vel aliò conuersa conuulsionis causa, vocem recipiat; nec tamen loquatur, ac lingua in vitio non sit, perspicuum est illud silentium excessus melancholici, vel melancholicæ insaniæ symptoma esse. Et quibus ita mens in officio laborare videtur, similiter sunt affecti vt illa Dealcis vxor, quam vel nugarum garrulitate, vel silentio, eximiè phreniticam & fanaticam fuisse narrat Hippocrates. Qua de re illud extat iam explicatum. *Qui cum silentio è potestate mentis exeunt, nec voce sunt capti, mortiferum habent malum.* Etenim, quemadmodum feritate bilis atræ fit ἐκστασις illa μελαγχολική: sic alienatio cerebri à diuturna & vehementi alteratione, cùm scilicet exaruerit; tùm pro clamore, silentium; pro iactatione, segnicies, pro artuum contentione, leuis tremor; pro vigiliis, coma & cataphora veternosa. (71. Coac. 1. lib.)

40

MORTIFERÆ.] Quoniam omnis partium nobilium alienatio desperationem salutis ostendit. Sic vxor Dealcis interiit. (hist. 15. se. 3. 3. Epid.)

5 Αἱ ἐκ πόνου ἀφωνίαι δυσθανατοῦσι.

Qui ex dolore voce sunt capti; crudeliter moriuntur.

50

QVONIAM aphonia vndecumque venerit in morbis acutis, celeritatem moriendi ostendit; nunc ex dictione causarum ipsius aphoniæ, cuiusmodi sit; moribundorum ab illo casu, interitus docere instituit.

Ergo. QVI EX DOLORE] i. Acerbissima conuulsione intercostalium musculorum, quæ initiis morborum illapsa, firmiter fixa manet, nec intra eam qua incidit, horam, discutitur: alioqui febris medicatoria. (183. coac. 2. lib.)

VOCE SVNT CAPTI.] Denegata expressione & appulsu vocalis materiæ ad instrumenta φωνητικά, & impedita eorum modulatione ad vocem edendam.

CRVDELITER MORIVNTVR.] Crudelissima morte intereunt, hoc est, vt Græci loquuntur, οὐχ ἥσυχοι ἀποθνήσκουσιν: vt contra, qui cum exolutione voce sunt capti; λαθραίως, clam. Crudeliter autem moriuntur, symptomatum vehementia in doloris acerbitate, meteorismo difficilis respirationis, iactatione, cephalalgia, delirio quoque ipso.

60

6 Αἱ μετ' ἐκλύσιος κατόχως ἀφωνίαι ὀλέθριαι.

Quæ cum exolutione firmiter fixa, sunt aphoniæ funestæ.

prorrh. 2.s.3.1.

ENIMVERO duplex est omnino causa τῆς ἀφωνίας, vna quidem quæ διὰ τὴν τόνου σφοδρότητα, i. *tensione forti*, altera verò διὰ τὴν ἔκλυσίν τε, καὶ χάλασιν τῶν τὴν φωνὴν ἐξεργαζομένων μυῶν τε καὶ νεύρων, i. *exolutione & laxitate musculorum neruorumque vocem edentium.* Atque illa quidem quæ in tensione consistit, fatalis est ad crudelissimam mortem, hæc verò, ad sensionis expertem. Nam aphonia cum exolutione musculorum atque neruorum firmiter fixa, moriendi sensum adimit. Quod superest, hic nullæ sunt aliæ meæ partes, nisi vt quid sit τὸ κατόχως explicem, huic loco accommodatum. Ne longum faciam: catoche & exolutio existere simul nequeunt, vt neque τάσις καὶ λύσις. Nam catoche ἐν τῇ τάσει consistit. Erit igitur ἡ κατόχως ἔκλυσις, exolutio firmiter fixa. Quòd autem τὸ κατόχως in ea significatione vsurpetur, perspicuum fit ex illo Galeni. *Symptomata catochæ non solùm dicuntur quæ vocatam inferunt catochen; sed & illa etiam quæ sunt firma & fixa.* Similiter idem ostendit, quod ἀπονενοημένως iam explicauimus, κατώδεες, λυγγώdεες, κάτοχοι ἄφωνοι. Huc etiam pertinet prognosis illa iisdem expressa literis quæ legitur prorrh. 4. s. 3. 1.

cõment. ad prorr. 80 s. 1. 47. Coac. 1. lib.

7 Αἱ καταკλώμεναι φωναὶ μετὰ φαρμακείην, ἦρα πονηρόν; τουτέων δὲ πλεῖστοι ἐφιδροῦσι, καὶ κοιλίας καθυγραίνονται.

Interruptæ voces à medicatione, vtrum prauæ? Ac sanè plurimis sudatiuncula exudat, & liquidis excrementis fertur aluus.

commẽt. ad part. 30. s. 1. 6. Epid. part. 31. se. 1. 6. Epid.

VOCES κατακλώμεναι idem significant quod κατάκλασις φωνῶν. Atqui κατακλώμενος nomen in artubus frequens est apud Hippocratẽ, quando iacente supino ægroto videtur ἐν κατακλώσει crura, ἢ διαπεπλεγμένα, i. *contracta aut implexa.* Sic etiam in oculorum & palpebrarum peruersione, κατάκλασιν vsurpauit, cùm ait. Ὀμμάτων θράσος φρενιτικὸν, καὶ ῥίψις αὐτῶν, καὶ κατακλάσιες πυκναί. i. *Oculorum contuitus audax phreniticus, sic & coniectus frequens, & contortio.* Vbi Galenus sic ait. Κατάκλασιν λέγει τῶν ὀφθαλμῶν, ὅταν διαστρέφηται τὰ βλέφαρα. i. *Κατάκλασιν appellat oculorum cùm eorum palpebræ peruertuntur,* Est igitur κατακλᾶσθαι, τὸ διαστρέφεσθαι; & ἡ κατάκλασις, ἡ διαστροφὴ, ἡ καμπυλότης. Quæ cùm ita sint, quæuam peruersio in voce fingi potest, quam in cruribus multùm contractis & implicatis, tum in extimarum palpebrarum curuatura Hippocrates annotauit. An verò sunt hic voces expressæ, quas in tempestate pestifera rabidos depromere solitos narrat, easque vocat insueto nomine κατιλλώσας pro κατακεκλασμένας. hoc est, *distortas:* quamuis illud vitium aptius & significantiùs participium illud, ἰλλωθεὶς, explicaret, vt in illo, δεξιῷ ἐνίλλαινε. *dextro illosus fuit.* Vbi Galenus τὸ ἰλλαίνειν interpretatur διαστρέφειν, quemadmodum etiam commentario ad illam prognosin, Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομαὶ ὀφθαλμῶν ἰλλώσιος κακόν. i. *A lumborum ascensus, oculorum illosis, mala.* Sanè operæpretium est legere & intelligere Galeni philologiam super eo loco vbi φωναὶ κατιλλῶσαι vocat Hippocrates: sed ea relicta, mihi abundè sufficit philosophiam doctoris amplecti quæ proferetur paulò pòst in huius prognoseωs explicatione. Ac certè constat ex perspicientia rei ipsius, caussarumque ipsam efficientium; voces hic dici κατακλώμεναι quas illic κατιλλώσας nominauit: nisi quis fortè dictionum auceps reclamet, malè actiuum participium pro passiuo vsurpari. Iam verò cuiusmodi & quamobrem illa κατάκλασις φωνῶν, ἢ φωναὶ κατακλώμεναι, iam ad docendum aggredior.

3. Epid. hist. 3. part. 1. & 8. part. 1. 8. Epid.

VOCES INTERRVPTÆ] i. Quæ faucibus hærent, in quibus materia vocalis quasi conglomerata subsistit; vnde φωναὶ κατιλλώσαι, quales annotauit Hippocrates in rabidis, ex prolapsu catharri ferini materiæ vocali occurrentis, maximéque in tempestate pestifera, austrina, ventis placida, & pluuiosa, quæ caput replet ichωre, hoc est, sero maligno, & pituita salsa. Huiusmodi autem sunt interruptæ, ex pari contensiooe instrumentorum vocalium, & materiæ vocalis obruptæ catarrho ferino. Idem quoq; non rarò accidere narrat phreniticis alia ratione, ob infirmitatem & contractionem intercostalium musculorum, vnde materia vocalis in via subsistit. Etenim quibus interrupta vox est, similiter affecti videntur vt ij quibus spiratio in faucibus eliditur, & vnica inspiratione spiritum bis terve recipiunt. Ac talis difficultas spirandi nominatur πνεῦμα προσκόπτον, i. *expiratio offensans.* aph. 68. 4. πνεῦμα διπλασιαζόμενον, i. *respiratio duplicata,* part. 2. 2. Epid. πνεῦμα ὥσπερ ἀνακλώμενον, i. *respiratio velut perrupta,* hist. 3. 1. Epid. πνεῦμα ἀνεσπασμένον, i. *respiratio retracta,* in Philisco, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις. i. *duplex intrò reuocatio,* 6. Epid. πνεῦμα ἐγκόπτον ἐν τῇ ἄνω φορῇ, i. *respiratio ascendendo intercidens,* 4. acut. Conuulsionis autem nuncia est hæc respiratio elisa in faucibus. Sed inter eam respirationem, & intercisam vocem, vel, vt ita dicam, intercalarem aphωniam, hoc interest; quòd illa sit afflictorum duodecim musculorum spirationi dicatorum, neruorumque ipsos mouentium symptomatica; hæc verò, tremulorum intercostalium & neruorum; vel ipsorum vitio, vel materiæ vocalis obruptæ catarrho ferino & ad perpendiculum illabente. Denique vocis interruptio in deprauatione consistit ἡ ἐκφυσήσιος, i. *exsufflationis,* cuius copia & libertate voces ex animi sententia depromi solent.

A MEDICATIONE.] i. Si quis inconsideratè purgationi operam dederit, quæ vel ὑπερκάθαρσιν & „choleram, vel oppressionem attulerit, citata materia quæ citam exclusionem non habuit. Omnis enim „materiæ concitatio quæ citam expurgationem non habet, oppressionem facit, ægrumque damnis affi- „cit; non secus atque actitia ab irrito erethismo humoris morbifici, in malos abscessus conuersi.

VTRVM

VTRVM CALAMITOSA?] Sanè quidem. Nemo enim est omnium quem id nescire persuasum habeam.

AC PLVRIMIS QVIDEM EXVDAT SVDATIVNCVLA.] i. Vel toto corpore exudat roscidus humor, vel in capite & ceruice; idque per expressionem ab oppressione, vel exolutionem à cholera & hypercatharsi.

ET LIQVIDIS EXCREMENTIS FERTVR ALVVS.] Aut quia ventriculum tædet sui officij, aut quia prolapsu catarrhi serini inconsideratè citati scatet aphthis quæ ipsi sunt ægrotandi caussa, & in officio laborandi; vnde funesta lienteria.

8 Ἐν ἀφωνίῃ πνεῦμα οἷον τοῖσι πνιγομένοισι πρόχειρον· πονηρόν· ἆρά γε καὶ παρακρουστικόν;

In aphonia respiratio vt in iis qui strangulantur sublimis; pestifera. Etiamne phrenitica?

IN IIS QVI non nisi recta ceruice, vt anginosi; aut nisi residendo respirant, vt peripneumonici, & asthmatici, respiratio multùm sublimis cernitur, [illegible]: qualis in anginosa muliere. Hanc vocat [illegible], quod eius violenta ductio prima omnium sub aspectum veniat medici intuentis, ac velut prima in promptu sit ad intuendum. Talem etiam difficultatem spirandi expressit, cùm ait: [illegible] Coac. 6. capit. 18. lib. 1.

ETIAMNE PHRENITICA?] Sanè quidem, si neruorum vitio sit hæc difficultas spirandi, non instrumentorum deducentium & excipientium.

9 Αἱ ἐκ κεφαλαλγίης ἀφωνίαι ἅμα ἱδρῶτι πυρετώδεες, χαλῶντες ἐφ᾽ ἑωυτοὺς διιέντα, χρονιώτεραι. ἐπιρριγοῦντα τουτέοισιν, οὐ πονηρόν.

Quibus ex cephalalgia voce captis, vnáque cum sudore febriculosis, aluus laxatur iniussa; vt se collegerint, diu tamen laborant. Atque his superrigere non est damnosum.

IN HAC prognosi varia metonymia est afflicti pro afflictione, & afflictionis pro afflicto. Sed eam metonymiam facilè hos & conuenienter ad nostri authoris [illegible] conuertemus, Galenum ducem secuti, cuius extat dilucida paraphrasis comment. ad 2. prorrh. s. 3. 1.

Ergo. QVIBVS EX CEPHALALGIA.] Aucto capite morbificis causis, indéque meningibus alteratione & distensione afflictis, quòd in cephalalgia laboret neruorum origo, non autem in capite sit localis affectio aphoniæ.

VOCE CAPTIS.] Per violentam contractionem musculorum atque neruorum, quam fecit materiæ cephalalgicæ translatio ad partes depromendæ voci dicatas: quæ aphoniæ caussa & ratio in illa prognosi iam explicata est. *Quæ in febre conuulsiua fiunt aphoniæ, si cum silentio fanaticæ fiant, mortiferæ.* Coac. 4. huius 8. cap.

VNAQVE CVM SVDORE FEBRICVLOSI.] Qui sudor exprimitur ex humore tenui, cuius nimia abundantia natat caput, vnde etiam facultas retentrix multum oppressa fatiscit. Est autem reuera sudatiuncula, quæ per expressionem symptomatica est, nec vllam febris remissionem adfert, nec facit vt æger tolerantiùs ferat morbum.

TVM ALVVS LAXATVR INIVSSA.] Non quidem liquidis excrementis ducta, sed fæcibus; quod est ancipitis euentus. Vacuatio iniussa ferè symptomatica esse solet mentis in officio laborantis, aut exoluti sphincteris musculi.

VT SE COLLEGERINT.] Vt morbo leuati nonnihil videantur.

DIV TAMEN LABORANT.] Materiæ contumacia, & naturæ infirmitate. Nisi fortè ad exitium rapiantur, oppressa & labefactata parte cuius officium est vitæ tuendæ necessarium. Patet illa labes vocis interceptione, & alui citra voluntatem ductione.

HIS SVPERRIGERE.] i. His si super illa quæ dixi oboriatur rigor: vt illud, ἐπὶ, frequentiam hoc loco non designet.

NON EST DAMNOSVM.] Modò sudorem promoueat. Sic enim vis sepulta & languens excitabitur ad exclusionem materiæ morbificæ. Idem quoque faciet sternutamentum.

10 Αἱ μετ᾽ ἀφωνίης ἐκστάσιες· ὀλέθριαι.

Si quis voce captus è potestate mentis exeat; morti est proximus.

QVIA quò plures facultates vitium admittunt; eò est pejus ægroto. Offensionem cerebri delirium arguit; vocis interceptio, neruorum principij.

11 Αἱ τῶν ἐπιῤῥιγέων ἀφωνίαι· θανάσιμον. εἰσὶ δὲ κεφαλαλγέες οἱ τοιοῦτοι ἐπιεικέως.

Quæ à rigore incidunt aphoniæ, funestæ. Sunt hi nonnihil cephalalgici.

QVÆ A RIGORE.] Vnde scilicet nulla excretio promouetur: sed translationem habet materiæ morbificæ ad diaphragma & caput.

INCIDVNT APHONIÆ, FVNESTÆ. Quòd ad præparationem suscipientis causæ accedat perennitas & vis efficientis: Nam præparationem suscipientis, cephalalgia antecedens declarat.

SEQVEBANTVR *prognoses quatuor, quas, quia in demonstrationem non cadunt, Duretus rejiciendas putauit: iniuria temporum accidisse dolens, quòd ex optimis pessimæ sint factæ.*

DE RESPIRATIONE.

CAP. IX.

ΠΝΕΥΜΑ, πυκνὸν μὲν καὶ σμικρὸν ἐὸν· φλεγμονὴν, καὶ πόνον ἐν τοῖσι καιρίοισι τόποισι σημαίνει. μέγα δὲ καὶ διὰ πολλοῦ· παραφροσύνην ἢ σπασμόν.

1 *Respiratio frequens & parua; inflammationem, & laborem denunciat partium spirabilium. At verò magna & rara; dementiam, aut conuulsionem.*

IN MEDICINA nullus feracior locus est quàm de spirando. Hic nusquam quidem non est, nec vllam instituendæ prognoseωs rationem patitur esse expertem sui in morbis acutis. Quoniam enim respiratio sic ad vitæ conseruationem necessaria est, vt eius fructus, vel ad punctum temporis, videatur posse carere; quemadmodum spirandi libertas præclarè ad salutem apparet & facit in omnibus morbis qui celeriter, continenter & vehementer mouentur: ita difficultas spirandi omnis terrifica esse debet, quando excusationem non habet, aut perturbationis criticæ, aut crisis ipsius. Bene res eunt viri illius qui in aduersa valetudine, maximéque autem cùm incanduerit æstu febrili, spiritum ducit ex facili. Et qui in libertate illa spirandi vnà cum doloris acerbissimi nobilium partium vacatione, & somni benignitate; qui, inquam, interierit Hippocrates vidit neminem. Nam facilis illa & liberalis respiratio, mirificos adfert sanitatis fructus, non solùm temperatione & expurgatione febrilis ardoris qui focum habet in corde: sed etiam instauratione nectaris ipsius viuifici, perennitatem à corde habentis, quo partium solidarum viuacitas recreatur atque reficitur contra calamitosam vim febris, vnde absumitur, atque quodammodo liquitur.

Principio enim omni animantium generi à summo rerum opifice Deo tributum est, vt viuacitati cuiusque fugaci tuendæ & instaurandæ, viuifica quædam res atque facultas suppeteret, ac veluti præsto esset, ne ipsa viuacitas ante diem deficeret. Hæc autem viuacitas mansionem habet in vitali principio partium solidarum, quarum virtus est ipsa natura fundata in humido primigenio spiritu & calore perfuso, quod à semine vtriusque parentis in matricem illapsum, fatalem intra se fouet & continet vitæ & interitus necessitatem, quæ μοῖρα πεπρωμένη dicitur fabricationis humanæ. Hinc vita hominum natura & necessitate fatalis. Ac natura quidem, τῷ διακρίνεσθαι, i. *per secretionem*; necessitate autem τῷ συμμίγνυσθαι, i. *per concretionem*. Cùm enim vitale illud principium, quod τὴν ἀρχὴν ζωτικὴν veteres nominarunt, perpetuam patiatur διάκρισιν complexionis suæ, ac temperamenti quoque sui ὑγιείαν, nec aliunde conseruationem & instaurationem sui obtineat, quàm ex appulsu τῆς σφύξεως, quam propriè & consideratè, nectar viuificum appellamus: quoniam illud nectar votis naturæ & vitæ omnino respondere non potest, quantumuis naturaliter sit constitutum; hinc venit altera fatalis moriendi necessitas, quam ἐν τῷ συμμίγνυσθαι positam esse diximus: quemadmodum idem si, vel alteratione eximia, vt in acutis febribus; vel corruptione & alienatione, vt in peste & phthoe, in vitio sit; citam mortem properare facit: ac tum iam ægri, non quidem fato, sed ante diem perire & mori dicuntur.

Verumenimuero quemadmodum ex complexione, & temperamento, ac spiritu prolifico vitalis illius principij, iacta sunt tria illa fabricationis humanæ fundamenta, quæ tandem in vitæ & animalitatis assurgunt principia, cerebrum, cor, & jecur; ex quibus totidem facultates in corporibus nostris lucent:

cent: ita virtute & conspiratione optima principum illarum partium, ἡ ζωὴ καὶ τὸ βίος, i. *vita & animalitatis* ratio omnis perficitur atque absoluitur. Atque illa vitæ & animalitatis atque conseruatio cernitur in œconomia trium facultatum, naturalis, vitalis, & animalis; earumque tam constans & certa est συμπνοια, vt mutuas tradant operas in perpetuitatem animalis. Vt enim per eam quam modo dixi τὸ ἔμφυτον, partium solidarum viuacitas fluxa recreatur atque reficitur: sic ad ipsius perennitatem quam habet à corde viuificam, præsentaneum accipit subsidium, partim à iecore per iecorariam venam; partim à cerebro, per eam mouendi vim qua spiritum ducimus. Ergo in sanguine & spiritu viuifica syrrhoe continetur; nec aliunde accipit generationem & conseruationem sui. Nec verò vllum aliud requiri debet in rerum natura σύμφυτον, nisi id vnum quod spiritui & sanguini putatur esse συγγενὲς, i. *consociale*: cuiusmodi sunt ea quæ commendantur τῇ εὐχυλίᾳ, quæque suauitate participant gratiosi humoris atque odoris. Itaque superstitio est, vel ostentatio, celebrare aurum, si diis placet, potabile; cætera que chymica ebriosi illius, fanaticique athei Paracelsi: quorum iampridem explosa commendatio est è schola Hippocratis, exulatque apud hypocritas medicos, & veteratores, quos nulla res præter versutam quandam hypocrisin commendare potest, & quorum vanitas ambagibus tantùm solertissima esse solet. Sed vt redeamus ad id quod demonstrandum suscepimus de respiratione.

Est igitur id ratum persuasumque omnibus, τὸ ἔμφυτον vitæ conseruatricem, nutricatu & respirationem perennem obtinere sui generationem atque affluxum. De nutricatu aliàs, nunc de respiratione dicendum.

Respiratio igitur, ἀναπνοὴ Græcis dicta, est actio partim iussa, partim iniussa, qua ducitur aër, vaporque fumidus expurgatur. Hæc volucrum, pecudum, atque hominum communis est, omnium denique vocalium animantium. Nam insectorum spiratio, ἔμπνοια Græci vocant, eodem modo non suscipitur, neque perficitur: quamuis in eundem scopum & finem ducta sit. Etenim sola transpiratio διαπνοὴ dicta, sufficit illis, quòd modicus eorum calor satis habet, per eam diapnoen, refrigerationis ab aëre circumfuso: quemadmodum & mulieres hystericæ, quarum ad tempus nulla respiratio est, sublato ipsius vsu per dissipationem spiritus & caloris vitalis à venenata seminis corrupti aura; sed sola diapnoe tantisper contentæ sunt, donec suffocationis hystericæ causam excluserint, & ad se redierint. Ac piscium & insectorum materia non est vniusmodi quæ transpirando ducitur: quorundam enim tenuior est, vt apum, vesparum, quorundam crassior, vt fucorum, scarabeorum; crassissima est etiam lumbricorum, atque serpentum qui in latibulis exigunt acrem, hyemem donec soluta fuerit. Sic aquatilium eadem conditio est; quædam enim tenui vtuntur aqua fluuiali, vt lucij, leucisci; quædam crassiore, vt cyprij, quemadmodum & omnia genera gentis squamigeræ, quæ in mari velifetas circumnant puppes. Est enim consentaneum vt suum cuiq; sit consociale simile. Scitum est illud Theophrasti, & ante eum, Platonis, Ὅμοιον ὁμοίῳ ἐναρμονεῖν φίλον, i. *Omnia similibus gaudent*. Ergo quibus aërij spiritus, iis aër materia est ad respirationem; quibus aquei, aqua. Sed in aëria spiratione, quæ tum respirando, tum transpirando fit, certi etiam sunt gradus. Vt enim volucria tenuissimo vtuntur aëre: sic terrestria paulò crassiore: crassissimo autem planéque terreo, quæ hypogæa. Quamuis autem homini consentanea sit planéq; necessaria, purissimi, temperatissimi aëris respiratio ad spirituum ætheriorum instaurationem: nihilominus tamen crebra in eo cernitur spirituum alteratio, & alienatio, ex tempestatum ac temporum defectione, & locorum spurcorum aura impura; eoque fit aut qualis inspiratur aër ac circumfusus transpiratur, tales omnino sint mortalium spiritus atque humores, ex aëre quidem caliginoso, caliginosi; ex nebuloso, nebulosi; ex sereno cœlo, puri ac tenues, proptereáq; salubres. Atqui vt multis de causis à Deo instituta respiratio est: ita si earum causarum ratio aliqua desideretur, vitiove id fiat spirabilis materiæ, aut respirationis ipsius, non potis est hominem salubriter viuere, quòd impar sit necessitati commoditas.

Quæ cùm ita sint, planè efficitur respirationis à Deo institutæ causas finales esse has; temperationem, refrictionem, & purgationem caloris qui in sinistro cordis ventriculo stabulatur; & vtriusque spiritus instaurationem, vitalis & animalis. Atque in vniuersum tres causæ existunt cur ita ineatur & fiat, earumque causarum ratio omnis consideratur in vsu triplici iam commemorato, in instrumentis, & voluntate. Est enim respiratio, vt initio posui, actio partim iussa κατὰ προαίρεσιν, partim iniussa καθ' ὁρμήν. Cernitur autem προαίρεσις in certa quadam ducendi, cohibendi spiritum deuotione: quemadmodum ὁρμὴ quando nulla sponte nostra, sed tantùm sua, respiratio suscipitur atque absoluitur: sicut in arctissimo somno, sopore, & apoplexia; vbi necessitas ipsa spirandi, neruorum & musculorum vim excitat ad functionem. Sed in apoplecticis breui finem habitura est ipsa respiratio: quia cum stertore coniuncta est per spirabilium organorum infirmitatem, proptereáque interitu finitura. In ea spiratione nulla lucet electio; sed tantùm instinctus, quo duce, & tanquam authore, καθ' ὁρμὴν, spiritus intrò ducitur. Nam voluntatem ab electione, i. κατὰ προαίρεσιν, in respiratione quotidiana docet experientia, tum illud Hippocratis. Ἴασις χάσμης συνεχέος, μακρὴ πνοὴ, i. *remedium oscitationis continentis, ex longo interuallo spiritum ducere.* Quem locum eleganter admodum, vt cætera multa, ex Hippocrate Plato in suum vsum transtulit, cùm de singultu disputatio incidisset, his verbis: Ἂν μὲν σοι ἐθέλῃ πολλὴν χρόνον ἀπνευστὶ ἔχοντι παύεσθαι ἡ λύγξ. i. *Spiritum diu cohibendo singultus cessat.*

De instrumentis autem respirationi dicatis, primùm quidem eorum distinctio sic à veteribus tradita est, vt alia sint respirationis liberæ; alia verò, coactæ, atque, vt ita dicam, πρὸς ἀνάγκην editæ. Atque ita duæ omnino statuuntur respirationis species: vna quidem libera, altera autem coacta, & vim experta. Ac libera quidem est, quæ placido spirandi vsu planè est ἄψοφος, penéque dixerim, ἄπνους: quemadmodum Hippocrates nominare solet tempestatem aquiloniam flatus sonori expertem, seu νηνεμίαν, vt in illo. Ἄτερ νότος ἐμπνέων, ἄνεμοι δὲ ἦσαν πλάγιοι, i. *tempestas austrina, ventus placida.* Violenta autem, quæ as-

pectabili thoracis explicatione & collectione cernitur in iis qui aliquantisper citò progrediuntur, & currunt; eiusque multi sunt gradus ad suspiriosa ἄσθματα, ὀρθόπνοιας & ἐμπνεύσεις usque. De quibus loco dicetur. Ac liberæ quidem, ad inspirandum suam dicauit operam diaphragma; ad expirandum verò, abdominis musculi. Violentæ autem, seni dextra atque sinistra musculi, quorum quaterni, inspirando; bini, expirando inseruiunt. Nam deducendo, & excipiendo spiritui, & expurgando vapori fumido, nulla instrumentorum distinctio est in omni respiratione, tum libera, tum violenta. Etenim commune est omnium vocalium animantum ducere aërem per arteriam; excipere, per ipsum pulmonem. Commune est etiam per easdem partes vaporem fumidum exhalare. Vt autem vaporis fumidi expiratio, si pariter inspirationi respondet, non minùs meretur de vita, expurgando natiuum cordis calorem, quàm inspiratio, salubrem spiritum foris ducendo: ita vocis commoda secum refert è corde, quando intercostalium musculorum contentione expressa, vertitur in efflationem: ac tum à iussa larynge, tanquam ab aucupis canoro vtriculo, modulatè ad palatum reflectitur. Huc spectat vetus illud quod omnem de vocis natura, & causis doctrinam paucis complectitur. Est autem huiusmodi. οἷσι πλεῖστον τὸ θερμὸν, μεγαλοφωνότατοι. ὁ γὰρ ψυχρὸς ἀὴρ πλεῖστος· δυοῖν δὲ μεγάλοιν, μεγάλα δὲ ἔκγονα γίνεται. *Quibus*, inquit, *caloris abundantia est, iis plena sunt voces. Etenim frigidus aër plurimus. Positis autem magnis duobus, orienda quoque sunt magna.* Ac si diceret; si ad instrumentorum vocalium amplitudinem accesserit vocalis materiæ copia, vox inde orienda necessariò magna erit. Est autem credibile, amplificationi caloris natiui, amplitudinem cordis, pulmonum, laryngis, atque thoracis conuenienter sufficere; nisi caput in vitio sit. Ex quo efficitur, vt si caloris natiui abundantia patem obtineat suæ amplificationis opportunitatem in respiratione & efflatione; vox plena, sonora, & magna edatur: quoniam copiosa vocalis materia, validis expressa viribus musculorum thoracis intercostalium, liberum habet exitum per venam arteriosam, fistulásque pulmonis, indéque modulationem accepit in larynge, per musculos duodecim ei voci modulandæ dicatos. Fructuosa est etiam vaporis fumidi exhalatio siue efflatio; non solùm ad prolabentis catarrhi propulsionem: sed ad illius quoque iam prolapsi expurgationem. Ac tum tussiculosus aut suspiriosus malè habet, quando vaporis fumidi efflatio, neque prolabentis catarrhi appulsum & impetum inhibere, neque prolapsi contumaciam potest radicitus extirpare. Hinc veniunt asthmaticæ orthopnϾ: illinc depascentia vlcera, quæ θηριώματα Græci vocant, vnde catarrhi efferi, θηριώδεις nominantur. Sed patefacta respirationis vtriusque natura, perspectis etiam partibus, earumque omnium causis, superest vt eius differentias, & cur ita sint, ἀναλυτικῶς explicemus.

Enimuero respiratio omnis naturaliter cõstituta, quæque vsui necessario conuenienter congruenterque respondet; in moderatione & æquabilitate consistit inspirationis & expirationis. Ea moderatio cernitur in mediocritate cuique naturæ & habitui consentanea, rerum earum quibus respiratio patratur. Sed rerum earum quæ in respirando considerari solent, quatuor omnino genera esse reperio; motum, quietem, id quod mouetur, & id quod mouendo ducitur atque educitur. Ergo illa demum respiratio moderata erit, quæ in singulis hominum naturis, prout intensior est aut remissior vsus, mediocritatem ostendit motus, quietis, explicationis, & materiæ ipsius spirabilis, & in qua sani homines nullo modo à se mutati videntur. Hæc sanè est respirationis symmetria, in qua, scilicet, nihil nimis, quæque omni caret excessu atque defectu. Hæc, in libertate inspirandi & expirandi, spiritum ducit ex facili; vaporem excludit: vnde efficitur vt voto naturali cordis bene respondeat. Huic respirationi prima debetur laus vitæ hominum conseruandæ. Hæc cæterarum omnium quæ à symmetria deficiunt, veluti canon est & regula quædam, qua non solùm defectionis illius cognitio comparatur, sed etiam restituendæ moderationis amissæ ratio continetur. Vt autem simplex & vnica est symmetria: sic multa defectionum genera esse solent, tum in excessu, tum in defectu. Ac sanè tot esse necesse est, quot sunt ex quibus ipsa respirationis constituitur œconomia. Sunt autem, inspiratio, expiratio, contrariis editæ motibus; propteréaque quiete gemina terminatis. Itaque rerum earum respirationis œconomiam constituentium, singularum gemina erit à symmetria defectio; vna quidem, plus æquo; altera verò, minùs. Velocitas enim aut tarditas motus, à symmetro defectionem ostendit; raritas & frequentia, quietis; magnitudo & paruitas, inspirationis & expirationis; copia & paucitas, materiæ inspirabilis & expirabilis, cum frigore aut calore. Quæ omnia summus medicinæ dictator, paucis expressa literis, fœliciter ita complexus est. Πνεύματα σμικρά, μεγάλα, πυκνά, ἀραιά· ἔσω σμικρά, ἔξω μεγάλα· ἔσω μεγάλα, ἔξω σμικρά. τὸ μὲν κατατεῖνον. τὸ δὲ κατασπῶμενον. διπλοῦν ἔσω ἐπαναλήψει ... θερμόν, ψυχρόν. i. *Spirationes paruæ, magnæ, magnæ frequentes, raræ; intrò paruæ, foras magnæ; intrò magnæ, foras paruæ, producta, offensans, bis intrò reuocata; calida, frigida.* Ergo dyspnœa omnis versatur in magnitudine, aut paruitate; frequentia, aut raritate; velocitate, aut tarditate; calore, aut frigore. Atque ita respiratio omnis in vitio esse dicitur, quando maior, aut minor est, tardior, aut velocior; frequentior, aut tardior; calidior, aut frigidior. Tum illæ defectiones tam in excessu, quàm in defectu, considerari debent; vel in vtraque respirationis parte; vel in alterutra: idque tam simplices, quàm compositæ. Existunt enim quædam foris paruæ, intus magnæ, & contrà: quædam item magnæ, veloces, atque frequentes; aliæ contrà, paruæ, raræ, & tardæ. Sunt etiam magnæ & raræ: plurimæ etiam geminatæ, tum inspirando, tum expirando. Sed tempus est vt earum dyspnœarum causas, & quorsum ita fiant appareantve, ex nostri authoris præscripto fideliter exponamus.

Respiratio.] i. Aëris inspiratio, vaporisque fumidi expiratio: sic enim spiritum, pro actu spirandi, interpretandum duximus, quòd ei ducendo comparata sit respiratio, propteréaque ipsa causæ finalis nomen sibi adoptet. Quæ nominis ratio frequenter vsurpata legitur in Epidemiis, aphorismis, atque prognosticis. Quinetiam à Galeno sic explicatur, cùm in prædictis libris, tum in iis quos de dyspnœa

scripsit;

scripsit; vt nihil necesse sit plura de spiritus nomine, quot modis vsurpetur, in hunc locum adferre.

FREQVENS.] i. Cuius inspiratio & expiratio, contrariis editæ motibus, breui quietis geminæ interuallo, & quasi puncto temporis terminatæ, crebrò inuicem subeunt atque succedunt; similiter vt arbores breui dissitæ interuallo, densoque satu consitæ. Atque eam loci intercapedinem, eleganti metaphora, ad temporis interuallum accommodauit: tum hic, tum in aliis decisionibus iam explicatis, vbi μανότερον πνεῦμα legitur pro spiratione rariore quæ fuerat antè frequentior atque citatior, cùm inflammatio cordis præsens esset; cuius vacationem ostendit nunc rarior facta cum libertate instrumentorum, laryngis, pulmonum, atque thoracis. Hippocratis verba sunt hæc: Πρόσωπον ἐκ μετεώρου ταπεινούμενον, καὶ φωνὴ λειοτέρη, καὶ ἀπαλωτέρη γενομένη, καὶ πνεῦμα μανότερον, καὶ λειότερον ἄνεσιν ἐς τὴν ὑστεραίην σημαίνει. i. *Facies è tumescente residens, vox item blandior atque mollior, tum spiritus rarior atque facilior; remissionem postridianam fore denuntiat.* Eam proprietatem vocum, in arborum satu densiore aut rariore Theophrastus eleganter secutus est, lusitque illius aucupio festiuè. Ἐν ταῖς φυτείαις ταῖς πυκναῖς, μανὰ τὰ δένδρα, ἐν δὲ ταῖς μαναῖς, πυκνά. i. *Plantando, arbores densæ, raræ; raræ densæ.* Quoniam autem hoc loco quæritur de respiratione frequenti, cur ita sit, breui sic habendum; ipsam per se nihil aliud denunciare quàm imparem necessitati commoditatem; vt quemadmodum Ascanius sequebatur patrem non passibus æquis: ita cùm amplificationi caloris, amplitudo spirationis respondere non potest, eius desiderium frequentia compensetur.

Coac. 1. c. 5. lib. 2. — Coac. 1. c. 5. 2. — cap. 8. lib. 2. de causis plant.

ET PARVA.] Quæ fit inchoata, non autem perfecta explicatione & collectione thoracis ad liberè inspirandum & expirandum; nec dignè pro eo ac respirandi vsus exposcit. Est autem paruitas, defectio respirationis à symmetria in quantitatis defectu: quemadmodum frequentia in breuitate quietis, aut etiam penè nulla.

INFLAMMATIONEM ET LABOREM DENVNCIAT.] i. Incandescentis æstu cordis ardorem, & spirabilium instrumentorum contumaciam, per quam cordi morem non gerunt, neque parem adferunt vsui necessario promptitudinem. Neutra enim difficultas spirandi, alterutrius vitij signum est syllogisticum. Nam neque paruitas, semper dolorem; neque frequentia, semper ardorem ostendit. Ambæ simul vtriusque vitij consectariæ sunt; nempe doloris atque ardoris.

PARTIVM SPIRABILIVM.] i. Ad verbum, opportunitatem spirandi habentium; cuiusmodi sunt cor in triplici vsu; thorax in mouendo; pulmones in excipiendo; arteria in deducendo. Ac si diceret; frequens & parua respiratio denunciat in cordis æstu eius desiderio non responderi, quòd instrumenta spirabilia in vitio sint, thorax à pleuritide; pulmo à peripneumonia; larynx ab angina. Denique, vt paucis absoluam, quicquid eiusmodi est vt spirituum aditu prohibeat, vaporémque fumidum ad exitum citò sollicitet; suspiriosos homines facit. Quod in ptisana inconsideratè, id est nec iure, nec loco præscripta, sic noster præceptor animaduertit. *Syderatarum*, inquit, *ac velut de cœlo tactarum costarum causa est, quòd priusquam dolor quieuerit, pleuritici homines moriuntur: mox enim* ὀρθόπνοιαι, i. *suspiriosi redduntur. A spiritu autem multo & frequenti*, id est, *crebra respiratione, glutinosissimi sputi cruditas, libertatem meandi intercipit. Etenim illud ipsum quod inhibetur sputum, & quod ad pulmonum bronchia contumaciter adhærescit; & spiritum intrò duci prohibet, & citò foras excludi cogit. Atque ita vicissim mutuas tradunt operas in perniciem ægri. Etenim sputum inhibitum & quod subsistat, nec exitum habet spiritum crebrum facit: crebrior autem factus, glutinosum & contumax reddit sputum, nec sinit ipsum meabile fieri.*

AT VERO MAGNA ET RARA.] Quæ scilicet opponitur frequenti & paruæ, in qua, inquam, explicatur thorax quantum potis est, ac sine vlla difficultate in omnem dimensionem amplificatur, atque colligitur ad inspirandum & expirandum: propter libertatem instrumentorum omnium spirabilium quæ omni culpa vacant, cum facultatis virtute, & summa spirandi necessitate, ob febrem acutam.

EX RARA.] Interuentu longæ quietis inter expirationem modò expressam, & inspirationem mox repetendam: vt par sit expurgationi temperatio pernecessaria in ardore febrili; quod quia hîc locum non habet, cûr ita sit, paulò pòst aperit atque docet.

DEMENTIAM.] i. Actionum principum deprauationem, idque vel à cerebri inflammatione, vel à sanguinis multa bile perfusi eò translati suppressione: vnde dementia firmiter fixa & stabilis, cuiusmodi esse solet phrenitis atque insania. Est autem delirij proprium signum quod tantùm in illud cadit, non tamen inseparabile; magna & rara spiratio: ob eam sanè hypothesin, quoniam in summa spirandi necessitate quam febris acuta inuexit, & pari spirabilium instrumentorum libertate, quam magnitudo ostendit; sola voluntas in causa est quamobrem talis respiratio rara sit, quæ debuit esse frequens. Est enim tum æger sui negligens neque memor, & cuius voluntas non antè erigit se ad functionem, quàm acrior sensio excitata fuerit in phantasia per incrementum necessitatis: quod cernere est in rusticis hominibus qui stupent attoniti visu tabulæ politissima arte depictæ, quam dum hiante ore magnáque animi contentione, intuentur, non antè respirant, quàm nimia oppressione propemodum suffocati ad se redierint. Eadem ratione phrenitici βραχυπόται dicuntur, i. *parum & rarò bibentes*, ob deprauatum communem sensum; ex quo efficitur vt rei molestæ sensio non excitetur ἐν τῇ φαντασίῃ nisi rarò admodum, cùm scilicet per accessionem causæ sitiferæ, phantasia redditur αἰσθητικωτέρα. Huiusmodi autem deliria quæ posita sunt ἐν τῇ ἀναισθησίῃ, circa res necessarias versari dicuntur, de quibus eam prognosin iam explicauimus. *Quæ circa res necessarias versantur deliria, pessima: indéque si ingrauescant, funesta.* Talis fuit exitus Philisci, qui sexto die interiit, de quo summus artifex posteris artificibus illud meditandum reliquit. Τούτῳ διὰ τέλεος τὸ πνεῦμα, ὥσπερ ἀνακαλουμένου, ἀραιὸν, μέγα. i. *Huic non desiit spiritus rarus, magnus, velut reuolato, duci.* Idem legitur de Sileno. Idem de Dromeadæ vxore. Nam in

101. Coac. 1. lib. prorr. 8. 1. 2. — 103. Coac. 1. lib. — hist. 1. 2. & 12. 1. Epid.

Dealcis vxore, magna & rara ſpitatio ſucceſſionem habuit paruæ & raræ, quam βραχύπνοιαν vocat. Omnia autem quæ circa res neceſſarias verſantur deliria, enunciationem cauſæ catholicam habent in hoc aphoriſmo : ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τοῦ πόνου οὐκ αἰσθάνονται· τούτοισιν ἡ γνώμη νοσεῖ. i. *Qui aliqua laborantes parte corporis, ſæpe laborem non ſentiunt, his mens laborat.*

[C. 2. lib.]

AVT CONVVLSIONEM.] Non quidem ipſa per ſe, niſi per hypotheſin iam propoſitam, cum deliria circa res neceſſarias ingraueſcunt, cuiuſmodi eſt illa. *Phrenitici parum & rarò bibentes, idque cum ſtrepitu; contremiſcunt, aut conuelluntur.* Etenim tum phrenitici contremiſcunt, quando id quod mouet & quod mouetur, mutuis certant impetiis, viciſſitudine motuum iuſſorum & iniuſſorum. Conuelluntur autem motu iniuſſo muſculorum ad ſua principia : quod ſymptoma eſt alienationis à vehementi alteratione, per nimiam ſiccitatem; proptereáque ſignum mortis iamjam futuræ. Huc ſpectat & illud : *Phrenitici ſputatores fanatici; etiamne tremuli?* Tum illud : *Deliria pauliſper ferocia; mox erunt immaniſſima: atque futuras conuulſiones prænunciant.*

[101. Coac. 1. lib.] [99. Coac. 1. lib.]

2 ψυχρὸν μὲν θανάσιμον· θανάσιμον δὲ καὶ πυρετῶδες, καὶ λιγνυῶδες πνεῦμα· ἧσσον δὲ τοῦ ψυχροῦ.

Ac frigidus quidem ſpiritus eſt lethalis : lethalis eſt etiam æſtuoſus & fumidus; minùs tamen quàm frigidus.

VT MAGNA & rara ſpiratio certiſſimum eſt delirij argumentum: ſic parua & rara interitus iamiam futuri. Ac ferè omnes qui aliquantiſper magnum & rarò ſpirarunt, eò deueniunt; vt non niſi parua & rara ſpiratione vti poſſint : quoniam ex rei perneceſſariæ omiſſione, naturæque, vt ita dicam, defraudatione, cum acceſſione & incremento cauſarum morbificarum, vires collabuntur & languent effœtæ. Quod vxori Dealcis contigiſſe legimus, quæ cùm dies aliquot morbi exegiſſet in magna & rara ſpiratione, cum nugarum garrulitate, viciſſim reddita fuit βραχύπνοος, remiſſa phrenitide ac viciſſitudinem habuit magnæ & paruæ ſpirationis; tum garrulitatis atque ſilentij : ac tandem βραχύπνοος, καὶ ἄφωνος vigeſimoprimo die interiit. Nam Python ſecundo die fuit βραχύπνοος, ἀφωνος, καὶ ἄφωνος; paulò pòſt edidit : πνεῦμα μινυθῶδες, *reſpirationem minutulam*, quæ breui interitus finem habuit. Ne longum faciam.

SPIRITVS QVIDEM FRIGIDVS.] i. Cuius appulſu per expirationem, frigoris ſenſio excitatur medico qui proximè abeſt ab ægro. Talis ſpiritus conſectariam habet reſpirationem paruam & raram, vt rectè in prognoſtico annotauit Galenus; ac paruam quidem, nullo penè ſpirandi vſu neceſſario, neruorum & muſculorum vim ad functionem excitante; raram verò, propter fuliginis paucitatem quæ cum potentiæ animalis infirmitate coniuncta, paulò pòſt conſecutionem adfert τῆς ἀφωνίας μετ' ἐκλύσεως.

LETHALIS.] Dilucidiùs ſic in prognoſt. *Frigidus autem per os & nares expiratus; lethalis admodum,* ἤδη, hoc eſt, iam inde à cauſis prægreſſis. Ac ſi diceret; à febrili ardore quo ipſum cor conflagrauit, extincta penè viuacitas perennitatem ampliùs non habet caloris viuifici, in cuius extinctione mortis natura conſiſtit. Qua de re illud à nobis iam explicatum eſt. *Deliria in ſpiratione minutula & ſudatiuncula, etiam mortem denunciant.* Non enim à minutula reſpiratione, delirij ſignificatio fit, ſicut à magna & rara: ſed cum ea ſpiratione coniunctum ſæpe apparet ex inueteratione phrenitidis in cerebro ſtabulantis. Denique quod initio poſui, parua & rara ſpiratio, ſiue minutula atque frigida, magnæ & raræ conſectaria eſt; per alienationem quam alteratio magna inuexit : quemadmodum inde venit pro clamore, ſilentium; pro iactatione, quies & ἀψυχίαι; pro artuum euibratione, leuis tremor; pro vigiliis, coma & cataphora veternoſa. Eſt autem lethalis hæc reſpiratio, tum propter irreparabilem caloris natiui extinctionem, tum quia omnis intemperies ab ardore frigida eſt inſanabilis. Ac ſanè tam certa eſt mortis præſenſio ex frigido ſpiritu, vt nulla ſpes ampliùs affulgere poſſe videatur : quamuis denuo incaleſcant ægroti. Teſtis eſt illa ſententia. *In lethalibus ſignis eſt ardens qui è cute ſpiritus expirat, frigido priùs nare excluſo.*

[71. Coac. 1. lib.] [part. 4. 6. Epid.]

LETHALIS EST ETIAM FVMIDA ET ÆSTVANS VAPORATIO.] Talis expiratio fundit excrementum καπνῶδες, vel καυσικὸν, quod etiam πνεῦμα θολερὸν nominauit lib. de humoribus: quamuis Galenus neget hoc eſſe Hippocratis. Ac tale excrementum καπνῶδες, oſtendit efflationem potiùs, quàm expirationem: properata ſcilicet muſculorum contentione ad expurgationem fuliginoſi excrementi, quod ſuffocationis metum adfert nimia abundantia, quam parit impuritas cordis, atque pulmonum æſtu prægrandi incandeſcentium. Qua de re illud extat: *Qui dormiendo efflant, malo ſunt loco.*

[aph. 2. ſect. 2.] [6 Epid. prorrh.] [60. ſ. 2. 1. lib] [69. 1. lib.]

Quod ſequitur, MINVS TAMEN QVAM FRIGIDVS.] Oſtendit alterationem quantumuis maximam, longiùs abeſſe ab interitu, quàm alienationem quæ iam adeſt, quæque præſens eſt in parua, rara, minutula, ſeu frigida reſpiratione.

3 Καὶ τὸ μέγα ἔξω πνεόμενον, σμικρὸν δὲ εἴσω· καὶ τὸ μικρὸν ἔξω, μέγα δὲ εἴσω· κάκιστον δὴ καὶ πλησίον θανάτου.

Tum

Tum magnus foras efflatus, intrò paruus; & contrà, foras paruus, intrò magnus; pessimus est sanè, & morti propinquus.

Explicatæ sunt quatuor differentiæ spirationis difficulter susceptæ. Sunt autem; parua frequens; magna rara; parua rara; frequens & magna. Earum omnium patefacta ratio est. Nunc de inæqualitate in vnica respiratione dicendum. Huiusmodi prima occurrit.

Foras magna, intro parva.] Causa in promptu est: quoniam ex nimia fuliginis abundantia, expirationis major necessitas incidit, quàm inspirationis, eique motem gerunt musculi qui expirando præsunt, contumacioribus fortasse iis quos inspirandi gratia quaternos, vtráque thoracis parte, natura collocauit. Est autem periculosa hæc respiratio: quoniam non minùs verendum de suffocatione, quàm de incendio natiuum calorem & humidum primigenium exhauriente, si conuenienter non temperetur.

Foras parva.] Vaporis fumidi paucitate, & expirabilium instrumentorum vitio.

Intro magna.] Ob summam inspirandi necessitatem, ab ardore febrili, & inspirabilium musculorum omni culpa vacantium libertatem. Contraria enim contrariorum consequentia esse solent.

Talis autem respiratio qua spiritus ducitur intrò magnus, foras paruus: Pessima est sane, et morti propinqva.] Propter incredibilem spirandi necessitatem ex ardore quo cor ipsum conflagrat, vnde frequens repetita inspiratio, quantumuis magna, voto ipsius cordis respondere non potest, ob eamque causam, inchoatam expirationem intercipit anticipando, idque fortassis etiam propter musculorum expirabilium contumaciam, vnde syntimoria causarum mutuas operas in perniciem ægri tradentium; videlicet, ardoris vitalem spiritum & nectar viuificum exhaurientis: tum suffocationis ex nimia fuliginis abundantia quæ expirationem non habet. Quamuis autem causæ illæ sint planè mortiferæ: tamen non tam cito interitum properare faciunt, quam parua & rara spiratio, in qua spiritus frigidi appulsus percipitur, exitum per os & nares habentis. Est enim iam verè illud positum, non esse tam citam mortem alterationis quàm alienationis præsentis: nisi quis fortasse excusationem adferat suffocationis quæ hic in metu est, vnde cita mors venit.

4 Καὶ τὸ ἐκτεῖνον, καὶ κατεπεῖγον, καὶ ἀμαυρὸν, καὶ διπλῆ εἴσω ἐπανάκλησις, οἷον ἐπισπνέουσι.

Quinetiam tarda, velox, obscura, duplex intrò reuocatio; qualis cernuur in iis qui super inspirant.

Spiratio tarda et properata.] Quæ cernitur in lenta inspiratione, & cita expiratione; ob eam sanè causam, summa periculi habet omnia, quòd in officio multùm laborant musculi inspirabiles, nec pares necessitati præstò se adhibent, vbi vel ipsa celeritas in desiderio, mora est propter potentiæ animalis infirmitatem à cerebri exolutione natam. Nam citæ expirationis causæ est expirabilium musculorum contentio, suffocationis metu, quibus auxiliares manus adferunt intercostales; veluti concussio quædam fit thoracis studentis excutere id quod sibi molestum est. Omnes autem partes officiales, maiore contentione excitantur ad exclusionem rei molestæ quam ad comparationem necessariæ.

Obscvra.] Τὸ ἀμαυρὸν, ἢ ἀμαυρότης, ἢ ἡ ἀμαύρωσις, symptoma proprium est visionis effœtæ, vbi nulla caligo est, nulla allucinatio, sed hebetudo simplex quæ nullam in hebescentibus concretionem ostendit humoris alieni, iis qui oculos intuentur: sed tantùm profligati splendoris notas aperit in oculis velut emortuis, cuiusmodi esse solent decrepitorum & iamjam moribundorum senum. Hoc igitur eò spectat vt doceat, obscuritatis huius causam non aliò referendam esse quàm ad exolutionem vitalis spiritus, & extinctionem caloris natiui: quemadmodum oculorum ἀμαύρωσις venit ab exhausto humoris crystallini & spiritus viuifici, atque splendoris oculorum proprij extinctione, quam siccitas fecit à febrili ardore. Ac tantum interest inter hanc respirationem & πνεῦμα θολερὸν, quantum inter hebetudinem & allucinationem. Huius respirationis exempla eduntur ad tempus in verè hystericis, quæ huiusmodi sunt dissipato respirationis vsu, non autem impeditis respirandi instrumentis.

Dvplex intro revocatio.] Hæc difficultas spirandi cernitur in iis quibus ipsa in faucibus eliditur, & vnica inspiratione spiritum bis térve recipiunt, vt pueris qui vapularunt. Conuulsionem autem significat. Contrario verò modo eduntur voces quæ faucibus hærent interruptæ, in quibus materia vocalis quasi conglomerata subsistit, ex prolapsu catharri ferini ipsi materiæ occurrentis. Cæterùm hæc difficultas spirandi nominatur πνεῦμα προσκόπτον, aphor. 68. lib. 4. πνεῦμα ἄνω ἀνακαλεύμενον. hist. 1. 1. Epidem. πνεῦμα ἀνακαλούμενον, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις. 6. Epidem. πνεῦμα ἐγκαταλεῖπον ἐν τῇ ἄνω φορῇ. 4. acut.

calore, pulsu, renixu, & dolore coniunctus.

MAXILLARVM ITEM COARCTATIO.] i. Iniussa firmáque inferioris maxillæ cum superiore adhæsio, per conuulsionem temporalium musculorum, quam facit expressio sanguinis multa bile perfusi è iugularibus arteriis, & ceruicalibus venis in angustiores illuc productas. Sic enim procepit materia parotidum ad maxillas, malas, & genas; vt facies ipsa nihil aliud sit quàm dolorificum tuber. Qua de re illud extat iam demonstratum. *Parotides rubræ, exactis iam morbi superstites; signa sunt erysipelatis in facie nascituri.* Coac. 2. cap. 4. 2.

VENARVMQVE IVGVLARIVM PVLSVS FORTIS.] i. Aspectabilis medico, & ægro permolestus, ex dilatatione extraordinaria venarum, quæ pro arteriis vsurpantur. Atque illa dilatatio 10 non est consectaria cordis micantis, sed plethoræ particularis, vel inflammatarum partium in quibus illæ micant.

VNAQVE CHORDARVM CONTENSIO.] Non quidem musculorum tenuium, chorda, in medio progressu, distinctorum, qui à styloide apophysi feruntur in maxillam inferiorem, aperiendi caussa: sed fortissimorum tendinum crotaphitarum, qui subter zygomate inseruntur in apophysin coronoidem maxillæ inferioris.

MORTIFERA SVNT HÆC.] Doloris acerbitate, nobilium partium sympathia, officij necessarij impedimento: tùm quia cum opisthotono rigor necat, tum quia musculi crotaphitæ ἀλλοιούμενοι καὶ ἐντεινόμενοι παρὰ φύσιν, i. *alterati & intenti contra naturam*, à traumate quidem sunt καρώδεις, ab inflammatione verò phrenitici; ac tantorum malorum accessione homini necando intra decimum diem 20 satis sunt, lib. 2. περὶ ἀρθρων. Vide lib. 11. de vsu partium.

2 Τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῇ ἀλγήματα πνιγώδεα ἀπὸ κεφαλῆς ἀλγηδόνος ὁρμώμενα· ὀλέθρια.

male ἰσχνῇ. al. στραγγώδεα.

Qui cum æqualitate faucium dolorifice strangulatus à dolore capitis concitantur; mortiferi.

30 VT RERVM omnium quas ad vitæ conseruationem Deus parauit, nihil est melius, nihil viuificum magis, nec magis expetendum, quam liberalis & libera respiratio: ita nihil æquè mortiferum atque strangulatio ipsa, quæ omnium, penè dixerim, funestorum symptomatum proximè abest à morte. Huic mortiferam vim non minorem tribuit summus præceptor, quàm forti apoplexiæ. Strangulantium autem caussarum, quas Græci πνιγμοὺς vocant, vt omittam πνῖγα ὑστερικὴν quæ fugax est, quæque opinionem tantùm facit strangulatus vnde nomen habet; strangulantium, inquam, caussarum tria reperio genera, vnum est illaqueatio; alterum, inflammatio; tertium, dentis luxatio. De illaqueatione notum est illud. *Illaqueati exoluti, nec dum mortui, ad vitam non redeunt si os spumat.* Dentis luxati ratio (est autem ille dens, apophysis vertebræ secundæ ceruicis, quæ cum prima vertebra valido ligamento connectitur) dentis igitur luxati ratio & consectaria eius symptomata explicantur 40 lib. 2. περὶ ἄρθρων. Hæc autem decisio inflammationis momenta continet, atque cynanchiæ huius caussæ magnitudinem in perenni generatione, loco, symptomatumque vehementia nobis examinandam proponit. Omnia autem prædicta strangulantium caussarum genera, nominantur cynanchica, quòd cynanchen illa faciant, i. caninam strangulationem, in qua, more canum, lingua exeritur, similiter vt illis cùm difficulter spirant. His ita constitutis.

aph. 41. & 42. 2.

QVÆ CVM ÆQVALITATE FAVCIVM.] Sic enim expressi τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῇ. Huiusmodi autem sunt fauces quæ carent omni rubore, calore, pulsu, renixu; quæ symptomata sunt inflammationis propria. Ac si diceret; si fauces omnis tumoris atque ruboris expertes appareant, quod in prognostico de angina scripsit, quæ nihil aspectabile, nihil tractabile ostendit neque in ceruice, neque in faucibus; ipsa verò abdita & occulta, summam doloris acerbitatem, summámque difficultatem 50 spirandi parit, ὀρθόπνοιαν Græci vocant, in qua non nisi recta ceruice spiritus duci potest. Significat autem φάρυγξ amplitudinem oris quæ cernitur inter gulam & guttur, cui adiectiuum in genere fœminino ἰσχνῇ pro ἰσχνῷ congruenter adiunximus, ex veterum emendatione Galenique ipsius.

Prorrh. 54. l. 1. & 12. l. 3. 2.

3 Αἱ τραχήλου, καὶ μεταφρένου ψύξιες δοκέουσαι, καὶ ὅλου δὲ, τοῦ σώματος· σπασμώδεες· ἐν τουτέοισι κριμνώδεες οὐρήσιες.

Ceruicis & dorsi perfrixiones falsò creditæ, totiusque adeo corporis; 60 *sunt conuulsificæ: in his farinaceæ mictiones.*

HVIVS prognoseos explicatio repetenda ex comment. ad 88. 1. lib. Legitur autem sic. *Qui cum feroci perturbatione somno excussi, è potestate sui exeunt; grauissimum habent malum, & conuulsificum; atque cùm alias, tum si prorumpant sudores. Conuulsifica sunt etiam ceruicis & dorsi falsò credita perfrixiones,*

totiusque adeo corporis ac tum vrinæ spumantes. Hic meliùs tamen diuisa est, vt in prorrhetico, quàm illic coniuncta.

Ergo. CERVICIS ET DORSI FALSO CREDITÆ PERFRIXIONES.] Quoniam eiusmodi sunt, non quidem à paupertate caloris natiui, vel eius retractione, ob viscera incendio conflagrantia, nec verò materiæ frigidioris appulsu partes illæ perfrigescunt: sed expressione symptomatica bilis efferæ, è venis scilicet in musculorum genus acerrimi sensus, vbi sensionem excitat suæ feritatis & acrimoniæ, eáque sensio rigorem ciet concussione partium stimulatarum ad expurgationem materiæ; quæ tametsi calida est generatione & corruptione: tamen opinionem facit perfrixionis in parte neruosa, ob eamque causam sensio illa sequitur magis naturam suscipientis causæ quàm efficientis, accedente etiam caloris natiui afflictione ex rei contrariæ occursu laborantis. 10

PERFRIXIONES.] Quæ & numero malæ sunt: quia crebrò incidunt, iuxta illud: *Si rigor crebrò incidat.* Deinde quia significatæ non sunt, vrinæ pepasmo ad tempus; & suppressione illius, ad speciem crisis. Tum quia vires effœtæ languent, vt neque tam crebras concussiones perferre possint, neque ad vacuationem liberalem sufficere. Ergo perfrixiones illæ falsò creditæ & frustra citatæ, translationem faciunt morbificæ materiæ ad diaphragma & caput.

prorrh. 20. f.3.1. / prorrh. 34 f.3.1.

TOTIVSQVE ADEO CORPORIS.] Hic falsam opinionem frigoris pertinere ad vniuersum corpus Galenus ex veterum sententia author est: quia non est verisimile, inquit, vniuersum corpus perfrigerari, immo non potis esse ait: proptereáque illud, ἀκῆναι, rectè appositum fuisse. Sed velim vt scrupulum mihi eximat quem ipsemet, scripto suo, iniecit, cuius verba sunt hæc: *Cùm duplex sit perfrigeratio, vniuersi corporis vna, altera extimorum; peior est illa vniuersi.* Maneat igitur, quomodo à nobis distincta est, propositio. 20

CONVVLSIFICÆ.] Quoniam huiusmodi perfrixiones falsò creditæ, frustra obortæ, cùm priùs oriundæ sint è vasis, tandem symptomaticæ fiunt inflammatæ spinalis medullæ, ac membranarum eius.

prorrh. 43. f.1.1.

IN HIS FARINACEÆ MICTIONES.] Meliùs in prorrh. ἀφρώδεες, quam lectionem probat Galenus: quoniam siue sint huiusmodi à colliquatione, siue à flatulenti spiritus perturbatione; vtrouis modo, magnas præ se ferunt necessitates conuulsificas.

4 Οἷσι κατὰ φάρυγγα ἐρεθισμοὶ ἐπιεικέως· τὰ παρ' οὖς ἐπάρματα (ἐρεύγεται, ἢ ἀπολαπάσσεται.) 30

Irritamenta faucium satis molesta; parotidas eructant, aut æquant parti obsessa.

ΟΙ ΕΡΕΘΙΣΜΟΙ dicuntur proritationes quas inferunt τὰ ἐρεθιστικά. Sunt autem τὰ ἐρεθιστικὰ quæ veniunt in offensionem & molestiam, vel vniuersi corporis, vel partium eius quarumdam; idque ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, vel ἀπὸ τῶν ἐνιόντων, i. *intus vel extrinsecus.* Τὰ ἔξωθεν sunt diæta, spiritus, pharmaca. Ac spiritus quidem, vt tempestas aquilonia, horrifera, tussifica, & rhagadibus fœta. Diæta autem, victus ratione, & vitæ instituto; vinum acidum, pyra acerba: denique fortes cibi & fortia vina, quæ perturbationem adferunt iis qui calidiore sunt aluo. De pharmacis autem notum est illud: Τὰ κρινόμενα, καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινεῖν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν. i. *Quæ iudicantur, & iudicata sunt nuper, illa mouere nec decet, nec innouare, aut pharmacia, aut proritatione alia; sed relinquenda.* Huiusmodi sont omnia quæcunque foris & intus, abradendo, mordendo, & exasperando molesta sunt. Sed ἐρεθισμοὶ qui veniunt ἀπὸ τῶν ἐνιόντων, sunt, tusses ferinæ, itemque siccæ leuiter irritantes, lumbrici, tormina, pruritus, & quæ sunt eiusmodi. 40

Ergo. IRRITAMENTA FAVCIVM.] Quæ molestiam patiuntur ῥεύματος ἢ συνεστῶτος ἢ ὁρμωμένου, i. *fluxiones consistentis aut concitatæ,* ac consistentis quidem, vt phlegmones, aut erysipelatis; concitatæ autem, vt fluxionis tussiferæ.

prorrh. 67. f.3.1.

SATIS MOLESTA.] Id enim significat ἐπιεικέως, quod authore Galeno, medium locum obtinet inter symptomata spei plena, & illa quæ, in spe exigua, metu nos terreot: sicut homo ἐπιεικὴς nominatur in cuius vita & moribus cernitur vetus illud quod admodum scitum est. *Ne quid nimis.* Ad eam veluti normam examinauimus illud iam explicatum. Ἐν τῇσι φρενιτικοῖσι, ἐν ἀρχῇ τὰ ἐπιεικέως, &c. 50

97. Coac. 1. lib. / 3. Epid.

Ergo, si faucium proritatio ex rheumate consistente, nec ita sit magna, vt doloris acerbitate veræ anginæ non cedat, ac talem adferat in deglutiendo angustiam, qualem in muliere anginosa legimus; nec ita parua, vt leuem pariat deglutiendi molestiam, cum leui dolore qui somnos non adimit. Aut si proritationis causa sit fluxio concitata; tussis inde nata, nec tam sit mitis, quæ nihil aut parum extussiat; nec tam ferina, vt pectus ipsum tussiendo rumpatur.

PAROTIDAS.] Sic enim τὰ παρ' οὖς ἐπάρματα, in ea significatione passim leguntur.

ERVCTANT.] In Græco hoc non legitur, neque alterum verbum, ADÆQVANT: sed tamen alterutrius necessariam constructionem ostendemus, ex distinctione causarum fauces non leuiter irritantium. Ergo, in proritatione satis molesta faucium à reumate consistente, parotides nasci possunt, opportunitate glandulæ quæ iacet ad aures, faucibusque adjacet; tum riuulorum sanguinis numerosa propagine, vnde partes illæ affluxus & refluxus incommoda vicissim facilè experiuntur. Assurgunt, tumore contra naturam, qui sequitur naturam efficientis causæ. Pertinet ad eam parotidum notationem 60

aphorismus

aphorismus ille: Οἷσι φάρυγξ νοσέει, ἢ τὰ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, i. *Vbi guttur dolet, papulæ per corpus erumpunt.* Nos autem consultò parotidum antecedentem causam per illud verbum, *eructant*, expressimus: quoniam omnis parotidum generatio fit per ἀναθυμίασιν ἢ ἐρυγήν: cuius opinionis sequestrem habeo præceptorem cùm alibi passim, tum verò in illa prognosi. Ἐν κεφαλαλγίῃ κῶμα ἢ κώφωσις, παρ' οὖς τι ἐξερεύγεται, i. *In cephalalgia, coma & surditas ad aurem eructantur.*

Vel adæqvant parti obsessæ. Hoc pertinet ad eam ptoritationem seu erethismum qui fit appulsu ῥεύματος ὁρμωμένου ex parotidibus ad fauces ipsas. Est enim affluxus & refluxus, diadoches & palindromes eadem planè conditio, per eosdem, veluti aquæductus, per quos affluit & refluit materia. Sic enim parotidas posse sanari, & ad æqualitatem reduci circumjacentium partium testatur prognosis illa. Τὰ παρ' οὖς λαπάσσει βηχία μετὰ πτυελισμοῦ ἴσα, i. *Parotidas adæquat tussicula cum ptyelismo.* Nam quæ materia parotidum per naturalem meatum deerat in amplitudinem oris, ptyelismum facit concussione coorta pectoris ipsam conantis excutere; atque hic ptyelismus tabi & inflammationi locum tollit: quarum profectò causa esset parotidum materia, nisi ea liberam anacatharsin haberet.

5 Φάρυγξ ἐπώδυνος, ἰσχνή, μετὰ δυσφορίης· ὀλέθριον ὀξέως.

Fauces dolorificæ multùm æquales, cum iactatione: crudeliter & citò mortiferæ.

Hic dvo sunt quæ non cohærent cum veritate rei propositæ: quia reapse non possunt existere, vt planè videantur συναδύνατα & ἀσύστατα. Est enim ἀδύνατον, doloris acerbitatem esse in faucibus quæ sunt æquales. Est quoque illud ἄτοπον, faucium significationem conuertere in laryngem. Etenim neque hæc læuis est in dolorifico strangulatu; & eius inæqualitas non est aspectabilis medico: vt ridiculum sit æqualitatem referre ad guttur, quæ in angina non est, quam scripsit Hippocrates μηδὲν ἐπίδηλον ποιέειν. i. nihil aspectabile, nihil tractabile secum habere; nec aliud ad cognitionem sui afferre & exhibere, præter intolerabilem vim doloris & orthopnœam. Quæ cùm ita sint, non est cur otio abutamur & literis in explicatione huius prognoseως, quæ ita legi debet.

Τὰ ἀλγήματα πνιγώδεα ἐν φάρυγγι ἰσχνῇ· ὀλέθρια ὀξέως.

Cuius ratio repetenda ex comment. ad 2. huius cap. Pertinet autem ad primam speciem anginæ, descriptam lib. 3. prognost.

6 Οἷσι πνεῦμα διέλκεται, καὶ φωνὴ πνιγώδης, σπόνδυλος ἐσκαθηται: τουτέοισιν ἐπὶ τῇσι τελευτῇσιν, οἷον σπασμώδεός τινος, τὸ πνεῦμα γίνεται.

Si cui cum spiratione sublimi strangulabunda vox editur; vertebra intrò luxata est: huic vitam mox finituro, veluti conuulsiua fit respiratio.

Et hvivs quoque emendari sic debet ὕστερον πρότερον, ac velut hypallage quædam quæ iudicium medici omne peruertit. Non enim quia sublimis est respiratio, & strangulabunda vox; ideo luxata est intus vertebra: sed quia luxata vertebra est, ideo sublimis respiratio.

Sic igitur meliùs.

Si cui vertebra intrò luxata est, inde cum spiratione sublimi, strangulabunda vox editur: atque huic vitam mox finituro, veluti conuulsiua fit respiratio.

7 Φάρυγξ τρηχυνθεῖσα ἐπ' ὀλίγον, καὶ κοιλίη (διαβορβορύζουσα) κενοῖς (defuit) ἐξαναστάσεσι, καὶ μετώπου ἀλγήματα, ψηλαφώδεες (κοπιώδεες ἐν στρώμασι καὶ ἱματίοις) (defuere) ὀδυνώδεες· τὰ ἐκ τούτων αὐξανόμενα, δύσκολα.

Fauces paulisper exasperatæ, aluusque obmurmurans inanibus desidendi conatibus, ac frontis dolores, palpatores laboriosi, tum stragulas & vestes ægrè ferentes; quæcumque augescunt; difficilia sunt.

Tametsi hæc prognosis complexionem & syndromen habere videtur symptomatum & signorum quæ ab eodem fonte non manant, nec sunt eiusdem generis; tamen si quis attentè consideret, eiusmodi sanè sunt, vt ab iisdem nata principiis, prognoseωs ineundæ rationem contineant.

Ergo. Fauces exasperatæ.] Quarum asperitas inflammationis consectaria est, quæ mutationem attulit coloris, characteris & molis, ac læuitatis denique & æqualitatis pristinæ, in tumore, rubore, pulsu, renixu, dolore, cuius acerbitates non cedunt gutturali anginæ, si inflammatio magna sit.

Paulisper.] Vt inflammatio sit fugax, nec stabilis, quòd eius materia temperamento calida, substantia tenuis, qualitate acris, feritate sua & orgasmo ἀστατως ἢ ἀτείτως excursum fecerit ad cerebrum: sicut translationem sæpe habet è faucibus in laryngem, eodemque die anginosum iugulat quo in laryngem cursum inflexit. Noranda autem significatio τοῦ ἐπ' ὀλίγον, quod per aduerbium temporis verti debet, non quantitatis; vt fauces dicantur paulisper exasperatæ, non parum. Atque in hac significatione scriptum legitur in illa prognosi. Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παραφροσύναι θανατώδεες εἰσίν. Eodem spectat & illa. Τὸ ἐπ' ὀλίγον θρασέως παρακρούεσθαι μελαγχολικόν.

Alvusque obmurmurans.] In hac prognosi nulla mentio τοῦ βορβορυγμοῦ: sed in prorrhetico facta est, eamque scripturam hic retinendam duximus: quoniam borborygmus arguit meteorismum hypochondrij, quem recens oborta, non hectica causa innexit, sine vlla suspicione inflammationis hypochondriacæ. Est autem murmur illud intestinorum doloris expers, quod facit *spiritus strepitu non magno, neque multo, cum humore nonnullo infrà detrusus.*

Inanibus desidendi conatibus.] Peristaltico intestinorum motu, naturali contrario, per sympathiam phrenitidis, tum propter translationem bilis ad cerebrum, cuius vacuitate, intestina sunt in excernendo pigra, ducunturque ægrè fæcibus & excrementis biliosæ tincturæ expertibus; teste illa prognosi. Ἐν φρενιτικοῖσιν λευκὴ διαχώρησις, κακόν. i. *Phreniticus alba deiectio, mala.* Sed irriti conatus alui in borborygmo; signa sunt & causæ phreniticæ, & affectionis ipsius.

Ac frontis dolores.] Quos facit translatio & excursus sanguinis multa bile perfusi, quæ non antè quiescit, quàm ad extimas venarum oras quæ sunt in fronte peruenerit, vnde si liberum exitum per hæmorrhagiam non habet, phrenitidis consecutionem adfert. Atque ita translatione & excursu sanguinis qui paulò antè faucium asperitatem induxit, quia non vacuatur, phrenitis excitatur. Talem phrenitidis generationem & causam expressit in illa prognosi. *Doloris acerbitas paulisper ad iugulum fixa, si ad superiora vertatur, mortiferum adfert malum.* Pari iure, hoc loco, sic enunciabimus de proposita faucium asperitate. *Faucium asperitas & inflammatio paulisper fixa, si ad superiora vertatur, phrenitidem parit mortiferam.* Phrenitidis autem mortiferæ signa sunt hæc.

Palpatores.] Qualem accepimus fuisse Dealcis vxorem, quæ ἐψηλάφα, ἔτιλλεν, ἔγλυφεν, ἐτρεχόλεγε, i. *palpabat, floccos carpebat, sculpebat, festucas auellebat,* obiit 21. quorum symptomatum causas explicauit Galenus ad illam prognosin. *Deliria cum palpo coniuncta, sunt valde phrenitica.*

Laboriosi.] Lassitudine vlcerosa, quæ & phrenitidis prænuncia, & consectaria esse potest. Atque hæc sufficiant. Tantùm illud animaduersione dignum, quòd scripserit κατακορέες, ὀλίγοι, quæ sunt planè ὀλέθρια.

Margin: proirh. 25. sect. 1.1. & 90. Coac. 1. lib. — prorrh. 31. f.1.1. prorth. 16.4 f.3.1. — prorrh. 13. f.1.1. — prorrh. 75. f.4.1. 76. Coac. 2. lib. — hist. 15. par. 1. 9. Epid. — prorrh. 33. f.1.1. prorr. 3. f.1.1.

8 Τὰ κατὰ φάρυγγα ἰσχυρὰ ἀλγήματα, τὰ παρ' ὦς ἔπαρμα, καὶ σπασμοὺς ἐργάζεται, καὶ τραχήλου, καὶ νώτου ἀλγήματα.

Faucium dolor prægrandis; parotidas & conuulsiones facit: atque ceruicis & dorsi acerbos dolores.

Hvivs prognoseωs pars illa quæ pertinet ad parωtidas, nuper analyticam habuit explicationem. Hoc tantùm interest, quòd suprà, faucium proritationem satis molestam id facere asseuerauit, quod ad doloris acerbitatem hic referendum scripsit acceptum. Accedit & illud, quòd illic faucium proritationem non minùs exoluere, quàm facere ipsas parotidas demonstrauimus: quod fortasse in faucium prægrandi dolore locum non habet. Exoluuntur enim parotides tussicula cum ptyelismo coniuncta, non autem faucium inflammatione prægrandi, quæ summam doloris acerbitatem vnà secum adducit. Itaque hic nostræ sunt partes de parotidum generatione inflammatarum faucium succedanea scribere: quod ad huius loci enarrationem pertinere maximè videatur.

Ergo. Faucium dolor prægrandis.] Ab inflammatione magna quam facit fluxio consistens & concitata sanguinis multa bile perfusi & efferi.

Parotidas facit.] Quomodo suprà audiuimus, 4. huius cap.

Et convulsiones.] Translatione materiæ ad ceruicis medullam, membranas & neruos; tum ad musculos ipsos per progressum, vnde ceruicis duritas, maxillarum coarctatio, carωtidum carteriarum pulsus fortis, cordarum temporalium distensio: vnde etiam ceruicis & dorsi dolores hîc commemorati.

9 Μετὰ πυρετοῦ ὀξέος, σπασμοὶ ὀλέθριοι.

Et verò conuulsiones cum febre acuta, funesta.

Hoc

HOC PERTINET ad exprimendam τὴν δυσίωσιν, i. *grauitatem* symptomatum superioris decisionis. Distinctio autem talis est. Conuulsio febris acutæ conlectaria ab exhausto, funesta, tum vniuersalis, tum particularis. *Conuulsio autem febris finem adfert, quæ aut eodem febris die, aut postridie, aut etiam perendie incidit: modo eam, quæ incipit, horam non excesserit.* At verò *febris conuulsionem exoluit, quæ antè non fuit; aut si fuerit, exacerbationem habuit.*

10 Τραχήλου καὶ πήχεος ἀλγήματα σπασμώδεα. ἀπὸ προσώπου δὲ ταῦτα.

10

Ceruicis & cubiti dolor, est conuulsificus: id autem à capite nasci solet.

HIC ETIAM noster author id habet propositi, vt quæ ceruicis & faucium mala, successione & accessione pariant incommoda, nobis aperiat. Est autem hujusmodi præsens decisio. Si dolor ceruicis ingens propagationem habeat, aut translationem dolorificæ materiæ per quintam conjugationem neruorum ceruicalium ad cubiti musculos qui inde mouendi facultatem percipiunt; sanè iniussus tum erit motus eorum qui antea non nisi nostra sponte & imperio mouebantur; quæ ratio deprauati mo-
20 tus qui contra naturam suscipitur, conuulsio nominatur. Ergo non est dubium quin fluxio concitata, simulatque in cubito systrophen habuerit, conuulsionem faciat; nisi detractione sanguinis è vena illius cubiti occurratur: quoniam vbi grauitas est, quæ nunquam accidit per sympathiam, inde sanguinis detractio molienda: quemadmodum in pleuritide faciundum præcepit. Et verò Galenus ipse detrahendi sanguinis locum indicat ex eo præceptoris theoremate. [Greek illegible] *i. Ducendum quà repit, per loca commoda:* vbi remedium huius propositi mali docetur his verbis: *Quæ mala ex dorso ad cubitum veniunt, phlebotomia exoluit.*

Quod sequitur. ID AVTEM E CAPITE NASCI SOLET.] Nos quidem, authore Galeno, faciem pro capite vsurpatam, ad ipsum caput & cerebrum referendam duximus. Idem enim significare, ait Galenus, τὸ ἀπὸ προσώπου, quod illud nuper iam explicatum, ἀπὸ κεφαλῆς ὁρμώμενα, vt fluxionis concita-
30 tæ fons & origo sit caput & cerebrum, indéque translatio fiat per ceruicem, ad cubitum, cum suo communicantem principio, tum generis similitudine, tum vicinitate, & operis societate. Fluxionis autem è capite concitatæ decisio eòdem spectat, quò explicatum iam illud: Ἀπὸ κεφαλῆς ἀλγήματος, &c.

"ἀπὸ ... ὁδοιπορεῖν" 1 b. ἀπὸ χυμῶν. aph. 22. 6. prorrh. 11. s. 3. r. Coac. 2. huiusca.

11 Κατὰ φάρυγγα ὄχλοι, ἰσχνοί, πτυαλίζοντες ἐν τουτέοισιν, ἐν ὕπνοισιν ἱδρῶτες ἀγαθοί. πρός γε καὶ τῷ ἱδρῶτι κουφίζεσθαι τοῖσι πλείστοισιν οὐ πονηρὸν· ὅ τε ἐς τὰ κάτω πόνοι τουτέοισιν εὔφοροι.

40 *Quinetiam faucium proritationes cum æqualitate & ptyelismo, faustos in somnis habent sudores. Nam & leuari sudore, plurimis non est infaustum. Tum qui deorsum descendunt labores, toleranter feruntur.*

HVNC ὄχλον superiùs ἐνόχλησιν nominauit. Sudores his bonos esse ait, quòd per eos inutilis humor exudet, si toto manent corpore stillatim & calidi. Ex quo interrogationem inutilem putaui, cùm nemo sit qui eâ de re dubitet. Cæterùm tribus modis quiescunt hæc mala sudore, tumore in illis partibus, &
50 venæ sectione, vt libro de ea Galenus tradidit.

12 Ἐν ἀλγήματι νώτου, καὶ στήθεος, αἱματώδης οὔρησις ἐπιστᾶσα· ὀλέθριος ἐπιπόνως.

In dolore dorsi & pectoris, cruenta mictio vbi sistitur; crudeliter mortiferum est.

60 DORSI ET pectoris laborantium dolore inflammatorio, miræ symptomatum copiæ esse solent, tum accessione per propagationem, tum successione per transitum; siue is diadochen faciat, siue translationem: quemadmodum in ceruice iam demonstratum est. Quæ omnia loco scribentur. Hic autem sufficiet causas aperire mictionis cruentæ & quare suppressio eius crudeliter mortifera sit, quod significat τὸ [Greek illegible]. Multi enim suppressa vrina moriuntur ἀνωδύνως, sine vlla doloris acerbitate, somno veternoso sepulti.

Ergo. IN DOLORE.] i. Affectione firmiter fixa & stabili à rheumate consistente & concitato: vnde summa doloris acerbitas nasci solet in partibus acerrimi sensus.

DORSI ET PECTORIS.] i. Thoracis antica & postica parte obsessi à rheumate consistente & concitato, quod illis in partibus dolorificam habet τὴν συστροφὴν periculosæ pleuritidis; in dorso quidem per venas thoracicas; in pectore autem, per eam quæ mammaria nominatur. Inde pleuritis nascitur, quam Hippocrates vocat dorsalem, in qua vrinam ferri commemorat, primùm quidem ὕφαιμον, quarto, aut tertio morbi die; nonnullis etiam αἱματώδη. Eiusmodi esse solet τὸ ἰχωροειδὲς quod è carnibus assis exudat. Idem quoque author est, eiusmodi pleuritidem coniunctum habere rigorem cum doloris acerbitate secundùm spinam ad pectus; ac tum vrinas reddi cruentas.

CRVENTA MICTIO VBI SISTITVR.] i. Si vrina referens τὸ ἰχωροειδὲς quod è carnibus assis exudat, quæ pari & eodem vitio renum fertur, quo prærubra ventris proluuies loturæ carnium recens mactatarum similis, quam fundit iecur effœtum & exolutum. Non enim cruenta hic potest videri multa bile saturata, aut inflammatione feri prærubra: sed tantùm sanguinolenta, qualem descripsit Hippocrates. Nec verò talis vrina vesicæ vlceratæ consectaria est: quia funditur ἀπὸ ταὐτομάτου, i. repentè, & nulla incidente extrinsecus causa. Vnde adducor vt credam renes in causa esse cur talis fundatur, idque vel rupta venula prorupto illuc sanguine vbi venæ non sunt affixæ, quemadmodum in vesica; vel oppressione quæ facit expressionem; vel exolutione ipsorum renum & colatorij per quod vrinæ materia secernitur à sanguine renum alibili. Non enim hic libet agnoscere calculi asperitatem quæ faciat vrinam cruentam renum attritu, vnde sanguinis mictione vrina inficitur: quod in nephriticis Hippocrates annotauit, αἱματώδεα οὐρέουσι. Cæterùm dorsalis hæc commemorata pleuritis, propagationem etiam facit ad lumbos, vnde symptomata nephritica nasci solent; non quidem per translationem humoris dolorifici, sed per sympathiam societatis & vicinitatis. Solemne est illud Hippocratis. *Quibuscumque diaphragmate inferius gibber enascitur; horum nonnullis renum & vesicæ morbi enascuntur.* Nulli autem sympathici morbi, priores exoluunt vnde ipsi venerunt. Secus est de crurum varicibus, & dysenteria, quas facit humoris gibberosi translatio, gibbúmque ipsum sanat. Iam verò quòd vrinæ cruentæ suppressionem crudeliter mortiferam esse dixit, antequam illius crudelitatis causas exponam, quærendum videtur quàobrem supprimatur, num etiam peioribus ægri rebus suppressio illa fiat, quàm liberalis mictio.

Hic ego ischuriam propriè dictam quæ tantùm vesicæ propria est, solam agnoscere nullo modo possum. Pertinet enim hæc, non minùs ad partes vnde secernitur, & per quas in vesicam illabitur. Huiusmodi autem sunt renes & vrinæ ductus, quorum offensione, quemadmodum vrinæ cruentatæ funduntur: sic etiam sisti possunt, vt in nephriticis; tum inflammato rene, tum etiam calculo in vrinæ ductus impacto. Quid verò nonne huc spectat etiam renum diu multumque afflictorum νέκρωσις? Itaque si dorsalis hæc iam explicata pleuritis prorepat in rhachitin, eiusque membranas, tandémque fit crebra horroribus cum cita caloris vicissitudine; tum demum eueniet vt acerbissima vrinæ suppressio consequatur. *Crebri ex lumbis horrores, cum cita caloris successione, pestiferi; grauissimam vrinæ suppressionem ostendunt.* Atque illa frigoris & caloris vicissitudo venit ἐκ τόπου, non autem aliunde cietur ἐν τόπῳ: sicut horrores critici & periodici, qui fiunt à cacochymia è vasis illuc diffusa. Est enim constans & rata Hippocratis sententia, manetque apud medicos firma consensio; omnem rigorem, omnemque horrorem qui intus, non extrinsecus ducitur, inde cieri, quòd cacochymia è vasis in lumbos & dorsum expressa, vellicet partes illas acerrimi sensus. Quæ causa Hippocratem adduxit vt scriberet: *Rigores mulieribus quidem primùm, mox viris, excitantur à lumbis secundùm dorsum ad capiti. Quòd si quis aliunde rigeat, palam est ipsum rigere à purulento abscessu, non autem à vasis.* Ac si diceret. Rigores quidem omnes periodici, critici, & symptomatici à motu febris principia causásque ducunt, cacochymia è vasis diffusa: vt ibi domicilium febris esse putemus vnde rigor venit, non vbi cietur. Sin autem partium ipsarum vitio nascantur, abscessus purulenti signa existunt; vbi, & vnde cietur. Ergo cita illa caloris & frigoris vicissitudo, inflammationem denunciat ipsius rhachitis, & membranarum ejus. Etenim descripta iam inflammatio maiores habet sistendi opportunitates, quàm promouendi vrinam. Valet autem ad ἰχωροειδὲς καὶ αἱματῶδες: non autem ad ἀνάδοσιν ipsam. Quod sequitur, ab ea suppressione citam & crudelissimam mortem venire; non eò spectat vt doceat, perennitatem mictionis cruentæ, dum manet pleuritis, ab interitu vindicare. Nam & Hippocrates author est, pleuriticum sic affectum cum tali vrina vitam finire quinto, aut ad summum septimo die morbi. Huc accedit quòd in hac dorsali pleuritide symptomata nephritica sunt planè sympathica: nulla autem pleuriticæ materiæ aliò translata κατὰ μετάστασιν succedaneæ cuiusmodi esse dicuntur varices crurales, dysenteria quoque ipsa. Atqui verissimum illud est quod scripsit Gal. ὅσα κατὰ συμπάθειαν γίγνεται νοσήματα, τούτων οὐδὲν λύειν τὸ ἐξ ἀρχῆς πάθος, i. *Eorum quæ per sympathiam nascuntur, nullum est quod priorem morbum possit exoluere.*

Superest, vt quare crudeliter mortifera sit vrinæ cruentæ suppressio, exponamus. Enimuero, simplex vrina dum sistitur, si excursum ad cerebrum habeat, cataphoricum parit symptoma, lethargum, sanguinolenta autem, quoniam feritatem coortaxit, & febris æstu incanduit; quoquò se verterit malignæ cacochymiæ & qualitatis efferæ vim acerbissimam secum portat: vnde efficitur, vt & doloris acerbitate, & interceptione officij nobilissimarum partium; postremò sympathia vicinarum & sociarum, cita morte atque crudeli funesta sit. Quod autem hic sit ὀλέθριον, suprà iam legimus ...

13 Τραχήλου πόνος, κακὸν μὲν ἐν πυρετῷ παντί· κάκιστον δ' οἷσι καὶ ἐκμανῆναι ἔλπις.

Ceruicis dolor cùm in febre omni terrificus; tum verò pestiferus ijs qui sunt in metu insaniæ.

10 Inter symptomata epigenomena quæ veniunt κατ' ἐπιγένεσιν, i. *propagationem* causæ morbificæ, ac locum habere dicuntur; non quidem simpliciter in magnis morbis, sed in iis tantùm qui inter ipsos eximij sunt; dolor ceruicis, qualem describit Hippocrates, non vltimarum est partium, sed certè primarum. Etenim verè illud est positum: omnem ἐπιγένεσιν pessimam quidem esse teapse, sed multo peiorem haberi, quando fit via vi ad nobilissimas partes quæ habent imperium in corporis vniuersitaté. Et verò cùm morbi omnes qui aliorum propagatione veniunt, sunt primigeniis acerbiores: tum maximè id cernere est in nobilissima parte, cuius officio carere non potis est saluis ægri rebus; cùm scilicet illa pars offensionem concipit ab humore tum effero, tum indomabili: qualis esse solet qui ex priore morbo vitium fecit. Sanè ceruicis dolor frequens est in querelis ægrotorum qui ardenter febricitant, qualem fuisse legimus, præter alios multos, Silenum. De quo ita scripsit Hippocrates. *Silenum febris ar-*
20 *dens corripuit. Cæpit autem lumbis dolere, capitisque habuit grauitatem, ac tum ceruicis erat distensio.* Hunc idem narrat diem suum vndecimo morbi obiisse, qui tamen celeriùs interiisset, nisi ætatis virtute interitus celeritatem repressisset. Erat enim natus annos viginti.

Ergo. Ceruicis dolor.] Qui nulla vi in ceruicis musculos incidente, sed à distensione venarum & arteriarum ceruicalium excitatur; eáque distensio hæmorrhagiæ criticæ non est prænuncia, neque fugax: vt esse non potest quæ ineunte morbo molesta est, nec antè significata fuit. Oboritur autem dolor ab inflammatione dorsalis medullæ & membranarum eius.

Cum in febre omni terrificus.] Qualis fuit ille Sileni, quem symptomaticus sanguinis excursus per distensionem effecit.

Tum vero pestiferus iis qui sunt in metu insaniæ.] Cuiusmodi sunt ἐκμανώ-
30 δεις qui animo perturbantur, quorum perturbatio ad phrenitidem viam munit sternitque; tum ij qui ex mansuetis repentè fiunt proterui in quæsitis atque responsis; & qui vrinas reddũt pellucidas, aqueas, nigro've præditas enæoremate. In talibus enim pestiferus est dolor ceruicis: quoniam ad præparatiõnem suscipientis causæ, inde vis adfertur magna efficientis.

14 Ἐπὶ στήθεος ἀλγήματι πυρετώδει, κοιλίη ταραχώδης, δακνώδης σημεῖα μελάνων ὑποχωρησίων.

40 *In dolore stomachi febriculoso, aluus cum morsu prorupta; deiectiones nigras denunciat.*

Eodem spectare videtur quòd illa: *Quibus cum biliosa deiectione premitur morsu pectus, amarescitque os; malum.* Hoc igitur proponit intelligendum, illas demum excretiones duce natura non fieri, nec saluis & integris ægri rebus, quarum excrementa sunt effera atque perennia, quæque vnà pariter sursum deorsumque feruntur. [Coac. 45. 1. libr.]

In dolore stomachi.] i. In cardiogmo & æstu ardenti, à bile flaua in tunicis ipsis ventriculi
50 feruentissima, vnde stomachus ipse mordetur ex facili κατ' λόγον & meritò; vt nihil aliud planè sit καρδιωγμὸς, quàm δῆξις τοῦ στήθεος iam explicata. Quæ causa est etiam cur hîc, τὸ στῆθος, orificium ventriculi esse putem, vsurpata per synecdochen cartilagine ensiformi pro sterno, quod στῆθος non rarò dicitur, cuius ipsa pars est: & per metonymiam, id quod sub illa ensiformi cartilagine continetur, orificium nempe ventriculi, quod veteres τὴν καρδίαν nominarunt: ne aliud esse videatur commemoratum hoc loco τοῦ στήθεος ἄλγημα, quàm καρδιωγμός. [aph. 65. 4. 45. Coac. 1. libr.]

Febriculoso.] i. Si febris accessionem habeat ingentis æstus à bile in aluo feruentissima, vnde synimoria sit eius incontinenter gignendo, & lacessendo. Est enim perennitas prouocationis & generationis in dolore stomachi febriculoso, quem alibi sic expressit. Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καῦμα ἰσχυρὸν περὶ τὴν καρδίην i. *In febribus, circum ventrem æstus ingens,* &c. [aph. 65. 4.]

60 Alvus cum morsu prorupta.] i. Quæ biliosis excrementis profusè fertur: ac profusè ideo scripsi, quòd nomen τὸ ταραχῶς non est deiectionũ modicarum, sed nimiarum & profluentium. Biliosas autem adscripsi; quia & cum morsu feruntur, & in nigras tandem mutantur. Nec verò biliosarum deiectionum ratio intelligenda τῶν καλῶν καὶ κρισίμων, i. *bene fœliciterque ductarum*; vt bilis subrufæ crassescentis, qua multùm & rarò sine stridore fertur aluus, solida, mollis, & succi plena. Sed potiùs animo complecti velim alteram biliosarum deiectionũ conditionem, quæ est τῶν ἀκρήτων μᾶλλον τοῦ καιροῦ [3. de acut. diæt.]

ἢ ἀφρωδέστερον; i. *saturata nimium bilis, atque spumantis*, quæ non minùs excernendo calamitosa est, quàm stabulando. Non enim cùm excernitur, hypochondriorum ardor extinguitur; sed exardescit magis, neque iactatio ipsa quiescit: adde quòd sedis & intestinorum vlcifera esse solet.

SIGNA DEIECTIONVM NIGRARVM.] Quoniam bilis flauæ in atram facilis mutatio est: tum etiam quia iecoris afflictio diuturna, ipsum sic reddit effœtum, vt non solùm officij tædio, sed etiam exolutione sui, in vitio esse videatur, indéque descendant ὑποχωρήματα μέλανα οἷον αἷμα. præsertim si extimæ partes perfrigerari cœperint. Vt enim: *Qui è phrenitide cum perfrigeratione sputatores redduntur, vomitum illi nigrum prænunciant.* Sic perturbata aluus diúque crocea bile ducta, incidente perfrigeratione, nigra excernit.

[margin: 95. coac. 1. lib.]

15 Τὰ ἐν ὀξέσιν καὶ φάρυγγα ἰσχνὴν· ὀδυνώδεα, πνιγώδεα· ὅτε χάνοι μὴ ῥηιδίως συνάγοντι ἰσχνῷ, παρακρουστικά· ἐκ τουτέων φρενιτικοὶ, ὀλέθριον.

Qui cum æqualitate faucium, in acutis, dolores & strangulatus adsunt, nec oscitanti os facilè cogitur, quamuis æquali; deliratio est, indéque phrenitici desperati.

OMNIA quidem vera sunt quæ in hac prognosi leguntur: sed parum appositè scripta, quia non sunt ἱκανά, vt ex eorum signorum complexione non posse id effici videatur, quod ipse euenturum prædicit. Principio anginam describit quæ nihil aspectabile, nihil tractabile ad sui cognitionem adfert, præter intolerabilem doloris acerbitatem & ὀρθόπνοιαν. Id enim declarat æqualitas faucium & strangulatus. Ac talis angina ab inflammatione laryngis nata, non minùs, penè dixerim, cita morte funesta est, quàm ea quam facit carnificis illaqueatio. Nihil igitur erat necesse ad prædictionem phrenitidis mortiferæ, aduocare cynanchen, quæ homini necando ipsa per se satis est, si quod aliud morbi genus; nec vnquam, si quid iudicio, phrenitidis prænuncia est. Sufficiet igitur demonstrare qui fiat vt oscitanti, quamuis æquali, os cogi non possit. Sed tamen ne quid perfunctoriè scripsisse videamur, enarrationem huius prognoseos à principio ad finem, Deo duce & auspice, sic perducemus.

QVI CVM ÆQVALITATE FAVCIVM.] i. Inflammationis expertium, vt esse solent in vera cynanche quæ nihil edit conspicuum, neque in faucibus, neque in sterno: vt suprà iam demonstratum est, & explicatum quid vocet φάρυγγα ἰσχνὴν.

[margin: Coac. 5. c.10.li.2.]

DOLORES ET STRANGVLATVS.] Quæ duo symptomata nobis aperiunt veram cynanchen ab inflammatione natam musculorum propriorum laryngis.

IN ACVTIS.] Quò tendit & illud: *Si cui dominatu febris detento, repentè incidat strangulatio, faucibus nullo tumore obsessis, inde cita mors venit.*

[margin: aph. 34. 4.]

NEC OSCITANTI OS FACILE COGITVR.] Vacatione officij musculorum crotaphitarum, in homine sui securo & negligenti: quemadmodum mox intelligemus ex eo quod sequitur.

QVAMVIS ÆQVALI.] Sic enim vertimus ἰσχνῷ, cui subaudiendum est ὄντι; vt illa æqualitas referatur ad faciem, quæ naturaliter sit constituta, naturalemque suam obtineat τὴν ἰσχνότητα, nullóque modo sit à se mutata. Ac si diceret; si oscitando æger teneat semper os hians, non à conuulsione musculorum aperientium, non à luxata maxilla inferiore, nec à paralysi musculorum claudentium, crotaphitarum & massæterum. Secus fit in iis de quibus exarata & explicata fuit hæc prognosis, *Ceruicis duritas & dolor prægrandis, maxillarum item coarctatio, venarumque iugularium pulsus fortis, vnáque chordarum contensio, mortifera sunt hæc.*

[margin: Coac. 1. c.10.li.2.]

DELIRIO EST.] Hominis sui immemoris, nec sensionem rei molestæ percipientis, nisi admodum rarò; cùm scilicet accessione causarum morbificarum symptomatumque vehementia, ἡ παραφροσύνη γίνεται ἀναισθήτως.

INDEQVE PHRENITICI DESPERATI.] Etenim, si luxata inferiore maxilla, nisi quàm citissimè reponatur, crotaphitarum musculorum & massæterum distensio & alteratio per phlegmonen & erysipelas, in similem affectionem cerebrum ipsum adducit, quo pariter, similiterque simul affecto, febres acutæ incidunt cum offensione & vitio omnium animæ actionum; quidni oscitatio magna & ad extremum perducta, sine vicissitudine clausionis, parem vim adferet, primùm quidem musculis, mox cerebro ipsi, vnde tum febris acutæ, tum phrenitidis consecutio adfertur: maximè verò iis quibus in propinquo est ipsa phrenitis, cuiusmodi sunt οἱ παρακρούοντες, ex cerebri sympathia quam primigenia febris induxit? Animaduertet autem medicus, τὸ παρακρουστικὸν fieri per sympathiam cerebri; τὸ δὲ φρενιτικὸν, per idiopathiam: atque sympathiæ facilem esse transitum ad idiopathiam. Libet autem adscribere verba de maxilla inferiore luxata. Τοῦτον, inquit, ξυμφέρει ἐμβάλλειν ὡς τάχιστα, ὡς βέλτιον δὲ προείρηται· ἢν δὲ μὴ ἐμπέσῃ, κινδυνεύει περὶ τῆς ψυχῆς ὑπὸ πυρετῶν ξυνεχέων, καὶ νωθρῆς καρώσιος, καρώδεες γὰρ οἱ μύες οὗτοι, καὶ ἐντεινόμενοι παρὰ φύσιν, i. *Hanc reponere citò oportet, quomodo antè dictum est. Nam nisi reposita breui fuerit, periculum animæ imminet à febre continua, & segnicie veternosa. Sunt namque soporati hi musculi, & distenti, & alterati contra naturam.*

16 Φάρυγξ ἑλκωμένη ἐν πυρετῷ μετ' ἄλλου σημείου τῶν δυσκόλων· κινδυνῶδες.

Fauces exulceratæ in febre, cum alio signo difficili; periculosum.

VIDEOR belle pensum meum absoluturus, si ad enarrationem huius prognoseως, historiam recensuero vnde catholicum hoc theorema desumptum est. Historia legitur prima tempestate 1. lib. τῶν ἐπιδ. quam nos Latinè sic expressimus. *Vnicum, idemque maximum inter eos qui tunc regnabant morbos, τὸ φθινῶδες, multos intertmebat. Eorum autem qui vitam finiebant, plurimos exercebant pathemata huiusmodi, febres horrifera, acute, continua, quarum modus erat hemitritaus, vnius quidem diei remissionem habentes, alterius verò exacerbationem. Omnino autem vires acquirebant eundo, ac celeritatis, vehementia, & assiduitatis accessione ingrauescentes.* quod significat τὸ ἐπὶ τὸ ὀξύτερον ἐπιδιδόντες. *Tum sudores quidem continenter, sed non toto corpore exudabant, extima partes frigide vix recalescentes. Alui cum torminibus ferebantur biliosis, paucis, meracis, tenuibus, mordacibus quoque; & crebrò ad egerendum surgebant. Vrinæ tenues, crudæ, decolores, paucæ; aut si crassiores essent, exigua hypostasi; nec bene constituta. sed cruda quadam & intempestiua erant prædite. Extussiebant pauca frequenter, parum cocta vix educentes. Quibus autem grauissima erant pathemata, iis ne paulisper quidem apparebat pepasmus: sed totum exigebant morbum cruda spuentes. Cæterùm mala hæc omnia inde principia causasque ducebant, quòd ineunte morbo ad finem vsque, fauces dolenter habebant. Erant autem rubore suffusæ cum inflammatione: rheumata exigua, tenuia, acria, vnde citò liquebantur & vitiabantur. Accedebat & illud grauissimum; quòd omnia vescendo accommodata & bona fastidiebant toto morbi decursu. Sitis expertes, delirique cum in propinquo mors esset.*

Ergo. FAVCES EXVLCERATÆ.] i. Dolenter affectæ, rubræ, inflammatæ; à rheumate tenui, acri, ferino.

IN FEBRE.] Acuta, continua, horrifera, qualis est hemitritæus.

CVM ALIO SIGNO DIFFICILI.] i. Sudatiuncula, turbatione alui symptomatica, prauis vrinis, praua quoque & difficili anacatharsi; quæ omnia non δύσκολα solùm, sed etiam reuera sunt πονηρά.

PERICVLOSVM.] Vel etiam funestum: propter morbificæ causæ perennitatem, & affectionum syntimotiam; tum etiam partium obsessarum præstantiam, doloris acerbitatem, & officij ad vitam tuendam necessarij interceptionem; cum infirmitate virium à colliquatione partium, viuacitatis exhausto, & viuifici nectaris paupertate.

17 Ἐν πυρετοῖσιν ἐξαπίνης πνίγεσθαι, καὶ καταπίνειν μὴ δύνασθαι, χωρὶς οἰδήματος· κακόν.

In febribus; strangulari repentè, nec deglutire posse; sine tumore; malum.

IN OMNI morbo malè res eunt quando symptomatum accessione, & vnà damnis æger augetur, & vnà peccatur in commoda eius; vnde curationis fiducia ac spes salutis ruit. Enimuero nihil tam facit sperabile ægri salutem, quam ipsa respirādi, & deglutiendi libertas. Cōmoda liberæ aspirationis non ita pridem sunt explicata. Deglutiendi autem libertas quantum opis ad curationem adferat, vel illud declarat maximè, quod omnis neoterismus, omnisq; epicrasis, tū ipsa nutritio, deglutiendo suscipitur; difficultatis autem calamitas signo ipso terrifica esse debet: quoniam in causa est eius conuulsio, vel exolutio pharyngis atque laryngis. Quæ cùm ita sint, hæc mihi videtur ratio explicandi prognoseως.

IN FEBRIBVS.] Quarum discessio nulla est, neque futuram crisin ostendunt; celeriter autem, continenter, & vehementer mouentur.

REPENTÈ STRANGVLARI.] i. Nulla præeunte προνοίας, i. *prouidentia*, quæ posita sit vel in asthmate, vel in peripneumonia, vel in vomica, vel in ceruicis λορδώσει, i. *luxatione supina*, vel in tuberculo & inflammatione laryngis (nam quæ ab illis causis incidit strangulatio, non fit repentè, nec sine prognosi, nec sine summa doloris acerbitate, cum meteorismo & orthopnœa.) Nos enim τὸ ἐξαπίνης idem significare putamus, quod ἀπὸ ταὐτομάτου, quod est, sine prophasi vel insita & prænuncia, vel extrinsecus incidente. Hîc igitur qui repentè incidit strangulatus sine tumore, fit sua sponte, non autem in vera angina quam facit inflammatio propriorum musculorum laryngis, de qua iam diximus. Huiusmodi sunt: *Quibus cum febre vox faucibus hæret*, ab infirmitate musculorum intercostalium, & exolutione laryngis. Huiusmodi etiam, *interruptæ voces*, quas vocat [illegible]. Inde etiam veniunt ἄφωνοι, βραχύπνοοι, & qui spirationem edunt minutulam quam idem vocat πνεῦμα μικρὸν. (Coac. 3. c. 8. lib. 2. Coac. 7. c. 8. lib. 2. 3. Epid.)

NEC DEGLVTIRE POSSE, SINE TVMORE.] Vera difficultas spirādi & deglutiendi, aliò sit referēda quàm ad tumorem. i. inflammationem faucium & laryngis; ad paralysin videlicet ipsam instrumentorum, & facultatis infirmitatem. Nam qui à tumore faucium difficulter deglutiunt, aut etiam deglutire nullo modo possunt, similiter affliguntur vt anginosa Bitonis, de qua sic legitur: *Potus per nares effluebat, deglutire non poterat*; sed id non fiebat ἐξαπίνης, nec αὐτομάτως. Nec verò ad normam huius prognoseως adducendi sunt illi cynanchici, qui faucibus inflammatis, potulenta refundebant per nares, (hist. 4. part. 2. 3. Epid. lib. 6. Epidem. part. 7.)

nec deuorare poterant. Huc etiam vocandus aphorismus ille: *A febre habito si, faucibus non tumescentibus, strangulatus repente incessat, mortiferum.* Multùm enim interest inter hoc, nullo existente tumore ἐν τῷ φάρυγγι, &, nihil conspicuum exhibere in faucibus.

Malvm.] Vel potiùs mortiferum: quoniam in summa necessitate spirandi, facultas id efficiendi adimitur.

18 Τράχηλον ἐπιστραφῆναι μὴ δύνασθαι, μηδὲ καταπίνειν θανάσιμον ὡς τὰ πολλά.

Meliùs sic:

Ην ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος· θανάσιμον.

Si cui in dominatu febris repentè ceruix peruertitur, nec deuorare potest, nullo apparente tumore; mortiferum.

Hvivs prognoseως idem scopus qui fuit superioris, proptereáque idem syllogismi argumentum, quod medium vulgò dicunt. Est autem huiusmodi. Vndecumque in febris dominatu damna augentur, & vnà curandi opportunitas amittitur, inde salutis desperatio esse solet. Atqui in febris dominatu, ceruix repentè peruersa, deuorandi facultatem adimens, damnis auget, vnáque curandi opportunitatem tollit. Ergo inde salutis desperatio est. His ita constitutis.

Si cvi in dominatv febris.] i. Illi demum qui magisterio febris tenetur, vnde summa spirandi, summáque deglutiendi necessitas ad epicrasin, & neoterismum.

Repente ceruix pervertitvr.] Non quidem luxata in anticam, posticam, aut in alterutram partem vertebra; ab ictu, iactu, & casu; nec verò ab vllo tumore qui vertebrarum ligamenta, neruosque, vi, ad se rapuerit, idque ceruicis peruersionem quoquouersum attulerit. Talem enim causam quæ sæpe incidit, ac sæpe signa edit in vertebra intrò luxata; illud explodit: *Nullo apparente tumore.* Sed quæ peruertitur ab intempetie admodum sicca, quæque ad vltima siccitatis peruenit, quæ facit ὁλκὴν, καὶ τάσιν, καὶ διαστροφὴν τῶν μερῶν, i. *tractionem, tensionem, peruersionem partium.*

2. Epid. Coac. 6. huiusca.

Nec devorare potest.] Tum vitio faucium, tum rapta, ad λόρδωσιν vertebra dente, vnde gula comprimitur, iam inde nimium resiccata.

Nvllo apparente tvmore.] Neque in faucibus, nec in ceruice: quia quæ inde venit difficultas deglutiendi, nondum salutis spem adimit.

cõment. ad aph. 35.4.

Mortiferum.] Ratione signi & causæ. Vt enim signo insanabilis est hæc difficultas; sic ipsa causa damnatorum cumulum adiungit in febre acuta.

DE HYPOCHONDRIIS.

Cap. XI.

Υ̓ΠΟΧΟΝΔΡΙΟΝ δὲ χρὴ μαλθακὸν εἶναι, καὶ ἄπονον, καὶ ὁμαλόν. Φλεγμαῖνον δὲ, ἢ ἀνωμάλως ἔχον, ἢ ἀλγούμενον· σημεῖον ἀρρωστίης ἐστὶν οὐκ εὐήθεος.

1 ***Iam verò hypochondrium esse decet molle, doloris expers, æquale. Contrà exæstuans, aut inæqualiter constitutum, aut etiam dolore affectum: morbi est non mansueti.***

In medicina nullum frequentiùs nomen auditur quàm hypochondriorum, partiumque quæ in hypochondriis continentur. Nulla hypothesis in medendo, nulla tecmarsis initur quæ hypochondriorum θέσιν non proponat. Denique fundamentum curationis est hypochondriorum posita, vt assolet, ad deliberandum affectio. Nulla est morbi species, nulla idea, quæ ad sui cognitionem atque scientiã hypochondriorum distinctionem non habeat, quo iure, quáque iniuria. Et quoniam omnia quæ sunt in medendo, scopum habent id quod est naturaliter cõstitutum, vt ex comparatione similium ac dissimilium intelligamus quantum & quemadmodum vnumquodq; à symmetria discesserit, tam in excessu quàm in defectu; primùm quidem noster author de more institutóque maiorum, proponit hypochondriu bene constitutũ in cõplexione & temperamento, quod ἀκεστὸν idem vocat. Est autem huiusmodi.

lib. 1. progn.

Iam vero hypochondrivm esse decet.] Ac si diceret. Patefacta omni prognosi de respirando perspectis etiam malis partium quæ respirationi deducendo inseruiunt, vt faucium, atque laryngis, partiumque circumiacentium, quæ sunt, ceruix & vertebræ eius; sequitur vt de hypochondriorum

rum affectionibus hoc loco dicendum sit, quòd eorum œconomia, secundùm respirationem, necessaria ad vitam tuendam, nec sine summo salutis & vitæ discrimine in vitio esse possint. Huius paraphraseos ducem habeo particulam, ἢ, quæ semper, authore Galeno disputationis præpositæ cum superiore connexionem ostendit. lib. 1. ἀφορισμῶν.

Ergo HYPOCHONDRIVM.] Pars illa epigastrij quæ subiacet, vel adiacet cartilaginibus notharum costarum, vnde nomen habet, multiplici tamen significatione distinctum, modò per synecdochen, modò per metonymiam, modò etiam per antonomasiam. De hypochondriis propriè dictis solemne est illud: *Abscessum minùs faciunt ventris, quàm hypochondriorum tumores.* Sed metonymia verè est in illo: αἱ διαδέξιες τῶν ὑποχονδρίων. i. *Successiones hypochondriorum.* Quinetiam locus ille metonymicè dictum hypochondrium planè testatur, vbi oxymelitis commoda explicantur. Sic enim legimus: τὸ ὑποχόνδριον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ σπλάγχνα εὐπνοεῖ. i. *Hypochondrio, visceribusque quæ ibi sunt, gratiosum*, quamvis & ibidem synecdoche notari possit, quemadmodum & in hac prognosi quæ hypochondrium singulare continet, pro vtroque. Non enim hîc per antonomasiam vsurpatur, sicut in illo de Hermocrate, ὑποχονδρίου ἔντασις λαπαρή. i. *hypochondrij distensio mollis*; vbi Galenus docet hypochondrij nomen absolutè vsurpatum, significare hypochondrium dextrum κατ' ἐξοχὴν, quod fieri diximus per antonomasiam. Est autem hypochondrium dextræ pariter atque sinistræ partis, proptereàque duplex esse docet, quod in prognostico scripsit, ἀνώδυνον, quod scilicet præclarè ad salutem apparet & facit. Nam hypochondriorum naturaliter constitutorum multa sunt commoda quibus vtimur ad naturalem œconomiam coctionis, digestionis, & excretionis; vt respirationis libertatem omittam: ac proindè consentaneum est vt omnes epigastrij partes, quibus illæ res perficiuntur, vacent omni culpa & vitio, quam quidem expetendam vacationem, hypochondriorum arguit descripta his verbis conditio.

1. progn. part. 16. 2. 6. Epid. hist. 2. part. 2. 3. Epidem. Gal. ad aph. 35. 2.

MOLLE.] Non quidem substantia, cuiusmodi est œdema (nam debet esse solidum, quod ἰσχυρὸν ἢ μὴ ἴσχον dixit) sed loco & situ, quod λαπαρὸν vocat, cùm ait: Δεῖ δὲ ἐν παντὶ τῷ νοσήματι, λαπαρὴν τὴν κοιλίην εἶναι καὶ ἰσχυρήν. i. *Oportet in omni morbo aluum esse mollem & solidam.* Est igitur molle hypochondrium, quod neque distentum est, neque repletum nimis, omnique caret renixu: sed facilè pressum subsidit in contractionis & distensionis mediocritate positum.

aph. 35. 2. & 2. progn.

DOLORIS EXPERS.] Vt hypochondrij mollitudo & æqualitas, signa sunt naturaliter existentia: sic ipsa doloris vacuitas, argumentum est petitum ex iis quæ ἀσυμβαίνοντα Græcis dicuntur. Vt si quis cùm fabricationem capitis commendarit à temperamento, complexione & conformatione; idem si addiderit, non facilè offendi frigoris & caloris appulsu; quemadmodum prima illa γνωρίσματα, i. *notitia petuntur ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, i. ex iis quæ adsunt*; sic hæc postrema ducuntur ἐκ τῶν ἀσυμβαινόντων, i. *ex iis quæ absunt.* Est autem hypochondrium doloris expers, certissimum argumentum vacationis rerum earum quæ facere solent dolorem, distensionis scilicet & intemperiei validæ. Ac distensionis causa sunt crassi & glutinosi humores, contumaciter partibus quæ laborant, infarcti. Sed intemperies nascitur ex iisdem calidis aut frigidis egregiè fortitèrque. In hac igitur doloris vacuitate, nulla inflammationis suspicio esse debet.

1. Epid.

ÆQVALE.] Scilicet vtraque parte, tam sinistrâ, quàm dextra; idque in omni symmetria qualitatis, quantitatis, & consistentiæ: vt neutra parte sit calidius aut frigidius, magis item minusve contractum, neque distentum; nec verò durius: vt tale hypochondrium tam bene habitum, omnes epigastrij partes omni vitio carere ostendat. id quod est maximè expetendum in omnibus morbis acutis, non solùm ad crises, verumetiam ad curationem, medici artificio institutam.

CONTRA EXÆSTVANS.] Æstu incandescens, tum ab inflammatione sicca iecinoris, tum à bile maligna saturatáque, cuius expurgatio non extinguit τὸ καῦμα, i. *ardorem* qui perennitatem habet in visceris διαθέσει φλογώδει, i. *dispositione inflammatoria*, proptereáque sanguinis detractione priùs quàm purgatione curatur. Qui contrà facit, malum insanabile reddit. Non enim hîc phlegmone accipienda pro ea quæ κατ' ἐξοχὴν à recentioribus sic nominatur, de qua dicetur paulò pòst. Nec verò incandescentium hypochondriorum causam agnosco flatuum interceptionem: quoniam, vt ait Galenus: οὐδέποτ' ἡ τῶν πνευμάτων ἀπόληψις, διάθεσιν τινὰ φλογώδη ἐργάζεται ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ. i. *Interceptio flatuum, inflammatoriam dispositionem hypochondrio nunquam infert.*

Hippoc. & Gal. 4. de acut. 4. acut.

AVT INÆQVALITER CONSTITVTVM.] Parte alterutra, vel vtraque, totóque abdomine certis quibusdã locis, hîc calidius, illic frigidius; hîc durius, illic mollius; hîc læuius, illic asperius; alibi doloris expers, hîc dolens. Denique magis minusve distentum; quamvis distensio, siue cum meteorismo, siue cum tensione, non semper hypochondriacorum viscerum inflammationem denunciat. Nam *Quibus acuta vox, hypochondria sursum intrò reuulsa sunt*, vt Sileno, de quo ita scripsimus: ὑποχονδρίου ξυντασις ἐξ ἀμφοτέρων παραμήκης, πρὸς ὀμφαλὸν ἀπολελαπασμένη, i. *Hypochondrij distensio vtrinque in longum ducta, ad vmbilicum velut remollita.* Hoc enim diaphragmatis inflammati signum est, quod tunicam intercostalem, vnáque transuersos hypochondriorum musculos ad se rapit, illasque partes sursum intrò reuellit. Nam illa quæ facit meteorismum distensio, symptomatica esse solet tum phlegmones, tum scirrhi, tum obstructionis, flatulentique spiritus. Sed earum causarum decisio atque prognosis, propriorum cuiusque signorum tecmarsi breui explicabitur, duce Christo.

in prorr.

AVT ETIAM DOLORE AFFLICTVM.] A causis dolorificis iam explicatis. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Tum is qui intelligit cur hypochondria sint doloris expertia, facilè complectetur animo quæ sint iis dolentibus causæ ipsius doloris.

HAVD MANIFESTI EST MORBI.] Sed contrà maligni, qui scilicet eiusmodi esse dicitur, aut quia contumax est, atque in prauos abscessus mutatur, vnde diuturnitas doloris, crebri relapsus, mors

31. Coac. 1. lib. quoque ipsa: at quia metum adfert sinistri judicij, spem verò salutis omnino non adimit, vt verè illud videar esse dicturus, quicquid Galen. reclamet: *Quæ ex hypochondriorum doloribus febres nascuntur, terrificæ.*

2 Οἴδημα δὲ ἐν ὑποχονδρίοισι σκληρόν τε ἐὸν, καὶ ἐπώδυνον· κάκιστον μὲν εἰ παρὰ πάντων εἴη τῶν μορίων. τῶν δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρεος, ἀκινδυνότερον τὸ ἐκ τῶν ἀριστερῶν.

At verò tumor in hypochondriis durus quidem ac dolorificus, pessimus est, si sit ab omnibus partibus. Eorum verò qui sunt vnius partis, periculi minus habet qui è sinistris assurgit.

Hypochondriorum naturaliter constitutorum, aut contrà, signa syllogistica superiore prognosi omnia sunt adducta; quorum alia petuntur ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, alia ἐκ τῶν ἀσυμβαινόντων. Hic noster author ex officio sibi incumbere putauit, explicare hypochondriorum morbos, vnde illa προηγούμενα causas ducunt; eorumque morborum naturam, symptomata, periodos, paroxysmos, & crises aperire. Sanè hic locus mirificos adfert scientiæ fructus ad comparandam τὴν μὲν διάγνωσιν, προγνώσιν καὶ θεραπείαν: quæ tria sunt medici officia in omni exercitatione medendi. Sic igitur ait summus dictator.

At vero.] Quod est huiusmodi Est hoc sanè aliquid, vel etiam multum, habere notitiam hypochondriorum malè constitutorum ex ardore, dolore, & inæqualitate: sed caosas intelligere vnde illa gignantur, & quorsum appareant; est sanè artificis peritissimi & experientissimi.

In hypochondriis.] Metonymicè dictis pro visceribus hypochondriacis. Nam hypochondriorum mala quantumvis dura & dolorifica, nec citam mortem adferunt, nec illis exoluuntur criticis legibus quæ in hac prognosi continentur, malisque hypochondriacis in ea descriptis tribuuntur. Enimvero hypochondriorum quæ adiacent cartilaginibus notharum costarum, vt cæterarum abdominis partium quæ superiacent peritonæo tunicæ; omnium, inquam, mala eiusmodi planè sunt qualia scribit in aphorismis: τὰ ἀλγήματα τὰ κατὰ κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα, τὰ δὲ μὴ μετέωρα ἰσχυρότερα, i. *Dolores qui ventrem tenent, cum tumore; leuissimi sunt: sine eo, grauissimi.* Ergo non omnis meteorismus dolorificus hypochondriorum, denunciat viscerum inflammationem: quoniam abdominis musculi dolere possunt atque tumere, concepta in ipsis causa doloris atque tumoris, per distensionem propriam, & eximiam intemperiem. Nam quæ à visceribus inflammatione aut scirrho obsessis, tensio duritasque incidit in hypochondrium, per oppressionem accidit: nisi fortasse excusatio sit apostematis è visceribus in hypochondria abscedentis. Sed hypochondriorum externorum vitia suis quæque notis certissimisque argumentis, à visceribus hypochondriacis distinguuntur.

aph. 7. 6.

Tvmor] i. Moles contra naturam, quæ vel humoris affluxu, vel congestione assurgit.

Dvrvs.] Tensione visceris, quam facit humoris crassi & glutinosi contumaciter infarcti affluentia, vel nimia abundantia. Cæterùm ejus duritatis contagionem ostendit hypochondrium externum, haud quidem concepta intra se duritatis caussa quæ tensionem faciat: sed à viscerum oppressorum afflictione distentum. Nec verò viscerum tumor omnis, hypochondriorum duritate & meteorismo percipitur. Declarat id commemorabile illud de Hermocrate. *Hypochondrij mollis distensio.* Sunt enim distensio & mollitudo ἐναντία Sed ea distensio, iecoris propria est, mollitudo autem, hypochondrij. Quinetiam iecoris caui inflammatio, vix hypochondrij distensionem habet tractabilem, conuexi autem inflammatio magna, facilem exhibet in hypochondrio contagionem. Cæterùm œdematis nomẽ omnia phymatum complectitur genera quæ consistunt in systrophe, non autem in suffusione. Hîc autem cõiuncta tumori duritatis & doloris accessio systrophicam inflammationẽ ostẽdit, quæ cum rubore, calore, pulsu, renixu, & dolore cõiuncta est quam recẽtiores medici phlegmonẽ κατ᾽ ἐξοχὴν nominarũt.

Dolorificvs.] Tum proprio vitio, tum alieno; ac proprio quidem, conuexarum hepatis partiũ distensione summa, & intemperie maxima: quæ duo glutinosi humoris præcalidi infarctu induci solent; cum accessione tussis, dyspnœæ, lateralis doloris, & iugularis. Alieno etiam vitio doler hypochondrium ab oppressione nimis distentum.

Pessimvs est.] Atque io angusto spem esse declarat, officij ad vitam tuendam necessarij interceptione, doloris acerbitate, vicinarum & sociarum nobilium partium sympathia & syntimotia; tum etiam celeritate, vehementia & assiduitate, vnde cita mors venit.

" Si sit ab omnibvs epigastrii partibvs.] Quia quò plures partes in vitio sunt, eò " res ægri peius eunt; pluribus inde labefactatis facultatibus, pluribus etiam partibus in contagionem adductis.

Eorvm vero qvi svnt vnivs partis, pericvli minvs habet qvi e sinistris assvrgit] Quoniam lien officij præstantia & dignitate, vt iecori inferior est, atque minor; ita celeritate, vehementia, & assiduitate morborum ingruentium; nec adeo citam crisin habet, nec tam celeriter ac facilè periculo locum cedit.

3 Σημαίνει δὲ, ἐν ἀρχῇ μὲν τὰ τοιαῦτα θάνατον σύντομον. ὑπερβάλλοντα δὲ τὰς εἴκοσι, τοῦ πυρετοῦ μένοντος ἔμπυησιν.

Verùm

Verùm tumores eiusmodi, per initia quidem nati, mortem in propinquo esse denunciant: sin autem vigesimum superent, manente febre in suppurationem vertuntur.

NVNC hypochondriacorum viscerum per systrophen inflammatorum pericula, & crises quibus defunguntur iis periculis, explicantur. Ac sanè pericula sunt in morte citissima. Defungendi ratio in abscessu & hæmorrhagia: quamvis in abscesso adhuc periculo sit locus, neque abscessus critici hic certa sit crisis, vt mox docebitur.

Ergo. TVMORE EIVSMODI.] Scilicet hypochondriacorum viscerum, non abdominis, qui neque citam mortem adferunt, nec crises recipiunt quas in hac prognosi expetendas proponit: nec verò omnes omnium viscerum tumores, sed tantùm iecoris, aut vtriusque hypochondrij inflammationes per systrophen assurgentes. Nam hypochondriorum tumores sinistra tantùm parte tractabiles, periculi minus habent propter lienem, vt ait Galenus.

PER INITIA QVIDEM NATI.] Non autem per diadòchen oborti, neque fugaces: qualem accepimus fuisse tumorem splenicum Herophôris. De quo sic legitur apud Hippocratem, πέμπτῃ σπλὴν ἐπήρθη, ὑποχόνδριον ξυνέτεινε. i. *Quinto die lien intumuit, hypochondrium distentum est.* Deinde subiungit. *Octauo lien minimus cepit, meus restitus; dolente priùs hypochondrio subiecto liene.* Hic autem principij nomen refertur ad primum insultum morbi, quem πρώτην ἐπιβολὴν Græci vocant. (hist. 3. Epid.)

MORTEM IN PROPINQVO ESSE DENVNCIANT.] Mortem quidem denunciant: quoniam nulla salus vitæ sperabilis in amissione officij tam necessarij, doloris acerbitate, partium nobilium sympathia & syntimoria; tum generatione perenni prauorum humorum. Citam autem: quoniam celerrimæ sunt crises morborum illorum qui celeriter, continenter, & vehementer mouentur. Tam citæ mortis exemplum legitur in Coi sorore. Τῇ Κώου ἀδελφῇ ἧπαρ ἐπήρθη ἐν τῷ λείῳ... τρόπον ... ἀπέθανε. i. *Soror Coi hepar intumuit consueto lienis modo: secundo die interiit.* Sed quàm conuenienter & appositè notandum præcipit eum tumorem durum ac dolorificum ἐν ἀρχῇ, i. *ineunte morbo*; vt scilicet hepatis aut vtriusque visceris inflammatio systrophica, ex affluxu nata, non autem ex collectione quam fecit obstructio. Declarat historia nepotis cuiusdam Apollonij Abderitæ, qui cùm longo tempore in praua diæta vix progrederetur, essetque μεγαλόσπλαγχνος, i. *viscerosus*, cum hepatis dolore quotidiano, & ictero, facieique colore subalbo; tandem oborta febre decubuit, ac trigesimòquarto morbi die interiit.

SIN AVTEM VIGESIMVM SVPERENT.] Saluis & integris ægri rebus, qui bonitate fortassis materiæ, viribusque validis, restitit ad vigesimum diem, periculoque defunctus est, nulla tamen prorupta hæmorrhagia.

IN SVPPVRATIONEM VERTVNTVR.] Quam licet expetendam, sine tamen salutis discrimine expectari non potis est. Nisi enim pus album sit, minimumque fœdi odoris, ac foras effundatur; semper periculo locus erit. Nam pus amurcosum, cœnosum, foras effusum; lethale est. Tum pus æquale & album, si intrò perductum, cutim contra se afficiat, aut cum integritate cutis aduersæ naturalem œconomiam labefactet, periculi metum & causam adducit. Cæterùm vigesimi sex quaternarios complectentis periodus considerari solet in omnibus morbis, qui à denegata excretione, salutis aliquam spem adferunt per abscessum. Talis fuit obseruatio in prægrandi cephalalgia. Talis in pleuritide. Talis etiam in catarrho procumbente in ventrem superiorem.

Prætermisi quod est in hac prognosi commemorabile, nempe illud, μένοντος πυρετοῦ, i. *manente febre*, vt hypochondriacæ inflammationis maneat constans systrophe quæ nullam adhuc mutationem accepit suæ molis atque coloris; nec exolutione, per διαφόρησιν, nec supparato, per concoctionem; nec scirrho, per concretionem; nec corruptione, per gangrænam. Tot enim modis, nec pluribus, inflammatio omnis per systrophen, mutationem accipit suæ molis, characteris, atque coloris.

4 Γίγνεται δὲ καὶ τούτοις ἐν τῇ πρώτῃ περιόδῳ, ῥῆξις αἵματος διὰ ῥινῶν, καὶ πάνυ ὠφελέει. τὰ δὲ πολλὰ κεφαλὴν οὗτοι πονέουσι, καὶ ὄψιες ἀμβλυώττουσι, καὶ μᾶλλον εἰς ταῦτα προσδέχου τὴν ῥῆξιν. ἡλικίῃσι δὲ μᾶλλον τριάκοντα πέντε ἐτέων, πρεσβυτέροισι δὲ ἧσσον.

Quinetiam accidit his, vt in prima periodo sanguis prorumpat è naribus, & plurimum opis adferat. Ac ferè tum caput his dolet, visus hebescit. Ad quæ intentus, profluuium magis expecta; idque inter ætates ea potissimùm quæ trigintaquinque annis finitur: prouectioribus autem, minùs.

ALTERA hic ratio est defungendi periculo cui locus esse solet in hypochondriacorum viscerum inflammatione quæ per initia morbi, perque systrophen nata, editur. Est autem hæmorrhagia, siue profluuium sanguinis è nare κατ' ἴξιν alterutrius visceris inflammati, quod non rarò morbos exoluit qui antè lethales videbantur. Scitum est illud: *Profluuia oboriuntur sanguinis sæpe multa*; quod vetus dictum vsurpauit Galenus in Metone, cuius sanatio, quam per hæmorrhagiam consecutus est, etiam cum prauis signis, miraculo debet apponi. Sic igitur ait:

lib. 2. Epid. part. 2. hist. 7. 1. Epid.

QVINETIAM ACCIDIT HIS.] Ac si diceret; in tam calamitosa viscerum inflammatione, quæ magis terret medicum, quàm vlla spe consolctur secundi iudicij, ac penè dixerim, desperationem salutis ostendit. Accidit his quibus hypochondriaca viscera inflammatione sunt obsessa, vel, vt ipse ait, tumore duro ac dolorifico; accidit, inquam,

VT IN PRIMA PERIODO] i. Primo septenario duobus absoluto quaternariis, quorum prioris vt officium est indicandi, sic posterioris iudicandi. Non enim lege critica bene sancita, excretio vlla suscipitur quæ ante significata non fuerit, nisi fortasse quis phlegmones excusationem adferat, in qua vel ipsa celeritas mora est, idemque faciendum artificio, vel expetendum à natura, quod in ædibus incendio conflagrantibus fieri solet. Hic enim quo citiùs trabes & tigna extrahuntur, eò meliora ædificio restaurando seruatur. Ac si cremari cœperint, inutilia sunt. Ita quò citiùs inchoata phlegmone sanguinem reuellendo, vacuando, aut etiam coeffundendo curatur; eò faciliùs curationem recipit, superstite partis ipsius, quæ inflammari cœperat integritate.

SANGVIS PRORVMPAT E NARIBVS.] Translatione ad caput sanguinis multa bile perfusi: proptereàque substantia tenuissimi, temperamento calidissimi, & qualitate acerrimi; vnde facilem habet orgasmum, excursumque facilem ad caput, vbi, si ex natura agitur, non priùs quiescit, quàm ad extimas venarum oras peruenerit, vnde per anastomosin erumpit.

ET PLVRIMVM OPIS ADFERAT.] Quia systrophen inchoatam reprimit, factam exoluit, valetque ad inhibendam fluxionem concitatam, & ad vacuandam consistentem. Sed ea hæmorrhagia liberalis & libera, sic habetur optima, plurimumque opis & adiumenti adfert ad consequendam valetudinem, si fiat κατ' ἴξιν i. è directo, vel *ad amussim*, non autem ἀντικρὺ, i. è *regione*, vel *ex opposito*. Qua de re illud extat quod ad sententiæ huius persuasionem sufficiet. Τὰ ἀπεναντίον αἱμοῤῥαγέοντα κακὸν, οἷον ὅτι σπληνὸς μεγάλου ἐκ δεξιοῦ ῥέειν· καὶ τὰ καθ' ὑποχόνδρια ὡσαύτως. i. *Quæ ex aduerso fiunt hæmorrhagiæ mala: velut in liene magno sanguinem fundere è nare dextra.* Hoc theorema catholicum agnouit Galenus esse Hippocratis, quod in prorrhetico scriptum legit. Sed eius interpretatio super nomine hypochondrij, in prognostico quidem, tantùm pertinet ad vtrumque viscus; in prorrhetico autem, præter vtrumque viscus, ad hypochondria externa. Sed, quod pace illius dixerim, huius hæmorrhagiæ criticæ non sunt capacia. Huc accedit, quòd in singulari numero hypochondrium nominauit, quod, κατ' ἐξοχὴν, dextrum significat, & per metonymiam, iecur ipsum.

31 prog. l. 1. prognost. prorrh. 3 l. 3. 1.

AC FERE TVM CAPVT HIS DOLET.] Quoniam ex translatione caput repletur. Repleti autem capitis symptomata sunt cephalalgica: vt etiam paraphorica, cataphorica, & catarrhoica esse solent pro varia humoris caput replentis natura, & varia partis excipientis conditione. Cephalalgiæ huius criticæ prognoses leguntur in Epid. prognost. prorrhet. & in Coacis decisionibus, quæ ἀναλυτικῶς sunt explicatæ.

VISVS HEBESCIT.] Non quidem extinctione luminis oculorum proprij, proflatique splendoris per consumptionem humoris crystallini, qualis cernitur in oculis velut emortuis moribundorum hominum: nec verò caligatione & tenebricosa vertigine, quam σκοτοδινίαν καὶ τὸ ἰλιγγιῶδες vocant (hoc enim vomitionis prænuncium est cum cardiogmo:) sed amblyopia aut marmarygibus tantùm ægroto consciis, non autem medico aspectabilibus. Sic enim prognosticum hæmorrhagiæ scriptum est, αὐτὰ μὲν τὰ ὀφθαλμοὺς φαίνεσθαί τι περὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἀμβλυωγμὸς γίγνεται, ἢ μαρμαρυγαὶ προφαίνονται. Hæc autem symptomata perturbationis criticæ, & signa futuræ hæmorrhagiæ, quando appareant considerandum. Solenne est illud: *Iudicatoria ne statim appareant.*

AD QVÆ INTENTVS, PROFLVVIVM MAGIS EXPECTA.] Si iure & loco appareant: per transitum, non autem per progressum. Nam *iudicatoria quæ non iudicant, aut difficilis sunt iudicij, aut mali.*

IDQVE INTER ÆTATES.] Quoniam, quò natura & humor viam affectant, eò criseon inclinationes fiunt, Iuuenes in secunda valetudine sanguinem profundunt è naribus à 18. ad 35. annum, in aduersis autem, si morbis acutis corripiantur; tres habent opportunitates excretionis; naturæ vim, meatuum libertatem, & humoris tenuitatem.

5 Τὰ μαλθακὰ δὲ καὶ ἀνώδυνα τῶν οἰδημάτων χρονιωτέρας μὲν τὰς κρίσιας ποιέεται. ἧσσον δὲ ἐστὶν ἐπικίνδυνα. ὑπερβάλλοντα δὲ τὰς ἑξήκοντα ἡμέρας, τοῦ πυρετοῦ μένοντος: ἐκπυοῦται.

Tumores autem molles ac doloris expertes; seriores illi quidem adferunt crises: at minùs aliis periculosi. Sed hi quoque tamen sexagesimum diem superantes, manente febre, in suppuratum vertuntur.

TVMORIBVS

TVMORIBVS iam explicatis qui consistunt in phlegmone per systrophen sanguinis nata, contrarij opponuntur hoc loco qui, vt illi duritate ac doloris acerbitate molesti sunt, metúque nos terrent: ita mollitudine & doloris vacuitate mites, spem nobis adferunt secundi iudicij. Commune est quidem amborum febris: sed illorum prægrandis & ingens, quæque symptomatum vehementia, celeritate, & assiduitate, citam sæpenumero mortem venire facit: horum verè ἤπιος, quæque expetendam non præripit exolutionem ipsorum: sed potiùs cunctando ad pepasmum viam munit, materiam suppurabilem faciendo. Illorum quidem celeriores sunt crises, quibus nonnunquam ægroti periculo defunguntur; sed in angusto spes est, ac semper de morbo verendum donec conualuerit æger: horum verò seriores, sed cum spe diuite secundi iudicij. Quæ cùm ita sint, hæc mihi videtur ratio explicandi.

TVMORES AVTEM MOLLES.] Quorum mollitudo contraria est duritati phlegmonarum per systrophen sanguinis obortarum. Molles autem considerantur in substantia viscerum obsessorum, non in situ aspectabilis hypochondrij, quod neutiquam in vitio est proprio, sed alieno, vt infrà docebitur. Atque hæc mollitudo venit ab humore diffuso, non autem nimis coacto: cuiusmodi erant parotides tempestatis primæ 1. τῶν ἐπιδ. Ἦν δ' ὁ τρόπος αὐτῶν γενόμενα χαῦνα, διακεχυμένα, μεγάλα, οὐ μετὰ φλεγμονῆς, ἀνώδυνα. i. *Tumorum hic erat modus, molles erant diffusi, magni, sine inflammatione, indolentes.* Superuacaneum est autem id quod præter mollitudinem attributum legitur, in prognostico, tumoribus hoc loco descriptis, quòd scilicet dum premuntur, digito cedant. Atque id opinionem facit tumorum in hypochondriis externis tractabilium & aspectabilium: sed falsò.

AC DOLORIS EXPERTES.] Vacatione scilicet tensionis & intemperiei prægrandis, quas facere solet humor cötumaciter obsessæ parti impactus, cum accessione caloris, aut frigoris permolesti.

SERIORES ILLI QVIDEM ADFERVNT CRISES.] Etenim quando crisis mutatione perficitur, mutatio autem motu; quorum morborum labores continenter, celeriter, & vehementer mouentur; citas etiam crises adferre solent. Atqui tumorum mollium dolorísque expertium tardi sunt motus, nec assidui, nec vehementes. Itaque mirum videri non debet si eorum tardæ sint crises, quibus exoluuntur.

AT MINVS ALIIS PERICVLOSI.] Quia nec tanta est muneris auocatio, nec tanta doloris acerbitas, nec tanta nobilium partium sympathia, nec denique tam calamitosa vis.

SED HI QVOQVE TAMEN SEXAGESIMVM DIEM SVPERANTES.] Ac si diceret; quamuis in mouendo sint pigri, proptereáque mutationem criticam serò suscipiant, vt febris quartana quæ illam ob causam longissima est, præsertim hyberna: tamen, quoniam ita comparata est tumorum, maximè internorum, conditio, qui in calidioribus locis & partibus stabulantur, vt nisi exoluantur digestione, vacuatione, aut supparato, quod reliquum est, corrumpantur cum parte obsessa; inde adeo fit vt hic commemorati tumores, virtute naturæ exactis quadraginta diebus, qui propter materiæ contumaciam finem adferre non potuerunt, nec vacando, nec digerendo; tandem insequente prima periodo. i. primo post quadragesimum vicenario, coctionem recipiant, & in suppurationem vertantur.

MANENTE FEBRE.] Quam peperit materiæ tumorificæ inchoata putredo: nec dum confidente tumore per διαφόρησιν fluxionis consistentis, aut vacuationem per loca lege naturæ commoda. Sed tamen ipsa febris materiam reddiderit suppurabilem ad suppuratum, caloris natiui potentia & partium solidarum integritate confectum. Atque illud suppuratum crisis est tumorum contra naturam, secundùm φύσιν expetenda. Solenne est illud: Πᾶν τὸ ἐκπυΐσκον ἀνυπόστροφον· ἐν τούτῳ γὰρ πεπασμὸς, καὶ κρίσις ἅμα, καὶ ἀπόστασις, i. *Nihil quod supparat, reuertit. Hic enim pepasmus est, & crisis simul, & abscessus.*

IN SVPPVRATVM VERTVNTVR.] Materia suppurabili mitificata, per integritatem partis solidæ, in substantia; eiúsque facultatem, in officio, vtrinque autem per calorem natiuum, vnde conficitur pus album, æquale, & læue, quod significationem edit rerum illarum virtute & officio suppurabilem materiam mitificantium atque exclusionem, bonis ægri rebus, perficientium.

6 Παραπλήσια δὲ σημαίνει τοῖσιν ἐν ὑποχονδρίοισι, καὶ τὰ περὶ κοιλίην, πλὴν ἧσσον ἐκπυεῖται ταῦτα ἐκείνων· ἥκιστα δὲ τὰ ὑπ' ὀμφαλόν.

Similiter autem significant, vt qui in hypochondriis stabulantur, ipsi etiam qui sunt in ventre tumores; nisi quòd hi minùs quàm illi in suppurationem vertuntur; minimúmque omnium, qui sub vmbilico sunt.

VT OMNIVM systropharum omniumque tumorum inde natorum sua cuiusque est propria crisis qua exoluuntur saluis & integris ægri rebus: ita consequendæ illius criseos opportunitas, potissimùm in partis obsessæ natura atque conditione consistit. Atque vt qui sunt duri ac dolorifici, per systrophen sanguinis oborti, faciliùs in suppurationem vertuntur quàm molles ac doloris expertes: ita beneficio illius criseos fruuntur celeriùs in visceribus, quàm in epigastrio; quod in hac prognosi docetur, quæ distinctionem continet obseruatione dignam, tumorum internorum abdominis, & hypochondriacorum viscerum, de quibus hucusque iam institutæ sunt decisiones.

Ergo. SIMILITER SIGNIFICANT.] Qualitate scilicet partis affectæ calidioris, frigidioris,

mollioris, durioris, dolorificæ, aut contrà dolore carentis, similiter oborti tumores significant exolutionem sui spirabilem digestione aut suppuraro, celeriorem aut tardiorem.

VT II QVI IN HYPOCHONDRIIS STABVLANTVR.] i. In iecore aut liene, duri & dolorifici, aut molles ac doloris expertes.

IPSI ETIAM QVI SVNT IN VENTRE TVMORES.] Hîc ventrem intelligit; non quidem promptuarium illud potionis & cibi de quo legitur aphorismus ille. Αἱ κοιλίαι τοῦ χειμῶνος θερμόταται. i. *Ventres hyeme calidissimi*: nec verò illum ventrem qui superior appellatur, deque pulmonibus ac thorace dicitur aphorismo illo: Καταῤῥόοι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην, ἐν εἴκοσιν ἡμέρῃσιν ἐκπυΐσκονται. i. *Catarrhi prolabentes in superiorem aluum, viginti diebus suppurant.* Sed ventrem intelligit, totum illud abdomen cum mesenterio & epiploo coniunctum, quod aphorismus ille considerandum proponit. Ὁκόσοισιν ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν ἐς τὸν ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπίπλαται. i. *Quibuscumque aqua repletum hepar eam in omentum effudit; illis venter aqua turget.* Atque tumores ventris hoc loco commemorati, sunt illi quos alibi nominauit οἰδήματα μετέωρα. His ita constitutis, quærendum videtur an ventris explicati tumores, similiter significent vt ij qui in hypochondriacis visceribus stabulantur. Quid enim? an meteori ventris tumores similia edunt symptomata, tum partis obsessæ & humoris morbifici propria, tum verò partium vicinarum & sociarum sympathia, vt hypochondriacorum viscerum haud ita pridem descripti & explicati? An cita mors venit ab epigastricis, vti venire solet ab hypochondriacis ambarum partium duris ac dolorificis, præsertim verò dextræ partis, per hepatis inflammationem systrophicam? Quid verò? an epigastricos tumores hæmorrhagia exoluit, vt viscerales? Audiamus Galenum super hac re proposita disserentem. *Enimvero*, inquit, *tumores hypochondriorum duri ac dolorifici mortem haudquaquam breui futuram denunciabunt, nisi partium quoque interiorum aliqua simul affecta fuerit. Interiores verò esse nouimus, iecur, ventriculum, diaphragma, lienem. Musculi namque hypochondriorum phlegmone obsessi, tollere hominem è vita non possunt, nisi, quod rarò accidit, vel magnitudo phlegmones eximia fuerit, vel imbecilla admodum vires, vel perperam æger curetur à medicis, vel ipse in commoda sua peccarit. Nam hæmorrhagia similis ratio esse non potest in epigastricis, vt in visceribus hypochondriacis.* Ergo non similiter epigastrici tumores significant, vt viscerales. Quamobrem similitudo illa non ad omnium partium obsessarum conditionem debet referri, tam interiorum, quàm exteriorum; nisi tumorum etiam distinctio adiungatur, vt in prognostico fecit his verbis: loquitur autem de mollibus: Εἰ δὲ ὑπερβάλλῃ ἑξήκοντα ἡμέρας, ἔτι πυρετὸς ἔχων, καὶ τὸ οἴδημα μὴ καθιστάμενον ἐμπύημα σημαίνει, καὶ οὗτος, καὶ τὸ ἐν ἄλλῃ κοιλίῃ κατὰ τὸν αὐτόν. i. *Quòd si sexaginta dies febris excesserit cum tumore non subsidente, pus factum iri significat tum si in reliquo ventre fuerit.* Ergo similitudo illa tumorum pertinet ad œdemata mollia & indolentia, tam abdita, quàm meteora, & in abdomine consistentia. Similiter enim hæc vt illa nascuntur, ac similiter exoluuntur, si tantùm exceperis suppurandi opportunitatem quæ maior est in visceralibus, quàm in epigastricis: quod sequentia verba declarant.

NISI QVOD MINVS HI, QVAM ILLI IN SVPPVRATVM VERTVNTVR.] Quod sanè falsum esset de phlegmone epigastrica per systrophen nata. Hæc enim suppurato sanescit, nec suppuratum morte anteuertit; vt hypochondriaca interior, quæ ipsa per se funesta est, nisi hæmorrhagia primis periodis, aut post vigesimum diem, suppurato, periculi locus tollatur, si conuenienter fiat & exeat. Tumores autem molles dolorisque expertes, meteori quidem, rariùs in suppurationem vertuntur, quàm interiores, tum hypochondriaci, tum reliquarum partium ventris: quòd materia frigidior in abdomine diffusa, non facilè fit suppurabilis à calore febrili, nec tam facilè suppuratum concipiat virtute caloris natiui, quàm quæ in visceribus, reliquóque ventre interiore stabulatur.

MINIMVMQVE OMNIVM, QVI SVB VMBILICO CONSISTVNT.] i. In hypogastrio vel aqualiculo, quæ pars adiposa longissimè omnium abdominis partium distat a fonte viuifici nectaris, nec tam plena manu syrrhoen recipit, quàm superiores. Huc pertinet illud: Τοῖσιν ἐμπυήμασιν ὀμφαλὸς ὅρος. i. *Empiematis vmbilicus terminus.* [6. Epid. part. 2.]

[Malè fuit Καὶ γίνεται δὲ τούτων τὰ μὲν ἐν χιτῶσι, τὰ δὲ ἄνω κεχυμένα.]

7 Τῶν δὲ ἄνω ἐμπυημάτων, τὰ μὲν ἐν χιτῶσί ἐστι συλλεγόμενα, τὰ δὲ ἐν σπλάγχνοις κεχυμένα.

Suppuratorum autem quæ sursum sunt, alia quidem in tunica stabulantur collecta, alia verò sunt in visceribus ipsis diffusa.

HACTENVS de natura, symptomatis, periodis, & paroxysmis tumorum hypochondriacorum & reliqui ventris. Quinetiam patefactæ sunt crises quibus periculi locus tollitur, ac spes salutis affulget quæ in angusto erat, si iure & loco illæ crises suscipiantur & fiant. Enimuero tumorum hypochondriacorum, hoc est, iecinoris, aut lienis, aut vtriusque, qui duri sunt ac dolorifici, vt esse solet omnis systrophica phlegmone; defungendi periculo ratio primùm posita est in libera & liberali hæmorrhagia quæ primis periodis prorumpit κατ' ἴξιν alterutrius visceris, aut vtriusque obsessi: non autem ἀνάπαλιν. Hæc si desit, nec breui ad exitium præcipitetur æger, sed validarum virium beneficio, symptomatum calamitosam vim sustinere possit ad vigesimum vsque diem; suppuratum erit in promptu quod ægrum ab interitu vindicabit si eiusmodi sit, vt qualitate puris, copia, tempore, & excernendi modo, medici optatis respondeat. Nam hypochondriacorum viscerum tumores qui & vnà sunt molles, & vnà doloris expertes, periculi minus

ticuli minus habent, quamuis eorum sit tardior crisis. Hi etiam supputato finiuntur, nisi ante sexagesimum diem exoluantur. Reliqui autem ventris tumores qui phlegmonem systrophicam præ se ferunt, atque doloris acerbitate ac duritate se produnt; vt non sunt ita perniciosi quam hypochondriaci, nec similiter vt illi per hæmorrhagiam exoluuntur: ita suæ molis mutationem supputato & expurato recipiunt, tum epigastrici, tum hypogastrici. Molles verò similiter vt hypochondriaci terminantur, nisi quòd perrarò in suppurationem vertuntur, præsertim ij qui sub vmbilico nascuntur, parte illa scilicet quæ adiacet pubi, quam veteres ἦτρον & ὑπογάστριον nominarunt. Hæc fuit nostri authoris οἰκονομία in ea disputatione quam hactenus instituit de tumoribus viscerum hypochondriacorum, ac cæterarum partium quæ in abdomine continentur. Nunc sequitur vt supputati, quod ipsis tumoribus mutationem attulit, conditiones, vnde & quorsum appareant, explicentur. Ac primùm de hypochondriacorum tumorum supputato dicendum, Dicendi autem methodus & ratio sic ab authore præscripta.

SVPPVRATORVM AVTEM QVÆ SVRSVM SVNT.] i. Abscessuum purulentorum qui phlegmonum per systrophen obortarum mutationem ex pepasmo aut putredine attulerunt, vel ad interitum, vel ad salutem. Ergo. SVPPVRATORVM.] Quæ fecit pepasmus, si bona sunt; vel corruptio ad gangrænam, si mala atque mortifera.

QVÆ SVRSVM SVNT.] i. Quæ stabulantur in suprema regione abdominis vbi sunt hypochondria, ventriculum, diaphragma, iecur, & lienum circumplectentia: sic enim τὰ ἄνω vertenda duxi, ex mente authoris quæ spectat corporis dimensionem in longum, non in profundum. Αἵματος δὲ ῥῆξιν μάλιστα τῶν ἀνωτάτω τόπων προσδέχεσθαι χρή, i. *Sanguinis eruptionem è supernis præsertim partibus oportet expectare.* Ac, *sursum*, Latinè dixi cum M. Tullio, qui nares & oculos sursum esse tradidit lib. 2. de nat. deor. Iam verò consilium illud fuit authoris primum de supputato agere viscerum hypochondriacorum phlegmone systrophica obsessorum, quòd & illa omnium supputati capacissima sunt, nec minùs à supputato metu nos terrent, quàm spe salutis consolantur, si tale id non sit, quale mox optimum describetur.

ALIA QVIDEM IN TVNICA STABVLANTVR COLLECTA.] i. Alia quidem simpliciter à pepasmo nata sunt & edita, suóque consistunt loco virtute naturæ conglomerata. Eiusmodi autem sunt quæ, initificata phlegmone, in tunica obsessi antè visceris continentur, non in substantia ipsa. Atque ea sunt colore alba, ex integritate partium solidarum; læuia, ex virtute caloris insiti sese in omnes materiæ partes æqualiter insinuantis; æqualia, bonitate ipsius materiæ pepasmi capacis. Hunc autem locum miserè corruptum, ac velut carcinoma insanabile execandum, sic restituendum putaui ex alio loco, cuius verba hæc sunt: Ὁκόσοι τὸ ἧπαρ ἔμπυον καίονται, ἢν μὲν τὸ πῦον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται· ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πῦον τουτέοισιν ἐστίν. ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ἀπόλλυνται. i. *Quibuscumque purulentum hepar vritur si quidem purum pus inde fluit albumque, seruantur (nam his vomica conclusum tenetur:) sin amurcosum, moriuntur.* [aph. 45. 7.] Quod autem ait bene collecta videri, non diffusa; quorsum hæc fiant, ne bis idem mihi dicendum sit, mox explicabitur in ea prognosi quæ huic citima est.

ALIA VERO SVNT IN VISCERIBVS IPSIS DIFFVSA.] Quæ loco & sito mala sunt, ne dicam funesta; ac loco quidem, quia sunt ἀμοργώδεα βορβορώδεα, i. *amurcosa & cœnosa*, partis corruptæ certissima argumenta: situ autem, quia diffusa; cuius diffusionis vitia sequens prognosis indicabit.

8 Θανάσιμα δ' ἐστὶν αὐτῶν ὅσα ἂν εἴσω ῥαγῇ. τῶν δὲ λοιπῶν ἐμπυημάτων, τὰ μὲν ἔξω ῥηγνύμενα, βέλτιστον μὲν ὡς ἐλάχιστον καὶ ὀξύτατον συλλέγεσθαι.

Abscessuum prædictorum lethales sunt illi qui pus effundunt intrò. Reliquorum autem suppuratorum quæ foras abscedunt, principem locum obtinet quod vt breuissimè, sic acutissimè est collectum.

EST ILLVD verè positum, manetque ad vnum firma consensio medicorum. Omnia quæ magisterio naturæ fiunt in pepasmo & excretione, cocta secerni, secreta excludi quò ipsa natura viam affectat per loca ex sese commoda, nec ex euentu incommoda. Sunt quidem οἱ πεπασμοὶ τῆς ἀποστάσεως ... [1. Epid. libr. de humoribus.] Sed illi pepasmi ἔξω ἢ ἔσω ῥέποντες, ὃ ἄλλῃ ὅπῃ δεῖ. Atqui omnium superuacaneorum humorum expetenda concoctio est, quòd ea celeritatem & securitatem crisis denunciet: ita potissimùm oranda venit ea quæ conuenienter naturæ fieri solet exclusio, quò scilicet natura ipsa cursum inflectit. Ergo quemadmodùm supputata viscerum hypochondriacorum quæ in ipsorum tunica sunt collecta, certam opinionem faciunt victricis naturæ in coquendo: ita spem adferunt secundæ criseos in excernendo, quòd illa inoffenso cursu excludantur foras per cutim sine vlla viscerum offensione. At verò prædictarum partium supputata diffusa, non autem collecta, vt omnia ferè sunt impura, ac magis à corruptione nata quàm à pepasmo, proptereáque pessima, ne dicam, lethalia. sic etiã maiore motu terrifica esse solent, effusione non tam purulentæ, quàm virulentæ materiæ, quæ introrsum delata, non minùs ruinosa est partibus per quas fertur, quàm illis vnde manat, noxam contractam ostendit. Atque hic scopus est nostri authoris, quò dirigit institutam prognosin.

ABSCESSVVM PRÆDICTORVM.] Qui attributi sunt visceribus hypochondriacis, quorum

alij in tunica stabulantur collecti, alij verò sunt in visceribus ipsis diffusi; ac post vigesimum diem nati ex phlegmone dura, systrophica, & dolorifica; aut post sexagesimum, ex tumore partium illarum molli, ac doloris experto.

LETHALES SVNT QVI PVS EFFVNDVNT INTRO.] Sanè quidem, tum superstite vitio partis obsessæ cuius officio vita carere nequit; tum succrescente noua offensione partium virulentum potiùs, quàm purulentam materiam excipientium, vnde labefactatur coquendi vis in ventriculo, distribuendi in ieiuno, excernendi in crassioribus intestinis, quibus virulentum pus illud vlcerificum esse solet. Hinc dysenteria crudelis quæ fractis iam viribus immisericorditer ægrum exercet.

CÆTERORVM AVTEM SVPPVRATORVM.] Quænam hic nominat cætera suppurata? ea videlicet quæ aliò quàm hæc, modò explicata, cursum inflectunt, virtute naturæ foras exclusa, non autem sua sponte introrsum dilapsa: cuiusmodi sunt ea quæ in viscerum tunica stabulantur collecta, non in visceribus ipsis diffusa. Empyema verò nominare consueuit omne partium omnium phyma quod in pus alteratum est: quamuis empyici per antonomasiam dicantur, quibus collectum pus est in capacitate thoracis.

aph. 44. 7.

QVÆ FORÀS ABSCEDVNT.] Virtute naturæ, meatuum libertate, & accurato pepasmo.

PRINCIPEM LOCVM OBTINET.] i. Præclarè ad salutem apparet & facit, omnéque tulit punctum inter phymata suppurata.

QVOD VT ANGVSTISSIME.] i. Breuissimo circumscriptum loco, partium vndique circumiacentium optima conspiratione, pus ipsum vndiquaque propellentium.

SIC ACVTISSIME EST COLLECTVM.] Hoc enim maiores denunciat opportunitates validarum naturæ vitium, liberorum meatuum, & puris exquisitè mitificari. Sed tamen crudorum phymatum longè alia ratio est. Quò enim latiùs diffusa sunt, eò meliora sunt, nec ita sunt dolorifica, nec ita corruptioni & gangrænæ obnoxia. Libet adscribere quæ super suppuratorum phymatum conditione scripta sunt in prognostico. Τὰ δὲ ἐμπυήματα ὧδε χρὴ σκοπεῖσθαι τὰ ἔσχοντα. Ὁκόσα μὲν ἔξω τρέπεται, ἄριστά ἐστι μικρά τε ἐόντα καὶ ὡς μάλιστα ἐκκλίνοντα ἔξω, καὶ ἐς ὀξὺ ἀποκορυφούμενα· τὰ δὲ μεγάλα τε ἐόντα καὶ πλατέα, καὶ ἥκιστα ἐς ὀξὺ ἀποκορυφούμενα κάκιστα. i. *Empyemata considerare sic oportet. Quæcunque foras conuertuntur, optima sunt, si parua eminent acuminata: magna verò, & plana minimèque turbinata, pessima.*

9 Τῶν δὲ εἴσω ῥηγνυμένων βέλτιστον ὅτι ἂν μήτε πόνῳ, μήτε ὄγκῳ, μήτε χρώματι διάδηλον ἔξω ποιέῃ· τὸ δὲ ἐναντίον κάκιστον.

Sed tamen eorum quæ introrsum feruntur, optimum quidem illud quod neque dolore, neque tumore, neque colore conspicuum quicquam foris exhibet. Contrarium verò pessimum

ENIMVERO phymata purulenta viscerum hypochondriacorum, terrifica esse debent quæ introrsum funduntur. Quòd si ad aliam symptomatum calamitosam vim, cum virium infirmitate coniunctam, accesserit signorum, quæ συνδρομὴν Græci vocant, concursus cum summa difficultate curandi vel impotentia potiùs; inde salutis desperatio esse debet.

Ergo. SED TAMEN.] Correctio est illius prognoseos in qua scriptum erat. *Suppuratorum quæ sursum sunt, illa demum lethalia esse quæ intrò funduntur.* Est autem hic scopus authoris; omnia quidem eiusmodi periculosa esse phymata purulenta, ob eas sanè causas quæ iam sunt explicatæ: sed tamen inter ea minimum periculi secum adferre.

Coac. superiore.

OPTIMVM QVIDEM ILLVD EST.] Non specie quidem bonum, tantùm abest vt optimum, quod absolutè scriptum significat id in quo bonitatis summa sunt omnia, vt hypochondrium optimũ; sudor optimus qui ex toto morbum tollit, bonus autem qui facit vt æger alacriùs ferat morbum: sed optimum, comparatione aliorum quæ omni ex parte pessima sunt. Sic latronum optimus dici solet, qui inter suos æquales est minimùm malus. Ac talis loquendi modus frequens est apud Hippocratem. Erit igitur hic βέλτιστον, idem quod ἧσσον ὀλέθριον.

QVOD NEQVE DOLORE.] Quem facit distensio & dyscratia prægrandis ab humore contumaciter parti impacto, cum accessione frigoris aut caloris eximij.

NEQVE TVMORE.] Tractabili, & aspectabili mole contra naturã, cũ inæqualitate partis obsessæ.

NEQVE COLORE.] Ab humore tumoris quo ipsa pars fucatur simulatque tumor assurgit. *Nam qualis humor non resluus, talis & color lucet in cute.*

CONSPICVVM QVICQVAM FORIS EXHIBET.] i. Cutim contra se non afficit, nec vllã eius mutationem adfert in colore, charactere, & mole. Atque hanc phymatum purulentorum expetendam conditionem si intrò rumpantur, his verbis describit Hippocrates. Ἄριστα δὲ ἃ μηδὲν ἔξω χωρεῖ ἐπισημαινόμενα, ἀλλ' ἐστὶ περιεσταλμένα, καὶ ἀνώδυνα, καὶ πᾶν τὸ ἔξω χωρίον ὁμόχροον φαίνεται. i. *Tumores sunt illi optimi qui externas partes non attingunt, sed sunt suspensi, non dolentes, cum æquabilitate externæ partis.*

CONTRARIVM VERO PESSIMVM.] Sic enim geminatur malũ quod ipsum per se in alterutra parte grauissimum est. Nec verò in hoc cuniculoso vlcere locus relinquitur σαρκώσει, qua vna, curatio vlcerum duce natura suscipitur atque absoluitur. Nihil enim crescit quod suæ accretionis fundamentum & basin non habeat. Ac talia vlcera oppositarum partium erosione nata verè sunt ὕπουλα: qualia

qualia leguntur nephritica, in quibus & vnà pus foras erumpit, & vnà purulentæ redduntur vrinæ. Vide Hipp. lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.

10 Τινὰ δὲ τουτέων διὰ πάχος πύου, οὐ διασημαίνει.

Existunt tamen horum nonnulla, quæ ob crassitudinem puris, nihil tale ostendunt.

10 Bene res eunt quãdo naturæ potentia phymata purulenta reguntur ad vacuationem puris intrò aut foras Malo sunt loco res ægri, quando humoris dominatu sursum deorsum, foras introrsum, vacuationis inclinatio fit. Sæpe autem accidit vt irrita sit quæ pariter æqualiterque intrò & foras cursum inflectit vacuatio. Nec vetat quo minùs periculosa sit vltrò citróque fluctuatio, quamuis non appareat ex mutatione coloris, characteris & molis in cute opposita. Est enim calamitosa omnis materiæ morbificæ intenta propagatio: quia fit κατὰ λόγον naturæ & παρὰ λόγον morbi. Μετάπτωσις autem, i. transitus, in bonis ducenda, quamuis non eò perueniat quò natura cursum inflexit. Iuuanda est igitur arte natura, vt exitum habeat pus quod propter crassitudinem, partiumque quà tepit densitatem, in conspectum venire non potest. Enimuero aspectabile & tractabile suppuratum, non magnam requirit à medico industriam; diligentia & fide tantùm est opus. Quod autem in occulto latet, non nisi à sciente animaduerti potest, nec nisi ab eo in quo summa sunt omnia industriæ & exercitationis. Ratio cognoscendi abditum phyma purulentum, posita est primùm in distinctione criticarum periodorum, deinde in obseruatione signorum antecedentium, consequentium & adiunctorum. Etenim pleuritis ἄπτυστος quæ sanguinis detractione, & diæta, & fotu nihil concessit, decimoquarto die fit purulenta. Phlegmone systrophica viscerum hypochondriacorum, mutationem accipit suppurati intra vigesimum diem. Doloris acerbitas versa in grauitatem, lipothimia & syncope, febris de nocte recrudescens, interdiu mitior; postremò rigor qui antè non erat, nouissimè crebrò citatus, idque ἀτάκτως; certissima sunt argumenta phymatis purulenti in abdito stabulantis. Hanc ἀρχαιότητος rationem traditam legimus à dictatore nostro, tum in prognostico, tum in Coacis decisionibus iam explicatis. Solenne est illud: Ῥῖγος ἀπὸ τῶν ἀγγείων, ἐφ' ἑλκέων: vbi per prolepsin τὰ ἕλκεα vsurpantur pro ipsa vomica nondum pus euomente. Quod autem ad huius prognoseos enarrationem attinet, reperenda est Galeni interpretatio ad aph. 41.6. Nos purulenta in abdomine phymata, nihil conspicui in cute habentia, sæpenumero fœliciter, ducente Deo, curauimus aperta vomica per μετάπτωσιν eò delata atque collecta, secuti eam ἀρχαιο- gationem quam ab Hippocrate hauseramus; vt in clarissima fœmina D. Dantragues 1555.

11 Τὰ πρόσφατα τῶν ἐν τοῖσιν ὑποχονδρίοισιν ἐπαρμάτων, ἢν μὴ σὺν φλεγμονῇ ᾖ, καὶ τοὺς ἀπ' αὐτῶν πόνους, λύει βορβορυγμὸς γινόμενος ἐν ὑποχονδρίῳ, καὶ μάλιστα μὲν διεκπεσὼν δι' οὔρων τε καὶ διαχωρημάτων. εἰ δὲ 40 μὴ καὶ αὐτὸς διαπεραιωθείς. ὠφελεῖ δὲ καὶ αὐτὸς ὑποκαταβὰς ἐς τὰ κάτω χωρία.

Tumores hypochondriorum recens obortos, inflammationis expertes, & inde dolores natos soluit borborygmus fremens sub hypochondrio: maximè si aut ipse per se secedat, aut cum vrinis & deiectionibus: quin iuuat is ipse, si modo descendit.

50

Facilis ex sese propositio, sententiæ conceptu, & vsu verborum, facilitatis amplius accepit à Galeni commentario vno ex iis quos edidit in secundum prognostici, cuius ipsa vicesimaquinta est; & altero ex iis quos scripsit in quartum aphorismorum, vbi septuagesima quarta legitur. Alleuiabo ipse lectorem pœna adeundi librû, si monuero, ἐπάρματα hic esse, prognostici κυρτώματα, quo affectu ὑποχόνδρια μετέωρα quartus aphorismorum appellauit; ψόφος etiam hic, quæ illic ἦχος. Quod ad rem facit, vt & illud: Absque inflammationem; quo intelligamus tumoris materiam esse, non humorem crassum & viscidum qui inueteratorum est, non biliosum ardentem qui inflammationem facit; sed bilem pituitamve, alterutram aut vtramque, vel etiam flatum permixtum his aut ab eis secretum; 60 siue hunc, siue illarum vnam, aut alteram, siue ex omnibus simul, mitem, facilem, sola peccantem cruditate, neque ipsa vix emendabili, qualis intemperiei intestinorum hecticæ soboles existit, non ouper exortæ, ac sese dantis in conspectum, quæ proponitur. Propterea offert sese aliud agendi ratio cur borborygmo quod est effictum nomen à murmure infrà detrusi flatus) siue secedente, διεξερχομένου, siue saltem descendente, ὑποκαταβάντος; cum fæcibus aut vrinis, vel ipso per se, vt erit côditio materiæ conclusæ hypochondrio, subsidet & æquatur. Nimirum quia de ea vnde tumor assurgit materia, tan-

tum eò deducitur. Vt borborygmo protinus non exoluatur tumor; at breui exolotum iri arguit, victoriæ teltis natiuo calori aduerlus humorem partæ: contrà quàm in στρόφῳ, cùm intestina contorquentur à flatu sursum reuoluto; quod eius natura fert, cùm potiore nostra non vincitur.

Progrediendum vlterius. Nam in febre hæc si notantur & fiunt, decubitum habeot materiæ febrilis in iecoris sedem, vnde borborygmo exclusa, mutationem adfert criticam salutarē ὑποστάσιος εἰς ἔκρυσιν, i. *decubitus in effluxum*: ibi ex aduerso cunctata & putrescens, morbum morbo, periculosiorem periculoso fuerat additura:

12 Σφυγμὸς ἐν ὑποχονδρίῳ μετὰ θορύβου παρακρουστικόν. καὶ μᾶλλον ἢν ὄψιες πυκνὰ κινέωνται. 10

Pulsus in hypochondrio cum perturbatione; dementia est: magisque si oculi crebrò mouentur.

Sequitur post historiam phymatum hypochondriacorum, nunc de ipsorum sympathia dicendū quā habent cum propinquis socijsq; partibus, tum iure ipso vicinitatis & societatis, tum etiam translatione aut propagatione humoris morbifici. Magna est sympathia cerebri & diaphragmatis; magna item ventriculi, maximéque oris ipsius, tum generis similitudine, tum operis societate, tum etiam vasorum communione; ex eáque sympathia nascitur earumdem partium syntimoria; qualis esse solet principiorum & propaginum. Primùm igitur de sympathia cerebri prognosin instituit. 20

Pulsus. i. Arteriæ micantis ictus ægroto molestus, tum propter arteriæ ipsius plenitudinem particularem, tum propter angustiam loci in quo liberè micare solebat, & libertatem ademptam à phlegmone per systrophen nata. Atque in hac significatione pulsus nomen non rarò scriptum legitur, vt in pulsu hæmorrhagiæ, abscessus, delirij, qui aspectabilis est medico, & dolorificus ægro: vt omnium opiniónem mihi faciunt alia scripta Hippocratis quæ pulsus nomen significare ostendunt liberam micantis arteriæ diastolen atque systolen, sine ictu & percussione partium circumiacentium. Ac talem pulsum tractabilem esse medico in extimis partibus, non aspectabilem, nec verò percipi posse ab ægro nisi admota manu. 30

In hypochonorio.] Alterutro vel vtroque: quamuis κατ᾽ ἐξοχὴν singularis numeri hypochondrium de dextro dicatur. Ergo qui in hypochondrio pulsus inest, quod in prognostico scripsit ἔσω, vt omnis tollatur opinio pulsus extraordinarij musculorum abdominis.

Cum perturbatione.] Mentis & animi; non autē, vt Galenus voluit, metu periculi quo non minùs exterrentur medici, quàm is qui ægrotat. Etenim talis perturbatio ducta ex metu illo, nullam delirij opinionem facit. Sed ea perturbatio mentis quam θόρυβον absolutè vocant, qua stupent attoniti, visisque mendacibus, falsisque opinionibus percelluntur; certissimum est iamiam futuræ dementiæ argumentum. Ergo pulsus, vel palpitatio sic enim loquitur in Sileno quæ inest in hypochondrio per metonymiam dicto pro partibus quæ intra sitæ sunt, cum perturbatione animi qualem descripsi; vt inde suscipientis causæ præparatio demonstretur habilis ad excipiendam vim efficientis. 40

prorr. 4. sect. 1. 1.

Dementia est.] Id enim significat τὸ παρακρουστικόν, eôdem spectans in hac prognosi, quò in prognostico illud μανίας τι ἔλπιζειν: qua voce nihil maius in vllo delirij genere dici potest. Tametsi τὸ συμπτωματικόν, transitus est ad τὸ φρενιτικὸν: vt etiam transitus esse solet à sympathia in idiopathiam. Testis est illa prognosis non ita pridem explicata. *Qui cum æqualitate faucium in acutis dolores & strangulatus adsunt, nec oscitanti os facile cogitur, quamuis æquali; delirario est, indéque phrenitici desperat.* Hic autem dementiæ causam efficientem in phlegmone systrophica diaphragmatis positam esse docet. Nam diaphragmatis inflammati sua etiam phrenitis esse solet, vt cerebri: ex eoque euentu veteres diaphragma, τὰς φρένας nominarunt. Eius phrenitidis decisionem nobis attulit illa prognosis. *Quibus acuta vox iis hypochondria introrsum reuulsa sunt.* Tum illud quod ea de re scriptum legitur lib. 3. περὶ νούσων. *Ex alijs quoque morbis dementes euadunt. Sed illis dolet diaphragma, vt tangi vereantur & formident.* 50

Coac. 35. 1. ibr.

Magisque si oculi crebro huc illuc voluantur.] Hinc scire licet τὸ παρακρουστικόν, ν τὸ ἀγριῶδες vsurpatum ἀντὶ τοῦ φρενιτικοῦ Etenim cùm dissimilitudo morū quam ferocitas denunciat, in nullum aliud delirij genus cadat quàm in phrenitidem; palā est, oculorum crebros & indecoros huc illuc coniectus, etiam nullo proposito aspectabili, ferocitatis cuiusdam signa esse: quæ deprauatio, quoniam τοῦ παρακρούστικου nuncia hîc esse dicitur, non dubium est quin τὸ παρακρουστικὸν idem sit quod τὸ φρενιτικὸν, ὁ τὸ μανικὸν, sicut author scripsit in prognostico, μανίας ἐλπίζειν. Etenim vt linguæ tremulæ signa sunt haud solidæ mentis: sic etiam oculi crebrò huc illuc indecorè coniecti, qui scilicet nostra sponte in nullum aspectabile coniiciuntur. Atque hi linguæ & oculorum deprauati motus, non nisi per epigenesin phrenitidis accidunt. Nam cerebro inflammato, non potis est oculos linguamve quiescere: quia partes illæ proximè absunt à cerebro. Porro autem vt frigoris proprium est partes ipsas in mouendo pigras & segnes reddere: ita caloris illa vis esse solet vt continenter moueat, nec vllam quietis partem impartiat. 60

13 Καρδίης πόνος, καὶ σφυγμὸς ὑποχονδρίων, πυρετοῦ περιψυχθέντος, κακόν. ἄλλως τε καὶ ἢν ἐφιδρώσῃ.

Stomachi dolor, & pulsus hypochondriorum, febre extincta, malum denunciant: idque cùm aliàs, tum in sudatiuncula.

HIC VICINARVM partium sympathia per progressum consectaria, cum magnitudine affectionis vnde ipsa venit, proponitur. Sympathia cernitur in dolore stomachi; magnitudo affectionis in pulsu hypochondriorum & febre extincta, cuius extinctio falsò creditur ex partium extimarum perfrigeratione. Exolutionis autem vel oppressionis est ἐφίδρωσις, i. *sudatiuncula.*

Ergo. STOMACHI DOLOR. Cardiogmus, quem facit bilis acerrimæ morsus & vellicatio in ore ventriculi, quod stomachum Latinè expressimus. Eius autem bilis generatio perennis atque perennis affluxus venit à iecore inflammato: qua de re aliàs satis iam multa.

ET PVLSVS HYPOCHONDRIORVM.] Qui est magnæ inflammationis signum inseparabile, cuius inflammationis eximiæ consectarius est ille stomachi dolor; ac singultus; non autem cuiusuis. Distinctiones autem causarum cardiogmi & singultus alibi sunt explicatæ. Est enim singultus, symptoma tunicarum ventriculi concussarum ad excutiendum id quod ipsis tunicis contumaciter adhærescit: cardiogmus autem & cardialgia, oris ipsius acerrimi sensus, quod inde καρδίαν veteres nominarunt, aph. 17. & 65. lib. 4.

FEBRE EXTINCTA.] Ad verbum, *perfrigerata*, ex vacatione caloris partium extimarum, quæ quia sunt alsiosæ, opinionem faciunt exolutæ febris: sed falsò. Nam Pythioni Thasio visa est crebrò talis dimissio febris: sed idem paulò pòst, αὖθις μᾶλλον ἐπὶ τὸ χεῖρον, i. *in peius*, ac decimo die interiit. Sic etiam Philiscus tertio die morbi visus est febris expers, obiit sexto. Itaque diorismus hic veterum fuit super dimissione febris vniuersali & critica, vt ea verè exoluta dicatur quieuisse, non refrigerata esse: quoniam non in febrili calore superficiei, febris natura & focus habetur; sed in ardore potiùs partium interiorum. Sic enim mortiferus causus interiora perurit, exteriora verò ne modicè quidem calefacit. Idem quoque faciunt lipyriæ febres. Quæ causa est cur in prorrhetico ad huius prognoseos veritatem consideratè & appositè proposuit τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα καύματα ἐν ὑποχονδρίοισι, πυρετοῦ περιψυχθέντος, i. *residuos in hypochondriis ardores, febre refrigerata.* Sed patem vim habet ad demonstrationem, commemoratus hoc loco hypochondriorum pulsus ægroto molestus ac dolorificus, ex ictu micantis arteriæ quæ ampliùs liberè, vt solebat, micare non potest, ob intercapedinis suæ angustiam & libertatem ademptam a phlegmone visceris per systrophen nata. Est præterea inflammationis eximiæ signum inseparabile, pulsus ægroto permolestus ac dolorificus.

Hist. 5. sect. 5. 3. Epid. hist. 1. 1. Epid.

MALVM.] Inflammatione partis quæ homini necando ipsa per se satis est, ac mortem in propinquo sæpe denunciat; tum accessione & successione symptomatum grauiorum, vt cardiogmi & singultus, quæ tantùm inflammationis eximiæ consectaria esse solent. Inflammationis autem magnitudo cernitur in pulsu & frigore partium extimarum.

IDQVE CVM ALIAS.] i. Semper suapte natura, & iure vicinitatis ac societatis partium vicinarum atque communium.

TVM VERO IN SVDATIVNCVLA.] Quæ, vt omnes exiguæ causæ criticæ, pessima est; tum verò funesta, quando exudat vitio & resolutione partium solidarum sic effœtarum vt sibi alibilem succum assimilare non possint, sed elabi diffluereque sinant. Est autem ephidrosis, illa sudatiuncula qua roscidum est tantùm caput, ceruix, & thorax, aut etiam quæ perexigua toto exudat corpore. Cæterùm prognosis hæc iecoris propria est; vt superior, diaphragmatis.

Prorrh. 7. s. 1. 2.

14 Ἐς ὑποχόνδριον ἐμπίπτοντα ἀλγήματα, ἄλλως τε πονηρὰ, καὶ ἢν κοιλίας καθυγραίνει. Κακίω δὲ ὀλίγῳ γινόμενα, καὶ τὰ παρ' οὖς τε ἀνισάμενα ἐκ τουτέων κακοήθεα, καὶ τὰ ἄλλα ἐκπυήματα.

Quæ cadunt in hypochondrium dolorifica mala, cùm aliàs praua sunt, tum verò si faciunt profusiores aluos. Peiora autem quæ breui nascuntur. Tum quæ assurgunt ex his parotides, multùm terrifica, vt cætera expurata.

HIC GENVS aliud symptomatum explicatur, quæ phlegmonarum systrophicarum in hypochondriis obortarum progressum consectaria non rarò esse solent. Sunt autem parotides, & alui profluuia, quæ inde nata, omnino terrifica esse debent: quia veræ criseos excusationem nullam habent. Quod vt perspicuum fiat, hæc mihi videtur ratio enarrandi.

QVÆ CADVNT.] Ad verbum, *quæ incidunt*, vel sua sponte, vel cum præuidentia. Ac sua sponte, orgasmo efferæ materiæ, qui vel inueterationem habet generationis, vel repentè coortus est. Cum præ-

nidentia autem, primigenia, ex diætæ vitio in victus ratione, & vitæ instituto; succedanea verò, per transitum alicuius morbi qui primigenio periculosior esse solet.

IN HYPOCHONDRIVM.] Scilicet dextrum, κατ' ἐξοχὴν ita dictum, & per metonymiam, in hepar; idque conuexa eius parte, aut caua.

DOLORIFICA MALA.] Tumores duri & dolorifici, vel inflammationes per systrophen natæ, quarum symptoma eximium dolor est: vt eo nomine dolorifica causa significetur. i. phlegmone ipsa, vt in illa prognosi iam explicata: *Ex hypochondriorum doloribus natæ febres, malæ.*

Coac. 35. 1. lib. prorrh. 21. s. t. 1.

CVM ALIAS PRAVA.] Ne quid acerbius dicam; doloris vehementia & sympathia vicinarum ac sociarum partium; febre acuta, vnde grauissimorum symptomatum vis, sæpe etiam cita mors venit.

TVM VERO SI FACIVNT PROFVSIORES ALVOS.] Quæ paulò antè reddebant, διαχωρήματα σφαιροειδῆ, καὶ χολώδεα ἄκρητα, i. *deiectiones pilulatas & biliosas meras*: nunc autem feruntur chylosis fæcibus ab inflammatione ieiuni, aut saniosa proluuie; cùm ab inueteratione causæ morbificæ iam tædet hepar sui officij.

PEIORA AVTEM.] Vnde spes abiicitur, præter symptomatum calamitosam vim in actione læsa, & læsionis specie, cum pari molestia doloris coniuncta.

„ QVÆ BREVI NASCVNTVR.] Repentina generatione, non autem ipsius generationis causa.
„ Nam generatio causæ morbificæ paulatim fit: impressio autem morbi, in puncto indiuisibili. Et quo inueteratio causæ morbificæ maior est, eò repentina magis impressio periculosior esse solet. Iam verò multùm interest inter hunc recentem hypochondrij tumorem, inflammationis participem, & eum qui expers est. Hic enim borborygmo exoluitur, quem sæpenumero excitat febris, & qui cum vrinis aut deiectionibus excidit, aut qui ipse per se cum flatu silenti aut sonoro traiectus excluditur, aut etiam qui ad inferiora ventris deuoluitur.

TVM QVÆ ASSVRGVNT EX HIS PAROTIDES.] Tum per excursum primigenium, tum per recursum ex irrita hæmorrhagia.

MVLTVM TERRIFICA.] Quoniam illæ sunt ἀνάῤῥοποι καὶ ἐπίῤῥοποι; tum quia ne suppurato quidem in his periculi locus tollitur, superstite partis vitio vnde illæ venerunt.

„ VT CÆTERA EXPVRATA.] Quoniam nulla salus vitæ sperabilis in vitio nobilium partium insanabili.

15 Τὰ καρδιαλγικὰ μετὰ στρόφου κοιλίης θηρία καταῤῥήγνυται.

A cardialgia cum torminibus; ventris feræ prorumpunt.

EXISTVNT multa symptomata quorū remissio sperari debet, exclusione causarū molestiā faciētium; vt alysmi nauseabundi, vomitione si febris adsit, neq; adsit perennis generatio eius. vt vomitionis in nephritide, prolapsu in vesicam, quemadmodum nuper vidimus in tumore hypochondrij recens oborto & inflammationis experte, qui borborygmo à febre citato curationem recepit. Hic autem cardialgiæ molestia, torminumq; ferocitas, quomodo exoluantur inopinato remedio, docentur his verbis.

CARDIALGIÆ.] Dolores stomachi, & fastidia nauseabunda, quorum causa firmiter fixa non est, neq; contumaciter adhærescit, vt in muliere illa quæ cùm diu multumque laborasset è corde, tandem ptyssana & succo mali punici, eius doloris vacationem habuit: sed leuiter pressa ab erethismo fugaci.

CVM TORMINIBVS.] i. Tenuium intestinorum cruciatibus sine borborygmo, non quidem contumacibus atque exolui metuentibus cuiusmodi sunt ab hectica intemperie hydropis sicci prænuncia; vel à perenni, ex iecore inflammato, bilis affluxu; sed qui per intestina vagantur cum vicissitudine cardialgiæ, vnde illi mitescunt ac rursum efferantur, pro varia superiorum & inferiorum partium offensione: nunquā tamen alibi quàm in tenuibus intestinis & stomacho stabulantur, nisi quādo vel sua sponte, vel arte fugati vermes excedūt. Est enim consentaneum vt ibi maneant, vbi gignuntur, aut moriantur alieno in loco; vt σκώληκες mali Armenæ non viuunt in pruno: quamuis illæ arbores sint consociales. Gignuntur autem ἐν λαχείᾳ chylosæ materiæ, quæ nusquam est nisi in ventriculo & tenuibus intestinis, Quæ causa est cur sapientes medici potiones amaras exhibeant, præsertim è scordio: lac autem subuiciant, vt illinc fugati, hinc verò allecti, relicto ieiuno, descendant in colon, vbi, vel ad punctum temporis durare non possunt, vita superstite. Omnia enim quæ viuunt, quæque mouentur, in suo quæque loco seruantur; atque ex iis aluntur ex quibus constant.

Arist. 4. Meteor.

Arist. 2. de cœlo, & 2. de ortu.

VENTRIS FERÆ PRORVMPVNT.] Quænam sunt ventris feræ; lumbrici, tæniæ: nam ascarides, gignuntur in ano. Quænam igitur feræ prorumpunt ex torminibus & cardialgia? lumbrici. Nam teniæ nullam habere possunt excundi opportunitatem: quoniam fasciæ similes, vnde nomen habent, tantum patent in longum, quantū intestina sunt longa. Deinde bulimo potiùs, quàm torminibus & cardialgia indicantur: vt cætera illorū signa prætercam. Huc accedit, quòd in fœtu gignitur, dum grauida gestatur in aluo, aliàs nunquam: quia non potis est ipsum in lucem editum salubriter viuere, nisi pridianæ fæces, vnde illi gignuntur, descenderint. Quod autē attinet ad nomen τοῦ θηρίον, palam est pro vermibus vsurpari: quia sunt feræ ventris. Ac ne longum faciam, cæteráque omittam quæ huc aduocari solent περὶ τοῦ θηρίον, θηριωδίας, καὶ θηριώματος; sufficiet locus ille libelli περὶ χυμῶν. Κατάκλυσις, διαίτης οἷον ἀποστήσεται ἐς ἕδρην ἤδη ἀποστάσιος, ἢ φάρμακον, ἢ ἕλκος, ἢ χυμός τις συνεστὼς, ἢ βλάστημα, ἢ φῦσα, ἢ σῖτος, ἢ θηρίον ἢ καῦμα, ἢ ἄλλο τι πάθος, i. *Inuectio & ablutio in quos abscessus manet in sedem, aut medicamentum, aut vlcus, aut humor aliquis concretus, aut germen, aut flatus, aut stercus, aut fera, aut æstus, aut alia quæpiam passio.* Distinctio autem significationum τοῦ θηρίον legitur in comment. Galeni ad illam prognosin. Τὸ θηριῶδες τοῦ φθινοπώρου, καὶ καρδιαλγίαι, καὶ τὸ φρικῶδες, καὶ τὸ μελαγχολικὸν, i. *Ferinum autumno, eius cardialgia index, horror, tristia.*

16 Kap-

16 Καρδίης ἄλγημα πρεσβυτέρῳ, πυκνῶς ἐπιφοιτέον, θάνατον ἐξαπίναιον σημαίνει.

Dolorificum cordis malum ætate iam grandi, crebrò reuertens, repentinam mortem ostendit.

QVÆ IN vetustatem incidunt mala, haud facilè curationem recipiunt. Et quæ ab inueteratione causarum morbificarum & affectionum ipsarum, crebrò, repentè, & vehementer symptomata incidūt, terrifica esse debent, tanquam mortifera: idque cùm aliàs, tum si quis pariter aduersæ valetudinis, & ætatis senio confectus fuerit. Est enim irreparabilis temperamenti & complexionis mutatio, quam " senectus inuexit. Est quoque desperata, exhaustæ viuacitatis, nectaris viuifici reparatio. Ergo pessima " res, quando malorum inueteratio, crebráque symptomatum repetitio incidit in vetustatem ætatis, quę ipsa per se morbus est. Quæ cum ita sint.

DOLORIFICVM CORDIS MALVM. i. Cardialgia vel cardiogmus, cum syncope cordis micantis in sympathiam & contagionem adducti; non solùm vicinitate, sed etiam societate quam stomachus habet cum corde per neruum sextæ coniugationis.

ÆTATE IAM GRANDI.] Vnde natura infirmior, meatus angustiores, materia contumacior in oppilando. Hinc facilis oppressio, facilísque interceptio τῆς σφύξεως, cum paupertate spiritus & caloris vitalis.

CREBRO REVERTENS.] Ab inueteratione affectionis veneficæ, vnde perennitas cacochymiæ malignæ, & qualitatis venenatæ quæ cardialgiam facit syncopicam.

REPENTINAM MORTEM OSTENDIT] Dissipatione pestifera viuifici nectaris quæ ab exhausto venit; propterea̋que non est reparabilis, quemadmodum ea quæ venit à suffocatione hysterica. Scitum est illud: *Qui vehementer & crebrò sine causa apparente exoluuntur, tandem repentè moriuntur.* aph. 40. 2.

17 Οἷσιν ὑποχόνδρια μετεωρίζεται, κοιλίης ὑποστάσης· κακόν· μάλιστα δ' ἐν φθινώδεσι τῶν μακρῶν, οἷς κοιλίαι ὑγραίνονται.

Quibus hypochondria tumore assurgunt, aluo suppressa, malum: malum est etiam maximè, quibus ex inueteratione morbi tabescentibus, alui profusè feruntur.

HYPOCHONDRIA tumore assurgunt ab inflatione, inflammatione, & scirrho. Malum est sisti aluum in meteorismo ab inflammatione: quoniam inflammationis eximiæ signum est, qua vehiculum fæcis absumitur, & peristalticus intestinorum motus sursum retrahitur. Hinc geminatur malum oppressione partis obsessæ, tum accessione & incremento causæ morbificæ. Nec verò hæc prognosis pugnat cum illa nuper explicata. *Quæ cadunt in hypochondrium dolorifica mala, cùm aliàs praua sunt; tum verò si faciunt profusiores aluos.* Ergo meteorismus hypochondrij ab inflammatione aluo suppressa, & signo, & causa terrificus. Sed malus est etiam qui ab inflatione meteorismus assurgit, vbi sistitur aluus. Est autem meteorismus duplex ab inflatione obortus. Nam borborygmo exoluitur is qui repentè assurgit. Qui verò in vetustatem incidit, causamque habet flatus perennis intemperiem hecticam, suppressione alui damnosus est ægroto. Atque hic peristaltico motu, naturali contrario, intestina sursum mouentur. Coac. 11. huius c.

MALVM EST ETIAM, &c.] Quoniam ab inueteratione morbi tabifici, & paupertate caloris natiui, succedit ἡ ἀτονία ventriculi & hepatis, easque partes multùm effœtas iam tædet sui officij: ac tum in propinquo mors est, cum nigris excrementis fertur aluus.

18 Ἐν ὑποχονδρίῳ φλεγμονὴ ἀποπυητικὴ ἐστίν, οἷς πρὸ τοῦ θανάτου μέλανα διαχωρέει.

In hypochondrio phlegmone expuratoria est, quibus ante mortem nigra deijciuntur.

OMNIS vacuatio qualitate praua, quæque excretionis modo & tempore nullam iudicandi vim habet, mortifera est: idque cùm aliàs, tum verò in viscerum inflammationibus per systrophen natis.

Ergo. IN HYPOCHONDRIO.] Dextro, κατ' ἐξοχὴν ita dicto, & per metonymiam in hepate.

PHLEGMONE.] i. Inflammatio per systrophen nata: non enim à phlegmone sicca, quam σκίῤῥον vocant, fit suppuratum: sed cùm inualuerit, ac vires eundo acquisiuerit, insanabilis mali successionem

habet,quod μαρασμὸν ἀκεφον ἦ i. *consumptionem retorridam* veteres nominarunt,vnde lenta mors venit,& hydrops,per alienationem sanguificæ facultatis.

Expvrgatoria.] Puris in viscere ipso diffusi,non in membrana collecti:atque pus illud,post vigesimum diem,inflammationis finem attulit, quando liberali hæmorrhagia primis periodis phlegmone exoluta non fuit;ipse verò æger, validarum vitium beneficio, succique vitalis affluentia, ad illum vsque diem superstes permansit,nec antè ad exitum præcipitatus est.

Qvibvs ante mortem nigra deiicivntvr.]Est enim mortifera, morticinique hominis illa expurgatio praua;tum quia iecoris corruptionem & exolutionem arguit, vt omnis deiectio nigra fæculenti sanguinis quæ sua sponte continenter diffluit pigro lapsu,vt etiam pus ἀμοργώδες ᾗ βορβορῶδες.quod hypochondrio antè perusto foras effunditur,tum etiam quia introrsum ducta, naturæ præsidia labefactat,symptomatisque grauissimis ægrum afficit,cùm vires effœtæ langoent. Actalibus pari ratione mors denunciatur & venit,qua iis quibus à morbo acuto,aut lento,aut tramate,aut aliter quovis modo extenuatis;vel atra bilis,vel sanguis niger deijcitur, iodéque postridie moriuntur.

aph.1..4. aph.45. 7. aph.23. 4. — 10

19 Ὑποχονδρίων συντασις, μετὰ κώματος ἀσώδεος, κεφαλαλγικῷ τὰ παρ' ὦς ἐπιρρεῖ.

al. ἐκπυεῖ.

Hypochondriorum tensio cum fastidioso comate, in cephalalgias parotidas fundit. — 20

Omnia quæ apparent signa certam prognosin constituunt, quæ diorismum habent ex causis vnde nascuntur & fiunt. Non enim omnis hypochoodriorum tensio idem significat : sed vt sunt illius causæ,ita denunciat id quod adest, quodque præsens est, futurosque euentus certò prænunciat. Sic ex vrinis albis diuersa prognostica iniri solent, ex causarum perspicientia vnde illæ sunt albæ. Nec verò causarum idem iudicium.Distinguendi ratio necessaria,potissimùm cernitur in hac prognosi.

Hypochondriorvm tensio.] Non quidem hypochondriis intrò sursum retractis, quæ tensio diaphragmatis inflammati propria est, facitque vocem acutam quæ fuerat antè grauis, & ad phrenitidem apparet;nec verò ea tensio firmiter fixa & stabilis, quam facit perennitas flatuum ab hectica intemperie tenuium intestinorum ; minus etiam illa quæ assurgit à phlegmone per systrophen nata,nisi fortassis ex euentu, quando irrita sanguinis translatio ad hæmorrhagiam , palindromen facit ad aures.Sed tensio fugax & leuiter pressa ad exigui prædicationem temporis, ab excursu hæmorrhagico,qui irritus cursum reflectit ad aures. Ac talis tensio numeratur inter signa τῆς ἀνω φορᾶς τῶν χυμῶν, estque doloris & inflammationis expers. — 30

lib.3. progn.

Cvm anxioso comate.] i. Oculorum conniuentia veternosa, quam facit infirmitas τῆς ὁρμῆς αἰσθητικῆς ab oppressione,non autem à refrigeratione.Sed illud coma nihil necesse est anxiosum videri;non enim anxietas esse potest neque ναυτιώδης neque ἀσώδης, vbi per simplicem transitum humor sursum cursum inflectit,non autem per progressum : quoniam nulla manet relicta in visceribus oppressio,nec in alue nauseabunda causa. Nec solùm hac ratione adductus delendum putaui τὸ ἀσῶδες:sed etiam Galeni authoritate fretus,qui id faciendum præcepit. — 40

prorrh. vlt.f.3.1.

Et cephalalgia.] Sic enim legitur in prorrhetico,vt hic cephalalgico.Est enim cephalalgia comatosa parotidum prænuncia. Hæc autem cephalalgia symptoma est repleti capitis humore crasso & pigro.

Parotidas fvndit.] Magis enim mihi probatur prorrhetici lectio quæ habet ἐπιρρεῖ, quàm huius prognoseos in qua legitur ἐκπυεῖ. Parotidas autem fundit caput repletum, cuius repletio est cataphorica & cephalalgica. Huius autem repletionis causa est ἡ ἄνω φορὰ, i. *ascensus*, quam hypochondrij fugax tensio, inflammationis & doloris expers denunciat. Atque ex rerum earum perspicientia Galenus probauit illud prorrheticum. Ἐν κεφαλαλγίῃ κῶμα καὶ κάρωσις παρ' ὦς τι ἐρεύγεται. i. *In cephalalgia coma & stiditas aliquid ad aurem eructat.* — 50

prorrh. pen.f.3.1.

20 Μετὰ ὑποχονδρίων ἔπαρσιν τοῖσι χολώδεσι,πνεῦμα μέγα, καὶ πυρετὸς ὀξὺς· τὰ παρ' ὦς ἐπαιρεῖ.

Tumore hypochondriorum vanescente, spiratio magna, biliosis quidem, & febris acuta; parotidas vomit. — 60

Nihil erat necesse huc aduocare concursum & complexionem signorum ad constituendam prognosin parotidum. Sunt enim quædam ἐπιγενόμενα minimèque propria huius prognoseos. Singulorum veritas elucescet in enarratione quam sic aggredior.

Tvmore hypochondriorvm vanescente.] idest, Meteorismo, qui paulò antè visus est

est assurgere cum vacatione doloris & inflammationis, nec tamen exolutus est borborygmo qui ad inferiora ventris descenderit, exitumve habuerit cum flatu aut deiectionibus, sed per anadromen euanuerit.

Biliosis.] Natura, & vitæ instituto, quorum familiaris esse solet, magisque propria sursum inclinatio, quàm deorsum.

Et febris acuta.] Quæ hypochondriaci meteorismi consectaria non est, nec symptomatica (sic enim febris nomen non obtinet) sed essentialis, quæ homini bilioso accessionem adiungit τὴν αὐτὴν ἰσχύν, ipsaque per se parotidi faciundæ sufficit. Quod illa prognosis iam explicata docuit: *Inter acutos, parotides potissimùm in causis assurgunt.* aph. 74. 4. Coac. 90 cap. 4.

10 Spiratio magna.] In prorrhetico legitur. Οἷον πνευματώδεες. Galenus autem πνευματώδεας interpretatur, τοὺς μέγα καὶ πυκνὸς ἀναπνέοντας, i. *magnum & crebrò spirantes:* sed talis respiratio locum habere non potest vbi spirandi libertas impeditur ab occupatione partium spirabilium, quam facit humoris sursum translatio. Erit igitur spiratio parua & crebra, quæ semper earum partium laborem vel inflammationem denunciat. Spiratio autem magna & frequens, solius cordis incendio conflagrantis propria est & inseparabilis; si nulla sit excusatio dementiæ aut impedimenti partium spirabilium. Ergo melius in prognostico dyspnœam scripsit, vbi de abscessibus agit peripneumonicarum affectionum: *Abscessus nascuntur inferiorum partium, quibus ad hypochondria, ardoris quid descendit. Superiorum autem, quibus hypochondrium molle sine dolore est: & tamen difficultas spirandi sine causa manifesta intermittit.* Erit igitur huius prognoseos decisio talis. Quotiescumque denunciata sursum inclinatio, repletionem adfert capitis comatosam, & cephalalgicam, tum expectari debent parotides. Atque tensio hypochondriorum 20 recens oborta, inflammationis expers, quæ sine borborygmo exoluitur, maximéque in biliosis, & acuta febre cum difficultate spirandi, τὴν αὐτὴν ῥοπὴν opinionem facit. Ergo, si illa sursum ad caput inclinatio repletionem faciat cephalalgicam & comatosam, parotidas fundet. lib. 2.

21 Ἐν ὑποχονδρίων ἀλγήματι ὑποβορβορίζοντι, ὀσφύος ἄλγημα ἐπιγινόμενον ἐν πυρετοῖς· κοιλίας ἐπὶ τὸ πολὺ καθυγραίνει ἢν μὴ φῦσα καταῤῥαγῇ ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ.

30 *In dolore hypochondriorum cum borborygmo, lumborum superueniens dolor in febribus, aluos profusiores facit; nisi flatus prorumpat; aut copia vrinæ feratur.*

Hvivs prognoseos explicatio repetenda ex illa iam explicata: *Tumoris hypochondriorum sine inflammatione recens obortos exoluit borborygmus qui cum deiectionibus & vrinis, vel cum strepitu foras exitum habet, aut qui ad inferiora ventris deuoluitur.* Tum ex comment Galeni ad aph. 74. 4. Coac. 18. huius cap.

40 22 Ἐπὶ ὑποχονδρίῳ χρονίῳ, καὶ κοιλίῃ δυσώδει, παρ' οὖς ἀπόστημα κτείνει.

In diuturno hypochondrij meteorismo & aluo graueolente, abscessus qui ad aurem assurgit, necat.

In hvivs prognoseos enarratione cogor id facere quod faciundum præcepit Galenus, vt scilicet dicam & scribam περὶ τῶν αὐτῶν τὰ αὐτὰ, καὶ ὅμοια περὶ τῶν ὁμοίων. Atque hîc nullæ sunt aliæ partes meæ, nisi vt quæ considerate & conuenienter alibi super hoc theoremate scripta sunt, ea inde repetita, huc transferam, appositéque singulis verbis accommodem. prorr 25. l. 1. Coac. 3. c. 4. l. b. 2.

50 Ergo. In diuturno hypochondrii meteorismo.] Qui assurgit à tumore molli & œdematoso viscerum hypochondriacorum, vel ab inflatione diuturna & stabili quam facit perennitas flatuum ab intemperie hectica tenuium intestinorum, vnde peristaltico motu, naturali contrario, intestina sursum internè mouentur; aut glutinosi humoris copia vnde vicissitudo volouli & stranguriæ.

Et alvo graveolente.] i. Ileo, cum stercoris aut chyli vomitione, & cum accessione ructus, spirationis, & perspirationis fœdi odoris. Hæc autem symptomata sunt ilei consectaria, quando ad vltima ventum est. Nam proprium & inseparabile signum est ilei, nihil deorsum ferri, cum alui torminibus & cardiogmo, quod accidit per τὴν ἄνοδον fæcis aluinæ & chyli, ab inflatione fixa & stabili, aut inflãmatione tenuis intestini sinuosi, vel ab oppilatione crassi & glutinosi humoris. Quicquid enim 60 remeare facit, aut permeare prohibet chylum & stercus, voluuli consecutionem adfert. Iam verò quòd aluum graueolentẽ hîc vocat, de voluulo dixit in prorrhetico, & suprà in Coacis. Quod ad diuturnitatem attinet hypochondriaci meteorismi, certum est, oborto voluulo, non posse existere, sed multò antè voluulum præcessisse, per inueterationem causæ morbificæ, si inflammationem tantum exceperis. Nam in meteorismo hypochondrij qui ab inflammatione assurgit, & nato iam voluulo fœdi odoris; periculo & citæ morti locus est potiùs quàm diuturnitati. Non enim voluulus accessionem habet vo- prorrh. 63. l. 3. l. Coac. 3. c. 4. lib. 2. cõment. ad aph. 11. 7.

mitus & fœdi odoris, nisi cùm in propinquo mors est.

Abscessus qui ad aurem assurgit.] i. Parotis, modò spatium assurgendi sit oborto iam volulo. Quicquid enim humorem ciet ad caput, vnde secedit ipsius tensio cephalalgica & comatosa, parotidas fundit.

Necat.] Non ille quidem suopte tantùm vitio (quamvis hominis necando per se sufficiat) sed alieno. Ac semper in tali parotide periculi locus est, quo quis defungi non potest, nec suppurato, nec aluo prorupta biliosis excrementis, vt in Clazomenio; quod in voluulo sperari nequit. Huius autem prognoseus decisio sic exarata legitur suprà. *Parotides graueolentis voluuli consectaria, cum febre acuta, & hypochondrij & meteorismo diuturno; interimunt.*

10

23 Τοῖς ἀπὸ ὑποχονδρίων ἀλγήμασι κοιλίη κατὰ μικρὸν ὑπογλίσχρα διαδιδοῦσα, καὶ βραχέα κοπρώδεα ἐκχέοι· ἆρα καὶ αἱμορραγεῖ;

al. ἐκχέουσι.

Meliùs sic in prorrhetico, 54. s. 3. 1.

Αἱ πυκναὶ κατὰ μικρὰ ἀναστάσιες ὑποξανθαὶ, γλισχραὶ, ἔχουσαι μικρὰ κοπρώδεα μεθ' ὑποχονδρίου ἀλγήματος, καὶ πλευρῦ, ἰκτερώδεες. ἆρά γε ἐπισχεθέντων αὐτῶν, ἤτοι ἐκλύονται; ἅμα δὲ καὶ αἱμορραγέουσι; τούτοις τὰ τῆς ὀσφύος, ἀλγήματα ἐν τῷ τείσιν αἱμορραγικά. 10

Deiectiones crebrò & paulatim egesta, subflaua, & glutinosa, partim minutula stercorosa, cum hypochondrij dolore, & lateris, ictero assidente; an subsistentibus illis, hi exoluuntur? vnáque etiam sanguinem profundunt? His lumborum tensio dolorifica sanguinem fundit. 30

In hypothesi huius prognoseos, theorema continetur alterationis versæ in alienationem, quæ mutatio simulatque apparet, desperationem salutis ostendit. Atque id locum habet tum in facultatum principiis, tum in artubus qui ab illis reguntur.

Ergo. Deiectiones.] Alui excrementa subducta, & omnium superuacaneorum siue τῶν ἀνόνητων egestiones, siue illa sint colliquamenta, siue humores.

Crebro et pavlatim egesta.] Quæ ratio egerendi symptomatica est, tum oppressæ naturæ, tum cacochymiæ malignæ intestinis multùm abradendo & exasperando molestæ; vnde nulla ægri leuatio, sed grauiorum malorum incrementum cum vacuitate somni coniunctum. Hinc biliosorum humorum perennitas, & summa infirmitas ægri. 40

Flavæ et glvtinosæ.] Quæ duæ sunt qualitates saturatæ bilis, qua dum fertur aluus, nec tollit anxietatem ægri sed auget; nec hypochondriorum ardorem extinguit, sed multò magis accendit. Est autem vlcerifica intestinorum & sedis.

Nonnvnqvam etiam minvtvlæ stercorosæ.] Ac si diceret, si aluus feratur minutulis fæcibus rotundis, duris & nigris: cuiusmodi sunt σπυραθώδεα, i. *caprarum stercorosas pillulas referentia*, quorum duritas siccitatis nuncia est, nigredo ardoris quo viscera conflagrant.

Cvm hypochondrii dolore et lateris.] Ab inflammatione systrophica conuexarum hepatis partium, quæ vicinitate & societate in contagionem latus adducit, vt hepate inflammato pleuritis falsò credatur ex tussi & difficultate spirandi: sed tamen diuersa doloris proprietate, in hepate quidem inflammato, tensiui: in pleuritide verò, punctorij. 50

Ictero assidente.] Quod proprium est symptoma συνεδρεῦον, i. *assidens* hepatis vel obstructi, vel inflammatione obsessi; non autem pleuritidis, habeturque ab Auicenna pro vero diorismo hepatis inflammati non latens. De ictero satis iam aliàs.

An svbsistentibvs illis.] Caprarum globulis & excrementis biliosis, abundè saturatis; siue illa omnino suppressa sint; siue subsistant mutatione in alia excrementorum genera, vt pro duris & sphæricis, ducatur aluus chylosis; pro flauis & glutinosis, feratur proluuie rubra; quod signum est alterationis versæ in alienationem & exolutionem qua iecur tædet sui officij.

Hi exolvvntvr.] Infrà legitur ἐκλύονται. Exolutionis signa & causæ modò sunt explicata. 60

Vnaqve etiam sangvinem fvndvnt.] Non quidem liberali hæmorrhagia, vt in substillo, aut etiam profluuio exoluti hepatis symptomatico: sicut in prorrhetico scripsit, μυκτὴρ ῥαγείς, i. *naris prorupta*. Atque ex illo profluuio nihil aliud expectari potest quàm maior infirmitas, & virium exolutio: quoniam nulla excretio quantumvis critica, potest videri salutaris, cùm vires effœtæ languent.

prorrh. 6. s. 1. 1.

42 Οἷον

24 Οἷσιν ἐξαίφνης ἀπυρέτοισι ἐοῦσιν, ὑποχονδρίου καὶ καρδίης πόνος, καὶ περὶ σκέλεα, καὶ τὰ κάτω μέρεα, καὶ κοιλίη ἐπαίρεται· φλεβοτομίη λύει, καὶ κοιλίης ῥύσις. πυρέξαι βλαβερὸν τούτοισι· μακροὶ γὰρ οἱ πυρετοὶ, καὶ ἰσχυροὶ γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ πνεῦμα, καὶ λυγμοὶ γίνονται. λύεσθαι δὲ μελλόντων τούτων, πόνος ἰσχυρὸς ἰσχίων καὶ σκελέων, ἢ πύου πτύσις, ἢ ὀφθαλμῶν στέρησις ἐπιγίνεται.

Quibus continuò in febris vacatione, hypochondrij & cordis dolor, crurúmque ac partium inferiorum, & vnà venter in molem assurgit; phlebotomia exoluit, & alui profluuium. Ibi tum febricitare calamitosum: quia diuturnæ sunt febres, & validæ. Quinetiam inde veniunt tusses, difficultas spirandi, atque singultus. Quæ omnia quando exolui debent; coxarum prægrandis dolor & crurum, aut puris expectoratio superuenit, aut oculus capiuntur.

SYMPTOMATVM catalogus recensetur in hac prognosi & citima, quæ sanguinis detractionem requirunt ante catharticũ, & quorum ipsa detractio sanguinis est ἡγεμονικὸν ad curationem recipiendã. Ergo. QVIBVS CONTINVO.] Ad verbum, *repentè*, i. nulla extrinsecus incidente præuidentia, ac nulla extrinsecus nata, quæ opinionem faceret sui (id enim significat, τὸ ἐξαίφνης, valetque idem quod illud ἀπὸ ταὐτομάτου.) Ac si diceret. Quibus repentè oborta est hypochondrij & cordis afflictio.

IN FEBRIS VACVITATE.] Sic in aphorismis, ἀπυρέτῳ ἐόντι καρδιωγμός, &c. i. Si nulla fuerit essentialis febris generatio, neque discessio: sed manserit febris expers, donec ingruerint symptomata explicanda. Tum autem vt neque sit hypochondrij dolentis consectaria febris, nec hypochondrij dolor symptomaticus. Denique, vt antè fuerit, ita nunc sit febris vacuitas. (17. lib. 4.)

HYPOCHONDRII ET CORDIS DOLOR.] Ab interceptione bilis, eiusque perenni ad cor affluxu, vnde cardiogmus, cibi fastidium & oris amaritudo: quæ omnia sine febris accessione possunt existere. Non enim cuiuscumque inflammationis iecorariæ symptomatica est febris, sed tantùm eximiæ. Perennitas autem bilis à iecore æstuante, suppressio, ab oppilatione; cordis morsus, à reflexu eius ad stomachum. (aph. 27. 4.)

CRVRVMQVE AC PARTIVM INFERIORVM.] Per ταύτην biliosi sanguinis è vasis cruralibus eo sanguine distentis in venulas, indéque in carnes & musculos quibus affixæ sunt, indéque venit spontanea lassitudo phlegmonosa & vlcerosa.

ET VNA VENTER IN MOLEM ASSVRGIT.] Non quidem meteorismo ab inflammatione systrophica, quia febrem habet semper coniunctam; nec verò ab inflatione, quam facit collectio flatuum: nunquam enim flatuum interceptio secum adfert dispositionẽ inflammatoriã in hypochondrio.

PHLEBOTOMIA EXOLVIT.] Quæ vnicum est curationis ἡγεμονικὸν in malis quæ vel à systrophe, vel ab inœdio, vel ab oppressione nascuntur. Nam systrophe quidem debetur rheumatis concitati reuulsio consistentis amotio & detractio, phlogosi refrigeratio; & temperamenti atque complexionis symmetria; oppressioni à suppressione vacuatio. Quæ omnia planè in sanguinis detractione diuina sunt. Huc accedit quòd vbicumque purgationis & phlebotomiæ necessarius incidit vsus, à phlebotomia auspicandum. Qui contrà facit, tam est in vitio, quàm si ipse manus adferret ægroto; quòd morbum alioqui sanabilem, ex euentu faciat insanabilem. (4. acut. Gal. ad partem 5. sect. 1. 6. Epid.)

ET ALVI PROFLVVIVM.] Vt scilicet biliosis excrementis feratur aluus, quæ stabulando in hypochondriis, & febrem accendunt, & œconomiam naturalem labefactant, viscerâque vnde gignuntur per syntimoriam magis afficiunt. Illud autem profluuium sponte citatum bene fit, si multum & rarò cietur, si bilis quodammodo pituitescit, nec ita videtur effera; tum si hypochondrium fit æquale, doloris & inflammationis expers. Talis expurgatio sponte naturæ conuenienter suscepta procedit ἀθρόως ἢ κατὰ μικρόν, ac meliùs ægroto est. Sin autem artificio medici ad imitationem naturæ comparato instituenda purgatio sit, eiusmodi esse debet vt detracto sanguine, moderationis & securitatis seruantissima nihil omnino periculi secum portet. Sic enim faciundum præcepit cauitque his verbis: Δεῖται δὲ ἀσφαλείης, καὶ μετρέειν μὴ φλεβοτομίῃ ἢ φαρμακείῃ. Ac tam religiosus fuit in purgando, vt, non nisi summa necessitate coactus, catharticum exhibendum putarit; ac solo clystere contentus medicinam facere instituerit. Vt autem purgatio medici votis respondeat, plurimùm ad hoc valet præmissa detractio sanguinis, quæ corpus expurgandum mirificè facit εὔρουν i. *fluxile*, excitata naturæ vi ab oppressione laborantis, & comparata meatuum libertate. Scitum est illud: *Quando purgare consilium est, corpora debent effici meabilia.* (Hipp. 4. acut. 4. acut.)

IBI TVM FEBRICITARE, CALAMITOSVM.] Quoniam nisi tutò & citò bilis exitum ha- (aph. 9. 2.)

beat detractione sanguinis, inde cathartico aut clystere; rapitur à venulis arefactis, ac tum excitantur febres malignæ. Est enim iam illud ratum persuasumque omnibus. *Quæ ex hypochondriorum dolore veniunt febres, terrificæ.* Et, *Quæ ex aluinis doloribus febres nascuntur, terrificæ.* Hæc autem suprà sunt explicata.

31. Coac. 1. lib.

QVIA DIVTVRNÆ SVNT FEBRES ET VALIDÆ.] Sunt igitur hæ febres diuturnæ, materiæ contumacia, vnde difficultas pepasmi; & vitio visceris hypochondriaci, vnde perennitas causæ morbificæ, & perennis attractio à venulis arefactis; validæ autem, symptomatum vehementia, quæ cernitur in doloris acerbitate, cibi fastidio, siti, iactatione, & somni vacuitate. Ac ne longum faciam, omnia in peius ruunt. Atque vt scripsit Hippocrates, χρόνια sunt hæc καὶ δυσχερέα.

30. Coac. 1. lib.

QVINETIAM INDE VENIVNT TVSSES.] Ob nimiam humoris abundantiam quæ ad thoracem & pulmones cursum inflectit, & partes illas ad expurgandum irritat. Sic enim Galenus ad illum locum. *Secutæ sunt tusses: Dum expurgatur, inquit, humorum redundantia, consueuere tusses oboriri.*

DIFFICVLTAS SPIRANDI.] Parua, & frequens, à labore partium spirabilium obsessarum.

ATQVE SINGVLTVS.] Concussio frequens ventriculi studentis excutere glutinosam bilem quæ ad eius tunicas contumaciter adhærescit, quam inflammationem iecur eò transmisit, ac sensionem excitat suæ molestiæ per duos neruulos, ventriculi & iecoris societatem coniungentes. Atque ex eo singultu significatio fit adauctæ phlegmones, & feruentis à febre. Omnia enim symptomata quæ ἐπιγεννήματα Græci vocant, magnarum affectionum & auctarum consectaria esse solent; vt singultus hepaticæ phlegmones: non quidem cuiusvis, sed eius tantùm quæ est eximia.

Memorantur hi neruuli à Gal. ad aph. 17. 7 & 2. Epidem.

QVÆ OMNIA QVANDO EXOLVI DEBENT.] Λείμως καὶ ἀκείνως, cùm febris in vetustatem inciderit, variisque symptomatis exercuerit ægrum à bilis perennitate, & propagatione; tum à colliquatione praua, vnde abscessus fiunt aut magnitudine intolerabiles, aut paruitate inutiles, vt prodesse non possint.

ISCHIORVM SVPERVENIT DOLOR PRÆGRANDIS ET CRVRVM.] Quoniam diuturnæ febres continuæ abscessus faciunt per materiæ decubitum, vt intermittentes diuturnæ, quartanas. Sin autem pars aliqua lassitudine fatigata fuerit, perdoluerit, antequam ægrotare quis cœperit, in ea se morbus obfirmat. Atqui multò ante natam febrem, quæ arceri debuit sanguinis detractione & purgatione: coxæ, vel ischia potiùs (nam coxæ pro lumbis nominantur à Celso) tum etiam crura doluerant. Abscessuum autem ischiadicorum successio esse solet in febribus quæ dicuntur tritæophyæ.

1. Epid.

AVT PVRIS EXPVRGATIO.] Ex materia in pulmones translata, vnde difficultas spirandi & tussis, quæ neque liberali expurgatione intra decimumquartum diem cœpit expurgari, nec sanguinis detractione vacuata fuit, sed in suppuratum versa est.

AVT OCVLIS CAPIVNTVR.] Cessante singultu, ob excursum bilis ad cerebrum, maximéque ad illam partem cerebri vnde videndi vis manat, ex cuius inflammatione labefactatur καὶ ὁ αἰσθανόμενος καὶ τὸ αἰσθανόμενον. Nam læso principio, afficitur facultas, quæ in officio cernitur. Ipsum verò sensorium, vicinitate & societate affligitur. Qua de re illud extat. ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ, καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ κακόν. i. *Singultui & vomitui superueniens oculorum rubor, malus.*

aph. 3. 7.

25 Οἷσι πόνοι ὑποχονδρίων, καρδίης, ἥπατος, τῶν περὶ ὀμφαλὸν μερῶν· αἵματος διαχωρήσαντος, σώζονται· μὴ διαχωρήσαντος, θνήσκουσι.

Hypochondriorum, hepatis, cordis, partiumque vmbilico circumpositarum dolores: excluso sanguine, periculo defunguntur; non excluso, intereunt.

HIC ETIAM hypothesis altera ponitur hæmorrhagiæ, aut phlebotomiæ tam necessariæ, vt ea prætermissa, necesse sit vita defungi: quemadmodùm adhibita, vel sponte naturæ, vel artificio medici, bona spes affulget periculo defungendi. Est autem hypotheseos huius theorema catholicum. In omni dolore hypochondriorum, hepatis, cordis, partiumque sub vmbilico circumiacentium, sanguinis exclusio sperabilem vitæ salutem ostendit: contrà suppressio, desperationem salutis. Atque id quomodo fiat, hypothesis explicatio declarabit, cuius verba hæc sunt.

HYPOCHONDRIORVM.] i. Earum partium epigastrij quæ adiacent nothis costis, quæque viscera iecoris, lienis, diaphragma quoque ipsum & stomachum circumplectuntur. Dolore autem vexantur ab oppressione partium subiectarum.

HEPATIS.] A tumore duro & dolorifico; vel à nimia sanguinis abundantia intumescentis, vt in iis qui vltra præscriptum tempus, perfractum crus elatum in lecto continuerunt, aut altero crure sunt mutili, nihil autem cibi quotidiani & potionis deduxerunt.

4. περὶ ἄρθρων.

CORDIS.] A bilis refluxu, quæ perennitatem habet in iecoris æstu; communicatur autem cum stomacho per tenue intestinum, ac suæ molestiæ & feritatis sensionem excitat in stomacho acerrimi sensus per duos neruulos iecori & cordi communes; vnde singultus, cardiogmus, & cibi fastidium.

PARTIVMQVE VMBILICO SVBIACENTIVM DOLORES.] Ieiuni intestini, & sinuosi, quod εἰλεὸν Græci vocant: quæ duo intestina sæuis torminibus cruciantur; exudante bile a iecore inflammato:

mato: quemadmodum ab omni inflammatione serum exudare solet; vt in pleuritide quod siccam tussim excitat; in phrenitide, quod ptyelismum facit. Atque hæc symptomata sunt cauarum partium inflammatione obsessarum.

Exclvso sangvine.] Sic visum est interpretari illud: διαχωρήσαντος αἵματος, ne quis aluum sanguine proruptam intelligat, quo iure, quáque iniuria. Nam διαχωρήσιος nomen, tametsi frequenter vsurpatur pro alui deiectione: tamen non rarò significat eam, quæ omni ex parte cietur, vacuationem, vt in illo: Τῶν τρεφομένων ἀθρόως, καὶ ταχέως ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται. i. *Celeriter nutrientium, celeres quoque sunt consumptiones.* Vbi διαχωρήσιες idem sunt, quod ἀπαλλαγαί; vt idem planè illic docere velit, quod alibi scripsit: Τὰ εὐαλλοίωτα ταχὺ, καὶ εὐαπάλλακτα. i. *Quæ facile alterantur, facile item absumuntur.* At ὑποχωρεῖν nunquam aliter quam pro egestione per aluum legitur apud Hippocratem, vt in illo, ὑποχωρήματα μέλανα. i. Sed vt concedam hic sanguinis διαχώρησιν vsurpari, quæ fit prorupto per aluum sanguine, conuenienter naturæ suscipietur ea quam δυσεντερίαν αἱματώδη, i. *dysenteriam sanguineam* veteres nominarunt, quæ cietur liberaliter & vehementer, non tamen est diuturna; nec cibi fastidium adducit: talis virtute fit hepatis, vt hæmorrhoides quoque fugaces, quas habent homines, non autem ab iis habentur. Cæteræ omnes cruentæ deiectiones veniunt ab hepatis ἀρρωστίᾳ, vel mesenterij aut intestinorum vitio.

aph. 18. 2. — lib. περὶ τροφῆς. — aph. 21. 4. — 4. ἐπιδημ.

Pericvlo defvngitvr.] Vt per liberalem hæmorrhagiam quæ primis prorumpit hepatis inflammati periodis, aut liberali sanguinis detractione quæ fit ineunte morbo. Est enim sanguinis profusio, curationis ἡγεμονικὸν ad retractionem rheumatis concitati, & ad detractionem consistentis.

Non exclvso interevnt.] Quoniam inflammatio fixa tantorum causa malorum iecoris, cordis, & tenuium intestinorum; tum interceptione officij necessarij; tum ipsa doloris acerbitate, partiumque omnium nobilium sympathia & syntimoria; breui futuram mortem ostendit, nisi ægrotus, liberali hæmorrhagia, periculo defungatur aut validatum virium beneficio, expectandam suppurationem expectet; quæ cùm venerit; non omnino, nec semper periculi locum tollit: quemadmodum suprà demonstratum est.

26 Οἷσιν ὑποχόνδρια λαπαρὰ, προσώπου ἐρρωμένου, οὐ λύονται χωρὶς αἵματος ῥύσιος ἐκ ῥινῶν πολλοῦ, ἢ σπασμοῦ, ἢ ὀδύνης ἰσχίων.

Meliùs sic, ex prognosi 134. lib. I.

Οἷσιν ἐν πυρετοῖσιν αἱ ἐν κροτάφοισι φλέβες σφυγματώδεες, καὶ πρόσωπον ἐρρωμένον, καὶ ὑποχόνδριον μὴ λαπαρὸν χρόνιον. καὶ οὐ παύονται χωρὶς αἵματος ῥύσιος ἐκ ῥινῶν πολλῆς, ἢ σπασμοῦ, ἢ ὀδύνης ἰσχίων.

Quibus in febribus temporum venæ aspectabili pulsu micant, vnáque facies succi plena atque decora, nec hypochondrium molle; diuturnum: neque quiescunt, nisi prorupto liberaliter è naribus sanguine, aut conuulsione, aut ischiorum dolore.

Est qvoqve hypochondrij tensio diuturnorum causa malorum, idque cùm aliàs, tum si accessionem habeat corporis nihil à se mutati in pristina mole atque colore. Est etiam signum hæmorrhagiæ, quando denunciat anadromen sanguinis caput replentis, cum pulsu aspectabili venarum in temporibus micantium, & facie suffusa rubore. Quinetiam cruralem abscessum fore ostendit, cùm restituta libertate spirandi per transitum materiæ pulmonariæ deorsum factæ, distenditur. Quæ omnia cum his diorismis pronunciata, veritatis lucem habebunt.

Ergo. Qvibvs in febribvs.] Essentialibus, quarum labores continenter infestant, nec dum sperabilem faciunt discessionem, ex iis quæ apparent & fiunt ad tempus & speciem crisis.

Temporvm venæ aspectabili pvlsv micant.] A particulari ipsarum repletione; vnde micando percutiunt circumiacentes partes, in quarum interuallò liberè olim pulsabant sine appulsu molesto. Est enim talis pulsus vel à particulari venæ repletione, vel ab eiusdem oppressione per inflammationem systrophicam partium circumiacentium.

Vnaqve facies svcci plena atqve decora.] i. Facies benevalentium similis, & potissimùm sui, quæ contrariam habet τὸ πρόσωπον διεφθαρμένον. Est autem facies succi plena quæ cernitur in colore & mole: sicut decora in charactere. Non enim hoc loco agnoscimus faciem saturato rubore suffusam, vultuosam, & aspectu terribilem, quæ propria est phreniticorum: sed faciem naturaliter constitutam, quæ nihil de suo statu concessit: est autem genuino rubore suffusa. Itaque talis facies quæ in febre non leui nullam habet remissionem, sed potiùs incrementum, qualis alibi nominatur πρόσωπον μετέωρον; ad diuturnitatem morbi apparet.

Coac. 4. cap. 5. lib. 2. — Coac. 2. eiusd. cap.

Q

aph. 17. 2. NEC HYPOCHONORIVM MOLLE.] Sic enim meliùs, quàm ſimpliciter molle, quod nihil aliud denunciat præter expetendam hypochoodriorum conſtitutionem; niſi fortè repentinam tenſionis mutationem habuerit per humoris excurſum vnde repletur caput ad hæmorrhagiam; quod hic veriſimile non eſt: quia ſubiungitur diuturnitas morbi. Non erit igitur molle, ſed diſtentum ab inflammatione phlegmonoſa, quam facit oppilatio contumax.

DIVTVRNVM.] Quia diuturnitatis prænuncia ſunt hæc, ex quibus ſignificatur humoris morbifici contumacia, & perennitas eius. Sunt autem, hypochondrij tenſio, pulſus venarum micantium aſpectabilis medico, & ægro moleſtus; tum facies nihil concedens de ſuo.

NEQVE QVIESCVNT.] i. Exitum habent ſecundi iudicij ad ægri ſalutem. Nihil enim ſalutariter caoluitur ἀσινέως καὶ ἀσήμως Sed theorematis illius veritas lucet in verbis illis, παύονται ἀλυόντων, quæ ſemper ſuot veræ criſis.

NISI PRORVPTO LIBERALITER E NARIBVS SANGVINE.] Si eiuſmodi ſit tenſio hypochondrij, doloris & inflammationis expers, vt ſignificata ſanguinis ad caput anadrome, repletio eius ſequatur cephalalgica, cum amblyopia marmarygarum micantium, & pulſu aſpectabili temporalium arteriarum. Citatior enim majorque temporum pulſus, fortiùs potentiam mouet excretricem vt ſe exoluat moleſtiis cauſarum morbificarum; atque ita ciet hæmorrhagiam.

163. Coac. 1. lib. AVT CONVVLSIONE.] Quæ primo incidit morbi die, aut poſtridie, aut ad ſummum perendie, per tranſitum humoris morbifici è venis ad muſculoſum genus, iuxta illud: *Febris conuulſio finem adfert.*

vide Hipp. περὶ κρισίμων, & 2. Epid. AVT ISCHIORVM OOLORE.] Si tenſio hypochondrij repentè oborta ſit, cum libertate ſpirandi poſt longam dyſpnœam, materia illac traoſeunte dum curſum inflectit ad articulos imbecilliores, & ampliores, & laxiores: vt in Herophonte, cui pauliſper ſiniſtrum intumuit hypochondrium, paulò antè abſceſſum ctutis κατ' ἴξιν. Eſt autem hæc progneſis ἀδιάστατος in hypotheſi & euentu.

27 Αἱ πρὸς ὑποχόνδρια ἐν πυρετῷ ὀδύναι ἄτερ αἱμορραγίης, ἀναύδῳ, ἀνιδρῶτι λυόμεναι κακόν. Τούτοισιν ἐς ἰσχίον ἀλγήματα.

Hypochondriorum dolores in febre, ſi muto & ſudore carenti & hæmorrhagia exoluantur; malè res eunt: niſi dolores ad iſchia tranſeant.

OMNIS ἀκρισία quæ irrito fit eretiſmo, funeſta eſt grauiorum malorum acceſſione, parique ſucceſſione, nonnumquam etiam cita morte. Secus eſt de acriſia cruditatis alumna, nec tamen ab irrito erethiſmo in malos abſceſſus conoerſa. Hæc enim ſola criſis vacuitate contenta eſt, proptereáque diuturnitatis comes, oon autem ioteritus. Sed ἀκρισία tentatæ fruſtra criſeos conſectaria, morborum acutorum primigeniam tollit naturam, facitque vt illi acutorum nomen retineant ἐκ μεταπτώσεως & ex irrita criſi κατ' ἐπιγένεσιν. deducantur ad eam quæ fit κατὰ τὴν διάθεσιν; quod gratiæ, vt ita dicam, potiùs quàm oaturæ ipſius merito apponi debet.

30. Coac. 1. lib. Ergo. HYPOCHONDRIORVM OOLORES.] Vel tenſio potiùs repentina & fugax, inflammationis & doloris expers, ac ſine borborygmo; vnde ſignificatio fit τῆς ἀναυδίας: Quòd autem ſic explicanda videatur præſens hypochondriorum affectio, facit vt adducar, illud:

IN FEBRE.] Eſſentiali, contioua, & acuta, quæ ſanguinis dominatu multa bile perfuſi focum habet in maioribus venis atque arteriis, nec dum mitificata pepaſmo, tranſlationem facit ad caput, ipſumque replet humore qui propter feritatem, cerebri virtute non regitur ad excretionem per hæmorrhagiam: ſed capitis repleti ſymptomata edit paraphorica & cephalalgica.

MVTO.] Qui fandi eſt impotens, denegata mouendi facultate muſculis nouem linguæ, per obſtructionem nerui ſeptimæ coniunctionis, impedita parte illa cerebri vnde vis manat linguæ motria. Sed tamen adducor potiùs vt credam id fieri eximio calore febrili concepto in cerebro, qui partes vicinas atque ſocias continenter ciet mouetque, nec vnquam ſinit quieſcere; vnde lingua tremula ſignum eſt non ſolidæ mentis, ex eóque tremore organi dialecti atque ſermonis dædali, homines videntur ἄναυδοι. De ἀναυδίῃ & ἀφωνίῃ ſatis iam alibi. Sed inſtat Galenus qui aduerbialiter legit ἀναύδως, & interpretationem citat quorundam qui cenſent illud ἀναύδως, ſignificare idem quod ἀλόγως: quoniam λόγος in genere τῆς φωνῆς continetur. Ipſa verò φωνὴ à veteribus dicitur αὐδή. Sed curioſa hæc nimis eſt enarratio. Eſt autem iucundum legere diſceptationem Galeni fundatam in eo quod ipſe malè legit, ἱδρῶτι λυόμεναι; cenſet autem legendum, ἱδρῶτι μὴ λυόμεναι, vt mox cuique facillimum erit iudicare.

SVOORE CARENTI ET HÆMORRHAGIA.] Quæ duo ſunt excretionum genera, per quæ omnis affectio plethorica ſolet eaolui, modò illa repletio ſit malignæ cacochymiæ expers, oec vlla ſit inflammatio ſyſtrophica & fixa in parte obſeſſa. Sic Lariſſæam virginem ſymptomatis repletionis defunctam fuiſſe legimus; capitis quidem, per hæmorrhagiam; venarum, per ſudorem; vteri & locorum, per menſtruale profluuium. Tot autem neceſſaria ſunt vacuationum repletionis propriarum genera; quot affectionum ex ipſa ſedes & foci exiſtunt. Huc pertinet illa progneſis iam explicata: *In febre continua, qui voce capti iacent atque ni[illegible]antur, ſiquidem prorupto è naribus ſanguine; vocem receperint, & apud ſe fuerint, periculo defunguntur. Sin autem ſecus acciderit; cum difficultate ſpirandi cita mors venit.*

MALE

MALE RESEVNT.] Quia cùm bilis efferæ sursum ad caput excursus hæmorrhagiæ successionem non habuerit, paraphorica symptomata facit terrifica, ne dicam mortifera. Huc accedit, quòd *omnia quæ prauis cum signis mitescunt, aut cum salutaribus nihil concedunt; calamitosa sunt.*

ATQVE DOLORES AD ISCHIA TRANSEVNT.] Vt enim febris ex acrisia ob irritam proritationem, acutæ naturam amittit, quæ in laborum vehementia, celeritate & assiduitate consistit: ita ex crisi κατ' ἔκρυσιν, deducitur ad eam quæ fit κατ' ἀπόστασιν. Atque ita, si naturæ virtus αὐτόρροπον ac liberalem moliatur abscessum, quo, feritate ipsa deuicta, morbus fiat pepasmi particeps, cuius antea fuit expers; periculi locus tolletur quod in propinquo erat. Dolores autem ad ischia transeunt & ad bubones, indéque ad femur, vt duce natura abscessus procul exoriatur κατ' ἔξω αὐτόρροποι neque ἰσόρροπος, sed ἄξιος τῷ ἀποστάντι, in parte scilicet morificæ totius materiæ capacissima. Quod accidisse legimus Herophonti, qui, cùm in angusto spes esset, diadoche facta in lienem, vnde ipsius tumor & hypochondrij tensio primùm resipuit, auditus libertatem recepit, indéque ab bubonem dolore oborto, mox in vtramque tibiam, cùm resedisset tumor lienis; præter spem defunctus est morbo qui antè lethalis videbatur.

28 Οἱ κατὰ κοιλίην ἐν πυρετῷ παλμοὶ ἐκστάσιας ποιέουσιν. αἱμοῤῥοίη δὲ φρικώδης.

Palpitatio ventris in febre, insaniam facit; indéque cietur hæmorrhagia horrifera.

PALPITATIO ventris vsurpata pro pulsu, quemadmodum legitur in Sileno & in Phrenitico, translationem facit humoris calidi tenuisque sursum ad caput. Ergo paraphorica aut hæmorrhagica. *(hist. 1. 4. Epidem. histor. 4. parte 3.)*

PALPITATIO VENTRIS.] i. Pulsus quem facit repletio venæ particularis, vel vniuersalis, vnde percipitur appulsus ægroto molestus, ac dolorificus, propter angustiam intercapedinis vbi liberè olim micare solebat. Ac repletio illa particularis est, vt in crebris ictibus venarum temporalium aspectabili pulsu micantium; vel vniuersalis, vt in illo; Οἱ παλμώδεες δι' ὅλου ἆρά γε ἄφωνοι τελευτῶσιν; i. *Continenter tremuli, an voce capti moriuntur?* Ac particularis quidem legitur in pulsu temporalium arteriorum, qui aspectabilis est medico, & dolorificus ægro, ad futuram hæmorrhagiam, delirium, & ad ipsum quoque abscessum. Talis est ille prorrhetici, qui eòdem spectat quò præsens hæc prognosis. *(1. Epid. pror. 1. t. 1.)* Οἱ ἀπὸ κροτάφων πόνοι παλμώδεες ἔχοντες ἱδρῶτι καὶ γνώμην παραφέρονται. Vniuersalis autem palpitatio, præter illud prorrheticum iam adductum quod non sapit Galeno, pace tanti viri, locum illum perperam & contra Hippocratis mentem interpretantis; aliunde nata quàm ipse putat, in prorrhetico memoriæ prodita est ex Phrenitico, his verbis: Παλμοὶ δι' ὅλου τοῦ σώματος, i. *Palpitatio per totum corpus.* Atqui phreniticum idem scribit, secundo die quo percepta est palpitatio toto corpore, ἄφωνον, i. *voce captum* fuisse. Ergo non est verisimile talem ἀφωνίαν. aut palpitationem venisse à spiritu flatulento cumulato διὰ ψύξιν, vt Galenus voluit commentario ad prorrh. nuper adductum, cùm idem Galenus tam citæ mortis causam (interiit enim quarto) retulerit ad virulentam qualitatem æruginosæ bilis, cuius dominatu phreniticus tenebatur. *(prorrh. vlt. t. 1.)* Quòd autem palpitatio ipsa pro pulsu, & Græcum nomen ὁ παλμὸς ἀντὶ τοῦ σφυγμοῦ, non rarò vsurpetur, declarat illud Sileni; ὑποχονδρίου παλμὸς ξυνεχής. i. *hypochondrij continens palpitatio*; quem paulò antè narrauit vtriusque hypochondrij tensionem habuisse oblongam, diaphragmate inflammanti.

IN FEBRE.] Quæ focum habent in lumbari arteria, vnde plethora ipsius & eius quæ nominatur cœliaca, estque ὁ διαπνοῦς τῆς κάτω κοιλίης, i. *spiraculum inferioris ventris.* *(lib. ... γυωμ.)*

INSANIAM FACIT.] Per alterationem cerebri ab atra bile, cuius acriores sunt morsus quàm flauæ: proptereáque ἔκστασις μελαγχολικὴ nominatur, ipsique fanatici per periphrasin sic describuntur, οἱ μελαγχολικῶς ἐξιστάμενοι, i. *qui melancholicè excedunt*, in quibus insaniæ summa sunt omnia. Sed tamen demissè symptomatis crudelissimi vim expressit in illo: Οἱ ἀπὸ κεφαλῆς πόνοι παλμώδεες ἔχοντες μᾶλλόν τι καὶ γνώμης παραφέρονται, vbi Galenus palpitationem refert acceptam spiritui flatulento; paraphoricam autem videri, offensione diaphragmatis, quod generis similitudine & societate principium. i. cerebrum in contagionem adducit. Galeni verba hæc sunt. Τοῖς νευρώδεσι μορίοις ἡ ἀρχὴ συμπάσχουσα i. *Neruosis partibus principium consentit.* Atqui nulla diaphragmatis offensio videtur paraphotica, præter inflammationem systrophicam. *(4. acut.)* Nulla autem spiritus intercceptio affectionem inducit inflamatoriam. Quò se igitur vertet Galenus? Sed in palpitatione ventris vereodum erit de mox futura insania, si ea fiant appareantve quæ scripta sunt in hac prognosi. *Pulsus quoque in hypochondrio cum perturbatione; dementia est: magisque si oculi huc illuc voluuntur*; quod in prognostico dixit: τούτους μανῆναι ἐλπὶς, i. *hos excussuros spes est.* Causæ sunt explicatæ. *(Coac. 1. huius cap.)*

ATQVE INDE CIETVR HÆMORRHAGIA HORRIFERA.] Quæ scilicet denunciatur horrore qui frustra fit, proptereáque translationem facit ad diaphragma & caput; aut quæ consectarium habet horrorem.

29 Αἱ ἐς ὑποχόνδρια ἐν πυρετῷ ὀδύναι διαΐσσουσαι, ἄνευ ἱδρῶτι λυόμεναι, κακοηθέες, τούτοισιν ἐς ἰσχία ἀλγήματα. ἅμα πυρετῷ καυσώδει, κοιλίη καταῤῥαγεῖσα. ὀλέθριον.

Hypochondriorum dolores in febre subsultim vigente, qui sine sudore exoluuntur; terrifici. Horum ad ischia transitus est. Ac si cum ardente febre aluus profusè feratur; mortiferum.

Hæc prognosis est omnis diuisa in partes duas, quarum prior enarrationem habuit analyticam. Est enim iisdem penè conscripta verbis, si tantùm exceperis vocem illam διαΐσσουσαι. Est etiam in eundem scopum conscripta. Superest igitur vt quid sit τὸ αἰΐσσειν; paucis aperiam. Aperiendi autem ratio repetenda ex comment. ad prognosin illam. Οἱ περὶ χεῖρας αἰΐσσοντες, κακόν. i. *Qui ad manum exiliunt, malo sunt loco.* Non enim dolores propriè αἰΐσσουσι nisi fortassis σπασμώδεες ἢ σφυγματώδεες: de quibus non ita pridem satis iam multa scripsimus ad citimam huic prognosin: nisi etiam qui transferuntur sursum, cuiusmodi sunt illi qui relictis lumbis, transeunt ad diaphragma. Sed αἰΐσσειν dicuntur qui velut à tonitru somno excutiuntur, omnibusque artubus contremiscunt, subsultim mouentur, nec vllo stant loco metu perculsi. Qualem accepimus fuisse mulierem Thasiam δυσήνιον, quæ à menstruorum suppressione febrem habuit conuulsionibus crebram, quibus quiescentibus, nugarum garrulitate, verborumque obscœnitate insigniter delirauit. Ad postremum, vacatione conuulsionum, coma ipsam subiit, ἐκ πάλιν ἐγρομένη ἀΐσσει, i. *mox excitata exilit.* De transitu autem doloris ad ischia, superior prognosis causam cur ita fiat apertissimè declarauit.

Iam verò posterior pars huius prognoseως mihi non videtur ἱπποκρατικὴ neque ἑπομένη instituto prognostico. Sed neque appositè scripta, quamuis vera; nisi fortasse quis dicat quod paulò antè docuimus; nullam vacuationem, nullam excretionem, nullum denique abscessum, quantumuis magnum & αὐτάρκη, videri posse exoluendæ affectioni plethoricæ accommodatum & proprium, si ipsa plethora sit malignæ cacochymiæ particeps, aut cum inflammatione coniuncta. Ex quo efficitur dolores coxarios acerbitate ipsa, proruptam aluum per cacopragiam ventriculi & hepatis, aut per exolutionem potentiæ retentricis, febrem ardentem symptomatum vehementia & assiduitate; omnia hæc simul necessariò esse mortifera, cùm singula, per se, homini necando sufficiant. Veritas autem posterioris partis si appositè scripta non sit, splendet tamen in illa prognosi. *In febre ardenti, si aluus profusè feratur; mortiferum.*

135. Coac. 11. lib.

30 Οἱ περὶ ὀμφαλὸν πόνοι παλμώδεες· ἔχουσι μέν τι καὶ γνώμης παραφορῆς. Περὶ δὲ κρίσιν τούτοισι φλέγμα ἅλις συχνὸν σὺν πόνῳ διέρχεται.

al. ἀλγηματώδεες

Vmbilici dolores cum pulsu coniuncti, nonnihil præ se ferunt mentis perculsæ. His autem adueniente crisi, pituita satis multa cum labore excernitur.

Omnia quæ in hac prognosi continentur, sunt ἑπόμενα prognostico instituto, super delirio, & crisi naturæ conuenienter susceptæ per dolorificam pituitæ excretionem qua ducitur aluus. Ac sanè prior pars, veritatis luce illustrata est comment. ad illam prognosin. *Palpitatio ventris in febre insaniam facit.* Ex quo efficitur, febris nomen hîc desiderari, proptereàque ipsam prognosin mancam videri. Sed enunciatio ipsa facit vt aliquid de meo iure concedam, quo nuper vsus sum in hoc theoremate. Nullam diaphragmatis offensionem posse videri paraphoricam, ad insaniam vsque in qua dementiæ summa sunt omnia, præter inflammationem systrophicam. Hîc enim tantùm abest vt ex hac palpitatione insaniam nasci dicat, aut ex ea posse insaniæ opinionem fieri, vt leuem suspicionem inde moueri mentis emotæ seu perculsæ, disertis verbis affirmet, cùm ait: ἔχει τι καὶ γνώμης παραφορῆς, i. *habet aliquid mentis perculsæ.* Itaque rationem admitto qua dicit Galenus paraphoricam esse diaphragmatis offensionem, sympathia quam habet cum cerebro, generis similitudine & societate. Sed offensionis causam nullo modo probare possum, quam scribit oriri ex flatulento spiritu, frigoris vi cumulatè suppresso. Est enim verum illud quod alibi ratum esse voluit ipse Galenus, *quòd flatuum intercepto dispositionem inflammatoriam nunquam infert.* Ipsa verò crisis quæ finem adfert symptomatis ex palpitatione nati, offensionis causam planè ostendit his verbis.

Coac. 18. huius cap.

4. acut.

Adueniente crisi.] Quæ κατὰ λόγον naturæ suscipitur atque absoluitur, vnde morbus ipse, omniáque symptomata inde nata solent exolui. Nihil enim sine crisi quiescit bonis ægroti rebus. Nec

vlla

vlla leuatio salutaris, nec stabilis, quæ non fit κατὰ λόγον i. *conuenienter & merito.*

PITVITA SATIS MVLTA EXCERNITVR.] Ergo pituita in vitio est, vnáque palpitationis, indéque delirationis causa, est enim persuasum omnibus, eam demum cuiusque morbi causam videri, quæ dum adest, dumque præsens est, morbus ipse viget; dum verò abest virtute naturæ explosa, quiescit atque exoluitur. Quod vt concedam: tamen non efficitur pituitam sine inflammatione diaphragmatis, mentem appetere. Inflammationis autem causa est febris quam genuit pituitæ corruptio stabulantis inter diaphragma & ventrem. Ipsa verò palpitatio, cuius naturam nuper expressimus, & signi & causæ rationem obtinet ascensus ad superiora. Quamquam & sine hac, dementiæ genus omne focum habere potest in diaphragmate, sicut in cerebro. Vt igitur bilis flaua in cerebro facit phrenitidem, bilis atra insaniam, pituita putris lethargum: sic in diaphragmate, pituita putris cum febre quæ palpitationem induxit, delirationem quoque facit quæ proportione respondet lethargo. Adueniente autem crisi, per pepasmum proritationem, & meatuum libertatem, natura duce, pituita per aluum excernitur; quod ei facile est, cùm & ipsa ex eodem foco, vbi nunc stabulatur, per meatus vrinarios exitum habeat, quod penè miraculo apponeretur, vti Marinus censuit, nisi admirabilem excundi rationem patefecisset Galenus comment. ad illum aph. *Quibus ventrem inter & diaphragma pituita concluditur & dolorem facit, quæ in alueorum neutrum exitum habet, his per venas conuersa in vesicam aqua, solutio datur morbi.* [52.7.] Quod sequitur de alui contentione in excernendo, vt prætercam varias super hac re lectiones quas in prorrhetico annotauit Galenus, eòdem pertinet sententia hæc quò illud scriptum in aphorismis. *Quicunque lienosi dysenteria fugaci corripiuntur, curationem morbi recipiunt.* [prorrh. vlt. s.1. aph. 43. & 48.6.]

31 Μετὰ κοιλίης ὑπόστασιν, ὑποχόνδρια μετέωρα· κακόν. μάλιστα δὲ τοῖσι φθινώδεσι τῶν μακρῶν, καὶ οἷσι κοιλίαι ὑγραίνονται.

A suppressione alui, meteorismus hypochondriorum, grauis: maximè verò iis qui ab inueteratione tabescunt, tum iis etiam quibus alui profusè feruntur.

VIDE comment. ad 16. huius capitis.

32 Τοῖσιν ἀλυσμώδεσιν ἐν ὑποχονδρίῳ, τὰ παρ' ὦτα ἐπαρθέντα κτείνει.

Quibus in hypochondrio anxiis parotides assurgunt; ipsos interimunt.

EST QVOQVE huius prognoseos ratio explicata comment. ad illam suprà his verbis conscriptam. *Quæ cadunt in hypochondriam dolorifica mala, cùm aliâs praua sunt, tum verò si faciunt profusiores aluos. Peiora autem quæ breui nascuntur; tum quæ assurgunt ex his parotides, multùm terrifica, vt cætera expurata.* [14. huius cap.]

33 Τὰ κατὰ κοιλίην σκληρύσματα μετὰ πόνου, πυρέτια φρικώδεα, ἀποσιτίαι σμικρῶς ἐφυγραινομένης, κάθαρσιν οὐ διδόντα ἐς ἐμπύησιν ἥξει.

Duritas alui cum dolore coniuncta, & febre horrifera, & cibi fastidio, si aluo parcè ducta non expurgetur; in suppuratum vertetur.

PVLCHERRIMVS hic erit colophon disputationis institutæ de hypochondriacis & aluinis tumoribus, qui vel ab inflammatione accidunt systrophica, vel à scirrho, vel ab œdemate, vel ab inflatione, vel etiam ab humorum segregatorum suppressione. Omnium autem symptomata pathognomonica & consectaria per sympathiam vicinitatis & societatis, & per morbificæ causæ propagationem, sunt explicata. Quinetiam patefactæ sunt crises, periodi, & paroxysmi; vt nihil omninò prætermissum esse videatur. Pertinet autem præscripta hæc prognosis ad illum locum de aluinis tumoribus iam exaratum. *Similiter autem significant vt hypochondriaci, ipsi etiam qui sunt in ventre tumores: nisi quòd hi minùs quàm illi in suppurationem vertuntur; minimumque omnium; qui sub vmbilico assurgunt.* Vt enim tumores hypochondriaci, duri quidem ac dolorifici, per systrophen in visceribus oborti, maximéque in iecore citam mortem adferunt, nisi hæmorrhagia liberali periculum propulsetur primis periodis, aut validarum virium beneficio ægrotum suppuratio maneat intra vigesimum diem cum incerto euentu; molles autem non ita periculosi, & qui ad sexagesimum vsque diem dare solent inducias donec suppuratò crisin suscipiant: ita quicumque tumores in reliquo ventre assurgunt, duri quidem, cum dolore coniuncti, atque profundi, si forte non habeant exitum per alui profluuium, vt hypochondriaci

per liberalem hæmorrhagiam; similiter vt illi, in suppuratum vertuntur. Nam musculorum systrophæ, dolorificæ, non rarò etiam suppurato sanescunt, nec ante suppurationis diem ad exitum ægros præcipitant; quod facere solent hypochondriacæ, nisi fortè grauiter in commoda & salutem eorum peccetur.

lib. 5. aph. & lib. 6. Epidem. part 5. li. 2. [illegible]

Ergo. DVRITAS ALVI.] Non quidem à siccitate, qualem agnoscimus in iis qui multùm à febris marasmo emacruerunt: nec verò duritas alui existimanda quam facit hypochondrij vtriusque tensio; per contractionem ab inflammatione septi transuersi; multò minùs etiam intelligenda est duritas alui, quæ venit ex ea causa quam docet illa sententia: Μίξις [illegible] γαστέρα σκληρύνει. i. *Mixtio ventrem indurat.* Sed alui duritas quam [illegible] nominat, idem planè significat quod in matricis orificio summus præceptor hoc nomine distinxit à scirrho & grauiditate. Erit igitur duritas alui à tensione, non quidem flatulenta, nec item scirrhosa: sed phlegmonosa, quam facit phlegmone systrophica, multò minùs tactui contumax, minusque renitens quàm scirrhus, estque ipsa doloris particeps, cuius expers esse dicitur scirrhus.

Ergo. DVRITAS ALVI.] Quam facit aluina phlegmone systrophica, loco tantùm, partisque obsessæ demissione differens ab hypochondriaca, ac celeritate periculi, symptomatumque magnitudine, illa minor: quoniam in aluo tantùm assurgit; quo nomine intelligimus, non quidem cibi promptuarium, nec superiorem ventrem, id est, thoracem: sed amplitudinem illam quæ continet intestina, mesenterium, pancreas, & epiploon, quæque vestitur peritonæo, tunica & epigastrio; si tantùm epigastrij partem illam exceperis quæ hypochondrium nominatur.

CVM DOLORE CONIVNCTA.] Hoc signum est syllogisticum τοῦ [illegible], quo vnico, præter renisus contumaciam, distingui debet a scirrho doloris experte. Est autem doloris accessio per distensionem eximiam partis obsessæ, cum intemperie maxima, & oppressionem contiguæ acerrimi sensus. Huc pertinet etiam partium vicinarum & sociarum sympathia, sicut in duritate vteri dolor imi ventris atque coxarum, cum rigore, & febre.

ET FEBRE HORRIFERA.] Vel potiùs horrore febrifico; vt quemadmodum horror symptomaticus esse solet purulenti abscessus: ita febris consectaria sit horroris frustra citati per afflictionem caloris natiui. Est enim ratum illud iam sæpe vsurpatum; quòd *omnis rigor, omnisque horror cietur à vasis aut vlceribus.* Exempla rigoris ab vlcere passim leguntur in pleuritide purulenta, in phthisi, in renum abscessu, &c. Nos autem symptomatici horroris ab vlcere, i. vomica pulmonis signa perspeximus in Christianissimo Rege CAROLO IX. 1574. Erit igitur febrificus horror potiùs quàm febris horrifera; nec quis mali causam referat ad hemitritæam febrem, quæ vna propriè nominatur [illegible], i. *horrifera.* Atque hic [illegible] similiter nasci videtur vt in phthisi, de cuius diagnosi extat illud iam explicatum; *Labores horriferi cum suspirioso anhelitu, signo sunt tabis.* Sed huius rei memoria non dubito quin animis hæreat studiosorum qui commentarios nostros attentè legerunt.

Coac. 8. & 0. 1. lib. lib. 2. prog.

1. Epid.

Coac 17. 2. lib.

ET CIBI FASTIDIO.] Sic enim veteres inter [illegible] & [illegible] hoc interesse dixerunt, quòd [illegible] sint [illegible] qui cibos non capiunt; [illegible] autem qui cibos respuunt, auersantur, atque quodammodo abominantur, quos alibi scripsit [illegible], i. *fastidio efferri in cibos & remedia conuenienter præscripta.* Est igitur [illegible] cibi fastidium, & [illegible] homo cibi fastidiosus. Est autem hoc symptoma terrificum signo & causa. Ac signo quidem, quoniam ventriculi facultatem [illegible] in vitio esse denunciat, vel ob serini catarrhi prolapsum, nimiamque malignæ cacochymiæ abundantiam, vt in tabidis; vel ob ipsius ventriculi [illegible], vt in Pario. Quæ res adduxit virum vt cibi fastidium terrificis omnibus signorum generibus anteponendum duxerit in tritæophya febre. [illegible] i. *Cùm multa & varia iniudicatò fierent, peius nihil fuit, quàm à cibis abhorrere.* Hæc sola, post multas acrisias ab irrito erethismo, Darium quendam Thasium 120. de vita defungi fecit. At verò contrariarum causarum perspicientia, eidem summo dictatori theorema illud catholicum iure extorsit. [illegible] i. *In omni morbo mente esse salida, ad ea quæ offeruntur bene habere, bonum.* Vbi Galeni adiecit, [illegible]. Atque ad huius theorematis expressionem plurimùm certè valuit, quod idem in beneficio appetentiæ restitutæ obseruaoit, literisque ita mandauit. *Vnicum, inquit, perutile maximumque eorum, quæ tunc apparuere, signorum, plurimosque ab interitu vindicauit, illud certè fuit, quibus in stranguriam conuersio facta est.* Deinde paulò pòst: [illegible] i. *Quia alui pessimè turbatæ, subsistebant, & cibos suauiter degustabant* Iam verò dubitari non potest quin cibi fastidium, siue [illegible], grauissimorum malorum accessionem adiungat, ex eo quòd ge[illegible]ium defraudando, & solidarum partium vitale principium labefactet, vnáque nectar viuificum cordis, [illegible] Græci vocant, exhauriat.

1. Epid. p. 2. 1. Epid. parte 1.

3. Epid. p. 3. aph. 12.

2. 1. Epid. p. 1.

SI ALVO PARCE DVCTA NON EXPVRGETVR.] i. Si alui [illegible] purgationem sui non habeant per vacuationem rheumatis consistentis, liberali dejectione, non quidem symptomatica purulenti abscessus, vt esse solet suppurati quod intra vmbilicum finitur: [illegible] i. *Empyematum est terminus vmbilicum; ea qui conceptari sunt aluo turbantur.* i. sed [illegible] naturæ suscepta, & critica. Sic enim tumores qui sunt infra hypochondrium, ad vmbilicum vsque maximéque hypogastrici, exoluuntur. Testis est illa sententia: [illegible] i. *Perinthi vacuatio genituræ similis, non rarò fit loge critica. Nam hypogastriorum ferè huiusmodi esse solet.* Quæ causa est etiam quamobrem tumores aluini minùs in suppuratum abeant, quàm hypochondriaci, maximéque ij qui sub vmbilico assurgunt.

Ienl. 31 p. 2. 6. Epid.

6. Epid. part. 2.

IN

In svppvratvm vertetvr.] Non tam partis merito, quàm rheumatis consistentis, seu materiæ stabulantis vnde tumor assurgit; quem finiri necesse est; vel diaphoresi, quæ hic locum non habet; vel concoctione, vnde suppuratum; vel concretione, hinc scirrhus; vel corruptione, inde gangræna. Atque omnium phlegmonatum systrophicatum, omniumque œdematum talis conditio lege naturæ sancita est; nisi tum primis periodis materiæ consistentis vacuatio, & concitatæ reuulsio, aut deriuatio consequitur.

34 Ὑπὲρ ὀμφαλὸν πόνος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα φαρμακείῃ, μὴ λυόμενα· ἐς ὑδρωπῶδες ξηρὸν ἀποτελευτᾷ.

Meliùs sic in aphorismis, 11. lib. 4.

Ὁκόσοισι στρόφοι, καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτε ἄλλως ἐς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibuscumque tormina, partiumque circumcirca vmbilicum labores, vnáque lumborum dolor, qui neque à pharmacia, neque aliter exoluitur; in hydropem siccum finitur.

Hæc sententia in aphorismis eò scripta legitur, vt intelligamus pharmaciæ irritam purgationem in falsò credita purgandi necessitate. Vt enim pharmaciæ locus esse videtur in alui torminibus quæ sursum mouentur, habentque *τὴν ἄνω εἴλησιν*, i. *reuolutionem sursum*, vt borborygmi κάτω: aph. 74. 4. ita catharticum frustra exhibetur ad ea tormina quorum perennis generatio est ab hectica intemperie tenuium intestinorum, quam nulla purgatio ad symmetriam potest reducere.

Ergo. Qvibvscvmqve tormina.] i. Sæui dolores qui abradendo & exasperando in tenuibus intestinis excitantur, faciuntque *τὴν ἄνω εἴλησιν* vnde nominantur *οἱ στρόφοι*, proximéque absunt à volulo cuius prænuncij esse solent, atque in eum degenerant, si tanta fiat morbificæ causæ accessio vt chylum & stercus remeare faciat, aut certè permeare prohibeat. Nascuntur autem tormina cum a forti morsu intestinorum, tum à flatulento spiritu exitum non habente: sicut in colo, colica ipsa. Hic autem nos torminum causam agnoscimus spiritum flatulentum, vt inde hydropis sicci, de quo hic agitur, generatio consequatur.

Partivmqve vmbilico circvmiacentivm labores.] Qui necessariò & interclusi flatus, & acrioris morsus consectarij esse solent; atque ij cernuntur in doloris acerbitate, & impedimento proprij cujusque muneris in distribuendo, & secernendo chylum à fæce. Partes autem circumjacentes sunt intestina tenuia, jejunum & sinuosum.

Vnaqve lvmborvm dolor.] Per sympathiam vicinitatis & societatis, perque ipsam propagationem causæ dolorificæ: quoniam totum mesenterium, quod est omne diuisum in mesaræon & mesocolon, originem ducit à neruis & ligamentis lumborum. Hinc vetus illud de triplici fonte hydropum. *Ἄρχονται δὲ οἱ πλεῖστοι μὲν ἀπὸ τῶν λαγόνων, καὶ τῆς ὀσφύος, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἥπατος*, i. *Nascuntur plurimo à lumbis & ilibus; nonnulli à jecore.* (6. Epid. part. 4.; lib. 2. prog.)

Qvi neqve a pharmacia, neqve aliter exolvvntvr.] Ob flatulenti spiritus perennitatem ab intemperie hectica tenuium intestinorum quibus mederi non potis est; nec pharmacia, flatibus excludendis; nec etiam neoterismo, intemperiei hecticæ ad temperationem adducendæ, vt fotu, hapso, litu, &c. Quod enim strophorum irritam curationem esse dixit pharmacia & aliter; planè ostendit morborum omnium curationem suscipi pharmacia ad expurgationem; & neoterismo, ad complexionis & temperamenti moderationem, atque symmetriam partium afflictarum. Quæ duo curandi [illegible] siue remedia si frustra, bene an malè, adhibeantur; desperatam curationem ostendunt, malique in pejus conuersionem.

In hydropem siccvm finitvr.] [illegible] hydrope dicto, ex tumore abdominis ab inflatione quam fecit perennis generatio flatulenti spiritus interclusi. Nam verè is demum abdominis tumor hydropis naturam ostendit, quem facit humoris aquosi suppressio.

DE DORSI ET LVMBORVM AFFECTIBVS.

Τὰ δὲ τῆς ὀσφύος ἀλγήματα χρονιώτερα, πυρετῷ παροξυνόμενα τεταρταιογενέως ποιέει τὰ θρομβώδεα αἵματα διαχωρέειν. (Cap. XII.)

1 *Diuturni ex lumbis dolores, qui tertio quoque die vi febris exacerbantur; grumosi sanguinis deiectionem faciunt.*

HACTENUS de hypochondriacorum viscerum, partiumque aluinarum tumoribus: nunc de lumbaribus malis dicendum. Cernuntur autem mala in lumbis quæ continent, vt in musculis; quæ foris adjacent, vertebris quinque lumborum, qui numerus vertebratum in homine tantùm est, non autem in cæteris animantibus, ne in simia quidem. Cernuntur quoque in vertebris ipsis luxatis, vnde fit λόρδωσις antè, pòst κύφωσις, dextra & sinistra σκολίωσις. At verò continentur in lumbis medullæ, adjacent intus musculi ψόαι dicti cum insigni vena & pari arteria, stabulantur autem bini renes, vrinæ ductus, vasa spermatica, vterus quoque mulierum: Veniunt autem à lumbis vt oriunda quædam, mesaræum & mesocolon: quæ duo omnino sunt partes totius septi intestinalis quod μεσεντέριον Græci vocant. Omnium verò lumbarium partium quæ continent, quæ continentur, quæ adjacent lumbis, quæ stabulantur, quæque à lumborum ligamentis & neruis originem ducunt; omnium, inquam, sua est cuiusque affectio; sua etiam sympathia cum sociis atque propinquis, earumque propriæ sunt ideæ signis syllogisticis explicandæ in decisione prognoseon de lumbaribus morbis institutatum. Ac primùm in hac prognosi agit de malis dolorificis quæ consectaria sunt lumborum.

DIVTVRNI EX LVMBIS DOLORES.] Quorum causa est firmiter fixa in mesenterij tensione & intemperie. Nam tuberculorum lumbarium materia, vnde luxatio, quamuis opportunitatem magnam habeat translationis, in amplitudine venæ lumbaris, vnde τὸ κύφωμα i. *gibber* sæpe exoluitur: tamen non antè ad intestina transfertur, facitque dysenteriam, quàm mitificari cœperit & suppurari. Secus est de crurum varicibus quæ humoris adhuc crudi exclosione in truncum venæ lumbaris, apparent, idemque faciunt ad curationem τοῦ [illegible], quod ipsa dysenteria. Sed hoc loco agitur de sanguinis grumosi deiectione, quæ aliunde nequit venire quàm à visceribus hypochondriacis, vel à mesentericis venis.

lib. 3. περὶ ἄρθρων.

QVI TERTIO QVOQVE DIE VI FEBRIS, EXACERBANTVR.] [illegible], scripsit hoc loco, quo alibi [illegible]. Nam φυέσθαι, καὶ φύειν, καὶ φύεσθαι, idem significant vsurpata pro generationis perennitate. *Fundit humo facilem victum iustissima tellus.* Vnde fundus dicitur ἀπὸ τοῦ φύειν. i. *à fundendo*, quo verbo perennis significatur propagatio. Huc pertinet illa prognosis. *Quæ tertianarum febrium paroxysmis ingrauescunt mala; eorum paroxysmorum propria sunt, ac sanguinis grumosi deiectionem adferunt.* Hìc autem consultò non exacerbari, sed ingrauescere, ipsáque mala tertianorum paroxysmorum propria esse dixi: quia non simplici & periodico motu exacerbantur, vt tertianæ, & biliosæ acutæ; sed grauiorum malorum accessione ingrauescunt; eáque mala cernuntur in febris ardore, doloris acerbitate, cardiogmo, iactatione, delirio, vigiliis, & inexhausta siti, denique in omnibus symptomatis translationis, malignæ qualitatis & inflammationis; cuiusmodi sunt tritæophyæ τὸ ὅλον ἐπιδιδόντες καὶ αὔξοντες ἐπὶ τὸ κάκιον. i. *perpetuò in peius accrescentes*. cuiusmodi sunt etiam hemitritæi τὸ ὅλον ἐπὶ τὸ ὀξύτερον ἐπιδιδόντες, i. *perpetuò facescentes in vehementiam.* Nam febres omnes continuæ quæ tertio quoque die ingrauescunt veriùs quàm exacerbantur; aut sunt tritæophyæ, aut hemitritæi, de quarum natura satis iam multa scripsimus.

Coac. 129. 1. lib.

1. Epid. 27 & 15. Coac. 1. lib.

GRVMOSI SANGVINIS DEIECTIONEM FACIVNT.] Sanè quidem si potis est, idque ad ægri salutem, sin minùs, desperata salus est ægri. Est enim iam verè positum illud perceptum. *In omni dolore hypochondriorum, hepatis, cordis, partiumque sub vmbilico circumiacentium sanguinis exclusio sperabilem vitæ salutem ostendit, contra suppressio desperationem salutis.* Atque illud perceptum facit ad explicationem illius prognoseos. *Quibus hypochondriorum, hepatis, cordis, partiumque circum vmbilicum labores, excluso per deiectionem sanguine, liberantur; non excluso, intereunt.* Quod autem grumosi sanguinis deiectionem fieri annotauit, planè ostendit dysenteriam αἱματώδη per liberalem & liberam excretionem, non autem per cacopragiam iecoris exolui. Talis enim cacopragia proluuiem facit sanguinis non grumescentis. Nec vero serosus ille sanguis grumescit: sed ruber & crassus in amplitudine intestinorum, quod hæmorrhoidum suspicionem tollit: quia illæ sanguinem grumosum fundere non videntur, quamuis salutariter valde feratur (si habeantur, non habeant) ad mala dolorifica lumborum & mesenterij atque renum. Omnis autem sanguis è venis expressus corrumpitur atque grumescit, vt sunt partes in quas effunditur: quoniam φυλακὴν extra venas non habet.

2 Τὰ ἐν ὀσφυῒ ἀλγήματα αἱμορροϊκά.

Dolorifica in lumbis mala; sanguiflua.

QVEMADMODVM dolorifica ex lumbis mala, siquidem naturæ imperio tandem regantur, dysenteriam faciunt grumosi sanguinis salutarem: sic etiam illi qui sunt in lumbis oborti dolores, profluuio sanguinis sedantur atque quiescunt. Atque vt viscerum hypochondriacorum, stomachi, partiumque vmbilico vicinarum dolores, excluso sanguine exoluuntur, non excluso, interimunt: ita lumborum dolorifica mala, quæ scilicet intra lumbos ex partium adiacentium repletione & cacochymia nascuntur, non minùs in febre terrifici à suppressione causarũ, quàm dolor ceruicis qui nulla vi in ceruicis musculos incidente excitatur. De quo extat prognosis iã explicata: *Ceruicis dolor cùm in febre omnis terrificus,* tum

Coac. 23. cap. 10. 2. lib.

nau verò pestiferus in metu insaniæ. Quod in Sileno annotauit, & in Hermocrate, tum alibi passim. Sed hic nulla mentio febris. Quamobrem aliò conuertere nos oportet dolorifica in lumbis mala sanguifluа.

Enimuero. DOLORIFICA IN LVMBIS MALA.] Quæ veniunt ex appulsu molestu micantis arteriæ, & oppressione musculorum intus adjacentium lumbis, ex nimia sanguinis abundantia in vena magna lumbari, & repletione quadam particulari, quam fecit hæmorrhoidum in viris quidem suppressio; in fœminis verò menstrua interclusa, tum affluendo, tum refluendo. Ex quo efficitur, notitiam comparari doloris lumbaris quorsum ille fiat, & quorsum appareat, ex perspicientia rerum præteritarum, & signorum præsentium. Nam in melancholicis à temperamento & diæta, hæmorrhoidum futurarum signa sunt, aut symptomata suppressarum. Sic in mulieribus menstrualibus prorrh. 37. sect. *ὀσφυαλγίαι ἢ ὀδύναι*, prænuncij sunt menstruorum ad κάθαρσιν affectantium; interclusorum consectarij aut refluentium. Quinetiam hæmorrhoici, & menstruales fœminæ, lumbi queruli siue ὀσφυαλγέες ambo fiunt ἀσώδεες & cardialgici: quoniam ex illa nimia sanguinis abundantia & repletione particulari vasorum insignium quæ adjacent lumbis tenue quoddam serum quod in ventrem prorepit, indéque in orificium eius cardialgiam facit; ipsa verò copia cumulatè viam deorsum affectans quò cursum inflectere consueuit quando in lumborum regione subsistit, aut eò tendit prohibito exitu; dolorifici mali in lumbis consecutionem adfert, tum per micantis arteriæ molestos appulsus, tum per lumbarium musculorum neruorumque oppressionem.

SANGVIFLVA.] Vt soboles sanguinis affluentis & refluentis sine prouidentia quæ intrinsecus extrinsecusve inciderit, sed sua sponte: vel etiam ex eo sunt αἱμόῤῥοα, quod sanguinis deorsum proruptione, quam ipsa cient, quiescant, non secus atque in vlceribus à forti pulsu hæmorrhagia cietur: quoniam natura sui diligens non rarò *validiùs agens, magnum & violentum eius arteriarum motum, expellendi studiosa quæ sibi molesta sunt; atque ita hæmorrhagias infert.* aph. 21. 7.

3 Αἱ δὲ ὀσφύος ἀλγήματος αἱμόῤῥοιαι λαῦραι.

Quæ ex lumborum dolore cientur hæmorrhagiæ; largæ.

EODEM spectat hæc prognosis quò citima huic modò explicata, cuius demonstratio repetenda ex comment. Galeni ad illum aph. *A forti in vlceribus pulsu, hæmorrhagia.* 21. 7. Vt enim fortiter micat arteria ex contentione forti naturæ studentis excludere quæ sibi molestiam adferunt, indéque cientur hæmorrhagiæ: ita quò maior est amplitudo venarum siue arteriarum micantium, & amplificatio major ex illa naturæ contensione forti; eò quæ inde cientur hæmorrhagiæ sunt largiores. Atqui lumbarium arteriarum maior est amplitudo, quàm cæterarum. Nos enim eandem statuimus hoc loco caussam doloris coxarij. i. lumborum, quam in superiore prognosi.

4 Οἷσιν δὲ ὀσφύος ἀλγήματος ἀναδρομὴ ἐς κεφαλὴν καὶ χεῖρες ναρκώδεες, καὶ καρδιαλγικά, καὶ ἠχώδεα· αἱμοῤῥοϊκὰ λάβρως, καὶ κοιλίαι καταῤῥήγνυνται τούτοισι, καὶ γνῶμαι ταραχώδεες ἐπιπολύ.

Quibus ex dolore lumborum anadrome fit ad caput, torpidæ manus, cardialgia, auriumque flatus sonori: hæmorrhagiæ larga; tum alui profusè feruntur, ac mentes perturbatæ vt plurimùm.

IN HAC prognosi complexio est signorum quibus denunciantur hæmorrhagiæ largæ quæ cientur ex lumborum dolore. Quinetiam symptomata continentur quæ veniunt ab excursu dolorificorum in lumbis malorum, ex quibus vel hæmorrhagia cietur, vel paraphorica ipsa redduntur & fiunt. Sanè lumborum excursus caput replet, ex eáque repletione, symptomatum capitis omnium paraphoricorum, cataphoricorum, cephalalgicorum, & catarrhoicorum principia caussæque ducuntur. Atque vt ceruicis dolor, ita coxarius in febre omni pestiferus iis qui sunt in metu insaniæ quando excurrit ad caput, nec antè quiescit hæmorrhoidibus, aut menstruorum profluuio; pòst autem hæmorrhagia è naribus exitum habeat. Quæ cùm ita sint.

QVIBVS EX DOLORE LVMBORVM EXCVRSVS FIT AD CAPVT.] Vel etiam ad diaphragma. αἱ δὲ ξὺν πυρετῷ γινόμεναι ὀδύναι περὶ τὴν ὀσφὺν καὶ τὰ κάτω χωρία, ἢν τῶν φρενῶν ἅπτωνται, τὰ κάτω ἐκλείπουσαι, ὀλέθριαι κάρτα. i. vt Celsus interpretatur. *Dolores circa coxas & inferiores partes orti, si ad viscera transierunt, subitaque deserunt; mortem subesse testantur.* Sic hypochondrij tensio inflammationis expers, & repentina, quæ sine borborygmo cum difficultate spirandi exoluitur; sursum ad caput cursum inflectit, ipsumque replet: vnde nascuntur symptomata, humoris morbifici & partis obsessæ propria, nisi hæmorrhagia eorum generatiu prohibeatur.

TORPIDÆ MANVS.] Quod signum minimè esset ἀμυδρὸν futurarum cerebri affectionum ex hac

prognosi præuisarum, si torpor ille veniret per progressum causæ in cerebro firmiter fixæ, quæ libertatem meandi adimeret spiritui animali, per oppilationem neruorum ceruicalium qui propagantur in manus. Esset enim torpor inde natus, signum potiùs cataphoricum, quàm paraphoricum, aut hæmorrhagiæ futuræ, quæ duo pathemata repleti capitis consectaria proponuntur in hac prognosi: sed reuera torporis illius causa est ceruicis oppressio, quam facit venarum & arteriarum distensio ex ipso humoris excursu, dum viam ad caput affectat. Hinc ceruicis dolor qui febre ineunte, nec vlla spectabili crisi, vt esse tum nequit, pestiferus esse solet iis qui sunt in metu insaniæ. Hinc Pythioni manuum tremor ab eadem oppressione, quem sanandum iubet Gallus copiosa sanguinis detractione, his verbis: *Vbi tremor incidit per initia febris, nec vlla fuit causa exolutarum virium; detractio sanguinis necessaria est.* Atque ita manuum torpor signum erit ὁμοῦ καὶ prænuncium delirij aut hæmorrhagiæ.

Coac. 11. capit. 10. lib. 2. & prorrh. 41. s. 2. 1. histor. 1. part. 1. 3. Epid.

CARDIALGIÆ.] Hoc signum est συνεδρεῦον & συναιτιώμενον doloris coxarij ex nimia sanguinis abundantia, dum stabulatur in coxis, multò etiam magis eius quæ sursum fit translationis, relicta lumborum sede. Tum enim tenue quoddam serum prorepit ad ventrem, idéque ad orificium eius quod est acerrimi sensus. Hinc veniunt commemoratæ hoc loco cardialgiæ.

pror. 37. s. 3. 1.

AVRIVMQVE FLATVS SONORI.] Non quidem bombi, quorum flatus crassior bombilat more apum in ora interiore meatus auditorij, nec vnquam eliditur; atque nascuntur ferè ab exolutione partis illius cerebri vnde vis audiendi manat: sed echus varietas, hoc est, sonori flatus varietate distincti pro flatulenti spiritus crassitudine aut tenuitate, meatus angustia aut libertate, facultatis expultricis contentione aut remissione. Atque talis echo varietate sonorum elisa, non rarò hæmorrhagiæ prænuncia est, non rarò etiam fortis delirij. De hæmorrhagia scriptum est illud: *Perculsum caput, aurium echo hæmorrhagiam cient.* De forti delirio solennis est illa prognosis. *In febre ardente edita echo cum hebetudine visus, tum grauitate narium, excessum minatur melancholicum.*

Coac. 8. cap. 1. lib. 2. prorrh. 28. s. 1. 1.

HÆMORRHAGIÆ LARGÆ.] Prorupto sanguine qui prorepit ad vltimas venarum oras quæ sunt ad imam frontem, vnde per anastomosin facilem, quà data porta, ruit. Sunt autem hæmorrhagiæ largæ ex copia sanguinis, meatuum amplitudine, & contensione forti naturæ studentis molestia expediri.

TVM ALVI PROFVSE FERVNTVR, AC MENTES PERTVRBATÆ VT PLVRIMVM.] Meliùs sic: AVT MENTES PERTVRBATÆ, &c. Ab eiusdem humoris excursu, denegata hæmorrhagia, fortis delirij consecutio adferatur. Omnis enim repletio capitis ab excursu, paraphorica est; si cum vigiliis & perturbatione mentis coniuncta est, nec liberali hæmorrhagia, delirij locus tollatur: Ταπεινοτέρην autem dixit, ταραχώδεις, εἰσὶ τὰ ἐκστάσεις μελαγχολικαί.

QVAMVIS TVM ALVI PROFVSE FERANTVR VT PLVRIMVM.] Ac si diceret alui profluuio delirij occasio non præripietur, vt sæpe fit, per concitati rheumatis retractionem, & consistentis detractionem; quoniam hoc loco venter in vitio est ob seri acrioris eò translati cacochymiam. Itaque tametsi liquidis excrementis fertur aluus: tamen repleti cerebri affectio, ipsius propria vacatione per hæmorrhagiam, aut sanguinis detractionem non tollitur. Eadem ferè prognosis legitur in prorrh. 47. s. 3. 1.

5 Αἱ ἐκ νώτου ἀλγήματος, ἀῤῥωστίης ἀρχαὶ δύσκολοι.

Quæ ex dolore dorsi principia morborum ducuntur; difficilia sunt.

SYMPTOMATVM ex dorso & lumbis nascentium productionem docere instituit, quorum vis grauissima esse solet, ob eam sanè causam quòd ex lumborum & dorsi dolorificis malis principia ducant, nec minùs calamitosa sunt quàm in partibus illis firmiter fixa hærent. Nam permagni interest scire, veniatne malum ex dorso, an sit in dorso. Quoties enim τὸ ἐκ vel ἀπὸ legitur apud Hippocratem, motum significat à materia quæ noui symptomatis casum inducit. Huiusmodi sunt illa: *Sputis ex aluo profusiore intumuit. Ex elleboro lethalis conuulsio. Ex hæmorrhagia hydropes nascuntur*; & quæ sunt eiusmodi propemodum infinita. Ergo multùm interest dicat ne quis; Rigor in dorso, an rigor ex dorso. Nam rigor in dorso, febris denunciat focum, non vbi fit, sed vnde cietur. Cietur quidem in dorso, sed ex appulsu cacochymiæ διὰ τῶν ἀγγείων. At verò rigor ex dorso initium ducit ex proprio dorsi vitio, ipsamque partem vnde venit, laborare ex causa dolorifica illic concepta ostendit. His ita constitutis.

Ἐξ ἰσχύος ἀναδρομῆς, ἐς θώρακα ἐμπτύει. Coac. 12 cap. 10. lib. 2. prorrh. 43. s. 2. 1. prorrh. 49. s. 3. 1. aph. 11. & 12. 7.

QVÆ EX DOLORE DORSI PRINCIPIA MORBORVM DVCVNTVR.] Idque per transitum aut progressum. Ac per transitum quidem, vt dolorifica lumborum mala, quæ iis relictis, transeunt ad diaphragma & caput; pleuritis versa in peripneumoniam; peripneumonia in phrenitidem. Rigor item qui frustra cietur, translationem facit ad septum transuersum & caput. Per progressum verò, vt cruenta mictio ex dorsali pleuritide; pestifera vrinæ suppressio ex crebris lumborum & dorsi horroribus cum cita caloris vicissitudine, vnde significatio affectæ per inflammationem rhachitidis & membranarum eius. Prætereo luxationes dorsi à tuberculo, quæ faciunt antè λόρδωσιν pòst κύφωσιν, dextra & sinistra σκολίωσιν: vt taceam gibberum qui ante pubertatem venit ab asthmate. Sed huius prognoseωs veritas elucescet in exemplis infrà scriptis.

DIFFICILIA SVNT.] Ταπεινοτέρην dixit quæ ferè mortifera esse solent. Nam illud δύσκολον, noxam leuem significat, quæ sanè hîc magna est. Etenim quæ per transitum commemorata sunt mala excursu ex lumbis & dorso ad caput, mortifera, aut certè calamitosa multùm. Ex rigore autem qui

frustra

ſtra fit, atque tranſlationem facit ad diaphragma & caput, primùm ab oppreſſione venit capitis & ceruicis dolor; quæ duo ſimul conjuncta, ſunt malè affecti cerebri atque medullæ propria, mox à ſatiſcentis cerebri alienatione veniunt ſudatiunculæ & aphoniæ, inde mors. Denique omnes morbi excurſus ſymptomatici & recurſus conſectarij, ſunt primigeniis longè pejores. Nam cætera ex dorſo mala, progreſſu calamitatis & peſtiferæ tranſlationis cauſam oſtendunt in locis adductis. In dorſo autem mala difficulter ſanantur, in lumbis faciliùs per opportunitatem venæ inſignis.

Ἐν ἀλγήματι ὀσφύος συντόνῳ καὶ ὑποφορῇ πλείονι, ἀπὸ ἐλλεβόρου ἐμέσαι ἀφρώδεα συχνὰ ὠφελεῖ.

In dolore lumborum prægrandi, & larga deiectione; ab elleboro vomere ſpumantia multa prodeſt.

Dolorifica in lumbis tubercula facilem tranſitum habent in venam inſignem quæ adjacet lumbis, vnde varices aſſurgunt in cruribus. Et cùm dolorificus humor mitificari cœperit & ſuppurari, nec antè tranſitus quoque fit ad inteſtina. Hinc veniunt dyſenteriæ quæ ſanant tubercula, ſicut varices, vtrique lumborum κυφώματα inde nata per veram ἐπανόρθωσιν, i. *redintegrationem*, at æqualitatem ſpinæ reponunt. Sed illa curatio ſuſcipitur atque abſoluitur, natura duce, per tranſitum materiæ tuberculum facientis, vnde luxatio. Eſt enim tranſitus naturæ magiſterio ſuſceptus & ad optatum finem perductus, primigeniorum morborum tutiſſimus medicus. Ac talem tranſitum factum κατὰ λόγον, veteres ἀπόσκηψιν nominarunt; contrarium verò, i. παρὰ λόγον, nec præeunte natura, μετάστασιν. Secus eſt de ſympathia, ſiue illa jus habeat vicinitatis & ſocietatis, ſiue etiam veniat per propagationem cauſæ morbificæ, manente adhuc primigenio morbo & foco. Quæ cùm ita ſint.

In dolore lumborum prægrandi et contumaci.] Id enim ſignificat ἄλγημα σύντονον, vti iam in cephalalgia ſcripſimus ad locum illum: Κεφαλῆς πόνος σύντονος, i. *Capitis dolor intenſus*; vbi demonſtratum eſt, πόνον σύντονον, planè idem ſignificare quod illud prognoſtici eodem conſcriptum, κεφαλῆς ὀδύναι ἰσχυραὶ καὶ συνεχέες, i. *dolores capitis fortes & continui*. Eſt igitur hic dolor σύντονος, *prægrandis, contumax, & firmiter fixus*; quemadmodum idem ſcripſit in aure, ὠτὸς πόνος σύντονος, i. *auris dolor intenſus*. In prognoſtico autem, ὠτὸς ὀδύνη ὀξείη, i. *auris acutus dolor*. Eſt autem acerbitatis huius cauſa, tenſio ſumma partis obſeſſæ, ab humore ſyſtrophico cum intemperie forti.

Coac. 1. capit. 2. lib. 2. Coac. 1. capit. 3. lib. 2. lib. 3. prog.

Et larga deiectione.] Quæ non exoluit doloris acerbitatem, nec minuit; vt neque facit cruenta mictio in dorſali & pectorali dolore: quoniam omnia quæ inde naſcuntur ſymptomata nephritica, ſunt per ſympathiam, non autem per tranſitum: nulla autem ſympathica mala, priora exoluunt. Ergo profluuium alui cum dolore lumborum, non eodem modo accidit quo dyſenteria & varices, vnde tubercula, quæ faciunt gibberos, exoluuntur: ſed per ſympathiam meſenterij, ſocietatis iure, vnde naſcuntur hydropes, in quibus quò aluus profuſior eſt, eò maiorem in molem aſſurgunt, magiſque intumeſcunt; aut per propagationem ſeri cuiuſdam in ventrem, vnde naturalis œconomia labefactatur, indéque non maior leuatio ſperari poteſt, quàm paraphoriſorum ſymptomatum propulſatio ab aluo prorupta, ex lumborum dolore ad caput excurrente. Qua de re hanc prognoſin explicauimus, & ex Græco emendatè ſic conuertendam duximus: *Quibus ex dolore lumborum excurſus fit ad caput, torpidæ manus, cardialgiæ, aurium que flatus ſonori, hæmorrhagiæ largæ, aut perturbatæ mentes; quamuis tum alui profusè ferantur.*

lib. 2. prog. Coac. 4. huius cap.

Ab elleboro vomere ſpumantia multa prodeſt.] Ὠφελεῖ ait, non ὀνίνησιν; vt in illo. *Dolenti caput parte poſtica, vena frontis recta inciſa profuit.* Ergo illud ipſum ὠφελεῖ, i. *prodeſt*, aut *iuuat*; certum remedij adiumentum, nec ampliùs anceps denunciat, omnemque tollit dubitationem adhibendi. Sed quæro illud primùm cur prodeſt vomere, deinde cur ſpumantia multa, tum ab elleboriſmo, nec aliunde. Enimuero in diarrhœæ dominatu (id enim ſignificat ὑπὸ διαρροίας ἐχομένῳ) iniuſſa vomitio diarrhœam exoluit, neque immeritò: quia retractio fit humoris morbifici. Quod autem natura duce & ſponte conuenienter ſuſcipitur, artificium præbet medico ad imitationem naturæ comparatum. Ex quo efficitur vt nunquam aberret à ſcopo. Idem præſtat humoris morbifici deriuatio ad vrinæ ductus, vrinam ſtranguloſam cientis, quando liquidis excrementis fertur aluus, κακοήθεα τρόπον, i. *pejorem in modum*. Tum enim citò ſubſiſtit, facitque vt æger gaudeat cibis conuenienter appoſitis, quos paolò antè faſtidiosè reſpuebat. Sed illud adjumentum quod ex vomitione adfertur, non ſolùm conſiderari debet in retractione humoris diarrhœici, ſed in detractione dolorifici in lumbis impacti & conſiſtentis, vti mox in elleboriſmo dicemus. Sequitur vt oſtendamus cur liberalis eſſe debet vomitio, & quare multa vomere tum oportet. In promptu cauſa eſt, quia nihil paucum eſt criticum. Deinde, quòd omnis vacuatio, lege naturæ, ſurſum deorſumve commota, multùm & raro debet cieri. Atque in vomitione damnantur καὶ τὰ σμικρὰ ἐμέσματα, καὶ τὰ ἐγγὺς ἀλλήλων ἰόντα, i. *vomiturtiones paruæ & frequentes*. Spumantia multa ideo ſunt poſita, vt qualitas humoris dolorifici oſtendatur, quæ conjuncta cum excretionis modo & copia, legitimam ἀπαγγέλει oſtendit ad naturalis καθάρσεως imitationem, medici artificio ſuſceptam, vnde præcepti catholici veritas. *Si qualia decet, purgentur; confert, & leniter ferunt. Sic & vaſorum depletio.* Sed cur ſpumantia in bonis duxit, quæ inter dejectionum vitia

6. Epid. aph. 16. 6. 1. Epiſt. hiſtor. 2. vn. verſ. comm. ad 47. 34. prorrh. 26. 2. prorrh. aph 2. 1. 20. lib. 2. progn.

praua numerauit? Sanè omnis deiectio, omnisque vomitio spumans injussa in vitio est: quia spumæ causa est flatus humori glutinoso & contumaci permixtus, aut calor insignis, vnde cruditatis significatio est, quæ nunquam fit κακῶς neque κενῶς. Cernitur hic retractio, atque detractio ante pepasmum humoris glutinosi contumaciter ad lumbos adhærescentis, vnde hydropis & ischiadis metus adfertur. Extremum illud superest, cur elleborismo sit medicandum: quoniam inter cætera cathartica ἄγει καλλίω καὶ νεανικώτερα i. *præstantius trahit atque validius*, vt de nigro elleboro scripsit Hippocrates ad pleuritidem inferiorem. Hic autem significatur albus absolutè vsurpatus, in quo tanta vis inest purgandi, vt priusquam ad tenuium intestinorum anfractus perueniat, humorem qui in vitio est, radicitus ab ima parte extirpet, ipsumque vomitione excludat. Valet igitur ad retrahendum & detrahendum. Sed plura de elleboro alias. Notabile est autem, quòd elleborismum præscribit, non inopia, sed delectu catharticorum, vt idem scripsit de nigro ad pleuritidem inferiorem.

a. de acut. diæt. aph. 1.5. lib.2. περὶ διαιτ. ὀξ.

7 Ῥάχιος διαστροφὴν, καὶ δύσπνοιαν, αἵματος ῥύσις λύει.

Distorsionem rhachis cum difficultate spirandi; sanguis proruptus exoluit.

VT LVMBORVM gibbera à tuberculo nata, varicibus & dysenteria per transitum humoris morbifici fœliciter exoluuntur, non autem profluuio alui per sympathiam concitato: ita reliquarum partium rhachis, quæ sursum sunt inflammationes systrophicæ, & distorsiones inde natæ, liberali hæmorrhagia sanantur atque quiescunt.

Ergo. DISTORSIONEM.] i. Peruersionem amussi naturali & καθεστηκυίᾳ contrariam, per inflexionem plurium vertebrarum, aut aliquarum luxationem. Ac sanè plurium vertebrarum inflexio cernitur in contentione & distensione systrophica musculorum ceruicis, & dorsi, aut antagonistarum paralysi & exolutione, iuxta perceptum anatomicum. Sed ea peruersionis causa hic locum non habet. Non enim per hæmorrhagiam tolleretur. Luxatio autem nequit existere, quin conjunctam habeat peruersionem, siue τοῦ καθεστηκότος defectionem.

Ergo. DISTORSIONEM.] i. Figuræ naturaliter constitutæ mutationem, quæ tollit naturale ἰθυτενίαν rhacheos in longum exporrectæ. Atque in osse quidem sacro ad magnam lumborum vertebram, τὴν ἰθυκυφότητα, in lumbis ad diaphragma τὴν ἰθυλορδότητα; inde ad magnam ceruicis vertebram τὸ ἰθυκυφὸν; in ceruicis autem connexione, articulum λορδόν.

RHACHIS.] i. Dorsi cuiusdam oblongi catinam referentis, ex vigintiquatuor vertebris constituti, quarum septem ceruici, duodecim totidem costis attributæ, lumbis autem quinque in hominibus tantum repertæ, præterea ne in simia quidem. Earumque connexio, parte antica per symphysin, vbi vertebræ sunt ὁμαλαί; lateribus autem per ginglymum securitatis seruantissimum, vbi sunt apophysibus ac spinis horridæ, in omnium animantium scelero ad fidem conspicitur.

CVM DIFFICVLTATE SPIRANDI.] Parua & crebra, quæ semper denunciat laborem & inflammationem partium spirabilium. Ex quo efficitur ceruicis & dorsi peruersionem ostendi, non autem coxarum siue lumborum. Ac de peruersione τοῦ καθεστηκότος fidem illud faciet quod idem scripsit. Φύματα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κατὰ τὸν πνεύμονα ἐστί. i. *Iuxta pulmonem gibberes vt plurimùm enascuntur.* Deinde paulò pòst: Καὶ ὁ ξυνδεσμὸς τῶν σπονδύλων διὰ τὴν αἰτίαν συχνοὶ γίνονται ἢν οἱ κατατείνοντες οἱ τόνοι οἱ σπωμένοι: vbi nomen τῶν τόνων, quod neruos medullares significat, vsurpatur pro ligamentis quæ veniunt ab ossibus. De ceruicis autem peruersione satis iam multa diximus ad illam prognosin. *Si cui in dominatu febris repentè ceruix peruertitur, nec deuorare potest, nullo apparente tumore; mortiferum.*

Coac. 17. cap. 10. lib.2.

SANGVIS PRORVPTVS EXOLVIT.] Quoniam copiosa hæmorrhagia, vel eius loco, phlebotomia, vnicum est curationis ἴαμα ad omnia mala quæ vel à systrophe inflammatoria, vel à phlogosi, vel ab oppressione nascuntur. Qua de re permulta leguntur commentario nostro ad prognosin 24. cap. 11. huius secundi libri.

8 Ἐν ὀσφύϊ ἐπωδύνῳ καρδιαλγικὰ προσελθόντα σημεῖα· αἱμορροώδεα, ἢ καὶ προεγεγενημένα.

In lumborum dolore prægrandi, quæ inde veniunt cardialgiæ; signa sunt hæmorrhoica, aut etiam antegressa.

Coac. 2. & 1. huius cap. prorrh. 37. l. 3. 2.

HVIVS prognoseos demonstratio est ab illa: *Dolorifica in lumbis mala sanguiflua*; & ab illa: *Quæ ex lumborum dolore cientur hæmorrhagiæ, largæ.* Et quia nomen cardialgiæ non est in illis, nos ex prorrhetico apponendum duximus, & ex Galeni commentario eius ipsius causam attulimus. Quamobrem in tam recenti memoria rerum haud ita pridem explicatarum, esset abuti otio & literis, denuo hic scribere cogitationes nostras.

Τὰ ἐξ

9 Τὰ δὲ ὀσφύος ἐς τράχηλον καὶ κεφαλὴν διαδιδόντα, παραλύσαντα, παραπληκτικὸν τρόπον σπασμώδεα παρακρουστικά. ἆρά γε καὶ λύεται τὰ τοιαῦτα σπασμῷ; ἐκ τῶν τοιούτων ποικίλως διανοσέουσι διὰ τῶν αὐτῶν ἰόντες.

Ex lumborum doloribus, qui propagatur sursum ad ceruicem & caput; in paraplegia & conuulsionis vicissitudine totum morbi tempus exigunt, nec suæ mentis ægro. An resolutio illa paraplegiæ propinqua; conuulsione quiescit? Inde symptomatum multitudine sibi inuicem subeuntium, variè laborant ægroti.

SEQVITVR vt patefactis crisibus coxariorum malorum, dorsalium & ceruicalium conuenienter naturę peractis; deinceps de successione & accessione dicamus, eorum quæ ex dolore lumborū principia causasque ducunt, habentque in cerebro & à cerebro syntimoriam, crebramque, vt tempestatum, ita symptomatum in ægris miserrimis varietatem. Fuit Hippocratis sęculo, dum ipse floreret, mulier quædam grauida, quæ trimestrem vtero fœtum gerebat. Hanc febris quidem celeritate, vehementia, & assiduitate prægrandis, quam veteres τῖφ nominarunt, exercuit. Ineunte morbo acerbissimus dolor coxarum, acerbitatis suæ vim primùm ostendit. Inde acerbitatis illius propagatio ad ceruicem propter iugulum, manum dextram, & ad caput. Id accidit tertio die morbi. Mox lingua verborum nescia. Inde manus dextra resoluta, atque conuulsa, eáque resolutio fuit paraplegiæ propinqua. Nullo modo fuit apud se. Hæc varios casus experta est, variáque discrimina. Sed tamen liberali sudore & vomitu, naturæ miraculo, defuncta est morbo qui antè lethalis videbatur. Ac salutarem illa crisin habuit 14. die. Sanè illius historiæ decisio in hac prognosi continetur, ad cuius enarrationem historia suffecisset, nisi Galenus, fortasse multùm iam fractus contentione & diuturnitate scribendi, dormitum iuisset. [hist. 13. 1. Epid.]

Ergo. Ex LVMBORVM DOLORIBVS.] Qui ex repletione particulari orta cum effera cacochymia, si nec varicibus, nec deiectione eruenta exoluantur. Nam in muliere grauida sperabilis non est; nec tuta menstruorum purgatio.

QVI SVRSVM PROPAGANTVR.] Sic enim rectè videmur conuertisse τὰ ἀναδιδόντα, vt inde significetur propagatio, quæ nunquam primigenium malum exoluit, quod facit transitus, vt intelligamus perennitatem symptomatum subnascentium & subeuntium, vel, vt clariùs dicam, vicissim abeuntium & redeuntium.

AD CERVICEM ET CAPVT.] Per excursum symptomaticum qui non habet exitum per liberalem hæmorrhagiam.

IN PARAPLEGIÆ.] Benè quidem verti ad verbum, sed illud: παραπληκτικὸν τρόπον, non satis expressi, quod inchoatam partis resolutionem significat, non firmiter fixam, nec absolutam, quæ coniunctam habere solet ἀναισθησίαν καὶ ἀκινησίαν i. *sensus motusque priuationem.* Hunc autem agnoscit tantùm Galenus δυσαισθητον, καὶ δυσκίνητον i. *obscurè sentientem atque mouentem*; vt idem planè sit hoc loco, paraplecticus modus, quod suprà torpidæ manus. De paraplegia autem satis multa diximus comment. ad illam prognosin. *Paroides praua sunt paraplectica.* [4. Coac. huius 6.]

ET CONVVLSIONIS.] Hic sequor, in vertendo, Galeni paraphrasin quæ sic habet: *Probabilius erit transeuntia mala ex lumbis ad caput atque ceruicem, quæ repletionem paraplecticam attulerunt, cessante ea, conuulsionem inferre.* Ergo paraplegia successionem habet conuulsionis, vt Galeno visum est, non accessionem: quam vis in illa mulieris grauidæ historia, symptomatis vtriusque coniunctionem expressisse videatur. ἀπελύθη χεὶρ δεξιὴ μετὰ σπασμοῦ, παραπληκτικὸν τρόπον, i. *Resoluta est paraplectico modo manus dextra.* Quamuis enim paraplegia & conuulsio simul existere non possint in eodem subiecto, quòd illius natura & ratio ἐν ἐκλύσει, i. *in resolutione*. huius verò ἐν τάσει, i. *in tensione* consistat, quę duo contraria sunt, tamen quoniam paraplegiæ sedes in neruo est medullari, conuulsionis autem in musculo, sanè nihil vetat quominus diuersitate causarum, variè afficiantur partes diuersę, neruus & musculus. Adde quòd conuulsionis vis consideratur in motu iniusso; paraplegiæ autem in impotentia mouendi. Sit igitur conuulsio paraplectica κίνησις ἀπροαίρετος μετὰ τῆς ἀναισθησίας, i. *iniussus motus cum sensus vacuitate*, quæ in simplici conuulsione nunquam est, sed contrà, sensio acerrima rei molestæ. Conuulsionem sensus expertem vidimus in vxore D. Darmentieres 1575. [Coac. 4. c. 4. li. 2. pror. 16. sect. 5.]

NEC SVÆ MENTIS ÆGRO.] Vti nec fuit grauida illa mulier de qua scriptum est: παρελήρει πάντα, i. *in omnibus delirabat* Etenim: *Quibus ex dolore lumborum excursus fit ad caput, torpidæ manus, cardialgia, flatus, sonori, nisi hæmorrhagia veniat, è potestate mentis exeunt: quamuis tam aluus profusè ferantur.* [Coac. 4. huius 6.]

AN RESOLVTIO ILLA PARAPLEGIÆ PROPINQVA, CONVVLSIONE SANESCIT?] Authoris ἐρώτησιν ita vertendo videor consecutus: quamuis in Græco sit, τὰ τοιαῦτα, quæ significant *talia, siue huiusmodi*; qua voce conuulsio & paraplectica resolutio continentur. Sed absurdum esset putare conuulsionem exolui conuulsione. Pertinet igitur illud: τὰ τοιαῦτα, ad paraplegiam inchoatam de qua iam dixi. Ergo paraplectica resolutio conuulsione sanescit. Sanè quidem si ea superuenerit, non

autem comitata fuerit, vt ratum habemus de febre quæ sanat conuulsionem cùm superuenerit, nec antè regnarit. Sanescit autem resolutio superueniente conuulsione, ob eam sanè causam, quia forti & concitato conuulsionis motu natura, quæ diuturna officij vacuitate facta est pigrior atque ignauior, nunc excitatur ad exclusionem materiæ paraplecticæ, non secus atque iusta indignatio dædalam fecit verborum linguam filij Crœsi qui antè semper fuerat ἄναυδος. Præstat igitur conuulsionem resolutioni superuenire, quàm contrà. In promptu etiam causa est: quoniam transitus melior est intus foras, nempe à neruis in paralysi ad musculos in conuulsione.

INDE SYMPTOMATVM MVLTITVDINE SIBI INVICEM SVBEVNTIVM.] Ac si diceret, crebra conuulsionis & paraplegiæ vicissitudo est: sicut in Thasia muliere, cui crebra erat conuulsionis & delirij successio febris initio; ac secundo febris die res eius ineunt ἐπὶ τ̃ αὐτῶ, i. eodem gradu. Sic in Heropyto vicissitudo fuit surditatis, & doloris coxarij vel ischiadici. Qua de re illud scriptum est: *Contigit autem aut febres cum surditate incandescere, aut has quidem imminui ac leuari*, ad inferiora autem, pote ad ischia, vehementiores dolores exurgere. Hîc autem in crebra symptomatum vicissitudine, inoffenso cursu, eodemque modo ægroti res eunt: quoniam ad præparationem suscipientis causæ accedit perennis morbificæ causæ generatio, & perennis per progressum excursus. Cæterùm μετάστασις [illegible], propriè ad eos pertinet quos varia exercent symptomata; tum per triplicem transitum, vt in phrenitide, priuationis scilicet & rei, intensionis & remissionis, omniumque cerebri mansionum peragrationis: tum per progressum: tum per variarum partium πρωτοπάθειας & ἰδιοπάθειας, i. *affectum primarium & proprium*.

106. & 108. Coac. 1. libr.

10 Ἐξ ὀσφύ⊙ ἀναδρομῆς πόνου, ὀφθαλμῶν ἴλλωσις κακόν.

Ex dolorifici lumborum mali ascensu, oculorum peruersio; malum.

EST ILLVD verè iam positum ac demonstratum, quòd omnis aduena causa cuius dominatu naturæ præsidia collabuntur, mortiferum ægris malum afferre solet; idque cùm aliàs, tum si ea cerebrum in vitio sit insanabili per alienationem à forti & prægrandi alteratione contractam. Enimuero valde mortiferus est omnis ascensus coxariorum dolorum, iis relictis transeuntium ad diaphragma & caput. Hæc enim suo magisterio regit partes obsessas, nec vinci se patitur ab earum virtute, nisi exitum habeat subitò, verbi causa, è capite per liberalem hæmorrhagiam. Porro autem cùm anadrome caput repleat, ac repleti capitis symptomata varia sint consectaria, ex eorum diagnosi, comparanda prognosis futurorum exituum. Nam si post illam terrificam coxariorum dolorum anadromen, signum appareat labefactati cerebri syllogisticum, ex illo ruit omnis cœptæ curationis fiducia. Signum autem syllogisticum cerebri labefactati proponitur in hac prognosi.

EX DOLORIFICI LVMBORVM MALI ASCENSV.] Vnde significatio fit cacochymiæ malignæ & efferæ, per suam feritatem orgasmum facientis, cursumque ad superiora inflectentis, quasi mitis esset, per inferiora expurgaretur, vti consentaneum est, natura deorsum viam affectante in lumborum doloribus, quæque ex ea inclinatione artificium præbet medico ad imitationem sui comparandum. Quod faciendum præcepit, cùm ait: *Si cui febris experti tormina sint, grauitas quoque genuum, & dolor lumborum, purgatione per inferiora opus esse testantur.* (aph. 20. 4.)

„ OCVLORVM PERVERSIO MALVM.] Enimuero, vt sunt mala cerebri quæ ex translatione „ symptomatica oriuntur: ita subnascentium exitus atque successio esse solet. Quemadmodum enim repletio capitis cataphorica & cephalalgica quæ venit ex lumborum vel hypochondriacorum viscerum ascensu, opinionem facit parotidum: ita quæ superuenit eidem repletioni oculorum peruersio, mortem subesse testatur, si nulla sit excusatio perturbationis criticæ, vt in Dealcis hospite. Nam lacrymarum iniussa profusio ex tali causa, non est terrifica, quæ aliter mortem in propinquo esse testatur. Quoties enim cerebri ex diuturna oppressione fatiscentis, vt in substillo sanguinis & sudatiuncula frigida, vel ex prægrandi alteratione iam alienati, vt in hac oculorum illosi, ne longè exempla petantur; „ quoties, inquam, rerum illarum significatio fit, mortifera valde sunt. Dicam audaciùs, quòd omnis affli„ ctio cerebri alterati quæ propagationem habet ἐς ποικίλ⊙, i. *in propagines*, metum adferre solet interitus, si febris adest acuta. Quoniam igitur oculi proximè absunt à cerebro, mirum videri non debet si vicinitatis & societatis contagionem primi ostendunt in colore, charactere, mole, tum visu & motu. Omnium autem defectionum notas, earumque causas, iam ex professo aperuimus in historia symptomatum ocularium. Nam quæ hoc loco cæterorum instar malorum scribitur oculorum peruersio ex lumborum anadrome orta, non magis requirit τ̃ πρόνοιαν, i. *prouidentiam* medici, quàm alia multa quæ cernuntur in oculis non tam proprio vitio laborantibus, quàm alieno firmiter fixo. Quod autem pertinet ad τ̃ ἴλλωσιν certum est eam vsurpari pro ipsa peruersione oculorum, quam alibi vocat κατάκλασιν; sicut extimarum palpebrarum, καμπυλότητα, i. *curuaturam* pro ipsa peruersione. Nam ἴλλωσις & καμπυλότης nomine τ̃ διαστροφῆς continentur. Sed vnica est curuatura quæ vitio fit musculorum qui sunt in angulis oculorum, & ad dimidium vsque tharsi ambo feruntur quando æqualiter conuelluntur. Oculorum autem ἴλλωσις varia est in omnem partem quò se conuertunt oculi, quæ firmiter fixa & stabilis ex vitio cerebri, facultatisque inde manantis, mortifera est valde, vt in Occetei vxore quæ septimo die interiit. Sin autem fugax & critica, non minùs consolari nos debet quàm exterrere metu, vt in Dealcis hospite qui quadragesimo die salutarem habuit crisin. Sed tamen in vtreque scripsit, δεξιῷ ἴλλωσε, i. *dextro peruersus oculo est*. Lib. 1. περὶ γυναικείων inter symptomata quæ veniunt ex puerperiorum anadrome, commemoratur ὀφθαλμοῖς ἰλλώσιες ἐξαπίνης.

Coac. 19. hist. 13. sect. 1. 5. Epid. 1. a. f. 4. 1. Coac. 6. 5. libr. 5. part. 31. sect. 2. 6. Epid. hist. 3. part. 1. & 8. part. 2. 3. Epid.

11 Πόνος ἐς στῆθος ἱδρυνθεὶς σὺν νωθρότητι· κακόν. ἐπὶ πυρετῷ οὗτοι ὀξέως ἀπόλλυνται.

Meliùs sic in prorrhetico, 36. 2.

Ὀδύνη ἐς στῆθος ἱδρυνθεῖσα σὺν νωθρότητι· κακόν· ἐπιπυρετήναντες οὗτοι καυσικοί. ὀξέως ἀποθνήσκουσι.

Dolor affixus pectori cum torpore; pestiferus: superueniente acuta febre, crudeliter moriuntur.

INTER Medicinæ leges quæ sanciuntur de acutorum morborum natura, déque illorum causis atque symptomatis, nullæ sunt magis medico necessariæ ad bene medendum, quàm illæ quæ ex insolentium rerum obseruatione nascuntur. Quid enim minus est febris acutæ quàm torpor, obliuio, coma? Sunt quidem hæc omnia erudi humoris flatulentique spiritus ἔκγονα, non autem sanguinis multa bile perfusi qui regnare dicitur in febre acuta: proptereáque non sine causa videntur mortifera; quatenus longissimè absunt à febre acuta. [3. Epid. part. 3.] Omnia enim quæ fiunt, quæque apparent contra naturam morbi & ægri, terrifica esse debent, ac sæpe mortem subesse testantur. Sic enim in tempestate pestifera, febrium ardentium symptomata annotauit quæ in paroxysmis ipsarum apparebant terrifica. Erant autem obliuio, exolutio, vocis carentia. *Sic bombus in acutis, & echo in aure, mortiferum.* [Coac. 7. c. 3. lib. 2.] Quæ cùm ita sint.

DOLOR AFFIXVS PECTORI.] i. Anteriori parti thoracis quam sternum vocant, non quidem per synecdochen vsurpatum pro cartilagine xiphoide, & per metonymiam, pro vētriculi osculo quod ipsa cartilago tegit: sed μείων πυ anteriore tota parte thoracis, ossibus septem contexta, duodecimque costis accincta.

DOLOR AFFIXVS.] i. Quem facit phlegmone systrophica, ex sanguinis biliosi affluxu per venam mammariam. Tametsi enim firmitas illa considerari potest æquè in carne pectoris atque in membrana: tamen quæ periculi mentio fit atque crudelis interitus, non aliò referri potest quàm ad membranam, si Galeno credimus comment. ad illum aphorismum. *Inter dolores, costarum pectoris, aliarumque partium, an multùm intersit, accuratè sciendum*, Galeni verba sunt. [aph. 5. 6.] Enimuero si in costa sit doloris acerbitas, certum est non nisi in membrana cieri, hinc scire licet eam periculo non carere, tum celeri & fideli curatione opus esse. Ac si quidem iugulum dolor occupet, sanguinis detractione, sin hypochondria, purgatione medicandum, vti faciendum præcepit libro 2. περὶ διαίτης ὀξέων. At si neque dolor ingens, neque punctorius, nec iugularis, nec hypochondriacus; scire licet eius focum esse in carnibus quæ adiacent costis, proptereáque ipsum neque prægrandem, neque mortiferum, nec ita curationem requirere accuratam.

CVM TORPORE.] i. Cum exolutione, ac veluti quadam paralysi totius corporis, quòd subinde ad pedes dilabitur: quam afflictionem Græci vocant [illegible]; quæ, ineunte quidem morbo, symptoma est madefacti & inebriati neruorum principij; affecto morbo, effœti & exoluti, mortemque in propinquo esse testatur.

SVPERVENIENTE ACVTA FEBRE.] Id enim significare videntur ἐπιπυρετήναντες καυσικοί, qui sunt eiusmodi vt vel ardenter febricitent, vel excrementa reddant perusta; cuiusmodi sunt, flaua, viridia, & nigra sputa. [prorrh. 60. s. 1.]

CRVDELITER MORIVNTVR.] Febris ardore, difficultate spirandi, & doloris acerbitate. Cæterùm, symptomata hæc sunt ἐπιεικῆ in morbis à diæta: sed tamen non sunt ὀλέθρια in morbis à spiritu, vt in tempestate pestifera qui ardenter febricitabant cum comate, illorum quidem febris accendebatur à bile quæ in peculiari eorum natura redundabat; coma autem cæteráque iam descripta veniebant à tempestate austrina ventis placida & pluuiosa.

12 Ἐξ ὀσφύος ἀλγήματος ἀναδρομαὶ ἐς καρδίην πυρετώδεες, φρικώδεες, ἀνεμέοντες λεπτὰ ὑδατώδεα, παρενεχθέντες, ἄφωνοι, ἐμέσαντες μέλανα· τελευτῶσι.

Frequens è lumbis ad cor anadrome, vnde febriunt ægri, perhorrescunt, tenuia & aquosa euomunt, nec suæ sunt mentis, voce capti, cùm nigra vomuerint; moriuntur.

QVEMADMODVM ea quæ ex anadrome symptomatica nascuntur symptomata primigenia sunt partis obsessæ & humoris morbifici propria: ita quæ inde veniunt consectaria, prioribus dissimilia sunt, corruptione successiua humoris trāslati, & mutatione ipsius partis obsessæ. Ergo vt seri appulsu ad ori-

ficium alui, primùm cardialgia excitatur, inde vomitio cietur è fundo ventriculi tenuium & aquosorum. sic incidente acuta febre horrifera, delirium, & atri humoris vomitio ex ea frequenti anadrome ad extremum ferè consequitur. Huiusmodi sunt illa iam explicata. (107. Coac. 1. lib.) *Qui è phrenitico cum perfrigeratione sputatores redduntur; vomitum illi nigrum prænunciant.* Et rursum: *In dolore stomachi febriculoso, aluus cum morsu prorupta, deiectiones nigras denunciat.* His ita constitutis.

Frequens e dolore lumborum anadrome.] Sic enim de industria verti, vt ex ea frequentia, doloris firmiter fixi progressus ostendatur. Ergo frequens anadrome ad cor ex lumbis ex quorum particulari repletione & maligna cacochymia tenue serum exprimitur, prorepitque ad ventrem, indéque ad orificium eius quod veteres καρδίαν nominarunt: ex cuius dolore cardialgiæ nomen inuentum est.

Vnde febriunt.] Sic enim vertendo perspicuitati consulimus, dum afflictionis nomen, per metonymiam, ad ipsum afflictum conuertimus. (prorr. 51. sect. 2. 2.) Est autem obscura nimis in prorrhetico super hac prognosi metonymia, quæ afflictionem pro afflicto in omni voce vsurpat. Igitur ex dolorifici lumborum mali anadrome cardialgica febriunt ægri, quòd venulæ arefactæ biliosos & acres ex aluo trahant ichores, eóque febris æstu corporis vniuersitas incandescit, visceráque conflagrant incendio, vnde noua exoriuntur priorum malorum & subnascentium symptomata.

Perhorrescunt.] Vt in hæmitritæo, qui dicitur horrifer, non febris quartanæ modo periodico, cuius horror paroxysmi discessionem prænunciat; sed symptomatico: quia sperabilem non facit vacuitatem repetitæ febris, sed magis accendit alternis; vt solet horror omnis & rigor qui frustra fit.

Tenuia et aquosa evomunt.] (initio 2. Epid. libr. 4. acut. 6. Epid. part. 2.) Primo appulsu ichorosa. i. serosa quædam biliosa & venenata: id enim significant ichores apud Hippocratem, vt in illo: *Ichores subnascebantur.* Et: *Gignuntur febres ardentes cùm arefactæ venulæ ad se attraxerint biliosos & acres ichores.* Id Galenus annotauit comment. ad illam sententiam. *De sanguine ichoroso.* Est autem vomitio illa omnino symptomatica, qualitate, copia, excernendi modo & occasione.

Nec suæ sunt mentis.] Vt enim coxariorum dolorum symptomatica est cardialgia: sic febris inde nascentis symptomaticum est ipsum delirium, anadrome facta ad cerebrum sanguinis multa bile perfusi, nisi hæmorrhagia largiore delirij locus tollatur. Causæ sunt non ita pridem adductæ.

Voce capti.] Ab exolutione cerebri, vnde summa infirmitas facultatis motricis, & paupertate vocalis materiæ per extinctionem caloris natiui. Hic in propinquo mors est. Nam de aphonia satis iã multa diximus. (prorr. 2. sect. 3. 1. & Coac. c. 8. lib. 2.) Certum est omnem aphoniam venire [illegible] i. *tentione fortis, vel exolutione musculorum, neruorumque quibus editur vox.*

Cvm nigra vomuerint, moriuntur.] Vomitus nigri ratio repetenda ex 107. 1. lib. tum ex prorrh. 30. s. 2. 1. Cur autem nigra vomitio citam mortem adferat; palam est id euenire incremento & dominatu morbi, materiæque morbificæ & viscerum exolutione, per aph. 21. 22. 23. lib. 4.

13 Τὰ κατ' ὀσφὺν καὶ τὸ λεπτὸν χρόνια ἀλγήματα, καὶ πρὸς ὑποχόνδρια πόνοι ἀπόσιτοι ἅμα πυρετῷ· τούτοισιν ἐς κεφαλὴν ἄλγημα σφοδρὸν ἐλθὸν κτείνει ὀξέως τρόπον σπασμώδεα.

Diuturni circa lumbos & ilia, tum qui ad hypochondria prorepunt dolores cum febre & cibi fastidio; si inde transierit fortis dolor ad caput; crudeliter conuulsifico modo necat.

Eo spectat hæc prognosis, quò illa iam sæpe adducta. (libr. 3. progn.) *Dolores circa coxas & inferiores partes orti, si iis relictis ad viscera transferuntur, mortiferi valde sunt.* Et verò, non ita pridem, quædam prognoses eodem scopo conscriptæ sunt & explicatæ.

Diutvrni circa lumbos.] Quorum diuturnitas consistit in vitio partium lumbis adiacentium, quorum repletio & cacochymia maligna propria vacuatione discessionem non habet; vt in hæmorrhoicis viris, per hæmorrhoidas; in mulieribus vacuis, aut puerperis, per menstrua & puerperia.

Et ilia. Sic enim τὸ λεπτὸν rectè videmur conuertisse: quòd illa pars omnium abdominis partiũ tenuissima sit, proptereáque ipsam veteres [illegible] vocarunt: nisi quis fortè malit [illegible] intelligere. Nam tenue intestinum, & ieiunum, & sinuosum, in ea ilium metonymia continetur. (prorr. 37. s. 3. 1. & Coac. 4. huius c.) Sic enim accepimus, tormina & cardialgiam excitari prorepente sero è lumbis in ventrem, & in orificium eius quod est acerrimi sensus.

Tvm qvi ad hypochondria prorepunt dolores.] (prorr. 8. sect. 3. 1.) In prorrhetico legitur [illegible] i. *qui veluti aduncis vnguibus circumplectuntur & vellicant,* piscatorij retis modo quod nominatur γρῖφος. Ac talis dolor symptoma est oppressionis prægrandis, & effetæ cacochymiæ quam vetus repletio illuc è lumbis expressit.

Cvm febre.] Quam peperit hypochondriacus dolor, ob eamque causam terrifica est. Demonstratum est illud: *Quæ ex hypochondriorum doloribus febres nascuntur, terrifica;* quamuis theorema illud non sit Galeno catholicum.

Et

ET CIBI FASTIDIO.] De quo satis iam multa scripsimus ad illam prognosin: *Duritas alui cum febre horrifera, dolore, & cibi fastidio.* Quare superstitio esset denuo mandare literis quod non ita pridem iam exposuimus. Coac. 13. c. 21. li. 1.

SI INDE TRANSIERIT FORTIS DOLOR AD CAPVT.] Rursus incidente ascensu qui prius ex lumbis transiuit ad hypochondria, indéque oborta febre, translationem fecit ad caput.

CRVDELITER CONVVLSIFICO MODO NECAT.] Quoniam cacochymiæ tanta est feritas, vt suo magisterio cerebrum & caput regat, nec vllo modo vinci se patiatur, aut virtute ipsius naturæ excludi per hæmorrhagiam aut per abscessum. Qua de re multa sunt accuratè pronunciata & scripta. Coac. 9. 10. &c. huius c.

14 Οἷσιν ὀσφύος ἄλγημα, οὗτοι κακοί. ἆρα τούτοισι τρομώδεα γίνεται, καὶ φωΐδες ἐν ῥιγεῖ; ἆρα τοῖς ὀσφυαλγέσιν, ἀσώδεσιν, διεμέτοισιν, ὀλίγα θρασέως παρακρουσάσιν· ἐλπὶς τὰ μέλανα ἐλθεῖν;

Quibus lumborum dolor, hi malo sunt loco. An contremiscunt hi, maculisque in rigore sunt obsiti? Etiámne lumbiquerulis anxiis, absq; nausea, paulisper ferociter delirantibus, nigra ductum iri verendum?

IAM CONSTAT, opinor; dolorifica lumborum mala multis quidem modis videri terrifica. Eiusmodi autem sunt quæ cernuntur in vertebris, medulla, in partibus quæ adiacent lumbis, quæ stabulantur intra lumbos, & quæ à lumbis originem ducunt. Ac theorematis illius catholici veritas lucet in decisionibus quæ de lumborum malis hactenus sunt explicatæ. Nam cæterorum symptomatum commemorata hic syndrome distinctionem requirit atque diorismum, vt ita dicam, veritatis parentem.

Ergo. QVIBVS LVMBORVM DOLOR.] i. Dolorificum in lumbi malum, vt doloris nomine morbus ipse significetur qui est causa doloris, cuius quidem morbi dolorifici natura in solutione continui & intemperie prægrandi consistit. Ergo lumborum dolor à tuberculo ligamentorum, musculorumque intra lumbos, & extra iacentium; lumborum dolor ab inflammatione spinalis medullæ, & membranarum eius; lumborum dolor ab oppressione & pulsu molesto ex repletione particulari, & cacochymia maligna venæ insignis & arteriæ; lumborum dolor ab inflammatione & calculo renum: vt doloris acerbitatem prætercam naturalium quæ stabulantur in lumbis. Quid memorem tormina hydropis sic.i prænuncia quæ veniunt à partibus oriundis lumborum?

HI MALO SVNT LOCO.] i. Eorum malè res eunt, idque tum proprio lumborum vitio, tum alieno. Ac proprio quidem, ob summam doloris acerbitatem, officiique ad vitam tuendam necessarij impedimentum. Sic enim à lumborum tuberculo, vertebrarum accidit perniciosa luxatio, ab inflammatione rhachitidis; pestifera vrinæ suppressio à nephritide. Alieno autem, per transitum & progressum. Quæ omnia sunt a nobis iam explicata, cùm in cæteris omnibus coxarum dolorum decisionibus, tum verò in illa: *Quæ ex lumborum dolore principia morborum ducuntur, pestifera sunt.* Est igitur calamitosa vis dolorum qui & in lumbis fixi sunt, & oriuntur è lumbis. Coac. 5. huius c.

AN CONTREMISCVNT HI?] Non quidem omnibus; sed quibus in cacochymia lumbari, à rigore i. lumbis & ex lumbis frustra citato, translatio fit ad neruos & caput.

MACVLISQVE IN RIGORE SVNT OBSITI.] Sanè quidem à concussione rigoris materia rigorifera non excutitur, vt in liberali sudore, sed collectione ichorum, qui exitum non habent, eroditur corporis superficies, vnde φλυζάκια, φλυκταίναι, φωΐδες, ἐκθύματα, & ἐξανθήματα.

ETIAMNE LVMBIQVERVLIS?] Sic in Latinè conuenienter & appositè dici posse arbitror, quos ipse nominare solet ὀσφυαλγέας, i. *qui laborant ex dolore lumborum.* Est enim semper in ore afflictio per sensionem rei molestæ. Quæritur ergo vtrum lumbiquerulis, non quidem ab omni lumborum vitio, sed à plethora particulari & cacochymia maligna vasorum insigniorum quæ adiacent lumbis? Coac. 120. li. 2. 4. acut. 2. Epid.

ANXIIS ABSQVE NAVSEA.] Hic enim sine errore videor agnoscere & intelligere τοὺς ἀσώδεας, quos alibi ἀσωμένους anxios esse dixit. Eiusmodi autem sunt qui absque nausea in omnem partem iactantur, atque, vt ita dicam, fastidio efferuntur contra omnem locum, omnemque figuram, qui omnis loci & omnis figuræ seu collocationis impatientissimi esse solent. Id autem euenire dictator animaduertit, tum propter facultatis à corpore oppressionem, tum propter afflictionem stomachi à morsu & vellicatione prauorum humorum. Atque prioris causæ symptoma, mortiferum esse, huius vero nauseabundum, indéque homines fieri ναυτιώδεας. prot. 44. sect. 2.

PAVLISPER FEROCITER DELIRANTIBVS.] Nam illud, ὀλίγα, idem significat quod ὀλίγωι, in illo: Τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως; vt sit aduerbium temporis, non quantitatis. Hic autem deliratio paulisper ferox eòdem spectat quò illud. Αἱ ἐπ᾽ ὀλίγον θρασεῖαι παρακρούσιες θηριώδεες. i. *Deliria paulisper ferocia, mox etiam immania.* aph. 7. 2. prorr. 33. f. 1. 54. & 90.

NIGRA DVCTVM IRI VERENDVM.] Sanè quidem, si phrenitici cum perfrigeratione sputatores redduntur. Notum est illud: *Qui è phreniticis cum perfrigeratione sputatores redduntur; hos vomitum nigrum manere docto.* Vbi Galenus causam refert vomitionis quidem ad ptyelismum; nigræ autem, ad κατάψυξιν. Coac. 1. lib. 107. Coac. 1. libr. prorrh. 30. f. 1. 2.

15 Ὀσφύος πόνος καρδιαλγικῷ μετὰ βιαίας ἀναχρέμψιος ἔχει τὶ σπασμῶδες.

Lumborum dolor cardialgico cum excreatione violenta; nonnihil præ se fert conuulsificum.

prorrh. 14. s. 3. 1.

HIC TRIA tantùm leguntur prænuncia conuulsionis: in prorrhetico autem quatuor: nam cephalalgiæ nomen adscribitur. In hac prognosi examinanda, multùm est ingeniosus Galenus, vt esse solet in cæterarum examine. Sed ipsum aduocabo tamen, faciamque vt sit mihi propitius aduncatus, si modò stare velit in eo quod ipse iam iudicauit.

prorr. 37. sect. 3. 1.

Ergo. LVMBORVM DOLOR.] A prægrandi æstu quo vasa lumbaria incanduerunt, & repletionis particularis oppressione, tum etiam micantis arteriæ magnæ pulsu molesto.

CARDIALGICO.] Cuius cardialgiam excitauit serum è vasis expressum in ventrem, teste Galeno, indéque in orificium ventris quod est acerrimi sensus: & inde nomen habet ἡ καρδιαλγία, vnde cardialgici homines nominantur.

prorrh. 25. s. 3. 1.

CVM VIOLENTA EXCREATIONE.] Quã facit nauseabunda proritatio quæ non liberali vomitione, vt consentaneum erat, sed tantùm screatu finitur. Qua de re illud præceptum est. *Diuturna in febre nauseabunda proritatio* ἐς ἀνάχρεμψιν τελευτῶσα, *i. screatu finiens; malum denunciat atque facit.* Eandem sententiam his verbis expressam legimus in prorrhetico. Τὰ ἐμετώδεα ἀλλήγματα φλαῦρα. i. *Quæ vomitorio modo nequicquam trahuntur calamitosa sunt.* Quem locum enarrans Galenus, docet, proritationem alui crebram & irritam inflammationis metum adferre, vbi frustra cietur; aut si iam fortè concepta sit inflammatio, vt facilè concipi solet ab humore prauo & effero, ipsam perducere ad summum suæ naturæ gradum. Nam proritationis irritæ signum est violenta excreatio à faucium proritatarum prægrandi contentione nihil screantium, propter feritatem humoris acerrimi & tenuissimi qui per continuitatem interioris tunicæ alui prorepit ad ipsas fauces. Hoc igitur spectat hæc prognosis vt intelligamus, cardialgiam ex anadrome lumborum ortam, si finem aut exitum non habeat per hæmorrhoidas aut menstruale profluuium (vti habere debet ex illa prognosi. *In dolore lumborum prægrandi quæ inde veniunt cardialgiæ, signa sunt hæmorrhoica*) ipsam, inquam, cardialgiam, nouorum symptomatum accessione & successione, damnisque quamplurimis ægros augere, quousque tandem eius maligna cacochymia cursum inflexerit, & vbicumque adhæserit.

Coac. 8. huius cap. & prorr. 37. s. 3. 1.

NONNIHIL PRÆ SE FERT CONVVLSIFICVM.] Hic ego libenter Galeno assentior suadenti illud, τὶ σπασμῶδες, vt cætera omnia deriuatiua nomina quæ coniunctum habent illud τὶ, vel affectionis exiguæ, vel rarò incidentis significationem ostendere: proptereáque rectè conuertisse videor Galenum secutus, *nonnihil præ se fert conuulsificum.* Erit igitur nonnihil conuulsificum ipsa vomendi contentio irrita, quam demonstrauimus violenta excreatione finiri. Est igitur catholica & vera prognosis.

16 Ὑπόδεινον ἅμα κρίσει ῥῖγος.

Cum crisi grauis est rigor.

SIC COACA 7. 1. lib. *Causorum rigores nonnumquam funesti sunt. Tum rutila cum sudore facies in his mala.*

17 Ὀσφύος ἄλγημα ἄνευ προφάσιος πυκνὰ ἐπιφοιτέον κακοήθεος ἀῤῥωστίης σημεῖον.

Lumborum dolor nulla incidente causa crebrò reuertens; signum est terrifici morbi.

QVI NVLLA incidente præuidentia oriuntur morbi solent esse terrifici: quoniam inueterationem arguunt causæ morbificæ tam efficientis, quàm suscipientis, vt in phrenitico qui per initia è potestate mentis exiuit: vbi Galenus annotauit non esse repentinam causæ morbificæ generationem, sicut & morbi ipsius. Et quò diuturnior est generationis causa, eò firmiorem esse morbi repentinam impressionem. Quemadmodum igitur id locum habet in primigeniis morbis: ita multò magis in succedaneis & iis qui postliminio reuertuntur.

Coac. 14. huius cap.

Ergo. LVMBORVM DOLOR.] i. Dolorifica lumborum mala quorum acerbitatem in singulis lumborum partibus iam patefecimus in illo: *Quibus lumborum dolor, in malo sunt loco*, vt nomen doloris complectatur morbum qui est causa doloris.

NVLLA INCIDENTE CAVSA.] Manifesta scilicet quæ ingrauat intus vel foris: sed repentè quasi de cœlo tactis incidat, nullo præeunte signo eius prænuncio. Est enim πρόφασις causa prægressa quæ innotes-

innotescit αἰσθήσει καὶ γνώμῃ, i. *sensu & mente*, & instituendæ prognoseως artificium præbet experientissimo medendi magistro. Est autem αἰτία morbi illa duplex, vna quidem ἀπὸ τῶν ἐνόντων, altera verò ἀπὸ τῶν ἔξωθεν. i. *ab iis quæ intra sunt, vna; altera ab iis quæ veniunt extrinsecus*

CREBRO RECVRRENS.] Quoniam illi demum relapsibus crebri sunt morbi, vnde manat pertinacitas causæ morbificæ, nouaque incidit afflictæ iam partis afflictio. Huiusmodi sunt periodici & erratici lumborum dolores hæmorrhoicis: tum etiam sanguifluа tenuium mala quæ αἰφνιδίως incidunt & repentè.

SIGNVM EST TERRIFICI MORBI.] Id enim significat ὁ φοβερός, ἢ τὸ φοβερὸν morbi cuiusque. Sic enim accepimus φοβερούς morbos dici, & qui exterrent nos metu sinistri iudicij, spem ta-
10 men salutis non adimunt; & qui remediis non cedunt conuenienter præscriptis; & qui soboles sunt iidemque parentes venenatæ qualitatis & cacochymiæ malignæ. Exempla sunt primæ significationis comment. ad prorrh. 14. s. 1. 1. secundæ, aph. 2. 6. tertiæ, lib. 1. & 3. Epidem.

18 Ὀσφύος ἄλγημα μετὰ κώματος ἀσώδεος· κακόν. — *al. καύματος.*

Lumborum dolor cum comate anxio; pestiferus.

ENIMVERO lumborum dolor omnis qui nulla vi in musculosum genus incidente oritur, vt in
20 ceruice dictum est, cùm ipse per se malus est vbicumq; insederit; tum verò pestiferus, ne dicam mortiferus si accessionem habeat grauioru malorum. Iam verò si malè res eūt in dolore lumborum, quidni peius ibunt cum anxio æstu vel comate? quòd sanè symptoma homini necando ipsum per se satis est.

Ergo. LVMBORVM DOLOR.] Vbicumque focum habeat in regione coxaria siue lumbari, modò ipsum nulla vis irruens in musculosum genus attulerit: sed tamen credibile est ipsum moueri, atque, vt ita dicam, cieri ab æstu repletionis particularis vasorum insignium, & pulsu molesto cum forti oppressione partium sociarum & vicinarum.

CVM ÆSTV VEL COMATE ANXIO.] Nam in prorrhetico scriptum inuenio μετὰ καύματος ἀσώδεος vt hic μετὰ κώματος. Vtrumque autem non rarò cernitur in ægrotis ἀσώδεσι. Ac de comate quidem illud præceptum est. *Comatosi anxij, vtrinque dolenter hypochondriaci, ac sæpe & parum vomentes; aurium abscessus*
30 *habent.* Etenim comatosi non rarò ex aduena causa fiunt, quam mouet affectio partium inferiorum, quæ & sympathia & translatione adducunt cerebrum in partem & societatem sui laboris atque molestiæ. Cæterùm tales comatosi redduntur ἀσώδεις appulsu bilis malignæ ventriculum & stomachum lacessentis, vnde nascitur ὁ ἄση ναυτιώδης, non autem ἀνιαρά. Nam de ardore ἀσώδει dubitari non potest quin ita sit, ἢ ἀνιαρός ab oppressione facultatis, ἢ ναυτιώδης à morsu ventriculi: potissimùm verò quando vasa insignia quæ adiacent lumbis replentur & incandescunt æstu sine vacuatione propria illius plethoræ. Sed de natura τῆς ἄσης cùm alibi multa, tum verò ad illam prognosin. *Quibus lumborum dolor, iis malo sunt loco.* Tandem concludo ex illis causis esse PESTIFERVM. — *Coac. 6. cap. 2. lib. 2.* — *Coac. 14. huius c.*

19 Ὀσφύος σύντασις ἐκ γυναικείων πλήθεος, ἐκπυητικόν. καὶ τὰ ποι-
40 κίλως ἰόντα γλισχρά, δυσώδεα, πνιγώδεα ἐπὶ τοῖσι προειρημένοισιν· ἐκπυητικόν. οἶμαι δὲ καὶ παρακρούειν τι τὰς τοιαύτας.

Lumborum tensio ex muliebrium abundantia, promouet suppuratum: sed & quæ variegata pigro lapsu feruntur glutinosa, graueolentia, strangulatoria; præter illa, suppuratum denunciant. Huiusmodi
50 *autem mulieres arbitror nonnihil delirare.*

BREVIARIVM hoc est siue aphorismus eorum quæ scripta sunt περὶ διαίτης, i. *differendo*, de muliebrium suppressione, déque symptomatis quæ ex illa suppressione apparent & fiunt, ἐπιφαινόμενα Græci vocant. Contulerit autem legere & intelligere quæ super hac re sunt accuratè à dictatore ipso disputata. Sed ea breuiter & appositè referam, quantum res ipsa exigit. — *lib. 1. περὶ γυναικείων.*

Ergo. LVMBORVM TENSIO.] i. Partium omnium quæ sunt in regione lumborum, vicinarum item, & sociarum. Sic enim accepimus ex commemorata hoc loco tensionis causa; tertio quidem mense mulieres perhorrescere, incertis febrium paroxysmis exerceri, tum hysterica suffocatione laborare, & lumborum dolore vexari. Sed quarto mense, nisi exitum liberalem habeant τὰ ἐπιμήνια, grauiori-
60 bus malis exerceri, ac præter illa trimestria, vrinas reddere crassas, ventrem habere durum atque maiorem solito, stridere dentibus, vigilare, nec posse capere cibos, eáque omnia mala ingrauescere quãdo ventum est ad menstruum tempus in ipsa periodo menstruali. Quinto mense maloru omnium prædictorum intolerabilem penè reddi calamitosam vim. Sexto summa esse omnia prædictorum symptomatū cum desperatione salutis, quòd nulla ex illo tempore sperabilis curatio esse possit. Ac præter ea quibus mulieres exerceri diximus, ipsas iactari, seipsas torquere, crebrò concidere & consternari, pi-

tuitam difficulter vomere, inexplebilem sitim habere, incendio conflagrante aluo ex repletis sanguine naturalibus, vrinam vix reddi allabente vtero ad stomachum vesicæ, lumbis dolere, ceruice, & dorso, linguam velut fræno compesci, nonnunquam etiam voce capi, stomachum vellicari atque morderi, spirationem elidi in faucibus, toto peruri corpore, ac tum vrinas reddi cruentas, cùm vesica serum sanguinis ex vtero absorbuerit, ventrem intumescere, tibias quoque & pedes, indéque mortem venire latentibus in occulto menstruis per illud tempus semestre. Nam sexto mense desperata curatio est.

Ex mvliebrivm abvndantia.] Quæ scilicet cohibetur in vasis & naturalibus mulierum locis, nec liberum liberalemque exitum habet tum propter fatiscentis naturæ ab oppressione infirmitatem, materiæ contumaciam, vasorum angustiam; tum propter vterini oris conniuentiam, aut ceruicis peruersionem. Hic enim τὰ γυναικεῖα quorum multiplex significatio est, ad menstrualem & ad puerperialem materiam referenda esse duximus; sed potissimùm ad menstrualem; quòd hæc symptomata sterilium partus expertium, & fœcundarum communia sint; magis tamen sterilium propria: quoniam hæ grauius, faciliusque, ac periculosiùs ægrotant ex menstruorum suppressione, quàm illæ quæ grauiditatis & partus labores expertæ sunt; ob eam sanè causam quòd illis suppressio consueta fuit, dum vtero gererent, quæ consuetudo & maiorem vasis capacitatem conciliat, & suppressionis ipsius molestiam lenit ex minore oppressione, & tolerantia, vt cernere est in omni consuetudine laboris & oneris. Notum est illud: *Οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἢν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνηθέων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσι.* i. *Assuetos labores vieti senes robustis iuuenibus insuetis ferunt facilius.* [aph. 48. 2.] Præterea in enixu & partu, fœcundarum mulierum loci & naturalia, totiusque adeo corporis vniuersitas, & meabilia magis, & ad excernendum promptiora redduntur, magisque, vt ita dicam, suppressionis atque refluxus metuentia.

Promovet svppvratvm.] Præsertim mulieribus infructuosis, neque ob eam suppressionem habitioribus. Nam πολυαιμία inde nata, non rarò arcet symptomata quæ suppressorum menstruorum & in vtero, & ab vtero consectaria esse solent; qualia incidere docet Hippocrates. [Arist. lib. 7. de hist.] Præterea si ex lumbis & locis non fiat sursum ad pulmones excursus, qui si non educitur expurgando, aut per liberalem hæmorrhagiam, omnia secum adfert quæ phthisici experiuntur. [aph. 57. 5.] Sed tamen hîc nulla mentio fit suppurati illius tabifici: at eius quod promouetur in locis & naturalibus per alterationem materiæ menstrualis à febrili calore, si fortè inciderit, idque tertio mense suppressionis, quo τὰ προϋπάρχοντα, i. *præexistentia* bimestria exitum non habuerunt. Ac de supputato quod inde concipitur, hæc sunt aduersaria. *Existunt*, inquit, *mulieres quibus menstrua cunctando purulenta fiunt exactis duobus aut tribus à suppressione mensibus. Atque id potissimùm accidit si æstu febris menstrua incanduerint. Ac signa hæc opinionem faciunt suppurati iam-iam futuri, dolor prægrandis hypogastry, micantium arteriarum pulsus molesti, tactus cuiuslibet etiam suspensi offensio in hypogastrio. Atque si meliùs illi futurum sit, prorumpunt menstrua per sinum pudoris, exitque purulentus sanguis & granosolentior per septem, octove, aut etiam nouem dies. Antea verò laborat & exercetur, vt dictum est. Porro autem cui menstrua purulenta conuenienter fuerint expurgata, optimùm sanè fuerit nullum restare vlcus. Nam si fortè superfit, longio cur & accuratiorem requirit curationem à medico, ne ipsum putrescat, fiatque admodum fœdi odoris.* Ergo menstrualis materia cunctando in locis & naturalibus, fit purulenta, exitumque habet, quem antea non habebat, per sinum pudoris: non secus atque lumborum tubercula quæ faciunt gibberos, non antè mouent dysenteriam per transitum materiæ ad intestina, quàm suppurari cœperint. Secus est de varicibus cruralibus inde obortis, & sanantibus ipsum κύφωμα. Nam sine pepasmo tuberculi oriuntur, propter amplitudinem venæ quæ adiacet lumbis. Commemorabile autem est pus expurgari à supputato sine vomica & vlcere; & suppurabilem reddi materiam à febrili calore, si fortè in tertium aut quartum suppressionis mensem inciderit. Non tamen efficitur puris laudabilis generationem tribuendam esse calori febrili, sed vitali principio, & viuifico nectari quod à corde manat tanquam à fonte vberrimo. Nam supputatum laudabile nihil aliud est quàm ipse pepasmus.

Sed et qvæ variegata pigro lapsv fervntvr.] Ποικίλως ἰόντα, sunt quæ nec inoffenso cursu & statis periodis natura duce feruntur λόγῳ ἐκκρίσιος. i. *excretionis modo*; & quæ coloribus variegata sunt à corruptione & putredine partis obsessæ humorisque morbifici, magisterio suo, vt ita dicam, naturam gerentis. Atque id locum habet in suppurato quod liberam & liberalem sui expurgationem non habet intra septem aut nouem, ad summum, dies. Eorum enim menstruorum quæ purulenta fiunt, quædam statim à suppurato exeunt, de quibus iam suprà; quædam verò sistuntur, aut certè variegata pigro lapsu feruntur: id enim significat ποικίλως ἰόντα, de quibus hoc loco. Nec tamen omnia per sinum pudoris exeunt: sed multa per vomicas partium vicinarum & sociarum. Qua de re audiamus summum doctorem. Sin autem purulenta menstrua quæ pus concipiunt, & stabulantur in venis & arteriis circum locos turgentibus; per sinum pudoris non exeant, exitusque finem habeant intra nonum diem, eueniet vt ilibus supra inguen prorumpat sine tuberculo; pure scilicet confertim profluente: atque ita continenter fundentur purulenta & fœdi odoris. Quòd si acciderit, nunquam eo morbo mulier defungetur, neque superstes manebit. Quòd si euaserit, reliquum vitæ tempus exiget in sterilitate. Sic enim comparatum est, vt semper, dum viuet, illac ferantur quò purulenta menstrua per sinum pudoris non exeuntia, refluxere ad ilia, indéque per ἔμμοτον profluxere. Etenim os vteri ad illam partem illapsum peruertitur; illabitur autem potentia ligamenti quod habet à peritonæo tunica, consentiente opposito resoluto.

Glvtinosa et foedi odoris.] A putredine & colliquamento: cuiusmodi esse solent in omni ἐμμότῳ, i. *in vlcere quod cutim contra se afficit*, de quo solemnis est aphorismus ille: *Ἢν ὑστέρη ἐς τὸ ἰσχίον ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι.* i. *Vterus si in ischium decumbat & suppuret; vlcus necesse est ἔμμοτον fieri.*

Stran-

Strangulatoria.] Quæ faciunt vt laqueo larynx perstringi videatur; ob excursum tetri vaporis, more hystericarum quæ à suppressi seminis corruptione suffocari putantur.

Suppuratum denunciant.] Vel ἰχῶρας potiùs; vnde manat ἰχὼρ δυσώδης, ἢ πελιδνὸν, ἢ μέλαν, ἢ θρομβῶδες. i. *graueolens aut liuidum, nigrum grumosum.*

Huiusmodi autem mulieres arbitror nonnihil delirare.] Ac si diceret; symptomatis grauissimis, & circa vterum, & ab vtero exercentur; ob ea quæ sunt mala ἐν ἁπαλῇ ἐξ ὀδυνωμένῃ, καὶ νευρώδει κοιλίῃ. πολλὰ δὲ τὰ κοινωνέοντα, βρέγμα, στόμαχος, γνώμη αἴσσεται, i. *in ventre tenero, acutum sentienti, neruosoque: cui multa præterea sunt quæ consentiunt, bregma, stomachus, & mens quæ succutitur.* Sed plura de his alias.

20 Οἷσιν ὀσφύος ἄλγημα καὶ πλευρῆς ἄνευ προφάσιος, ἰκτεριώδεες γίνονται.

Quibus lumborum & lateris dolor caret euidente causa; icterici fiunt.

Hæc prognosis colophonem imponit pulcherrimæ disputationi quam summus præceptor de dolorificis lumborum malis instituit, & fœliciter ad hunc vsque locum perduxit.

Quibus lumborum et lateris dolor caret euidente causa.] i. Dolorificum in lumbis malum quod prorepit ad hypochondria cum febre & cibi fastidio, neque transit ad caput, vnde crudeliter conuulsifico modo necat: sed velut aduncis vnguibus viscera circumplectitur, piscatorij retis modo quod nominatur χεῖος. Est quod animo concipias, gibbis partibus hepatis inflammationem esse conceptam Hanc ἀναφερομένην non edere hypochondrij: & tamen diaphragma opprimendo cui adiacet, difficultatem parere spirandi; lateris dolorem facere sympathia: sic esse malum obscuratam causam: quæ tamen est eiusmodi, vt per initia marasmi quem committit, sanguinem diffundat totò corpore biliosum multum, icteri materiam symptomatici, hydropum prænuncij ascitarum. In quæ verba prognosin terminauit. Icterici fiunt.

15. Coac. huius c.

DE HÆMORRHAGIA.

AI EN κρισίμοισιν ἐκ τῶν αἱμοῤῥαγιῶν περιψύξιες παγκάκισαι.

CAP. XIII.

1 *Quæ diebus criticis ex hæmorrhagia incidit perfrigeratio eximia; pessima.*

Vt nihil paucum in crisi est criticum: sic omne nimium, quantumvis criticum, est periculosum. Quemadmodum igitur sanguinis substilla praua sunt, idque potissimùm die critico, vt omnes iudicatoriæ causæ exiguitate: ita profusior omnis hæmorrhagia debet esse terrifica. Eorum enim quæ faciunt corpus infirmum, & quæ infirmitatem eius denunciant; idem iudicium. Ac similis ratio est eorum quę apparent, & fiunt pessimis ægri rebus. Neque minùs terrificum esse debet, nec minùs malum videri id quod eiusmodi est causa, quàm id quod signo. Pessimum autem id quod vtroque modo, prauitatis obtinet ratione, videlicet signo & causa. Quo in genere continetur profusior hæmorrhagia quæ frigidissimũ corpus facit. Sed de natura hæmorrhagiæ priùs nonnihil dicendum. Est autem id nomen, κατ' ἐξοχὴν accommodatum profluuio narium. Nam cætera sanguinis profluuia vnde manant & quà feruntur, tum etiam definitorũ temporũ nominibus explicantur. Huiusmodi sunt τὰ ἐμμηνία, τὰ καταμήνια, τὰ λόχια, δυσεντερίαι αἱματώδεις, αἱμοῤῥοΐδες, αἱμοπτύσεις, ἱδρῶτες, αἱματώδεις, & quæ sunt huiusmodi. Sed hæmorrhagiæ narium multiplex ratio est, quæ cernitur in qualitate, copia, tempore, & exeundi modo. Ex quarum notarum distinctione, critica aut symptomatica nominatur. Nam tertium genus est hæmorrhagiæ quæ naturaliter cadit in ephœbos, cùm venerem agnoscere, vocemque cœperint asperiorem edere, ἐκεῖνοι τραχύζουσι, ἢ ἀφροδισιάζουσι· αἱμοῤῥαγέουσι. Sed hæmorrhagia critica est quæ iure & loco fit. Ac iure quidem, in febre ardenti, cuius propria crisis est hæmorrhagia: loco autẽ, quæ significata fuit antè pepasmo & erethismo proprio, vt hypochondriorum fugaci meteorismo sine borborygmo, rubore faciei, & oculorum, pulsu aspectabili temporalium arteriarum, cephalalgia, & marmarygis. Tum autem in qua sanguis prorumpit liberè & liberaliter, non meracus, sed mixtus humori seroso κατ' ἴξιν meteorismi fugacis in alterutro hypochondrio, ac die critico. Symptomatica autem est hęmorrhagia sanguinis meracioris, pauci, & stillantis, die infœcũdo, vt ait in Philisco. Symptomatica est etiam in facie defœdata, sanguinis dilutissimi, & quæ ἀθρόως fertur. Denique omnis quæ motu morbi, vel à viscerum exolutione cietur hæmorrhagia, symptomatica meritò dici potest. Existunt etiã particulares hæmorrhagiæ criticæ, vt cephalalgiæ prægrandis, aurium inflammatarum quæ prorepit ad

proth. 7 (?) in Coac. 1. lib. & 2. Epid.

frontem & tempora, maximéque iunctam inflammationis item systrophicæ hypochondriorum: dolorificorum etiam in lumbis malorum quæ solent esse sanguiflua per menstrua aut hæmorrhoidas: dysenteria cruenta in iis qui malè collocati fuerunt in curatione cruris perfracti, aut in iis etiam qui altero sunt crure mutili. Sed posteriora hæc duo, sunt quidem αἱμορῥοϊκὰ, καὶ αἱμοῤῥαγώδεα: non tamen verę sunt hæmorrhagiæ. Est igitur hæmorrhagia critica, quæ iure & loco fit, tum vniuersalis, tum particularis. Omnis enim affectio πληθωρικὴ, i. *ex repletione*, repletionis propria vacuatione conuenienter exsoluitur. Est autem propria vacuatio hæmorrhagia & sudor. Ac sanè tot vacuationes moliri necesse est, quot sunt repletionis affectionum foci & sedes. His ita constitutis.

Qvæ diebvs criticis.] Tametsi enim τὰ κρίσιμα verè dicantur & propriè, signa & causæ criticæ, tamen commemoratio causæ criticæ, i. hæmorrhagiæ, dierum κρισίμων significationem ostendit: quemadmodum in illa prognosi: Οἱ ἐν κρισίμοισιν ἀλυσμοὶ ἀνιδρῶτες σὺν ψυχόμενοι κακόν. i. *Quæ diebus criticis cum refrigeratione incidit anxitudo expers sudoris; mala.* Ergo quæ diebus criticis, paribus & imparibus, quibus certamen naturæ & morbi est in procinctu; maximè tamen primis periodis, quaternariis ante vigesimum diem, post quem sperabilis non est hæmorrhagia, quæ critica lege imparibus potissimùm solet cieri, quòd illis concitatio fiat bilis quæ regnare dicitur in morbis acutis quorum propria est crisis hæmorrhagia.

40. coac. 1. lib.

Ex hæmorrhagia.] Ἐκ τῶν αἱμοῤῥαγιῶν, quæ vox pluralis numeri, crebram ostendit sanguinis profusionem è naribus, cuiusmodi fuit in Metone quem scribit crebrò sanguinem profudisse post ipsam crisin; resipuisse tamen atque conualuisse. Sed hîc frequentem posuit hæmorrhagiam, quæ tantùm recipit commendationem & laudem criticorum dierum: ipsa tamen reapse inutilis est, ac nihil opis adfert ægroto; proptereàque peior censenda, quòd omnia quæ fiunt quæque apparent diebus criticis bona aut mala firmiora sunt, quàm quæ in alia incidunt morbi tempora. Est autem commemorata hoc loco frequens hæmorrhagia, vel etiam vnica, diu multumque prorupta, inutilis atq; mala: quòd accessionem habeat malignæ & efferæ cacochymiæ qua sanguinis multa perfusus transfertur ad caput, nec antè subsistit quàm prorependo appulerit ad extimas venarum oras quæ sunt ad imam frontem, vbi facta anastomosi, qua data porta, foras prorumpit, nec ampliùs dominatu naturæ tenetur.

hist. 7. 1. Epid.

Perfrigeratio incidit eximia.] Ex qua fit corpus marmore ipso frigidius, vel toto habitu, vel extimis: id enim significat ἀποψύξις νεανικὴ, i. *refrigeratio fortis.* Nam quæ simpliciter vsurpatur ἀποψύξις, non rarò temperationem ostendit ardoris febrilis. Sed illa vox, νεανικὴ, frigoris eximiam vim, atque, vt ita dicam, iuueniliter fortem planè ostendit: quemadmodum & aduerbium νεανικῶς, fortiter validisque viribus morbum aliquem dominari, cùm ait: Τὰ φρενιτικὰ νεανικῶς τρομώδεα τελευτᾷ, i. *Vehementer phrenitici, tremuli moriuntur.* Ergo νεανικὴ ἀποψύξις illa demum esse videtur quæ scribitur in ea sententia. *Extimarum partium cita in vtrumque mutatio, praua est*: vbi Galenus agnoscit repentinam vicissitudinem prægrandis frigoris & ardoris, qualem disertè alibi expressit. Οἱ ἐκ καταψύξιος ἱδρώδεες, ἀναθερμαινόμενοι κακόν. i. *Qui à perfrigeratione subroscidi sunt, habent malè.* Iam vero ipsum nomen τῆς ἀποψύξιος, refrigerationem exhibet considerandam, vel in extimis partibus, vel in toto corporis habitu. Sed huius refrigerationis eximiæ causa est immodica sanguinis profusio, per exolutionem potentiæ retentricis, & orgasmum efferæ cacochymiæ quæ dissipauit nectar viuificum ipsius cordis, quo defraudatæ partes extimæ perfrigerantur. Tantum enim habent illæ caloris, quantum & sanguinis Quinetiam quæ supersunt ab hæmorrhagia in hypochondriis καύματα plurimùm certè faciunt ad illam perfrigerationem quæ

prorrh. 9. f. 1. 1.
prorrh. 8. f. 2. 1 & 53. Coac. 2. lib.
prorrh. 32. f. 2. 1.

Pessima est.] Propter infirmitatem summam & νέκρωσιν caloris natiui, quæ sanè Galeni ratio, est ad illam sententiam. Αἱ ἐκ ῥίγεος καταψύξιες μὴ ἀναθερμαινόμεναι κακαί. i *Frigus ex rigore non incalescens; malum.* Verba Galeni sunt hæc: Ἀσθενείας δηλοῖ ἢ νέκρωσιν τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἡ τοιαύτη κατάψυξις. i. *Imbecillitatem arguit aut morticinium caloris insiti, hæc perfrigeratio.*

prorrh. 31. lib. 1.

2 Τὸ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγέειν πονηρόν· οἷον ἐπὶ σπληνὶ μεγάλῳ, ἐπὶ τῶν δεξιῶν. καὶ καθ᾽ ὑποχόνδρια ὡσαύτως.

Sanguinem è diuerso fluere; malum est: vt in liene magno, è dextris. Atque similiter in hypochondriis.

Hæc prognosis dirimit litem omnium decertantiũ super loco detrahendi sanguinis ad retractionẽ rheumatis concitati, & detractionem cõsistentis phlegmonarum systrophicarũ thoracis & hypochondriorum. Etenim si ea quæ conueniunt, duce natura, suscipiuntur, artificium prębent medico ad imitationem ipsius naturæ comparandum; planè efficitur, vt si hæmorrhagia κατ᾽ ἴξιν, hoc nomine in bonis ducatur, contraria autem in vitio sit; illius, non huius, in detrahendo sanguine imitatores esse debeamus. Ergo secare oportet venam κατ᾽ ἴξιν, i. *è directo*, non autem ἀνάπαλιν, i, *contra directum*: quoniam omnis hæmorrhagia iniussa contra directum, praua est. Et si contrariorum contraria sunt consequentia, efficitur quoque iniussam κατ᾽ ἴξιν hæmorrhagiam bonam esse; proptereàque iussam iure & loco præscriptam: sicut præceptor alibi multis in locis & obseruandum & faciendum præcepit. Sed magna fuit cõtentio inter maiores nostros super illo κατ᾽ ἴξιν, aliis ipsum esse directum, aliis cõtra oppositum & ex aduerso pertinaciter & pertinaciter sustinentibus. Sed hæc sententia, velut senatusconsultum

aph. 16. 6.

solutum, litem componet; modò ipsam medici attentissimis legerint animis & intellexerint, vti fore confido si cum benignitate ad discendũ accesserint. Soleo sæpe dicere, quòd bona est inter medicos opinionum dissensio, pessima voluntatum. Sed præstantissima est, rerumque omnium ab ægroto expetendarum præcipua, par studiorum & opinionum consensio, quæ quidem lucet splendetque in iis potissimùm qui sapientiæ Hippocraticæ studium diu attentissimè coluerunt. Hoc igitur spectat prognosis; omnem hæmorrhagiam malè cieri quæ non cietur κατ' ἴξιν. Eadem ratio est in omni transitu, tum per abscessum. Nulla omnino naturæ contentio, quantumuis iure & loco suscipiatur, sperabilem crisin ostendit, nisi κατ' ἴξιν procedat. Denique nihil medicorum vocis respondet, si desideretur illud, κατ' ἴξιν. Hippocratis illud est: κατ' ἴξιν ἡ πλευρῖτις ὀδύνη, ἡ ὑποχονδρίων σύντασις, σπληνὸς ἔπαρσις, ἐκ ῥινῶν ῥῆξις, i. *E directo laterum dolor, hypochondriorum tensio, lienis tumor, eruptio è naribus.* Sed huius sententiæ explicatio mox adferetur, Hippocratem hîc loquentem audiamus.

Sanguinem a diuerso fluere, malum est.] Enimuero, τὸ ἀνάπαλιν, contrarium est, τοῦ κατ' ἴξιν, quod significat *è regione*, proptereàq; appositè dicitur, *è diuerso*. Sed præter eam significationẽ, τὸ κατ' ἴξιν vsurpatum legitur, *ad perpendiculum*; vt in illo, [illegible] τὸ κατ' ἴξιν τοῦ ἕλκεος: quo loco reprehendit Hippocrates suæ tempestatis chirurgos qui fascias iniiciebant hinc inde, ἔνθεν καὶ ἔνθεν; quæ voces Galeno visæ sunt propriæ ad iudicandam rationem adhibendi laminam plumbeã, non hinc inde, sed ad perpendiculum super tumore. Itaque fortassis non temerè nec arroganter, τὸ ἀνάπαλιν, contrarium τοῦ κατ' ἴξιν, opinionem faciet illius ἔνθεν καὶ ἔνθεν, i. *hinc inde*; si propriè referatur vt decet ad corporis latitudinem. Nam [illegible] hîc refertur ad longitudinem; vt propriè τὸ κατ' ἴξιν, quod significat semper τὴν εὐθυωρίαν ποτὲ μὲν κατὰ τὸ μῆκος τοῦ σώματος, ποτὲ δὲ κατὰ τὸ πλάτος, i. *rectitudinem in longum modò, modò etiam in latum.* Quamobrem τὸ ἀνάπαλιν rectè videmur conuertisse, non ἔνθεν καὶ ἔνθεν, quæ propria eius significatio est; sed *è diuerso*: quoniam hoc loco situs ostenditur in longum, non autem in latum: sicut in Herophonte legimus; [illegible] σπλὴν κατ' ἴξιν, i. *bubo illi doluit lienis è directo*: priùs autem dixerat σπλὴν ἐπῄρθη, i. *lien intumuit*; & oborto in bubone abscessu, paulò pòst ait, σπλὴν ἐμειώθη, i. *lien imminutus est.* Eòdem spectat illud quod scriptum est de symptomatis calculosorum renum, [illegible] τὸ κατ' ἴξιν. Possem hîc ego, perinde ac idoneum nactus locum, multa scribere super ea voce κατ' ἴξιν, quod pertineret maximè ad demonstrandum quorsum dicatur: sed hæc sufficient testimonia quæ verè sunt [illegible] nostri authoris. Quæ cùm ita sint, quærendum videtur quamobrem malum sit profluere sanguinem è diuerso. In promptu causa est, quoniam hæmorrhagia nulla in bonis ducenda, quæ non fit è regione, siue κατ' ἴξιν. Atque id longo vsu medendi expertum, & ab Hippocrate comprobatum, ac velut angustissima lege sancitum, vbi ait: κατ' ἴξιν ἡ πλευρῖτις ὀδύνη, ἡ ὑποχονδρίων σύντασις, σπληνὸς ἔπαρσις, ἡ ἐκ ῥινῶν ῥῆξις. Ac si diceret, quemadmodũ omnis inflammatio systrophica thoracis, hypochondriorum & lienis, venit à rheumate consistente quod priùs concitatũ fuit κατ' ἴξιν; ita curatio eius tum iniussa, tum iussa, quæ sanguinis vacuatione [illegible] suscipitur, nec alio quouis modo perfici debet κατ' ἴξιν retrahendo & detrahendo. Declarat illud, profluuium sanguinis è naribus quòd fit sua sponte κατ' ἴξιν. Est enim rarum illud, ᾗ ῥέπει ἄγειν, i. *ducendum quà vergunt.* Atqui omnia vergunt κατ' ἴξιν quæ faciunt phlegmones systrophicas hypochondriorum atque thoracis. Nã rubor cynanchicus facit lateris dolorem κατ' ἴξιν. A lienis tumore obortus est bubonis abscessus κατ' ἴξιν in Herophonte; in Heropyto crebra fuit vicissitudo surditatis & doloris in ischio dextro. Atque ita cóparatum fuit, ac ita res tulit, vt febris ingrauesceret cum surditate, quoties dolor ischij quiescebat; ipsa verò mitesceret cùm ischij dolor vrgeret. Ne longum faciam; omnia quæ inferne sursum, aut superne deorsum feruntur, κατ' ἴξιν eò viam affectant vbi consistunt, aut vnde exitum habent; siquidem natura duce [illegible] ferantur, non autem orgasmo. Ergo ducendum semper κατ' ἴξιν: quando illud verissimum esse cóstat, ᾗ ῥέπει ἄγειν. Huius autem prognoseως dignitas Galeni testimonio illustratur ad lib. περὶ διαίτης ὀξέων. Etenim si verum [illegible] phlegmonarum systrophicarum est hæmorrhagia κατ' ἴξιν: curationis quoque ipsarum [illegible] erit detractio sanguinis præscripta κατ' ἴξιν.

Vt in liene magno e dextris.] Nam Bioni ad magnum lienem, [illegible], profuit multũ profundere sanguinem è nare sinistra. Si quis obiiciat sanguinem stabulari tantùm in venis & corde, alibi nusquam; proptereàque aliunde duci non posse; nullam autem venam à liene produci in partes sinistras, quòd omniũ origo sit hepar: sciat is velim natura bene constituta, maximéq; inchoato tumoris lienosi pepasmo vnde fit sanguis tenuior, ipsum propelli & rapi in venas maiores κατ' ἴξιν lienis affecti: non secus atque in lumborum tabernaculo gibberum facit, ipsum transferri in venam quæ adiacet lumbis, vnde varicibus in crure obortis, cum tuberculo gibberum sanescit. Valeat igitur Vesalij arrogantia qui pertinaciter sustinet, ad omnem pleuritidem secandam esse basilicam brachij dextri. Est enim maior vis posita in forti contentione partis obsessæ, quàm in venarum situ, ad propulsandum. Sunt autem sinistris [illegible], i. *consocialia* sinistra: quemadmodum dextra dextris. Sic fœtus mares dextro vteri sinu gignuntur atque geruntur, quòd illa pars è regione sit hepatis, eiusque gratioso tepore fruatur. Et verò commemorabile est illud quod fuit Hippocratis de humorum exitu iudicium; naturam scilicet inuenire viam qua se exoluat humore morbifico: quamuis & ipse crassior sit & meatus angustiores, modò validæ sint eius vires ad fortem in depellendo & propulsando contentionem. Nec verò idem dubitauit scribere, naturam moliri abscessus per ossa, hydropicorum aquas refluere in aluum, easdemque ferri per vrinæ ductus, expurgationem puris obseruari in purulentis rupta in thorace vomica, & quæ sunt eiusmodi. Notum est illud: *Quibuscumque inter ventrem & diaphragma collecta pituita est, doloremque exhibet, denegato sibi in ventrem alterutrum exitu; his conuersa in venas pituita morbum exoluit.* Ex quibus efficitur, nec forti naturæ contentione, nec valida

fent. 12. part. 2. 6. Epid.

lib. 3. [illegible] 9. simpl.

Hist. 1. 3. Epid.

part. 5. sect. 18 6. Epid.

lib. [illegible]

6. Epid. hist. 9.

part. 3. 3. Epid.

lib. 2. Epidem.

1. Epid.

aph. 48. 7.

eius virtute, nec parte consociali, nec præparato humore, factóque meabili corpore; non vnde, quò, quà, & quemadmodum oportet, hæmorrhagiam cieri è naribus dextris in magno liene.

ATQVE SIMILITER IN HYPOCHONDRIIS.] i. In hepate quod adiacet hypochōdriis, eiusque per mala hypochondria metonymicè recensentur; vt nuper explicauimus in historia tumorum hypochōdriacorum. Nam in sententia illa de mouendo κατ' ἴξιν, non videtur complexus in tensione hypochondriorum, lienis tumores quos ipse separatim nominauit σπλῆνος ἐπάρσιας. Similiter autem dixit fieri hypochondriis, vt in liene magno, si tenso hypochondrio sanguis fundatur è nare sinistra. Non tamen peccata sunt paria. Multò enim grauiùs peccatur, si tenso hypochondrio, sanguis è diuerso feratur, quam in liene magno: quia sunt acerbiores morbi, & systrophicæ inflammationes hepatis quàm lienis.

6. Epid.

3 Τὰ αἱμοῤῥαγέντα ἐφιδροῦντα τρώματα κακοήθεα· διαλεγόμενοι λαθραίως τελευτῶσι.

vel αἱμορραγήσαντα.

Qui prorupto sanguine perhorrescunt in trœmate; grauissimum habent malum: atque hi vitam finiunt disserentes, nec opinatò.

EXPLICATA sunt duo genera hæmorrhagiæ symptomaticæ vnum quod cernitur in nimia prorupti sanguinis abundantia; alterum verò in excundi modo & loco, cùm scilicet è diuerso exitum habet sanguis. Hic tertium genus proponitur, vel meliùs, tertia eiusdem generis species quam facit viscerum exolutio, prauáque sanguinis conditio venenata qualitate infecti. Hinc summa virium infirmitas, ac dissipatio vitalis atque viuifici nectaris, vnde homines familiariter colloquēdo cum suis familiaribus, moriuntur celeriùs opinione medicorum ipsorum, cæterorumque omnium qui præstò sunt. Quod sæpe accidit rupta in pulmone vomica, & afflatu pestiferæ auræ. Mihi verò dum literis mandare cogitationes meas in hāc prognosin, venit in meorē cum iucūdissima recordatione diuini beneficij, quo superiore anno ex faucibus fati ereptus sum, cùm differendo, ab hæmorrhagia, sine vlla sensione rei molestę, in complexu liberorum meorum, clarissimæque coniugis, penè animam exhalaui.

1578. Nō Iul. hæc autem scripsit Nonis Iul. 1579.

Ergo. QVI PRORVPTO SANGVINE.] Vel, qui sanguinis copiam profundunt sauciati, aut ex vulnere recens illato, aut ex vlcere cum pulsu forti & permolesto, quem facit naturæ contentio studens excludere quæ sibi noxia sunt, atque ita ciet hæmorrhagias. Ex quo efficitur verum illud esse quod scripsit: Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖς ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγία. i. *A forti in vlceribus pulsu, hæmorrhagia.* Nam & a vulnere, quod τρῶμα Græci vocant, non raro cietur hæmorrhagia conuulsifica, aut singultuosa. Sed illa symptomata non sunt λαθραίως mortifera: cuiusmodi memoratur hæmorrhagia proposita, sed ὀξέως potiùs, i. *crudeliter & apertè.* Quia etiam in iis qui à trœmate multùm emacruerunt, exolutis visceribus quæ iam tæder sui officij; hæmorrhagia sæpe fit, quibusdam supera, aliis verò infera, ferturque aluus nigro admodum tabo, vt ipsi vidimus in Polemarcho Brillacio biduo antè quàm fato concessit. De trœmatis autem proprietate, quid scilicet ipsum significet, dicetur aliàs pluribus περὶ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τρωμάτων.

aph. 21. 7.
aph. 23. 4.
1564.

PERHORRESCVNT.] Sic legitur in Coacis, in prorrhetico, CVM SVDATIVNCVLA. Vtraq; lectio tolerabilis atq; vera, sed appositè magis sudatiuncula ad inopinatam mortem, quàm horror. Nam horroris frustra oborti translatio ad diaphragma & caput, non est sine doloris acerbitate, actionū læsione aspectabili. Sed sudatiuncula, præsertim particularis in capite aut thorace (nam cernitur etiā in toto corporis habitu sudatiuncula) vt ineunte morbo symptomatica est oppressarum virium: sic eo affectu, exolutarum, mortemq; in propinquo esse denunciat, sine vllo sensu molestiæ. Plurima iam super ephidrosi dicta sunt à nobis priore libro huius diuini operis, & alibi passim. Superest illud quærēdum; quî fiat vt à sudore horror hæmorrhagiam denunciet salutarem: contrà verò ab hæmorrhagia horror terrificus esse videatur: id enim significat propriè κακοήθης. Hippocratis illud est: *Si cui cùm perhorruerit atque sudarit criticè, rursus postridie horror ingruerit, ac tum à pepasmo somni fit expers, idque* [illegible] *. i. immeritò; huic venturam arbitror hæmorrhagiam.* Sanè haud parum nec modicè differunt inter se, illius & huius prognoseωs argumenta siue τεκμήρια. Huius enim horror est planè symptomaticus exactæ profusioris hæmorrhagiæ, idemque frustra fit, & fractis iam viribus ægri: illius autem prognoseωs à sudore horror nouum certamen instituit, quod fœliciter à natura perficitur. Hoc enim spectat illa prognosis non tantò varices esse morborum crises quæ ad salutem variè suscipiuntur pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione. Docemur etiam varietatem illam criseωn denunciari posse vna eademque rigoris concussione. Est enim rigor idem criticus & sudoris & hæmorrhagiæ prænuncius, aluumque ciet deorsum & sursum. Exempla variarum criseωn in eodem morbo fœliciter susceptarum leguntur historia 3. vniuers. 1. Epid. Sed longiùs excurrit mea disputatio.

15. Coac. 5. lib.

GRAVISSIMVM HABENT MALVM.] Ne dicam mortiferum. Nam τὸ κακοῆθες, verbum est ποιμόνιμον pro grauitate propositi mali. Significat enim τὸ κακοῆθες, quod metum quidem adfert sinistri iudicij, nec tamen desperabilem vitæ salutem ostendit. Grauissimi autem mali atque mortiferi causæ sunt explicatæ. Nam quæ ab exolutione partium solidarum exudat sudatiuncula, mortem subesse testatur. Idemquoque facit hæmorrhagiæ sumptomaticus horror, cùm vires effœtæ languent.

ATQVE HI VITAM FINIVNT.] Quidam postridie quā tabo admodū nigro ducta fuerit aluus.

DISSERENTES NEC OPINANTES.] Quoniam moriendi sensum adimit viuifici nectaris vacuatio atque vacuitas, & partium solidarum exolutio, ipsiusque vitalis principij dissipatio.

Τὰ

4 Τὰ πεμπταῖα αἱμοῤῥαγήσαντα λάβρως, ἕκτῃ ἐπιῤῥιγώσαντα, ἑβδόμῃ περιψυχθέντα, ἀναθερμανθέντα ὀξέως· τούτοισι κοιλίαι πονηραί.

Quibus quinto die larga est hæmorrhagia, sexto rigor, septimo perfrigeratio, rursusque prægrandis ardor iis in vitio sunt alui.

QVEMADMODVM in vitio est omnis vndecumque manarit profusior hæmorrhagia : sic ea quæ consectarium habet symptoma, quod ipsius debuerat prænuncium esse signum, additione grauiorum malorum mortifera esse solet. Nulla est omnium vacuationem quæ tam faciat corpus infirmum, quàm liberalis hæmorrhagia. Est enim sanguis viuificum nectar quo partium omnium fugax viuacitas recreatur atque reficitur, ad vitæ & animalitatis conseruationem & diuturnitatem. Sed vt profluere sanguinem plus quàm decet, malum est : ita pestiferum si illud profluuium successionem adferat rigoris, indéque profusioris alui: quæ duo non minùs terrifica sunt, quàm ipsa profusior hæmorrhagia. Est quidem spei plena quæ ante rigorem vrina subsistit, siquidem κατὰ λόγον illa suppressio fit : terrifica est autem quæ à rigore fit, ac citam mortem adducit. Eodem modo qui iure & loco rigent, hæmorrhagia superueniente, febre ardente fœliciter exoluuntur. Secus est à rigore qui post hæmorrhagiam cietur, vti mox noster author docebit.

QVIBVS QVINTO DIE.] Quo scilicet jure & loco cieri potest hæmorrhagia, vt in Metone; non autem quarto. Nam quartanæ hæmorrhagiæ sinistri sunt judicij. Pertinet autem diei quinti notatio, vt particulare prognoseως illius exemplum. *Quæ diebus criticis hæmorrhagia cietur*, &c. vbi demonstratum est, eò res peius ire ex mala crisi criticorum dierum, quòd omnia firmiora sunt illis diebus quàm quæ in alia inciduot morbi tempora: quoniam certamen naturæ & morbi tum in procinctu est.

LARGA EST HÆMORRHAGIA.] Vndecumque & quacumque cietur, quod idem alibi scripsit ἐκθετικῶς. Cietur autem larga humoris tenuissimi & acerrimi, motu naturæ, aut febris impulsu, & repletione particulari capitis aut lumborum, & locorum muliebrium. Ratum est illud: *Quæ ex dolore lumborum cientur hæmorrhagiæ, largæ.* Vt enim fortis naturæ contentio pulsum reddit micantis arteriæ dolorificum: ita quæ ex illa contentione in repletione particulari cietur hæmorrhagia, larga est & profusa. Similiter fit in pulsu aspectabili micantium in temporibus arteriarum, & cephalalgia prægrandi.

aph. 27. 4. & Coac. 119. li. 1. Coac. 3. c. 11. li. 2.

SEXTO RIGOR.] Qui placidus esse debet, omnisque perturbationis expers, maximéque ab hæmorrhagia quinti diei; quæ optima quidem esset si omnino morbum exolueret, bona autem, si efficeret vt æger alacriùs morbum ferret: quemadmodum de sudoribus præcepit Hippocrates. Hîc autem notabile est quod sexti diei exacerbationem memorarit, in quo symptomatum remissio esse debet; tum quia dies ille tyrannus esse solet: tum quia dierum imparium meliores sunt paroxysmi quàm parium. Est igitur illa prognosis ægro magis propicia & salutaris. *Qui febrium initus perturbantur, somni expertes, si quidem stillat sanguis, indéque sextum diem agentes sint alacriores, sed noctem exigant molestiorem, postridie autem perturbati sanguinem liberaliter profundunt malis omnibus exoluuntur. Ac talia denunciat aquosa vrina.* Nam de rigore symptomatico sexti diei, solemnia sunt illa: *Qui sextum morbi diem agentibus fiunt rigores, dyscritici*, vt Dromeadæ vxori. Deinde verò cùm rigor omnis criticus excitetur cita exclusione bilis flauæ à venis in partes acerrimi sensus; consentaneum est vt id fiat virtute naturæ quæ hîc locum non habet. Est igitur symptomaticus.

et 91. coac. 1. lib. aph. 29. 4. & Coac. 15. 1.

SEPTIMO PERFRIGERATIO.] Hîc tritæophyæ febris in paritatem mutatio est, quæ paritas ex imparitate contumacissima est. Eius autem mutationis causa est rigor, juxta illam prognosin. *Tritæophyarum febrium incerti rigores qui medio febris cursu exacerbantur sunt terrifici.* Hîc autem perfrigeratio temperationem significat febrilis ardoris, vt idem videatur περίψυξις quod παῦλα dierum imparium in Nicodemo Abderita qui paribus diebus paroxysmos habebat.

19. Coac. 1. lib. 2. Coac. 1. lib. hist 10. part. 3. 3. Epid.

INDEQVE PRÆGRANDIS ARDOR.] Hujus ardoris mentio fit ὕστερον πρωτέρω. Atque sic collocari debet in hac prognosi. *Quibus ex ardore febrili quinto die larga est hæmorrhagia*, &c. Nam τὸ ἀναθερμανθέντα, ἀντὶ τοῦ, πῦρ ἔχοντα, vel ὑπὸ καύσου ἐχόμενοι, non raro scriptum legitur apud Hippocratem, vt in illo præter alia multa. Οἱ κατόχοι, οἱ χλωώδεες, ἄχροοι, κωματώδεες, ἱδρῶντες, ἀναθερμαινόμενοι κακόν. In qua prognosi complexio est symptomatum pessimorum quorum vnumquodque pestiferum est quando cum febre coniunctum est; vt nihil necesse sit ea simul existere ad exterrendum, vt ait Galenus. Quòd si loco scriptum sit, τὸ ἀναθερμανθέντα, cacopragiam ostendit ipsum per se naturalis œconomiæ, quam facit tritæophya febris quæ ex incerto rigore mutationem habuit imparitatis in paritatem, siue παροξυσμοῖς ἀρτιάζουσιν.

36. Coac. 1. lib. cõment. ad prort. 41. c. 2. t.

IIS ALVI LABEFACTANTVR.] Quoniam à profusiore profluuio sanguinis, multùm laborant ex paupertate caloris natiui, vnde fatiscunt in officio coquendi, distribuendi, sanguificandi, & excernendi : maximéque cùm refectioni studendum est, quo tempore ex diuturna officij vacuitate facta est grauior aluus.

39. Coac. 1. lib.

5 Μεθ' αἱμοῤῥαγίην, μελαίνης διαχώρησις· κακόν. πονηρὸν δὲ καὶ τὰ ἐξέρυθρα εἴδεα. τεταρταῖοισιν αἱ τοιαῦται αἱμοῤῥαγίαι κωματώδεες

ἐκ τοιούτων, παρασθέντες· ὑπόσχουσι, μελάνων προδιελθόντων, ἢ κοιλίης ἐπαρθείσης.

Ab hæmorrhagia, nigrorum deiectio; malum: pestiferum est etiam prærubris & æruginosis ferri aluum. Quaternarius huiusmodi sunt hæmorrhagiæ, indeque comatosi, conuulsi, intereunt, nigris prodeuntibus, aluôque inflata. 10

2. Epid. aph. 14. 2.

IN OMNI excretione prodest mutari excrementa, modò in peius illa mutatio non fit. Saluberrimum est ferri aluum dilutiore bile, quæ paulò antè meracior visa est; non è diuerso. Ne longum faciam, bona est hæmorrhagia quæ iure & loco fit, sanguinis suo sero diluti: pessima autem me faci, quem ἄκρητον Græci vocant, vt in Philisco. Ac sanè tāta vis est qualitatis prauæ, vt si quæ vacuatio in vitio sit tempore & excundi modo, ob eamque causam sinistri judicij esse putetur, non tamen talis ipsa qualitate praua, vel hoc tantùm nomine mortifera non sit. Existunt quidem sanguinis stillicidia mala, vt omnes judicatoriæ causæ exiguæ; peiora etiam sunt critico die expressa; non tamen omnino funesta sunt. Sin 20 autem nigra sint, desperatam salutem ostendunt. Sed illud spem adimit, cùm post hæmorrhagiam, nigrorum deiectio est, vnde significatio fit ingrauescentis morbi, & viscerum exolutorum. Ac tantò peior est illa hæmorrhagiæ symptomaticæ calamitas succedanea quàm profusionis alui, quantò ipsum iecur est aluo nobilius, vel quantò pars princeps, officij præstantia ministram præcedit. Terrifica est quidem alui præpropera excretio, & in officio laborantis infirmitas quam peperit profusior hæmorrhagia: sed mortifera est illa planè, nec vllam salutem vitæ relinquit sperabilem, cuius consectaria est nigrorum deiectio in qua tædet hepar sui officij cum incremento grauiorum symptomatum, & morbi acquirentis vires eundo. Postquam igitur alui laborantis in officio coquendi, appetendi, & excernendi incommoda largior hæmorrhagiæ symptomatica explicauit; nunc effœtorum viscerum ab eadem causa calamitatem proponit. 30

AB HÆMORRHAGIA.] Scilicet larga, vndecumque & quacumque sanguis affluxerit, ob tenuitatem & acrimoniam, febris impulsum, & repletionem particularem; quæ tres omnino sunt causæ profusioris hæmorrhagiæ, maximéque si eo conspirarit infirmitas potentiæ retentricis, atque principij sanguifici exolutio.

NIGRORUM DEIECTIO.] Cuiusmodi sanguis est niger, ipsáque fæx sanguinis vel melancholicus humor: non autem bilis atra quæ tria illa secum habet coniuncta, τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες, καὶ τὸ διαβρωτικόν. Quarum omnium qualitatum expers est melancholicus humor, nec terram fermentat, sicut bilis atra, maximéque illa quæ gignitur ex bile flaua perusta, quæ homines facit fanaticos, & insanabiles cancros.

MALUM.] Quoniam critica esse nequit illa nigrorum deiectio: proptereáque sinistri iudicij, ne dicam lethalis, ob prauam qualitatem excrementi quo ducitur aluus: quamuis διαχώρημα non semper significet τὴν ὑποχώρησιν. Omnia enim iudicatoria non judicantia quæ in contrarium naturæ vergunt, cuiusmodi esse dicuntur κακοήθεα διαχωρήματα, i. maligna excrementa, sine exceptione funesta sunt. Secus est de vrinis nigris quæ à menstruorum aut puerperiorum suppressione redduntur in morbis acutis: nihil enim mali præ se ferunt, sed contrà prodest sic ipsas reddi. Deiectio autem nigrorum, viscera multum in vitio esse, vel, vt Galenus loquitur, μεγάλην κάκωσιν ipsorum denunciat. Existunt & aliæ deiectiones nigræ, ipsa qualitate humoris funestæ, quas ab atra bile meraca fucari scribit Galenus: sicut & liuidas ab eadem atra bile modica & modicè tinctas, non exquisitè. Sed illæ soboles sunt bilis flauæ perustæ in morbis ardentes acutis: sicut & nigræ in vrinis nubeculæ. At tales illæ non sunt consectariæ profusioris hæmorrhagiæ. 50

2 Epid. & comment. ad prorrh. 35 f. 1.t. lib. pane 1. 3. Epid. 22 lib. 2. progn.

PESTIFERUM EST ETIAM PRÆRUBRIS ET ÆRUGINOSIS FERRI ALVUM.] Enimuero proluuies alui prærubra certissimum est argumentum labefactatæ naturalis œconomiæ, & hepatis multùm effœti soboles. Omnis enim cruenta dejectio jecori accepta refertur: sed periodica & fugax, virtute illius fit, perennis autem, torminosa, carnisque lotura similis, exoluti visceris, penèque dixerim, emortui syllogisticum est signum. Sed æruginosæ causa est dejectionis, non hæmorrhagia quidem sola, sed ardor febrilis qui facit bilem æruginosam, cuius in atram facilis mutatio est.

QUATERNARIIS HUIUSMODI SUNT HÆMORRHAGIÆ.] i. Quartum morbi diem agentibus, quos ego ὁμοίως quaternarios nominaui. Nam & quaternarij sunt qui septimum, vndecimum, decimumquartum diem agunt. Itaque die quarto infœlix ac sinistri judicij est hæmorrhagia; quia nō suscipitur neq; perficitur κατὰ φύσιν. Ergo symptomatica est à morbi impulsu, & sanguinis effeti multa bile perfusi, cujus orgasmo seu impetu ἀναδρομὴ, i. excursus fit ad caput, cujus ἀναστόμωσις non est per anastomosin venarum & arteriarum quæ sunt ad imam frontem. Nihil autem bene fit quod critica lege non fit, imprimisque hæmorrhagia quæ cietur morborum initiis, quo tempore natura morbificis caussis opprimitur, estque humorum cruditas. Deinde infœcundo die, vt quarto, qui est ἀνίσοιος, & sine paroxysmo febris acutæ, cujus meliores sunt paroxysmi imparibus diebus quàm paribus. Est autem par 60

dies

dies quartus. Quæ causa mouit Hippocratem vt scriberet : Τεταρταῖαι αἱμοῤῥαγίαι δύσκριτοι, i. *Quartanæ hæmorrhagiæ difficilis iudicij*. Sed contra, illud ratum esse voluerit. ἑβδομαίοισιν, ἢ ἐνναταίοισιν, ἢ τεσσαρεσκαιδεκαταίοισιν ἐκ ῥινῶν λύουσι, i. *Septimum diem morbi agentibus, aut nonum, aut decimumquartum sanguinis profluuia è naribus tollunt morbos*. Sed illæ tamen incidunt causæ quibus hæmorrhagiæ quartanæ, vel etiam stillicidij calamitas vertitur in salutarem crisin. Enimuero sic comparata est ratio paruarum excretionum, quamuis & quantitate & tempore, & ipso excundi modo in vitio sint, vt prauæ qualitatis expertes, accessionem verò habentes perfecti pepasmi, non minùs bona spe nos consolentur, quam metu exterreant. Est enim vitæ salus in pepasmo sperabilis. Atque illa consideratio præceptorem eò adduxit vt illam prognosin ediderit. *Quibuscumque febrium initio oborta sternutatione, sanguinis stillicidia sunt è naribus, si quidem*

10 *vrina quarto die hypostasin habeat albam, vacationem morbi septimo fore ostendit*. Quod autem confidenter ... pronunciauit, dubitanter id ipsum quærit in prorrh. his verbis : Ἆρά γε τῇ τεταρταίῃ τοιαῦται αἱμοῤῥαγίαι, i. *An quarto die huiusmodi sunt hæmorrhagiæ?* Omnis enim quo cum interrogatione instituitur prognosis, ancipitem adfert rationem iudicandi. Catholica autem, propositæ rei decisionem ostendit. Est verò huiusmodi, quòd omnis iniussa excretio quæ dominatu naturæ non regitur, aut magisterium morbi, aut summam naturæ oppressionem, aut etiam nobilium partium exolutionem denunciat. Atque talem esse quartanam hæmorrhagiam planè constat ex iis quæ paulò antè sunt demonstrata, vt inter quartanã & eam quæ critica lege cietur tantum intersit, quantum inter menstruam purgationem & ῥοῦν γυναικεῖον.

IN DEQVE COMATOSI, CONVVLSI INTEREVNT.] Quid enim? potestne coma existere cum ipsa conuulsione? An homo idem comatosus, & vnà conuulsus? Enimuero simul existere non posse videntur coma atque conuulsio quorum illud consistit ἐν λύσει, hæc verò ἐν τάσει. Ac λύσις & τάσις con-

20 traria sunt, nec vnà simulque locum inueniunt in eodem subiecto. Sed instat Hippocratis illa quæstio. Κωματώδεες ἆρά τι ἔχει σπασμῶδες, *An comatosi habent aliquid conuulsificum?* Sanè quidem coma mixtum in quo tandem cernitur phrenitis, tremore & conuulsione potest finiri: vt omnis phrenitis νεανική, i. *extimia*, atque, vt ita dicam iuueniliter fortis. At comatis simplicis nulla eiusmodi mutatio esse potest. Sed illud quoque non mediocriter vrget. *An resolutio paraplegiæ propinqua, conuulsione sanescit?* Sanè quidem, id quod speciem quandam præ se fert paraplegiæ, reuera autem paraplegia non est, quod indicant voces illæ παραπληκτικὸν τρόπον, quibus ostenditur eo loco ex lumborum ad caput ascensu obstupescere ceruices & manus, ab oppressione quam inde facit venarum & arteriarum distensio, dum via ad caput affectatur vbi paraphotica eduntur symptomata: quod certè non fieret, si ab oppilatione neruorum ceruicalium stupor ille nasceretur. Sanescit autem conuulsione illa, paraplegiæ similis affectio: quoniam

30 forti & concitato conuulsionis motu natura, quæ diuturna officij vacuitate facta erat pigrior atque ignauior, nunc excitatur ad exclusionem materię paraplecticæ. Est autem, mea quidem sententia, talis ὑφήγησις nostri authoris. Ex his lumborum doloribus qui propagantur ad caput in paraplegię & conuulsionis vicissitudine totum morbi tempus exigunt ægri, quod ipse his verbis expressit, ἐκ τῶν τοιούτων ποικίλως διανοσοῦνται, διὰ τῶν αὐτῶν ἰόντες, i. *hinc variè ægrotant, eodem modo semper affecti*; sicut in Thasia muliere vultuosa & iracunda, cui crebra erat conuulsionis & delirij successio, febris initio, ac secundo die tes eius ... διὰ τῶν αὐτῶν. Sic in Heropyto fuit vicissitudo surditatis & ischiadici doloris exactum ad morbum. Quid verò? nonne huc pertinet quod idem scripsit de quadam puerpera cui dextra parte conuulsa fuit maxilla, cùm eadem comatosa iaceret? Obiectionis depulsio est coma mixtum: sequitur enim,

40 παρέλεγε πάλιν. & octogesimo die interiit. Ac toto morbi decursu inacanduit æstu. ἄσιτος, ἄθυμος, ἄγρυπνος, ὀργαί, δυσφορίαι, τὸ περὶ τὴν γνώμην μελαγχολικόν, i. *deiecta appetentia cum animo, vigil, iracunda, iactabunda, melancholica*.

NIGRIS PRODEVNTIBVS.] De quorum qualitate, cuiusmodi sint, & quorsum appareant, satis iam multa : restat illud considerandum quod in aoristo scribat προδιαχωρηθέντων, vt intelligamus à nigrorum excretione consecuta fuisse illa symptomata quæ modò memorauit, & quod postremum sequitur.

ALVOQVE PRÆTVMIDA.] Ab inflatione quam pepetit perennis flatuum generatio atque suppressio, collapsis naturæ præsidiis, & labefactata naturali œconomia per viscerum exolutionem. Ex quo efficitur deiectionem nigrarum causam minimè referendam ad febris ardorem, viscerumque incendio conflagrantium καυσωμάτων : quoniam flatuum interceptio nulla dispositionem inflammato-

50 riam infert.

6 Μεθ' αἱμοῤῥοίας, καὶ μελάνων διαχωρήσιας, ἐν ὀξεῖ κώφωσις, κακόν. αἵματος διαχώρησις τούτοισιν ὀλέθριον· κώφωσις δὲ λύει.

Meliùs sic in prorrhetico, 37. f.3.1.

60 Ἡ μεθ' αἱμοῤῥαγιῶν βραχείων, καὶ μελάνων διαχώρησις ἐν ὀξέσι κώφωσις κακόν. αἵματος διαχώρησις ἐν τούτοισι ὀλέθριον· κώφωσις δὲ λύει.

Marginal notes: part. 10. sect. 2. 6. Epid. & lib. 2. Epid. — 151. coac. 1. lib. — 155 coac. 1. lib. — Coac. 9. c. 2. lib. 2. — Coac. 9. cap. 12. libr. 2. — Coac. 4. c. 12. li. 2. — hist. 11. part. 3. Epid. — hist. 9. part. 9. 6. Epid. — hist. 2. part. 3. 3. Epid. — 4. aeut.

Quæ post exiguam hæmorrhagiam & nigrorum deiectionem in acutis surditas venit; malum. Ibi deiectio sanguinis mortifera est: surditas autem exoluit.

Vt merito aut immerito naturæ, symptomata se ostendunt: ita de illis verendum, bene sperandum. τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσι μὴ πιστεύειν, μηδὲ φοβέεσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. i. *Iis quæ immeritò leuant non est fidendum: nec multùm vereri ea quæ sine causa torquent.* Quæ sententia notabilis est cùm alibi passim, tum verò in iis qui à febre obsurduerunt. Est enim surditas signum terrificum aut salutare, vel potiùs desperatæ salutis aut sperabilis; prout iure & loco apparet; aut contrà: sicut in hac prognosi docetur.

(aph. 26. 2.)

Quæ post exiguam hæmorrhagiam.] Quæ huiusmodi est copia & excudi modo. Hic enim ὀλίγον αἷμα vsurpatur, cui opponitur πολύ. Nam liberalis erit hæmorrhagia, quamuis exigui temporis, si affatim & cumulatè sanguis prorumpat: sicut & ὕδατα πολλὰ quæ breui spatio densis pluunt nimbis. Contrà breuis erit & pauca diuturnior in substillo. Est autem huiusmodi quando humores maligni & multi naturæ imperio non reguntur: aut quando natura diuturna oppressione victa fatiscit: vt in iis qui à mixto cum mare sanguinis habent substillum, de quibus illud extat, μυκτὴρ ἀποστάζων ἐν ὀξέσι... i. *naris reseratio mortifera.*

(prorrh. 36. f. 1. — prorrh. 1 f. 1. 2.)

Et nigrorum deiectionem.] Qualia sunt ἀφεψηθέντα μέλανα σπυραθώδεα, in quibus siccitas magna & ardor prægrandis, quo viscera & intestina conflagrant; vnde atra bile in totum fucantur. Pertinet enim illud ad eruendam, quasi è tenebris, huius prognoseωs veritatem. Κοιλίης ἀποληφθείσης, σμικρὰ δὲ σπυραθώδεα... χωρέοντα, μυκτὴρ ἐπὶ τουτέοισι αἱμορραγέων κακόν. i. *Suppressa aluo, nec nisi pauca quadam pilulata coactè reddentes: fluxus è nare malus.* Omnino enim quibus ita exaruerunt interanea, nulla excretio quantumuis critica potest videri salutaris. Atque illam prognosin particularem Galenos ad hoc theorema catholicum reuocauit.

(prorr. 7. sect. 2. 1.)

Svrditas venit.] Vel impedito appulsu τῶν ἀκουστῶν, vel exoluta virtute τοῦ ἀκουστικοῦ; labefactata scilicet parte illa cerebri vnde vis audiendi manat.

Malvm.] Ac si diceret; quamuis ex surditate, cùm scilicet aures obsurduerint, cum grauitate capitis, hypochondrij tensione, & splendoris offensione; quamuis, inquam, ex ea surditate affletur veluti quædam aura salutis, quatenus hæmorrhagiæ prænuncia est: tamen ex ea sperabilis nulla salus potest videri, cùm nigris ac veluti caprarum pilulis coacta descendit aluus. Ipsa verò surditas futura fugax, firmiter fixa manet, vt cætera omnia hæmorrhagiæ signa: quoniam exolui non possunt, proptereáque malis complent ægrotum. Et quæ primùm fuerat ab oppilatione nata meatus auditorij, succedaneam adfert causam surditatis funestę quæ in virtutis ipsius audiendi exolutione consistit. Solemne est illud: *Surditas morbi acuti turbulentique consectaria; graue est malum.* Hic autem scripsit.

(Coac. 7. c. 3. lib. 2. — Coac. 2. c. 3. lib. 2.)

In acvtis.] Quorum excursus perfectam adfert læsionem auditus, quæ surditas nominatur, aut fugax, aut stabilis, quæ illum habet euentum secundi aut sinistri iudicij, quem ipsa μετάστασις vel ἀπόστασις iure & loco, secusve facta denunciat.

Ibi deiectio sangvinis pestifera est.] Etenim si post nigrorum deiectioné aluus, quæ paulò antè non nisi coacta reddebat, nunc iniussa feratur proluuie quadam prærubra, mortem subesse testantur: ob eam sanè causam quòd talis deiectio symptoma est visceris exoluti, planéque effœti tum in coquendo, tum in distribuendo: quemadmodum exacta nuper nigrarum ac veluti pilularum capræ coacta deiectio, visceris & intestinorum incendio conflagrantium. Est autem mortifera omnis quæ alterationem diuturnam & vehementem excipit alienatio partium quarum officio vita carere non potest.

Svrditas avtem tollit.] Verissimum quidem illud est. In febre surditas aluum sistit: sed ea surditas aluum sistit quæ incidit sine ἀποστάσει vt echus aut bombitum ea quæ in oppilatione meatus consistit, vnde prohibetur appulsus τῶν ἀκουστῶν; non in vitio principij, facultatisque ipsius. Hæc surditas aluum sistit non ratione sui, sed causæ suppressam aluum cientis. Est autem hæc, bilis excursus sursum ad caput. Quæ causa est etiam vt quemadmodum biliosæ deiectiones obducta surditate subsistunt: sic ipsa surditas exoluatur aluo prorupta biliosis excrementis. Sic in Heropyro surditas leuibat dolorem ischiadicum: sicut reuerso dolore redibat audiendi libertas. Sed hæc vicissitudo locum habet in anadrome & palindrome humorum sua sponte, aut etiam dominatu naturæ inclinatorum, non autem in vitio partium effœtarum. Non enim sperabilis est proluuiei prærubræ sursum translatio quę surditatem obducat, aliáve pariat repleti capitis symptomata, aut cataphorica, aut paraphorica, aut cephalalgica, aut catarrhoica.

(Coac. 3. c. 3. lib. 2. — aph. 28. 4. — hist. 9. part. 3. 3. Epid.)

7 Οἷσιν αἱμορραγίαι πλείους, προϊόντος χρόνου κοιλίαι ποτηρεῦνται, ἢν μὴ οὖρον ἔλθῃ. ἆρά γε τὰ οὖρα ὑδατώδεα, τοιοῦτόν τι σημαίνει;

Quibus hæmorrhagia profusior est, labentibus inde diebus labefactantur alui, nisi vrina cocta reddatur. An verò aquosa quippiam tale denunciat?

Est

Est qvidem commune symptoma profusioris hæmorrhagiæ, tum iniussæ, tum iussæ, cruditas alui multùm in officio laborantis atque quodammodo fatiscentis. Atque huius cruditatis causæ firmiter fixa in complexione, temperamento, & habitu alui partiumque naturali œconomiæ dicatarum, non ita pridem literis mandata fuit.

Qvibvs hæmorrhagia profvsior est.] Vndecumque sanguis profluxerit, vel affatim & cumulatè parumper, vel etiam diu multumque per vices; fuerit autem vel iniussa vel iussa hæmorrhagia per liberalem & nimiam sanguinis detractionem, qualis à carnifice non rarò præscribitur.

Labentibvs inde diebvs.] Vel exacto morbo ad quem præscribitur sanguinis vacuatio, vel in quem incidit sponte sua. Est enim δεύτερος χρόνος tempus succedens; in anno quidem, ver hyemi, veri æstas, æstati autumnus; in morbi historia quatuor morbi tempora; in diebus criticis quaternarij sex ante vigesimum, septenarij ante quadragesimum, vicenarij ante centesimum: in constitutione autem corporis & naturæ, prima quidem secundæ valetudinis; altera verò ab ineunte morbo ad statum; tertia ad discessionem; & inde quarta ad pristinum naturæ statum, & secundam valetudinem qua ægrotus frui solebat. Ex quarum rerum distinctione ratio diætæ initur.

Labefactantvr alvi.] In vitio sunt laborantque, vel etiam fatiscunt in officio coquendi, excernendi, & distribuendi; tum propter paupertatem caloris natiui; tum propter mutationem propriæ complexionis, temperamenti & habitus ex diuturna officij vacatione, vnde siccantur, collabuntur, & sui negligentes redduntur.

Nisi vrina cocta reddatvr.] Quod signum est syllogisticum bene constitutæ naturalis œconomiæ in coquendo, distribuendo, & excernendo.

An vero aqvosa qvippiam tale denvnciat?] Sanè quidem quæ cibo & potioni est concolor ex cruditate primæ & secundæ coctionis. Nam sæpe fertur aquosa, translatione, deriuatione, aut etiam suppressione bilis. Quæ causa est cur de aquosis vrinis quæstionem haberi velit Hippocrates, cùm ait: *οὖρα ἢν οὐρέωσιν ὑδατώδεα σκεπτέον, i. considerandum quòd vrinas fuderunt aquosas.* De dysentericis autem agit. Cùm enim multæ sint causæ talium vrinarum, ex earum causarum perspicientia intelligemus quæ spem salutis adferant, aut metu exterreant.

8 Οἷσιν ἐπὶ αἱμορραγίῃ λάβρῳ πυκνῶς, μελαίνων συχνὴ διαχώρησις, ἐπίστασις δὲ αἱμόρροοι οὗτοι, κοιλίας ὀδυνώδεες· ἅμα δὲ ποὶ φύσησιν διαφορεῖ. ἆρα οἱ τοιοῦτοι ἐφιδροῦσι πολλοῖσι ψυχροῖσι; Τὸ διατεταραγμένον οὖρον ἐν τούτοισιν οὐ πονηρὸν, καὶ τὸ ἐφιστάμενον γονοειδές· ἐπὶ τὸ πολὺ δὲ οὗτοι ὑδατώδεα οὐρέουσι.

Quibus ex crebra & profusa hæmorrhagia frequens nigrorum deiectio est, indeque suppreßio; hæmorrhoici fiunt hi cum alui dolore: sed tamen cum flatibus patientes doloris. Etiamne sic affecti sudatiunculam habent frigidorum multorum? Ibi tum perturbata vrina non est praua, nec verò id quod residit simile genituræ: vt plurimùm autem meiunt aquosa.

Hic est complexio symptomatum omnium quæ profusioris hæmorrhagiæ consectaria esse possunt. Quæ omnia cuiusmodi sint, & quamobrem quorsumve appareant, faciam sanè quantum potero vt primùm ipse complectar animo, deinde scribam appositè iuxta mentem ipsius authoris.

Ergo. Qvibvs ex crebra et profvsa hæmorrhagia.] Crebra quidem ex perenni ad caput anadrome sanguinis tenuissimi multa bile perfusi anagogen habentis per anastomosin venarum quæ sunt ad imam frontem. Profusa autem, tum ab orgasmo, tum à repletione particulari, tum à forti naturæ contentione, ac dehiscentibus continenter extimis venarum oris.

Freqvens nigrorvm deiectio.] Non quidem pilularum veruecinarum atra bile fucatarum. Nam talia nigra non nisi aluo coacta redduntur. Non etiam bilis atræ quam genuit bilis æruginosa viscerum incendio perusta; neque enim talium nigrorum frequens deiectio esse potest sine intestinorum vlcere insanabili & implacabili. Sed frequens nigrorum deiectio est, velut sanguinis tabique, vt ita dicam, admodum nigri; quæ vocat Hippocrates *ὑποχωρήματα μέλανα ἰόντα, i. quæ continenter non affatim & cumulatè, sed pigro lapsu feruntur,* quorum explicatæ sunt causæ ad illam prognosin. *Ab hæmorrhagia, nigrorum deiectio, graue est malum.* Itaque nihil necesse est denuo illas in tam recenti memoria commemorare. Coac. 5. huius c.

Indeqve svppressio.] Quiescente scilicet hæmorrhagia, nec ita fatiscente vi retentrice visceris laborantis.

Coac. 2. 12. libr. 2.

HÆMORRHOICI FIVNT HI.] Non quidem prorupto è naribus sanguine, sed ad inferas partes ducto, & hæmorrhoidas faciente, non secus atque *dolorifica in lumbis mala sunt hæmorrhoica.* Hæmorrhoides autem sunt deiectionibus nigris multò salubriores, vel ipso exeundi modo per ora venarum quæ sunt in extimis oris τῶν ἀρχῶν. Atque salubritas hæmorrhoidum commendatur iis qui iure habent, non auté ab ipsis habentur. Atqui iure habent omnes qui natura & valetudinis cura, τῇ φύσει καὶ τῷ ὑγιαίνειν, sunt melancholici. Damnantur & in vitio semper sunt deiectiones nigræ, quæ sponte sua, vt dictū est, pigro lapsu exeunt. Quæ causa est cur patefacta omni calamitate nigrarum deiectionū quæ variæ sunt atque multiplices; tandem ita noster præceptor sanciuerit de inferis hæmorrhoicis. Αἷμα ἄνωθεν ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν· τὸ δὲ κάτω ἀγαθὸν τὰ μέλανα ὑποχωρέοντα, i. *Sanguis supernè quidem qualiscumque, malus; infernè autem bonum est nigra deiici.* Ac si diceret, vt omnis hæmorrhagia iure & loco per nares prorupta, salutaris: sic hæmorrhoides conuenienter ductæ sanant & arcent grauissima quæque mala. Et contrà, vt omne sanguinis profluuiū, cuiusmodi tandem sit, per os, terrificum est: sic etiā omnis quæ per intestina ducitur nigrorum deiectio, calamitosa, ne dicam mortifera, esse solet, tum per se, vt signum, tum ex euentu, vt causa. Nam *dysenteria quam facit bilis atra, lethalis.*

aph. 21. 22. 23. 24 lib. 4. aph. 25. 4. aph. 21. 4.

CVM ALVI DOLORE.] Quem facit distensio ab humorum & flatuum suppressione, vel seri biliosi, ex particulari lumborum rèpletione ad ventrem prorepentis, & ad stomachum ipsum feritas & acrimonia.

SED TAMEN DOLORIS PATIENTES REDDVNTVR FLATVVM EMISSIONE.] Quanihil optari potest à medico quod ipse malit, ex eo quod intestina peristaltico motu naturali mouentur supernè deorsum: deinde verò quòd inde significatur vacuitas intemperiei hecticæ frigidæ intestinorū tenuium, vnde continenter gignitur τὸ πνεῦμα φυσῶδες quod exitu caret, tandemq; facit hydropem siccum. Ex quo efficitur verum illud esse quod alibi iam demonstratum est. *In febribus, aluo inflata, si flatus non exit, graue est malum,* vt signo & causa. Nam ventris inflatio stabilis, cum febre coniuncta inde sanè abest vnde abesse debuit. Scitum est illud: *Quibus hypochondrium è dolore laborat, inflammationis expers, iis superueniente febre, dolor exoluitur;* incidendo, tenuando, & ad temperationem reducendo; siquidem inflatio nata sit vel ab oppilatione, vel spiritus flatulenti collectione, vel ab intemperie frigida.

aph. 11. 4. Coac. 46. lib. 1.

ETIAMNE SIC AFFECTI SVDATIVNCVLAM HABENT FRIGIDE EXVDANTIS?] Sanè quidem, quibus ex profusa & crebra hæmorrhagia, nigrorum perpetua deiectio est, nec loco subsistit, nec hæmorrhoidum successio est, manetque ab inflatione aluus prætumida, vnde intereunt nigris prodeuntibus. Sed & frigidorum ἱδρὼς mortem in propinquo esse denunciat, tum propter exhaustum nectaris viuifici, tum propter exolutionem partium solidarum, & vitalis principij, in quorum virtute natura ipsa consistit. Est enim ratum illud de frigida ephidrosi; quòd in mitioribus morbis, idque per initia, ad diuturnitatem apparet; in acutis verò ad mortem.

Coac. 5. huius c. aph. 37. 4.

IN HIS PERTVRBATA VRINA NON EST PRAVA.] In hac syndrome est σύγχυσις, i. *confusio* sententiarum de signis atque symptomatis crebræ & largæ hæmorrhagiæ. Nam quibus ex crebra & larga hæmorrhagia, nigrorum deiectio est, eundem sanè omnes non habent euentum. Quibus enim sistitur, & hæmorrhoici inde fiunt, cum alui dolore, cuius patientes redduntur flatuum emissione, iis vrina perturbata & genituræ similis, fortasse non erit praua. Iis verò quibus exudat frigidum, nulla salutis aura potest afflari. Ergo non in his qui sudatiunculam habent frigidorum, vrina perturbata, omni carebit prauitate: sed in illis qui subsistente nigrorum deiectione fiunt hæmorrhoici. Nam si vrina sit eiusmodi vt nunquam residat, ex cruditate & prauitate à flatulento spiritu, cum calore contra naturam, quid boni adferet desperatis, quæ in ancipiti morborum exitu mortifera esse solet? Sin autem eiusmodi sit inclinato pepasmo, qui apparere poterit in quibus vires effœtæ languent?

9 Οἷσιν ἐκ ῥινῶν ἐπὶ κωφώσει καὶ νωθρότητι μικρὸν ἀποστάζει, ἔχει τι δύσκολον. ἔμετος τούτοισι συμφέρει, καὶ κοιλίης ταραχή.

Quibus ad surditatem atque torporem substillum accedit narium; aliquid præ se fert mali: Profuerit autem hos vomere, aluóque turbari.

OMNIA quæ apparent signa fatiscentis naturæ ex forti oppressione, cùm ipsa per se terrifica, cum verò mortifera si magis exoluant. Huiusmodi est substillum sanguinis quod ipsum per se metu exterret, vt omnis iudicatoria causa exigua, ac mortem subesse restatur in sanguine prauo: maximéque si fractis naturæ viribus elabatur, ægrotis quartum morbi diem agentibus. Et quoniam prognosin hanc explicauimus comment. ad illam iisdem verbis iam pridem exararam; prætiterit cogitationes nostras contrahere, quàm disputatione longa distrahere.

Coac. 12. c. 3. lib. 2.

Ergo. QVIBVS.] Acuta febre laborantibus, idque fortassis ardente.

AD SVRDITATEM.] i. Auditus interceptionem vel priuationem; illic quidem, ab oppilatione meatus qua impeditur appulsus τῶν ἀκουστῶν, quæ surditas in febre aluum sistit, quando incidit sine προφάσιος, i. *præuidentia* echus vel bombi; hic verò ab exolutione principij & facultatis labefacta scilicet parte illa cerebri vnde vis audiendi manat.

ATQVE

Atqve torporem.] i. Segniciem, ac veluti quandam νάρκην vniuersi corporis, quæ initio quidem morbi, symptoma est vitium oppressarum, madefacto neruorum principio, vt in tempestate austrina; & paroxysmis febrium pestilentium; prouecto autem morbo, symptoma virium effœtarum, & principiorum ab exhausto laborantium, cordis & cerebri.

Svbstillvm accedat narivm.] Siue stillicidium sanguinis guttatim & pigro lapsu euntis; ob eam sanè causam quod natura dominatu suo non tenet malignos & multos humores; aut quod ab iis diu multumque oppressa, tandem fatiscit.

Aliqvio præ se fert mali.] ἔχει τι δύσκολον: humilis nimium est enunciatio in re tam graui tamque difficili & periculosa, vti iam sæpe annotauimus. Nam τὸ δύσκολον, authore Galeno, leue malum ostendit, fortassis etiam contumacius. Præterea illud, τί, vel affectionis perexiguæ nota est, vel tardò incidentis: quemadmodum tectè annotauit Galenus ad illud prorrhetici. *Lumborum dolor cardialgico, cum excreatione violenta; nonnihil præ se fert conuulsificum.* In substillo autem sanguinis cum torpore & surditate, quis medicus toto corpore non perhorrescat, omnibusque artubus præ metu non contremiscat? Est quidem substillum sanguinis ipsum per se, vti iam dixi, terrificum & sinistræ admodum crisis, vti docetur illa prognosi. *Perexigua stillicidia mala sunt omnia*; idem cum torpore & surditate ὀλέθριον, vt ait Galenus, i. *mortiferum atque funestum.* Sed excusatio esse potest enunciationis ironicæ, aut certè cuiusdam sarcasmi.

prorrh. 49. f.3.1. pronh. 14 f.3.1. & Coac. 15. cap. 12 lib.2. Coac. 61. 1. lib.

Profvferit qvidem hos vomere, alvoqve tvrbari.] Sæpè quidem, si natura ab oppressione laboret in officio excernendi, vel potiùs profuerit sanguinem incisa vena detrahere, vt affectioni πληθωρικῇ, i. *à repletione* propria vacuatio præscribatur; vel etiam profuerit hæmorrhagiam ciere, fotu & lotione capitis: sicut in Metone Hippocrates factitauit. Sed fractis iam viribus, & collapsis naturæ præsidiis, nulla esse potest vacuatio salutaris: sed contra ægrotum potiùs ad exitium præcipitat, facitque vt celeriùs opinione moriatur.

10 Αἱ ἐν ἀρχῇσι μεγάλαι αἱμοῤῥαγίαι· περὶ ἀνακομιδὴν κοιλίας καθυγραίνουσι·

Quæ circa initia profusæ sunt hæmorrhagiæ; in refectione aluos profusè cient.

Vnde natvra commeatum parat, quo se tuetur & sustinet, inde eo defraudata labascit. Commeatum parat ex sanguine, cuius copiam abundè suppeditat alui & iecoris benè constituta œconomia. Ergo defraudata sanguine labascit, ex vitio alui & iecoris; labefacta scilicet naturali œconomia in coquendo, distribuendo, & excernendo. Etenim geminatur opus coquendi, debilitata coquendi officina proprio coctionis instrumento, calore natiuo: cuius dissipationem paupertatemque attulit profusior hæmorrhagia. Atque ita non est par necessitati commoditas, proindeque inde labascit natura vnde commeatum parare solebat. Et quoniam prognoseos huius veritas non ita pridem patefacta est demonstratione facili κατὰ φύσιν ἢ κατὰ νόσον; sufficit hoc loco explicare propalam, quidnam illud sit, & quamobrem scriptum.

Circa initia.] Quid enim? an non idem faciet liberalior hæmorrhagia prouecto iam morbo? Sanè quidem, sed ideo posuit *circa initia*, quoniam morborum acutorum initia ferè sunt crebra metaptosibus & orgasmis, quod annotauit Galenus commentar. ad illam prognosin. *In phreniticis, quæ ineunte morbo symptomata sunt quæ satis & crebrò huc illuc cientur, calamitosa sunt.* Sic autem ait Galenus. *Cernuntur*, inquit, *morborum initiis crebræ symptomatum successiones, non autem cùm iam processerint; atque illas fieri verisimile est in affectionibus quæ in nimia humorum abundantia aut prauitate maligna consistunt, indéque adeo varios huc illuc cieri motus in partes principes, vnde corrumpitur τὸ ἐπιεικὲς acutorum morborum.* Ergo quæ ab orgasmo & præpropera metaptosi, morborum initiis cietur hæmorrhagia; haud facilè modum seruabit, aut retinebit moderationem quantitatis: quemadmodum illa quæ iure & loco, duce natura, critica lege suscipitur atque perficitur. At tam immoderata tamque effrænis hæmorrhagia περὶ ἀνακομιδὴν, vel, vt idem loquitur in aphorismis, ἐν ταῖς ἀναλήψεσι, præhumidas reddit aluos, facitque vt liquidis excrementis ferantur: proptereáque ipsas ταραχώδεις non ita pridem scripsit, quod est, in vitio esse, vel potiùs labefactari: causæ sunt illic ἀναλυτικῶς explicatæ.

prorrh. 18. f.1.1 & coac. 97. lib.1. aph. 17. 4

11 Τὰ ἐκ ῥινῶν λάβρα βίῃ ἀπολειφθέντα, ἔστιν ὅτε σπασμὸν ἐπικαλεῖται· φλεβοτομίη λύει.

Profusa narium hæmorrhagia vi suppressa, nonnunquam adducit conuulsionem: sanat autem detractio sanguinis phlebotomia.

Vvlgi opinio est, profluuium sanguinis ad interitum esse fatale: quoniam in sanguine focus

est vitæ. Quæ causa est quamobrem vulgo sistendi consilium sit quotiescumque sanguis prorumpit, vel etiam cum substillo exit, Quam conuenienter & rectè id fiat, docetur in hac prognosi.

PROFVSA NARIVM HÆMORRHAGIA.] Qualem demonstrauimus sæpe cieri circa initia peracutorum morborum, ab orgasmo & præpropera μεταστάσει, i. *transitione* sanguinis copiosi multa & maligna bile perfusi; vnde repletio cerebri & fortis naturæ proritatio ad excernendum: qualis etiam potest accidere à prægrandi naturæ contentione quæ multò plus mouet, cietque proritata nimium, quàm inhibere possit, vnde ὑπέρκρισις. Verba Galeni hæc sunt: *Patet oppressam copia sanguinis naturam excitatam fuisse ad excernendum; quod quia cum mediocritate obtinere non potuit, vocatam medicus fecit hypercrisin.*

prorrh. 53.l.3.1.

VI SVPPRESSA.] Non autem retractione rheumatis concitati, sed violenta repulsione per ea quæ Græcis dicuntur ἀποκρουστικὰ pittacia, motaria, perfusiones, & epithemata fronti, ceruici, capitique admota, & in nares immissa.

NONNVNQVAM PROVOCAT CONVVLSIONEM.] Non ipsa quidem hæmorrhagia cumulatè prorupta, quæ potiùs parit exolutionem, ἔκλυσιν, quàm spasmum siue conuulsionem: sed hæmorrhagiæ ipsius per ea quæ repellunt repentina suppressio, cuius plethoricum symptoma est ipsa conuulsio: plethora autem fit refluente sanguine ad partes propinquas & socias eius vbi fluxio inhibetur & sistitur. Atque vt hæmorrhoidum inconsideratè suppressarum, aut iure & loco non profluentium symptomata ferè consectaria sunt rabis, melancholiæ, scirrhi, cancri, & elephantis, atque hydropis; sic narium sanguis repulsus in cerebrum, conuulsionem & epilepsiam adducit. Hippocratis illud est: *Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si non profundant, epileptici fiunt.* Quæ causa est cur summus præceptor omnino repellentibus interdicendum putarit ad inflammationem frontis arcendam, cuius ipsa sola est capax & particeps in traumate capitis, sed lenientibus & anodynis vtendum censuerit.

prorrh. 39.l.3.1.

SANAT AVTEM PHLEBOTOMIA.] Retrahendo scilicet rheuma concitatum, & detrahendo
„ consistens, incisa humeraria brachij κατ' ἴξιν partis conuulsæ: quoniam plethoricæ affectioni debetur
„ propria plethoræ vacuatio Est autem sanguinis detractio è propinquo.

12 Ἐνδεκαταίοισι στάξιες δύσκολοι· ἄλλως τε κἢν δὶς ἐπιστάξῃ, καὶ ἢν ἐπιστάξῃ.

Vndecimum diem agentibus substilla sanguinis mala sunt: idque cùm aliàs, tum si bis fiat, & redeat.

ENIMVERO res malè gestæ accessionem calamitatis adferunt, faciuntque vt ægri peiore sint loco, si rerum ipsarum malè gestarum causa sit & occasio, naturæ irrita & inanis contentio, quando certamen ipsius & morbi est in procinctu. Præstat enim naturã quiescere, quàm aliquid frustra moliri: ob
„ eam sanè causam, quòd omnis irrita proritatio morbum alioqui sanabilem, ex euentu reddit insanabi-
„ lem, aut certè sinistri iudicij. Sanè in substillo sanguinis res malè geruntur: quoniam non est potens
„ natura nimiæ abundantiæ, qualitatisque malignæ; aut quoniam victa iacet diu multumque oppressa:
„ pessimè autem geruntur quoties ab erethismo critico, morbi & materiæ dominatu res eunt, nec ma-
„ gisterio naturæ reguntur; idque cùm aliàs, tum verò diebus criticis quibus fiunt ephodi & insultus: Ex illa enim proritatione irrita, fit acrisia, cum accessione grauiorum malorum, maximéq; si crebrò incidat illa priori similis proritatio, non secus atque rigor qui sæpe in morbis acutis frustra cietur; ex cuius concussione incredibile dictu est quàm multis & grauibus damnis obruãtur ægroti. Sed hæc sunt alio loco fusiùs disputata. Quinetiam de substilli calamitate satis iam multa diximus. Quæ cum ita sint.

VNDECIMVM DIEM AGENTIBVS.] Vndecimum quidem ab historia, septimum à προσθέσεως, i. *additamento*; qui finis est primarum periodorum quibus hæmorrhagia significatur atque excipitur, cùm in febribus ardenter acutis, tum verò in viscerum phlegmonis per systrophen natis à rheumate concitato. Itaque die vndecimo, exactis tribus quaternariis ab historia, vel duobus ab ipsa prosthesi; quæ sunt periodi insultuum fortiorum ad ciendam excretionem liberam & liberalem qua morbi acuti solent exolui.

SVBSTILLA SANGVINIS.] Quibus guttatim pigro lapsu & parca manu sanguis exit, ab irrita contentione naturæ die vndecimo proritatæ.

MALA.] Vt omnes iudicatoriæ causæ exiguæ: quia nihil paucum est criticum, nec criticæ lege factum: sed exeundi modo multùm exterret medicos ob nimiam abundantiam, qualitatem malignam, potissimùm die critico quo signa omnia iudicatoria non iudicantia, firmissima esse solent ad ineundam prognosin. Nam in peiores abscessus conuersio fit, quæ vel doloris acerbitatem, vel acrisiam, vel diuturnitatem secum adfert. Desperationem verò salutis ostendit, ac citam mortem iamiam venturam denunciat sanguinis è nare substillum, si præter incommoda paucitatis exitus, atque temporis; accesserit quoque prauitas qualitatis, cuiusmodi cernitur in sanguine prorsus mero.

IDQVE CVM ALIAS, TVM SI BIS FIAT.] Quò enim sæpius frustra proritatur natura, estque irrita eius contentio & inanis; eò peius est ægro. Secus fuit Larissæ virgini, quæ post crisin etiam sanguinis copiam profudit. Secus Metoni, de quo idem narrat quod de Larissæa: sed tamen pessimè

illi

illi fuisset, cùm bis die quarto subtillum sanguinis habuisset, nisi diuina Hippocratis arte per totum capitis, die quinto liberalior hæmorrhagia prorupisset.

13 Ἐπὶ αἵματος ῥύσει πολλῇ, ἢ λυγμὸς, ἢ σπασμὸς κακόν.

Si largo sanguinis profluuio superuenerit conuulsio aut singultus, mortiferum.

Qvicqvid eiusmodi est vt propagatione & continuatione ἐπιγένεσις, aut etiam tramaticæ fluxionis, pro exolutione quæ propria esse solet profusioris hæmorrhagiæ, conuulsionem adferat; mortiferum est atque funestum. Sed præstat in enarratione philologiæ, ipsam philosophiam aperire.

Si largo sangvinis proflvvio.] Quod fecit gargalismus sanguinis ineunte morbo efferа bile perfusi, aut fortis naturæ concotio in repletione particulari, vnde ἐπίρρευσις; aut etiam venæ vel arteriæ in tramate sectio, siue erosio.

Svpervenerit convvlsio.] Non quidem primò & per se ab hæmorrhagia nimis affatim & cumulatè prorupta, cuius proprium symptoma est ipsa exolutio, teste Galeno ad illam prognosin. *Quibus hæmorrhagia larga vi sistitur*, &c. sed ex euentu quando in cerebrum refluit sanguis vnde manabat, venis laborantibus ab exhausto, indéque succum alibilem reposcentibus à neruis quem ipsis nutriendi causa impertiuerant. Est autem conuulsio neruorum symptoma, præ siccitate nimia contractorum. Ac nimiæ siccitatis causa est succi affluentis defraudatio, affixi valida suctio à venis exhaustis.

Avt singvltvs.] Ventriculi inanis concussio, aut etiam conuulsio quædam quam facit tunicarum ab inanitione contractio. Nam venulæ arefactæ prorsus exhauriunt quicquid erat in aluo humidi primigenij & succi assimilati, faciuntque ipsam ad singultum famelicam. Nam de singultu & causis ex quibus variè concitatur, satis iam diximus suo loco.

Mortiferum.] Doloris acerbitate, viuifici nectaris dissipatiooe, & humidi primigenij seu viuacitatis exhausto, quæ succum & facultatem non habet reficiendi sui. Quo fit vt omnis ab inanitione conuulsio mortifera sit atque funesta, collapsis naturæ præsidiis ab exhausto partium solidarum, quarum quidem virtus est ipsa natura; vt interim prætercam trium principiorum ἰκμάδων, facultatumque non solùm in officio laborantium infirmitatem, sed etiam priuationem vnde cita mors venit. Ergo quicquid eiusmodi est vt pro commeatu quotidiano exhauriat partes solidas omni succo alibili, quod ipsum declarat conuulsio, mortiferum est. Huiusmodi est hæmorrhagia conuulsifica, quæ vel ipsa exolutione primùm & per se ad mortem præcipitat, proindéque multò magis ad conuulsionem vsque progressa, desperabilem facit vitæ salutem.

14 Τοῖσιν ἕως ἐτῶν ἑβδόμων δυνάμιν ἐχόντων μετ' ἀχροίης, καὶ τούτοις πνεῦμα ἀλυζόμενον ἐν τοῖσι ὁδοῖσι, καὶ γῆς ἐπιθυμίη αἵματος φθορὴν καὶ ἔκλυσιν σημαίνει. (al. ἀλυκὴν ἔκλυσιν.)

Quibus ad septimum vsque annum vis lucet multùm fœdatis, cum anxio spiritu progrediendo, & terræ concupiscentia; sanguinis corruptionem & exolutionem significat.

Hæc prognosis τὸν καιρὸν aperit vacuandi purgando & sanguinem detrahendo. Nam signa continet syllogistica repletionis & cacochymiæ, quibus debentur; illi quidem phlebotomia; huic autem purgatio: quia non potis est aliter medicari. Talis enim cacochymia pepasmum non recidit, facitque vt corpus impurum quò magis nutritur, eò grauioribus damnis augeatur. Hinc rerum alui male gestarum consectaria esse solet vasorum impuritas, quæ facit vt partes suo genio defraudatæ sint frigidæ, macræ, & fœdi coloris, ipsa autem vasa appareant multo distenta sanguine. Sed ipsa τεκμήρια cuiusmodi sint vnde nititur τὸν καιρὸν bene & conuenienter medendi, suis quæque locis explicabuntur hoc modo. (part. 1. sect. 1. 6 Epid. part. 2. sect. 3. 6 Epid.)

Qvibvs.] Omnis naturæ, sexus, ætatis; quorum corpora in vitio sint vel gentilitio, vel à diæta in victus ratione & vitæ instituto: sed præsertim pueris quorum morbi ἢ συντρόφοι, ἢ συγγενεῖς, ἢ συναυξανόμενοι, i. *contutritis & congenitis, & concrescentes*, ad septimum vsque annum, & ad pubertatem protrahuntur & producuntur. Qualem morborum in pueris diuturnitatem Hippocrates commemorauit his verbis: *Puerorum morbi iudicantur quidam quadraginta diebus, quidam septem mensibus, quidam totidem annis, quidam ad iuuentutem producuntur.* (aph. 28. 3.)

Ad septimvm vsqve annvm.] Ad verbum, *ad septimos annos*, vel ad septimum quemque annum, pueritiæ, adolescentiæ, pubertatis, iuuentutis, constantis ætatis. Nam de senectute hoc non ausim dicere. Etenim illud ἕως τῶν ἑβδόμων idè planè significat quod in aphorismis legitur de diebus criti-

cis, τῶν ἑβδόμων ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, i. *septimi est quartus index.* Sunt enim septenarij dies, septimus, decimus quartus, & vigesimus; quorum indices numerantur, primi quidem quartus, secundi vndecimus, tertij decimusseptimus: vt verè sic explicari debeat aphorismus. *Septenorum quartus est index.* Sic & hoc loco enunciandum. *Quibuscumque ad septimum annum vigent morbi.* Vt enim morbi acuti qui celeriter, continenter & vehementer mouentur, intra secundum septenarium iudicantur, iidemque, ex irrito erethismo, acuti naturam amittunt, nomen tantùm retinent, & ad quadragesimum vsque diem producuntur: sic morbi natura diuturni, per vicenarios tantùm à quadragesimo subeunt naturæ insultus, quos χρονίους Græci vocant. Atque illorum diuturnitas in pepasmi difficultate consistit; pepasmi autem difficultas in humoris morbifici contumacia & erethismi vacuitate. At verò qui morbi sunt diuturni ex vitio gentilitio vnde συγγενικοὶ nominantur, & ex vitiata complexione & temperamento, principiorum facultatumque ignauia, non nisi ætatis successione curationem recipiunt: quoniam ætatum successio mutationem adfert complexionis, temperamenti, & habitus. Atqui ætatum successio cadit in septenarios annos. Sic puerilis epilepsia per ἔκλαμψιν, i. *splendorem* caloris natiui quiescit; ἔκλαμψις autem lucet in pubertate & adolescentia. Quamobrem verè subiunxit præceptor, *Quæcumque manent affectus, nec aduentu pubertatis soluuntur, aut mulieribus menstruorum profluuio; longiùs producuntur.*

Vis lvcet.] Δυνάμιν referre possum ad malam valetudinem quæ lucet, splendetque ad septimum vsque annum in signis & symptomatis mox explicandis. Possum etiam commemorare principiorum robur quod lucet in facultatum virtute ex copia & abundatia caloris natiui quantumvis obruti cacochymia, qua tandem euicta triumphatáque, sopiti suscitantur ignes atque dant clara incendia lucem: vt verè illud videar esse dicturus, idem valere commemoratam hoc loco δύναμιν quod ἔκλαμψιν, per quam solâ pueros diuturnis morbis defungi, vt epilepsia, Hippocrates author est.

part. 5. sect. 6. Epidem.

Mvltvm foedatis.] Omni genere fœdi coloris. Hic enim ἄχροια tollit in totum calorem genuinum quem veteres nominarunt χλώρασμα λαμπρόν, i. *colorationem decoram & viridem*, vnde viuacitas planè ostenditur. Erit igitur contraria τῇ εὐχροίᾳ, ac genus omne continebit fœdi coloris ... ὑπόχλωρον: cuiusmodi sunt icterici pallidi siue ὑπόχολοι, leucophlegmatiæ, rugiduli, subuirides, virulenti, vironigri, denique omnes qui natiuum colorem decoremque amittunt: cuiusmodi sunt virgines fœdo liuore, atque, vt ita dicam, virulentia nigra fœdatæ. Atque ea decoloratio & defœdatio stabilem & fixam habet in naturalis œconomiæ vitio causam. Vt enim ventris ignauia & deprauatio, atque corruptio chyli, parit vasorum impuritatem, vel, vt interpretatur Galenus, μοχθηρῶν χυμῶν πλεονεξίαν, i. *prauorum humorum nimiam abundantiam*; sic illa superfluitas prauorum humorum qui sunt eiusmodi generatione & corruptione, defœdationem & turpificationem adfert cutis ipsius. Etenim ἡ χροιὴ ὅμοιον τῶν χυμῶν, ὅλη μὲν αἰτιῶδής ἐστι, i. *coloratio similis est humorum refluxus expertium* quoniam consentaneum est vt alimento similis color eluceat.

Cvm anxio spiritv progredienoo.] Quid sit ἀλυζόμενον πνεῦμα, quamvis nusquam alibi legatur apud Hippocratem, per analogiam verbi ἀλύειν complecti oportet, vt sit respitatio: qualis cernitur in virginibus virulentia nigra fœdatis, quæ si aliquovsque progrediantur, vel breue alioqui spatium conficiant, deficit illis spiritus, non tam necessitate inspirandi quàm expirandi: quoniam ex nimia vaporis fumidi abundantia, maior necessitas incidit expirationis quàm inspirationis, indéque non raro fit vt vaporis fumidi occursu elidatur spiratio in faucibus dum aër ducitur inspirando. Ac talis respiratio nominatur πνεῦμα ἐκτεῖνον & πυκνὸν, i. *respiratio tarda & velox*; tarda quidem & lenta in inspirando, cita & properata in expirando: quoniam omnes partes officiales maiore contentione excitantur ad exclusionem rei molestæ, quàm ad comparationem necessariæ.

Et terræ concvpiscentia.] Concupiscentiam propriè voco, non ὄρεξιν: quoniam reapse ὄρεξις rerum est naturæ συμφερόντων, i. *consocialium* appetentia, quæ posita est in suctionis sensu. Quòd si ea sensio proportione respondeat suctioni, & suctio vacuationi; sanè par erit necessitati commoditas, ac tantum appetet natura bene habita stomachi, quantum ipse potest mitificare & coquere. Sin autem in vacuatione & suctione pauca, sic inexplebilis edendi cupiditas; iam appetentiæ naturalis & simplicis nomen mutatur in famem & κυνορεξίαν. Quòd si diu multumque suo defraudata genio natura sit ἄσιτος, impuritatem alui ostendit, qua impeditur sensio suctionis; qua etiam deprauata nascitur κίττα, vt prorsus abolita, ὁ βούλιμος, quæ nihil aliud est quàm facultatis appetitiuæ casus, vt inter κυνορεξίαν & βούλιμον hoc interesse videatur; quòd illa sit inexplebilis appetentia sine fame, hic verò fames sine appetitu edendi. Est igitur terræ concupiscentia ἡ κίττα, qualis fortasse videri potest in iis qui ex pariete festucas auellunt, vt in prognostico sanciuit Hippocrates ex historia quam scripsit de vxore Dealcis.

hist. 15. sect. 3. 3. Epid.

Sangvinis corrvptionem et exolvtionem ostendit.] Hic sanguinis corruptionem cuiusmodi sit planè aperit illud quod ipsi corruptioni adiunxit. Est autem exolutio quæ dissolutam κρᾶσιν, i. *complexionem* sanguinis & coagmentationem ostendit, non solùm per principia connata, sed etiam per aduentitia, vt sanguis in vitio sit, non tam corruptione propriæ substantiæ, quàm mixtione alienæ, ac sit corruptio secundum quid. Ipse autem præceptor generi statim subiecit ipsius corruptionis speciem, more magnorum philosophorum. Quod Theophrastum fecisse video, vbi de mutatione specierum agit in congeneres, aut in distantes. De seminibus autem loquens sic air, φθορά τις ἢ ἔκστασις, i. *corruptio quædam aut egressio.* Ac si diceret; egressio omnis è natura, speciei est corruptio quædam. Sicut alienatio naturæ specificæ, est perfecta corruptio. Sic & hoc loco Hippocrates corruptionem sanguinis, nominauit exolutionem eiusdem.

cap. 6. lib. 4. de caus. plant.

15 Ἐν τοῖσι μακροῖσι τὰ κατὰ μικρὰ ἐπιφαινόμενα αἱμορρώδεα· ὀλέθρια.

Quæ in diuturnis exigua apparent sanguinis velut quædam effluuia; mortifera.

OMNIA quæ fiunt quæque apparent in morbis, effœtæ naturæ nuncia & exoluentia; debent videri, vt sunt, mortifera. Sic Parium σταγμοὺς alui tandem ad interitum centesimo & vigesimo die morbi perduxit. De sanguinis autem substillo illud præceptum est, *quod eò peius res ire denunciat, quò sæpius redit.* Causæ sunt explicatæ. Quod igitur ad institutam prognosin attinet, hæc mihi ratio videtur enarrandi. [Coac. 12. huius c.]

QVÆ IN DIVTVRNIS.] Quorum diuturnitas posita est in mala complexione viscerum & vitio temperamenti, & qui raros & leues habent ad crisin insultus, ipsamque acrisiam crebrò experiuntur ab irritis erethismis.

EXIGVA SVPERVENIVNT SANGVINIS VELVT EFFLVVIA.] i. Quæ iterato apparent & fiunt. Sunt enim τὰ ἐπιφαινόμενα, ad verbum, *superapparentia*, i. quæ præter signa pathognomonica & epigenomena velut foras exeuntia, manifestò se produnt: cuiusmodi sputa sunt in pleuritide, pus è vomica, deiectiones in morbis aluinis; ex quorum qualitate, copia, & excernendi modo, significatio fit rerum aut bene, aut malè gestarum in partibus vnde manant; & ex quibus argumenta ducuntur breuitatis aut diuturnitatis, secundi aut sinistri iudicij. Exigua autem velut effluuia sanguinis explicaui τὰ μικρὰ αἱμορρώδεα, quæ speciem præ se ferunt hæmorrhagiæ cuiusdam; reipsa tamen non sunt, nec copia, nec tempore, nec exeundi modo, quales esse solent quæ critica lege prorumpunt.

MORTIFERA.] Vt signo & causa. Atque vt signo quidem: quoniam nihil ὀλίγον bene fit, nihil autem paucum est criticum, ac nullum substillum in bonis ducendum: quia syllogisticum signum est vel oppressæ nimium, vel etiam fatiscentis naturæ, & principiorum collapsorum; quale substillum hoc loco agnoscimus, quod etiam causæ mortiferæ rationem obtinet: quoniam ex irrita contentione naturæ, frustráque tentato sanguinis profluuio, maior infirmitas comparatur; ipse autem morbus vires acquirit eundo, vnde grauiorum symptomatum accessione natura iam effœta corrumpitur in totum; & ad interitum eum certa desperatione perducitur.

16 Τὰ σκοτώδεα ἐξ ἀρχῆς· αἱμορροὶη ῥινὸς λύει.

Quæ ab initio cientur vertigines; hæmorrhagia exoluuntur.

INTER commoda hæmorrhagiæ non in postremis illud est, quòd τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα prohibet esse mortifera, aut certè sinistri iudicij. Quæ res adduxit Hippocratem vt patefacta primùm & explicata rerum criticarum crisin non indicantium nec facientium difficultate, pro exceptione omnium theorematum catholicorum tandem illud quasi miraculo apposuerit, αἱμορραγίαι λάβραι ἐκ ῥινῶν ῥύονται πολλά, i. *hæmorrhagiæ multæ difficilia multa dissoluunt.* Quæ causa etiam mouit Galenum vt idem exclamarit super Metone per hæmorrhagiam defuncto præter spem morbo qui paulò antè mortiferus videbatur, non solùm symptomatis grauissimis, sed etiam signis terrificis. Sed inter omnia κρίσιμα loco non apparentia, principatum obtinet vertigo in morbis acutis. De cuius euentu certa est illa prognosis. *Quibuscumque autem circa initia vertigo est, vnaque capitis venæ micant cum tenui crudaque vrina, his proculdubio febris exacerbationem in crisibus expectare oportet, nec mirum videri si non sint apud se.* Cuiusmodi autem vertigo sit, & quorsum appareat, tum autem quemadmodum sanguinis profluuio exoluantur atque quiescat, decisio est in hac prognosi. [part. 1. 2. Epid. hist. 7. 1. Epid. 4. acut. & 85. Coac. 1. lib.]

QVÆ AB INITIO CIENTVR VERTIGINES.] Quæ circa initia morborum acutorum sine vlla significatione crisis (nulla esse potest quo tempore natura morbificis causis opprimitur, estque humorum cruditas) cietur vertigo. Vnde illius theorematis veritas, τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφαινόμενα. Quæ sententia demonstrandi facultatem Galeno aperuit super symptomatico rigore qui ineunte causo cietur. Sic autem ait: *Tametsi enim febris ardens rigore superueniente exoluitur: tamen non æquum est, neque decet αὐτίκα ἐπιφαίνεσθαι τὰ κρίσιμα.* Vt autem catholici theorematis veritas in vertigine proposita conspiciatur, nemini sanè dubiũ est quin vertigo iure & loco appareat in certis quarũdam criseωn perturbationibus. Nam τὸ σκοτῶδες vomitionis est κρίσιμον: sicut ἀμβλυωγμὸς hæmorrhagiæ. Sed vt morborum initiis nulla crisis: ita nulla perturbatio critica esse potest. Atq; vt vertigo in sperabili febris discessione, bona est: ita in febris continuatione, pestifera. Ex quo efficitur distinctione temporũ & causarum, de symptomatis quibusque verendum, aut benè sperandum. De vertiginis autem natura & causis hæc fuit, manetque omnium medicorum firma consensio: quòd ea versatur in falsa imagine τοῦ φαντασμοῦ cui circumrotari circumagique videntur quæ circumcirca sunt, quamvis immota; ex turbulento motu ac veluti circumacta spiritus animalis a flatulento spiritu atque maligno, nõ secus atq; bombus & echo in auribus, hallucinatio in oculis & caligatio. Flatulẽti spiritus generatio & impulsus vel est indigena cerebri, vel aduena sursum infernè trãslati. Indigena est à repletione particulari, vel intemperie & ca-

Coac. 2. c. 1. lib. 2. cochymia quadam maligna firmiter fixa, qualis esse solet tinctura lanarum veneno Assyrio fucatarum: qualis vertigo in cephalalgia siue febre & echus varietate, prænuncia esse solet vel apoplexiæ, vel epilepsiæ. Aduena autem vertiginis causa est anadrome symptomatica aut critica sanguinis in febre acuta, tum vapor fumidus qui vel ab impuro stomacho, vel à pulmonibus inflammatis, vel ab vtero sursum exhalat. Hìc autem conuenienter accommodabimus hæmorrhagiæ commoda, indigenæ quidem vertigini, ex plethora particulari; aduenæ verò, ex anadrome vtraque, tum ex pulmonibus inflammatis. Secus est de vertigine ex cacochymia & cruditate stomachica, aut ex alia quavis tetri vaporis exhalatione. Huic enim debetur pepasmus, purgatio, & neoterismus.

Hæmorrhagia qviescvnt.] Sanè quidem, si à plethoræ propria vacuatione nulla supersit inflammatio, nulla intemperies firmiter fixa, nulla etiam cacochymia maligna. Etenim parum prodest hæmorrhagia plethoricarum affectionum propria, si rerum illarum accessionem coniunctam habuerint, vt prudenter Galenus annotauit.

17 Τὰ ἐκ ῥινῶν σμικροῖς ἱδρῶσι περιψυχόμενα· κακοήθεα.

Quæ à profluuio narium cum sudatiuncula incidit perfrigeratio; mala est.

Ego vero arbitror pensum meum absoluisse super hac prognosi commentario nuper scripto ad illam: *Quæ diebus criticis eximia incidit perfrigeratio ab hæmorrhagia; pessima.* Superest tantùm vt prætermissa illic sudatiuncula quorsum appareat, & quomodo adferat perfrigerationem, explicetur. (Coac. 1. huius c.)

Ergo. A profluvio narivm.] Id enim significat ἐκ ῥινῶν, quod teste Galeno indicat per antonomasiam profluuium sanguinis, inter omnia narium epiphænomena. Verba Galeni sunt hæc comment. ad hanc prognosin in prorrhetico: *Prorupta hæmorrhagia siquidem erumpant sudores, aut superueniant qui perfrigerationem adferant eximiam; graue hoc malum est.* Itaq; à profluuio sanguinis è naribus hypercritico aut symptomatico, illo quidem à forti contentione naturæ, validóque in capite pulsu, hoc verò principiis morborum à gargalismo siue orgasmo sanguinis multa & effera bile perfusi, vnde fit anadrome ante diem principiis acutorum morborum, non autem cùm iam processerint, eaque anadrome profusam facit hæmorrhagiam quæ inhiberi non potest, tum propter affluxus perennitatem, tum propter vasorum perpetuam anastomosin. (prorrh. 34. s. 3. 1.; prorrh. 12. s. 2. 1.)

Cvm svdativncvla.] In qua scilicet exiguus humor & sudor miliaris exudat, vel è capite & thorace, vel toto è corpore roscido. Huius cùm duæ sint causæ; vna quidem ineunte morbo, naturæ oppressio; altera prouecto iam morbo vel ab hypercrisi, naturæ fatiscentis exolutio, succique alibilis partium solidarium exudatio; posteriorem causam hoc loco agnoscimus. Est enim sudatiuncula hæc ab ὑπερκρίσιος, etiamsi inciderit circa initia morbi acuti. Quocirca bene præcipiunt qui vetant in sudore sanguinem detrahendum.

Incidit perfrigeratio.] Eximia quidem illa, non leuis & alsiosa quæ moderationem caloris ostendit à falsò credita febris discessione, vt in Pario & Pythione: sed quæ tangentibus medicis & ægrotis sensionem exhibet frigoris glacialis, quam paulò antè noster author vocauit περίψυξιν. De qua illud præceptum est: ἐν κρισίμοις περιψύξεσι, τὸ αἱμορραγεῖν αἱ πολλαὶ κάκιστα. i. *In criticis exacerbationibus, hæmorrhagia larga; pessime.* (Coac. 1. c. huius. prorrh. 42. s. 3. 2.)

Mala est.] Ne dicam mortifera: quoniam cum dissipatione viuifici nectaris à corde exhausto, infirmitatem summam denunciat, atque, vt ita dicam, νέκρωσιν caloris natiui. Sed inter duo genera τῆς περιψύξιος, periculosior est vniuersi habitus, quàm partium extimarum. (prorrh. 51. s. 2. 1. prorrh. 34. s. 3. 1.)

18 Αἵματος ἀπαίρεσις ἐν καταψύξει νενωθρευμένῃ· κακόν.

Detractio sanguinis in torpida perfrigeratione; mala.

Vndecvmqve sanguis prorumpat aut stillatim fundatur in torpida perfrigeratione, idque vel sponte sua, vel artificio medici vena incisa; incommodo vertit ægri. Est enim, vix me contineo quin dicam, immanitatis omnem humanitatem fugientis, defraudare naturam eo commodo vnde sperabilis est eius recreatio, ex cuius paupertate ipsa torpescit, & effœta languet. Hìc enim agnoscimus κατάψυξιν νενωθρευμένην, quæ scilicet coniunctam habet τὴν ἔρριψιν, vbi subinde ad pedes delabitur æger. Nec verò ἡ κατάψυξις quæ accessionem habet νωθρότητος, aliò referri potest quàm ad summam imbecillitatem caloris natiui per exolutionem viuacitatis, & paupertatem humorum ac spirituum viuificorum. Nam quæ à retractione accidit refrigeratio per inflammationem systrophicam viscerum, aut etiam prægrandem ardorem, vt in iis qui ardenter febricitant; illa ferè coniunctam habet ἄσην ἄνευ ἐμέτου, i. *iactationem sine vomitu*, & difficultatem spirandi cum inexplebili siti. Ac talem complectitur illa iam vetus oratio. Τὰ ἐγκαταλείμματα καυματώδεα ἐν ὑποχονδρίοις, πυρετοῦ περιψυχθέντος, κακόν. i. *Ardoris in hypochondrio reliquiæ, febre perfrigerata; mala.* Ad eam igitur prodest sanguinem multum detrahere; vt fecimus in Generali Monet, cui refrixerant partes extimæ.

19 Ὅσοι

19 Ὅσοι κοιλίης ἐπιστάσιος αἱμοῤῥέουσι, καὶ ἐπιῤῥιγοῦσιν ἅμα τῷ αἱμοῤῥοεῖν· τούτοισι κοιλίην λειεντεριώδεα ποιέει, καὶ ἐπίσκληρον, καὶ ἀσκαρίδας, ἢ ἀμφότερα.

Meliùs sic in prorrhetico, 46. ſ.3.1.

Οἷσι κοιλίης ἐπιστάσιος αἱμοῤῥαγέει καὶ ἐπιῤῥιγέει· ἆρα κοιλίη λειεντεριώδης, καὶ ἐπίσκληρος, ἢ ἀσκαρίδες, ἢ ἀμφότερα;

Quibus aluo ſuppreſſa prorumpit ſanguis è naribus; indéque rigent; etiamne fit aluus lienterica & prædura? an verò aſcarides? aut vtrumque?

MAGNA VIS eſt hæmorrhagiæ ad immutandum corporis habitum in complexione & temperamento, vnde mutatio repentina cernitur actionum, qualitatum & excretionum. Porro autem quemadmodum hæmorrhagia duce natura, & critica lege peracta, facit ægros plerumque morbis defungi periculoſis cùm in anguſto ſpes erat: ſic hæmorrhagia profuſior, tum ſymptomatica, tum hypercritica; vel ad exitum ægros præcipitat, vel eam morborum ſucceſſionem parit à quibus, comparata iam ſumma infirmitate, vix vlla ratione poſſunt leuari. Enimuero quæ maior mutatio eſſe poteſt quàm alui multùm aſtrictæ, in profuſam lienteriam? Atqui mutatio hæc docetur in hac prognoſi, quæ cuiuſmodi ſit & quemadmodum accidat, iam ad demonſtrandum aggredior.

QVIBVS.] Acuta febre ardenter febricitantibus, vnde facilis eſt anadrome ſanguinis multa & effera bile perfuſi. Nam febrium ardentium morbificus humor eſt bilioſus ichor, idemque acerrimus. 4. acut.

ALVO SVPPRESSA.] Quæ non niſi coacta ducitur excrementis admodum ſiccis & duris, penéque dixerim, cauſticis: cuiuſmodi ſunt ἐγκαύματα πυρώδεα, quorum cohibitio eſt ſiccitatis, ſiccitas ardoris febrilis omnem ſuccum exhaurientis, qui eſſe ſolebat vehiculo fæcibus deſcendendis. Ex omnibus enim alui ſuppreſſæ cauſis quæ multæ ſunt, hanc ſolam hoc loco agnoſcimus, præter eam quæ communis eſt omnium quæ ſurſum fiunt, & foras, tranſlationum.

PROFVNDVNT SANGVINEM E NARIBVS.] Sic enim Galenus interpretatur τὸ αἱμοῤῥαγέειν, quod abſolutè ſcriptum, hæmorrhagiæ narium antonomaſiam oſtendit. Hæc autem profuſio ſanguinis nimia & immodica hoc loco ſignificatur; alioqui non verteret aſtrictionem in laxitatem. Ac talis eſſe ſolet principiis febrium acutarum ſymptomatica ab orgaſmo, vel hypercritica, quam ipſa natura adhibere non poteſt, à plethora particulari, & forti in capite pulſu.

INDEQVE RIGENT.] Non quidem rigore critico, ſed ſymptomatico. Omnia enim ὕστερα πρότερα mala ſunt in omni naturæ & morbi certamine. Ac malè res eunt quando ea ſuccedunt quæ interre & loco debent præire. Tum certè omnia fiunt παρὰ λόγον naturæ, & κατὰ λόγον morbi. Quo fit vt nihil ad ſalutem appareat, boniſque fiat rebus ægroti. Vt enim non raro ſalutaris eſt vrinæ ſuppreſſio ante rigorem: ſic ea quæ à rigore incidit, grauiſſimum ægri malum ſemper oſtendit & facit. Eadem ratione rigor hæmorrhagiæ ſuccedaneus, qui prænuncius eſſe debebat, ſigno & cauſa peſtiferus eſſe ſolet. Non enim ſigna critica, & criticæ cauſæ, retro commeant in commoda ægri. Niſi quis fortè adferat excuſationem variarum criſeωn quæ cadunt ſæpenumero in morbos acutos, ex vario humoris motu, naturæ impulſu, & partium obſeſſarum conditione; ac dicat etiam varietatem illam criſeωn non raro denunciari vna eademque concuſſione, qualis cernitur in rigore qui non minùs videtur hæmorrhagiæ prænuncius, quàm ſudoris ipſius. Qua de re illud antè præceptum eſt: *Si cui cùm riguerit atque ſudarit criticè, rurſus poſtridie rigor ſine cauſa ingruerit, tum à pepaſmo ſomni fit expers; huic venturam arbitror hæmorrhagiam.* Sed in hac prognoſi rigor fruſtra cietur, eſtque omnino ſymptomaticus profuſioris hæmorrhagiæ. Nam de natura rigoris dictum eſt alibi. 26. Coac. 1. lib. ibidem.

ETIAMNE FIT ALVVS LIENTERICA?] Sanè quidem κατὰ τὴν στέρησιν τῆς πρώτης πέψεως, i. *priuatione primæ coctionis*, à frigida intemperie ventriculi, & ſumma paupertate caloris natiui tum viuifici, tum viuacis; non autem per citam & præproperam deiectionem quam cïet catarrhi, prolapſus, aut facit ventriculus ipſe ἄτονος. Tot enim ſunt cauſæ lienteriæ, de quibus per Dei miſericordiam loco dicetur ex profeſſo. Ac talem lienteriæ cauſam expreſſit prognoſis hac de re iam ſcripta, nec ita pridem explicata, cuius verba hæc ſunt: *Quibus à pergrandi ardore, quinto die larga eſt hæmorrhagia, ſexto rigor, ſeptimo perfrigeratio; labefactantur alui*, repetenda illinc ratio eſt quamobrem & quemadmodum in vitio ſint alui. aph. 1. 6. Coac. 4. huius cap.

ET PRÆDVRA.] Non quidem à duritate cibi aſſumpti nullo modo ſubſtantia ipſa mutati, nec verò à ſuppreſſione vnde alui dicuntur duræ, vt in illo, μίξις δὲ ἡ κατὰ τὴν γαστέρα σκληρύνει, i. *mixtio ventrem indurat*, & in illo, ἢν δὲ βορέας πνεύσῃ, κοιλίαι σκληραί i. *ſin ſpirarit Boreas, alui erunt duræ*; ſed à diſtenſione cuius cauſa eſt inflatio quam facit perennis generatio atque ſuppreſſio flatulenti ſpiritus à repentina diſſipatione caloris vitalis; non autem ab inueteratione cauſæ frigidæ lientericæ quæ nullos edit flatus. Itaque duritatis cauſa diſtenſio eſt, quæ facit hydropem ſiccum. part. 5. 5. Epidem. aph. 5. 3.

AN VERO ASCARIDES? AVT VTRVMQVE?] Sanè ascaridum causa est putris humoris in ano endelechia, quorum entelechia cernitur in vermiculis assiduè proritantibus, vnde nomen habent. Nam lumbricorum materia est chylosa, quæ nusquam est nisi in ventriculo & tenuibus intestinis. Tæniarum autem generatio est in fœtu dum grauida gestatur in aluo, tantumque patent in longum, quanta sunt intestina, & à similitudine fasciarum teniæ nominantur. Hi non sunt hoc loco intelligendi, nec lumbrici etiam: quoniam in lienteria nullæ sunt reliquiæ chyli, vti nec chylus ipse. Reliquum est vt sine synecdoche, ascaridum nomen propriè vsurpetur pro ipsis vermiculis qui stabulantur in ano, quorum matrix, principium & causa est priuatio humoris melancholici aut pituitæ salsæ. Existere ergo possunt ascarides cum aluo lienterica & prædura, non autem lumbrici, nec qui à fasciis nomen habent vermes admodum lati.

20 Τὰ τεταγμένοισι χρόνοισι αἱμοῤῥοΐδεα ἀψώδεα, μὴ αἱμοῤῥαγόσαντες ἐπιληπτικῶς θνήσκει.

Qui statis temporibus sanguinem profundunt, si loco non profuderint; epileptici moriuntur.

NON MINORA sunt mala quæ veniunt à cohibita hæmorrhagia immeritò, quàm quæ ab immoderatè & profusè prorupta. Ac inter mala hæmorrhagiæ immeritò cohibitæ, vel à natura negligentiore sui, vel à medico imperito, principatum obtinet illud quod memorauit epilepsiæ funestæ, cuius symptomatis ratio aperietur hoc modo.

QVI STATIS TEMPORIBVS SANGVINEM PROFVNDVNT.] Vt fœminæ menstruales per Lunæ periodos, mutili per easdem, hæmorrhoici autumno & vere, cuiusmodi sunt homines natura & diæta melancholici, iuuenes æstate & vere; tum ij quos dolorifica in lumbis mala exercent, & qui à lumborum dolore sunt cardialgici. Hæc autem profusio sanguinis varia est, per vterum, per intestina, per hæmorrhoidas, & per nares. Nam quæ cietur per os, omnino fit παρὰ λόγον naturæ. Statis autem ac definitis temporibus ob eam sanè causam exclusio illa fit: quoniam ita comparata est natura vniuersitatis & partium singularum, vt æqualia & similia quæ ab eadem facultate alterantur, prorsus æqualia faciant excrementa: quinetiam tempus collectionis eorum excrementorũ vt sit æquale necesse est. Nam partes quæ aluntur quoad naturaliter constitutæ fuerint ab eodem nutritæ alimento, æqualia quantitate, similia qualitate, eodemque temporis tractu colligent excrementa, eademque periodo expellent.

SI LOCO NON PROFVDERINT.] Absoluta periodo collectionis, vnde natura ab oppressione excitata & proritata colligit se ad exclusionem superuacanci sanguinis per loca ex instituto commoda, nec ex euentu incommoda. Hinc veniunt hæmorrhagiæ, purgationes menstruæ, hæmorrhoides & dysenteriæ cruentæ: quæ omnia certis quibusdam periodis suscipiuntur & absoluuntur, idque naturæ cõmodo, & contrà incommodo si loco non fiant cohibita & suppressa. Id autem accidit peruersa naturæ inclinatione, meatuum angustia, materiæque ipsius contumacia vndè refluxus & palindrome sursum infernè.

EPILEPTICI MORIVNTVR.] Non quidem omnes, nec ab omni sanguinis profluxuri suppressione & refluxu (nam hæmorrhoicis in hæmorrhoidum vacuitate accidunt phthises, hydropes, cancer, scirrhus & elephas, melancholia & insania.) Mulieres autem cohibitis mensibus, quarto mense dentibus strident, quod est conuulsificum. Sed narium larga hæmorrhagia vi suppressa, non rarò est conuulsifica. Est autem epilepsia conuulsio, cuius apoplexia hic succedanea esse solet, vt superiore anno vidimus in Episcopo Niuernensi, repleto sanguine cerebro.

21 Ἐξ αἱμοῤῥοΐδος ὅσον ἐπιφανείσης σκοτώδεα ἐλθόντα, παραπληγικὸν μικρὸν, καὶ ἐπ' ὀλίγον σημαίνει· λύει φλεβοτομίη. Καὶ πᾶν δὲ οὕτως ἐπιφαινόμενον κακόν τι σημαίνει.

Meliùs sic:

Ἐξ αἱμοῤῥοΐδος ὅσον μικρὸν, καὶ ἐπ' ὀλίγον ἐπιφανείσης, σκοτώδεα ἐλθόντα παραπληγικόν τι σημαίνει· λύει φλεβοτομίη. Καὶ πᾶν δὲ οὕτως ἐπιφαινόμενον κακόν τι σημαίνει.

Ex hæmorrhoide quantumvis parum atque parumper aperta obortæ vertigines; paraplecticum quippiam ominantur: sanat autem phlebotomia. Atque in vniuersum quicquid ita se prodit; aliquid sinistri denunciat.

Vt

VT NIHIL optabilius quàm hæmorrhagia iure & loco prorupta: ita nihil expetendum magis quàm hæmorrhoides conuenienter ductæ. Est autem hæmorrhagia superarum partium vnica salutaris. Namque vomitio sanguinis, excreatio & anacathasis omnino sunt mala. Sed hæmorrhoides inferarum partium esse dicuntur, vt menstruæ purgationes & dysenteria αἱματώδης. Quæ tria suis quæque diorismis salutaribus definita, mirificos adferunt sanitatis fructus. Atque vt paucis complectar hæmorrhoidum commoda; scitum est illud: *Αἷμα ὁκοῖον ἂν ᾖ ἄνω μὲν κακόν, κάτω δὲ χρηστὸν καὶ τὰ μέλανα ὑποχωρέοντα. Sanguis qualiscunque superne quidem malus, infra autem bonum est nigra secerni.* Ac si diceret, vt omnis hæmorrhagia lege critica salutaris: sic hæmorrhoides quæ fluunt merito, & κατὰ λόγον naturæ, grauissima quæque mala sanant & arcent. Atque vt omne sanguinis profluuium per os cuiusmodi sit tandem, terrificum videri debet: sic omnis per intestina nigrorum deiectio, calamitosa, ne dicam mortifera esse solet. Nam quæ ab atra bile incipit dysenteria est insanabilis. Sed hæmorrhoides per metaptosin obortæ, vacuando, retrahendo, & detrahendo rheuma concitatum atque consistens, ipsamque morbificam cacochymiam & impuritatem vasorum expurgando; propugnationem & παιδείαν adfert hæmoptoicis, peripneumonicis, pleuriticis, melancholicis, fanaticis, nephriticis, & varicosis; vt vitia lienis & cutis prætercam: sed ea lege tamen vt per μετάπτωσιν, *i. transitum,* vel sua sponte se prodant, vel artificio medici. Nam quæ per ἀναλογίαν & sympathiam feruntur, tantùm abest vt aliquid opis adferant, vt grauioribus damnis augeant. Quæ cùm ita se habeant.

EX HÆMORRHOIDE.] Qua vel cacochymia lienis melancholica, totiusque adeo mesenterij & cauarum hepatis partium expurgatur per anastomosin venularum ex mesenterico venæ portæ ramo ad vltimas sedis oras productarum, vel etiam qua depletur plethora venarum lumbis adjacentium (vnde dolorifica in lumbis mala sanguiflua) per venas quæ ab hypogastria inseruntur in cutim musculosam hypogastrij & intestinum rectum.

QVANTVMVIS PARVM ET PARVMPER APERTA.] i. Quæ parcè, nec ita diu pro eo ac merebatur cacochymia, aut plethora lumborum particularis, purgationi aut vacuationi concessa fuit; nec verò quantitate ac periodo absoluta votis naturæ respondit, vt liberaliter olim respondebat, sed contrà reflexu ex peruersa inclinatione, aut denegato exitu per suppressionē maiori oppressioni causam dedit.

OBORTÆ VERTIGINES.] Vel potiùs tenebræ aut tenebricosæ vertigines, ex falsa imagine ac veluti spectris quibusdam visorum mendacium τοῦ φανταστικοῦ, per turbulentum motum spiritus animalis impuri à fumido vapore qui ex recursu ipsarum hæmorrhoidum excursum habet ad caput, & exitu prohibetur. Indigena quoque cerebri vapor fumidus esse potest, qui ne vim adferret cerebro, hæmorrhoides liberales & liberæ prohibebant.

PARAPLECTICVM QVIPPIAM OMINANTVR.] Vel etiam multum. Nam illud, *quippiam paraplecticum,* est inchoatæ cuiusdam, non absolutæ paraplegiæ proprium: quemadmodum ex prorrhetico non ita pridem annotauimus. Est autem paraplegia, partis alicuius resolutio cum interceptione motus & sensus De cuius natura & causis multa sunt à nobis adducta comment. ad illam prognosin: *Parotides praua sunt paraplecticis.* Hic autem videtur per ironiam aut etiam sarcasmum dixisse, paraplecticum quippiam, quæ humilis nimirum oratio prægrande malum dignè non exprimit: quoniam vertiginis eius, quam facit anadrome fumidi vaporis & sanguinis vitiosi, non raro apoplexia consectaria esse solet, quæ omnem paraplegiæ & paralyseos continet intra se calamitatem. Etenim quamuis ab Hippocrate notata sint duo tantùm symptomata hæmorrhoidum cohibitarum ἰκτερία. phthisis & hydrops; atque hydropem nasci Galenus doceat ex recursu & refluxu cacochymiæ malignæ & melancholicæ, quæ vel scirrhum gignit in hepate, vel ipsius visceris natiuum calorem extinguit: tamen vt phthiseos consecutio est per translationem ab hepate ad pulmones: sic etiam videri potest apoplexiæ per eam quæ fit ad cerebrum ipsum, cuius prænuncia esse solet tenebricosa vertigo.

prorrh. 16. f. 3. 1. Coac. 9. cap. 12. lib. 2. Coac. 42 capit. 4. lib. 2. aph. 13. 6.

ATQVE IN VNIVERSVM QVICQVID ITA SE PRODIT, ALIQVID SINISTRI DENVNCIAT.] Exempla sunt in ἱδρῶτι, in substillo sanguinis, in rigore frustra citato, in vrinis paulisper coctis, non crudis. Et quoniam nuper admodum περὶ τῶν μικρῶν ἐπιφαινομένων disseruimus super illa prognosi, *τὰ μικρὰ ἐπιφαινόμενα φαῦλα, i. epiphænomena parua, praua;* lectorem oratum velim vt referat se ad commentarium nostrum.

SANA AVTEM PHLEBOTOMIA.] Huiusmodi est illa prognosis. *Quæ ab initio cientur vertigines, hæmorrhagia quiescunt.* Huiusmodi quoque illa: *Profusa narium hæmorrhagia, vt cohibita nonnunquam adducit conuulsionem: sanat autem phlebotomia.*

Coac. 15. huius cap. 16 Coac. huius capit. 11. Coac. huius cap.

DE PALPITATIONE, TREMORE, ET CONVVLSIONE.

Cap. XIV.

Οἱ παλμώδεες δι᾽ ὅλου ἆρα καὶ ἄφωνοι τελευτῶσι;

1 *Qui toto palpitant corpore, etiamne vitam finiunt voce capti?*

HACTENVS hæmorrhagiæ leges examinauimus, & ad medendi vsum conuertimus. Sequitur vt quemadmodū illa venatū est: ita neruorū quæ in vitiu sunt symptomata expendamus in deprauato motu. Enimuero deprauati motus quatuor omnino genera statuuntur, palpitatio, conuulsio, tremor, &

concussio: de quorum natura & causis, tum autem quemadmodum inter se distinguantur, suo quæque loco dicentur. Hic certè sufficiet scribere περὶ παλμοῦ. i. *de palpitatione*, quatenus ad institutam prognosin accommodari debet. Est enim difficilis ratio palpitationis in hac prognosi descriptæ. Sed eam difficultatem hoc modo ad facilitatem conuertemus.

Qvi totò palpitant corpore.] Non quidem palpitatione subsultantium musculorum à flatulento spiritu cuius dominatu iniussi mouentur: sed deprauato motu in quo veriùs micant aliena sponte, quàm nostra colligunt se ad opus faciundum. Nam flatulenti spiritus causa est frigida intemperies in crasso humore, quod certè hic locum habere non potest: quoniam prognoseos huius veritas fuit in historia de Phrenitico, qui cùm secundo morbi die palpitasset toto corpore, mox voce captus quartum morbi diem agens interiit: cuius tam citæ morti causam Galenus acceptam retulit virulentæ qualitati æruginosæ bilis cuius magisterio phreniticus regebatur. Ergo nec à flatulento spiritu ἐκ ψύξεως cumulato palpitauit, nec ab eodem factus est ἄφωνος. Etenim satis constat inde aphoniam venisse, vnde is primùm è potestate mentis exiuit: exiuit autem à cerebro inflammato. At nulla spiritus flatulenti cohibitio inducit φλεγμώδη διάθεσιν. i. *dispositionem inflammatoriam*. Nec verò Galeni rationem libenter admitto qui super delirio palpitantis vmbilici consectario philosophatur, palpitationem quidem nasci à flatulento spiritu; delirium verò à diaphragmatis offensione illius palpitationis socia. Namque vt concedam quod ipse adfert quo suam opinionem tueatur, τοῖς νευρώδεσι μορίοις ἡ ἀρχὴ συμπάσχειν εἴωθεν. i. *neruosis partibus principium consentit*; tamen non efficitur aliam videri posse affectionem diaphragmatis paraphoricam, præter inflammatoriam. Atqui, inquam, nulla cohibitio spiritus inflammatoria est. Quòd si quis obiiciat palpitationis nomine nihil aliud significari quàm subsultationem musculorum & membranarum à flatulento spiritu ἐκ ψύξεως cumulato; sciat is velim nomen illud non rarò vsurpari ἀπὸ τοῦ σφυγμοῦ. Declarat illud Sileni ὑποχονδρίου παλμὸς ξυντεινής, quem paulò antè scripsit Galenus hypochondrij vtriusque tensionem habuisse oblongam, diaphragmate inflammato. Erit igitur palpitatio in hac prognosi arteriarum micantium pulsus medico aspectabilis, & ægro molestus ac dolorificus; vel ob repletionem arteriarum, vel ob angustiam spatiorum in quibus arteriæ olim micabant liberè; vel etiam ob fortem naturæ contentionem studentis excludere quæ sibi negocium & molestiam exhibent atque facessunt. Iam verò quemadmodum talis palpitatio pariat aphoniam, videamus in eo quod sequitur.

histor. 4. part. 3. 3. Epid.
4. acut.
prorrh. penult. l. 1. 1.
histor. 2. 2. Epid.

Etiamne vitam finivnt voce capti?] Sanè quidem: tametsi omnis res quæ interrogando proponitur, ancipitem adfert rationem iudicandi ex ancipiti iudicio eius qui quærit, cui nihil abditum fuit, nihil abstrusum, & qui omnium primus admirationem sustulit, atque θαυμασμὸν inuexit: nisi fortè quis excusationem adferat eius qui hoc veluti breuiarium de historia Phrenitici desumpsit, negetque summum fuisse illum dictatorem Hippocratem: quod illi facilè concesserim, modò persuaserim omnium theorematum quæ scripta sunt in hoc libro authorem fuisse Hippocratem. Enimuero phreniticus ille παλμώδης δι' ὅλου factus est ἄφωνος, ac voce captus vitam quarto die finiuit; aut a tensione forti, aut ab exolutione summa neruorum & musculorum vocem edentium. Huiusmodi sunt musculi intercostales qui faciunt ἐκφώνησιν vocalis materiæ, quæ vapor est fumidus è corde expressus. Huiusmodi sunt etiam laryngis carnes modulandæ voci dicatæ. Eorum autem musculorum tensio accidit in conuulsione, qualis cernitur in epilepticis; exolutio autem in paraplegia musculorum laryngis atque thoracis, illa quidem ambientis appulsu, cuius vim nunquam expertus fuit sextæ coniugationis in larynge neruus, nisi nudatus: hoc verò ab intemperie ceruicalis medullæ, & vertebrarum luxatione. Cernitur etiam in apoplexia: quemadmodum & valida tensio in ebrietate, quæ homines facit ἀφώνους conuulsos. Denique vndecumque valida tensio est musculorum atque neruorum φωνητικῶν aut laxitas & exolutio, vel proprio instrumentorum vitio, vel ipsius principij & facultatis; inde proculdubio accidit ἀφωνία. Quòd si ad eam laxitatem accesserit materiæ vocalis paupertas, tum in propinquo mors est, & qui conualuerit, Hippocrates vidit neminem. Quinetiam sunt interruptę voces & elisæ in faucibus, occursu catarrhi ad perpendiculum prolabentis, & materiæ vocalis sursum oppressæ. Quæ cùm ita sint, iam loco quærendum quæ causa fuerit phrenitico palpitandi & obmutescendi. Sanè hic nulla est æquitas iudicandi à flatulento spiritu palpitasse, quem narrat Hippocrates incendio conflagrasse & æruginosa vomuisse. Nec verò credibile est ipsum voce captum fuisse à laxitate instrumentorum vocalium, quem scribit posteram noctem illius diei quo palpitauit (palpitauit autem secundo) crebris conuulsionibus exegisse. Ergo visa est palpitatio in aspectabili pulsu micantium arteriarum; & à prægrandi tensione instrumentorum vocalium factus est æger ἄφωνος. Nam laxitati contraria est conuulsio quæ hominem detinuit ad vltimum vsque spiritum. Sic enim ait: παλμοὶ δι' ὅλου τοῦ σώματος, νυκτὸς σπασμοί, τρίτῃ παρωξύνθη πάντα, τετάρτῃ ἀπέθανεν. i. *Totius corporis palpitatio, noctu conuulsio, tertio die exacerbata sunt omnia, quarto interiit*. Interiit autem crudeliter, vt sanè omnes intereūt qui ex dolore voce sunt capti, i. qui acerbissima conuulsione intercostalium musculorum, quæ initiis morborum firmiter fixa manet, nec intra eā qua incidit horā discutitur, alioqui febris medicatoria; qui, inquam, sic voce capiuntur denegata expressione & appulsu vocalis materiæ ad instrumenta φωνητικὰ, & impedita eorum modulatione ad vocē edendam. Ex quo efficitur eos qui toto palpitant corpore, voce captos, crudeliter vitā finire: quoniam conuulsoria est aphonia, vel quæ conuulsifico modo existit, iniussa videlicet, forti collectione partium vocalem materiam exprimentium, deducentium, excipientium, & modulantium: qualis aphoniæ causa cernitur in ebriis & catalepticis qui voce capiuntur conuulsi. Nā quæ ab exolutione incidit aphonia per extinctionem caloris vitalis, & summam infirmitatem potentiæ animalis, vt mortem in propinquo esse denunciat: ita moriendi sensionem adimit: ac tales ἄφωνοι λαθραίως ἀποθνήσκουσι, i. *clam moriuntur*.

aph. 5. 5.
2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Coac. capit. 2. lib. 2.

Hic nolim me arguas momentorum auceps, vt qui negare videar à palpitatione flatulenti spiritus

vnite τὴν ἀφωνίαν. Etenim sciat is velim, non ignorare me à flatulento spiritu nasci conuulsionem, & à conuulsione τὴν ἀφωνίαν. Sed hæc in phrenitico locum non habet.

2 Τὰ τρομώδεα, σπασμώδεα γινόμενα· ἐφιδροῦσι, φιλυπόστροφα· τούτοισι κρίσις ἐπιρριγώσασιν. ἐπιρριγοῦσι δὲ ἔτι ἐπὶ κοιλίῃ καύματι προκληθέντες. ὕπνος πολὺς τούτοισι σπασμώδης, καὶ τὰ ἐς μέτωπον βαρέα, καὶ οὔρησις δυσκολαίνουσα.

Omnes qui tremuli conuelluntur, sudatiunculam habent obnoxiam recidiuæ. Atque iis rigore superueniente fit crisis. Superuenit autem ventris ardore lacessitis. Hîc somni arctiores sunt conuulsifici, grauitasque frontis, & mictio ipsa difficilis.

Mala mutatio est motus quodammodo iussi, in eum qui omnino est iniussus, ac sua sponte in totum cietur, nostra autem ne minimum quidem. Est sanè mutatio τοῦ θεραπευτοῦ εἰς τὸ αὐτόματον ἢ ἀπροαίρετον. Quæ quanta sit è natura egressio, declarat id ipsum difficultas ἐπανορθώσεως & curationis 20 ipsius: maximè verò quando cum instumentorum contumacia principium & facultas in vitio sunt, vt in tremore & conuulsione phranaticorum, quæ si quid aliud, desperationem salutis ostendit. Quæ salus enim vitæ sperabilis esse potest in alienatione cerebri ab exhausto, vnde venit illa conuulsio atque tremor? Verùm vt redeam ad propositum theorema de mutatione iussi motus in iniussum, & in quo cerni possit illa mutatio; decisione opus est huius prognoseos quæ sic habet.

Quicumque tremuli conuelluntur.] Vel qui toto corpore omnibusque artubus contremiscentes in vicissitudine motus iniussi & iussi, ex pari magisterio concertantium inter se facultatis & instrumenti, qui, inquam, sic contremiscentes, proindéque iusso prius motu fruentes, nunc prorsus iniusso laborant in conuulsione, quæ est κίνησις ἀπροαίρετος τῶν θεραπευτικῶν κινουμένων, i. *iniussus earum partium motus quæ non nisi nostro iussu mouentur*; idque per se, non ex euentu: vt scilicet partes quæ 30 conuelluntur, conuulsionis causam intra se habeant, repletionem aut siccitatem: nec antagonistarum congenerumve culpa in vitio sint, vt in tromate musculorum crotaphitarum, vbi partes oppositæ conuelluntur. Qui sic igitur à tromate manent conuulsi.

Sudatiunculam habent obnoxiam recidivæ] in prorrhetico legitur ἐφιδροῦν, eaque lectio ter aut quater à Galeno repetita. Sed legere malim ἐφιδροῦν, vt sudatiuncula sit eorum qui sic conuelluntur, vel ab oppressione expressa, vel ab exolutione partium solidarum exudans. Vtraque mala, hæc pejor: neutra autem sudatiuncula recidiuæ tantùm est capax, sed etiam mortis. Nam ea demum φιλυπόστροφα, i. *recidiuæ amica* verè dicuntur quæ sunt προεγγιγνόμενα, ἢ προκρινόμενα, ἢ ἐγκαταλιμπανόμενα, i. *quæ ante diem ingruunt, vel ante diem iudicantur, vel à crisi supersunt*. Hîc autem sudatiuncula vi expressa, vel ab exolutione exudans in conuulsione, mortifera esse solet. [margin: lib. περὶ χυμῶν.]

40 Atque iis rigore superveniente fit crisis.] Non omnibus quidem conuulsis: sed iis tantum qui à repletione conuelluntur. Est autem bona mutatio conuulsionis in concussionem, nec contrà: quoniam triumphata natura iam triumphare incipit; & quæ dominatu causæ morbificæ tenebatur, iam nunc erecta, causæ ipsius potens est in concussione. Est autem rigor concussio.

Supervenit autem ventris ardore lacessitis.] i. Galeno interprete, ventris ardor prænuncius est atque quodammodo præuius iis quibus à conuulsione venturus est rigor: vnde fit vt prorepente ichore bilioso è vasis ad partes acerrimi sensus, forti naturæ contentione & motu, concutiantur ad exclusionem rei molestæ. Atque ita febris conuulsionem exoluit. Scire autem licet multò melius esse iis qui à tremore rigent, quàm qui à rigore contremiscunt. Nec verò audienda prognosis illa quæ sic habet. Τοῖς ἐπιρριγέουσι τὰ τρομώδεα ἐπιγινόμενα κρίνει. i. *Crebrò rigentes tremor superueniens ne-* 50 *cat*; vbi legendum videtur potiùs κτείνει, quàm κρίνει. Nisi quis prætexat eum tremorem qui circa initia, primóque morbi die obortus, venæ sectionem indicat necessariam: sicut in Pythione Galenus asseruit: aut etiam conuulsionis eius quæ primo die, aut postridie, aut etiam perendie superueniens febrem tollit, cuius prænuncia erat rigoris concussio. Sed hoc superstitiosum nimis est, ne dicam sophisticum. [margin: 18. Coac. 1. lib.]

Hic somni arctiores sunt convulsifici.] Arctiores somnos impropriè nominauit & καταχρηστικῶς, τὰ κώματα οὐχ ὑπνώδεα siue ἄγρυπνα, i. *comata non somniculosa, seu vigilantia*, quorum scilicet κῶμα tantùm apparet in conniuentia oculorum, quibus noctem illi accipiunt, cetebro autem vigilant. Nam cæteri omnes comatosi longè absunt à conuulsione, quorum sanè ὕπαρξις in laxitate consistit, vt conuulsionis in tensione.

Gravitas frontis.] Ex qua significatio fit opprimentis causæ firmiter fixæ, non autem 60 fugacis, & per sympathiam lacessentis. [margin: s.2.1. prorrh. & 7. Epidem.]

Et mictio permolesta.] Idem enim significat οὔρησις δυσκολαίνουσα, quod alibi οὖρα ἐπίπονα, ἢ ἀφρώδεα vel etiam ἀφρώδεες οὖρησιες: quæ sunt eiusmodi liquore aut hypostasi, & quò propiùs ab æqualitate abest spuma, eò pejorem vim spiritus flatulenti, aut colliquationis denunciat; quæ duæ sunt iustæ conuulsionis causæ. Qua de re illud præceptum est. *Conuulsifica sunt etiam ceruicis & dorsi perfrixiones*; [margin: prorrh. 20. s.3.1. 88. Coac. 1. lib.]

ac tum vrina spumantes. Sed maximè facit ad intelligentiam conuulsifici somni iam explicati, quod eius prognoseos initio scriptum est: *Qui cum feroci perturbatione somno excussi, è potestate sui exeunt; grauissimum habent malum & conuulsificum.* Sed hæc posterior pars de arctiore somno, deque frontis grauitate & vrina difficili, non legitur in prorrhetico.

f.3.1. prorrh.

al. ἀπυρέτοις.

3 Οἱ ἐν ὑστερικοῖσιν ἄπυρεοι σπασμοὶ· εὐχερέες·

Meliùs in prorrhetico, 27. f.3.1.

Οἱ ἐν ὑστερικαῖς ἀπυρέτοις σπασμοὶ· εὐχερέες.

Quæ cadunt in hystericas sine febre conuulsiones; faciles.

In convvlsione magna est è natura egressio, magna item naturæ offensio: proptereáque difficilis eius redintegratio, ἐκπεπλῆσθαι Græci vocant, ne dicam desperabilis, quando & firmiter fixa est, & partes veluti arctissimo quodam vinculo constrictas tenet, quarum officio vita carere non potis est: vt prætermittam interim doloris acerbitatem, & causæ morbificæ inexpugnabilem contumaciam. At si conuulsio pressa est leuiter ad exigui prædicationem temporis, & causam habet fugacem, aut quæ naturam sequitur potiùs causæ suscipientis, quàm intolerabilem vim efficientis; cuiusmodi esse solet puerulorum febricitantium infra septennium; sanè tantùm abest vt spem nobis adimat, vt ne leuissimo quidem metu nos terreat. Huiusmodi est conuulsio hystericarum febris expertium. De qua exempli loco hæc prognosis videtur ad examinandum & philosophandum præscripta.

Convvlsiones.] i. Iniussi motus principium versus contracti, earum partium quæ nostro iussu colligunt se ad flexionem, extensionem & ad eum quem vocant tonicum motum. Atque illæ conuulsiones aut sunt reapse & verè cum vitio partium conuulsarum, aut ex euentu, vacantibus omni culpa instrumentis & partibus quæ sua sponte, non nustra, colligunt se veriùs quàm conuelluntur. Ergo conuulsiones cuiusmodi tandem fuerint.

Qvæ cadvnt in hystericas.] Quæ superueniunt hystericis dum suffocatione hysterica conflictantur, siue illa venerit impeditis respirandi instrumentis ab oppressione diaphragmatis quam facit hepar ex vtero sibi adjacente, qui eò cursum inflexit tanquam ad fontem gratiosi humoris, sitim explere cupiens in muliere grandiore & vidua, nec ampliùs menstruali, cuique profusior aluus collapso intestino recto, cum siccitatis & leuitatis accessione, occasionem dedit vtero per locorum amplitudinem conuertendi se & affectandi viam ad illud ἱκμαλέον hepar: siue illa suffocatio posita sit in dissipatione penéque dixerim extinctione caloris viuifici qui est in corde, appulsu venenatæ auræ quam semen corruptum è locis expirat; tollitque ad tempus in corde, respirandi vsum; in faucibus & larynge veluti quodam laqueo constrictis, opinionem strangulationis facit ab illaqueatione; in cerebro autem, melancholiæ aut epilepsiæ consecutionem adfert. Quæ tamen symptomata non cernuntur in iis qui cum frigore glaciali, sublato respirationis vsu, nihil omnino respirant: sed sola transpiratione contentæ viuunt, donec excluso putri semine restitutæ fuerint.

Sine febre.] Sic meliùs quàm ἀπύρετοι. Quid enim ad leuationem facit insolita conuulsio quæ grauior esse solet quàm consueta? quemadmodum & menstruarum purgationum cohibitio, molestior mulieribus ἀπνοίαις quàm ἐμπνοίαις. Ergo sine febre legendum, & intelligendum de symptomatica vteri per systrophen inflammati; aut de essentiali.

Faciles.] Quæ & tolerantèr feruntur, & facilè exoluuntur: quoniam fugax earum causa est, quæ proritando potiùs quàm exhauriendo, per contractionem cerebri, conuulsionem facit; εὐχερέες autem vocauit eadem ratione qua homines dicuntur εὐαλθεῖς ἢ δυσαλθεῖς, quorum vlcera facilè aut difficulter sanescunt.

4 Τὰ σπασμώδεα ἐν ἱδρῶτι πτύελα παραρρέοντα, πυρετώδει ἐόντι ἀλύθεα. τούτοισιν ἐπὶ κοιλίαι καθυγραίνονται. τάχα δέ τι ἐς ἄρθρα ἀποσήσεται.

Quæ in febrili sudore diffluit saliua, leuis est: atque iis etiam profluunt alui: ac fortè quippiam in artus procumbit.

Libenter equidem Galeno assentior qui τὰ σπασμώδεα ex hac prognosi reiicit. Nulla est enim æquitas recipiendi, & opera perdita examinandi. Nec verò assequi possum quærendo & disputando quæ sunt illa sputa σπασμώδεα: nisi fortè quis dicat ea videri quæ cum forti concussione thoracis expectorantur. Sed hoc superstitiosum nimis atque sophisticum: alioqui non appositè nec consideratè scripta sunt illa παραρρέοντα καὶ λεῖα, *diffluentia & facilia,* quæ nullo metu exterrent. Quo fit vt loco scripta non sit prognosis, vbi ex professo agitur de conuulsione. Sed ne quid intentatum relinquam, sic eam aggredior ad explicandum.

Qvæ in febrili svdore.] i. Qui à febre cietur & lege naturæ effunditur critica aut periodica,

dica, iſque toto corpore, calidus, non autem ſudatiuncula frigida vel ab oppreſſione expreſſa, vel ab exolutione partium ſolidarum exudans.

Diffluit saliva.] Sic enim τοῦ πτυαλίζειν ſignificationem exprimendam putaui, ex perſpicientia τῆς ἑρμηνείας noſtri authoris qui καταχρηστικῶς vſurpauit τὸ πτύελον, ἀντὶ τοῦ πτύσματος. Nam in πτυελισμῷ verè & κυρίως dicto quod expectoratum ſignificat, diffluere os non legi apud Hippocratem, ſed tantùm humeſcere per ἀναχρέμψιν, i. expurgationem thoracis atque pulmonum. Solenne eſt illud: Πτύελον χρὴ ταχέως τι ἀναπτύεσθαι καὶ εὐπετέως. i. Sputum oportet citò expui & facile. Quod vt fiat, craſſum eſſe decet, non tenue, nec glutinoſum. Sed ea ſaliua diffluit vel à catarrhi prolapſu in fauces, vel ex nimia humoris abundantia qua natat aluus, prorepitque ad os per continuitatem interioris tunicæ quæ aluo, palato, ac toti ori communis eſt. [1. acut. lib. 2. progn.]

Levis est.] Quæ ſcilicet toleranter fertur, & curatur ex facili, nec metum adfert grauioris mali. Vt enim κακοήθεα dicuntur quæ ſunt terrifica: ſic εὐήθεα quæ ſunt ſecura. Huiuſmodi ſunt febres εὐήθεες, quæ inoffenſo curſu placidè ſuam abſoluunt hiſtoriam, nec vlla ſecum habent coniuncta ἐπιφαινόμενα, nec vlla ante diem ἐπιφαινόμενα. Secura eſt autem ſaliua quæ liberum habet exitum, cum vacuitate qualitatis malignæ. Secus eſt de ſerina deſtillatione, quæ ſiue excludatur, ſiue ſubſiſtat, graue malum oſtendit & facit. [lib. 3. progn.]

Atque his profluunt alvi.] Quod balbis vſu-venit qui madeſcente lingua balbutiunt. Nam prorepente in aluum humore, ipſam laxari contingit, non ſecus atque mulieribus in grauiditate aplu hoſis, quibus abortionem facit inde ſuperueniens alui profluuium, ſublata opportunitate nutriendi atque gerendi fœtum.

Ac forte quippiam in artus procumbi.] Deriuata profluuij cauſa in artus. Sic enim & colici, & dyſenterici, non tarò fiunt arthritici. Nec mirum videri debet ſi ex nimia humoris morbifici abundantia, protogato iam morbo, vt prorogari ſoler à ſudore fruſtra oborto; tandem ad eam diuturnitatem abſceſſus in articulis conſequatur.

5 Οἷσιν ἐν σπασμώδεσιν ὀφθαλμοὶ ἐκλαμπάνουσιν ἀτενέες· οὔτε παρ' ἑωυτοῖσιν εἰσὶ, διανοσέουσι τε μακροτέρως.

Quibus in conuulſione ſcintillant oculi firmiter fixi; nec ſunt apud ſe, ac diu eorum morbus producitur.

Hic sane conuulſionis nomen loco non legitur: quoniam quæ ſcripta ſunt in hac prognoſi, prænuncia ſunt potius conuulſionis, quàm conſectaria. Nam oculorum fulgor intentáque acies, vt certè ſymptomata ſunt paraphorica: ſic etiam meritò videri poſſunt conuulſifica. Ergo ſic inſtituenda prognoſis.

Quibus oculi ſcintillant valde intenti, nec ſunt apud ſe, & conuelluntur.

Quibus oculi scintillant.] Crebris micant ignibus; non quidem à lumine ſibi connato, quod eſt inſtrumentum ὀπτικῆς, viſificæ facultatis, idemque ceu portitor quidam trajiciens aſpectabilia omnia ſibi conſocialia ab extimo lumine ad intimum animæ, per quod viſio ipſa perficitur: ſed à fulgore aduentitio, ac veluti quibuſdam marmarygis ob oculos obuerſantibus à ſanguinis tenuiſſimi appulſu multa bile perfuſi ad nitentes pellucidaſque oculorum membranas, cum inflammatione quadam luminis atque fulgoris oculorum proprij, vnde oaſcuntur intus τὰ ἰνδάλματα quæ non niſi extrinſecus percipi ſolent. Ac talia viſa, ſunt planè mendacia: ſicut & ἦχοι in aurium echo & bombo.

Valde intenti.] Quorum acies, quocumque fit eorum conjectio, manet immota & fixa, idque κατ' ἀτενισμόν; non autem à pari contractione iniuſſa omnium oculatium muſculorum; nec verò ab iniuſſa collectione antagoniſtarum, quam vocat κατάκλασιν; nec ab æquali omnium contractione, quam τὴν πῆξιν, in illo, ὀφθαλμοὶ πηγνύμενοι, qui ſunt eiuſmodi; exerti quidem, à laxitate; concaui autem, à conuulſione. Ac talem intuitum nominauit ὄμματος ἔρευσιν.

De quibus in vniuerſum ſic ſtatuam. Oculorum conjectio firmiter fixa, aut iuſſa eſt, aut iniuſſa; ac iuſſa quidem indecore, à perturbatione animi cum febre, aut ſine febre; iniuſſa autem recta, aut torua. Recta eſt quæ cernitur in oculis quos vocant πηγνύμενοι, qui ſunt eiuſmodi, vel à laxitate omnium muſculorum exerti, vel ab eorundem contractione concaui: torua autem à muſculorum antagoniſtarum laxitate, aut conuulſione.

Nec sunt apud se.] i. Non ſuæ ſunt meotis: ſed contrà è poteſtate ſui exeunt, diſſimilitudine motum, abſurditate verborum, indecora corporis compoſitione, & corde oblito laborum; quæ omnia ſunt paraphorica atque phrenitica: per intolerabilem cerebri alterationem, quòd effero humore teneatur, idque potiſſimum quando in morbis acutis ante diem apparent τὰ ἐπιφαινόμενα quæ citò apparere non debent, alioqui verè ſunt ἐπιφαινόμενα, proptereàque funeſta, aut certè ſiniſtri iudicij. Atqui ſcintillantes oculi ſcintillis & marmarygis crebri eſſe debent ad hæmorrhagiam criticam, nec aliter. Ergo ſi conti à huiuſmodi ſint phrenitidis ſocia; παρὰ λόγον natoræ, & merito morbi erunt.

Et convelluntur.] Proritatione neruorum principij, & cerebri alienatione, cuius conſe-

cutio cita est à prægrandi alteratione iam explicata, quæ cernitur in oculorum scintillis & fixa eorum coniectione. Quod autem sequitur de diuturna ægrotatione, falsum est, tum reapse, tum Galeni iudicio & authoritate.

6 Τὰ σπασμώδεα τρόπον παροξυνόμενα κατόχως· τὰ παρ' οὖς ἐπαίρει.

Qui in paroxysmo attoniti quodammodo conuelluntur; iis assurgunt parωtides.

Qui in paroxysmo attoniti.] Dum scilicet exacerbatur febris intermissionis expers, cerebro multùm prorirato veriùs quàm oppresso, à mixta cacochymia pituitæ & bilis vnde nascitur monstrum biceps quod κωφωσίας veteres nominarunt, quæ non minùs cernitur in catoche falsò credita vigili apertis oculis multùm intentis; quàm in cωmate quod falsò putatur soporatum, ex conniuentia oculorum. Nam & phrenitici multi sunt catochi, vt etiam comatosi: quamuis inter cωma & catochen hoc intersit, quòd illud sit ἐν τῇ λύσει, hæc verò ἐν τῇ τάσει.

prorrh. 60. Ca. 1. Quodammodo conuelluntur.] i. Fugaci artuum contractione, vel musculorum iniussa collectione leuiter pressa, non firmiter fixa: quamuis illud κατόχως non rarò significet τὸ ἰσχυρῶς καὶ βεβαίως: quemadmodum sæpe annotauimus ex Galeno. Alioqui duo hæc, σπασμώδεα τρόπον & κατόχως, essent planè ἀσύστατα.

Iis assurgunt parotides.] Aliam interpretandi viam secutus sum, atque aliud demonstrationis fundamentum posui in enarratione iam scripta ad hanc progn*ω*sin. Sed illa pertinet tantum ad catochen, non autem ad parotidas. Sic enim legitur, τὰ παροξυνόμενα σπασμώδεα τρόπον κάτοχα. 109. Coac. 1. lib.

7 Τρομώδεσιν, ἀσώδεσι, μικρὰ τὰ παρ' οὖς ἐπάρματα σπασμὸν σημαίνει, κοιλίης πονηρευομένης.

Quæ tremulis & anxiis parua assurgunt parωtides; conuulsionem denunciant cùm in vitio est aluus.

Iniussi motus quàm iussi conditio peior est, terrificáque magis. Ergo tolerabilius malum tremoris quàm conuulsionis. Atque vt melius est delirium superuenire tremori, quàm tremorem delirio: sic melior est conuulsionis in tremorem metaptωsis, quàm tremoris in conuulsionem. Sed caput est in hac prognωsi discere & intelligere quemadmodum quæ ex tremore & anxitudine assurgunt parωtides conuulsionis prænunciæ sint, maximéque si aluus in vitio sit. Est quidem hæc prognωsis ἐν τῷ συμπτωμάτων instituta: efficiam tamē vt ea signorum complexio nihil à proposito inter se dissentiat.

Ergo. Quæ tremulis.] i. Iis qui contremiscunt in febre acuta per transitum humoris morbifici è venis in neruos, vnde per translationem & propagationem causæ illius ad cerebrum, symptomata paraphorica excitantur: quoniam facilis esse solet mutua principij & neruosarum partium sympathia. Quæ res adduxit Hippocratem vt ita scripserit: *Qui contremiscunt in febre, non fiunt apud se.* Est autem hic tremor ab oppressione, non ab exhausto.

aph. 26. 6.

prorrh. 44. Ca. 1. Et anxiis.] Qui sunt omnis loci & figuræ impatientes, habentque alysmum virtutis grauatæ à corpore: qui δυσφορίαι αἰτίατος nominatur, quemadmodum alter κενώδης.

Paruæ assurgunt parotides.] Non quidem paruæ symptomatum remissione, & periculi vacuitate; quales paruas dici ostendimus in illo: *Parωtides in diuturnis paruæ*; cuiusmodi fuisse narrantur illæ 1. lib. τῶν ἐπιδημιῶν quamuis amplitudine & circumferentia essent magnæ; at diffusæ tamen & molles ac doloris expertes, sed quæ in humoris maligni & efferi abundantia αἰμόρῥοπος ἀμόρρ... assurgunt. Sunt autem rubræ, dolorificæ admodum, atque prædurae. Nam de natura parωtidum satis iam multa diximus in earum historia.

Conuulsionem denunciant.] Quoniam ad præparationem suscipientis causæ, i. ad neruorum infirmitatem quam tremor ostendit, vis magna efficientis accedit: quia vel manet superstes multa in cerebro materia non ita pridem eò translata, quam parωtis ἀμόρροπος non excepit; aut quæ ab eadem recursum habuit ad cerebrum vnde manauit. Quæ causa est cur ex parωtide rubra & vertiginosa non rarò veniant conuulsiones cum aphonia, vt suprà iam demonstratum est. Sunt enim parotides rubræ exacti iam morbi superstites, in febribus ortæ; sunt, inquam, abscessus vt paruitate inutiles: ita symptomatum calamitosa vt intolerabiles.

Cum aluus laborat.] Meliùs fortè sic; nisi aluus laboret. Etenim quibus liberaliter biliosis excrementis fertur aluus, parωtidum mortifero periculo defunguntur quod in propinquo erat, quod Hermippo Clazomenio contigisse legimus. Qua de re illud præceptum est: *Parωtides in acutis funestæ: sed forsan his aluus feruntur.* Vulgata lectio sic defendi potest, quòd anxitudo iam descripta nullam accipit leuationem: sed contrà augetur quando laborat aluus, tum suopte vitio, vt in lienteria; tum

lib. 1. Epidem. Coac. 5. cap. 4. lib. 2.

alieno

alieno, vt in dysenteria, per expressionem saturatæ bilis ab hepate, quæ abradendo & exasperando sedis & intestinorum vlcerifica esse solet.

8 Τὰ σπασμώδεα καὶ τετανώδεα πυρετὸς ἐπιγινόμενος λύει.

Conuulsiones & tetanos superueniens febris exoluit.

Hvivs prognoseωs veritatem aperiet nostra enarratio in 12. huius cap. quæ continet diorismum, atque, vt ita dicam, fundamentum bene scienterque demonstrandi omnia quæ continentur in hac prognωsi. Cogitationes igitur nostras ad illam reseruabimus.

9 Σπασμὸς ἐπὶ τρώματι θανάσιμον.

Conuulsio trωmati superueniens; funesta.

Illa demvm symptomata citæ mortis iamjam venturæ sunt argumenta & causæ, quæ cum significatione fatiscentis victæque naturæ offensionem quoque ipsi adferunt intolerabilem. Nulla autem vis maior naturæ ἀντιπάθης, quàm conuulsione potest adferri. Huc accedit quòd partium ab exhausto conuulsarum redintegratio nulla sperabilis. Ac veritas quidem huius prognoseωs confirmatur aph. 2. lib. 5. quem enarrauit Galenus. Nec vero sperassem me aliquid opis allaturum lectoribus & studiosis Medicinæ, si ille diorismos omnes explicasset calamitatum & conuulsificarum causarum quæ trωmati superueniunt. Vtile autem fuerit omnes quærere & examinare, vt ex earum perspicientia intelligamus in quo trωmate, & quamobrem necessariò sit funesta conuulsio, non semper, aut certè vt plurimùm: sicut video placuisse Galeno, qui necessitatem moriendi non recipit à conuulsione ex trωmate orta. Nec mirum: quia vnicam conuulsionis causam agnoscit in sauciata parte & trωmate læsa, nempe inflammationem systrophicam particularum neruosarum ipsius partis. His ita constitutis.

Convvlsio.] i. Injussa contractio artuum, vel eorumdem iniussa collectio principium versus; illa quidem, in qua pars conuulsa conuulsificam habet causam, si epilepsiam tantùm exceperis, in qua principium, i. cerebrum in vitio est, non membra contracta, appareatque τὸ ἀνασπαστικόν veriùs quàm vera conuulsio: hæc verò in qua partes ipsæ sponte sua & injussu nostro colliguntur veriùs quàm contrahuntur, omnis conuulsificæ causæ expertes; alienóque vitio colliguntur, non suo: propter exolutionem & laxitatem musculorum oppositorum, magnitudine, numero, & robore parium.

Svperveniens.] Per propagationem causæ morbificæ ad genus neruosum, vel à principio, vel ad principium, vel à sauciata parte in socias atque propinquas; tum naturali contentione partium sauciatis oppositarum & parium virtute, numero, & magnitudine.

Trωmati.] i. Prægrandi capitis vel artuum offensioni extrinsecus incidenti, jactuve, ictuve aut casu; vnde partium illarum percussarum luxatio accidit, contusio, vulnus, fractura. Omnia enim partium extrinsecus offensarum vitia, si lacerata sit multùm continuitas, trωmata facit; quod illud δεῖ satis ostendit, vnde significatur ἐπιφάνεια, quæ nunquam incidit nisi in magnas affectiones, easque quæ inter ipsas eximiæ sunt. Declarat & libri inscriptio περὶ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τρωμάτων, vbi describuntur capitis mala percutiendo illata, quæ ex euentu per substillum sanguinis in duram meningem, aut per sauciati ossis corruptionem forent lethalia, nisi, conuenienter medicando, ei fato per Dei gratiam occurreretur. Nec verò me mouet quod in aphorismis legitur in hanc sententiam, ἐπὶ τραύματι quod vulnus tantùm significat. Nam & magnum vulnus est τρῶμα. Sed non omne vulnus eiusmodi est, vt nomen trωmatis mereatur. Omnis autem prægrandis in triplici genere partium sauciatarum offensio, trωma est. Possem hîc ego, perinde ac idoneum nactus locum, pluribus argumentis opinionem meam defendere & sustinere. Sed aliò festinat mea oratio.

Ergo. Convvlsio trωmati svperveniens.] Idque per inflammationem partium neruosarum sauciatæ partis, aut per translationem systrophicæ inflammationis in propinquam vel sociam, vel etiam per exolutionem sauciatæ partis quæ conuulsionem facit oppositæ. Ac talium causarum conuulsificarum species & idea spectantur ex fractura calcis in chorda, quæ nata è musculis suræ primùm in ortu rotunda & crassa, mox explicata & in πλατύνομαι diducta, firmiter fixa, ipsi calcaneo subtenditur & adhærescit. Hanc vocat Hippocrates τένοντα ἐπίδησιν. Eius conuulsio intolerabilem doloris acerbitatem parit, vnáque secum habet coniunctam febrem, assiduitate, feritate, singultu, tremore, delirio, & cita morte funestam. Cernitur etiam conuulsionis calamitas à nimia prorupti sanguinis ex vulnere abundantia, cùm scilicet vena insignis αἱμοῤῥοῖς telo incisa est. Ac talis conuulsio non ita pridem his conscripta literis explicata fuit. *Si largo sanguinis profluuio superuenerit conuulsio, aut singultus, mortiferum.* Sed vulnerum quoque magnorum atque prauorum, qualia esse solent musculorum qua parte neruì ἐμφύονται, aut iidem ἐκφύονται; talium, inquam, vulnerum consectaria est sæpe ipsa conuulsio, si nullus tumor assurgat, aut euanescat parte postica. Iam verò in trωmate capitis, cuius decisio hæc propria esse videtur, conuulsionis vtriusque causa & ratio, periculi locum habet. Etenim quæ sauciato partis alteriùs musculo temporali conuulsio accidit, cernitur è diuerso: tametsi conuulsa pars caret omni

Coac. 18. cap. 13. lib. 2. aph. 65. & 66. lib. 5.

causa doloris, tamen officij vacuitate in comedendo, & signo grauiter sauciatæ partis nobilissimæ terrifica esse debet. Nam sauciati temporalis musculi hæmorrhagia, cerebrique per societatem & viciniam sympathia, intra decimum diem funesta est. Superest vt conuulsionis mortiferæ præter cæteras, & quæ morituri mox hominis in capite sauciati signum ostendit, causam in occulto latentem propalam explicemus. Enimuero trœmatiæ omnes cephalici, cùm in propinquo mors est, alterutra manu sauciatæ parti opposita, aut vtraque conuelluntur. Atque illud contigisse legimus cuidam pedisequæ in Omilo, hoc verò eiusdem loci Autonomo, à cuius futuris deceptum se fuisse Hippocrates prodidit, exemplo magnorum virorum & magnarum rerum fiduciam habentium. Ac sanè pedisequa jactu fenestræ aut januæ, dextra parte ad suturam trœma accepit; sinistra manu conuulsa est: Autonomus autem lapidis jactu percussus in medio bregmate super sutura, trœma fissuræ & contusionis habuit, vnde iam proximus morti, vtriusque manus conuulsionem expertus est. Vtriusque conuulsionis tam è diuerso, quam è directo, causa est inflammatio neruorum principij quæ trœmati superuenit; in pedisequa, è diuerso per transitum biliosi humoris; in Autonomo autem, per propagationem eiusdem maligni humoris. Atqui trœmaticæ inflammationis consectaria esse solet conuulsio è directo partis obsessæ inflammatione illa systrophica. Quòd autem per translationem phlegmone oriatur quæ conuulsionem facit è diuerso caluariæ sauciatæ, planè illud declarat, quod vlcus in trœmate tum exaruit velut sale conditum; caluaria verò quæ fuerat perpolita, nunc apparet vermiculata & flaua inflammationis argumenta sunt pustulæ sparsæ in lingua èxudante sero ab inflammatione, vt in phreniticis. Sed illa translatio non fit ab vna cerebri parte in alteram, verùm per vasa quæ vtrique parti communia sunt.

Conuulsio vtraque trœmati superueniens per contractionem aut collectionem iniussam, mortifera est: illa quidem à distensione nerui aut chordæ, in fractura calcis; ab exhausto, in vulnere per hæmorrhagiam; ab inflammatione, per epigenesin aut metastasin in trœmate quadruplici capitis: hæc verò à resolutione musculorum partis nobilissimæ temporum. Mortifera est autem ob συντονίαν symptomatis, quæ curationis tempus expectare non potest; ipsa verò doloris acerbitas, & actio intercepta nobilium partium, *καταλύει μὲν ἐν τάχει τὴν δύναμιν, καὶ ὀξὺν θάνατον ἐπιφέρει. i. vires citò resoluit, & citam mortem inducit.* Galenus comment. ad aphor. 25. 2.

10 **Σπασμὸς ἐπὶ πυρετῷ γινόμενος· ὀλέθριον· ἥκιστα δὲ παιδίοισιν. Οἱ δὲ πρεσβύτεροι ἑπτὰ ἐτέων ἐν πυρετῷ οὐχ ἁλίσκονται ὑπὸ σπασμοῦ· εἰ δὲ μὴ, ὀλέθριον.**

Conuulsio febri superueniens omnino funesta; perrarò autem puerulis. Qui verò septem annis prouectiores sunt, conuulsione non tentantur in febre: sin autem, desperati.

INTER symptomata ὀλέθρια febrium acutarum, desperabilem maximè vitæ salutem ostendit conuulsio; cùm scilicet tanta est eius per ardorem & siccitatem è natura egressio, vt nulla redintegratio sperabilis esse possit. Huiusmodi est dentium stridor fanaticis, oculorum ἴλλωσις, palpebrarum item & labiorum peruersio. Huiusmodi sunt etiam deliria cum tremore & palpo conjuncta, quæ valde phrenitica esse dixit. Itaque talis conuulsio, & partium conuulsarum offensione, & causæ ipsius conuulsificæ contumacia citam mortem venire facit atque denunciat. Denique conuulsio febri acutæ superueniens ab exhausto principiorum & partium solidarum, ad vltima ventum esse testatur. Secus est de conuulsione illa quæ febris finem adfert, quando & fugax est ipsa, & primo febris die, aut postridie, aut ad summum perendie incidit. Non enim hæc febris naturam sequitur, vnde viuacitatis partium & principiorum absumitur, atque quodammodo liquitur: sed potiùs fortem naturæ contentionem, quæ multùm oppressa, causam oppressionis, adjuta calore febrili, exprimit è venis in musculosum genus; eaque exclusio fit intus foras, & commodo ægri. Sed in hac prognosi comparatio fit efficientis causæ & suscipientis, vnde conuulsio accidit in morbis acutis. Atque majori periculo locus esse docetur ex calamitosa vi efficientis, quàm ex naturali præparatione suscipientis. Docetur autem his verbis.

163, Coac. 1. lib.

CONVVLSIO FEBRI SVPERVENIENS.] i. Quæ febris tabificæ incendio perurentis, aut bilis efferæ translationem ad cerebrum facientis consectaria est. Nam febrium acutarum conuulsio prænuncia, si re habet symptomata paraphorica, vt Hippocrates annotauit in pueris grandioribus supra septennium.

capit. 4. lib. 1. de crisib.

OMNINO FVNESTA.] Quoniam omnis conuulsio ab exhausto nata, semper idem facit atque significat. Cætera autem quæ ad crisin apparent, aut quæ ipsamet causæ sunt criticæ; non semper eòdem spectant, faciuntve idem: sed vt sunt morbi tempora; sic illa bonis aut malis ægri rebus apparent & fiunt. Atqui conuulsio superueniens cùm exaruerint nerui à febre tanquam ab igne, non aliò spectare potest quàm ad mortem, ipsamque non rarò celeriùs opinione facit venire. Atque vt talis conuulsio nunquam incidit, nisi pestiferum aliquod deterrimumque signum accesserit, qualia pleraque in phrenitide exoriuntur: sic nulla vis maior naturæ, quàm conuulsione potest adferri.

PER

PERRARO AVTEM PVERILIS.] Quoniam vt omnium ætatum nulla est ad conuulsionem tam prona quàm puerilis infra septennium: sic omnium facillimè liberatur & expeditur virtute caloris natiui, qui tantus in ea est, quantus postea nunquam. Est quidem infantiæ triplicis natura conuulsioni obnoxia propter neruorum infirmitatem. Τοῖς οἰκείοις νοσήμασιν ἁλωτοὶ πάντες. i. *Propriis morbis facilè omnes corripiuntur.* (aph. 38. 2.) Sed tamen illa ætas non ita periclitatur ob conuulsificæ causæ magnitudinem, & symptomatis acerbitatem, quàm cæteræ. Ac nusquam alibi locum magis habet aphorismus ille quàm in puerili conuulsione. Est autem aphorismus huiusmodi. *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ sunt illi congeneres*, &c. Etenim causi grauissimi sunt Æthiopibus, vehementia: Scythis autem magnitudine & inueteratione concepti iampridem ardoris. Iam verò illud ὀλιγάκις, *perrarò* vertimus, conuenienter, vt esset antithesis prioris sententiæ qua conuulsionem dixit omnino funestam.

QVI VERO SEPTEM ANNIS PROVECTIORES SVNT.] i. Qui processerant ætate vltra septennium quo tempore finitur infantia, calor natiuus lumen suum ostendit, facultas animalis lucet, firmiores sunt nerui; ac tum pueri certo pede signant humum.

CONVVLSIONE NON TENTANTVR IN FEBRE.] Quòd eorum natura febrium acutarum nondum sit capax, nec inflammationum systrophicarum in thorace & hypochondriis, vt esse solet post decimumquartum ætatis annum, iuxta illud: Ἀπὸ ιδ' μέχρι δὲ καὶ μ' ἐτέων, πολυφορώτατον ἡ φύσις νοσημάτων τοῦ σώματος. i. *A decimoquarto ad quadragesimumsecundum, natura est morborum omnium ferax.* (infrà.) Huc accedit quòd neruos habeant succi plenos, multo nectare viuifico perfusos & illustratos; vnde nec tam facilè absumuntur à febrili ardore tamquam ab igne, nec tam facilè inflammantur.

SIN AVTEM DESPERATI.] Ac si diceret, si conuellantur pueri exacto septennio, nec vlla sit excusatio præhumidæ tempestatis, qualem descripsit hist. 2. vniuers. 1. Epid. accesserit autem pestiferum aliquod deterrimumque signum, qualia pleráque in phrenitide exoriuntur; proculdubio sunt desperati, ex amplificatione causarum; inflammationem dico & consumptionem neruorum, quas naturæ bonitas in complexione & temperamento arcere non potuit, cum pati symptomatum acerbitate, quæ non minùs pueros exercet quàm cæteros. Quò enim pueri post septennium sunt δυσαλωτότεροι. i. *correptu difficiliores*, eò quoque δυσιατότεροι καὶ ἀνελπιστότεροι, i. *difficiliores curatu, & magis desperati*, si fortè conuulsionibus prehendantur.

11 Σπασμοῦ λυτικὸν πυρετὸς ἐπιγινόμενος ὀξὺς μὴ πρότερον γεγονὼς, εἰ δὲ εἴη πρότερον γεγονὼς, παροξυνθείς. ὠφελέει δὲ καὶ οὖρον διέξοδον ὑαλοειδὲς πολλὸν, καὶ ῥύσις κοιλίης, καὶ ὕπνοι.

Conuulsionem sanat exorta febris acuta quæ priùs non fuit; quòd si priùs fuerit, exacerbata. Quinetiam prodest vrinam fluere albumineam, aluum ferri, & somnos inire.

VETVS ILLA dictatoris opinio est, τὸ θερμὸν, σπασμῶν τετάνων τε παρηγορικόν. i. *calidum conuulsiones tetanosque leuit.* Et rursum: τουτέστι τὸ θερμὸν φίλον καὶ λεῖον· τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον. i. *Hic calidum amicum est & indicat, frigidum inimicum & necat.* Sed magni refert atque interest scire quale sit illud θερμόν. Sanè idem significat in aphorismis, quod in prognostico θέρμασμα. Est autem id calidum, suauitate & moderatione caloris, viuacitati partium consociale, tensionem exoluens, intemperiemque mitificans: quæ duæ sunt dolorificæ causæ; proptereáque ἀνώδυνον nominatur: cuiusmodi præscripsit Hippocrates ad leuationem doloris pleuritici, & inflammationis systrophicæ curationem. (lib. 5. aph. lib. 2. progn. lib. 5. aph.) Sed moderationem illius caloris, vnde fit redintegratio partium è natura egressarum, declarat illud maximè, vbi docetur, perfusione multa frigidæ, conuulsionem tetanumque exolui in corpore iuuenili, quadrato, solido, & succi pleno: si tale corpus æstate media perfundatur in vlceris vacuitate. Id autem fieri per ἀνάκλησιν τοῦ θερμοῦ, i. *reuocatione caloris*, cui sanatio debet accepta referri. Sic enim ait, θέρμη δὲ ταῦτα λύει, i. *hæc autem dissoluit calor.* (aph. 21. 5.) Sed multùm interest inter illud θερμὸν & febrem. Est quidem τὸ θερμὸν: vti iam dixi, φίλον καὶ λεῖον: febris autem πολέμιον καὶ κτεῖνον. Enimuero maior fit iactura nostri à febre, septem diebus, quàm ab illo calido septuaginta annis. Septem diebus moritur adolescens tabifica vi febris consumptus, qui septuagenarius erat futurus duce natiuo calore. Quid igitur? nonne miraculo apponi debet sanatio quorundam morborum a febre? Sed tamen dictatoris authoritate frangi debemus, qui ratum id esse voluit, persuasumque omnibus. *Febrem in conuulsione oriri melius est, quàm conuulsionem in febre.* (aph. 26. 2.) Et, *Si quis ebrius repentè obmutescat conuulsus, moritur, nisi febris exoriatur.* Et, *Quartana epilepsiam sanat.* (aph. 5. 5.) Et, *A conuulsione habitum aut tetano superueniens febris liberat.* (aph. 57. 4.) Et quia nusquam alibi sanatæ conuulsionis à febre ratio distinctióque meliùs expressa legitur quàm in hac prognosi; è re maximè fuerit eam fideliter enarrare, vt ea sit nobis aliarum instar sententiarum hac de re conscriptarum.

Ergo CONVVLSIONEM.] Repentè exortam, qualis non rarò incidit, neruis a frigido & glutinoso humore distentis, vnde contractio iniussa partium affectatum, aut quæ laxatis musculis congeneribus vel antagonistis, collectio partium oppositarum omni culpa vacantium, sua sponte accidit, non no-

ftra. Non enim hic locum habet conuulſio ab exhauſto, vel inflammatione neruorum.

SANAT.] Ad verbum, *exoluit.* Nam ſoluere & ſanare idem ſunt apud Hippocratem, ſi tantùm exceperis ſarcaſmum illum qui legitur in verbo λύειν, aph. 26. 6. Et λύσις in omni doctrina Hippocratis, ſanatio eſt quæ cernitur in redintegratione corporis è natura egreſſi.

Ergo. CONVVLSIONEM SANAT.] i. Redintegrationem adfert partibus è natura egreſſis, facitque vt dominatu noſtro & προαιρετικῶς iam moueantur partes, quæ ἀπροαιρέτως, vi cauſæ morbificæ, contractæ manebant, & ſua ſponte non noſtra, ex euentu collectæ. Denique facit ἐπανόρθωσιν τῆς φύσεως.

EXORTA FEBRIS ACVTA.] Dolorificæ conuulſionis & vigiliarum conſectaria, ex collectione, motu, putredine bilis acerrimæ, quam genuit doloris acerbitas cum vacuitate ſomni conjuncta. Nihil enim tam facit ad ſanguinis corruptionem, quàm dolor & ſomni vacuitas. Hinc vomitiones æruginoſæ nephriticis. Et quemadmodum nihil æque facit corpus infirmum atque dolor: ſic ad corporis infirmitatem adjungit humorum corruptionem. Atqui de conuulſione, quamobrem illa ſit inſanabilis à ſiccitate, ſic philoſophatur Galenus: Οὐκ ἀναμένει χρόνον ἡ σπουδαία τοῦ νοσήματος· ἀλλ' ἐν τάχει καταλύει μὲν τὴν δύναμιν, ἄγει τε θάνατον ἐπιφέρει. i. *Mora in doloris cruciatu nulla eſt: ſed citò vires exoluit, & etiam mortem inducit.* Ex quo efficitur ſumma doloris eſſe omnia in conuulſione. Febrem verò dixit acutam, quæ celeriter, continenter, & vehementer mouetur; quam ideo poſuit vt ſit par conuulſificæ cauſæ, nec fruſtra ciendo glutinoſum humorem conuulſificum, pejus agatur cum ægroto. Nam quicquid humorem ciet, neque excludit aut diſſipat, oppreſſionem facit. Quod legimus contigiſſe Numenij filio, cuius apoplexia repentè coorta, alioqui ſanabilis, exorta febre diuturna, facta eſt omnino funeſta: Τὰ ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ λελυμένα· ἐπιπυρετήσαντος χρονίως ὀλέθρια, ὡς ὁ Νουμηνίου υἱός. i. *Sanabilis alioquin apoplexia repentè coorta, ſuperueniente lenta febre, euadit mortifera: exemplum in Numenij filio.* Ergo febris acuta fortiter oppugnando, vtramque expugnat conuulſionis cauſam; glutinoſum humorem, & frigus. Idem quoque facit aduerſus paralyſin muſculorum congenerum vel antagoniſtarum vnde conuulſio accidit partis oppoſitæ per iniuſſam collectionem. Exhaurit enim ſerum quo madeſcebant partes quas docet Auicennas per ingreſſum currentem reſolui. Verumenimuero vt febris acuta bene meretur de neruis glutinoſo & frigido humore diſtentis, ipſam tenſionem exoluendo, & intemperiem frigidam corrigendo: ſic eorum naturæ bellum indixit quando iis redintegratis, & ſublata conuulſione, vis eius calefaciendi & reſiccandi, neruorum ſubſtantiam labefactat.

part. 5. sect. 1. 6. Epid.

prorrh. 50. l. 1.

QVÆ PRIVS NON FVIT.] Talis enim fruſtra ciendo glutinoſos humores, oppreſſionem facit vnde venit tremor, vt Pythioni: aut neruos diſtendit, inde conuulſio; cuiuſmodi multis exorta eſt tempeſtate humida frigida & aquilonia ſecundæ vniuerſalis hiſtoriæ primi Epid. *Plurimis nata ſunt conuulſiones, præſertim autem pueris per initia: febricitarunt, inquam, & febricitantibus conuulſiones ſuperuenerunt.* Et rurſum. *Quibus toto capite grauitas erat, cordiſque morſus & anxitudo, biloſa & pituitoſa vomebant. Ac ferè puerulis ſic affectis, potiſſimùm incidebant conuulſiones. Mulieribus autem præter illa mala prædicta, tum verò labores hyſterici: grandioribus autem & quibus iam calor languet effœtus, paraplegiæ, inſaniæ, & cæcitates.* Ex quibus apparet, omnia repleti capitis ſymptomata, in primigenia febre ſtatam oriri. Sunt autem, cephalalgica, paraphorica, cataphorica, & catarrhoica. Eſt enim magna vis in febre ciendi catarrhum cuius appulſu grauiſſima quæque ſymptomata naſci ſolent. Atque vt in ſtillatitiis aquis chymica arte factis, non niſi extincto foco ſtillandi finis fit: ita catarrhus in febre non priùs ſubſiſtit, quàm ipſa quieuerit.

AVT SI PRIVS FVERIT.] Sed impar nimiæ humoris abundantiæ, quæ ab illa febre agitata neruos diſtendit magis, & contumaciam auget conuulſionis, vnde acerbitas maior doloris quæ vires exoluit, & cita morte atque crudeli funeſta eſt.

EXACERBATA.] Celeritate, vehementia, & aſſiduitate: propter feritatem bilis quam genuit ἀγρυπνία cum vacuitate ſomni conjuncta.

QVINETIAM PRODEST VRINAM FLVERE ALBVMINEAM.] Ac ſi diceret, triplex eſt omnis ratio exoluendi conuulſionem quæ fit diſtentis humore frigido & glutinoſo neruis; vna conſumptio quam facit exorta febris acuta quæ priùs non fuit; altera, vacuatio materiæ conuulſificæ; tertia concoctio ſiue pepaſmus. Ac vacuatio quidem materiæ conuulſificæ natura & artificio ad imitationem naturæ comparato, ſuſcipitur atque abſoluitur perirrhœa & diarrhœa; illa veſicæ; hæc verò inteſtinorum & alui. Perirrhœa cernitur in vrina multa craſſa & alba, quæque plus habet mucoris, vt ita dicam, quàm liquoris. Vt enim talis vrina materiam præripit & occaſionem abſceſſuum in articulis futurorum: ſi eoſdem ſanat abortos, non ſecus atque ſuppuratum pulmonis cui denegata expurgatio ſpem in anguſto poſuit. Eſt autem peræquè facilis à forti naturæ contentione tranſlatio è neruis ad venas, quàm ab iiſdem venis ad neruos: vnde non rarò in febribus exoriuntur tremores deliriorum prænuncij. Albumineam verò dixi vrinam quam ipſe vitream nominauit: qualis apparet in calculoſis veſicæ.

ALVVM FERRI.] Pituitoſis excrementis, tum à cerebro, totóque corporis habitu, tum verò à vaſis & neruis lumbaribus in meſocolon & inteſtina craſſa; vnde gibberoſæ luxationes lumborum à tuberculo natæ curantur per dyſenteriam, quemadmodum per varices.

ET SOMNOS INIRE.] Arctiores quidem: ſed tamen ſuaues, nec turbulentos & importunos ſtertore & oris hiatu, aut ſtridore dentium inſueto. Nam ſomni ſuauitas quæ dono diuûm gratiſſima ſerpit in prima quiete, opportunitatem arguit ſomniferæ materiæ, temperatique cerebri & mentis tranquillæ: niſi doloris acerbitate & συντονίᾳ conuulſionis, dormiendi occaſio præripiatur. Atque illa ſomni ſuauitas potiſſimùm in pueris locum habet qui conuelluntur ex facili, & quorum à morbis redintegratio com-

gratio comparari solet per somnum. Cernitur etiam somni benignitas in ebriosis qui obtumescunt repentè conuulsi, quando ad eam ventum est horam qua exoluuntur crapula, & vocem amissam recipiunt. Pertinet autem particula hæc decisionis propositæ ad distinctionem illius prognoseωs. *An sopor ari omnino sit malum?*

Coac. 1. c. alib. 1.

12 Τῶν δὲ ἐξαπίνης σπασμῶν λυτικὸν πυρετὸς, καὶ κοιλίης ῥύσις.

Repentinæ conuulsionis remedium est febris, & alui profluuium.

HIC NVLLÆ sunt meæ partes nisi vt referam me ad commentarium superioris prognoseωs. Quod certè sufficiet.

13 Ἐν τοῖσι σπασμοῖσι ἀφωνίη ἐπιπολύ, κακόν. τὸ δὲ ἐπὶ μικρὸν, ἤτοι γλώσσης ἀποπληξίην, ἢ βραχίονος, καὶ τῶν ἐπὶ δεξιὰ σημαίνει. λύεται δὲ οὔρεσιν ἐξαπίνης ἐλθοῦσι πολλοῖσιν ἀθρόοισι.

In conuulsione diu obmutescere, malum. At verò parumper, aut linguæ apoplexiam, aut brachij, partiumque dextrà sitarum denunciat. Exoluitur autem vrinis repentè multis & cumulatè proruptis.

EST QVIDEM dolorificæ conuulsionis *ἀφωνία* intolerabilis atque funesta, quando accessionem habet intercepti officij ad vitam tuendam necessarij. Vt enim conuulsione nihil est naturæ acerbius, quodque celeriùs naturæ vires exoluat: ita nihil cita morte atque crudeli funestius, quando ad eam symptomatum calamitosam vim accedit musculorum & neruorum vocalium & dialecticorum firmiter fixa contractio, vnde homines voce capti & muti redduntur. Ibi tum manet ἡ ἀφωνία, & in propinquo mors.

IN CONVVLSIONE.] Quam facit neruorum tensio aut inflammatio, vnde iniussa contractio partium quæ naturaliter iussu nostro cum voluntate mouentur.

DIV OBMVTESCERE.] Ob firmiter fixam contractionem distenti, vel inflammati nerui septimæ coniugationis in cerebro, vnàque musculorum nouem quos habet lingua motuum variorum ministros, & quorum ministerio ipsa verborum est dædala. Sic enim vertendum nomen putaui τῆς ἀφωνίας quo significatur impedita loquendi facultas per interceptionem organorum dialecticorum: sicut aphonia per contractionem, aut resolutionem musculorum & neruorum vocalium. Qua de re alibi satis multa.

MALVM.] Ne dicam mortiferum: propter contensionem conuulsionis, vnde conuulsificæ causæ accrescunt, ob generationem perennem humoris morbifici. Nam de silentio melancholico nihil necesse est loqui. Est igitur graue malum in conuulsione, loqui non posse. Nam & *qui ex dolore voce sunt capti, crudeliter moriuntur.*

Coac. 5. c. 8 lib. 1.

AT VERO PAVLISPER.] Non quidem vicissitudine garrulitatis & silentij ab excessu melancholico: vt in Dealcis vxore, quam & nugarum garrulitate, & silentio pertinacis animi, eximiè phreniticam & fanaticam fuisse narrat Hippocrates: sed libertate nerui septimæ coniugationis in cerebro, quam fortis attulit naturæ contentio excussa materia conuulsifica.

3. Epid.

AVT LINGVÆ APOPLEXIAM.] i. Resolutionem musculorum nouem linguam mouentium, & ipsam verborum dædalam facientium; quorum alij à styloide, alij ab hyoide & cornibus eius, alij à maxilla inferiore & mento exorti, optima conspiratione linguæ inseruiunt. Nec tamen hæc linguæ apoplexia tollit ἀφωνίαν, & fandi potestatem linguæ restituit: sed tantum ipsius conuulsionem exoluit tenuata conuulsionis materia crassiore, quæ facta tenuior, per quendam veluti ingressum currentem, vt loquebatur nuper Auicennas, contractionem vertit in laxitatem. Est autem paralyseos & conuulsionis par & æqualis ἀκινησία, i. *immobilitas*, quæ certè in lingua parit ἀφωνίαν. Atque notabilis hoc loco est significatio apoplexiæ, pro resolutione partis, quæ aliàs toto corpore resolutio ipsam tollit animalitatem per motus & sensus priuationem.

AVT BRACHII PARTIVMQVE DEXTRA SITARVM DENVNCIAT.] Per materiæ abscessum qui fit κατ' ἴξιν. Quemadmodum enim rheuma concitatum ad caput quod hæmorrhagiam ciet, vel parapborica edit symptomata, cietur κατ' ἴξιν hepatis quòd ἠπιαλέον vocat Hippocrates: ita cõsistentis rheumatis inde nati abscessus effluxu vel decubitu, velut iure postliminij, ac redhibitione gentilitia, vt fiat κατ' ἴξιν necesse est. Pleuritico vena secatur κατ' ἴξιν, abscessus nascitur in crure κατ' ἴξιν. In phlegmone systrophica hepatis hæmorrhagia cietur κατ' ἴξιν. abscessus nascitur & erumpit κατ' ἴξιν. Ac ne cõplectar omnia de quibus præcipitur lib. 2. & 6. τῶν ἐπιδημ. *Quæ fit è diuerso hæmorrhagia, praua est; vt in liene magno è dextris: atque similiter hypochondrus.* Sic Dealcis hospes cùm delirasset, δεξιῷ ἰλλαίνει, i. *dextro illosus fuit.* Ac de Oecetæ vxore scriptum illud est: Τετάρτῃ περιεψυχθ, φόβοι, δυσθυμίαι, δεξιῷ ἰλλαίνει, i. *Die quarto*

lib. 1. περὶ γυναικείων. lib. 2. & 6. Epid. Coac. 2. cap. 13. lib. 2. hist. 3. part 1. 3. Epid.

hist. 8. part. 2. 3. Epid. hist. 5. part. 3. 3. Epid. hist. 9. part 3. 3. Epid.

deliravit, metus, infractio animi, oculi dextri peruersio. Larissæ Caluus dextro femore doluit, tertio die dolor quieuit, non fuit apud se, quarto crudelissima morte interiit. Heropyto ab hæmorrhagia cùm ea cessasset, ischiu dextro acerbus dolor obortus est. Herophonti lien intumuit, inde bubo sinister, mox in crure κατ' ἴξιν facto abscessu, præter spem conualuit. Est enim maior vis posita in forti contentione naturæ partis obsessæ ad faciendum & ad propulsandum κατ' ἴξιν, quàm in venarum ductu & situ. Sunt autem sinistra sinistris ὁμόφυλα καὶ ὁμοιότροπα, dextra dextris. Erit igitur illud ratum, quòd vbi de μετάστασις, i. *translatio*, ibi ἐστὶ ἡ διάδοσις ἀπόστασις, *i. per decubitum abscessus* duce natura: sicut ἀπόστασις κατ' ἔκροον, *i. per excretionem* fieri solet κατ' ἴξιν.

Exolvitvr avtem.] i. Sanatur ἀκριβῶς καὶ βεβαίως cum certis signis & iustis caussis: vnde certa fit atque stabilis redintegratio partium egressarum. 50

Vrinis.] Quarum prima laus est sanandi symptomata catarrhoica, vt demonstratum est superiore prognosi.

Repente.] i. αὐτομάτως καὶ ἐξαίφνης.

Mvltis.] Quia nihil paucum est criticum. Omnis autem abscessus eiusmodi esse debet, vt neque sit paucitate inutilis, nec magnitudine intolerabilis.

Et cvmvlate prorvptis.] Qui expressionis modus verè est criticus: vt in sudore & hæmorrhagia, in quibus damnantur sudariuncula & subtillum; vt nihil prætermisisse videatur quod ad legitimam & verè criticam excretionem pertinet in qualitate, copia, occasione, & excretionis modo.

14 Ἱδρῶτες δὲ οἱ μὲν κατὰ μικρὸν ὠφελέουσιν. οἱ δὲ ἀθρόοι, καὶ αἱ τῶν αἱμάτων ἀφαιρέσιες βλάπτουσι. 20

At verò sudores qui sensim exudant, prosunt: confertim autem prorupti nocent, & larga detractio sanguinis.

Particvla δὲ, huius prognoseωs cum superiore diorismum ostendit. Est autem huiusmodi. Quemadmodum resolutio partium dextrà sitarum, conuulsionis aphoniam facientis consectaria; vrinis repentè multis & cumulatè proruptis exoluitur atque sanescit: ita sudoribus confertim manantibus, & larga detractione sanguinis ruit in peius, vnde paralyticus homo læditur, eiusque paralysis redditur planè ἀνίατος. Secus est de acutis febribus, ac de systrophicis viscerum inflammationibus. Huiusmodi enim morbi & liberali hæmorrhagia, & sanguinis profusa vacuatione, sudoribus item iure & loco multis, & quibus diffluit totum corpus, curationem recipiunt. Et verò nihil necesse est huc aduocare salutarium illarum criseωn argumenta quæ vocant insita & assumpta, Quæ cùm ita sint. 30

At vero svdores.] Ac si diceret; ex omni excretionum genere, vrinarum profluentia in bonis ducenda ad curationem paralyseos quam faciunt madefactæ neruorum fibræ à currente ingressu. Nam sudor cumulatè proruptus nocet. Idem quoque facit larga detractio sanguinis, vt mox docebitur. Ergo sudores qui sunt exclusio intus foras humoris superuacanei tenuis, qui facit in venis febrem, in habitu corporis ἴονθοι & phymata. Excluditur autem vel expressione, vel excretione, vel exolutione partium solidarum. 40

Qvi sensim exvdant.] Non quidem ab oppressione venarum homore nimio distentarum quæ facit expressionem & sudariunculam quæ initiis febrium ad diuturnitatem apparet; nec verò ab exolutione partium effœtarum & viuacitate carentium, per irritam assimilationem succi alibilis, vnde salutis desperatio esse solet; sed ab excretione particulari quam virtus naturæ suscipit atque absoluit κατὰ λόγον materiæ mitificatæ & partis obsessæ: non tamen ea lege critica quæ cernitur in crisi febrium acutarum, in quibus nihil paucum est criticum. Ibi enim repletionis affectiones, eius propria vacuatione tolluntur, si nulla sit inflammatio, nec cacochymia maligna. Ac sæpe accidit vt tot sint vacuationum genera, quot sunt repletionis foci & domicilia.

Prosvnt.] Quia morbificus humor exitum habet, vnde, quò, quà, & quamobrem decet; idque superstite partium vnde manat integritate. 50

Confertim avtem prorvpti.] Sicut prorumpit in febre ardente, exorto priùs rigore critico, vnde cita febris curatio: sicut etiam toto morbi decursu, qui faciunt vt æger alacriùs ferat morbum. Huiusmodi sunt periodici febris tertianæ, qui omnes veniunt vnde cietur rigor; cietur autem ἐκ τῆς ἀγγείων, non vbi fit ipsa rigoris concussio.

Nocent.] Quoniam illi veniunt διὰ τὴν ἔκλυσιν, *i. per exolutionem* partium afflictarum; sicut & illi quos mouet intus foras rigor symptomaticus ἀφ' ἑκείνου. Ergo resolutæ iam partes, omnino effœtæ redduntur. Valeant igitur qui sudorificis paralyticos faciunt desperatos. Explodendi sunt etiam qui nefario guaiaci vsu contra virulentiam è viscerum inflammatione sudores eliciunt, vel potiùs exprimunt. Sed vtroque modo ij faciunt καθ' ἕλξιν, καὶ κατὰ τὴν ὦσιν, *i. attrahendo & impellendo.* Omnes autem sudores malè cieri dixit præceptor ὁ διὰ τὴν ἔκλυσιν τῶν σωμάτων, ὁ διὰ συντόνως φλεγμονῆς, *i. corporum exolutione, aut inflammationis contentione.* 60

Et larga detractio sangvinis.] Quæ facultatem retentricem resoluit, nectar viuificum dissipat, κοιλίης λειεντερίην parit, *i. ventris labem.*

15 Ἐν τοῖσι τετανοῖσι καὶ ὀπισθοτόνοισι γένυες λυόμεναι θανάσιμον. θανάσιμον δὲ καὶ ἱδροῦν ἐν ὀπισθοτόνῳ, καὶ τὸ σῶμα διαλύεσθαι, καὶ ἀνεμεῖν διὰ ῥινῶν, ἢ ἐξ ἀρχῆς ἄφωνον ἐόντα βοᾶν, ἢ φλυηρεῖν. ἐς γὰρ τὴν ὑστεραίην θάνατον σημαίνει.

In tetano & opisthotono maxillas luxari; funestum: funestum est etiam sudare in opisthotono, & corpus resolui, & per nares reuomere ipsumque qui ab initio voce captus erat clamare, nugari: hæc enim ad mortem postridie venturam apparent.

10

OMNIS conuulsio affectionis modo, idea, & causa, partium conuulsarum natura & officio, symptomatum inde venientium accessione & successione; omnino ad prognosin debet adduci. Sunt autem symptomata quæ vocant ἐπιγινόμενα, & τὰ ἐπιφαινόμενα cum affectionis idea, partiumque obsessarum natura & officio, his verbis descripta.

IN TETANO.] In contractione qua ceruix obriguit, rectáque & intensa manet immobilis; æquali 20 contentione violenta & iniussa musculorum congenerum & antagonistarum ipsam quoquouersus mouentium. Sunt autem transuersarij duo, totidem spinati extendentes; longi duo sub œsophago, flectentes; & scaleni duo à prima thoracis ossea costa in omnes apophyses ceruicis transuectas. Tetanum Celsus vocat rigorem: sed quàm bene & apposité viderint sapientes. Nam si bene vertit, quo nomine exprimet Græcum illud ῥῖγος ex illo aphorismo? Τὸ ψυχρὸν σπασμούς, τετάνους, μελασμούς, ῥίγεα πυρετώδεα, i. *Frigus conuulsiones facit, tetanos, nigrores, rigores febriles.* Quem locum ipse Latinum fecit his verbis. *Frigus modò neruorum distentionem, modò rigorem infert (illud σπασμὸς, hoc verò τέτανος Græcè nominatur) nigriticum in vlceribus; horrorem in febribus excitat.* Sed vnde religiu illi fuit nominare Græcum ῥῖγος, Latine rigorem? quoniam tetano explicando id nomen iam vsurpauerat. Sed vt reuertar ad tetanum. Est quidem tetanus emprosthotoni & opisthotoni velut neutrum quoddam, æqualiter vtriusque particeps, & ex vtroque 30 consistens; vt neque mentum pectori, neque caput scapulis annectatur; quod fieri solet, illud quidem in emprosthotono, hoc verò in opisthotono: sed rectam & immobilem ceruicem intendit, quamuis etiam in dorso & lumbis exoriatur tetanus.

ET OPISTHOTONO.] i. In illa conuulsione ceruicis quæ scapulis caput annectit. Quod sanè accidit contractis à morbo tendinibus partis posticæ, quorum certè afflictio venit vel ab angina, vel ab vua, vel à tonsillis inflammatione obsessis: nonnumquam ex febre à capite propagata conuulsio venit.

MAXILLAS LVXARI.] Τὴν κάτω γένυν, *maxillam inferiorem* intelligit. Est enim sola hæc luxationis capax, quamuis ægrè, nec nisi contentione forti & contractione musculorum maxillam aperientium. Nam superior maxilla, vt ait Hippocrates, ἀτρεμέει· συνέρχεται γὰρ τῇ κεφαλῇ, καὶ οὐ διαρθροῦται· ἡ δὲ κάτω γνάθος κινέεται. συναρθροῦται γὰρ τοῖς ἄνω γνάθοις, καὶ τῇ κεφαλῇ, i. *quiescit: innectitur enim capiti sed non insinuatur vt articu-* 40 *lus. At maxilla inferior mouetur, vt quæ articulorum modo cum superiore & capite committatur.* Ergo maxillam luxari, vti luxatur in conuulsionibus & tetanis prima omnium, contraxionem tetani & opisthotoni indicantibus. Hippocratis verba sunt hæc: Διὰ γὰρ τοὺς σπασμοὺς καὶ τετάνους τοῦτο πρῶτον τὸ ἄρθρον ἀποσυναγκάζεσθαι. Ac illa fortis contentio non minùs coarctationem facit maxillarum inter se, quam inferioris à superiore auulsionem. Nam & Hippocrates author est huiusmodi ferè symptomata esse tetani. Αἱ γένυες πηγνῦνται, καὶ τὸ στόμα διαίρειν οὐ δύνανται, i. *Coalescunt genæ, nec possunt os diducere* Quinetiam suprà iam demonstratum est ceruicem quæ obduruit siue obriguit, hæc posse adferre incommoda. *Ceruicis duritas & dolor prægrandis, maxillarum item coarctatio, venarumque iugularium pulsus fortis, vnaque chordarum distentio, mortifera sunt hæc.* Nec minùs mortifera est coarctatio, quàm ipsa luxatio. Sed vtriusque mortifera vis aperietur in eo quod sequitur.

50 MORTIFERVM.] Nam tetano peracuto citissima crisis est ad crudelem interitũ, ob eam sanè causam quòd acerbitatem emprosthotoni & opisthotoni simul natura diutiùs ferre non potest. Itaque citò victa dolore & grauissimorum symptomatum concursu, citæ etiam morti atque crudeli succumbit. Nulla enim crisis ad salutem fit vbi ad calamitosam vim morbi accedit summa naturæ infirmitas. Sed inter symptomata in tetano exorta nullum cita morte atque crudeli funestius quàm maxillarum coarctatio, luxatio, & cibi per nares exclusio. Nam si luxatio simplex & sola per se ipsa mortifera est, nisi cõtinuò reponatur; cuiusmodi esse illam iudicandũ est, cuius redintegratio nulla sperabilis esse potest in tetano? Vt enim tetanus maxillam luxauit: ita luxatam in eo vitio continet, quamdiu manet. Atqui prolapsæ maxillæ, nec dum repositæ & restitutæ sunt hæc. Nam κινδυνεύει ἡ ψυχὴ ὑπὸ πυρετοῦ ξυνεχέος, καὶ νωθροῦ καρώδεος, i. *periclitatur anima à febre continua, & segnicie veternosa* Est enim consentaneum vt di-60 stensione & alteratione grauiter afflicti musculi, propterea que inflammati, vicinia & societate cerebrum similiter quoque afficiant, quod sic affectum consecutionem adfert acutarum febrium, vnaque depravatarum animi actionum. *Comatosi sunt hi musculi alterati & distenti contra naturam.* Igitur sic affecto cerebro & exorta febre. *Solet venter deiicere biliosa, syncera, pauca; & quæ vomunt, syncera sunt.* Quæ omnia cuiusmodi sint & vnde fiant atque appareant, vtile est discere ex doctissimo Galeni commentario ad hunc locum. Sequitur autem: Οὗτοι καὶ θνήσκουσι δεκαταῖοι μάλιστα, i. *Atque hi moriun-*

17. 5. c. 1. li. 2.

Gal. ad aph. 6. lib. 5.

Cels. c. lib. 4. Hipp.

περὶ ἄρθρων.

lib. 2. περὶ ἄρθρων.

lib. περὶ ἄρθρων. 92.

Coac. c. 10. li.

aph. 6.

lib. 2. περὶ ἄρθρων.

tat ad circiter decimum morbi diem. Sed quod initio posuimus non minora esse mala, nec minùs mortifera maxillarum sibi inuicem fortiter annexarum inuitis nobis, quàm eadem ratione pariter diductarum: palam fit ex contractione & conuulsione propria musculorum crotaphitarum, quorum sic affectorum distentio & afferatio maior est quàm attractorum in luxatione inferioris maxillæ, vitio & contractione musculorum duorum exilium qui à styloide apophysi eò feruntur & inseruntur vt os aperiant. Hic etiam cerebrum similiter affligitur, vt inflammatione afflicti crotaphitæ musculi. Hinc præter cætera symptomata quæ sunt in cerebro, aluus duci solet bile pauca syncera. Hinc etiam synceræ bilis vomitio. Etenim dominatu acutissimarum febrium, biliosa meraca gigni in corpore nouum non est: siquidem pinguis humor, tenera caro, & recens pressa liquitur ab huiusmodi febribus, & sanguis assatur, conflagratque incendio. Quòd autem colliquamenta hæc confluant quoque in aluum & intestina; id sanè proprium est partium neruosis condolentium, cuiusmodi est præter cæteras neruosissimum ventriculi orificium quod esse solet lipopsychiæ obnoxium quando experitur vim acrium tenuiumque excrementorum, qualia multa confluunt quando neruosæ partes inflammatione & febre tentantur.

Coac. 24. 2. lib.

MORTIFERVM EST ETIAM SVDARE IN OPISTHOTONO.] Hic legere malim, RIGERE, ex illa prognosi. *Cum opisthotono rigor necat.* Enimuero nulla est æquitas opinari sudorem in opisthotono esse mortiferum. Etenim contractio neruorum, sudore exoluitur, quando sudor sensim exudat virtute naturæ partis oppressæ, κατὰ λόγον materiæ distendentis & conuulsificæ; sed ipsa rigoris concussio, tametsi transitum bonum habere videtur à conuulsione ad concussionem: nihilominus tamen quia concussio illa sensionem excitat frigoris conuulsifici partium posticarum, vnàque cum necessitate spirandi summam infert difficultatem; efficitur vt tantorum accessione malorum rigor ille cum opisthotono sit planè mortiferus.

Prorrh. 26. f. 3. 1.

ET CORPVS RESOLVI.] Vt enim melior est resolutionis in conuulsionem transitus, quàm contrà: sic virium à contentione conuulsionis exolutio, vt cita est, ita crudeli morte funesta. Atqui iam demonstratum est quòd ipsa conuulsio, maximéque tetanus & opisthotonus, & vnà vires citò effœtas reddit, & acerbissimam infert mortem.

ET PER NARES REVOMERE.] Quod est symptoma cynanches veræ quæ tria hæc secum habet coniuncta, gutturis intolerabilem dolorem, orthopnœam, & cibi atque potionis per nares expressionem, quando ad vltima ventum est. Hippocratis illud est super hac re proposita. Ὁκότε δὲ θανατώδεα ἦν, τὸ ποτὸν, καὶ τὰ βρώματα ἀνὰ τὰς ῥῖνας ἀνήρχετο, i. *Instante morte cibus potusque naribus effluebat.*

[margin: περὶ νούσων ... 9.]

Coac. 11. c. 10. li. 2. Coac. 4. c. 8. lib. 2.

IPSVMQVE QVI AB INITIO VOCE CAPTVS ERAT, CLAMARE, NVGARI.] Huc pertinet illa prognosis. *Ceruicis dolor cùm in febre omni terrificus, tum verò pestiferus iis qui sunt in metu insaniæ.* Et illa: *Quæ in febre conuulsoria sunt aphoniæ, si fanatica fiant; mortifera.* Atqui clamare, nugari, signa sunt hominis è potestate sui exeuntis. Hęc autem symptomata phrenitica & fanatica, veniunt per translationem aphoniæ cynanchicæ & opisthotonicæ, idque per sympathiam musculorum crotaphitarum & cerebri.

Coac. 2. c. 9. lib. 2. aph. 23. 4.

HÆC ENIM AD MORTEM POSTRIDIE VENTVRAM APPARENT.] Leguntur multa prognostica salutis & mortis postridianæ. Ac salutis quidem in illo. *Lingua ad medianam lineam velut alba saliua peruncta, discessionem febris denunciat, idque postridie, si quod superinducitur, crassum est.* Mortis autem argumentum certum est in aphorismo. *Qui vndecunque à morbo multùm emacruerunt, si aluus ducatur atra bile, aut sanguine nigro, postridie moriuntur.* Hic autem cerebri iamptidem inflammati tanta est à translatione bilis cynanchicæ & furentis è natura egressio, vt geminata phrenitide & insania, cùm breui exaruerit, cum pro clamore silentium; pro iactatione segnicies veternosa, pro artuum contentione leuis tremor, indéque cita mors veniat.

16 Πυρετώδεα ὀπισθοτονώδεα, γονώδεες οὐρήσιες λύουσι.

Quæ speciem febris & opisthotoni præ se ferunt, vrinæ genituræles exoluunt.

Coac. 11. huius c. aph. 31. 7. 6. Epid. part. 2.

VRINA genituralis, i. genituræ similis, in febricula & leui opisthotono quem angina non facit, nec vita, nec febrium exortarum translatio ad cerebrū, & rursum è cerebro propagatio in ceruicem; talis, inquam, vrina cōmodo ægri profluit: cuiusmodi beneficium paulò antè iam acceptum est in illa prognosi. *Quinetiam prodest vrinam fluere albumineam.* De conuulsione autem loquitur à distentione nata humoris glutinosi & frigidi. Consultò autem vertimus τὰ πυρετώδεα καὶ ὀπισθοτονώδεα, i. *quæ speciem febris & opisthotoni præ se ferunt*, vt reapse non sit febris acuta, nec opisthotonus firmiter fixus cum forti maxillarum annexione, aut diductione coniunctus: sed leuis & leuiter pressus, ipsa verò febris sepulta & lonta. At enimuero quomodo talis vrina febres exoluit, quæ in acutis mortifera est, in aliis ad diuturnitatem apparet? Historia Philisci nota est, qui cum vrinis genituralibus obiit sexto die: non obscurus est aphorismus ille. *Si cui febricitanti vrinæ reddantur γονοειδέες, i. γονοειδεῖς, ad diuturnitatem febris apparent.* Nec mirum quia in Philisco colliquamenta erant pinguis humoris, carniumque tenerarum & recens pressarum, ipsiusque adeo sanguinis incendio perusti, atque quodammodo assati. Hîc vero nimiam ostendunt pituitæ abundantiam. Sed quomodo exoluuntur? qua cumulatè feruntur atque prorumpunt, vti nuper iam diximus. Atque ita veritatem eruunt quasi è tenebris illius aduersarij verè Hippocratici. Ἐν Περίνθῳ τὸ γονοειδὲς οὖρον ἔν τι κρίσιμον, i. *In Perintho genituralis vrina nonnihil indicatoria facit.*

DE ANGINA.

Ἁ κυνάγχικα μήτε ἐν τῷ τραχήλῳ, μήτε ἐν τῇ φάρυγγι μηδὲν ἔκδηλον ποιέοντα, πνιγμὸν δὲ κάρτα καὶ δύσπνοιαν παρέχοντα, αὐθημερὸν ἢ τριταίους κτείνει. CAP. XVI.

10

1 *Ea demum angina quæ nec in ceruice, nec in faucibus manifestum quid exhibet, sed fortem strangulatum & dyspnœam infert; eodem ipso die aut tertio certè interimit.*

QVICQVID respirationem omnino adimit, vitam tollit: si tantùm ὑστερικὸν πάθος, i. *hystericam affectionem* exceperis, vnde superstites manent mulieres spiratione amissa. Respirationem omnino adimunt apoplexia fortis, angina vera, & syncope. Apoplexia quidem, intercepto motu: angina, meatu spirabili: syncope autem sublato spirandi vsu. Quæ causa mouit Hippocratem vt tria illa morborum genera 41. 42. & 43. lib. 2.

20 inter omnium funestorum, & repentino interitu mortiferorum posuerit in aphorismis. Hic de angina dicendum quæ inter cæteras principem locum obtinet mortalitatis. Et verò iure & loco, à tetano & opisthotono transitus esse debet ad ipsa gutturis & faucium mala. His ita constitutis.

EA DEMVM ANGINA.] Ac si diceret. Inter cynanchica mala quæ multa scrupulosè narrantur, duo autem suis distincta locis atque symptomatis reuera sunt in omni doctrina Hippocratis. vnum in hac prognosi descriptum, vt in prognostico; alterum mox describendum & distinguendum suis quoque diorismis. Nam quæ ab illaqueatione, aut à luxatione ceruicis extrinsecus illata venit angina; tum alia etiam quæ in febre acuta sine vlla præuidentia exoritur; demonstrationem hic nullam a nobis requirit. Hic nostræ sunt partes eam cynanchen examinare quam facit inflammatio systrophica faucium, aut musculorum propriorum laryngis.

30 Ergo, ANGINA.] i. Dolorifica strangulatio & ὀρθόπνοια, quam facit phlegmone systrophica musculorum propriorum laryngis, à rheumate acri & tenui concitato è capite ad venulas vsque laryngis. vbi ex ὀρμωμένου fit ῥεῦμα συνεστηκὸς, i. *consistens è concitato*; vnde prohibetur aditu spiritus quem ducendo viuimus, & fumidus vapor exitu.

QVÆ NEC IN CERVICE, NEC IN FAVCIBVS MANIFESTVM QVID EXHIBET.] i. Quæ vnà secum non habet coniunctum ruborem atque tumorem faucium, ceruicis, & sterni, vt certè habere non potest. Atque hæc signa sunt & argomenta veræ anginæ, quæ ducuntur ἐκ τῶν ἀπουσιαζόντων, i. *ex illis quæ absunt*: quemadmodum illa quæ sequuntur ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, i. *ex iis quæ adsunt*. Quasi ita velit, Angina vera quæ posita est in phlegmone systrophica musculorum gutturis propriorum, nihil exhibet aspectabile nihil tractabile in qualitate corporis, i. in colore, charactere, & mole partis ob-

40 sessæ, partiumque circumiacentium vicinarum & sociarum.

SED FORTEM STRANGVLATVM.] Hæc signa sunt veræ cynanches propria & syllogistica, quæ sunt eiusmodi vt sine angina non fiant, neque appareant; ipsa verò angina sine iis non possit existere. Ac primum fortem strangulatum infert angina, quæ cum intolerabili dolore libertatem meandi adimit spiritui, inspirando; & fumido vapori, expirando. Hic enim nulla mentio illaqueationis, nec dentis in ceruice luxati: quamuis idem faciant duæ illæ cynanchicæ causæ.

ET FORTEM DYSPNOEAM INFERT.] i. Summam difficultatem spirandi, frequentem & paruam: qualis denunciat laborem & inflammationem partium spirabilium. Sed in angina vera, difficultas illa spirandi eximia est, ac certè talis vt μετεωρισμὸν καὶ ὀρθόπνοιαν, i. *sublimem rectamque spirationem* inferat, in qua cynanchici non nisi recta ceruice, ac si tetano obriguerit, spiritum possint ducere.

50 EODEM IPSO DIE.] Quæ scilicet venit per μετάστασιν, i. *transitum* faucium priùs inflammatarum, quarum scilicet tumor euanuit ἀκεσθεὶς καὶ ἀνώδυνος, i. sine suppurato, ac sine ceruicis & sterni rubore; talis, inquam, eodem ipso die interimit: quia sunt acerbiora omnia morborum succedentium quàm primigeniorum.

AVT TERTIO CERTE INTERIMIT.] Est enim peractus morbus qui intra primam periodum crisin habet acerbissima morte funestam, quæ tam citò venit quàm citò vires languent effœtæ. Quò fit vt natura diutiùs non sit ferendo, & præter eam doloris acerbitatem, officij pernecessarij vacuitate corruat, extincto & suffocato nectare cordis viuifico διὰ τὴν ἄπνοιαν, i. *respirationis cessationem*, nisi fortè angina mutetur in peripneumoniam quæ intra septimum diem mortifera esse solet. aph. 10. 9.

60

2 Τὰ δὲ ἐπάρματα, καὶ ἔρευθος ἐν τῷ τραχήλῳ λαμβάνοντα· τὰ μὲν λοιπὰ παραπλήσια, χρονιώτερα δέ.

Meliùs sic in prognostico.

Ὁκόσαι δὲ κυνάγχαι παραπλησίως πόνον παρέχουσιν, ἐπαίρονται δὲ, καὶ ἐν τῇ φάρυγγι ἐρυθήματα ποιέουσιν· ὀλέθριαι μὲν κάρτα, χρονιώτεραι δὲ μᾶλλον τῶν προσθεν, ἢν τὸ ἐρύθημα μέγα γίνηται.

Quæ verò angina similiter vt illæ sunt dolorificæ, sed intumescunt, ruboremque faucibus inferunt; pestiferæ quidem admodum, sed longiores prædictis, si maior assurgat tumor & rubor. 10

Hic genvs alterum cynanches describitur quæ in systrophica faucium inflammatione consistit.

Qvæ vero anginæ.] Quæ sunt eiusmodi, non quidem πρώτως καὶ κυρίως, i. *primò & propriè*, vt prior iam dicta & explicata: non enim hæc fortem strangulatum adfert primò & per se, vt illa quæ inde nomen babet cynanches, i. anginæ veræ; sed κατὰ συμβεβηκὸς, i. *ex euentu* per μετάπτωσιν huius in illam, aut per vim & oppressionem difficulter degluttiendo ipsi laryngi illatam.

Similiter vt illæ svnt dolorificæ.] Ob inflammationem systrophicam faucium acertimi sensus, quæ habet tensionem duram, & intemperiem firmiter fixam catarrhi nitrosi è capite concitati. Ergo similiter pariterque vt illæ, sunt dolorificæ: quoniam in parte sensus exacti non minor 20 sensio excitari solet rei molestæ similis & æqualis. Hic nos πόνον ad ipsum dolorem duximus referendũ, non autem ad partis laborem in officio faciundo. Vt enim degluttiendi non tanta vrget necessitas quã respirandi: sic difficultas illius non tam periculosa quàm huius. In angina autem quæ hic docetur, nulla est ὀρθόπνοια vt in prædicta. Hic difficultas degluttiendi magna est, exigua respirandi.

Intvmescvnt avtem.] In faucibus tumor assurgit tractabilis & aspectabilis, à rheumate consistente; quod è capite cietur in fauces, orgasmo, exclusione, & partium obsessarum labore. Sic enim memoriæ proditum est ab Hippocrate, multos qui voce contenderant clamando ad rauim vsque, anginosos fuisse; alios qui manibus diu multumque laborant in opere faciundo; multos etiam qui citatis equis longum iter fecerant.

Rvboremqve favcibvs inferunt.] Vnde significatur idea tumoris, videlicet ex rubore qui proprius est phlegmones quę semper apparet suffusa colore humoris vnde assurgit: assurgit autem à sanguinis rheumate consistente. Est enim consentaneũ vt qualis est humor, talis & color luceat in parte obsessa. Itaque non rarò nomẽ τοῦ ἐρυθήματος vsurpatur ἀντὶ τοῦ οἰδήματος ἐρυθροῦ, vt in illa prognosi, τὰ παρ' οὖς ἐπάρματα, i. *parotides rubræ*. Et verò descripta hoc loco cynanche, dicitur à præceptore κυναγχικὸν ἐρύθημα, vbi docet transferri in latus καὶ ἔξω. Καὶ οἷσι δὲ τὰ κυναγχικὰ ἐρυθήματα, ἐς πλευρὸν ἢ ἐς πνεύμονα τρέπεται ἔξω. Nam vera cynanche non aliò quàm in pulmones descendit, si antè mors cita non venerit. 30

Coac. 1. c. 4. lt. 2. libr. 5. aph.

Pestiferæ qvidem admodvm.] i. plurimos quidem ad exitiom præcipitant doloris acerbitate, perenni affluxu catarrhi nitrosi è capite cõcitati, præterea laryngis ipsius oppressione quam degluttiendi vis infert, postremò successione veræ cynanches per transitum huius in illam. Sic enim periit quinto die Bythonis cynanchica; quæ priùs verè non erat in rubore ceruicis & sterni: ἀπέθανε, inquit præceptor, κυναγχικὴ hist. 5. part. 2. lib. 3. Epid. 40

Sed longiores prædictis.] A quibus non tam citò vitam finiunt sic anginosi, quàm à prædicta, nec semper omnino sunt desperati. Nam sputo purulento multo & transitu morbificæ materiæ ad ceruicem & pectus, multi sic anginosi periculo & morbo defunguntur. Quinetiam medicinæ locus est detractione sanguinis è brachio, sub lingua, clysteribus, gargarismis, litu, hapsu, cucurbitulis. Quod faciendum præcepit, ipséque adeo factitauit. Sunt autem longiores in desperatis quàm prædictæ: quoniam intercepti officij dignitate & necessario vsu vincuntur ab illis. Non enim tam in propinquo mors est degluttiendi vacuitate, quàm respirandi.

lib. 4. acut. part. 7. 6. Epid.

Si maior assvrgat tvmor ac rvbor.] Ac si diceret; si nulla sit propagatio, nec vlla translatio faucium inflammatarum ad ipsam laryngem: tunc enim si fiat, celeriùs moriuntur quàm à primigenia vera angina. Nam qui successione faucium inflammatorum sunt κυρίως anginosi, eodem ipso die τῆς μεταπτώσεως crudeliter moriuntur. Sed omnem τῆς ἐπιτροφῆς καὶ τῆς μεταπτώσεως opinionem tollit faucium insignis tumor cum rubore coniunctus. 50

3 Οἷσι δὲ συνεξερευθείη ἥτε φάρυγξ, καὶ ὁ αὐχὴν, καὶ τὸ στῆθος· χρονιώτεραι. καὶ μάλιστα ἐξ αὐτῶν σώζονται, ἢν μὴ παλινδρομέῃ τὰ ἐρυθήματα.

60

At verò quibus vnà rubent & fauces, & ceruix, & pectus; longiores quidem sunt illæ: maximéque ex iis euadunt, nisi rubores intro recurrant.

Hic

Hic ego libenter Galeno assentior qui tertium anginæ genus in hac prognosi constituit distinctum à duobus prædictis, erysipelate ceruicis & sterni, quod nusquam in illis apparet. Reuera enim primum anginæ genus, nullum exhibet erysipelas quod sit tractabile & aspectabile. Secundum genus, tantùm in faucibus tumorem ruboremque excitat. Tertium verò erit anginæ illius in qua cum faucibus vnà etiam rubent ceruix & pectus. Sed tamen ceruicis & sterni erysipelas non facit anginam, cuius reapse ὕπαρξις inest in phlegmone systrophica laryngis aut faucium. Nam si quis obiiciat ceruicis & sterni erysipelate minui acerbitatem faucium inflammatarum, vt illud concedam: tamen non efficitur speciem inflammationis mutari quamdiu manet in faucibus. Huc accedit quod sæpe ex illo tumore foris exorto nulla doloris remissio est, nulla laboris faucium phlegmone obsessarum, vt in cynãchica illa Bythonis. Sed omnem difficultatem eximet huius prognoseos enarratio quã sic instituimus.

At vero.] Patefacta vtriusque cynanches natura, perspectis etiam paroxysmis & crisibus, sequitur vt ea dicantur quæ sunt vtriusque tam ἀνασῳζόμενα quàm ἀπογινωσκόμενα, vnde scilicet aut salus sperabilis, aut eius desperatio esse solet.

Quiavs.] In forti contentione naturæ, meatuum libertate, & humore meabili.

Vna rvbent.] Non per propagationem causæ morbificæ: sed per citam exclusionem intus foras, non expectata inueteratione morbi qui facit partem obsessam, totumque adeo corpus infirmum; idque non minùs doloris acerbitate, quàm officij difficultate.

Et favces.] Quæ primùm excepto rheumate concitato intumescunt & rubent. Sunt autem fauces, amplitudo illa quæ in ore cernitur interiore, seu spaciũ illud quod situm est ante guttur & gulã.

20 Et cervix.] Per μετάστασιν καὶ διαδοχὴν erysipelatis ad musculos qui à ceruice feruntur circumplectentes gulam, ad latera cartilaginis scutiformis.

Et pectvs.] idest, Ad supremam sterni partem, vnde procepunt duo musculi ad basin cartilaginis scutiformis.

Longiores qvidem svnt illæ.] Quoniam toleranter feruntur, nec tantus in officio deglutiendi labor, ac penè nullus in respirando, nec tanta doloris crudelitas, quæ & citò vires exoluat, & citam miseramque adferat mortem; ipsa verò erysipelatis materia mansuescit pepasmo & expurgatur, modò per ἀπόστασιν non exoriatur ceruicis & sterni erysipelas vt in cynanchica illa Bythonis, sed per μετάστασιν firmam & stabilem intus foras, quæque nullam habet παλινδρομὴν foris intrò.

Maximeqve ex iis evadvnt.] Pepasmo, expurgatione, & opportunitate adhibendi re-

30 media conuenienter præscripta, ἐπιτηδευόμενα Græci vocant. Nam medicinæ locus est, tum quia in promptu sunt partes obsessæ, tum quia induciæ dantur à morbo.

Nisi rvboras intro recvrrant.] i. Nisi denuo concitentur eò vnde venerunt: id enim significat παλινδρομεῖν Ac sanè talis recursus plus adfert mali, estque omnino periculosior priore affluxu. Nam prior concitatio est sæpe humoris mitificabilis, palindrome autem coniunctam semper habet fericitatem humoris qui refluit: quoniam is semper corruptione propriæ substantiæ in vitio est. Fit autem palindrome, superstite adhuc phlogosi & empyreumate venenato partis obsessæ, vnde cita attractio & impetu materiæ substantia tenuis, qualitate acris, & temperamento calidæ.

40 4 Ἢν δὲ ἀφανίζηται, μήτε φύματος συστραφέντος ἔξω, μήτε πύου ἀναχρεμπτομένου ῥηϊδίως, καὶ ἀπόνως, μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσιν· ὀλέθρια γίνεται. ἆρά γε ἔμπυοι γίνονται; ἀσφαλέστατον δὲ, τὸ ἐρύθημα, καὶ τὰς ἀποστάσιας ὅτι μάλιστα ἔξω τρέπεσθαι.

Sin autem cynanche faucium euanescit nullo erysipelate foris exorto, nec excreato pure facilè & indolenter, neque diebus criticis; mortifera est. Etiamne purulenti redduntur? Tutissimum autem fuerit, erysipelas cæterosque abscessus quàm maximè foras conuerti.

50

Distinctio hæc pertinet ad secundam cynanchen, quæ vt doloris acerbitate non est priore minor: ita moriendi necessitate & celeritate inferior, nisi ea sequatur quæ in hac prognosi docentur. Sunt autem huiusmodi.

Sin avtem,] Correctio est eius quod posuit in secunda cynanche, videlicet eam longiorem esse prædicta in desperatis, nec tum citò mortiferam. Nec verò desperabilem esse omnino vitæ salutem si is qui assurgit tumor in faucibus, crisin habeat per expurgationem, aut per transitum intus

60 foras.

Sin avtem cynanche favcivm.] Quam facit erysipelas in eo spatio quod situm est inter guttur & gulam. Sic enim repetendum illud putauimus. τὰ κυναγχικὰ, in quibus assurgit faucium tumor & rubor. Ergo sit faucium descripta cynanche.

Evanescit.] Græcè ἀφανίζηται, subaudi ὁ φῦμα ἢ ἐρύθημα, i. si faucium tumor qui secundam infert cynanchen, euanescit sine signis ac sine crisi. Id enim significat ἀφανίζεσθαι.

NVLLO ERYSIPELATE FORIS EXORTO.] Non quidem per progressum & orgasmum bilis efferæ prorepentis ad ceruicem & sternum: sed per transitum erysipelatis, forti naturæ contentione susceptum è faucibus in ceruicem & sternum, vicinia & societate partium; per quem transitum plurimi defunguntur illa cynanche alioqui valde pestifera, nisi erysipelas intrò recurrat.

NEC EXCREATO PVRE FACILE ET INDOLENTER.] Quod est ἐκκρίνειν euanescere. Ibi enim suspectæ debet habere sua bona cui restituta est deglutiendi libertas sine manifesta expurgatione humoris in faucibus phlegmonem systrophicam, proptereáque cynanchicam, facientis. At vera expurgatio perficitur excreationi sputi purulenti. Vt enim suppuratum est pepasmus tumoris: ita excreatio, faucium propria est. Itaque sic purgantur οἷα δεῖ ἐκ τῶν συμφερόντων χωρίων. Ergo bene & conuenienter, proptereáque salutariter. Facilè autem & indolenter adiecit, sicut in ἀναχρέμψεσι, i. expurgatione [illegible]; vt nulla ratio desideretur excreationis perfectæ & criticæ. *Si talia purgentur qualia decet purgari, confert & leuiter ferunt: sin autem contrà.*

NEQVE DIEBVS CRITICIS.] Quibus omnia quæ fiunt quæque apparent bona malave, firmiora sunt quàm quæ in alia incidunt morbi tempora. Est autem præceptoris hæc διάνοια; si nulla lege critica euanescit faucium erysipelas, celerrima morte funestum est. Hæc itaque lex critica sanciatur, vt phlegmone systrophica faucium pepasmo & excreatione residat, aut certè μετάστασιν habeat ad ceruices & pectus, idque diebus criticis.

MORTIFERA EST.] Mortem infert celerrimam & crudelissimam cum forti strangulatu & ἰσχνοφωνίᾳ, per translationem humoris è faucibus in laryngem, vnde fit cynanche συνάγχη dicta non κυνάγχη, quæ primigenia vera crudelior est, ac citatiore morte funesta, cùm eodem ipso die quo venit, interimat.

ETIAMNE PVRVLENTI REDDVNTVR?] Sensus est; nullane hîc salus vitæ sperabilis? nulla quidem, aut certè in angusto spes est, si fortè natura expediat se illa crudeli angina. Notum est illud: *Qui anginæ periculo defunguntur iis conuertitur ad pulmones, & intra septimum diem moriuntur: quòd si euaserint, purulenti redduntur.* Etenim κατάῤῥοι ἐς τὴν κοιλίην τὴν ἄνω, ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν. i. *Fluxiones in superam aluum, suppurant intra viginti dies.* De purulentis autem illud tenendum est, nos eo nomine expressisse τοὺς ἐμπύους qui semper significant eos quibus collectum pus stabulatur inter pulmones & thoracem: quamvis τὸ ἐμπύημα pro omni suppurato vsurpetur apud Hippocratem.

aph. 11. 5. aph. 32. 7. aph. 44. 7.

TVTISSIMVM AVTEM FVERIT, ERYSIPELAS, &c.] Est quidem abscessuum criticorum naturaliter instituta hæc ratio, vt procul abscedant à morbo intus foras, & exoriantur in parte quæ sit totius materiæ morbificæ capax. Ac de anginæ μετάστασιν per abscessum, illud præceptum est. Τῷ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγινόμενα. i. *Ab angina periclitanti ruborem in pectore exoriri, salutare.*

aph. 47. 7.

5 Ἐρυσίπελας γὰρ ἔσωθεν ἔξω τρέπεσθαι χρήσιμον. ἔξωθεν δὲ εἴσω θανάσιμον. τρέπεται δὲ εἴσω, ὅταν ἀφανιζομένου τοῦ ἐρυθήματος βαρύνηται τὸ στῆθος, καὶ δυσπνούστερος γίνεται.

V. de quantum intersit inter hanc lectionem & vulgatam.

Nam erysipelas intus foras conuerti; commodum: ac foris intrò mortiferum. Intrò autem conuertitur, cùm eo vanescente pectus opprimitur, ac difficiliùs spirat æger.

SVPERIORIS prognoseωs ætiologia est, & indicatio. Non enim omni ex parte catholicum est hoc theorema, vt illud in aphorismis. *Erysipelas foris intrò conuerti non est bonum: sed intus foras bonum.* Nam vt concedam omnino commodum esse intus foras conuerti: at certè contrarium, non est semper mortiferum: sed in hac tantùm hypothesi anginæ descriptæ. Ergo vt ostendat primùm tutissimum esse tam erysipelata quàm abscessus quàm maximè foras exire, subiunxit.

aph. 26. 6.

Nam ERYSIPELAS.] i. Cynanchicam phlegmonem systrophicam, quam generali nomine vocauit οἴδημα καὶ ἐρύθημα, mox in specie & idea ἐρυσίπελας, ἐρύθημα, ἐρυθρὸς; quorum nominum iam explicata est ratio.

INTVS FORAS CONVERTI.] Per μετάστασιν διαδοχικὴν, i. *successionem ex transitu*, quæ fit relicto priore foco, à forti naturæ contentione cum libertate meatuum, & humore meabili, non autem per propagationem humoris morbifici, cuius est perennitas generationis & affluxus, superstite semper foco priore & morbo.

COMMODVM.] Vt signum & causa: ac signo quidem, victricis naturæ quæ sponte sua deponit ad cutim capacem, materiam quæ sibi negocium facessebat: vt causa autem, vacuitate symptomatum intolerabilium, & restituta libertate spirandi & degluttiendi: quæ duo sunt officia ad vitam tuendam necessaria.

AT FORIS INTRO, MORTIFERVM.] Etenim grauissimum esse solet omnis refluxus, vt signo & causa. Ac signo quidem, superstitis empyreumatis in foco vnde prorupit humor, cuius etiam manet vis effera in tenui substantia, & qualitate acri, vnde attractio & impulsus: causa autem, quoniam humo-

humoris feritas,partis ipsius quò cursum inflectit substantiam labefactat. Sed in respirationis œconomia mortifera est talis palindrome: propter excellentiam præstantiamque partium spirabilium quarum officio,penè dixerim,ad punctum temporis vita carere non potest. Talis palindrome respirationem adimit. Quicquid autem respirationem adimit,vitam tollit. Sed commoda conuersi erysipelatis, omniumque abscessuum intus foras, vt cætera omittam; leguntur in tremate capitis, & in iecoraria phlegmone intus foras.

INTRO AVTEM CONVERTITVR.] Ac si diceret; signa sunt hæc syllogistica palindromes foris intrò,ne fortè ipsa διαφόρησις quæ propria est erysipelatis,opinionem tibi adferat τῆς παλινδρομίας. & metum sinistri iudicij.

CVM EO VANESCENTS.] Restituta scilicet colli & ceruicis æqualitate,in colore,charactere,& mole;non quidem per διαφόρησιν,quæ ratio redintegrandi,primas obtinet in curatione tumorum omnium contra naturam. Nam suppuratio aspectabilis omnem auferret suspicionem τῆς παλινδρομίας.

PECTVS OPPRIMITVR, AC DIFFICILIVS SPIRAT ÆGER.] Labore scilicet & inflammatione partium in spirando deducentium & excipientium, vnde dyspnœa tam parua & frequens vt ideam exhibeat orthopnœæ,& crudelissimi strangulatus.

6 Οἷσι δὲ κυνάγχη ἐς τὸν πλεύμονα τρέπεται. οἱ μὲν ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· οἱ δὲ διαφυγόντες,ἔμπυοι γίνονται, μὴ γινομένης αὐτοῖς ἀναγωγῆς φλεγματώδεος.

Quibus autem cynanche ad pulmonem inflectitur, alij quidem intereunt septem diebus; alij cum euaserint,purulenti fiunt, nulla expurgatione sursum pituitosa.

QVIBVS AVTEM CYNANCHE.] Quæ in strangulatu forti & orthopnœa cynanche non fuit cita morte fuoesta prima periodo.

AD PVLMONEM INFLECTITVR.] Ibique facit peripneumoniam; quæ significatur pectoris oppressione, & ea difficultate spirandi quam vocant meteorismum, vbi non nisi residendo spiritus duci potest.

ALII QVIDEM INTEREVNT.] Suffocatione & extinctione vitalis caloris,siue nectaris viuifici cordis.

SEPTEM DIEBVS.] i. Primis periodis:ob feritatem humoris, prægrandem peripneumoniam facientis,& virium iam pridem infirmatarum exolutionem,vnde cita mors venit.

ALII CVM EVASERINT] Validarum virium beneficio, thoracis amplitudine, & mansuetiore materia:quæ sunt maximæ opportunitates defungendi tam citò periculo iamiam furdiæ mortis.

PVRVLENTI FIVNT.] Quoniam pulmonum rheumata anagogen non habentia, vt iam demonstrauimus: quamvis dicantur ἔμπυοι quibus nondum rupta est pulmonum vomica; vt in illo, φῦμα ἐν ἔλκει.

NVLLA EXPVRGATIONE SVRSVM PITVITOSA.] Putri & purulenta. Sic denegata pleuritico ἀνακάθαρσις,intra 14. diem ipsum facit purulentum. Quòd autem ἀναγωγὴ pro anacatharsi vsurpetur,quæ propria pulmonum expurgatio est, palam fit ex illo aphorismo. Οἷσιν αἷμα ἀφρῶδες πλεῖστον ἀναπτύεται ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ ἀναγωγὴ γίνεται. Hæc autem explicata prognosis legitur aphor. 10. 5. nulla mentione facta τῆς ἀναγωγῆς, quam vix adducor vt credam fieri posse; labefactata scilicet parte ab illo humore qui corruptione propriæ substantiæ in vitio est.

7 Οἷσι διὰ σφοδρότητα πνιγμοῦ, κόπριον ἐξαπίνης διαχωρέει· θανάσιμον.

Quibus à forti strangulatu repentè stercus excernitur; desperatio est.

ENIMVERO strangulari vt specie ipsa mortiferum est:ita mortem ipsam in propinquo esse denunciat, nullamque salutem vitæ sperabilem, quando strangulatione forti stercus excernitur sponte sua. Eodem spectat & illud quod scriptum legitur in aphorismis. *Eorum qui strangulantur & exoluuntur, necdum tamen interiere, nunquam illis restituuntur qui edunt spumam in ore.* Vtriusque autem signi fatalis ad internum ratio sic explicanda. (aph. 43. 2.)

QVIBVS.] Vel cynanchicis, idque πρώτως ἢ δευτέρως, nihil refert, modò huiusmodi sint πνιγμοί, à phlegmone systrophica musculorum propriorum laryngis.

A FORTI STRANGVLATV.] Quod est symptoma & signum ἀχώειον veræ cynanches, ὡς ὅτ' ἤπερ ἢ μέλλει; ac si diceret, si eò processerit strangulatio.

prorth. 40.t.a.1.

REPENTE.] Sponte sua, nec iussu nostro, idque tum propter mentis laborem in officio, tum propter ἀναισθησίαν & resolutionem partium per quas excretio fit.

STERCVS EXCERNITVR. Forti obstructione laryngis, & epiglottide firmiter arytenoidis rimæ affixa; vnde fumidis vapor deorsum prorumpens diaphragma comprimit, vnaque musculos transuersos abdominis: quæ ratio egerendi cernitur quoties iussu nostro durior aluus ducitur.

DESPERATIO EST.] Collapso principatu animalitatis, & vitæ, in offensione cordis & cerebri: vnde naturalis œconomia labefactatur.

8 Εν τοῖσι κυναγχικοῖσι τὰ ὑπόξηρα πλύσματα ἰσχνῶν κακόν.

Anginosis cum æqualitate faucium sputa subarida; malum.

OMNIS angina per se ipsa quidem pestifera est: sed illa demum habetur mortifera & desperatæ salutis, quæ accessionem habet signorum lethalium: cuiusmodi sunt erysipelatum fortis intrò palindrome; stercoris repentina & sponte sua non nostra, i. sine voluntate, ac sine sensu excretio; faucium quæ priùs intumuerant repentina æqualitas sine transitu erysipelatis intus foras, ac sine purulenta excreatione: cuiusmodi est etiam signum in hac prognosi descriptum sputi subaridi.

Ergo. ANGINOSIS.] Iis qui sunt κυρίως & verè cynanchici.

CVM ÆQVALITATE FAVCIVM.] Id enim significat ἰσχνῶν, atque non rarò φάρυγξ ἰσχνὴ legitur apud Hippocratem, i. *fauces æquales* quæ nullo modo intumuerunt, nec vllo modo mutatæ sunt à se, in colore, charactere, & mole. Sed illa faucium æqualitas siue sit ipsarum κατόρθωμα naturaliter constitutum, siue τὸ ἐπανόρθωμα, i. *restitutio* per translationem humoris à faucibus in laryngem, nihil interest, modò cynanchicus homo sit ab ea cynanche quæ nihil exhibet aspectabile, nihil tractabile in faucibus ipsis.

SPVTA SVBARIDA.] i. Glutinosa, rotunda, quæque difficulter admodum excreantur, & quæ plus detrimenti adferunt in excreando quàm adiumenti.

MALVM.] Vt signo & causa: ac signo quidem, materiæ contumacia, & prægrandi ardore: causa autem, quoniam difficultas excreandi auget ardorem atque tumorem. Hinc maior dyspnœa, vnde fit etiam materia contumacior. Atque hæc tria, difficultas excreandi, spirandi, & glutinosus humor; συντιμωρέουσιν ἀλλήλοις ἐς κακὸν, vt loquitur Hippocrates lib. 1. de morb. acut. i. *mutuas tradunt operas in perniciem ægri.*

9 Τὰ κυναγχικὰ ἐν γλώσσαις οἰδήματα, ἀσήμως ἀφανιζόμενα ὀλέθρια. καὶ τὰ ἀλγήματα ἀφανιζόμενα χωρὶς προφάσιος ὀλέθρια.

Anginosi in lingua tumores clam euanescentes; mortiferi. Quin-etiam dolores sine causa sedati; mortem subesse testantur.

MAGNA vis est τῶν ἐπιφαινομένων καὶ τῶν ἀφανιζομένων ad præsentationem interitus aut salutis. In hac prognosi, ne longiùs abeam, τὸ ἀφανιζόμενον anginæ gutturalis est linguæ tumor, qui cernitur in qualitate partium vicinarum & sociarum: sicut sputum subaridum in proprio excremento. Est autem propria hæc τῶν ἀφανιζομένων conditio, vt morbos in quibus apparent, breues aut longos, tum autem sinistri aut secundi iudicij esse denuncient. Quæ cùm ita sint.

ANGINOSI IN LINGVA TVMORES.] Qui assurgunt vicinia & societate musculorum nouem linguæ cum faucibus & larynge; tum autem repletione particulari venarum linguæ subiacentium; quas ὑπογλωττίδας Græci vocant.

CLAM EVANESCENTES.] i. Sine propria expurgatione ac sine successione intus foras; tum autem sine vsu τῶν συμφερόντων, i. *remediorum conuenienter præscriptorum.*

MORTIFERI.] Propter translationem & recursum in laryngem, qui fortem infert strangolatum, fortemque dyspnœam: quibus symptomatis nulla vis naturæ maior neque acerbior potest adferri.

QVINETIAM DOLORES.] Qui sunt acerbissimi tam in faucibus, quàm in larynge, tum à distensione prægrandi, tum ab intemperie firmiter fixa catarrhi nitrosi.

SINE CAVSA SEDATI.] id est, Nulla expurgatione critica, nec artificio medici remedia conuenienter adhibentis ad retractionem rheumatis concitati, atque ad detractionem & pepasmum consistentis.

prorth. 17.t.a.1.

MORTEM SVBESSE TESTANTVR.] Quoniam τὰ ὀλέθρια ἀσήμως ῥαστωνήσαντα θάνατον σημαίνει. id est, *Lethalia quæ sine signis quiescunt, mortem significant.* Eadem est ratio restitutæ libertatis degluttiendi sine crisi, & transitu intus foras anginæ secundæ. Atque illa doloris falsò putatur esse leuatio; tum propter symptomaticam translationem à faucibus in laryngem, tum quia mens laborat, & sensus amissio est in parte afflicta.

10 Ἐν τοῖσι κυναγχικοῖσι οἱ μὴ ταχὺ ἀναπτύοντες πέπονα· ὀλέθριοι.

Inter anginoſos qui cocta citò non expuunt; deſperati.

Enimvero morborum omnium quorum ὕπαρξις in humoris cuiuſque putredine, collectione & motu conſiſtit, cuiuſmodi ſunt febres; tum etiam illorum quorum ſymptomata ſunt humoris morbifici & partis obſeſſæ propria; omnium, inquam, ſanatio & naturæ redintegratio perficitur pepaſmo, & vacuatione propria per loca commoda, & abſceſſu critica lege facto. Οἱ πεπασμοὶ ἔξω ἢ εἴσω ῥέπουσιν, ἢ ἄλλῃ ᾗ δεῖ. i. *Pepaſmi foras vel intrò, aut aliò fluunt quò decet.* Et alibi: Πεπασμοὺς τῶν ἀπιόντων σκέπτεσθαι πάντοθεν ἐπικαίρους, ἢ καλὰς καὶ κρισίμους ἀποστάσιας σκοπεῖσθαι. i. *Pepaſmos conſiderare iubeo, omnes vndecumque laudabiles; tum bellos abſceſſus & criticos.* Vt autem nihil optabilius pepaſmo in omnibus acutis febribus, atque illis etiam morbis qui coniunctam habent ſymptomaticam febrem; quoniam pepaſmus ad celeritatem & ſecuritatem criſis apparet: ita nihil æquè metum adfert ſiniſtri iudicij quàm ὠμότης & cruditas. Hæc enim malos infert abſceſſus, & acriſias, & grauiores caſus, & mortem. In peracutis autem quorum acerrimi celerrimique ſunt motus, proptereáque celerrimæ mutationes ad interitum vel ad ſalutem, niſi pepaſmus breui appareat; breui quoque vitam finiunt ægri. Nam ſolo pepaſmo & excretione, periculo defunguntur. Quæ omnia cuiuſmodi ſint in anginoſis, docetur in hac prognoſi.

lib. de humid.

lib. 1. Ep.

Inter anginosos qvi cito.] Non quidem expurgandi celeritate, & ſpatio quo ſputum expurgationi coniunctum eſt: ſed initio morbi, quod in aphoriſmis ſcripſit αὐτίκα, ſicut & lib. 6. τῶν ἐπιδημ. idem dixit, αὐτίκα πρίειν, αὐτίκα καίειν, αὐτίκα τάμνειν, i. *citò ſerrare, vrere, ſecare.*

aph. 12. ſ. 6. Epid. part. 7.

Cocta non expvvnt.] Græcè dixit, τὰ πέπονα, i. *pepaſmo mitificata.* Eſt autem pepaſmus, πέψις τῶν παρὰ φύσιν, i. *rerum è natura egreſſarum concoctio.* Vt enim vera πέψις, i. *coctio* verè dicta, eſt τῶν εἰσιόντων, i. *rerum ingredientium* (ingrediuntur autem τὰ προσφερόμενα καὶ ἐνοικειοῦντα, i. *natura conſentanea & conſocialia*;) ſic ὁ πεπασμὸς ſeu *mitificatio*, eſt τῶν ἀπιόντων, i. *exeuntium, ſiue rerum exitus preparatarum.* Sed vtriuſque, videlicet τῆς πέψεως καὶ τοῦ πεπασμοῦ, cauſa effectrix eſt, partium ſolidarum vitale principium, & viuifica vis quæ manat à corde. Diſtinctio eſt tantùm materiæ: quoniam, vti iam diximus, πέψις ἐστὶ τῶν εἰσιόντων· πεπασμὸς δὲ τῶν ἀπιόντων. Et, πέψις ἐστὶ τῶν πεπτομένων εἰς τὴν τοῦ πέττοντος οὐσίαν ἀγωγή· ὁ δὲ πεπασμὸς, πέψις τῶν παρὰ φύσιν. i. *Coctio ductus eſt eius quod coquitur, in ſubſtantiam eius quod coquit: pepaſmus autem, quædam coctio eorum quæ ſunt præter naturam.* Atque ita πέψις perficitur aſſimilando, πεπασμὸς alterando. Non minor autem virtus naturæ lucet in alterando contraria, quam in aſſimilando conſentanea & conſocialia. Ex quo efficitur ſpem certam ſalutis adferri pepaſmo: quoniam victrice natura triumphatus morbus excluditur.

1. Epid.

Ergo. Qvi cocta cito non expvvnt.] Nam expuendo tenuia nihil proficiunt: quoniam expreſſione ſeri à phlegmone fit ptyeliſmus: glutinoſa aut ſubarida expuendò læduntur, vt iam demonſtratum eſt. Superſunt τὰ πέπονα quæ ſunt craſſiuſcula, virtute caloris mitificantis, proptereáque ad expurgandum facilè & indolenter idonea. Sed illa πέπονα niſi appareant citò, cita mors venit. Cauſæ ſunt explicatæ. Nam in peracutis morbis, aut cita mors venit, aut victoria læta. Sed victoriæ deſperatio eſt niſi à pepaſmo ſputa πέπονα citò expuantur: quoniam in morbis partium ſpirabilium fruſtra pepaſmus fit niſi expurgatio conſequatur, quam ἀνακάθαρσιν, ἢ ἀνάπτυσιν, ἢ ἀνάχρεμψιν Græci vocant, vt eſt natura & collocatio partium ſpirabilium obſeſſarum. Exempla ſunt in ſenibus quibus latera non ſunt firma ad expectorandum.

11 Ἐν κυνάγχῃ ἀσήμως ἐς κεφαλὴν ἀλγήματα μετὰ πυρετοῦ· ὀλέθρια.

In angina qui abs re prorepunt dolores ad caput cum febre; ſunt deſperatæ ſalutis.

Inter ſymptomata epigenomena cynanches conſectaria per propagationem cauſæ morbificæ; principatum obtinet cephalalgia cum febre coniuncta.

In angina.] Κυνάγχη dicta quæ in ſyſtrophica phlegmone laryngis conſiſtit.

Qvi abs re.] Græcè ἀσήμως, i. infecta redintegratione partis obſeſſæ, ac ſine vllo ſigno illius redintegratæ, & ſuperſtite foco priore cum pari doloris acerbitate, tum æquè forti ſtrangulatu & orthopnœa. Id enim ſignificat hoc loco, ἀσήμως. Ac ſi diceret; ſi nulla ſit anginæ leuatio, ſuperueniat autem cephalalgia prægrandis, ac ſuperueniat κατὰ τὴν ἐπιγένεσιν, non autem κατὰ μετάστασιν, vt per ſympathiam, non autem per diadochen accidere videatur.

Prorepvnt dolores.] Κατὰ τὴν ἔκθλιψιν. idque per expreſſionem ſeri à phlegmone gutturis in venas iugulares internas & arterias carotidas quæ ſecundùm aſperam arteriam procedunt ad caput, priùs largitæ ſurculos laryngi & linguæ cùm fauces attigerint, indeque ſubeunt caluariam per foramen lacerum, choanæ propinquum; atque ita prorepunt dolores appulſu morbifici humoris quo diſtenditur dura meninx, & proritatur, vnde cephalalgia prægrandis cum forti ſtrangulatu coniuncta, manente ſemper aut veriùs increſcente angina.

Coac. 35. c. 14. li. 2.

Cvm febre.] Quam excitat cephalalgia prægrandis ab inflammatione meningis & cerebri. Eſt

enim consentaneum, sicut nuper exposuimus in offensione temporalium musculorum, vt inflammatum cerebrum ab inflammatione laryngis, consecutionem adferat febrium acutarum, vnaque deprauatarum omnium animæ actionum. Quò fit vt productio anginæ ad caput, symptomata edat paraphorica & cephalalgica.

Svnt desperatæ salvtis.] Propter συμπαθείαν laryngis & cerebri, vnde perpetuum rheuma concitatum è capite; tum propter colliquamenta pinguis humoris & carnium recens pressarum; tum quòd eò res ægri peius eunt, quò plures partes & plures principatus in vitio sunt.

12 Ἐν κυνάγχῃ ἀσήμως ἐς σκέλη ἀλγήματα μετὰ πυρετοῦ· ὀλέθρια·

†In angina qui abs re prorepunt ad crura dolores cum febre; mortiferi.

In angina dixit, non ex angina: vt nulla opinio sit, κατακλάσεως superne deorsum: sed potiùs ὑπομένουσης angina superstite, quod quemadmodum fuit non hercle intelligo. Id locum habet in peripneumonia quæ ex anginæ prolapsu exorta mortem infert intra septimum diem, aut purulentum facit ægrum intra vigesimum. Solennis est illa prognosis. *Abscessus qui per vehementes & periculosas peripneumonias in crura erumpunt, vtiles quidem omnes: sed multò salubriores sunt qui sputo iam mitificato exoriuntur.* Et paulò pòst: *Quòd si biliosio adhuc sputo, necdum purulento exorti refluant eò vnde sunt concitati, nec sputum liberè & liberaliter expurgetur, ingens malum: nam tum ægrotus in metu delirij est atque mortis.* Sed rerum earum decisiones breui legentur. Nam de anginosa quod scribitur in Epidemiis, dolore in dextra manu & crure excitato, ipsam habuisse χάλασιν τῆς πνιγμοῦ, i. *laxitatem strangulatus,* indéque septimo die morbi conuulsam, voce captam cum stertore, stridore dentium, & rubore genarum; quinto & sexto abhinc die crudeliter petiisse, vt concedam pertinere omnia ad præsentem prognosin, ex eaque historia videri desumptam, & in breuiarium quoddam siue aphorismum contractam: tamen si quis attentè consideret, profectò reperiet non in angina, neque ex angina primùm fuisse oborta, sicut in hac prognosi docetur; palindromen verò paulò pòst habuisse sursum, quæ tantorum symptomatum consecutionem attulit. Nam à crure dextro anadrome Caluum in citam mortem coniecit. Ac suprà demonstratum est crurum terrificos esse dolores in febre, manuumque labores & pedum esse pestiferos. Et verò in anginosa muliere annotauit σημεῖον ἐν τῇ χειρὶ ὑπόπελιον. i. *notam in manu liuidam.*

lib. 2. progn.

5. Epid.

23 Ἐκ κυναγχικῶν ἀκρίτως, ὑποχονδρίου ἄλγημα μετὰ ἀκρασίης καὶ νωθρότητος γινόμενον· κτείνει λαθραίως· εἰ καὶ πάνυ δοκοῖεν ἐπιεικῶς ἔχειν.

Ex anginosis hypochondrij dolor irrita crisi cum infirmitate summa & exolutione obortus; clam necat: tametsi admodum videantur esse in tuto.

Hvivs prognoseωs non est certa nec firmiter fixa hypothesis, quæ statuit ex anginosis ob irritam crisin, hypochondrij dolorem oriri μετὰ ἀκρασίης καὶ νωθρότητος. Quæ tria symptomata cuiusmodi sint, & quorsum appareant, in enarratione dicetur. Etenim tametsi particula, ἐκ, planè ostendit τὴν μετάπτωσιν materiæ anginosæ: tamen affirmare non ausim eam fieri posse ad hypochondria primùm & per se. Nam gutturalis angina metaptωsin habet vnicam in pulmones, vnde peripneumonia quæ vel intra septimum diem mortifera est, vel intra vigesimum in pus mutatur. At faucium angina quam præceptor vocat κυναγχικὸν ἐρύθημα, conuertitur in latus κατ' ἐξοχήν. Quænam igitur conuersio est anginæ in hypochondrium? Sed eam difficultatem clariùs explicabit nostra enarratio.

aph. 10. 5.

Ex anginosis.] Quorum angina successionem habet alterius morbi, vnde non sunt ampliùs anginosi.

Hypochondrii dolor.] Translata ad hypochondrium dextrum, quod κατ' ἐξοχὴν ita nominatur, materia: qualem excitare solet dolorem peripneumonica transmissio ad crura, dum eò peripneumoniæ causa morbifica cursum inflexit: quemadmodum dyspnœam fugacem, quando ad parωtidas viam affectat.

lib. 2. progn.

Irrita crisis.] Quòd neque significata fuerit sputi pepasmo, nec eò vsque peruenerit ὑποστάσις ἐπὶ τὸ, procul in partem capacem, cuiusmodi est crurum conditiu: sed in hypochondrio substiterit, i. in visceribus hypochondriacis quæ per metonymiam hypochondria nominantur, ibiq; dolorẽ excitat qui citam mortẽ infert. Vt enim peripneumonica metaptωsis quæ sursum fit ad parωtidas, prænunciam habet parωtidum futurarũ dyspnœam fugacẽ quæ sine nota præcedente quiescit: sic illa quæ deorsum ad crura viam affectat, sensionem excitat ἀλγήματος, idest, ὀλιγώρως in hypochõdrio; quæ si in via subsistat, firmiter fixam & stabilem parit affectionem hypochondriacam, venenatæ qualitatis & malignæ cacochymiæ participem; atque ita peripneumoniæ fit acrisia per irritam proritationem, propter eáque

propter eáque

pteteáque dolor meritò iudicatur ὀξέως obortus ab irrita crisi, cuius perfectio expetenda expectabatur in abscessu crurali.

Cvm exolvtione.] Μετὰ ἀκρασίης, quæ idem significat quod ἡ ἀκράτεια, quam interpretatur Galenus *διάλυσιν τῆς οὐσίας, i. exolutionem cuiusque substantiæ*, quæ in complexione & temperamento consistit; qua labefactata, in promptu est ἀτονία, ἀδυναμία, καὶ ἔκλυσις: quæ nomina sunt eiusdem rei synonyma. Ego verò exolutionem hanc referendam arbitror ad dissipationem nectaris viuifici cordis, quam propriè veteres τὴν ἔκλυσιν nominarunt.

Et laxitate.] Καὶ νωθρότητος, quæ propriè & verè pertinet ad principatum cerebri: quemadmodum ἔκλυσις ad principatum cordis. Vtriusque tamen eadem ratio est & causa formalis, nempe διάλυσις: quemadmodum Galenus annotauit in illo, *νεύρων ἀρρωστίη, καὶ νωθρότης γνώμης, i. neruorum imbecillitas, & segnicies mentis*. Est autem νωθρότης, illa segnicies & exolutio quæ cernitur in iis qui subinde delabuntur ad pedes, quam ἐῤῥῖφθαι καὶ πίπτειν Græci vocant. Ac sanè νωθρότης, ineunte quidem morbo, symptoma est oppressionis; affecto autem, exolutionis, vt alibi demonstratum est. (aph. 16. 5.)

Clam necat.] Extinctione caloris vitalis, & stupore animalitatis, vnde nulla sensio excitantis causæ mortiferæ: sicut in ἀσφυξίᾳ quam facit exolutio vtriusque principatus, vitalis & animalis. Hæc enim moriendi sensum adimit: quemadmodum & illis qui prorupto sanguine multo in traumate, vitam finiunt differendo, nec opinantes. (Coac. 7. c. 8. lib. 2.)

Qvamvis admodvm videantvr esse in tvto.] Falsò credita leuatione ex ἀναισθησίᾳ laborum atque dolorum: quia sunt illis eorum corda oblita διὰ τὴν νωθρότητα καὶ ἀναισθησίαν: quod ipsi vidimus in quodam adolescente cui, extracto calculo, per vesicam corruptam tanta repente incidit exolutio, vt ludendo chartulis pictis animam exhalarit. Denique sic omnes à syncope moriuntur. (Coac. 5 cap. 13. lib. 2. historia notabilis.)

14 Ἐκ κυναγχικῶν ἀσήμως ἰσχναυθέντων, ἐς στῆθος ἄλγημα καὶ ἐς κοιλίην ἐλθὸν σύντονον ποιέει πυώδεα διαχωρέεσιν. ἄλλως δὴ οὐ λυομένης ἐόντων.

Ex anginosis immeritò adæquatis, dolor prægrandis cùm ad pectus & ad ventrem transierit, excretionem puriformem molitur: si quidem aliter non exoluatur.

Insperata salus miraculo apponi solet, quando natura sui diligens & conseruatrix inuenit viam qua deducitur ad exclusionem morbi, & ad conseruationem sui, & crisin exhibet salutarem insuetum, per iter & nobis ignotum. Sed illud miraculum quamuis in hac prognosi primo aspectu sit admirabile: tamen perpetua non erit admiratio, quam ἀθαυμασία studiosè quæsita, & in animis nostris infixa profligabit.

Ergo. Ex anginosis.] Qui faucium & laryngis phlegmone systrophica, multùm in deglutiendo & respirando laborarunt.

Immerito.] Non autem frustra, vti nuper diximus i. quibus restituta est deglutiendi & respirandi libertas sine crisi propria per excreationem purulentam, & facilem atque citam: aut sine diadoche in ceruicem & sternum; aut sine vsu τῶν προειρημένων, qualia iam recensuimus. (Coac. 11. huius c.)

Adæqvatis.] Quorum æqualitas repentina cernitur in faucibus nihil à se mutatis, quæ paulò antè visæ sunt multùm mutatæ; in larynge autem per συμπάσχομενον ex libertate spirandi, & vacuitate strangulatus atque doloris. Nam tumor laryngis non habet ἐρύθημα aspectabilem in qualitate corporis: sed bene in actionibus, & symptomatum vacuitate.

Dolor prægrandis.] i. Sensio acerbissima rei molestæ, quam facit humoris anginosi translatio per distensionem & intemperiem.

Cvm transierit.] i. Relictis partibus vbi phlegmonem faciebat systrophicam, rheuma cynanchicum μετάστασιν habuerit, vel potiùs μετάπτωσιν.

Ad pectvs.] Vbi sensio est grauitatis cum difficultate spirandi, per oppressionem partium spirabilium, i. pulmonum qui in pectore continentur; eaque pulmonum oppressio quæ facit peripneumoniam, accidit aut anginosi humoris prolapsu & translatione è larynge ad pulmones, aut ex refluxu erysipelatis in sterno exorti post anginam, ad ipsos pulmones.

Et ad ventrem.] i. Ad spatium illud quod est inter diaphragma & ventrem. Est igitur præceptoris hæc διάθεσις; si anginæ transitus fiat ad spatium illud quod est inter diaphragma & ventrem.

Excretionem pvriformem molitvr.] Quæ iter habet per venas ad intestina, vel ad vesicam: iuxta illud, ὁκόσοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς κύστιν τρέπεται τὸ φλέγμα, i. *His in vesicam per venas pituita conuertitur*. Nam διαχώρημα nomen non semper significat deiectionem quæ fit per aluum. Excretionem verò puriformem diximus, non purulentam, quæ pus refert, quamuis reuera non sit. Huiusmodi erant Perinthi vrinæ γονοειδεῖς criticæ. Natura autem molitur puriformem excretionē, tum per deiectiones, tum per vrinas. Exempla sunt in hydropicis qui alui profluuio sine cruditate, & vrinarum perirrhœa, (aph. 54. 7.) (6. Epid.)

sanatur αὐτόματως. Sic vmbilici dolores cum pulsu coniuncti adueniente crisi pituita multa per aluum prorupta quiescunt.

ALITER AVTEM NON POTIS EST IPSVM EXOLVI.] Fortè sic meliùs: SI QVIDEM ALITER NON EXOLVATVR. Vt illud, ἄλλως δὲ, legatur ἄλλως δὴ, & adiiciatur οὐ, vt sit contextus talis; ἄλλως δ' ἢ οὐ λυομένου τοῦ τοιούτου. Nulla enim est æquitas legere in vulgata scriptura, λυομένου τοῦ τοιούτου. Illud verò, si aliter non exoluatur, pertinet ad id quod scriptum est in aphorismis, ἢν ἔχῃ ἔξοδον οὐδὲ ἀν ὑπέρ τῶν κοιλιῶν. Eôdem spectat etiam quò illa quæ in prognostico leguntur de varia crisi pleuritidis & peripneumoniæ.

aph. 54. 7.

15 Ἐκ κυναγχικῶν πάντα ὀλέθρια ὁκόσα μὴ ἔκδηλον ἐποίησεν ἄλγημα. ἀτὰρ καὶ ἐς σκέλεα ἀλγήματα χρόνια φοιτᾷ, καὶ ἐκπυοῦται δυσκόλως.

Ex anginosis mortifera omnia quæ dolorificum malum foras non edunt. Quinetiam ad crura procedunt diuturna mala, quæ difficulter & molestè in pus vertuntur.

QVORVM morborum cita mutatio est siue crisis, vt peracutorum: sic ad interitum certa esse solet, si nulla citò edunt critica epiphænomena in excretione vel in abscessu foris conspicuo. Huiusmodi est angina: cuius pestifera seu mortifera vis in hac prognosi explicatur, non ex iis quidem quæ adsunt, sed quæ absunt.

EX ANGINOSIS.] Non quidem angina correptis: sed ex iis quæ pertinent ad anginam, τὰ κυναγχικὰ Græcis dicta.

MORTIFERA OMNIA.] i. Desperatæ salutis, quæque citam inferunt mortem doloris acerbitate, virium exolutione, fortique strangulatu & orthopnœa.

QVÆ DOLORIFICVM MALVM FORAS NON EDVNT.] Sic enim τὸ ἄλγημα verti debet, quo significatur dolorifica ipsa phlegmone anginosa, i. si nihil sit aspectabile, nihil tractabile in qualitate partis obsessæ, vicinarumque partium & sociarum, nulla item transitio ad pectus & ad ceruicem sine recursu, nulla excreatio purulenta & citò cocta: denique si omnia manent ἐν ὁμοίῳ καὶ ἀκινήτως.

QVINETIAM AD CRVRA PROCEDVNT DIVTVRNA MALA.] Ac si diceret; necessaria est erysipelatis quàm maximè intus foras conuersio, vt quamuis ad crura quàm longissimè cursum inflectat, quod est in bonis ducendum: tamen nec tutò semper id fiat, propter hypochondria in quibus irrita crisi subsistit, & quia quæ in cruribus exoriuntur mala, sunt dyscola; tum propter materiæ feritatem vnde claudicant ægri, tum propter recursum facilem ad pulmones, vnde salutis desperatio est. Causæ sunt explicatæ.

QVÆ DIFFICVLTER ET MOLESTE IN PVS VERTVNTVR.] Sed commemorata inferunt mala, nec ad securitatem crisis apparent.

Coac. 12. huius c.

16 Τὰ ἐκ κυνάγχης πτύαλα γλίσχρα, παχέα ἔκλευκα, βιαίως ἀναγόμενα· κακόν. καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος πεπασμὸς, κακόν. κάθαρσις πολλὴ κάτω ἐπὶ τοιούτοις παραπληκτικῶς ἀπόλλυσιν.

Ex angina sputa glutinosa, crassa, multùm alba, vi expurgata; malum: atque omnis pepasmus huiusmodi; malus. Purgatio multa deorsum, tales paraplectico modo necat.

QVORVM morborum peracutorum fixa est ὑπόφξις, eorumque symptomata sunt humoris morbifici & partis obsessæ propria, vt anginæ in forti strangulatu & orthopnœa; profectò eorum crisis perficitur impulsu naturæ; & meatuum conditione, cum humore meabili. Quæ tria sunt ad criticam expurgationem, & periculi defunctionem necessaria. Secus est in eorum δυστυχίᾳ, i. *frustratione & desiderio. Anginosis in æqualitate faucium sputa subarida, malum.* Et, *Inter anginosos qui cocta citò non expuunt, desperati.* Quæ cùm ita sint.

Coac. 8. & 10. huius capitis.

EX ANGINA.] Cum æqualitate faucium κυνάγχη dicta.

SPVTA GLVTINOSA.] i. Tractu ἐφελκυστά, quæ sunt eiusmodi; in pituita quidem albuminea ob crudorem, sicut albumen oui & coryza; in perusta, ob seri compunctionem & lentorem crassi humoris à calore contra naturam.

CRAS-

CRASSA.] Coacta, vndiquaque pressa, rotunda, quæque suo termino continentur, nec diffunduntur.

MVLTVM ALBA.] Syncera, meraca, omnisque sui seri naturalis, & morbifici humoris, quo exactè tingi debebant, expertia; vnde significatio fit perennis affluxus è capite, & nullius excretionis criticæ.

VT EXPRESSA.] Quæ difficulter admodum excreantur, habentque violentam, difficilem, & molestam ἀνάχρεμψιν qualis est τῶν ἐγκαταχρεμπτόντων τὰ μετὰ γλισχρότητος ἀναχρεμπτόμενα, i. *glutinosa cum difficultate screantium.* Ea verò difficilis excreatio causam habet, sputi glutinosi & crassi contumaciam, cum imbecilla contentione naturæ coniunctam.

MALVM.] Vt signo & causa. Ac signo quidem, materiæ contumacia, prægrandi ardore, perenni affluxu, & irrita proritatione. Causa autem: quoniam difficultas excreandi auget materiæ contumaciam, auget quoque ardorem atque tumorem. Hinc maior dyspnœa. Atque hæc tria, difficultas excreandi, spirandi, & glutinosus humor, mutuò se afficiunt, mutuasque tradunt operas in ægroti perniciem.

ATQVE OMNIS PEPASMVS HVIVSMODI, MALVS.] i. Malè res eunt in tali pepasmo; siquidem pepasmus verè dici debet, non per antiphrasin. Nam verò pepasmus semper ad salutem præclarè apparet & facit, vnde significatur naturæ integritas, humoris æqualitas, & virtus caloris natiui. Hîc autem pepasmus est cruditas & corruptio, quæ nunquam bene fit neque apparet. De virtute autem pepasmi abundè scripsimus ad prognosin 10. huius cap. Quod sequitur.

PVRGATIO MVLTA DEORSVM, TALES PARAPLECTICO MODO NECAT.] Hoc certè non adfert causam interitus à peraplegia. Neque enim facit hæc paraplegiam, nec paraplegia interitum. Sed crudor cerebri, paraplegiæ causa est, sicut anginæ, & quæ inde venit paraplegia, lethalis: cuiusmodi erat illa 1. τῶν ὀξ. cuiusmodi est etiam quæ facit parotidas. De qua nos multa scripsimus ad illam prognosin. *Parotides prauæ sunt paraplecticis.* Coac. 4. c. 4. lib. 2.

17 Ἐκ κυνάγχης ὑπόξηρα πυκνὰ πτύελα, βηχώδεα, πλευρῶν ὀδυνώδεα· ὀλέθρια. καὶ τὰ ἐν τοῖσι ποτοῖσιν ὑποβησσόμενα, καὶ κατάποσις βιαία, πονηρόν.

Ex angina, subarida, crebra sputa, tussifera, dolorifica costis mortifera. Quinetiam ex potione tussi expressa, omnisque adeo violenta deglutitio; pestifera.

ILLA DEMVM cynanches mortifera sunt ὑποσαρίδεα, quæ & qualitate, & excretionis modo, & grauiorum symptomatum accessione in vitio sunt. Huiusmodi sunt hæc.

EX ANGINA.] Non in angina. Ex angina igitur quæ sua edit ὑποσαρίδεα in proprio excremento, & propria excretione. Est enim anginæ propria excretio, sputi excreatio.

SVBARIDA.] Non quidem tussicula & excreatione frustra omnino citata, vt in pleuritide & peripneumonia quæ ob eam causam siccæ dicuntur, sed glutinoso, crasso atque rotundo sputo, & albo, quale iam descriptum est.

CREBRA.] Qui crebram cient ἀνάχρεμψιν, faucibus proritatis ex crebra concussione.

TVSSIFERA.] Ex contentione naturæ studentis excutere quod sibi molestum est, sed frustra: vt in hepatica inflammatione, & laterali cruda.

DOLORIFICA COSTIS.] A forti & irrita concussione, tum à spiratione sublimi, πνεῦμα μετέωρον Græci vocant.

MORTIFERA.] Quoniam omnia commemorata, sunt desperatæ salutis in συντιμωρίᾳ malorum, & virium exolutarum cum ἀγωνίᾳ doloris.

QVINETIAM POTIO TVSSI EXPRESSA.] Per ora & nares, in vtraque angina: qualis expressio legitur in anginosa lib. 3. Epid. & lib. 6. eiusdem operis.

OMNISQVE ADEO VIOLENTA DEGLVTITIO, PESTIFERA.] Vt signo & causa. Nam multi degluttiendo, violenter intereunt, aphor. 35. 4. & lib. 2. & 6. Epidem.

DE PLEVRITIDE, ET PERIPNEVMONIA.

CAP. XVI.

ΤΩΝ πλευριτικῶν οἷσιν ἐν ἀρχῇ παντοῖαι αἱ πτύσιες, τριταῖοι θνήσκουσι, ἢ πεμπταῖοι. φυγόντες δὲ ταύτας, ζ, η, θ, ια ἄρχονται ἐμπυοῦσθαι.

al. ... Sic legitur lib. ... Οἷσι δὲ ... &c.

1 *Inter pleuriticos, quibus initio variæ sunt expuitiones; ij tertio moriuntur, aut quinto: quos si euaserint, nec dum multò illis sit me-*

liùs, ſeptimo, aut nono, aut vndecimo incipiunt ſuppurari.

OR D I N I S ratio iure à nobis requirit, vt patefacta omni cynanches hiſtoria, deinceps dicamus de morbis cæterarum partium ſpirabilium quæ tum mouendo, tum excipiendo, reſpirationi dicatæ ſunt: quemadmodum larynx & arteria deducendo. Ac primùm occurrit pleuritis exorta in parte ſpirabili. Cæterùm explicata ſunt omnia ſigna & ſymptomata quæ cernuntur in reſpirando, eorumque omniū patefactæ cauſæ, vnde ſcilicet, & quorſum fiat atque appareat omnis difficultas ſpirandi. Sed earum cauſarum quæ naſcuntur & ſtabulantur in partibus quæ reſpirationi deducendo, excipiendo, & mouendo inſeruiunt; hiſtoria recenſenda in affectionis cuiuſque natura, eadem methodo examinanda qua in angina vſi ſumus: vt nihil omnino prætermiſiſſe videamur quod ad cuiuſque naturam pertinet in eſſentia, cauſis, parte obſeſſa, periodis, paroxyſmis, & criſibus.

INTER PLEVRITICOS. Quorum ſcilicet ita pleuritidis comparata eſt ratio. Arguit verò pleuritidem dolor lateris punctum laceſſens, cum ſpiratione difficili, ſicca tuſſi, & aſſidua febre coniunctus. Quorum ſymptomatum hæc mihi ratio eſſe videtur ad inueniendam morbi vnde illa veniunt exiſtentiam, ὕπαρξιν Græci vocant. Nam primùm doloris punctorij cauſa eſt diſtenſio cum intemperie magna partis acerrimi ſenſus, qualis eſt membrana coſtis intexta; difficilis ſpirationis; cōtumacia thoracis qui neceſſitati non reſpondet; ſiccæ tuſſis, concuſſio thoracis fruſtra concitati; febris aſſiduæ, cordis vicinia & ſocietas cum thorace afflicto. Ex quibus neceſſariò efficitur, thoracis inflammationem ſyſtrophicā, eſſe pleuritidem. Eſt igitur pleuritidis, Phlegmone ſyſtrophica tunicæ coſtis intextæ, quæ conſectariā habet doloris punctoriam acerbitatem, ſiccam tuſſim, & febrem aſſiduam. Hæc enim ſymptomata non niſi à phlegmone ſyſtrophica eueniunt, atque omnino ſunt humoris morbifici & partis obſeſſæ propria, cum ſympathia partium ſociarum & vicinarum, vt pulmonum & cordis; vnde ſicca tuſſis & febris. Nam dolor punctorius & difficultas ſpirandi, ſunt propria tunicæ coſtis intextæ, vnde contumacia thoraci infertur, & impeditur libertas ſpirandi. Atque hæc ſigna ſunt reapſe pathognomonica inflammationis pleuriticæ. Nam inflammationis ipſius, vt inflammatio eſt, inſeparabilia ſunt, rubor, calor, pulſus, renixus, & dolor. Iam verò ſyſtrophicæ omnis phlegmones duæ omnino ſunt cauſæ; vna rheuma concitatum ſiue ῥευματιζόμενον; altera autem συνιστάμενον, i. *conſiſtens*. Conſiſtens eſt humor ex affluxu collectus qui tumorē facit in parte obſeſſa, cuius conſectaria ſunt prædicta ſymptomata, magis ac minùs moleſta in ſpecie, magnitudine, more, & motu pro varia idea morbi exorti cuius natura in phlegmone ipſa conſiſtit. Eſt enim phlegmone illa ſyſtrophica quibuſdam verè φλεγμονῶδες, quibuſdā ἐρυσιπελατῶδες, nonnullis etiā οἰδηματῶδες. Exiſtit præterea phlegmone illa ἰώδης ἀκανθώδης, tum [illegible] ὁ ὑπάρχων; pro varia quam accepit forma τῶν ποιητικῶν καὶ ὑποδεκτικῶν, i. *efficientium & ſuſcipientium*, ex varia hominum natura in temperamento, complexione, habitu; & conformatione tum ex cuiuſque diæta, in victus ratione & vitæ inſtituto, tum ex temporum defectionibus in tempeſtatum alteratione, & alienatione. Nam morbi omnes veniunt, naſcuntur, principia cauſaſque ducunt: ἢ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, ἢ ἀπὸ τῶν ἐνδόθεν, i. *aut ab iis quæ extra ſunt; aut ab iis quæ intra mutilia*. Quæ duæ ſunt cauſæ τοῦ θείου, quod in quibuſque morbis accuratè diſcendum & præuidendum magiſter præcepit, non admirandum, vt quidam neoterici cenſuerunt. Nihil enim minus eſt philoſophi quàm admirari, & conſeneſcere in admiratione. Sed vt redeamus ad propoſitum.

lib. 1. de morb.

Enimuero rheumatis concitati vnde conſiſtens exurgit ad faciendam pleuritidem, triplex omnino cauſa conſiderari ſolet; humoris feritas & orgaſmus, excluſio partis potentis, & dolentis attractio. Et verò ex earum cauſarum notitia indicationes in promptu ſunt in retrahendo, reuellendo, & deriuando: quemadmodum ex perſpicientia rheumatis conſiſtentis vbi & cuiuſmodi ſit, in vacuando & detrahendo. Sed illa differentur pòſt. Nunc rheumatis concitati cauſas propalam explicemus. Ac primùm orgaſmi cauſa eſt feritas humoris ſubſtantia tenuis, qualitate acris atque maligni, & temperamento aut corruptione calidi. Excluſionis autem partis quæ continet magiſterium in eam quæ continetur. Nam partis dolentis attractio cernitur in vtraque ἀμφοτέροιν. Omnium autem cauſarum rheumatis concitati affluxus conſideratur per venam iugularem, ἄζυγον, mammariam, & thoracicam. Hinc veniunt, pleuritis ſuperior, inferior, antica, poſtica ſiue dorſalis: quæ cujuſmodi ſint vnaquæque in ſpecie & idea, tum autem quænam habeant ἐπιφαινόμενα & ἐπιγιγνόμενα, demonſtrabitur in deciſionibus ſingularum. Hoc igitur ſit veluti pleuritidis prooemiū. Nam cetera quæ pertinent ad διάγνωσιν & πρόγνωσιν pleuritidis, loco dicentur.

Ergo INTER PLEVRITICOS, QVIBVS INITIO.] Quando natura morbificis cauſis opprimitur, ac tum pleuriticus tumor primùm aſſurgit, necdum pepaſmo mitificatus eſt, necdum etiam liberalem habet nec liberam à forti naturæ contentione, ἀνακάθαρσιν, i. *expurgationem* ſputi pauca bile, aut ſanguine pauco exquiſitè permixti.

VARIÆ SVNT EXPVITIONES.] Vulgata ſcriptura legit ἔμπυοι, nos autē legendū putamus πυτίσιες, quoniā ſcripturæ affinitas eſt in vocibus ἔμπυοι & πυτίσιες, faciliſq; ex alterutra in alteram lapſus. Quæ autē affinitate vocū πλείους πυτίσιες pro ἐμπυήσιες hìc annotandæ viſæ ſunt; alibi leguntur πυτίσματα in hanc ſententiam. Atqui πυτίσιες πλείονες, ἢ πυτίσματα eadem ſignificatio eſt, idemque ſenſus. Et verò cur πυτίσιες, non autem παντοίως πλείους legendum duxerimus, cauſæ in promptu ſunt. Nam primùm τὸ ἔμπυον, i. *omnino purulentum*, non præ ſe fert ideam puris corrupti & fœdi odoris, cujuſmodi eſt ἀμοργῶδες ἢ βορβορῶδες, id eſt, *amurcoſum & cœnoſum*, quod in omni phymate nobilium partium, & quolibet morbi tempore, mortem ſubeſſe teſtatur, nec vllum promittit aut recipit allecuamentum.

lib. 3. de morb.

Mors

Mors in propinquo est. Suppuratum autem laudabile, neque tam citò fit, vt fit & appareat ineunte morbo: & cum apparet omni ex parte purulentum, non magis metum adfert sinistri iudicij quàm spem secundi. Quinetiam supparati laudabilis hæc prima lex in arte sancitur; vt omni ex parte sit purulentũ, i. æquale & album. Nam inter suppurationes thoracis atque pulmonum illæ sunt perniciosæ admodũ quæ sputo adhuc bilioso supputant, siue biliosum sputum atque pus inter se diducta, siue etiam mixta expurgentur. Sunt igitur ποικίλαι πτύσεις seu variæ expuitiones, colore & consistentia multùm variegatæ, ex pertoni affluxu rheumatis concitati, & ab excursu viscerum hypochondriacorum, tum ex afflictione partis obsessæ à rheumate consistente in quâ ex eo affluxu fit σπάδων ὁ ῥῆξις. Huiusmodi sunt expurgationes cruentæ, liuidæ, flauæ, nigræ, & fœdi odoris, quæ quidem ineunte morbo procedunt ἀπὸ τῆς ῥήξιος τοῦ φλεβίου, i. ruptione venulæ, cùm laxatus est σπάδων.

(lib. 2. progn. lib. 1. de morb. aph. 47. 4. lib 2. progn. Coac. 12. c. 7. li. 1.)

Ii tertio die moriuntur, aut quinto.] Sic 3. libro περὶ νούσων vnde vulgatam scripturam correximus. Ergo tam citò moriuntur, tamque cita mors venit: quoniam à ruptura venulæ sanguis effusus corrumpitur, bilis à iecore affusa ex labore hypochondrij tum ex feruore sanguinis, pro expurgatione inchoata, spadona infert thoraci, vnde homines suffocantur. Est etiam periculosa febris, & affluxus perennis syntimoria. Sic enim ὑπὸ σπαδόνος καὶ πνιγμοῦ ad exitium præcipitantur. Multùm etiam facit ad citam mortem, doloris acerbitas & dyspnœa. Nam desperatæ salutis propter σῆψιν & corruptionem signum est sputi varietas; vnde plurium affectionum significatio fit, inque peius res eunt.

Qvos si effvgerint.] Validarum virium beneficio, & partium spirabilium amplitudine; vnde minora omnia suppressionis, corruptionis, & dyspnœæ. Sic enim lib. 3. περὶ νούσων. ἢν ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιαίνουσιν, i. hos qui effugerint, sanantur.

Necdvm illis mvlto sit melivs.] Vt nondum morbo defuncti sint per liberalem & liberam expurgationem, vnde restituta sit libertas spirandi, ac dolor quieuerit, maneat autem ὁ πόνος, καὶ ἡ σῆψις.

Septimo, avt nono, avt vndecimo incipivnt svppvrari.] Huc pertinet quod scripsit 1. lib. de morb. Ex quo apparet τοῖς πλείστοις malè hîc legi παμπόνως; ineunte morbo. Ac suppuratum quidem illud, ab interitu semper non vindicat purulentos. Distinctiones infra positæ sunt.

2 Οἷσιν δὲ νῶτα ὁ ἐρυθρὸς τῶν πλευριτικῶν, καὶ ὁμοίως θερμαίνονται, καὶ κοιλίη ταράσσεται χολώδεα καὶ δυσώδεα· εἰκοσταῖοι καὶ τεσσαρακοσταῖοι κινδυνεύουσι. φυγόντες δὲ ταύτας, σώζονται.

Meliùs sic, ex lib. 3. περὶ νούσων.

Οἷσι δὲ τῶν πλευριτικῶν προσγίνεται τὸν νῶτον ἐρυθριᾶν, καὶ τοὺς ὤμους θερμαίνεσθαι, καὶ ἀνακαθίζοντας βαρύνεσθαι, καὶ ἡ γαστὴρ ἐκταράσσεται χλωρὰ καὶ δυσώδεα σφόδρα· οὗτοι διὰ τὴν ὑποχώρησιν τῆς γαστρὸς, εἰκοσταῖοι ἀποθνήσκουσι. ταύτας δὲ διαφυγόντες, ὑγιαίνουσι.

Quibus autem pleuriticis illud accèdit etiam vt multùm rubeat dorsum, incandescant humeri, & ipsi residendo grauentur, aluus autem perturbata viridi & multùm fœtida bile feratur; ij sanè propter eam subductionem vigesimo die intereunt: quos si effugerint, periculo defunguntur.

Plevriticorvm hæc sunt accessoria mala, dorsum rubere, humeros incandescere, residendo grauari, & aluum ferri viridibus excrementis ac fœdi odoris.

Qvibvs avtem plevriticis illvd accedit etiam.] Præter communem pleuriticorum conditionem & statum qui cernitur in dolore punctorio, spiratione difficili, sicca tussi, & febre assidua.

Vt mvltvm rvbeat dorsvm.] Ab erysipelate illic exorto, quod fecit rheuma concitatũ per venam thoracicam, vnde fit pleuritis illa quam vocat dorsalem. Ergo non sine causa, sed meritò, legendum duximus ἐρυθριᾶν νῶτον, non ἀπὸ ὠτός, vt in vulgata scriptura. Non enim video quid sit, rubere superas auriu partes, nec quorsum appareat illa coloratio ad μετάστασιν pleuriticæ materiæ per ἀπόστασιν ad parotidas, quæ sub auribus oriuntur, non supra aures. Nec verò ἀδόκιμον est authoris dicere de pleuritidis ad parotidas ἀποστάσει. Nulla enim est æquitas id comminisci dum cœpta pleuritis assurgit: sed cùm iam maturuerit, & anagogen copiosam non habuerit. Verùm hic noua quædam pleuritidis idea & forma statuitur, quæ accuratè scripta legitur lib. 3. περὶ νούσων. Ergo rubet dorsum ab erysipelate seu erysi-

(lib. 3. de morb.)

pelatosa phlegmone, quæ à coloratione rubra quam habet, non rarò ἐρυθρὸς ἢ ἐρύθημα nominatur; vt suprà posuimus in angina.

INCANDESCANT HVMERI.] Vicinia, contactu, suppressione & corruptione humoris τῷ χρόνῳ omnium calidissimi: nunc autem ἀπὸ αὐτοῦ ὄντος ἢ ὀξυτέρου calidioris & acrioris.

ET IPSI RESIDENDO GRAVENTVR.] At si diceret, si residendo maior oppressio fit quàm leuatio, in difficultate spirandi, quamuis in residendo vsitatum sit alleuamentum, etiam in peripneumonia. Sic enim fatentur peripneumonici omnes, maiore angustia thoracis atque pulmonis opprimi se in decliui decubitu, quàm in accliui. Ergo si vnde leuatio esse debet, maior fit oppressio. Id autem accidit propter σπασμὸν, & contractionem musculi serrati maioris qui ex omoplatæ basi tota interiore fertur in costarum nouem superiorum ossa, longiùs quàm in ipsarum spatia, & eius musculi qui ex inferioribus tribus colli spinis, & prima metaphreni, fertur in tria spatia costarum quatuor superiorum: contractionem autem illi musculi patiuntur dolorificam à rheumate concitato venarum & arteriarum thoracicarum, quibuscum viciniæ & societatis sympathiam habent musculi nouem omoplatæ ductores, qui omnes residendo magis laborant quàm decumbendo in contractione iniussa. Sed ea incommoda spirationis sic describuntur ab Hippocrate. Ἡ δὲ ἐν τῷ νώτῳ πλευρῖτις τῶν ἄλλων τῇδε διαφέρει· τὸ νῶτον ὀδυνᾶται ὡς ἐκ τῆς πληγῆς, καὶ στένει, καὶ ἀσθμαίνει. i. *Pleuritis dorsi à reliquis sic differt, dolor est dorsi, eiulatus, & spirationis oppressio.*

[lib. 1. progn.]

ALVVS AVTEM PERTVRBATA.] i. Proritata morsu excrementorum subeuntium, ipsáque multùm laxata: id enim significat ταραχὴ τῆς κοιλίης.

[lib. 3. de acutis.]

VIRIDI ET MVLTVM FOETIDA BILE FERATVR.] Quæ corruptione propriæ substantiæ in vitio est, quam genuit febris acuta vnde liquitur pinguis humor, & caro recens pressa, ac sanguis aduritur, vt suprà positum est in cerebro inflammato à musculis crotaphitis. Nec solùm hoc facit pleuritis dorsalis: sed etiam mictionem ciet cruentam quæ refert [illegible] quod è carnibus assis exudat, eodem planè vitio renum quo ipsum iecur fundit per aluum proluuiem saniosam. Omnino autem sympathicæ sunt illæ duæ pleuritidis dorsalis excretiones: proptereáque morbum non leuant. De viridibus autem & fœtidis deiectionibus loco dicetur.

[Coac. 15. 24. lib. 2. lib. 3. περὶ νούσων. lib. 3. περὶ ἀφόρων. & Coac. 12. c. 10. li. 2.]

II SANE PROPTER EAM SVBDVCTIONEM.] Quæ toto genere symptomatica est dysenterica, colliquamenti soboles, vnde non minùs laborant ægri quàm à dorsali pleuritide.

VIGESIMO DIE INTEREVNT.] Qui finis est acutorum morborum. Intereunt autem συντόνως morbi atque doloris, & virium exolutione, collapsis naturæ præsidiis. Quorum enim morborum συντονία est cum excretione symptomatica; ij sanè & citò vires labefactant, & citam inferunt mortem.

QVOS SI EFFVGERINT.] Validarum virium beneficio, propria crisi, & ope eorum quæ exhibentur.

PERICVLO DEFVNGVNTVR.] Restituta libertate spirandi, & œconomia naturali vnde periclitabantur dum in vitio erant. Ex quibus efficitur, symptomatum etiam fugacium calamitosa vi homines mori, nisi illa breui quiescant: tametsi eorum causa non firmiter fixa sit, sed leuiter pressa in principatu animalitatis aut vitæ.

Hæc pleuritis descripta legitur lib. 2. περὶ νούσων his verbis: *Febris detinet cum stridore & sicca tussi; expuunt viridia; nonnunquam liuida; latus dolore corripitur dorsum rubet, calet caput, pectus, venter, pedes, cruraque; residendo æger grauiùs tussit, difficiliùs spirat: aluus turbata fertur viridibus & graueolentibus excrementis. hic moritur intra viginti dies, quos si effugerit, sanatur.*

3 Αἱ ξηραὶ τῶν πλευριτίδων καὶ ἄπτυσοι, χαλεπώταται. φοβεραὶ δὲ ἐν οἷσιν ἄνω τὰ ἀλγήματα.

Siccæ pleuritides & sputi expertes; grauissimæ: terrificæ autem in quibus dolorifica sursum sunt mala.

IN MAGNA pleuritide, salutis desperatio esse solet, si nihil fiat, nihil appareat, quod systrophicæ inflammationis laxitatem adferat, vnde remissio fit grauissimorum symptomatum quæ ab ea inflammatione, dum viget, nascuntur & oriuntur. Systrophicæ inflammationis laxitatem adferunt fomentum, detractio sanguinis, & liberalis ac libera sputi expurgatio; per quam ipsa pleuritis non rarò αὐτόματος quiescit.

Ergo. SICCÆ PLEVRITIDES.] In quibus non humescunt ora pleuriticorum: sic enim præceptor loquitur lib. de morb. acut. Ad quem locum hæc scripsit Galenus. *Siccior, inquit, morbus cognoscitur multifariè: quamuis in vniuersum communis ratio sit cognoscendi. Nam peripneumoniæ, pleuritidis, omniumque adeo morborum thoracis, pulmonum, & arteriæ, siccitas innotescit quando ex affectis partibus nihil spuendo, excluditur. Hepatis autem, mesaraei, ieiuni, lienis, cæterarumque alui partium, quando vel ipsa in totum suppressa aluus est, vel non nisi coacta μετ' ὀλίγον aluo excernit, eaque dura & pilularum veruecinarum similia. Venarum & arteriarum percipiuntur sicci morbi, asperitate linguæ, & cutis squalore. Sic vlcera sicca sunt ex quibus nihil exudat ichoris: sic ophthalmia sicca, &c. Sunt autem siccæ pleuritides: quia nihil ab inflammatione exudat, vnde humescat os in spuendo.*

ET SPVTI EXPERTES.] Sputi vacuitas nō separatur nec distinguitur à sicca pleuritide, li. 3. περὶ νούσων. Hippocratis verba hæc sunt, εἰσὶ δὲ καὶ ξηραὶ πλευρίτιδες ἄπτυστοι, i. *sunt etiam siccæ pleuritides sputi expertes.* Sed parum refert. Enimuero sputi expertes sunt quando debent esse participes: quia crudæ & firmiter

firmiter fixæ; aut quia pleuriticus non satis habet animi ad ciendam thoracis concussionem, doloris metu; aut quod peius est, non sunt illi validæ vires vt fortiter concutiendo excutiat πτύαλον, quibus accedit quòd materia sæpe non est expectorabilis, tum propter contumaciam glutinosam ab ardore, tum propter efferam tenuitatem quam fumidus vapor complecti non potest, nec alæ pulmonum satis explicatæ ad liberum exitum. Atque hæc incidunt sua sponte, & prohibent ἀνάχρεμψιν. Non minora autem sunt mala quæ veniunt à diæta inconsideratè præscripta, si fortè nec iure, nec loco ptissana quamvis reapse optima, exhibeatur, quæ ex eo præpostero vsu pleuriticos primùm facit ἀσθενέας, mox πνευματίας; vnde septimo die, aut etiam celeriùs moriuntur.

GRAVISSIMÆ.] In quibus periculi summa sunt omnia. Nam χαλεπώταται καὶ ἐπικινδυνόταται idem sunt. Sunt autem grauissimæ & periculosissimę: quoniam in laxitatis vacuitate accessio fit maioris tensionis, vnde difficultas spirandi maior auget contumaciam humoris expurgandi, quemadmodum hæc rursum difficultatem spirandi; quæ duo συνυπουργοῦσιν ἀλλήλοις ἐς τὸ κακόν, i. *mutuas tradunt operas in perniciem ipsius pleuritici*, quem paulò pòst suffocat orthopnœa & stertor. Vt enim beneficio τῆς ἀνακαθάρσεως pleuritides ipsæ sua sponte quiescunt, earumque redintegratio comparatur simplex & facilis, perfecta, & sine metu relapsus; ita si careant τῆς ἀνακαθάρσεως, nihil opis adferri potest à medico quin vel illæ ad exitium præcipitent ægros, vel ipsos faciant purulentos, vel transferantur ad pulmones & ad cerebrum ipsum, vel successionem abscessuum habeant tum ad parotidas, tum ád crura; nisi eorum abscessuum vindices vrinæ sint purulentæ, abradentes, stranguriosæ, & confertim proruptæ. Quæ omnia sæpe sunt eiusmodi, vt qui habet, periculum mutare, non effugere videatur.

TERRIFICÆ AVTEM.] Quæ metum adferunt citæ mortis, aut certè sinistri iudicij, cum accessione & successione grauiorum malorum.

IN QVIBVS DOLORIFICA SVRSVM SVNT MALA.] Enimvero dolorifica sursum sunt mala quæ firmiter fixa sunt in supera regione costarum, à rheumate concitato per venam iugularem quæ alit tria spatia costarum quatuor superarum. Atque hæc pleuritis omnino terrifica est, tum specie ipsa, tum sympathia nobilissimarum partium sociarum & vicinarum. Hæc enim consortem habet sui doloris clauiculam: proptereàque sanguinem liberaliter detrahendum præcepit Hippocrates, incisa vena interiore cubiti, tum ad retractionem rheumatis concitati, tum ad detractionem consistentis. Sed dolorifica mala sursum esse dicuntur etiam, quæ habent translationem supra iugulum. Qua de re iam suprà illud positum est. *Doloris acerbitas paulisper affixa iugulo, si sursum prorepit, vel ad superiora vertitur, mortiferum infert malum*: infert enim phrenitidem; sicut pleuritis infera peripneumoniam.

75. Coac. 1. lib.

4 Πλευρίτιδες ἄνευ σπασμάτων χαλεπώτεραι τῶν μετὰ σπασμάτων.

Pleuritides auulsionum expertes, grauiores iis quæ sunt participes.

IN OMNI phlegmone systrophica nobilium partium bona est transitio quæ & laxitatem adferat partis obsessæ, & inoffensas relinquat nobiliores, neque recursum faciat humoris velut postliminio reuertentis eò vnde cursum inflectit. Ac transitio quidem in pleuritide obuiis, quod aiunt, vlnis excipienda quæ fit intus foras; tum expellendo, tum attrahendo. Hoc illud est quò spectat instituta prognosis. Est autem huiusmodi.

PLEVRITIDES.] Quarum natura iam suprà est posita in phlegmone systrophica tunicæ costis intextæ; nunc autem aliam præ se ferunt ideam in hac prognosi expressam.

AVVLSIONVM EXPERTES.] Sic Græcum illud conuerti, ἄνευ σπασμάτων, quamvis non ita bene; donec meliora Dominus. Est autem hæc δόξα præceptoris. Quæ vigent pleuritides sine vicinarum carnium spasmate, aut venarum spadone; siue illa faciat excluso phymatis pleuritici à forti naturæ contentione, siue ipsa carnium & venarum attractio. Etenim spasma ipsum fit ὅταν αἱ ἶνες τῶν μυῶν ἐπὶ πλεῖον τείνωνται, i. *cum scilicet musculorum fibræ plurimùm distenduntur*, adeo vt nonnullæ disrumpantur: quam affectionem recentiores medici propriè ῥῆγμα nominarunt. Hæc sunt Galeni ad librum Hippocratis κατ' ἰητρεῖον: quamquam nihil erat necesse huc aduocare recentiorum medicorum authoritatem super nomine τοῦ ῥήγματος, quod primus Hippocrates ei affectioni verè imposuit. Sed ea prægrandis fibrarum distentio accidit sua sponte, vel præuisa. Ac sua quidem sponte, ab iis quæ intra sunt inutilia, vel quæ adueniunt extrinsecus. Sua sponte intrinsecus accidit, quando à phymate pleuritico exudat tenuior humoris portio, sicut ab omni phlegmone systrophica exudare solet, modò partis densitas non impediat, vt in cute; ipsam verò portionem exudantis atque quodammodo expressi humoris caro ad sese attrahit, vnde fibrarum distentio quam veteres nominauerunt σπάσμα. Quinetiam venarum circumiacentium vi attractrice quæ ipsas carnes præcedunt, fit σπάδων in ipsis, & varicosæ redduntur. Sed eadem σπάσματα extrinsecus veniunt, sicut Hippocrates posuit. *Nascuntur autem spasmata, tum à laboris contentione, tum à lapsu & casu, tum etiam si quis pergraue onus leuare conetur, tum à cursu & lucta, & quæ sunt eiusmodi omnia.* Sed idem præceptor in catalogo symptomatum à traumate exortorum, spasma recenset his verbis. *Suffusiones, contusiones, distentiones & οἰδήματα, tumores sine inflammatione, à traumate fiunt.*

comment. 3. lib. 1 de morb.

ibidem.

Ergo. PLEVRITIDES DISTENSIONVM EXPERTES.] Quæ carent omni distentione venarum & carnium vicinarum, nulla expressione facta è phymate, nulláque venarum & carnium attractione.

GRAVIORES.] Periculosiores: præsertim si pleuritides siccæ maneant, & sputi expertes. Sunt autem periculosiores: quoniam in sputi vacuitate, quæ propria est crisis pleuritici, nihil est quod citam adferat laxitatem partis obsessæ, qualem adferre solet spasma vicinarum partium per transitionem exortum. Rationi autem consentaneum est vt expurgatione denegata pleuritico, in qua spes omnis vitæ consistit, retractio fiat rheumatis concitati, & consistentis detractio: quæ duo auxilia nisi præstò fuerint, tum in angusto spes est. Sed eorum auxiliorum commoda secum adferunt spasmata illa quæ in pus vertuntur; modò sint analoga pleuritico phymati. Nam de exiguis illud præceptum est. *Nonnullis cùm spasmata venarum aut carnium exigua surrexerint, non suppurat phlegmone, sed diu manet.*

IIS QVÆ SVNT PARTICIPES.] Contraria contrariorum sunt consequentia. Nam de pleuritidum exitu cum spasmate coniunctarum, hæc fuit sententia præceptoris. *Quòd si ad humerum transit dolor, cum grauitate manus, stupore & segnicie; vel si sese in venam obfirmat ad humerum dorsumque pertinens, latus repentè liberatur.* Eò spectat igitur hæc diuina prognosis vt intelligamus, pleuritides siccas & sputi expertes, tum autem in quibus dolorifica sursum sunt mala; quamvis alioqui mortiferæ videantur; ipsas tamen reddi sanabiles exorto spasmate foris in vicinis partibus, per transitum phymatis pleuritici, quem fecit attractio & impulsus. Quanquam & aliam in partem sic accipi potest.

Quod quoniam siccarum pleuritidum & sputi expertium multæ sunt causæ cur ita sint, vt suprà posuimus; nunc eam propono quæ infert desperationem salutis, ex denegata thoracis concussione ad excussionem humoris pleuritici cùm mitificatus fuerit. Non enim bona est omnis concussio. Nam sternutamenta noxia est in pleuritide. Sed ea sic habetur optima quæ loco fit, & sponte nostra tussiendo κατ' ὁρμὴν, ἢ κατὰ προαίρεσιν; i. *impetu aut voluntate.* Atque inter systrophicas nobilium partium inflammationes, illa quæ facit pleuritidem, priuilegio exoluitur partis obsessæ, cuius magna vis est in concutiendo ad tussiendum & extussiendum. Sed illa concussio si denegetur, ex illo concidit omnis spes medici & ægroti. Hinc senum pleuritides ob eam sanè causam sunt insanabiles: quia illi non habent firma latera ad expectorandum.

5 Τῶν πλευριτικῶν οἷσιν ἐν ἀρχῇ γλῶσσα χολώδης γίνεται ἑβδομαῖοι κρίνονται· οἷσι δὲ γ, ἢ δ, περὶ τὴν θ.

Quibus pleuriticis continuò lingua bile suffusa est; septimo iudicantur: quibus autem tertio aut quarto; ad circiter nonum.

ACVTORVM morborum citæ sunt crises in propria cuiusque specie & idea, vnde cita mors venit, aut victoria læta Causæ suprà sunt positæ. Nunc in pleuritide signum citæ crisis docetur, quod cernitur in lingua pleuritico humore fucata.

QVIBVS PLEVRITICIS, CONTINVO.] Simulatque dolere cœperunt ex latere, sterno, thorace: quoniam pleuritis est erysipelatodes, facilèque prorepit & exudat humor pleuriticus à rheumate consistente. Hic enim nomen ἐν ἀρχῇ significat τὴν πρώτην σὺν λῆψιν.

6.Epid. part.5.

LINGVA BILE SVFFVSA EST.] Non quidem per sympathiam τῶν γειτόνων, i. *partium vicinarum & sociarum* incendio conflagrantium, quibus est γλῶσσα ὁμόχροος, i. *lingua concolor*; sed per μετάστασιν vel διαδοχὴν bilis pleuriticæ prorepentis ab inflammata parte secundùm membranam quæ à larynge exorta, linguæ obducitur: sicut eadem gemina ligamento inde nato coniungitur, acerrimi sensus, atque illud ligamentum facit linguæ τὸ διάφραγμα, id est, *lineam medianam.* Ergo lingua sic bile fucata vti fucatur facilè; tum propter opportunitatem τῆς γειτονίας, tum propter ipsius mollitudinem & raritatem. Non enim hæc bilis suffusio referri debet ad saporem bilis amarum, sed ad colorationem ipsam. Sed illa coloratio maneat ipsa per se; neque coniunctam habeat vllam characteris aut molis mutationem; vt neque sit rigidiuscula, neque aspera, neque sicca, neque hiulca.

SEPTIMO IVDICANTVR.] Quoniam quorum morborum cita mutatio est, cita quoq; fit crisis. At cita mutatio cernitur in celeritate τῶν ἐπιφαινομένων quæ iure & loco apparent. Iure & loco apparet quæ cótinuò fit anagoge phlegmonarum systrophicarum, tam hypochondriacarũ, quàm præcordialiũ. Sic inflãmato hepate quò citiùs venit hæmorrhagia liberalis, eò res ægri meliùs cunt. Sic in pleuritide cita expurgatio libera & liberalis sputi boni, citam quoque infert crisin & simplicem & perfectam, & metuentem reuerti. Neque obstat quod alibi sancitum est ab Hippocrate. *Critica ne statim appareant.* Distinctiones suprà sunt positæ. Sed quæritur vtrum ea crisis quæ secundo incidit quaternario, lingua in pleuritide continuò bile fucata, sperabilem faciat vitæ salutem, an contrà sit desperatæ salutis. Enimvero κρίσις & τὸ κρίσιμον, secundi aut sinistri iudicij esse dicuntur, prout accessionem habent bonorum aut malorum signorum. Nam oculorum nitor eorum qui antea colorem genuinum decoremque amiserant, est κρίσιμον, i. *salutare.* Lingua autem quæ multum nigrescit, intra decimumquartum crisin fore ostendit funestam, si maneat in tali colore. Ergo si lingua bile dilutiore fucata sit, non saturata, vt æruginosa & nigra; neque ὑπὸ τοῦ πυρὸς, quod liquitur à febre acuta, sed à laxitate & sero τῆς γειτονίας, id est, tunicę costis intextę, ex qua per ipsos pulmones exudat serum biliosum quod prorepit ad linguã secundùm membranam laryngis vnde ipsa vestitur; indeque os humescat, & sputum modicabile accuratè permixtum procedat; lingua, inquam, sit fucata salutarem fore crisin denunciat. Non enim

Coac.1. c.6.lib.2.

minora

minora sunt argumenta futurarum criseωn in qualitatibus corporum, quàm in pepasmo humorum morbificorum. Sin autem lingua æruginosæ bilis & tetri vaporis, à pingui humore qui liquitur, infectione sit multùm fœdata, eademque siccior facta, primùm sit rigidiuscula, mox aspera, postremò hiulca; mortiferam fore crisin denunciat.

QVIBVS AVTEM TERTIO AVT QVARTO, AC CIRCITER NONVM.] Quoniam similiter fit à primo die ad septimum, sicut à tertio aut quarto ad circiter nonum. *Nam quæ citò humescunt* [illegible], *citam quoque crisin promittunt, tardiorem quæ serius.* Illud autem [illegible] verti *ad circiter nonum*, secutus illud quod alibi scriptum est de luxata maxilla: [illegible] i. *Atque hi moriuntur ad circiter decimum diem*, nono vel vndecimo, vt ex illo μάλιστα, interpretetur Galenus. Itaque talium pleuriticorum crisis erit nono vel vndecimo, vt apparebit lingua fucata tertiò ad nonum, quarto ad vndecimum. Tales autem pleuritici, omnes iudicantur septimo die.

(lib. 1. de acut. — lib. 2. [illegible] ἄρθρων.)

6 Πομφόλυγος δὲ ὑποπελίου γινομένης ἐπὶ τῆς γλώσσης ἐν ἀρχῇ, οἷοι σιδηρείου βαφέντος ἐς ἔλαιον, χαλεπωτέρη ἡ ἀπόλυσις. καὶ ἡ μὲν κρίσις ἀφικνεῖται ἐς τὴν ιδ, αἷμα δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πτύουσι.

(Hi [illegible] 3. [illegible])

Subliuida autem bulla continuò in lingua tumescens, qualis est ferri candentis in oleum immersi; difficulter exolutum iri morbum ostendit Atq; ipsa crisis decimoquarto venit. Ac ferè sanguis expuitur.

HIPPOCRATIS fuit iudicium, argumenta peti ex lingua ad [illegible] pleuritidis, lib. 3. [illegible]. *Præter contumacia signa in vnaquaque pleuritide, hæc etiam spectare oportet in lingua.* Deinde subiungit propositam prognosin.

SVBLIVIDA AVTEM BVLLA.] Ac si diceret, secus est de lingua bullata quàm de fucata, præsertim si bulla subliuida sit quæ inter phlyctænas & omnia exanthemata principatum obtinet malignæ cacochymiæ vnde assurgit. Est autem bulla in solido corpore, phlyctæna siue pustula velut ambustæ, [illegible] vocat Hippocrates: quemadmodum in humore ex eo circumtenso à spiritu flatulento. Excitantur enim pompholyges in liquido circumtenso à calore & flatu; stabiles quidem in crasso & glutinoso, fugaces vero in tenui. Hinc generatio spumę. Corporum autem pompholyges, [illegible], nihil refert, exoriuntur & assurgunt ex collectione venenatorum ichorum, corporis superficiem amburentium aut erodentium. Nam de ichoribus à tempestate austrina cum densis nimbis & rapido æstu natis atque collectis, illud memoriæ proditum est. [illegible] i. *Ichores suberant sub cute, qui conclusi incalescebant, pruritumque faciebant, inde pustulæ assurgebant ambustis similes.* Sed tamen eorum ichorum, atrabilarij cæteros feritate & omni qualitate maligna præcedunt. Hinc pustulæ liuentes, quæ vt [illegible] primùm eiusmodi sunt: ita non multò post, magis liuent [illegible] partis ambustæ bullatæ. Sic oculi liuent suggillatione, aut extinctione caloris viuifici.

(lib. 4. acut. — initio lib. 2. Epidem.)

Ergo. SVBLIVIDA BVLLA CONTINVO IN LINGVA TVMESCENS.] Ineunte statim pleuritide quam excitauit [illegible] siue contractio lateris velut ab ictu aut iactu impressa, vnde pleuritici apparent [illegible], i. *de cœlo tacti*, quibus liuentes bullæ assurgunt in lingua, exudante sero atrabilario per membranam laryngis quæ superinducitur linguæ, ipsáque circumtensa linguam facit bullatam atque fucatam feri colore.

QVALIS EST FERRI CANDENTIS IN OLEVM IMMISSI.] Nam ferrum fornacarium, necdum lima perpolitum cùm incandauerit, si oleo perfundatur, aut immergatur; eo circumtenso quod pingue est, bullam edit stabilem atque liuentem.

DIFFICVLTER EXOLVTVM IRI MORBVM OSTENDIT.] i. Spem in angusto esse testatur, difficilemque morbum, seu periculosum (id enim significat τὸ χαλεπὸν) tum propter humoris morbifici feritatem quæ partium substantiam labefactat, tum propter denegatam distento lateri laxitatem, vnde maioris tensionis accessio, quæ auget difficultatem spirandi: quemadmodum hæc rursum materiæ contumaciam, quæ duo afficiunt se mutuò, certantque ex æquo in ægroti perniciem.

ATQVE IPSA CRISIS DECIMOQVARTO VENIT.] Non quidem simplex nec tuta, nec recidiuæ metuens, qualis esse solet in expurgatione liberali & libera sputi boni. Decimoquarto, inquam, venit, aut inflammatio hæc systrophica in gangrænam potiùs quàm in suppuratum mutatur. Atque dies ille, terminus est inchoandæ expurgationis.

(lib. 5. aph.)

AC FERE SANGVIS EXPVITVR.] [illegible], lib. 1. de morbis. Ac talis expurgatio non est bona in qualitate sputi, aph. 47. lib. 4. quod etiam mox infrà ponetur.

7 Πτύαλον δὲ ἐν τοῖσι πλευριτικοῖσι τεταῖον μὲν ἀρχόμενον πεπαίνεσθαι, καὶ πτύεσθαι, θάσσους ποιέει τὰς ἀπολύσιας· ὕστερον δὲ βραδυτέρας.

At verò ſputum in pleuriticis, tertianum quidem inchoatum mitificari, & expui; citas facit diſceßiones: ſerius autem, tardiores.

BENE RES eunt pleuritici cui valedicit pleuritis. Vale autem dicit à forti naturæ contentione in mitificando, & expurgando inflammationem ſyſtrophicam tunicæ coſtis intextæ. Expurgatio fit per liberam & liberalem expuitionem, vnde pleuritis ipſa ſponte naturæ quieſcit, cuiſimque habet ſimplicem, perfectam, minimèque conſciam recidiuæ. Ergo quicumque pleuritici coćta citò expuunt, ſperabilem vitæ ſalutem, & certò & mox futuram oſtendunt. Atque fuit illud iudicium dictatoris de diſceſſione pleuritidis. Sic autē ſcripſit in hanc prognoſin quæ illinc deſumpta eſt. Ἔχει δὲ ὧδε περὶ ἀπαλλάξιος. εἰ μὲν τριταῖον ἄρχοιτο πεπαίνεσθαι καὶ πτύειν, ταχέως αἱ ἀπαλλάξιες, εἰ δὲ ὕστερον πεπαίνοιτο, ὕστερον καὶ αἱ κρίσιες γίνονται. i. *De diſceßione ita res habet. Si tertio die incipiat coqui & expui, cita diſceßio erit: ſin tardius coquatur, ſerior quoque futura eſt criſis.* Omnis igitur ratio defugiendi pleuritide, poſita eſt in pepaſmo & anacatharſi inflammationis pleuriticæ. Sed opportunitas pepaſmi & anacatharſeως, ad facilem, citam, & tutam curationem; in celeritate laudem habet. Nam in pleuritide celeritas etiam mora eſt: à qua, dum viget, natura periclitatur: & intolerabili doloris acerbitate, & ſumma difficultate ſpirandi. Sic in anguſto ſpes eſt. Cum igitur pleuritica tenſio & proritatio laxari debeat citò, & temperari, ad libertatem ſpirandi, & doloris vacuitatem, laxitatis & temperationis commoda ſecum adferunt, pepaſmus, & anacatharſis; quæ quò celeriùs veniunt, eò eſt ægri maior ſecuritas.

AT VERO IN PLEVRITIDIS SPVTVM.] Scopus eſt; patefacta pleuritide in ſpecie & idea, tum autem quemadmodum veniat, vbi ſtabuletur & ægrum exerceat: ſequitur vt exoluendæ ipſius rationem & redintegrandi lateris è natura egreſſi rationem indicemus. Ratio autem ſic eſt:

SPVTVM.] Excrementum illud quod è pulmonibus & thorace tuſſiendo per os excluditur, quod propriè dici poſſet expectoratum: non enim hoc loco σίαλον ſuperne aut inferne diffluentem agnoſcimus, nec verò excretionem è faucibus; illud πτύσμα; hanc vero ἀπόχρεμψιν Græci vocant: tametſi hæc nonnunquam pro ἀναπτύσει legitur. Nam quòd πτύειν idem ſignificet atque expectoratum, declarat illud Hippocratis. *Porro autem oportet ſputum in omnibus laterum, pulmonumque morbis citò & facile expui.* Idem abſolute ſcriptum laudabile ſputum indicat, ſpei plenum, & in bonis ducendum. Teſtis eſt illa ſententia. *In pleuriticis ſputum ſtatim ab initio apparens, morbum corripit: ſin autem tardiùs, producit.* Laudabilis autem ſputi deſcriptio mox infrà ponetur.

IN PLEVRITICIS TERTIANVM INCHOATVM MITIFICARI.] Quod rudimentum edit pepaſmi in bile ſputo accuratè permixta; in craſſitudine meabili, in exitu facili, & minore doloris & tuſſis moleſtia. Hæc enim ſunt pepaſmi commoda: partis afflictæ laxitas; materiæ præparatio; meatuum libertas, & fortior naturæ contentio. Nam de pepaſmo non ita pridem multa ſcripſimus in angina. Τριταῖον porro legendum duxi, non τρίτον; vt ſit pronomen denominati à die tertio ſputi, non autem numerati: ſic in hiſtoriis Epid. τριταῖοι ἐρρύησαν.

ET EXPVI.] Vnde ſignificatur vtriuſque principatus integritas atque robur, naturalis in coquendo, & animalis in expurgando. Vnde igitur vis naturæ apparet, morbique remiſſio, inde ſalus vitæ ſperabilis eſſe debet.

CITAS FACIT DISCESSIONES.] Citò excludit pleuritidem cum certis ſignis, & iuſtis cauſis: ſignis quidem, in pepaſmo qui ſemper celeritatem & ſecuritatem criſis oſtendit, ac ſemper exoptatus apparet quotieſcumque inciderit, modò viciſſitudinem non habeat cruditatis aut prauitatis. Cauſis autem, per liberam & liberalem expurgationem, cuius commoda ſunt explicata.

SERIVS AVTEM TARDIORES.] Vt enim cita concoctio & cita expurgatio citam adfert criſin: ſic tarda difficilem, inchoatam, relapſus capacem, variam, nec ita ſecuram: quoniam illa tarditas opportunitatem adimit humoris meabilis, naturæ expellentis, & liberorum meatuum. Inde pleuritis manet non ſolùm difficilis, ſed etiam ſiniſtri iudicij. *Exigua quædam ſpuebant, craſſa, paulatim cocta, vt edicta. Quinetiam quibus cum violentißimè agebatur; illis ne pauliſper quidem aderat concoctio, ſed cruda perpetuò ſpuebant.* lib. 1. Epidem.

8 Τὰ δὲ ἀλγήματα τοῖσι πλευριτικοῖσι χρήσιμον κοιλίην μαλάσσεσθαι, πτύαλον χρωματίζεσθαι, ψόφους ἐν τῷ στήθει μὴ γίνεσθαι, τὸ οὖρον ἀποῤῥεῖν. τὰ δὲ τούτων ἐναντία δυσχερέα, καὶ πτύαλον γλυκαινόμενον.

Atque hæc ſunt dolorifica mala. Pleuriticis autem prodeſt aluum molleſcere, ſputum colorari, ſtrepitus in pectore nullos edi, vrinam placidè ferri: eorum contraria difficilia ſunt, & ſputum dulceſcere.

HACTENVS de pleuritide quatenus exercet ægrotum. Nunc opportunitates pleuriticorum dicendæ quæ adferunt, quæque iuuant diſceſſionem pleuritidis, ac tollunt obſidionem ipſius, faciuntque com-

commemoratam [illegible]. Prima opportunitas posita est in superiore prognosi, quæ cernitur in pepasmo sputi, & expurgatione facili & copiosa. Cæteræ hîc sunt descriptæ his verbis.

ATQVE HÆC SVNT DOLORIFICA MALA.] i. Atque hæc in vniuersum dicta sunt de natura pleuritidis. Quæ scribendi ratio familiariter vsa est ab Hippocrate, quoties cuique historiæ colophonem imponit, sic lib. 3. [illegible] in tempestate pestifera & pestilentium morborum catalogo. [illegible] i. *Tot & tales fuere morbi qui populabantur* Et alibi passim huiusmodi multa leguntur. Sed tamen in hac prognosi loco non scripsit author. *Atque hæc sunt dolorifica mala.* Id enim debuit suprà positum esse ante illud quod in superiore prognosi adduximus ex lib. 3. [illegible] :vbi sententiæ scopum aperuimus.

Ergo. PLEVRITICIS AVTEM.] Quibus adiumentum & opem adfert natura per laxitatem & temperationem à pepasmo & anacatharsi ad ipsius pleuritidis solutionem quæ cernitur in libera spiratione, & febris atque doloris vacuitate. Et quibus pleuriticis œconomia naturæ bene constituta est; neque ipsam tædet sui officij dum venerit & absoluta fuerit ipsa crisis.

PRODEST.] Ad consequendam opportunitatem liberandæ obsidionis pleuriticæ, & redintegrandæ partis obsessæ.

ALVVM MOLLESCERE.] Duci mollibus & figuratis excrementis, vt in secunda valetudine; vnde significatio fit alui naturaliter constitutæ, non siccæ & duræ, quæque non nisi coacta laxatur, [illegible] dicunt; aut si deiectio humida sit, rarò & multùm feratur, non sæpe & parum, nec sæpe & multùm; eaque tincta modicè, in dies crassescente, cum abdomine solido & succi pleno. Qualem decisionis formam suprà expressit his verbis. *Quibus in febre, lateris dolor incidit, siquidem liquidis & biliosis aluus profusè feratur; mitescit: sin autem collapsa manet appetentia, ac tum sudores cum saturato faciei colore prorumpant, fluente aluo, & superstite cardialgia; hi cum diutiùs ægrotarint, peripneumonico modo intereunt.* Notabile est autem positum esse verbum [illegible], non [illegible]; vt omnis tollatur opinio lienteriæ, quæ nunquam bono ventris apparet. Nam [illegible] idem est quod [illegible], vt annotauimus in hæmorrhagia, ex prorrhetico & aphorismis.

(Coac. 73. lib. 1.)

SPVTVM COLORARI.] Flaua bile sputo accuratè permixta, iuxta illud: [illegible] i. *Sputum apparere oportet flauo accuratè permixtum.* Vnde significatur virtus caloris viuifici & viuacis accuratè coquentis atque miscentis, membranæ laxitas per quam exudat morbificus humor, bilis, & fortis naturæ contentio ad expurgandum.

(lib. 2. progn.)

STREPITVS IN PECTORE NVLLOS EDI.] Non eodem quidem modo quo in phreniticis parum & rarò bibentibus edi solent; arefacta scilicet œsophagi tunica, musculisque faucium in officio laborantibus, qualis difficultas visa est in Theodori vxore. [illegible] i. *Strepitus bibenti edebatur magnus.* Qua de re suprà sunt illa. [illegible] i. *Qui bibendo strepitum edunt,* &c. Et, [illegible] i. *Phrenitici rarò bibentes, idque cum strepitu,* &c. Sed à vapore fumido qui in via subsistit, neque expirat liberè, materiam verò agitat in alis pulmonum patentium explicatis, facitque vt sit tarda inspiratio, velox expiratio: sed irrita tamen, vnde ῥύγχος, i. *stertor,* & strepitus, qualis asthmaticorum esse solet.

(7. Epid. Coac. 67. & 101. lib. 1.)

VRINAM BENE FERRI.] In qualitate, copia, tempore, & excernendi modo; ex proba coctione alui & hepatis, tum ex officio partium vnde venit, venarum quà fertur, ipsorumque rerum, & vbi excipitur, i. vesicæ.

9 Αἱ δὲ χολώδεες ἅμα καὶ αἱματώδεες πλευρίτιδες, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κρίνονται ἐναταῖαι ἢ ἑνδεκαταῖαι· καὶ μάλιστα ὑγιάζονται.

Pleuritides autem biliosæ simul & sanguineæ, vt plurimùm nono aut vndecimo iudicantur: ac ferè saluti concedunt.

VERE QVIDAM illud positum est ab Hippocrate, quòd ea quæ dicuntur [illegible], prout qualitate, tempore & excernendi modo apparent: ita secundam aut sinistram crisin, ac citam aut tardam fore denunciant. Quod cum in cæteris morbis, tum verò in pleuritide locum habet, in cuius exemplo, theorematis catholici veritatem ostendit; quod illud exemplum est sanè huiusmodi vt perspicuitate & excellentia vincat res cæteras quæ sunt eiusdem generis. Atque hæc docendi ratio exculta est familiariter à dictatore in omni doctrina medendi. Pleuritidis [illegible], sputum est. Quale igitur, quemadmodum, & quando appetet; vt sunt illæ circumstantiæ: ita futuram vitæ aut morbi discessionem, idque citò aut serò planè ostendit. Ac primùm de tempore & qualitate, instituta est illa prognosis. *Quibus pleuriticis continuò lingua bile fucata est, septimo indicantur: quibus autem tertio aut quarto, ad circiter nonum.* Sed morbifici humoris species cuiusmodi sit, & quem euentum criseos habitura, in hac prognosi huius est, disertis verbis docetur. Prognosis autem velut aphorismus quidam est lib. 3. [illegible], vbi sic legitur. Αἱ δὲ χολώδεες καὶ αἱματώδεες κρίνονται ἐναταῖαι ἢ ἑνδεκαταῖαι. καὶ [illegible] γίνονται.

(aph. 12. 13. Coac. 5. lib. 1.)

Ergo. PLEVRITIDES AVTEM.] Quarum [illegible], i. *discessio,* sperabilis esse debet ab expurgatione humoris pleuritici & redintegratione partis obsessæ.

BILIOSÆ SIMVL AT SANGVINEÆ.] i. Quæ continuò, aut circa initia, siue intra primum

quaternarium expurgationem habent bilis exactè sputo permixtæ, aut sanguinis vnde illa pleuritis exorta est per systrophicam phlegmonem tunicæ costis intextæ: quamquam illud ἅμα non legitur libro de morbis. Sed in prognostico, bilis & sanguinis exactam mixtionem commendat. αἷμα δὲ ξυμμεμιγμένον μὴ πολλῷ πτύελον ξανθὸν, ἐν μὲν περιπνευμονίῃσιν ἐν ἀρχῇ μὲν τῆς νούσου πτυόμενον σωτήριον. κάρτα ὠφελεῖον. i. *Sputum verò flauum pauco permixtum sanguine in peripneumonicis inter initia morbi editum, cum spe salutis multùm prodest*, &c. Vt enim ab omni phlegmone tennior exudat portio humoris phlegmonici, modò partis obsessæ densitas non impediat, vt in cute: sic pulmo systrophica inflammatione correptus, humiditatem quandam effundit in spatia sua interna quæ sunt arteriæ asperæ, βρόγχια Græci vocant, eamque tussiendo sublatam expurgat & excreat, quæ sanè indicio est fluxionis & rheumatis concitati quod peripneumoniam excitauit. Est enim serum illius. Itaque si admodum biliosus humor est, ea flaua tantùm erit, sin autem sanguineus, rubra; quòd si ex vtroque mixtus, rubra simul & flaua. Ac talis humiditas in bonis ducenda, si facilem habet copiosumque exitum, cum accessione laudabilium vrinarum. Tale sputum promoueri debet iis quæ expurgationem iuuant, molliendo, leniendo, & sputum ciendo: non autem sanguinis detractione retrahi & impediri, quod vsuvenire videmus, non sine mœrore & nemesi, ab istis pragmaticis vulgò dictis, qui omnem pleuritidis curationem exigunt in sanguinis detractione sæpius iterata, quamdiu pleuriticus huiusmodi sputa expurgat cum spe salutis prædiuite. O homines Reipublicæ calamitosos atque funestos! Ipsam pleuritidem quæ sua sponte nullius operis indigens cum tali sputo quiesceret, ex euentu reddunt mortiferam.

Vt plurimvm nono avt vndecimo ivdicantvr.] Quorum enim morborum cita ex motu mutatio est, eorum etiam cita crisis esse solet ad interitum vel ad salutem.

Ac fere salvti conce dvnt.] Hic legitur, ὑγιάζονται μάλιστα; in lib. de morb. οὗτοι ὑγιέες μᾶλλον γίνονται, i. *sanescunt potissimùm tales pleuritici* ex anacatharsi commemorata sputi quod fit πολλαχῶς in copia & excernendi modo; sicut in qualitate bonum est, partim ob citam expurgationem a bile, partim ob facilem pepasmum à sanguine. Ac si diceret, talium pleuriticorum salus comparatur à simplici crisi perfecta, sine metu relapsus. Hæc autem opportunitas defungendi morbo, accidit aut sponte naturæ, aut comparata primùm laxitate partis & humoris, pepasmo, fotu, litu, & sanguinis detractione.

10 Οἷσι δὲ τῶν πλευριτικῶν, ἐξ ἀρχῆς μὲν οἱ πόνοι μαλθακοὶ, ἐν ἢ ς, παροξύνται μᾶλλον πρὸς τὰς ιβ ἀφικνέονται, καὶ οὐ πλεῖν σώζονται. κινδυνεύουσι δὲ μάλιστα ἑβδομαῖοι ἢ δωδεκαταῖοι. τὰς δὲ δὶς ἑπτὰ φυγόντες σώζονται.

Quibus autem pleuriticis initio quidem dolores sunt mites, ingrauescunt autem quinto aut sexto: facilè ad duodecimum vsque perueniunt: ac raró illi seruantur. Periclitantur autem potissimùm septimo aut duodecimo. Qui verò bis septem euaserint; periculo defunguntur.

Enimvero siccæ pleuritides quæ alioqui ob eam causam videntur mortiferæ, adhuc sperabilem vitæ salutem ostendunt, si accessionem habeant auulsionum siue σπαραγμάτων per transitum phymatis pleuritici intus foras. *Lingua bile fucata continuò, discessionem morbi fore denunciat septimo die, aut nono: eadem liuore bullata; mortem subesse testatur; pleuritides continuè biliosa simul & sanguinea: vt plurimùm nono aut vndecimo fœliciter iudicantur.* Secus in illis fit quæ cùm per aliquot dies in occulto latuerint, ingrauescunt sexto die, sine vlla spe laxitatis quæ per anacatharsin maximè comparatur. Hæ sunt decisiones quæ animis nostris infixæ, difficultatem iudicij ad facilitatem conuertunt super incunda prognosi de futuro pleuritidis euentu, in discessione illius aut vitæ, necnon de tempore quo euentura est illa discessio. Quæ cùm ita sint.

Qvibvs avtem plevriticis.] Quorum pleuritides continuò non sunt biliosæ simul & sanguineæ, vnde laxitas comparatur phymatis, materiæ facilis concoctio & excretio, aut principatus vtriusque, naturalis & animalis integritas denunciatur cum libertate meatuum, & explicatione alarum pulmonis. Quibus, inquam, pleuriticis hæc commoda non sunt in promptu ad exoluendam pleuritidem (id enim significat disiunctiua particula, Avtem, vt iam sæpe suprà posuimus.)

Initio qvidem dolores svnt mites.] Quia non est efferus humor, nec tēsio fortis, nec inflammatio magna. Sic febrium aliæ quidem mordaces, aliæ verò mites; ac mites quidem, aliæ increscentes, &c. Atque ex eo loco, τὸ μαλθακὸν duximus esse πρᾶον: vt quemadmodum febres illic leguntur πρηεῖς, eadem ratione dolores hîc μαλθακοὶ nominentur. Nam & τὰ μαλθακὰ inter ἀνώδυνα numerãtur, & phymata μαλθακὰ sunt ferè ἀνώδυνα: quemadmodum parotides Thasiorum, quas idem vocat ἐπάρματα χαῦνα, i. vt interpretatur Galenus, μαλθακά: sicut in illo aphorismo. Τὰ χαῦνα χρηστὰ, τὰ ὠμὰ κακά: vbi ὠμὰ vocat ἀντίτυπα. Est igitur consentaneum vt si in tensione, doloris acerbitas posita sit; in mollitudine, remissio eius consistat: propterẽáque phymatum μαλθακῶν πόνοι quoque sint μαλθακοί.

part. 18. 1. 6. Epid.

1. Epid. aph. 67. 5.

INGRAVESCVNT AVTEM QVINTO AVT SEXTO.] i. Quæ symptomatum grauiorum accessione, per ἐπιγένεσιν exortorum sunt eximiæ atque prægrandes, in dolore punctorio, spiratione difficili, sicca tussi, & febre exacerbata: idque nulla comite anacatharsi, nulla in vicinis partibus auulsione, oce lingua bile fucata, fortassis etiam liuore bullata. Ingrauescere autem diximus, non exacerbari quoniam in motu dierum imparium exacerbari ordinario paroxysmo nouum non est neque terrificum: sicut neque in parium motu. *Quæ paribus diebus aut imparibus exacerbantur, iisdem etiam iudicantur.* Sed Ingrauescere malum est in omni paroxysmo, pari aut impari. Sic febres continuæ tertio quoque die ingrauescentes, cuiusmodi sunt tritæophyæ quæ semper in paroxysmis aliquid mali adferunt; supra modum periculosæ. Sic in dierum paritate, magna semper fuit tyrannis sexti diei; vt in Philisco. Ergo si pleuritis quæ initio fuit mitis, ingrauescat quinto die, non quidem paroxysmo crisis prænuncio per anacatharsin à forti naturæ contentione, sed incremento symptomatum pleuriticorum, & accessione grauiorum malorum, vt alysmi, suffocationis, atque delirij, aut cephalalgiæ. Aut si eadem sexto die proritationem magnam habuerit contra naturam pleuritidis cuius exacerbatio fieri debet diebus imparibus, vt morborum omnium quorum materia bilis est. Tales enim morborum naturæ sunt περισσαί. i. *quæ impari dierum numero exacerbantur*, vel quæ certamine ipso naturæ & morbi; diebus imparibus fiunt, vti iam dixi, eximiæ & illustres. Hic autem sexto die vires acquirunt & ingrauescunt, feritate comparata veteris & succrescentis cacochymiæ: quoniam harum pleuritidum materia non est eiusmodi, nec tantùm bilis dominatu exortæ sunt; quò fit vt corruptionis incremento & irritamento, & lacessitarum partium complexio alteretur & immutetur, ipsaque περισσὴ vertatur in ἀρτιασμὸν, i. *imparitas in paritatem*. Sed in hac dierum paritate, calamitosa vis est sexti diei. In quo nihil χρηστὸν, nihil καλὸν, nec vlla sperabilis vitæ salus apparet: nisi alacrior fortè sit æger ante perturbationem criticam, nocte diei sexti futuram. Qua de re illud præceptum est à dictatore. *Qui febrium initiis perturbantur animo, somnis expertes, si quidem stillarit sanguis è naribus, indéque die sexto alacriores noctem exigant molestiorem, postridie autem cum sudatiuncula soporati, non sint apud se, ac sanguinem liberaliter fundant; malis omnibus defunguntur. Talia denunciat aquosa vrina.* Ac sanè tyrannis sexti diei declaratur in historia Nicodemi Abderitæ, cuius cùm παροξυσμοὶ καὶ πόνοι paribus diebus fuerint exactum ad morbum, ῥαστώνη, i. *leuatio* diebus imparibus, eáque omnia eiusmodi apparuerint per singulos ἐπισημασίας memorarit Hippocrates; ne verbum quidem vllum fecerit sexti diei, quo prætermisso, subiecit, ἑβδόμη ῥαστώνη. Atque is fœliciter morbo leuatus est 24. die. Ergo tyrannis declaratur ἐκ τοῦ ἀνυποβλήτου: quòd eo die nullus fuerit paroxysmus, nec labor, nec dolor; sed ipsa leuatio, vt septimo die sequenti. Quod sanè magnum attulit Nicodemo adiumentum.

Coac. 111. lib. 1 & aph. 43. 4. hist. 1. lib. 1. Epidem.

Coac. 92. lib. 1.

hist. 10. 3. Epid.

FACILE AD DVODECIMVM VSQVE PERVENIVNT.] Quo experiuntur crisin mortiferam, aut certè sinistram. Facilè autem perueniunt, quòd tantùm exegerint septem dies in paroxysmis atque laboribus; reuocando numerum ad πρόσθεσιν, i. ad *incrementum*, non ad historiam. Ac duodecimi quidem numerum ob eam sanè causam apposuit, quòd exacerbata pleuritis quinto die, πόνον habuerit sexto, indéque periodis parium dierum ingrauescendo, finem vitæ adferat, quam oppugnat duodecimo tanquam pari. Vt enim sexto die Philiscus interiit, sic & tales pleuritici duodecimo: quoniam eadem ratio est duodecimi ad sextum quo ingrauescere cœpit pleuritis, quæ sexti ad primum. Etenim pariter similiterque fit crisis hebdomade altera, sicut prima; ex quo scilicet morbus ex miti factus est sæuus atque prægrandis. Sic enim dierum criticorum rationem inire oportet in morbis acutis, à quo die celeriter, continenter, & vehementer moueri cœperint, non autem quo sunt exorti.

AC FERE NON SERVANTVR.] Primùm quia illi commoda non habuerunt defungendi pleuritide per anacatharsin sputi sanguinei simul & biliosi: deinde quòd sine spasmate, in sputi vacuitate prouecta est ipsa pleuriticorum quia præter paroxysmum quinti diei, πόνοι venerunt sexto, quo die nihil bene fit, & quem nulla res commendare potest præter quietem, siue ῥαστώνην, vt in Abderita ostendimus. Huc accedit quòd inueteratio causarum morbificarum quò diuturnior est, eò sæuiores adfert labores cum infirmitate coniunctos. Hic enim repentè cooriuntur intolerabiles paroxysmi, & sæui dolores: vt in phreuitico legimus, ac videmus quotidie in iis qui à morsu carnis rabiosi serius efferantur magis quam ocyùs. Postremò veterum opinio est quòd αἱ ἄρτιαι, i. *pares* sunt δυσκριτώτεραι τῶν περισσῶν, i. *difficiliorum iudicij, quàm impares*. Quod sanè si verum est in iis quorum historia recensetur in paribus ab exortu, sicut in Philisco & Pythione: multò magis veritas lucet, spenderque in iis qui ex imparibus in pares mutantur. Qua de re scripta est illa prognosis, & commentariis nostris iampridem illustrata. *Tritæophyæ febres erraticæ in pares mutatæ, sunt contumaces*, &c.

hist. 4. sect. 3. Epid. prorrh. 17. s. 2. 1. lib. περὶ χυμῶν. Coac. 37. lib. 1.

PERICLITATVR AVTEM POTISSIMVM SEPTIMO AVT DVODECIMO.] Sic legitur lib. 3. περὶ νούσων. Κινδυνεύει δὲ μάλιστα μέχρις ἑβδόμης· ἀτὰρ καὶ ἐς τὴν δυωδεκάτην. μετὰ δὲ ταύτας ὑγιαίνουσι. i. *Periculo locus est ad septimum vsque, quinetiam ad duodecimum: quibus exactis sanescunt.* Ex quo apparet septimum hic numerandum ab incremento, non à principio quod leniter exactum fuit ad quintum vsque, quo die cœpit exacerbari pleuritis & ingrauescere sexto. Nam septimus à principio, tertius est ab incremento: duodecimus autem à principio, septimus est ab incremento, quo maximè in angusto spes est. Nam quod Galenus ait exacerbationes quinti diei, non duodecimo, sed decimoquarto finiri, quòd duodecimus quamvis à quinto septimus, nullam iudicandi vim habeat; pertinet id propriè ad morbos acutos qui exacerbantur diebus imparibus. In ἀρτιασμῷ autem morborum, quorum παροξυσμοὶ καὶ πόνοι cadunt in pares, penes duodecimum ius est non tam vitæ quàm necis: quemadmodum penes decimum: qui tamen iudicandi vim tollit Galenus à paroxysmo tertij ac diem criseos diei vndecimi: quod verum est in paroxysmis imparibus. Sed Pythion Thasius decimo die vitam finiuit, de quo illud narrat præceptor ad finem historiæ. ἐν ἀρτίῃσιν αἱ περὶ τούτων.

lib. 3. progn.

Qui vero bis septem evaserint, periculo defunguntur.] lib. 3. περὶ νούσων ita scriptum reperio. Αἱ δὲ ἐξ ἀρχῆς μὲν μαλθακαί, ἀπὸ δὲ τῆς ἑβδόμης καὶ ὀγδόης ὀξεῖαι γίνονται, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κρίνονταί τε καὶ ὑγιαίνουσι, i. *Quæ verò circa initia quidem mites, à septimo & octauo acutæ fiunt, ad decimumquartum feliciter iudicantur.* Ac decimiquarti magna laus est in crisi secunda. Tumque pleuritides obtinent anacatharsin, aut vertuntur in suppuratum. Quod autem in hac prognosi positum est, exactis quatuordecim diebus, qui manent superstites, periculo mortis defungi; verum quidem illud est etiam: quia cùm illi validarum virium beneficio, symptomatum calamitatem pertulerint, sæuosque insultus fregerint; credibile est superstite adhuc virium robore & symptomatum remissione, qualis esse solet post decimumquartum, ipsos triumphare de morbo, ac tandem sanescere cum salutaribus signis & causis.

11 Ὁκόσοισι τῶν πλευριτικῶν ψόφος τοῦ πτυάλου πολὺς ἐν τῷ στήθει, καὶ πρόσωπον κατηφὲς, καὶ ὀφθαλμὸς ἰκτερώδης καὶ ἀχλυώδης· ἀπόλλυνται.

Quibuscumque pleuriticis multùm in pectore sputum perstrepit, vnáque facies plena mæroris, & oculus ictericius atque caliginosus: moriuntur.

Sequitur vt patefacta omni pleuritidis causa terrifica, deinceps dicamus de signis quæ certam » desperationem vitæ ostendunt, ac mortem in propinquo esse denunciant. Firmiora sunt argumenta dis» cessionis vitæ aut morbi quæ ducuntur è signis quàm è symptomatis. Nam è symptomatis crebra sæpe nascitur, vt tempestatum, sic opinionum varietas. At certè signorum constans & firma debet esse prognosis in alterutram partem. Nec vlla excusatio medici accipienda qui de signis errauit in prænoscendo. Est igitur catholicum theorema huius prognoseos. Si ad desperationem curationis ex vacuitate anacatharseos, accesserint quoque signa trium principatuum collapsorum, naturalis, vitalis, & animalis; nulla salus vitæ sperabilis esse potest, cùm ipsa morbi calamitas ad inferendam mortem sufficiat, etiam firmis adhuc naturæ præsidiis.

Coac. 3. huius c. Quibuscunque pleuriticis.] Qui expurgationem facilem & copiosam non habuerunt; aut si habuerint, tandem subsistit ab infirmitate laterum per nimiam detractionem sanguinis, vel alias ob causas quæ sunt explicatæ in sicca pleuritide & sputi experte.

Multum in pectore sputum perstrepit.] Vel multus auditur in pectore strepitus atque ῥέγχος, à fumido vapore qui non expirat liberè, materiam verò agitat, nec eam tussiendo sublatam expurgat & excreat: sed illa in via subsistit, feruetq. & strepitum edit in ima larynge, vbi cumulata suffocationem infert. Ergo inde pleuritici moriuntur ὑπὸ τῆς ὀρθοπνοίης, καὶ τοῦ ῥέγχους [illegible], i. *à spiratione recta & stertore necati.* (lib. 1. acut.) Atque in hac strepitus & stertoris afflictione nulli remedio locus est, ne oxymelliti quidem; quamuis accommodatissimum sit expurgandæ pleuritidi. Hic enim sputum ciendo, nec excludendo propter infirmitatem lateris, oppressionem facit vnde pleuritici celeriùs opinione moriuntur. Id autem cernitur in iis [illegible], *i. qui cùm aliàs mortiferè habent: tum tussiendi & excreandi quæ continentur, sunt impotentes.* (lib. 3. acut.) Sed inter commoda pleuriticorum quæ adferunt aut iuuant discessionem pleuritidis, iam illud suprà positum est, vt nulli strepitus edantur in pectore. Quod beneficium τῶν ψόφων ἀσυμβαινόντων, facilè perniciem indicat τῶν ὑπαρχόντων. (Coac. 2. huius c.) Hoc autem pertinet ad infirmitatem principatus animalitatis, quæ cernitur in thoracis concussione multùm imbecilla.

Vnaque facies plena moeroris.] Cui contrarium est πρόσωπον ἐρρωμένον, i. *facies succi plena atque decora.* Est autem plena mœroris, aut quia miserationem adfert amicis atque propinquis, quòd sit cadauerosa, qualis in cadauere cernitur pallida & collapsa & omnino à se mutata in colore, charactere & mole; aut quia mœstitiam pleuritici arguit demissa facies & vultuosa, qualis est eorum qui sibi malè sunt conscij & quos pudet malè gestæ rei, aut melancholicorum esse solet, vt Thasiæ mulieris quam Hippocrates vocat δυσάνιον ex atræ bilis magisterio & dominatu, quæ facilem habuit generationem ex sanguinis æstu quo multùm incanduit, vnde primùm facies visa est egregiè colorata. Qua de re illud iam suprà positum est: *Egregiè colorata facies & vultuosa, pestifera* &c. (Coac. 3. c. 5. li. 1.)

Et oculus ictericius.] i. Qui suum nitorē decoremq; amisit, fucatus flauo colore, & multùm fœdatus; quę coloratio fœda, primùm apparet in oculis, quòd illi puritate natiua cæteris partibus antecellant. Sunt enim margaritarum & gemmarum apertiores maculæ quàm silicum obscurorum.

Et caliginosus.] Ab ipsa caligine quā facit impuritas & obtenebratio, vel spiritus visifici & proprij oculorum luminis, vel humorum τὰ ὁρατὰ, *i. aspectabilia* excipientium, vt in iis velut caliginis quædam suffusio esse videatur tum ipsis ægrotis, tum medicis atque propinquis oculos intuentibus.

Moriuntur.] Per theorema quod suprà posuimus. Nam desperatio est curationis in strepitu pectoris. Collapsorum autem principatuum & virium effœtatum signa sunt, animalitatis quidem motricis, in concussione thoracis imbecilla aut nulla; sensificæ, in caligatione & obscuritate visus; naturalis, in ictero; vitalis, in facie mœsta, demissa & vultuosa, ex paupertate viuifici nectaris quod à corde tanquam ab vbertimo fonte procedit, vnde partes omnes colorem genuinum atque decorem tuentur, vel amissum recipiunt.

12. Οἱ ἐκ πλευριτικῶν ἔμπυοι γενόμενοι, ἐν τῇσι μ΄ ἡμέρῃσιν ἀνακαθαίρονται ἀπὸ τῆς ῥήξιος.

Qui è pleuriticis facti sunt purulenti; quadraginta diebus à rupta vomica expurgantur.

QVI E PLEVRITICIS.] Quorum pleuritis neque diæta, neque fomentis; nec sanguinis detractione, nec aluo prorupta quieuit, caruitque libera & liberali anacatharsi. Atque illud fuit præceptoris iudicium super mutatione inflammationis pleuriticæ in suppuratum, quod scripsit Galenus, μέσον τι εἶναι τῶν τε ἰωμένων ἐν τάχει, καὶ τῶν ἀνιάτων, i. *medium esse quippiam sanabilium & insanabilium.* Cùm enim phlegmonatum omnium systrophicarum quadruplex omnis mutatio, partim κατὰ λόγον τῆς φύσεως, partim παρὰ λόγον, i. *conuenienter naturæ aut contra naturam* suscipiatur & fiat; ac conuenienter quidem naturæ, diaphoresi & supputato, contra naturam autem, gangræna & scirrho, vt concedam verè illud positum esse: tamen interiorum phlegmonarum suppuratio ancipitem habet euentum salutis aut mortis. Notum est illud quod suprà positum est: *Quibus hypochondriorum aut thoracis mala suppurant, pestiferum.* Nam suppuratum venit nisi morte præueniatur, quando pleuriticæ phlegmonês vacuatio deest. Ac suppuratum illud, suffocationis aut etiam tabis metum adfert nisi expurgetur cum febris & sitis vacuitate, & cum accessione bonorum omnium signorum naturalis œconomiæ: alioqui parotides oriuntur vel abscessus crurales, nisi profluuio alui, aut perirrhœa vrinæ, periculi causa tollatur. Ergo periculo locus est in supputato: præsertim si fiat sputo adhuc bilioso, siue illud sputum biliosum atque pus inter se diducta, siue etiam mixta expurgentur. Atque id locum habet cùm aliàs, tum si à tali sputo suppuratum fiat, ægroto septimum morbi diem agente. Hunc enim talia expuentem credibile est decimoquarto die interiturum, nisi quid interea boni obtigerit.

coac. vlt. c. 5. lib. 2. — lib. 2. progn.

FACTI SVNT PVRVLENTI.] Quod expurgari non cœperint intra decimumquartum morbi diem, qui finis est acutorum morborum in viscerum phlegmone systrophica positorum, vt aliorum etiam. Purulentos autem fieri dixit, per transitum phlegmones in suppuratum. Sic enim loquitur, ὡς ἐμπύημα μεθίσταται. Ac μετάστασις quidem illa fit in iis qui validarum virium beneficio, pleuritidis paroxysmos atque labores, sine vlla ope vacuationum pleuriticarum, ad eum vsque in diem pertulerunt. Sed illud empyema duobus modis considerari solet. Primus suppurati modus est, pure intra vomicam concepto, quòd statim febrem habet cum rigore coniunctam qui antè non fuit, & pro dolore punctorio & acerbo sensionem infert grauitatis in ea parte obsessa quæ laborat. Illa sunt empyemata quæ scripsit Hippocrates rigorifera. *Qui aliunde cientur rigores, fortasse ab vlceribus veniunt, sicut à vasis.* Ac si diceret quemadmodum in febribus essentialibus rigores critici & periodici exoriuntur à vasis: ita quoque symptomatici ab vlceribus: vbi Galenus docet non solùm ab vlceribus: sed etiam ab apostematis in pus mutatis rigores excitari. Idem Galenus author est, phlegmonas omnes nobilium partium, nisi præsidiis digerantur, sed in suppurationem vertantur, horrorem ciere: quoniam nascentis puris acrimonia mordens vicina corpora, horrorem producit eodem planè modo quo solent acria medicamenta. Nos quoque id iam demonstrauimus ad prognosin illam: *Frequens sudatiuncula & horroris vicissitudo, pessima,* &c. Sed alia quoque occurrit distinctio empyematis, ἢ τῶν ἐμπύων, i. *purulentorum.* Huiusmodi enim sunt etiam quibus effusum pus est in spatium thoracis, rupta vomica. Tales memorantur in illa prognosi. *Omnes quidem purulentos ita deprehendi oportet; primùm si febris non dimittit, eaque interdiu leuior est, noctu intrescit; frequens sudor, tussis & cupiditas tussiendi, vbi tussiendo penè nihil extussitur, oculi caui fiunt; malæ rubent; vngues adunci; calor extremorum digitorum, pedum œdemata, cibi fastidium; pustulæ toto corpore sparsæ.* Tales etiam legere & intelligere oportet in illo aphorismo. *Quicumque purulenti vruntur, siquidem pus album & purum fluat, seruantur,* &c. Vbi Galenus annotauit, empyema nomen esse commune omnium corporis partium suppuratarum; τὸ δὲ ἐμπύων, propriè ad eos pertinere quibus inter pulmonem & thoracem collectum pus stabulatur.

aph. 8. 5. — libr. 2. progn. — part. 3. 6. Epid. — lib. 2. progn. — Coac. 10. lib. 2. — lib. 2. progn. — 44. 7.

QVADRAGINTA DIEBVS EXPVRGANTVR.] Sic in aphorismis. *Quicumque ex pleuritide purulenti facti, siquidem expurgandi sui finem fecerint quadraginta diebus quiescunt, à quo die ruptio sit: sin minùs, in tabem vertuntur:* quoniam puris diu stabulantis acrimonia, quam ipsi putredo intulit, erosi pulmones vlcerantur, in quorum vlcere nascitur phthoë quæ phthisin facit, vlceris edacitate, febris corrumpentis assiduitate, & spiritus quem ducimus infectione, & tabifica vi quam ipsi pulmones impertiunt. Terminum autem posuit anacatharseos, quadragesimum diem; quia hic finis est acutorum morborum ἐκ μεταπτώσεως. Est autem μετάπτωσις ipsius pleuritidis in suppuratum.

15. 5.

A RVPTA VOMICA.] Siue illa rumpatur vigesimo, siue trigesimo, siue quadragesimo, siue etiam sexagesimo. Ruptionis autem signa iam dicta sunt ex Hippocrate in prognostico.

13 Πτύελον δὲ χρὴ πᾶσι τοῖσι πλευριτικοῖσι καὶ περιπνευμονικοῖσιν, εὐπετέως τε καὶ ταχέως ἀναπτύεσθαι, μεμῖχθαι δὲ τὸ ξανθὸν ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ.

Verumenimuero sputum oportet pleuriticis omnibus & peripneu-

monicis, tum ex facili; tum citò expurgari, ac flauum sputo exactè permixtum.

QVEMAOMODVM in angina demonstratum est nuper: sic in pleuritide & peripneumonia nunc demonstrandum; quod in iis etiam mortifera sunt omnia quæ dolorificum malum foras non edunt, nec aspectabile faciunt. Enimuero dolorificum malum anginæ, foris apparet screatu, & erysipelate in sterno atque ceruice; pleuritidis autem, anacatharsi & spasmate. Atque vt inter anginosos, qui cocta citò non expuunt, pro desperatis habentur: sic inter pleuriticos, qui carent anacatharsi libera sputa boni, grauissimum habent malum, sicut præceptor suprà iam posuit his verbis: *Siccæ pleuritides & sputi expertes, grauissimæ.* Ne longum faciam; in magna pleuritide, sicut in angina, salutis desperatio est si nihil fiat, nihil appareat, quod systrophicæ inflammationis laxitatem adferat, vnde remissio sit grauissimorum symptomatum.

Coac. 15. c. 24. li. 2.

Ergo. VERVMENIMVERO.] Ac si diceret; vt pleuritis grauissima discessionem habeat, & redintegratio fiat lateris inflammatione obsessi, per simplicem & veram crisin perfectam minimèque obnoxiam recidiuæ, ac sine metaptosi empyematis, parotidum, abscessus cruralis, aut stranguriæ à purulenta vrina.

SPVTVM.] i. Excrementum illud quod è pulmonibus & thorace, tussiendo, per os excluditur, quod propriè dici posset expectoratum. Id sanè κατ' ἐξοχὴν absolutè vsurpatum, sæpe in bonis dicitur, vt suprà iam scripsimus ex aphorismis.

Coac. 8. huius c. aph. 12. 1.

OPORTET PLEVRITICIS OMNIBVS ET PERIPNEVMONICIS.] In prognostico ita scripsit. Ἐπὶ πᾶσι τοῖσιν ἀλγήμασι τοῖσι περὶ τὸν πνεύμονα καὶ τὰς πλευράς, i. *In omnibus malis dolorificis quæ latera & pulmones infestant.* Hæc autem dolorifica mala sunt pleuritis & peripneumonia: pleuritis, costarum seu tunicæ costis intextæ: peripneumonia, pulmonis, vt infrà dicetur; de pleuritide dictum est suprà.

TVM EX FACILI.] i. Liberè & liberaliter sine tussis molestia, ac sine doloris acerbitate: comparato sputi pepasmo, virtute caloris natiui, vnde crassiusculum factum, meabile fit, & morem gerit thoraci concutienti se ad exclusionem. Nam in sputo tenui nulla expurgatio critica, sed ptyelismus tantùm: in glutinoso tussis & doloris molestia, & irrita thoracis concussio. Pepasmi autem commoda sunt hæc; partis afflictæ laxitas, & materiæ præparatio in crassitudine meabili & exitu facili, tum ipsa libertas meatuum, & fortior naturæ contentio. Ergo ex libera & liberali anacatharsi, vtriusque principatus
» integritas planè ostenditur; naturalis in coquendo, & animalis in expurgando. Vnde igitur virtus natu-
» ræ apparet, morbique remissio, inde salus vitæ sperabilis. Apparet autem in eo expurgandi modo quem fieri scripsit εὐπετέως, i. *ex facili.*

aph. 12. 1.

TVM CITO EXPVRGARI.] Non quidem citò, in actione cita, & spatio tussi coniuncto dum expurgatio ipsa cietur: sed morbi ipsius principio, quod primo absoluitur quaternario; vt idem sit hoc loco ταχέως, quod in aphorismis αὐτίκα. Quæ cita expurgatio cuiusmodi sit, declarata iam fuit in illa prognosi. *At verò sputum in pleuriticis, tertianum quidem cœptum mitificari & expurgari, citas facit discessiones: serius autem, tardiores.* Ex quo apparet, illud ταχέως in hac prognosi positum, non quidem expurgandi celeritatem & spatium quo sputum expurgationi coniunctum est: sed definitum morbi principium indicare. Debet igitur citò expurgari pleuritis, vt tensioni & proritationi laxitas & temperatio comparetur, ad libertatem spirandi, atque doloris, & febris vacuitatem; quæ quò celeriùs veniunt, eò res ægri meliùs eunt. *Expurgari* autem vertimus, quod scripsit author ἀναπτύεσθαι, quoniam expurgationis & expuitionis eadem ratio est. Ac τὸ ἀνακαθαίρεσθαι idem est quod ἀναπτύεσθαι. Sic enim Galenus in aphorismis. τὴν διὰ τῶν πτυσμάτων κένωσιν, τῶν τὴν πλευρῖτιν ἐργαζομένων χυμῶν, ἀνακάθαρσιν οὕτως ὀνομάζει ὁ Ἱπποκράτης, i. *Vacuationem per sputa, expurgationem humorum pleuritidem facientium Hippocrates appellaut.*

Coac. 7. huius c. aph. 8. 5.

Quod sequitur. AC FLAVVM SPVTO EXACTE PERMIXTVM.] Pertinet ad qualitatem sputi laudabilis, cuius commoda iam sunt explicata in tempore & expurgandi modo. Est igitur sputum laudabile, & spei plenum; cui flauum exactè permixtum est. Ergo sputum mixtionis expers, natura non est flauum, sed album: cuiusmodi esse debet quicquid expuitur cum integritate partium vnde manat; cerebri, oris, faucium, palati, gutturis, pulmonum, atque thoracis. Ac sputum ἁπλῶς dictum, saliua, πτύσμα, & πτύελον; significat pituitam albam quæ vel spuendo, vel exscreando, vel extussiendo purgatur: χρωματώμενα verò dicitur flauum, cruentum, viride, nigrum, &c. Flauum autem sputo exactè miscendum
» præcepit: quia inde significatur humoris morbifici vacuatio, & inchoata coctio, victrice natura, cuius
» proprium munus est coctio atque mixtio.

14 Πονηρὸν δὲ καὶ τὸ ξανθὸν ἄκρητον, καὶ τὸ γλίσχρον, καὶ λευκὸν, καὶ τὸ στρογγύλον. καὶ τὸ χλωρὸν σφόδρα, καὶ τὸ ἀφρῶδες, καὶ τὸ πελιῶδες, καὶ ἰῶδες. χεῖρον δὲ καὶ τὸ οὕτως ἄκρητον ὥστε μέλαν φαίνεσθαι.

Prauum est autem & flauum syncerum, & glutinosum, & album atque rotundum, & viride multùm, & spumosum, idem liuescens

&

& æruginoſum. At peius illud quod ita merum eſt vt nigrum appareat.

ENIMVERO medicus nunquam errat in prænoſcendo, qui ex perſpicientia τῶν φαινομένων cauſarumque cur ſic appareant, prognoſin inſtituit. Nec minus in bonam partem cognoſcitur qui exiis, tanquam è ſpecula, præuidet futuros morborum exitus, quamuis parum ſecundos, quàm qui natura duce medicinam adhibet ad præuiſam ægri ſalutem. Sanè in pleuritide & peripneumonia ſputum flauo exactè permixtum, quodque citam & facilem habet ana catharſin, recreat medicum & conſolatur ſpe certa ſalutis; ac tum iuuat, medicum ſpei plenum videre, celerem multùm atque fidelem, alacriter & vultu ſereno medicinam pleuritico facientem. Sed triſte eſt etiam, eundem intueri metu exterritum ſiniſtri iudicij, ſimulatque viderit & intellexerit quæ in hac prognoſi leguntur.

PRAVVM EST AVTEM.] i. Affectionis malæ ſignum & cauſa vt certè vacuationes omnes prauæ prauarum quoque affectionum ſigna ſunt: vt rectè Galenus poſuit ad aph. illum: *Expurgationes in febre liuida, nigra, biliosa, cruenta; omnes omnino mala: quæ verò conuenienter ducuntur, ſalubres: at nulla ſalubritas videri poteſt in expurgatione ſputi meri, nec vnquam conuenienter expurgatur.* Omnia verò hic ſcripta, in prauis ducuntur: quoniam prauarum affectionum, ne dicam lethalium, ſigna ſunt, vt in ſingulis demonſtrabitur. [aph. 47. 4.]

ET FLAVVM SYNCERVM.] Quod ſcilicet expectorabili pituitæ non eſt permixtum, idemque caret naturali ſero quod naturaliter vnuſquiſque humor diluitur. Non enim ſolum id merum eſt excrementum quod aliis non permiſcetur: nam & pituita mera, & bilis mera, ex eodem foco, eodemque tempore, excludi poteſt: ſed illud verè eſt merum, quod eſt ἄμικτον ὑγρότητος ὑδατώδους: qualis fuit ſanguis Philiſci, quem vocat ἄκρητον αἷμα. Fit autem bilis mera exhauſto ſero à febrili ardore, cuius quidem ſeri participatione fuerat antea ὠχρά; nunc eo deſtituta, redditur flaua & vitellina. Sic enim Galenus bilem ſuo ſero dilutam naturaliter conſtitutam agnoſcit, eamque nominat bilem ἀκρατον, qualis ὠχρά. Cætera bilis genera idem ἀκρατα appellat, vt bilem flauam, vitellinam, porraceam, æruginoſam, &c. quæ omnia habent exhauſtum ſui ſeri [illegible]. [Gal. ad aph. 6. & 25. lib. 7. hiſt. 1. 1. Epid.]

ET GLVTINOSVM.] Quod eſt commune omnium excrementorum craſſorum quæ fiunt γλίσχρα καὶ δύσλυτα, in morbis quidem acutis, à febrili ardore; in frigidis, à crudore. Sunt autem praua glutinoſa: propter contumaciam qua & difficulter excreantur, & plus adferunt detrimenti in excreando, quàm adiumenti. Non enim hæc dolorificum malum ſotas adducunt: ſed augent damnis ægrotum. Talia autem vocat præceptor [illegible]. [lib. 1. & 3. acut.]

ET ALBVM ATQVE ROTVNDVM.] In prognoſtico coniunxit glutinoſum cum albo atque rotundo. Prauitas ergo ſputi albi, rotundi, & glutinoſi, cernitur primùm in ſumma difficultate ſpuendi, vnde maior eſt doloris & tuſſis moleſtia, cum coëunte vitio contumacis materiæ, & ſpirationis difficilis quæ tuſſiendo augetur. Tum illa deſcripta ſputi huius conditio, opinionem facit peruſti humoris ab æſtu & ardore quo pars ipſa, vnde ſputum venit, conflagrat. Quæ cauſa eſt cur alibi de ſputo rotundo prognoſin ita ſcripſerit: Τὰ στρογγύλα πτύσματα [illegible]. *Sputa rotunda, inquit, delirua indicant.* Ad quem locum ſcripſit Galenus: *talium ſputorum cauſam materialem, eſſe craſſitudinem & lentorem humoris in bronchiis pulmonum cumulatè collecti, efficientem verò, immoderatum calorem.* Ex quibus efficitur, ſputi huius prauitatem conſiderandam in ſigno & cauſa. [parte 3. 6. Epid.]

ET VIRIDE MVLTVM.] Non quidem ὠχρόν, quod eſt bilis pallidæ & multùm dilutæ, vt exiſtimauit. Galenus ad illam prognoſin: [illegible] χολώδεις, quod ſuprà iam caſtigauimus. Nec verò bilis ὠχρά multùm diluta, eſt mera, nec expuitio eius terrifica (ſicut neque lingua in pleuritide, illa bile fucata) ſed læta & ſalutaris, vt iam poſitum eſt in illa prognoſi. *Quibus pleuriticis, continuò lingua bile fucata eſt, ſeptimo iudicantur* Sed illud [illegible] i. *multùm viride*, idem eſt, quod æruginoſum; vt ipſe fatetur Galenus in prognoſtico. Atq; huius bilis multùm viridis & æruginoſæ cauſa materialis, flaua eſt; efficiens verò, calor adurens, & ſerum exhauriens. Ex quarum cauſarum perſpicientia, prognoſin illam ſcripſit Hippocrates. [illegible] i. *Vomitiones æruginoſæ cum vigiliis & ſurditate; inſaniam cito venturam oſtendunt.* Vbi Galenus docet, excrementum illud ἰῶδες, vndecumque veniat & quacumque excernatur, humoris vnde gignitur, & partis vnde manat, ardorem denunciare. Quam ſanè prognoſin idem præceptor expreſſit ex hiſtoria de Philiſta, cui cùm primo die talis vomitio contigiſſet, ſecundo ſub meridiem è poteſtate mentis exiuit. Sic phreniticum legimus quo die primùm phrenitis emicuit, ἰῶδεα vomuiſſe. [part. 5. 6. Epid. Coac. 5. huius c. lib. 2. progn. prorrh. 10. [illegible] hiſt. 1. part 2. 3 Epid. hiſt. 4. 1. Epid.]

ET SPVMOSVM.] i. Bullatum, obortis bullis in circumtenſo humore, vi caloris contra naturam; & quò minutiores ſunt bullæ, propiuſque illud ſputum ad æqualitatem accedit; eò peius. Nam vetus illud præceptum eſt; æqualitatem in rebus naturaliter conſtitutis, optimam; in aliis verò quæ contra naturam ſunt, peſſimam. [lib. 2. progn.]

ITEM LIVESCENS.] Liuet enim perfrigerata parte, perfrigeratur emortua, emoritur autem per extinctionem viuacitatis in vitali principio, & paupertatem viuifici nectaris à corde exhauſto; atque illud liueſcens, eſt fœdi odoris ab ea cauſa liuoris.

AT PEIVS ILLVD QVOD ITA MERVM EST, VT NIGRVM APPAREAT.] Senſus eſt. In eo demum ſputo prauitatis ſumma ſunt omnia, quod eſt quàm maximè merum. Huiuſmodi eſt nigrum. Sed alia partium ratio eſt nigratum & liuidarum, quas nonnumquam præſtat nigreſcere, quàm liuere. Nam illa nigricies in morbis acutis ſæpe accidit ex abſceſſu, liuor nunquam, ſed à νεκρώσει vniuerſitatis. Atque in nigricie, periculi locum tollit partis exectio.

15 Τὸ δὲ ὕστερον πολλῷ τῆς ὀδύνης ἀναγόμενον ξανθὸν, ἢ μὴ ἰσχυρῶς μεμιγμένον, καὶ πολλὴν βῆχα παρέχον κάκιον γίνεται.

Quod autem multò pòst quàm dolor cœperit, flauum educitur, aut non exactè mixtum, quodque multam exhibet tussim; peius est.

Totvm hoc, pars est prognoseωs decimætertiæ quæ omnem continet rationem sputi laudabilis in qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. Est autem veluti antithesis notarum omnium prædictarum. Quod enim serò expurgatur, contrarium est eius quòd citò: flauum opponitur pallido: mixtum exactè, parum & leuiter: quod item multam exhibet tussim, ei quod ex facili expurgatur, sine vlla tussis molestia, & sine maioris doloris accessione. Iam verò si nota sunt nobis perspectáque commoda expurgationis citæ, facilis, & sputi exactè permixti; profectò in promptu sunt incommoda tardioris, difficilis, & sputi impermixti, aut certè non accuratè, nec fortiter & exactè. Contraria enim contrariorum sunt consequentia, vt author est Plato in Eutyphrone. Sufficiet igitur explicasse rationem notarum sputi laudabilis, & expurgationis naturaliter constitutæ. Nam τὸ κατὰ φύσιν, καὶ τὸ κατόρθωμα. i. *quod secundum naturam est & quod rectum*, scopus est omnium quæ in medendo sunt. Inde enim comparatur διάγνωσις καὶ ἐπανόρθωσις τῶν παρὰ φύσιν, i. *cognitio & redintegratio rerum è natura egressarum.* Ergo nihil necesse est plura de his scribere.

16 Αἵματι δὲ μὴ πολλῷ συμμεμιγμένον τὸ ξανθὸν, ἐν ἀρχῇ μὲν σωτήριον. ἑβδομαίῳ δὲ ἢ παλαιοτέρῳ ἧσσον ἀσφαλές.

Meliùs sic in prognostico.

Αἵματι δὲ ξυμμεμιγμένον μὴ πολλῷ πτύελον ξανθὸν ἐν τοῖσι περιπνευμονικοῖσιν, ἐν ἀρχῇ μὲν τῆς νόσου πτυόμενον, περιεστηκὸς κάρτα ὠφελέει. ἑβδομαίῳ δὲ ἐόντι, ἢ παλαιοτέρῳ ἧσσον ἀσφαλές.

Sputum verò flauum pauco permixtum sanguine, peripneumonicis ineunte quidem morbo editum; salutare est, multumque confert: septimum verò diem agenti, aut prouectioribus; securitatis minus est.

Vtraqve lectio vera est & Hippocratica; tum anacatharsis commemorata æquè pleuriticis atque peripneumonicis accommodata. Sed quoniam illius commoda iam suprà in pleuritide sunt demonstrata, consentaneum est vt parem commoditatis rationem in peripneumonia ostendamus, eodem duce in prognostico. Quæ cùm ita sint, ad peripneumoniam, huius prognoseωs philologiam & philo» sophiam conuertemus exorsi ab hoc theoremate. Omnis anadrome quæ liberam non habet exclusio» nem, ibi morbum facit vbi subsistit. Sic enim sanguis multa & effera bile perfusus, translatus ad caput, nisi exitum citò habeat per hæmorrhagiam; pataphorica in cerebro edit symptomata. Idem in pulmonibus de cursu subsistens peripneumoniam facit per inflammationem systrophicam quæ partis ipsius quam infestat nomen sibi adoptat. Cuius descriptio sic legitur apud Hippocratem: *Huiusmodi sunt*, inquit, *quæ facit peripneumonia. Nam febris acuta exercet ægrotum, ac spiritum crebrò ducit, calidumque expirat, infœlix animi & incertus, nec sui compos, & stare loco nescius. Ac dolor sub omoplata qui prorepit ad iugulum & ad mammam. In pectore grauitas, nonnumquam delirium quoque ipsum.* Quæ omnia symptomata sunt inflammati pulmonis consectaria. Inflammationis autem systrophicæ rheuma consistens, est sanguis biliosus cumulatè collectus, vnde tumor assurgit. Ergo si repletionis, & inde affectionis natæ remedium est repletionis propria vacuatio si conuenienter vacuatur id quod systrophen facit laxitatem adfert, doloris remissionem primùm, indéque vacuitatem & partis obsessæ redintegrationem: si denique morbi & periculi locum tollit quicquid dolorificum malum in occulto latens, foras adducit & euocat: sanè descripta hoc loco anacatharsis mirificos adfert sanitatis fructus in peripneumonia, cuius hæc proprium & salutare est ἀνακάθαρσιν, sicut & ipsius pleuritidis.

Descriptio peripneumoniæ. lib. περὶ νούσων.

Ergo. Spvtvm vero flavvm pavco permixtvm sangvine.] In quo apparet morbificus humor vnde assurgit phyma pulmonis quod peripneumoniam facit. Est enim suprà iam positum ex Galeno, quòd vt ab omni phlegmone systrophica tenuior exudat portio humoris phlegmonici, modò partis obsessæ densitas non impediat, vt in cute: sic pulmo inflammatus, humiditatem quandam effundit in spatia sua interna, quæ sunt arteriæ bronchia, eamque tussiendo sublatam expurgat & excreat; quæ sanè indicio est fluxionis & rheumatis concitati quod peripneumoniam excitauit.

Coac. 9. huius c.

Est

Est enim serum illius. Itaque si admodum biliosus humor est, ea tantùm flaua erit: sin autem sanguineus rubra: quòd si ex vtroque mixtus, rubra simul & flaua.

PERIPNEVMONICIS.] Qui eiusmodi sunt & nominantur à peripneumonia, i. ab inflammatione pulmonis quam fecit rheuma ibi consistens sanguinis multa & effera bile perfusi, proptereáq; temperamento calidissimi, substantia tenuissimi, & qualitate acerrimi: quibus ex causis anadrome cieri solet, omnisque orgasmus; tum eò maximè vbi ad concitatam vim efficientis causæ, accedit suscipientis præparatio.

INEVNTE QVIDEM MORBO EDITVM.] Virtute scilicet vtriusque principatus, naturalis & animalis; vnde anacatharseos opportunitas, in celeritate laudem habet. Hîc enim vbi sæuus est dolor vnáque difficilis respiratio; celeritas etiam mora est: quia morbus vires acquirit eundo, corpusque facit infirmum.

SALVTARE EST.] Superstitem fore ostendit ægrotum morbo defunctum, vt per metonymiam lib. 3. idem sit πλύελον περιεστικόν, quod alibi scripsit περιεστικὸν διασωμάτων τῶν ἀῤῥώστων. Est autem id sputum citò prognosticum & ex facili expurgatum salutare: quia repletionem particularem vacuat, ipsumque rheuma consistens exhaurit, ac dolorificum malum quod intùs abditum est, foras educit: proptereáque periculi locum tollit. Huc accedit quòd sputum est proprium pleuritidis & peripneumoniæ τὸ ἐκθεραπεῦον, per quod earum inflammationum crises, & simplices & perfectæ, natura duce, suscipiuntur & fiunt.

MVLTVMQVE CONFERT.] Quia systrophes laxitatem adfert, indéque doloris, omniumque symptomatum leuationem. Ipsam verò difficultatem spirandi conuertit in libertatem; vt nihil sit optabilius tali sputo in morbis qui pulmonem & costas exercent. i. in pleuritide & peripneumonia. Ac de sputi huius commoditate iam institutæ sunt & explicatæ tres prognoses, 7. 9. 13. huius cap.

SEPTIMVM VERO DIEM AGENTI.] Sub finem secundi quaternarij ab initio morbi, non autem ab incremento.

AVT PROVECTIORI.] i. Vndecimum aut decimumquartum diem agenti.

SECVRITATIS MINVS EST.] Causæ sunt explicatæ: quia vbi sæuus dolor est, & summa difficultas spirandi cum sympathia & syntimoria nobilium partium, vicinarum & sociarum, aut cita mors venit, nisi morbificus humor exitum citò habeat, aut suppuratum manet, in quo etiam periculo locus est. Huc accedit quòd tardior expurgatio, neque simplicem edit crisin, neque perfectam: sed variam, incertam & obnoxiam empyemati aut recidiuæ.

17 Αἱματῶδες δὲ λίην ἢ πέλιον, εὐθέως ἐν ἀρχῇ κινδυνῶδες. πονηρὰ δὲ καὶ τὰ ἀφρώδεα, καὶ τὰ ξανθὰ, καὶ μέλανα, καὶ ἰώδεα, καὶ ἰξώδεα, καὶ ὅσα ταχέως χρωματίζεται. τὰ δὲ μυξώδεα καὶ λιγνυώδεα χρωματίζεται ταχέως, καὶ ἐστὶν ἀσφαλέστερα. τὰ δὲ ἐντὸς πέμπτης ἐς πέψιν χρωματιζόμενα βελτίω.

At verò cruentum nimis aut liuidum initio statim; pestiferum: praua sunt etiam spumantia & flaua, & nigra, & æruginosa, & visco similia, & quæcumque citò sic colorantur. At tamen mucosa & fuliginosa, citò colorata, plus habent securitatis. Quæ verò intra quintum coctioni fucantur; meliora.

HIC MEAM scribendi operam denegarem libenter, & lectorem remitterem ad 14. istius cap. Sed quoniam meæ sunt partes indicare scopum authoris in hoc repetito prauorum sputorum catalogo; faciam sanè vt potero, ne quis à me quippiam sibi deesse conqueratur, in hoc præsertim ditissimo veræ. i. Hippocraticæ medicinæ thesauro. Ac sanè instituta prognosis eò spectare videtur vt intelligamus, omnia ἐκθεραπεύοντα quæ dolorificum malum foras exire testantur, proptereáque bona sunt; meliora videri cùm citò apparent; & minùs bona ac securitatis minus esse, cùm serò. Et contrà; quæ idem malum minimè foras exire, sed intus perennitatem habere denunciant, & signa sunt affectionis prauæ: ob eamque causam, praua quoque ipsa nominantur; eò peiora esse, quò citiùs illa se produnt. Sed in laudabili sputo, veritas patefacta est theorematis huius catholici. Nunc verò in omni prauorum sputorum genere, quamobrem citò edita, sint prauitatis eximiæ; & seriùs edita, minùs mala; considerandum.

AT VERO.] Quemadmodum sputa flaua pauco permixta sanguine, ineunte morbo edita, sunt valde salutaria; prouectiore autem, minùs habent securitatis: sic è contrario quæ multùm cruenta sunt proptereáque praua; & citò eduntur: ex ea expuitione cita, in grauioribus malis ducenda.

CRVENTVM NIMIS.] Nullo dilutum neque permixtum sero: sed merum nigrescens, rupta, erosa, vel aperta vena pulmonis: quæ ratio expurgandi omnino praua est, quando fit sursum, ὁκοῖον ἂν ᾖ τὸ αἷμα, i. qualiscumque tandem sit sanguis. aph. 15. 4.

AVT LIVIDVM.] Vnde significatio fit putredinis fœdæ, & partis vnde manat emortuæ, vt in vomitione liuida quæ etiam mortem denunciat, de qua sic ait Galenus. σηπεδόνα ἐνδείκνυται μετὰ νεκρώσεως. i. *corruptionem indicat cum morticino.*

lib. 2. progn.

INITIO STATIM.] Simulatque quis ægrotare cœperit & iacere in lecto, quod inueterationem arguit morbificæ causæ quæ partem obsessam labefactauit priùs quàm signa dederit eius obsessæ.

PESTIFERVM.] Siue *mortiferum*; quod signum sit affectionis prauæ & insanabilis, partisque sic è natura egressæ, vt eius redintegratio nulla sperabilis esse videatur. Talis calamitas cernitur in iis qui ardenter febricitant, si fortè signorum atque symptomatum terrificam vim circa initia spectandam exhibuerint, tam per epigenomena, quàm per epiphænomena, siue hæc toto genere praua sint, siue [illegible] λόγον naturæ appareant [illegible]. Locus est apud Hippocratem lib. 2. τῶν [illegible]. 10

PRAVA SVNT ETIAM SPVMANTIA ET FLAVA, ET NIGRA, ET ÆRVGINOSA, ET VISCO SIMILIA, ET QVÆCVMQVE CITO SIC COLORANTVR.] Causæ sunt explicatæ in commentariis nostris ad 14. huius cap.

ATTAMEN MVCOSA ET FVLIGINOSA, CITO COLORATA, PLVS HABENT SECVRITATIS.] Acsi diceret; mucosa & fuliginosa pepasmi capacia sunt: illa verò prædicta, planè expertia. Multùm enim differt mucosum à glutinoso viscido & tenaci, qualia sunt illa prædicta: multùm etiam fuliginosum, à nigro. Nam à fuligine superficies tãtùm fugatur; à nigricie totum corpus, tã intrà, quàm extrà. Nigriciei causa est, ardor quo humor conflagrat; fuliginosi autem coloris, vapor & anathymiasis, quo superficies humoris fucatur. Sic lingua fuliginosa, leuis est; nigra verò, aspera. Præterea sputi mucosi & fuliginosi facilis est exitus, facilisque expurgatio: cæterorum verò difficilis: quia sunt [illegible]. Ac sputum mucosum, pepasmo fit crassiusculum & meabile: cætera verò prædicta maiorem contumaciam acquirunt a febrili ardore, cuius magisterio illa reguntur. Ergo mucosa sputa quæ citò eduntur fuliginosa, & citò sic colorantur, plus habent securitatis quàm cætera. 20

QVÆ VERO INTRA QVINTVM COCTIONI FVCANTVR, MELIORA.] i. Quæ principio morbi exacto, sub quintum diem, sine contumacia colorantur ab exudante sero, & materia systrophicæ phlegmones, vnde ipsius tensionis dolorificæ laxitas, vtaque liberior spiratio, & doloris remissio comparatur; meliora sunt iis omnibus quæ posita sunt in hac prognosi: quamvis paulò seriùs dolorificum malum foras exire videatur. Pertinet autem prior pars huius prognoseωs ad id quod initio positum est disputationis de Pleuritide. *Inter pleuriticos, quibus initio varia sunt expuitiones; & tertio die moriuntur, aut quinto.* 30

18 Πᾶν δὲ πτύαλον μὴ λῦον τὴν ὀδύνην πονηρόν. λῦον δὲ χρήσιμον.

Omne verò sputum quod non sanat dolorem; prauum est: quod autem sanat; beneficum.

HAVD FACILE est prognoseωs huius difficultatẽ, ex abdita eius causa, ad facilitatẽ conuertere. Est enim propter causæ ipsius obscuritatem, pluribus obstructa difficultatibus, quàm multi homines arbitrantur. Quid enim? sputum quòd citò liberè & liberaliter expurgatur, pepasmi particeps; aut certè capax; proptereàne prauum est quia dolorem non sedat, vti sedare debet expurgando inflammationem systrophicam tunicæ costis intextæ? Est enim suprà iam positum, quòd per anacatharsin comparatur doloris vacuitas, ex acerbitate spirandi libertas, ex difficultate; ac denique lateris redintegratio, ab egressione naturæ. Quid igitur? tale sputum specie ipsa bonum, ob eam causam prauũ erit, quia finem doloris non adfert per causæ morbificæ amotioné, & redintegrationem partis è natura egressæ? Atqui duo illa commoda veniunt à tali sputo quod planè dolorificum malum foras exire testatur. Quid igitur obstat quò minùs finem doloris adferat? In promptu causa est, rheumatis concitati perennis affluxus, tum à perenni prolapsu catarrhi, tum à perẽni anadrome sanguinis multa bile perfusi, cuius perennitas posita est in vitio hepatis & febre assidua quam prærubra vrina denunciat, siue sit eiusmodi ab inflammatione seri in venis, siue etiam multa sit bile saturata. Ergo vetus manet sententia dictatoris qua frangi debemus, quòd syllogistica signa, τεκμήρια, nunquam à se mutantur siue ad malũ, si bona sint, siue ad bonum, si praua. Secus est de symptomatis. At ptyelismus, σημεῖον est in morbis costarum atque pulmonum. Hippocratis verba hæc sunt: Εὖ μὲν οὖν χρὴ εἰδέναι περὶ τῶν τεκμηρίων, καὶ τῶν ἄλλων σημείων, καὶ μὴ λανθάνειν ὅτι ἐν παντὶ ἔτει, καὶ πάσῃ ὥρῃ τά τε κακὰ κακόν τι σημαίνει, καὶ τὰ χρηστὰ ἀγαθόν. i. *Ratum sit illud perspectumque omnibus de signis syllogisticis, quòd in quovis tempore ac tempestate; mala quidem, sinistri sunt ominis, bona autem, secundi.* At bona sunt illa in signis quidem, quæ ad celeritatem & securitatem crisis appareat, sicut pepasmi in propria cuiusque morbi dolorifica causa; in causis autem, quæ morbum omnino tollunt, aut certè faciunt vt alacriùs ferant morbum ægroti. Ex quibus efficitur, commemoratum pleuritidis & peripneumoniæ sputum, salutare quidem esse, omnique culpa carere: quamvis dolorem non sanet, aut eius vacuitatem non adferat: nisi fortè paulisper, &, vt dici solet, ad tempus, vacuando rheuma consistens. Sed ideo cum salutari signo & causa non concedit pleuritis, nec vale dicit pleuritico, sed crebrò succrescit & inualescit, vnde spes in angusto: quoniam ad nobilissimæ partis oppressionem accedit perennis morbificæ materiæ generatio, & perennis affluxus. 40 50 60

lib. 5. progn.

Itaque

Itaque repetenda crebrò rheumatis concitati retractio. Atqui tam sæpe itur aquatum, vt tandem aqualis ansam relinquat. Eodem modo in parotidibus purulentis, adhuc periculo locus est si cruditas adsit vrinæ, vt in pictoris ancilla: quoniam frustra humoris in parte aliqua suscipitur concoctio, dum viget febris, manentque cruda in vniuersitate corporis excrementa. Ergo verè illud videor esse dictu-rus, quod suprà iam demonstraui. *Quæ cum salutaribus signis nihil concedunt, periculo locum esse testantur; quemadmodum & illa quæ prauis cum signis mitescunt.*

Coac. 51. lib.

Pars huius prognoseos altera mihi restat de sputis quæ sanant dolorem, proptereáque bona vulgo putantur, cuiusmodi tandem illa procedunt. Enimvero sputa praua nunquam in bonis ducenda: quoniam dolorificum malum foras non edunt, sed omnino semper signa sunt prauarum affectionum. Nota est illa prognosis. *Expurgationes sputi in febre, liuida, nigra, biliosa; omnes omnino malæ.* Etenim; dicet quispiam, subiunxit dictator. *Quæ autem conuenienter ducuntur, salubres.* Sed quænam sunt ista? quarum materia cernitur in sputo pauca bile permixto exactè, nec ea materia tenuitate sit fugax, nec glutinosa contumax; tum si liberalis & libera sit anacatharsis, idque circa morborum initia; nec vlla sit perennitas τῆς ἀναδρομῆς quæ irritam faciat anagogen. Nunquam enim tuta leuatio est quæ prauis cum signis adseritur; nec verò prauis è signis quæ salutaria esse non possunt, vnquam venisse credendum τὴν εὐφορίαν, i. *alacritatem ferendi morbum*, neque ex falsò credita εὐφορία iudicandum τὰ οἷα δεῖ, i. *qualia decet.* Sed ex οἷων quæ sunt καλὰ καὶ κρίσιμα; spectabilis, & firma, & stabilis ἡ εὐφορία. Ac sanè talis fuit falsò credita leuatio duorum adolescentum: quoniam alter febre defunctus videbatur cum vrinis tenuibus atque nigris; alter cum prærubra ventris proluuie, & vrinis aqueis, curationem febris lentæ feliciter recepit: vterque tamen interiit quòd in vitio partes essent, quarum potentia corpus administratur.

prorrh. 17. lib. 2.

19 Ὅσα δὲ τῶν ἀλγημάτων ἐν τοῖσι τόποισι τούτοισι μὴ παύσηται, μήτε πρὸς τὰς ἀναπτύσιας, μήτε πρὸς τὰς φλεβοτομίας, μήτε πρὸς τὰς φαρμακείας τε καὶ διαίτας· ἐμπυοῦται.

Iam verò dolorifica partium istarum mala quæ non quiescunt nec expurgatione sputi, nec sanguinis detractione, neque pharmacia simul atque diæta; in suppuratum vertuntur.

Hactenus leges τῶν ἀναπτυομένων sancitæ sunt pleuritidis & peripneumoniæ, in sputi expurgatione, quæ vel ad salutem certò apparet, vel spem in angusto esse testatur, prout illa bene aut malè fit in qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. Nunc ineunda ἡ τεκμαρσις, i. regula scienter prædicendi & conuenienter cuique medendi ad eam mutationem pleuritidis & peripneumoniæ, quæ media est inter citam & simplicem earum discessionem, & desperationem salutis. Est autem suppuratio quæ systrophicarum inflammationum thoracis & hypochondriorum succedanea esse solet, quando illarum dantur induciæ, nec ocyùs ad exitium præcipitantur ægroti. Ac de suppurati successione in malis hypochondriacis dictum est suprà, déque illius curatione. Idem nunc faciundum in suppurato pulmonum atque thoracis.

Ergo. Iam vero.] Ac si diceret; quando ita comparatum est in omni morborum historia, maximéque in iis qui principatus naturæ exercent, vt eorum successiones κατὰ μετάστασιν, καὶ κατὰ μετάπτωσιν, tanquam è specula, prospiciendæ sint & arcendæ.

Dolorifica partium istarum mala.] i. Quæ pulmonem & costas exercent, indéque pleuritis & peripneumonia nominantur.

Quæ non quiescit.] i. Non exoluuntur vacuatione libera & liberali rheumatis consistentis, & redintegratione partium obsessarum.

Nec expurgatione sputi.] Quoniam aut mala prædicta fuere sicca & sputi expertia, idque ἄνευ ἀναφορᾶς, i. *sine auulsione* doloris intus foras, aut quoniam anacatharsis tantùm fuit ἐμφερομένη, i. inchoata, non copiosa & perfecta; aut quia in libertate & copia sputi, perennitas fuit rheumatis concitati, vel à prolapsu catarrhi, vel ab anadrome sanguinis biliosi.

Nec sanguinis missione.] Ad retractionem rheumatis concitati, & ad vacuationem seu detractionem consistentis, quorsum mitti debet ad mutationem coloris, incisa vena interiore cubiti è directo, si ad iugulum vsque dolor, & ad brachium atque mammam prorepit ipsa grauitas. Nam illa coloris mutatio, vt rubro succedat liuidus sanguis, in pleuritide inferarum costarum, expetenda non est nec expectanda. Hic enim tantùm prodest venæ sectio ad retractionem rheumatis concitati, & ad temperationem sanguinis æstu incandescentis; non ad detractionem consistentis.

Nec pharmacia.] Ad pleuritidem costarum inferarum quæ sub diaphragmate non rarò assurgit, nec vllam sui exhibet significationem circa iugulum. Hic enim pharmacia est opus pharmaci, vt ita dicam, mochlici; quale est veratrum nigrum & peplium, quæ mixta simul consocialia sunt ad bene conuenienterque purgandum; illud quidem vacuando, hoc verò discutiendo spiritus flatulentos: quæ dotes perspectæ cognitæque à præceptore, ipsum mouerunt vt ea medicamenta præscribenda putarit, quòd præstantissima essent pharmaca omnium quæ ipse nouisset, nouerat autem plurima; vt non ino-

pia, nec ignorantia meliorum, quod vulgus medicorum existimat: sed prudentia singulari atque delectu, ipsa præscripsisse videatur. Eò autem præscripsit pharmaca illa mochlica, quòd malum dolorificum firmiter fixum, sit μοχλίαν δεόμενον, non secus atque tuberculum gibberosos faciens lumbos, quod tandem vel dysenteria exoluitur, vel obortis in vtroque crure varicibus. Nec verò prætermissa id fecit detractione sanguinis quam idem præceptor statuit ἡγεμονικὸν inflammationum omnium systrophicarum, quas negat sanari posse, si quis antè purgationi operam deddrit quàm venam secuerit. Idem præceptor author est, auspicandam curationem a sanguinis detractione, quoties cumque duorum remediorum solemnium, purgationis dico & phlebotomiæ, necessarius vsus incidit. At verò pharmaciæ carharticæ locus non est in expurgatione sputi. Nam à carthartico sistitur anacatharsis, vnde pleuritici suffocantur septimum aut nonum morbi diem agentes. Ergo si carhartico non concedat pleuritis; aut si fortè oppugnata iure & loco non fuerit; aut si non quieuerit anacarhartica pharmacia, vt fotu, melicrato & oxymelite; aut si ea remedia sputi ἀναγωγὰ, fuerint prætermissa.

lib. 4. acut.

NEQVE DIÆTA.] Cuius hæc ratio esse debet, vt si validæ sint ægri vires cum securitate & sine vllo infirmitatis metu, priùs in curam morbi sit incumbendum, quàm refectioni studendum, donec humescere cœperit os ægroti & sputum edatur: & contrà si vires infirmę sint, ita se comparet medicus vt locum habeat deducendi potiùs alimentum, quàm necessitatem exhibendi cùm minimè decet, instante crisi. In vtraque autem naturæ conditione, iure & loco cibum exhibeat meabilem, coctu facilem, imbecillum, minimèque sitiferum; cuiusmodi est ptissanarium, quod illis quatuor dotibus principatum obtinet inter omnia ῥοφήματα.

IN SVPPVRATVM VERTVNTVR.] Est enim hæc mutatio succedanea systrophicæ inflammationis quam vacuatio propria non sanauit, nec gangræna & partis obsessæ corruptio, ad νέκρωσιν & vniuersitatis interitum, occupauit. Vertuntur autem in suppuratum intra 14. diem, ex lib. 5. aph. aut intra 20. ex lib. 7. aph καθαίρονται ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀφ' ἧς ἂν ῥαγῇ.

Lib. 2. progn.

20 Ὅσοι μετὰ τοῦ χολώδεος πυώδες ἀνάγουσιν, ἢ χωρὶς, ἢ μεμιγμένον. ὡς ἐπιτοπολὺ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι θνήσκουσιν ἢν μή τι ἀγαθὸν ἐπιγένηται ἢ κακὸν τῶν προγεγραμμένων. εἰ δὲ μὴ, κατὰ λόγον μάλιστα δὲ οἷσιν ἑβδομαίοισιν ἄρχεται τὸ πτύελον.

Ergo qui cum sputo bilioso purulentum expurgant, diductumve fuerit aut permixtum; ij ferè moriuntur decimumquartum morbi diem agentes: nisi quid boni maliue acciderit prædictorum: sin minùs; ex proportione: potissimumque ijs qui septimo tale sputum cœperint expurgare.

QVONIAM ita comparata est ratio suppurationis per κατάστασιν phlegmonarum viscera occupantium, vt medio statuatur loco inter citam earum sanationem, & certam desperationem salutis: hîc primùm docetur, in vtram spectet partem illa suppuratio quæ cum sputo bilioso expurgatur.

ERGO.] Inter purulentos qui ex pleuriticis huiusmodi sunt: quoniam nec lege critica, nec artificio medici, pleuritide primigenia defungi potuerunt cum redintegratione partis obsessæ, i. tunicæ costis intextæ.

QVI CVM SPVTO BILIOSO.] Meræ bilis flauæ aut viridis quæ caret pepasmo, cuius quidem capax non est, nec vinci se patitur à natura: sed prauæ affectionis verum est ἐπιφαινόμενον, quæ foras non exit.

PVRVLENTVM EXPVRGANT.] Non quidem à pure quod cum æqualitate candidum & læue apparet; vnde significatur partis vnde manat integritas, materiæ bonitas, & virtus caloris natiui sese in omnes materiæ partes æqualiter insinuantis: sed à pure fusco, amurcoso, cœnoso, & inæquali: qui certè pepasmus est omnino pestiferus. Non enim sperabilis est bona suppuratio quæ ex mera bile conficitur, nec verò illa etiam quæ in laudabili materia laborat ex paupertate caloris natiui, & infirmitate aut corruptione partis afflictæ; quod cernitur in suppurato partium aspectabilium semper vitioso; vbi paria non sunt omnia caloris atque humoris coquendi.

DEDVCTVMVE FVERIT AVT PERMIXTVM.] Nihil refert: ambo enim certant ex æquo in prauitate, ac pariter æqualiterque mali sunt ominis. Ex quo efficitur, quæ toto genere praua sunt & primigenia prauarum affectionum signa, metaptosin bonam habere non posse. Vt enim sputum merè flauum, est prauum, & signum affectionis prauæ: sic alteratio eius, mutationem in melius habere non potest; proptereáque nec suppurationem bonam: quoniam in affectione maligna, & à corrumpente veriùs quàm mitificante causa conficitur. Ergo siue diductum, siue permixtum excludatur; parem nobis exhibet noxæ opinionem.

II FERE MORIVNTVR.] Per extinctionem & suffocationem caloris vitalis, ab oppressione partium

partium afflictarum, quarum ea vis est atque potentia, vt earum officio diu vita carere non possit. Tacebo interim sympathiam & syntimoriam partium sociarum & vicinarum.

DECIMVMQVARTVM MORBI OIEM AGENTES.] Quoniam dies ille finem adferre solet acutorum morborum, aut vitæ, quoad longissima esse potest eorum discessio: nam multi celeriùs intereunt aut conualescunt: rari admodum, seriùs. Versatur in peruagato medicorum sermone aphorismus ille: *Acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur*, recensendo numerum vel à principio morbi, vel ab incremento ipsius.

NISI QVID BONI AVT MALI ACCIDERIT PRÆDICTORVM.] Ac si diceret, seriùs aut celeriùs moriuntur ægroti, supra aut infra decimumquartum diem: vt cætera erunt signa bona aut 20 mala, quæ cernuntur in qualitate corporis, actionibus, & excrementis. Prædicta autem sunt mala quæ cum strepitu praui sputi apparent in facie tristi, oculis ictericiis, & visu caliginoso. vbi demonstratum est mortem in propinquo esse, quando ad desperationem curationis, quam strepitus ipse denunciat praui sputi, accedunt quoque signa trium principatuum collapsorum, naturalis, vitalis, & animalis. Prædicta sunt etiam bona signa quæ iuuant, non faciunt discessionem pleuritidis. Sunt autem; aluum duci mollibus & figuratis excrementis, sputum colorari, nullos in pectore strepitus exaudiri, vrinam bene ferri, somnos iniri, &c. Sed plura mox describentur.

Coac. III huius c.

Coac. 8. huius c.

SIN MINVS EX PROPORTIONE.] i. Pro funesta vi morbi & virium statu, sine accessione bonorum aut prauorum signorum quæ plures aut pauciores principatus & partes in vitio esse, proptereàque mortem celerius aut seriùs venturam testentur.

20 AC SANE POTISSIMVM IIS QVI SEPTIMO TALE SPVTVM COEPERINT EXPVRGARE.] i. Firmissimum illud est cur proculdubio moriuntur, & decimoquarto, quibus tale sputum septimo primùm die apparet: quoniam quæcumque apparent & fiut diebus criticis, maximéque septimo, firmiora sunt ad interitum vel ad salutem, quàm quæ in alia incidunt morbi tempora. Est autem analogia septimi indicantis ad crisin decimiquarti, per quam vitæ aut morbi discessio comparatur.

21 Ἔστι δὲ ἀγαθὸν μὲν καὶ τούτοισι, καὶ πᾶσι τοῖσι περὶ πλεύμονα, φέρειν ῥηιδίως τὸ νόσημα, τῶν ὀδυνέων ἀπηλλάχθαι, τὸ πτύαλον ἀπετέως ἀνάγειν, εὔπνοον εἶναι, καὶ ἄδιψον, τὸ σῶμα ἅπαν ὁμαλῶς θερμαίνεσθαι, καὶ μαλ-30 θακὸν εἶναι. καὶ πρὸς τοῖσιν, ὕπνους, οὖρα, διαχωρήσιας, χρηστὰ γίνεσθαι· κακὰ δὲ τἀναντία τούτων. Εἰ μὲν οὖν πάντα προσγένοιτο τῷ πτύσματι τούτῳ τὰ χρήσιμα· σώζοιτο ἄν. εἰ δὲ τὰ μὲν, τὰ δὲ μὴ, οὐ πλείους τῶν ιδ. βιώσας ἀπόλλοιτο. τῶν δὲ ἄλλων σημείων συντομώτερον.

Est autem perinde his atque peripneumonicis salutare, alacriter 40 morbum ferre, doloris vacuitatem habere, ipsum verò sputum facilè expurgari, spirare ex facili, sitim nullam, corpus æqualiter molle & calidum. Ad hæc somnos, vrinas, deiectiones, salubres. Contraria horum terrifica. Atque hæc omnia si coniuncta fuerint cum sputo prædicto; vtique morbo defungi poterit. Quòd si alia quidem accesserint, alia verò secus; non vltra decimumquartum protrahetur vitæ 50 discessio

INTER commoda epiphænomena quibus vtuntur pleuritici & peripneumonici, alia quidem adferunt discessionem morbi σωτήριον καὶ κυρίως, alia verò δυνάμει: quæ tamen ita iuuant quando in suo quæque statu sunt bona; vt secus apparentia, irritum planè faciant medici & naturæ studium in oppugnando morbo. Sanè pleuritidis & peripneumoniæ discessionem adferunt sputa bile modica aut sanguine pauco permixta, quæ citò, & liberè, & liberaliter expurgantur. Iuuant autem quæ triplicis principatus integritatem ostendunt, naturalis, vitalis, & animalis in cæteris actionibus, qualitate corporis, & excrementis. Sed quoniam illa lex in prædicendo sancita est, vt pluris esse debeat ad præsensionem interitus vnum prauum κυρίως θανατώδες, cuiusmodi est hic sputum, quàm alia multa communia; 60 difficilis erit quæstio super iis quæ in hac prognosi, fati necessitatem impediunt in suppurato fatali ad mortem, quale superior prognosis examinandum proposuit. Sed infrà lis dirimetur.

EST AVTEM.] Pertinet hoc ad id quod suprà dixit; suppuratum quod cum bilioso adhuc sputo expurgatur, mortem venturam testari intra decimumquartum morbi diem, nisi quid interea boni malive acciderit vnde celeriùs aut seriùs moriantur ægroti; aut ipsa desperatio in spem vertatur. Hic autem signa scribuntur & explicantur rerum purulenti descripti, meliùs aut peius euntium.

PERINDE HIS.] i. Pleuriticis, quorum historia patefacta transit ad metaptosin suppurationis.

Coac. 16. huius c.

ATQVE PERIPNEVMONICIS.] Iam descriptis, qui etiam, sicut pleuritici, redduntur purulenti, quando sine interitu phlegmone non quiescit, nec sputi expurgatione, nec phlebotomia, nec diæta.

SALVTARE.] Quod multum adfert adiomenti vel ad vsum atque dulcedinem diuturnioris vitæ, vel ad spem adhuc retinendam salutis.

ALACRITER MORBVM FERRE.] Omni carere alysmo, & regi trium principatuum magisterio quorum virtute atque potentia corporis vniuersitas administratur.

DOLORIS VACVITATEM HABERE.] Non falsò creditam per metastasin pleuritidis ad peripneumoniam, & huius ad phreniridem vnde nulla sensio quantumvis excitata percipitur causæ morbificæ: sed comparata leuatione, extensionis laxitate, & temperatione proritantis humoris, per concitati rheumatis retractionem, & consistentis vacuationem; tum etiam per metaptosin phlegmones in suppuratum, vnde κατὰ λόγον & meritò sedatur ipsa doloris ἀνωδυνίη, pure confecto.

IPSVM VERO SPVTVM FACILE EXPVRGARI.] i. Liberè & liberaliter, sine doloris ac tussis molestia, in sputo meabili quod thoraci motem gerit, firmisque lateribus; vnde significatur animalis principatus integritas, & morbi remissio comparatur.

SPIRARE EX FACILI.] Restituta libertate spirandi per laxitatem partis afflictæ, i. tunicæ costis intextæ quæ nimiùm distenta erat: & liberum sputi meabilis exitum.

SITIM NVLLAM.] Non quidem falsò credita sitis vacuitate in causa sitifera cuius nulla sensio excitatur, ob deprauatum στόμαχον, vel propter infirmitatem & νέκρωσιν partium sitis capacium quæ sunt ventriculus & pulmones; quamquam sua est etiam sitis vtero, sua renibus ipsis.

CORPVS ÆQVALITER MOLLE ET CALIDVM.] Quod alibi scripsit, τὸ σύμπαν σῶμα ὑγρὸν κεῖσθαι, quod molliter decumbit, tutóque habitu mollitudinem quandam edit suauem, ab humido primigenio in quo sita est partium solidarum viuacitas, & à liberali ac libero viuifici occursus, i. spiritus & caloris vitalis appulsu cum sanguine.

AD HÆC SOMNOS, VRINAS, DEIECTIONES, SALVBRES.] Somnos quidem suaues non turbulentos cum visis terrificis: sed quorum benignitas donu diuûm gratissima serpit, quando ipsa dormiendi necessitas parem habet commoditatem causarum somniferarum, suauis & copiosæ anathymiaseos, cerebri naturaliter constituti, & mentis tranquillæ. Vrinas verò huiusmodi esse decet in qualitate, copia, tempore, & excernendi modo: vt proba significetur coctio tum alui, tum hepatis, cum integritate partium vnde veniunt. i venarum; quà feruntur, i. renum; & vbi excipiuntur, i. vesicæ. De ipsis autem deiectionibus id ratum esse debet, vt in pleuritide iam affecta quæ transiit ad suppuratum, non ferantur humidæ (quamvis subrubræ, & raræ, & liberales, quæ ineunte morbo laudantur) sed molles & figuratæ, quæ nullam opinionem faciant partium aluinarum in officio laborantium, aut quas iam tædeat sui quamque officij, vt in diarrhœa & lienteria: nec verò siccæ & pilulatæ appareant, quæque non nisi coactæ ducuntur. Sunt enim signa siccioris alui, & incendio conflagrantis.

CONTRARIA HORVM PESTIFERA.] Quæ cuiusmodi sint & quorum appareant, facilè notitia comparatur ex antithesi causarum cur ita sint atque fiant; iuxta illud, contraria contrariorum consequentia sunt.

ATQVE HÆC OMNIA SI CONIVNCTA FVERINT CVM SPVTO PRÆDICTO.] Vt œconomiæ vtriusque, spirationis & nutricatus ratio sit naturaliter constituta, ac trium principatuum se virtus ostendat.

VTIQVE MORBO DEFVNGI POTERIT.] Ob vitæ & animalitatis firma præsidia, tum autem quia rheumatis biliosi nulla est ab hepate concitato. Ipsum verò rheuma consistens, quantumvis inæquale: tamen suo exitu liberali & libero, libertatem adferat spirationis quæ antea fuit difficilis, cum redintegratione partis obsessæ.

QVOD SI ALIA QVIDEM ACCESSERINT.] i. bona quædam heterogenea.

ALIA VERO SECVS.] Præsertim mala ἐπιφαινόμενα cum specie ipsa morbi.

NON VLTRA, &c. Causæ sunt explicatæ.

22 Ὅσοισι δὲ ἐκ περιπνευμονίης ἀποστάσιες παρὰ τὰ ὦτα, ἢ τὰ κάτω χωρία γίνονται, καὶ ἐκπυοῦσί τε καὶ ἐκσυριγγοῦνται, οὗτοι περιγίνονται.

Quibus autem ex peripneumonia sub auribus, vel inferis partibus, nascuntur abscessus, ibique suppurant & fistulantur; hi defunguntur morbo.

MAGNA VIS est pepasmi in omni abscessu quem primigenij morbi metaptosis, in partibus procul à priore foco excitauit: quādo ipsa prioris foci calamitas, laudabili suppurato exploditur. Ac suppurati quidem prima laus debetur abscessibus partium superarum, vt aurium, sub quibus exortæ parotides hinc nominatæ, si rubræ sint ac dolorificæ, omni ex parte videntur pestiferæ: quòd illæ sint ὑπόρροποι & ἀνάρροποι, i. *semiflue & sursum delatæ.* Quæ duo vitia principem locum obtinent maleficentiæ in omni abscessu. At tamen suppurato & fistula, periculi locus tollitur. In partibus autem inferis, procul à

morbo

morbo assurgunt timores ἀξίως τῆς ἀφθονίας. i. *pro dignitate & copia humoris morbifici*. Ac si fortè rheuma illud consistens, non sit puri simile, sed noua quædam putredo excitetur pro veteri; parti ipsius jactura, ab interitu vindicabit ægrotum, si nullus sit recursus. Quod accidisse legimus iis quibus in tempestate pestifera φῦμα παραπλήσιον cruris erysipelatosi οὐκ ἦν πύῳ ἴκελον ἀλλὰ σαπεδών τις ἄλλη, i. *non erat puri simile: sed alia quædam putredo*. Secus fit in abscessibus partium superarum. Secus etiam in metaptosi pleuritidis ad suppuratum quod cum bilioso adhuc sputo expurgatur. Hoc non est πύῳ ἴκελον, vt præceptor loquitur: sed σαπεδών τις ἄλλη: propterea que mortiferum in parte nobili & officiali.

Qvibvs avtem.] Nondum sanatis & morbi periculo defunctis, nec sputi expurgatione, nec sanguinis detractione, nec diæta conuenienter præscripta, nec aliis naturæ conaribus mox explicandis.

Ex peripnevmonia.] Inflammatione pulmonum systrophica, cujus consectaria hæc sunt; febris acuta, difficilis respiratio parua & frequens, calida expiratio, dolor sub omoplata qui prorepit ad jugulum & ad mammam, pectoris grauitas, anxitudo, delirium quoque ipsum.

Svb avribvs nascvntvr abscessvs.] Per expressionem humoris morbifici à phlegmone in venas jugulares & carotidas quæ secundum asperam arteriam procedunt ad caput, prius largitæ surculos laryngi & faucibus, vnde parotides eructantur, opportunitate glandulæ quæ iacet ad aures, faucibusque adjacet, cum numerosa riuulorum propagine vnde partes illæ, fauces dico & aures, affluxus & refluxus incommoda vicissim & mutuo facilè experiuntur. Assurgunt autem prærubræ & dolorificæ, à tensione magna humoris firmiter fixi, nec exudantis ob densitatem cutis tum à prægrandi calida intemperie quam secum attulit sanguis multa bile perfusus. Sic enim Galenus parotidum dolorificarum causas esse dixit τὴν τάσιν τῶν σωμάτων, καὶ δυσκρασίαν σφοδράν. Atqui iam suprà positum est, quòd parotides quæ dolenter assurgunt, mortiferæ sunt: primùm quia [illegible] assurgunt: deinde verò cruciatu acerbi doloris: tum etiam sympathia & syntimoria nobilium partium sociarum & vicinarum. In hac igitur peripneumoniæ metaptosi, periculum quidem mutatur, non autem vitatur. Vitandi ratio mox dicetur.

Vel inferis partibvs.] Intelligit crura, quorum alia longè conditio est quàm aurium: quia sunt morbifici humoris capacia; & καταῤῥόπως humorem excipiunt procul à morbo. Quæ duo maximè ponuntur in laude & commendatione abscessuum criticorum.

Iisqve svppvrant.] Parotides quidem, supputato laudabili quod visu & olfactu percipitur album æquale, & læue, minimumque fœdi odoris. Sin minus: *Parotides illæ purulentæ, nec albo exactè pure, nec nihil olente, interimunt.* Nam suppurati expertes in acutis mortiferæ sunt; nisi fortè alui feratur: quod legimus fœliciter contigisse Hermippo Clazomenio, cui cùm in angusto spes esset a desiderio suppurati in parotide rubra & dolorifica, exacti iam morbi superstite; alui profluuium pesiculi locum sustulit. In cruribus autem claudicatio est in metu, suppurato non exquisito.

Et fistvlam edvnt.] Rupta vomica pus effundente, cuius effusi quoniam longa est via, ob eam sanè causam ductus ille fistula nominatur: sed crassa, vt ita dicam, & pingui Minerua. Nam fistulæ κοῖλαι dictæ, in angusto vlcere, calloso, & sanioso, planéque fistuloso, generatio, causa, & curatio infrà exponetur.

Hi defvngvntvr morbo.] Peripneumoniæ atque parotidum; beneficio suppurati iam descripti, quod vnicum naturæ perfugium est in omni phlegmone systrophica, multùm coacta, multumque dolorifica, vbi dolorificum malum, propriam vacuationem habere, & foras exire non potest.

23 Ὑποσκέπτεσθαι δὲ χρὴ τὰ τοιαῦτα ὧδε· ἢν ὅ, τε πυρετὸς ἔχῃ, καὶ ἡ ὀδύνη μὴ πεπαυμένη ᾖ, καὶ τὸ πτύελον μὴ ἐκχωρέῃ κατὰ λόγον, μήτε χολώδεες αἱ τῆς κοιλίης διαχωρήσιες, μηδὲ εὔλυτοι καὶ ἄκρητοι γίνωνται, μήτε τὸ οὖρον χάρτα πολύ τε καὶ παχὺ, καὶ πολλὴν ὑπόστασιν ἔχον, ὑπηρετῆται δὲ περιεστηκῶς ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων περιεστηκότων σημείων· τουτέοισι χρὴ ἐλπίζειν τὰς τοιαύτας ἀποστάσιας ἔσεσθαι.

Attendere autem sic decet ad ista; si febris detinet; si dolor nondum quieuit; si conuenienter sputum non editur; si aluus non fertur liberaliter biliosis deiectionibus; si vrina nec admodum multa & crassa est, nec multi particeps sedimenti. Cætera autem salutaria signa, salutariter suffragantur; abscessus eiusmodi certò sperare oportet.

Enimvero peripneumonia omnis non habet καταστάσιν abscessus partium superarum vel infetarum. Impedimenta sunt; mors quæ cita venit; perfecta crisis & simplex per liberam & liberalem sputi

expurgationem; deriuatio & vacuatio humoris morbifici per diarrhœam vel perirrhœam vrinæ. Sed ea demum peripneumonia sperabilem facit abscessum, quæ in vacuitate anacatharseos & aliarum excretionum, accessionem habet signorum salutarium quæ opinionem faciunt secundæ valetudinis & salutis. Quæ cuiusmodi sunt omnia; loco scribentur. Ac primùm signa docentur peripneumoniæ sanabilis migraturæ in abscessus, deinde quò viam affectet sursum deorsumve, præuidendi & excipiendi ratio indicabitur, qua duce medicus nunquam aberrabit à scopo. Quæ cùm ita sint.

ATTENDERE AVTEM SIC DECET.] i. Ne in hoc iudicio, cuius magna expectatio est, labatur medicus, erret, decipiatur, quod est sanè turpissimum; diligenter attendat, mentisque conuertat aciem ad ea signa hic posita, quæ omnem iudicij, quantumuis difficillimi, difficultatem adimunt.

SI FEBRIS DETINET.] i. Si continenter quidem, sed non ita vehementer, ægrum exerceat, superstite causa eius, i. inflammatione pulmonum systrophica cuius ipsa febris pathognomonica esse solet.

SI DOLOR NONDVM QVIEVIT.] Si manet adhuc scapularum & iuguli dolor, pectoris grauitas, difficilis spiratio, calida expiratio, sed sine magna anxitudine, ac sine meteorismo spirituque sublimi: quoniam nondum explicatæ sunt alæ pulmonum, nec tensionis comparata laxitas quæ dolorem minuat atque adimat; propter anacatharseos vacuitatem, aut certè paucitatem.

SI CONTINENTER SPVTVM EDITVR.] Non pauco permixtum sanguine; nec citò, liberè, & liberaliter editum.

SI ALVVS NON FERTVR LIBERALITER BILIOSIS HVMORIBVS.] Vnde materia & occasio præripi possit futurorum abscessuum, non quidem lege critica quæ statuit raró abscessus fieri in dominatu biliosi humoris: sed à contentione forti naturæ, cui cùm in anacatharsi molienda irritus labor fuerit, aliam inuenit viam qua deducitur ad conseruationem sui, crisinque exhibet insuetum per iter & multis ignotum. Talis insperata salus, anginæ tributa est in illa prognosi: *Ex anginosis immeritò adæquatu, dolor prægrandis cùm ad pectus & ad ventrem transierit; excretionem purisformem molitur, si quidem aliter non exoluatur.* Quamobrem facere non possum quin à Galeno dissentiam, qui negat ex peripneumonia oriri abscessus, cùm biliosus est humor, quem manet excretio, potiùs quàm abscessus. Hoc enim locum habet in febribus arteriarum & cordis quæ dicuntur essentiales, de quibus verè & appositè illud positum est. Abscessus raró iis fiunt quibus rigores tum critici, tum periodici.

Coac. 14. cap. 15. lib. 2.

6. Epid.

SI VRINA NEC ADMODVM MVLTA ET CRASSA EST, ET MVLTÆ PARTICEPS HYPOSTASEOS.] Cùm scilicet peripneumonia mitificari iam cœperit, & in suppurationem conuerti; vrinarum fit perirrhœa crassarum, multáque hypostasi præditarum; quod iter sæpe tenet natura ad exolutionem & vacuationem phlegmonarum, cæterorumque morborum pulmonis. Eius diadoches multæ leges, multa exempla leguntur passim apud Hippocratem, quæ loco scribentur. Omnis autem abscessus futuri spem adimit vrina multa crassa & alba.

CÆTERA AVTEM SALVTARIA SIGNA, SALVTARITER SVFFRAGANTVR.] Quæ spem adferunt discessuri morbi, & vitæ superstitis, quæque iuuant discessionem morbi, & ægrum spe consolantur in remissione peripneumonicorum symptomatum; febris, doloris, dyspnϾ, anxitudinis, cum benignitate somni, & vrina laudabili, deiectionibus item naturaliter constitutis: quibus accedit corporis vniuersi laudabilis qualitas in colore, calore, & mollitudine succi plena.

ABSCESSVS EIVSMODI.] Crurum vel aurium.

CERTO SPERARE OPORTET.] Inferos quidem aut superos; pro humoris motu, naturæ impulsu; meatuumque partis afflictæ, sursum deorsumve, spectantium conditione & situ. Inclinationis vtriusque signa syllogistica, in proxima decisione continentur. Certò autem sperabiles duxit abscessus: quoniam nihil bene fit ἀσήμως nihil ἀκρίτως. Ac suspecta esse debet omnis leuatio quæ crisin non habuit, etiam in spe certa salutis. Ergo denegata hic propria crisi per anacatharsin, reliquum est vt natura moliatur abscessum per metaptosin, vel intra, vel extra partem afflictam, qui medium tenet locum inter citam crisin & desperationem salutis. Sed melior est metaptosis extra quàm intra: nisi fortè parotidum sit irrita suppuratio, qualem descripsi.

24 Γίνονται δὲ αἱ μὲν ἐς τὰ κάτω, οἷσιν ἂν περὶ ὑποχόνδρια, φλεγμονὴ γίνεται· αἱ δὲ ἐς τὰ ἄνω, οἷσιν ἂν τὸ μὲν ὑποχόνδριον λαπαρόν τε καὶ ἀνώδυνον ᾖ, δύσπνοοι δέ τινα χρόνον παύσωνται χωρὶς προφάσιος.

Exoriuntur verò ad inferas quidem partes, quibus hypochondria incandescunt; ad superas autem, quibus hypochondrium quidem molle est, dolorisque expers; ipsi verò paulisper suspiriosi quiescunt sine causa.

EST SANE tecmarsis exacta in superiore & in hac prognosi, qua de abscessibus peripneumoniæ sanabilis, bene scienterque prædicendi ratio continetur, quando & vbi sint excipiendi. Ac certè supe-

rior

tior prognosis, metaptosin ostendit peripneumoniæ in abscessum. Hæc verò, quibus in moliendo abscessu natura sursum deorsumve viam adfectet. Hoc demum verè docet, *τὸ σύνεσιν ἐκτήσασθαι, i. prudentiam comparare & consiliari.* Hoc facit peritum medendi artificem atque magistrum. Frentant licèt omnes, dicam tamen quod sentio; maiorem scientiæ & praxeos vbertatem comparari à studioso Hippocratis vno die, quàm ab istis pragmaticis vno sæculo. Sed ad institutum reuertimur.

EXORIVNTVR VERO.] Peripneumoniæ abscessus quorum præuisio tradita est superiore prognosi; exoriuntur per metaptosin humoris morbifici deorsum aut sursum, cùm redintegratione & solatio partis afflictæ cui vale dixit rheuma consistens, quod virtus naturæ explosit.

AD INFERAS QVIDEM PARTAS.] Ad crura scilicet, vt mox dicetur; eò natura cursum inflectente *κατ' ἴξιν è directo*, non autem *ἐξ ἐναντίας è contrario* ab humoris orgasmo. Naturæ autem fortis contentio viam affectat *κατ' ἴξιν*, qua duce semper ibi fit apostasis, vnde facta est primùm metastasis. Est autem consentaneum vt in vtrumque crus, vel alterutrum fiat abscessus *κατάῤῥοπος*; obsesso pulmone, vel vtraque parte inferiore, vel alterutra tantùm. Nam inflammatorum pulmonum, partiumve illius superiorum, mediarum, & inferiorum, signa syllogistica docebuntur.

QVIBVS HYPOCHONORIA INCANDESCVNT.] Rursum accensa quæ priùs deferbuerant: metastasi facta sanguinis ad pulmonem, antè quam scilicet metastasin, ipsa cum calore distenta erant; oborta verò peripneumonia, subsistente in pulmonibus anadrome sanguinis anagogen non habentis, ac restituta proinde hypochondriis æqualitate; rursum à palindrome humoris eò vnde primùm erupit, æstu incandescunt ac tument tantisper, dum cursus ad inferas partes instituitur. Sic Herophonti cùm in angusto spes esset, lien primùm intumuit, inde bubonis tumor & cruris abscessus, æqualitatem lieni restituit. In Heropyto crebra erat doloris ischiadici & surditatis vicissitudo. Atque ita res tulit vt febris ingrauesceret cum surditate, quoties dolor ischij quiescebat; ipsa verò mitesceret cùm ischij dolor vrgeret. Ac de fugaci phlegmone hypochondriorum, sic, meo quidem iudicio, statuendum; primigeniam quidem, ouncìam esse *τῶν ἀναῤῥόπων*, vt in acuta febre, ad hæmorrhagiam vel ad phrenitidem; secundariam verò, *τῶν καταῤῥόπων*, vt hic ad cruralem abscessum.

AD SVPERAS AVTEM.] Vbi tumores dolenter ad aurem assurgunt, parotides scilicet rubræ & dolorificæ, ex qualitate & copia humoris morbifici, partem acerrimi sensus, imum distendentis ac protritantis, vicináque cogentis in contagionem & sympathiam afflictionis suæ. Assurgunt autem, opportunitate glandulæ quæ jacet ad aures, faucibusque adjacet: proptereáque faucium eructantium suscipit excrementa.

QVIBVS HYPOCHONDRIVM MOLLE EST, DOLORISQVE EXPERS.] Vt omnis tollatur occasio tensionis hypochondriacæ; quam facit, vel hypochondrij intrò sursum retractio, quæ diaphragmatis propria est inflammati atque phrenitica; vel ipsa perennitas flatuum ab intemperie hectica tenuium intestinorum; vel quæ assurgit à phlegmone viscerum per systrophen nata. Nam tensio fugax vnde irrita sanguinis anadrome ad hæmorrhagiam, palindromen facit ad aures, ibique parotidas excitat; tantùm in acutis febribus locum habet.

IPSI VERO ÆGRI PAVLISPER SVSPIRIOSI.] Quos frequens & parua exercet respiratio, non quidem labore & inflammatione partium spirabilium firmiter fixa: sed leuiter pressa & fugaci oppressione, tantisper dum via fit sursum; non secus atque hypochondriorum tensio dum itur deorsum.

QVIESCVNT SINE CAVSA.] Sine dolorifici mali exitu manifesto; restituta scilicet libertate spirandi sine anacatharsi libera, ac sine erysipelate foris exorto. Erit igitur vera hæc ratáque decisio. Quemadmodum hypochondrij meteorismus fugax, dolorisque expers qui caret borborygmo quo debet exolui, superueniente parua & crebra spiratione immeritò quiescente; *μετάστασιν* denunciat sursum ad caput. Sic respiratio difficilis quæ sine causa quiescit, exorto hypochondrij meteorismo fugaci; abscessum in cruribus fore ostendit. Huc etiam pertinet illud quod iam suprà positum est. *Tumore hypochondriorum vanescente, spiratio frequens, biliosis quidem in febre acuta; parotidas vomit.* Nam quotiescumque denunciata sursum inclinatio, repletionem adfert capitis comatosam & cephalalgicam; tum expectari debent parotides. Atqui tensio hypochondriorum recens oborta, inflammationis expers, quæ sine borborygmo exoluitur in acuta febre quæ succedaneam habet difficultatem spirandi; *τῶν ἀναῤῥόπων* certissimum est argumentum. Ergo si translatio illa repletionem faciat cephalalgicam & comatosam, parotidas fundit.

Coac. 201 c. 11. li. 2.

25 Αἱ δ' ἐς τὰ σκέλεα τῶν (ἀποστασίων) ἐν τῇσιν ἐπικινδυνώσεσι περιπνευμονίῃσι· λυσιτελέες μὲν πᾶσαι. βέλτισαι δ' αἱ τοῦ πτυέλου πυώδεος αὐτίκα ξανθοῦ γινομένου. μὴ χωρέοντος δὲ τοῦ πτυέλου κατὰ λόγον, μηδὲ οὔρου χρηστὴν ὑπόστασιν ἔχοντος· κίνδυνος χωλωθῆναι τὸν ἄνθρωπον, ἢ πολλὰ πράγματα παρασχεῖν.

malè legebatur ...

At verò qui ad crura descendũt abscessus in peripneumonia multùm periculosa, vtiles quidem omnes; sed optimi demum illi qui pu-

rulento iam sputo pro flauo, abscedunt. Sin autem sputo non edito conuenienter, nec vrina hypostasin bonam habente, periculum est ne vel homo claudicet, vel multum facessat negotij.

lib. 6. Epidem. part. 2.

Illa demum vera est abscessuum omnium commendatio ad salutem, quando apparent & fiunt ὡς δεῖ, καὶ οἷα, καὶ ὅπη, καὶ ὅτε, καὶ ὅσον δεῖ, i. *quemadmodum, qualiter, quò, quando, & quantum oportet*: quarum circumstantiarum ratio in hac prognosi fœliciter explicatur.

At vero.] Distinctio est peripneumoniæ sanabilis in abscessum cruralem migrantis, in quo tenenda est illa regula quæ iam præscripta est. 10

Qui ad crura descendunt abscessus.] Per metaptosin peripneumoniæ, quam liberalis & libera sputi expurgatio non sanauit, nec biliosa deiectio, vrinave multa multi particeps sedimenti, ab ea tumorum, & superorum, & inferiorum, inclinatione reuocauit: ipsa verò signis comitata spei plenis, medicum consolatur.

In peripneumonia multum periculosa.] Specie magis quàm indiuiduo, cui salutaria signa salutariter suffragantur: quamquam periculo locus esset nisi dolorificum malum foras exiret, ac tum in pectore multi strepitus exaudirentur, vnde suffocatio in promptu esset.

Vtiles quidem omnes.] Quoniam illi procul fiunt deorsum perfectè, vt certè omnes fieri videantur, quemadmodum, quò, & quantum oportet. Ac primo aspectu recreare nos debent, non autem metu terrere sicut parotides quæ sunt ἀνάρροποι, καὶ ἐπίρροποι: propterea que terrificæ. 20

Sed optimi omnium illi.] Ac si diceret; est quidem in cruris capacitate & loci interuallo, sperabilis ex peripneumonia salus, eóque facta metaptosis periculi locum tollit: sed tamen si sine incommodo partis excipientis fiat ille abscessus, ac nihil capiat detrimenti, optimus iure dicetur.

Qui purulento iam sputo pro flavo abscedunt.] Purulentum dixit sputum, πυῶδες, non πύον i. quod à pepasmo factum est πῖον, ac mirificatum est. Sic enim coquendo pituita & bilis puriformes euadunt, & πέπονα præceptori dicuntur. Purulento sic sputo abscessus & decubitus facti in crura, præter commoditatem capacis loci, remotissimi à morbo & visceribus, laudantur à materia. *Abeuntium namque pepasmi, opportuni & critici omnes.*

Sin autem sputo non edito convenienter.] i. Non cocto; sed retinente cruditatem & feritatem propriam humoris biliosi. 30

Nec vrina hypostasin bonam habente.] Vt cruditas vniuersi ad cruditatem accedat partis afflictæ.

Periculum est ne vel homo claudicet, vel multum facessat negotii.] Ea namque materia in articulum defluens, intráque eam collecta, cur distendendo & proritando, molestiæ plurimum exhibeat, arbitror requiri à nemine qui ratiocinari sciat. Tanta autem putredo sæpe est, vt ligamentum corrumpat: vnde claudicatio immedicabilis. Nec erit mirandum si qui sunt quibus membrum ipsum totum computrescat, gangrænam concipiat, sitque extirpandum: quale fatum eos manebat in pestilentia, quorum in membra defluebat, non abitura in pus, sed aliam quandam in putredinem, materia. Cruda, nec cocta, vt in malos abscessus conuertantur, primus liber τῶν ἐπιδημιῶν docuit esse necesse. 40

lib. 1. Epid.

26 Ην δὲ παλινδρομέωσιν αἱ ἀποστάσιες, πυρετοῦ παρακολουθοῦντος, καὶ τοῦ πτυέλου μὴ χωρέοντος· κίνδυνος θανεῖν, καὶ παραφρονῆσαι.

Sin autem recurrant abscessus, & febris consectaria sit, nec sputum foras exeat; hinc mortis & delirij metus adfertur. 50

Quemadmodum in spe angusta salutis, naturæ contentio tanta est vt mortis periculo defungitur, sicut in angina & peripneumonia iam vidimus: sic etiam sæpe fiducia curationis debilitatur ex palindrome seu recursu. Sanè in angina, cùm strangulatio fortis, sæuique doloris cruciatus & orthopnœa, citæ mortis venturæ causas in promptu esse testentur; desperatio vertitur in spem, si erysipelas in ceruice & sterno per metaptosin exortum, laryngis dolorem minuat, vnáque liberiorem faciat spirationem. Eadem spes rursum desperationis habet successionem, si erysipelas intrò reuersum, peripneumoniam faciat, vel anginæ relapsum. Est igitur operæprecium τὴν φρόνησιν ἐπιτηδεύειν, i. *prudentiæ studium exercere*, ac tanquam è specula futuras tempestates prævidere. 60

Ergo. Sin autem recurrant abscessus.] i. Si à peripneumonia exortæ parotides, vel abscessus crurales non suppurent nec fistulentur, nec vllo modo exitum foras habeant; nec vacuatione propria, nec deriuatione per diarrhœam aut perirrhœam: sed intrò cursim eò reflectant, velut postliminio, vnde venerunt; quod propriè dicitur παλινδρομεῖν (quamquam & illud verbum reperio vsurpatū pro recidiua siue relapsu exacti iam morbi, vt in illo: Τὰ γὰρ πρὸς διαγνῶναι ... παλινδρομεῖ ... διάλυσις

ὑδέρῳ κτλ. i. *Hydrops qui medicinæ contestit, si quidem recurrat, desperatur.*) Est igitur palindrome duplex, vna refluxus, altera recidiuæ. Ac recidiuæ quidem, vt cæteras omittam causas; si morbi exacti supersint reliquiæ, si causæ morbificæ perennis generatio sit, vt in hydrope per alienationem facultatis sanguificæ, qualis est hydrops soprà iam positus. Palindrome autem refluxus, quæ & verè dicitur, & hîc appositè scripta est; retractione & orgasmo perficitur. Ac retractionis quidem causa est, partis empyreuma superstes, cum amplitudine venarum & arteriarum, qui vi attractrice carnes ipsas præcedunt; lib. I. περὶ νόσων: orgasmi autem, materiæ exclusæ feritas, quæ temperamento & corruptione calida est, substantia tenuis, & qualitate acris; maximè verò si tum exoriatur abscessus, cùm adhuc flaua expurgatio fit peripneumoniæ, necdum purulenta. Ibi palindrome est in metu. Ibi non rarò vanescunt tumores immeritò; quod propriè ἀφανίζειν vocat Hippocrates.

Et verbis consectaria sit.] i. Nouam systrophen ipsius pulmonis consequatur, quæ, facta metaptosi humoris, & oborto abscessu quieuerat: id enim significat πυρετὸς ἐπακολουθοῦντος. Consequitur autem febris, tanquam symptoma inseparabile systrophicæ inflammationis quæ nouam excitat peripneumoniam, concitato iterum rheumate in pulmones, ab humoris refluxu exitum non habentis. Est enim ratum illud; quòd omnis androme ibi morbum facit vbi subsistit, casusque infert partis obsessæ, humorisque morbifici proprios.

Nec sputum foras exeat.] Denegat scilicet anagoge rheumati concitato, ex quo in pulmonibus consistente, assurgit phlegmone peripneumonica: quod certè non fieret si liberalis & libera esset expurgatio, vnde tensionis laxitas, spirationis libertas, febrisque remissio comparatur.

Hinc mortis et delirii metus adfertur.] Mortis quidem, per suffocationem caloris vitalis; delirij autem, per propagationem humoris maligni & efferi, cerebrum occupantis, nec hæmorrhagiam cientis. Inde phrenitis super peripneumonia nasci solet. Ac talis peripneumoniæ crudelitas, eleganter his verbis describitur à præceptore: ἑβδομαῖοι ἢ ὀλιγημερώτεροι θνήσκουσιν· οἱ μὲν τοι ἢ τὴν γνώμην βλαβέντες· οἱ δὲ ὑπὸ τῆς ὀρθοπνοίας καὶ τοῦ ῥέγχεος ἀποπνιγόμενοι, i. *Septimum diem agentes, aut etiam celerius moriuntur; mente nonnulli læsa, nonnulli ab orthopnœa & stertore suffocati*. vt ratione vtraque, fatalis ad interitum esse videatur; extinctione caloris & suffocatione ab orthopnœa. Scire autem licet, quòd omnis affectio per geminam palindromen, perque metastasin nata, grauius inferi malum quàm primigenia. Quæ cùm ita sint, calamitosa est omnis palindrome; quam feritás malignáque facit cacochymia.

[Aph. 14. 7. lib. 2. acut.]

27 Ὅσοι δὲ τῶν περιπνευμονικῶν μὴ ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τῇσι κρισίμοισιν ἡμέρῃσι, ἀλλὰ παρακόψαντες διέφυγον τὰς τεσσαρεσκαίδεκα· κίνδυνος ἐμπύοις γενέσθαι.

Qui autem peripneumonici, diebus criticis non expurgati sunt, sed eos cum delirio exegerunt; tandem exactis quatuordecim morbi diebus, periculum est ne purulenti fiant.

Huius prognoseos demonstratio repetenda videtur ex illa iam posita & explicata, cuius verba hæc sunt: *Iam vero dolorifica partium istarum mala quæ non quiescunt nec expurgatione sputi, nec sanguinis detractione, nec pharmacia, neque diata; in suppuratum vertuntur.* Sed nobis ex officio incumbit appositè quædam scribere ad ea quæ diebus criticis incidunt epigenomena, loco τῶν ἐπιφαινομένων peripneumoniæ propriorum.

[Coac. 15. huius cap.]

Ergo. Qui autem peripneumonici.] Qui sæuis peripneumoniæ iam descriptæ symptomatis exercentur, quæ sunt; meteorismus in spirando, calida expiratio, dolor sub omoplata qui prorepit ad jugulum, pectoris grauitas, febris acuta, anxietas atque jactatio, delirium quoque ipsum.

Non expurgati sunt.] i. Qui liberalem & liberam anacatharsin non habuerunt sputi flaui pauco perfusi sanguine, in quo apparet morbificus humor, vnde assurgit phyma pulmonis quod peripneumoniam facit, ex qua peripneumonici nominantur, & cuius expurgatio repletionem vacuat particularem, ac dolorificum malum foras educit.

[Sic lib. 2. περὶ νούσων. Καὶ ἀπὸ τῶν κρισίμων ἡμερέων ἐπιφαινόμενα ...]

Diebus criticis.] Ita tamen vt citò inceperit mitificari & expui: diebus autem criticis liberè & liberaliter expurgetur; vt scilicet illis diebus quibus natura cum morbo decertat, victricis naturæ signa edantur per propria epiphænomena, nec vlla fit accessio τῶν ἐπιγινομένων per propagationem causæ morbificæ, perque sympathiam nobilium partium sociarum & vicinarum. Singulis est autem criticorum dierum notatio in nomine principum siue κυρίων: quia dominatu & magisterio dierum criticorum, morbi omnes reguntur & exiguntur. Sunt autem pleuritidis & peripneumoniæ dies critici 3.5.7.9.11.14. Huc spectant illæ prognoses. *At verò sputum in pleuriticis, tertianum quidem cæptum mitificari & expui, citas facit discessiones morbi: serius autem, tardiores.* Et, *Pleuritides autem biliosæ simul & sanguineæ, vt plurimùm nono aut vndecimo judicantur: ac ferè salutis concedunt.* Et, *Sputum verò flauum, pauco permixtum sanguine, peripneumonicis, ineunte quidem morbo editum; salutare est, multùmque confert: septimum verò diem agenti, aut prouectiori; securitatis minus est.* Ergo diebus criticis commoda sunt epiphænomena quæ faciunt aut iuuant discessionem morbi; facessant epigenomena.

[Coac. 7. huius c. Coac. 9. huius cap. Coac. 16. huius cap.]

SED POSTEA IN DELIRIA EXEGERUNT.] Denegata scilicet anacatharsi, & irrita contentione naturæ quam præstat quiescere quam aliquid frustra moliri. Ex ea enim molitione irrita, translatio fit ad caput, cuius repletio, paraphorica edit symptomata, si nulla fit hæmorrhagia ex proritatione calidorum vaporum & acrium. Παρακόψαντες autem dixit apposite, non φρενιτικοί, quoniam scitum est, quòd pituitæ & bilis affectiones quæ cerebrum in sympathiam abducunt, non habent illud τὸ διηνεκές. i. *perpetuum*, quod in phrenitide esse solet, non in paracope, quam alibi scripsit in phrenitidem non raro transire, vt sæpe sympathia vertitur in idiopathiam. Est igitur illud notabile, quòd in vacuitate propriorum & commodorum ἀποκαθαρμάτων, solent incidere τὰ ἐπιφαινόμενα mala: quemadmodum in hac videmus peripneumonia, quæ pro anacatharsi commoda criticorum dierum, paracopen edit terrificam. 10

TANDEM EXACTIS QUATUORDECIM MORBI DIEBUS.] Vt vita superstite, validarum virium beneficio exacti sunt quatuordecim morbi dies, intra quos pleuritici & peripneumonici, morbo aut vita solent defungi: vt cæteri omnes qui acutorum morborum dominatu tenentur, quos docet præceptor intra quatuordecim dies iudicari.

PERICULUM EST NE PURULENTI FIANT.] Causæ sunt explicatæ in commentario ad 19. progn. fin huius cap. Est autem suppuratio media quædam res inter sanationem, & desperatam salutem.

lib. 1. prog.

28 Τῶν περιπνευμονικῶν αἱ ἐκ πλευριτικῆς μεταστᾶσαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς γινομένων ἀσφαλέστεραι. 20

Peripneumonia pleuritidis succedanea; tutior est primigenia.

ILLA DEMUM successio morbi quæ, fractis iam viribus, ex maligna cacochymia ortum habet, grauissimum infert malum, ne dicam mortiferum. Sic enim statuit summus præceptor, cuius præceptum attulimus ex lib. περὶ νούσων. Sed illud theorema potissimùm lumeo suum ostendit in metaptosi pleuritidis in peripneumoniã, & huius in phrenitidem. Ac de illa successione extant quæ idem scripsit hæc breuia. Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη κακόν. i. *Pleuritidi superueniens peripneumonia; mala.* Et, Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις κακόν. i. *Peripneumoniæ phrenitidem succedere; malo est:* quoniam in vtriusque morbi successione, metastasis fit humoris indomiti, efferi; fractis iam viribus à primigenio morbo, in partem nobiliorem, cuius afflictio calamitosior est quàm eius vnde per metastasin exorta successio est. Nemini enim dubium est quin pulmo sit costis nobilior, & cerebrum ipsum pulmone. Ac nemo inficias iuerit quin primigenij morbi materia sit mitior, quàm secundarij per metastasin nati, non per diadochen. Quinetiam credibile est, tolerabiliorem esse morbum qui validis venit viribus, quàm qui effœtis. Quæ cùm ita sint, legatur ita prognosis. 30

Τῶν περιπνευμονικῶν αἱ ἐκ πλευριτικῆς μεταστᾶσαι χαλεπώτεραι τῶν ἐξ ἀρχῆς. 40

Peripneumonia pleuritidis succedanea; grauior est primigenia.

DE alterutrius autem morbi in alterum mutatione; rara est, imò nulla peripneumoniæ in pleuritidem: huius autem frequens in illam: sicut Galenus annotauit comment. ad aph. 11. lib. 7. Est igitur corrigenda scriptura quæ legitur ad finem paginæ primæ lib. 1. περὶ νούσων.

29 Τῶν σωμάτων τὰ γεγυμνασμένα καὶ πυκνὰ θᾶσσον ἀπὸ τῶν πλευριτικῶν, καὶ περιπνευμονικῶν ἀπόλλυνται, τῶν ἀγυμνάστων. 50

Exercitata corpora & coacta, celeriùs à pleuritide & peripneumonia intereunt, quàm quæ in otio conflictantur.

HACTENUS de malefica vi pleuritidis & peripneumoniæ, in efficiente causa rheumatis concitati & consistentis: nunc de suscipientis affectione dicendum. Ac primùm ponatur hoc theorema. Quoties ad præparationem suscipientis causæ accedit vis magna efficientis, tum facilis morborum generatio est, difficilisque discessio. Sic tabidi omnes quorum viciata conformatio perennitatem suscipit catarrhi è capite prolabentis; & facilè corripiuntur tabe, & difficulter exoluuntur: sed medicorum opinione celerius moriuntur. Sic exercitata corpora & coacta, celeriùs intereunt quàm quæ in otio conflictari cœperunt. Cuius prognoseos veritas ita lucebit, si ad propositum theorema, tanquam ad Momi lucernam, examinetur. 60

Exercitata corpora.] Non quidem exercitatione κατ' φύσιν: sed ea quæ fit παρὰ φύσιν quæ & labore ipso, & continuatione, & repentina mutatione vnius in aliud genus laboris; naturæ molesta est; ac primùm difficultatem magnam spirandi parit, quæ cernitur in spiratione sublimi; mox rheuma concitatum edit κατ' ἄνω sanguinis æstuantis & orgasmum habentis, deinde ad ἰσχνὰς partium afflictarum, nempe thoracis atque pulmonum, idque per venas interiores, quatum vis maior est attrahendi quàm tardium, in corpore denso atque coacto. [lib. 2. de diæta.]

Et coacta.] Cuiusmodi sunt leuia, glabra, & crassa, minimùm perspirabilia, quæque thoracis angustiam præ se ferunt. Vt enim amplificatio caloris natiui nectaris atque viuifici, coniunctam ferè habet thoracis amplitudinem, nisi caput in vitio sit; vnde vox plena editur atque sonora: sic frigidior temperatio cordis, angustiam secum adfert partium spirabilium. Ac tales naturæ sunt λειόχρωτες, *i. cute polita*, λευκόχρωτες, *cute alba*, μελανόφθαλμοι, *nigrorum oculorum*, [illegible], *rubrorum nigrorumque capillorum*, ὀξύφωνοι, *acutè vocales*, εὔγλωσσοι, *facunda*, sicut Hippocrates tradidit. [1. Epid.]

Celerius a pleuritide et per peripneumonia intereunt.] Magnitudine morborum in causa: quoniam eius naturæ non sunt congeneres, nec vnquam sua sponte venirent à sanguine multa bile perfuso, nisi vis inferretur ab exercitatione immodica & violenta. *Nam nodum crassiores, rarò pleuritide infestantur.* Intereunt etiam symptomatum vehementia. Nam & spiratio difficillima est, & lateri dolores, & febris acuta, & tussis molesta; vt interim taceam τὰ [illegible], quorum numerosa productio esse solet in vacuitate commodorum [illegible], vt mox dicetur. Postremò talibus naturis ferè ad interitum fatalis est peripneumonia & pleuritis, difficultate ipsa curandi. Nam in iis ferè sicca est peripneumonia, sicca item pleuritis & sputi expers, nec facilè cieri potest commoda expurgatio: quia non explicatæ sunt alæ pulmonum, in contumaci materia & thoracis infirmitate. Huc accedit quòd neque diæta, neque sanguinis detractione, nec pharmacia cathartica & anacathartica, tam conuenienter, & loco & iure oppugnari possunt pleuritis & peripneumonia crassorum natura hominum, quàm ipsorum gracilium. Nec verò tanta esse possunt naturæ & artis officia quæ faciant aut iuuent discessionem eorum morborum in crassis, quàm in gracilibus: vt verum illud esse voluerit quod scripsit: *Qui natura sunt crassi, celeriùs (& fato & casu) moriuntur, quàm graciles.* [lib. 5. aph.]

Quam qui in otio conflictantur.] Aut certè in exercitatione κατ' φύσιν, cuiusmodi est deambulatio quæ nullam infert dyspnœam. Est enim dyspnœa frequens & parua in crassis, nimium exercitatis, periculosa, quæque non facilè in iis exoluitur; cum propter vaporis fumidi abundantiam, tum propter meatuum spirabilium angustiam; tum quia δυσδιάπνοον, *i. vix perspirabile est corpus eorum*, quod intus foras quicquam expirare non sinat, nec exudare. Est autem in expiratione corporis perspirabilis atque meabilis, magna opportunitas exoluendæ pleuritidis & peripneumoniæ. Sit igitur illud ratum; quòd sanabilior est pleuritis quæ cùm otio & facili spiratione cadit in crassos, quàm cum exercitatione violenta quæ infert spirationem sublimem, & spirabiles partes fatigat & labefactat, cum fumidi vaporis abundantia in corpore minimùm perspirabili.

30 Κορύζας καὶ πταρμοὺς τοῖσι περὶ τὸν πνεύμονα νοσήμασι, ἢ προγεγονέναι, καὶ ἐπιγίνεσθαι πονηρόν· ἀλλ' ἐν τοῖσιν ἄλλοισι νοσήμασι τοῖσι θανατωδεστάτοισιν, οἱ πταρμοὶ λυσιτελέουσι.

Coryzas & sternutamenta in morbis pulmonum præcessisse, aut consequi, calamitosum: in aliis verò morbis maximè exitialibus, adiumentum adferunt sternutamenta.

Vt corporis temperamentum, complexio, & conformatio, εὐπαθείας ἢ δυσπαθείας præ se ferunt excipiendorum morborum vel atrociorum, eademque facilitatem in promptu habent, aut difficultatem & contumaciam exoluendorum: sic in natura existunt peculiares quædam affectiones, quarum ope aut vitio, vel grauiorum malorum secura est, vel iis multùm & periculosè obnoxia. Sic *quartanarij magno morbo non corripiuntur: quòd si correpti fuerint, superueniente quartana liberantur.* Contrà homines [illegible] à distillatione serina, & faciliùs tabem concipiunt, & sanescunt difficiliùs quàm cæteri. Ne longum faciam; theorematis propositi veritas, in hac prognosi lumen suum ostendet hoc modo.

Coryzas.] Ac si diceret; superiore prognosi patefacta est facultas aut difficultas posita in temperamento, complexione, & conformatione excipiendi pleuritidem & exoluendi: nunc de affectionibus, insitis vel aduentitiis, quæ idem faciunt, disserendum. Ergo.

Coryzas.] i. Catarrhos & serinas distillationes è capite prolabentes, quæ homines tussiculosos faciunt atque raucos, quas fundit caput repletum; vel à tempestate austrina quam excipit aquilonia; vel ab vsu vini generosi & vaporosi; vel a perennitate vaporum quæ posita est in contraria intemperie partium nobilium & humorum, videlicet iecoris æstu incandescentis cum sanguinis orgasmo, & capitis densi atque coacti minimèque perspirabilis. Sic enim visum est priscis medendi magistris; quòd illæ demùm naturæ valetudinariæ sunt per catarrhos, quantùm partes nobiles temperie constant dissimili, [Gal. lib. 3. de aliment.]

nec consociasi. Consilium autem fuit, coryzæ nomen Græcum vsurpare, & nomine catarrhi explicare (non autem grauedinis, quæ tamen propriè dicitur de coryza) experspicientia [illegible] nostri authoris, qua duce, verborum aucupia sectari debemus. Etenim non me latet coryzam dici propriè humorem illum tenuem crudumque qui per nares exprimitur: sicut Galenus annotauit in prognostico ad hanc prognosin ex præceptoris doctrina; qui grauedinosos ait rarò fieri lienosos. Hippocratis verba (6. Epid. part. 2.) hæc sunt: [illegible] i. *Rarius ex qui sunt è capite grauedinosi.* Quem locum enarrans, Rufi & Sabini authoritate adductus, ideo grauedinem, lienosis materiam & occasionem ait præripere, quòd ea sanguinem faciat puriorem, cuius impuritate lien tumescit, ex cuius tumoris inueteratione homines lienosi dicuntur. Sed quorsum grauedo pleuriticum damnis auget? immo leuat potiùs deriuatione catarrhi per nares. Quò me adducit etiam theorema illud Galeni quod posuit ad demonstrationem symptomatum [illegible], lienis prætumidi, & capitis grauedinosi. Est autem eiusmodi: [illegible] i. *Perrarò fit in vniuerso corpore vt duæ certæ partes, pariter, similiterque infirmæ sint.* Est quidem grauedo symptoma catarrhoicum cerebri humorem tenuem exprimentis. Sed tamen ea expressio nihil de pectore, nihil de pulmonibus malè meretur. Consultò igitur nomen coryzæ, non grauedinis vsurpandum, & catarrhi nomine vertendum putaui.

ET STERNVTAMENTA.] Quæ sunt fortissimæ & sonoræ concussiones cerebri studentis excutere quod sibi molestum est, fiuntque calefacto & proritato cerebro, vel humectata parte ipsius inani.

IN MORBIS PVLMONVM.] Asthmate, peripneumonia, phthoë.

PRÆCESSISSE.] Vt in iis qui exacto vere in tussi, necdum secuta æstate, finem tussiendi fecissent tabidi jacuerunt, cum spe salutis angusta.

VEL CONSEQVI.] Ex tumido vapore pulmonis & cordis, caput replente; ex qua repletione symptomata oriuntur quibusdam cephalalgica, paraphorica nonnullis, cataphorica & comatosa mixta: quemadmodum & his catarrhoica, vnde pulmo & caput mutuò se afficiunt, mutuasque tradunt operas in ægri perniciem; ille quidem, caput replendo; hoc verò, perennem catarrhum fundendo & opprimendo.

CALAMITOSVM.] Siue *pestiferum*: quoniam concussione fortissima sternutamenti, lacerantur pulmones & inflammantur, vnde noua trahendi & absorbendi occasio: deinde a perenni prolapsu catarrhi replentur; vnde symptomatum grauiorum accessio; sputi anacatharsis nulla, certe aut inanis atque inutilis, quia spuendo nihil proficiunt ægri, nec sputa dolorem sedant, proptereàque praua. Est igitur pestifera vis catarrhi & sternutamenti, omnibus qui ex pulmone laborant: quoniam accessio fit causæ morbificæ, & partis obsessæ maior infirmitas comparatur; illa quidem a catarrho; hæc autem à sternutamento.

IN ALIIS AVTEM MORBIS.] Vniuersi corporis & partium singularum; vt in febribus cum pepasmo. in apoplexia, paralysi, paraplegia, epilepsia, lethargo, & comate tum vigili, tum veternoso: quin etiam in [illegible] siue partu difficili, & puerperiorum suppressione.

ADIVMENTVM AFFERVNT STERNVTAMENTA.] Hic enim natura potens est causæ morbificæ, quam concutiendo excutit; sed ea temerè cienda non sunt, nec antequam purgationi & vacuationi operam dederis, atque quodammodo mitificari cœperit humor, maximè in cerebri symptomatis cataphoricis & catarrhoicis. Nam & conuulsio paraplegiam sanat. Est autem salutaris mutatio (prorrh. 26. f.3.1.) conuulsionis in concussionem, vt paroxysmi epileptici in sternutamentum quod in concutiendo cæteros omnes concussiuos motus præcedit, qui cernuntur in rigore, singultu, & tussi. Ac sternutamenti tam fortis est concussio, vt mulieres hystericas velut ex faucibus Orci ereptas restituat, bonique signi & causæ rationem obtineat, parturientes à difficili partu expediat, reliquias puerperiorum excludat, quæ [illegible] Græci vocant. (aph. 35. & 49. lib. 5.) Atque in iis primo quoque tempore sternutamentum [illegible] ciere oportet, ac spiritum cohibere, vt fortior concussio sit, opprimendo nares & ora.

31 Τοῖσι περιπνευμονικοῖσι, οἷσι γλῶσσα πᾶσα λευκὴ καὶ τρηχεῖα γίνεται· ἀμφότερα φλεγμαίνει τὰ μόρια τοῦ πνεύμονος. οἷσι δὲ τὸ ἥμισυ ἐν καθ' ὃ φαίνεται· καὶ οἷσι μὲν πρὸς τὴν μίαν κληῖδα ὁ πόνος γίνεται· ἡ ἄνω πτέρυξ τοῦ πνεύμονος ἡ μία νοσέει. οἷσι δὲ πρὸς ἄμφω τὰς κληῖδας ὁ πόνος γίνεται· αἱ ἄνω πτέρυγες τοῦ πνεύμονος ἄμφω νοσέουσιν. οἷσι δὲ κατὰ μέσην τὴν πλευρὴν· ἡ μέση. οἷσι δὲ πρὸς τὴν διάτασιν· ἡ κάτω. οἷσι δὲ τὸ πᾶν ἓν μέρος πονέει. πάντα τὰ κατὰ τοῦτο μέρος νοσέει. Ην μὲν οὖν σφόδρα φλεγμαίνωσιν αἱ ἀόρται, ὥς τε προσκαθεῖσθαι πρὸς τὸ πλευρὸν· παραλύονται τὰ κατὰ τοῦτο τὸ μέρος τοῦ σώματος, καὶ πελιώματα περὶ τὴν ἔξω πλευρὴν γίνεται· τούτους δὲ ἐκάλεον οἱ ἀρχαῖοι βλητούς. ἢν δὲ μὴ σφόδρα

ἀορταὶ φλεγμαίνωσιν ὥς τε μὴ προσκαθῆσθαι· ἀλγηδὼν μὲν γίνεται παρ' ὅλον, οὐ μὴν παραλύονταί γε, οὐδὲ πελιώματα ἔχουσι.

Quibus peripneumonicis tota lingua fit alba & aspera: pulmonis ambæ partes inflammantur: quibus autem dimidia; tantùm illa pars quæ spectatur: & quibus ad vnam clauiculam dolor est; vna superâ pulmonis ala ægrotat: quibus autem ad ambas clauiculas dolor vrget; ambæ superæ pulmonis alæ laborant: & quibus circa mediam costam; ibi & media: quibus autem circa septum transuersum; inferæ quoque ibi: at verò quibus dimidia pars tota pulmonis obsessa est phlegmone; omnia quæ adiacent ei parti, laborant. Ergo si vehementer inflammentur aortæ vt in latus incumbant; & corpus ea parte resoluitur, & costa exterior liuore tegitur; huiusmodi autem peripneumonicos prisci vocabant syderatos: sin autem non prægrandis inflammatio fit, vt lateri non insidant aortæ, tota quidem parte hac facit dolorem, non tamen resoluuntur, nec habent liuores.

PRIMA EST medico ad bene scienterque medendum commendatio, vt primùm notitiam habeat afflictionis & partis afflictæ. Hanc autem notitiam ex hoc theoremate comparabit. Quemadmodum actio læsa partiumque vicinarum & sociarum sympathia, partis affectæ certissimum est argumentum: sic læsionis species, affectionem ipsam cuiusmodi sit planè ostendit. Ac ne ferantur extra oleas, vt in Græcorum prouerbio est; peripneumoniæ quidem affectio, partisque affectæ ratio, suprà non ita pridem posita est in spiratione sublimi, expiratione calida, pectoris grauitate, scapularum dolore qui prorepit ad iugulum, febre, iactatione, delirio quoque ipso. Atque symptomata hæc omnia sunt affectionis ipsius & partis affectæ propria, i. inflammationis & pulmonis: vt dubitari non possit quin peripneumonia sit, quando ea fiunt atque apparent. Sed quia pulmonis non vna tantùm est regio, partiumque circumiacentium, nec vna peripneumoniæ idea sed multiplex, posita in humore morbifico; & natura, loco, atq; situ partis obsessæ; tum quia peripneumoniæ non semper fit crisis per anacatharsin, sed frequens mutatio in empyema quod facit ἐμπύους, quibus expurgandis si desit anacatharsis, vstio necessaria est, vt conuenienter & commodè medicina fiat, non solùm κατὰ φύσιν, sed κατὰ τόπους; tenenda est regula quam in hac prognosi posuit summus præceptor ad comparandam diagnosin, & inde natam curandi rationem, & scopum ad vacuationem humoris morbifici ac redintegrationem partis obsessæ.

Ergo. QVIBVS PERIPNEVMONICIS.] Dum manet peripneumonia, cuius pathognomonica paulò antè sunt posita, cum iis quæ sunt epigenomena per sympathiam partium sociarum & vicinarum.

TOTA LINGVA.] Pars illa, sermonis dædala & gustatus, quæ duabus expleta est partibus quas linea mediana coniungit: vtraque autem spongiosa, triplici contexta fibrarum genere, tenui membrana obducta quam accipit partim à gula, partim à gutture; quæque præter commemorata signa, plurimùm valet ad comparandam diagnosin & prognosin pleuritidis & peripneumoniæ: sicut in lingua fucata & bullata iam ostendimus ex lib. 3. περὶ νούσων.

FIT ALBA.] Vel potiùs rubra & flaua, vel æruginosa, malis ægri rebus fucata; non quidem per metaptosin, sed per sympathiam partium vicinarum & sociarum, i. pulmonum incendio conflagrantium, idque per epigenesin fieri proterpentis ab inflammata parte secundùm membranam quæ à larynge exorta, linguæ obducitur. Consultò autem pro alba, rubram aut flauam legendum putaui: quoniam si lingua est ὁμόχροος τῶν προσιόντων, i. *concolor partium adiacentium*; ipsa pulmonum πυρεσσόντων in peripneumonia, non est alba, sed rubra & flaua; de qua iam illud proditum est: *Sputum verò flauum pauco permixtum sanguine, peripneumonicis, ineunte quidem morbo editum; salutare.* At qualis humor est ἐπιφαινόμενος, tali colore lingua fucatur. Nullam autem peripneumoniam agnoscit præceptor, nisi quam facit phlegmone systrophica ex rheumate concitato nata, sanguinis multa & effera bile perfusi. Qualia igitur sunt epiphænomena in expurgatione: talia in colore apparent partium fucatarum. Sed epiphænomenon in expurgatione, flauum est pauco perfusum sanguine. Quò fit vt coloratio linguæ fit flaua & rubra: quoniam peripneumonica epiphænomena lucent in lingua, sicut in sputo.

FIT ASPERA.] Glandularum saliuam effundentium, venarum hypoglottidum, tunicæque gutturalis linguam vestientis nimia siccitate: quia pulmonibus velut incendio conflagrantibus exaruerunt; iterata illud: *Lingua & voces pariter vnà exasperantur.* Vt autem coloratio signum est linguæ suffusæ: sic asperitas resiccatæ & ab exhausto laborantis. Ac primùm percipitur visu & tactu παχεῖαν, i. *rigidiuscula*; inde τετρηχυσμένη, i. *exasperata*, postremò ῥωγμώδης, i. *hiulca*: non secus atque hiulcatur pinguis

Coac. 5. & 6. huius cap.

Coac. 16. huius cap.

lib. 4. Epid.

terræ quæ folibus perusta exaruit atque diuulsa est. Nec verò tam graue est linguam fucari, quàm exasperari: modò nigra non fiat, inter quam & fuliginosam hoc interest, quòd illa semper sit comes asperitatis, hæc verò læuitatis & æqualitatis.

Pvlmonis ambæ partes.] Quibus expletur pulmo, totusque absoluitur; dextra scilicet atque sinistra, mediana quadam linea interseptæ; duabusque fibris velut alis instructæ, ac tribus intertextæ vasis; antè quidem, arteria venosa; pòst, vena arteriosa; inter quas media decurrit arteria aspera: omnibus in totum pulmonem ramosè distributis vsque ad ipsius tunicam à subcostali ortam, neruulosque à sexta cerebri conjugatione sortitam.

Inflammantvr.] Phlegmone quidem systrophica, quæ dicitur phyma pulmonis, quod facit rheuma in vtramque pulmonis partem, pariter æqualiterque concitatum, ibique consistens: vnde significatio fit necessariæ in vtroque brachio phlebotomiæ, ad retractionem rheumatis concitati, & ad consistentis detractionem, dum manet phyma pulmonis crudum, nec liberam habet, nec liberalem anacatharsin: quod si in empyema vertatur, nec expurgatione propria vacuetur, nec etiam diarrhœa, nec perirrhœa; nec item exoriantur parotides, nec abscessus crurales: sed rupta intus vomica suffocatio cita citò arcenda sit; vt certè citò arceri debet; parte vtraque thoracis vstio adhibenda, modò supera, modò infera, vel inter has media, pro vario situ doloris, vt mox dicetur.

Qvibvs avtem dimidia.] Pars alterutra linguæ quam diximus esse geminam, duabusque expletam partibus: sicut cæteræ omnes quæ facultatum ministræ sunt, motus, procreationis, & sensus: nam principatus viuifici non sunt diuisi, vt cor & hepar.

Tantvm illa pars qvæ spectatvr.] Pars scilicet illa pulmonis quæ jacet è directo alterutrius partis linguæ fucatæ & asperæ: non enim fucatur, nec exasperatur linguæ pars è diuerso inflammati pulmonis; vt admirabile illud sit quod fit κατ' ἴξιν, ex impulsu naturæ, humoris motu, & partium afflictarum loco & situ. Est enim consentaneum vt omnia per metaptosin & epigenesin, fiant κατ' ἴξιν, nihil ἀνάπαλιν. Scitum est illud: *Hemorrhagia quæ fit ἀνάπαλιν* i. *è diuerso; praua est; vt in liene magno è dextris.* Quæ igitur fiunt κατ' ἴξιν, fortem naturæ contentionem denunciant, cui morem gerunt meatus & humor: quæ verò ἀνάπαλιν, orgasmum cacochymiæ venenatæ, & qualitatis malignæ, cuius magisterio regitur ipsa natura. Ergo verè dictum est quòd linguæ pars altera spectat in illam partem inflammati pulmonis vnde ipsa fucatur & exasperatur. Est autem inflammationis proprium; colore turpi fœdare, & perurendo atque siccando, partium vicinarum & sociarum æqualitatem vitiare. Sed tamen ea fuit opinio eius qui scripsit librum de locis in homine, vt peripneumonia dicatur, lateris vtriusque inflammatio; pleuritis verò, tantùm alterius. Verùm descripta in hac prognosi, partibusque suis distincta peripneumonia, Hippocratem sapit veriùs, quàm liber ille. Est enim consentanea doctrinæ prognostici, quam nemo nisi amens negarit esse Hippocratis summi medicinæ dictatoris.

Coac. 2. capit. 15. lib. 2.

Et qvibvs ad vnam clavicvlam dolor est.] Ad illud os tortuosum & inæquale, omoplatam cum sterno alligans, quod jugulum appellatur; cuius dolorem firmiter fixum, in supera pleuritide annotauit præceptor. De quo idem scripsit hoc breuiarium. *Doloris acerbitas, paulisper ad jugulum fixa, si ad superiora vertatur; mortiferum adfert malum.* Hic enim transitus fit peripneumoniæ in phrenitidem, si dolor paulisper ad jugulum fixus, repentè ad caput vertatur atque vanescat ἀφανὴς ἢ ἀπολ-ὼν è jugulo, nouumque incidat symptoma paraphoricum. Exoritur autem hic dolor per inflammationem propriæ, & sympathiam vicinæ membranæ, partiumque circumjacentium oppressionem. Aptior autem fuerit appellatio τῆς ὀδύνης; quàm πόνου: quoniam concitati & consistentis sanguinis, omnino signum est ipsa doloris grauitas, quam nimia intulit abundantia. Sed crebrò fit sensio atque præceptio τῆς πόνου, per sympathiam continuarum inflammationi partium, sine vlla sanguinis collectione, ac sine affluxu quemadmodum Galeno visum comment. ad lib. 2. περὶ ὀξέων. Hic autem non fit eiusmodi πόνος, sed βάρος: quoniã in peripneumonia dolor iuguli, dolorificum malũ ibi, nõ alibi subesse testatur.

lib. 2. acut. Coac. 76. 2. lib.

Vna svpera pvlmonis ala ægrotat.] Ergo non omnis peripneumoniæ symptoma, est iuguli grauitas & oppressio: sed eius tantùm quæ adjacet iugulo; adiacet autem superarum alarum phlegmone systrophica, non mediarum, nec inferarum. Tot enim fuerunt alæ parte vtraque pulmonis dum vixit Hippocrates atque Galenus, vt mox dicetur. Cuiusmodi autem sint alæ, paucis aperiam. Est quidem pulmo instrumentum spirabile & vocale. Est igitur sic efformatum à Deo, vt respirationi & exsufflationi commodè morem gerat. Ac respirationi morem gerit secutus motum thoracis ad inspirandum & expirandum, tumescendo & residendo: exsufflationi verò materiam vocalem excipiendo, quam exprimit fortis contentio intercostalium musculorum. Ergo vt follis cuiusdam instar, spiritu, quem ducendo viuimus, citò & affatim repleatur; fumidóque vapori pariter viam muniat ad expirandum & efflandum, necessariò ipsum constare oportuit carne molli & spongiosa, quam, ne collaberetur atque fatisceret (quoniam longa est via thoracis à iugulo ad diaphragma, quò vsque producitur pulmo vtraque parte thoracis) Deus in tres lobos vtrique parte diuisit, & ligamento firmauit. Et quia hi lobi, alarum more, dilatantur, facilè explicantur & colliguntur, ideo per metaphoram alæ dicuntur. Nã & Hippocrates scripsit ἀναπλοῦν τὸν βρόγχον, quem oxymelitis vsus dilatauit & explicauit.

lib. 3. acut.

Qvibvs avtem ad ambas clavicvlas dolor vrget.] A tensione valida, & intemperie forti tunicæ, pulmoni, clauiculisque intextæ: cuius tensionis & protitationis signum est doloris acerbitas.

Ambæ svperæ pvlmonis alæ laborant.] Ab inflammatione systrophica quam facit rheuma consistens sanguinis multa bile perfusi, cuius concitatio facta est per orgasmum è dextro sinu cordis, per venam arteriosam, ramosè vtrique alæ superæ, totique adeo pulmoni distributam.

Et

ET QVIBVS CIRCA MEDIAM COSTAM.] Quæ sexta est è duodecim.

IBI ET MEDIA.] Quoniam anadrome sanguinis ibi dolorem facit, vbi subsistit: subsistit autem ad mediam pulmonis alam quæ adiacet mediæ costæ; vel quia sanguis est crassior; vel copiosior. Nam superarum alarum phlegmone; vt ad alterutrius tenuitatem: sic vtriusque copiam cum tenuitate ostendit. Vbi autem grauitas, ibi & morbus.

QVIBVS AVTEM CIRCA SEPTVM TRANSVERSVM.] Diaphragma, quod à collocatione & situ, διάταιν nominauit: quemadmodum alibi διάφραγμα τῆς κοιλίης.

INFERA QVOQVE PAR.] Quæ attingit diaphragma, quod obliquo ductu extimas oras cingit nothanım costarum. Notabile est autem, inferam pulmonis alam hic recenseri præter eas quas iam recensuit; videlicet superam atque mediam: vt parte vtraque pulmonis, mediastino distincta, tres alas constituere videatur; quamuis hoc sæculo binæ tantùm vtraque parte appareant. Sed priscorum hominum thoracis amplitudo maior fuit ex amplificatione caloris viuifici, & capitis magnitudine. Tum erant in pectore septem ossa quæ nunc tria visuntur.

AT VERO QVIBVS DIMIDIA PARS TOTA PVLMONIS OBSESSA EST PHLEGMONE, OMNIA, QVÆ ADIACENT EI PARTI, LABORANT.] Pariter similiterque vt in aliis iam suprà posuimus.

ERGO SI VEHEMENTER INFLAMMENTVR AORTÆ.] Ἀορταὶ, ἀορτεαὶ, ἀορτεῶνες, ἀορτρά: pulmonum bronchia; quæ sunt cartilaginosæ propagines ab arteria aspera in totum pulmonem distributæ: vt illi, alioqui spongioso & molli, firmamento essent. Pollux in secundo. Ὁ δὲ βρόγχος τοῦ στομάχου προκείμενος, εἰς πνεύμονα τείνων, τῇ γλώττῃ καὶ τῷ στομάχῳ προσπέφυκεν· ῥιζοῦται δὲ ἐν μέσῳ πνεύμονι, τῇ μετὰ καὶ εἰς ὀπισθίους λοβοὺς ἐγκείμενος οἱ τοῖς νώτοις προσίζουσι, τῇ δὲ καὶ εἰς τοὺς ὑπὸ τοῖς στέρνοις. σχίζεται γὰρ εἰς πολλὰς ἀποφύσεις, αἳ καλοῦνται σύριγγες τε καὶ βρόγχια, καὶ ἀορταί i. *At verò bronchus præpositus gulæ, in pulmonem tendens, linguæ ac ipsi gulæ adhæresit: radices agit in totum pulmonem, partim in posticos lobos qui dorso incubant, partimque in eos qui sterno subiiciuntur: sanè enim in varias & multiplices propagines agitur quæ appellantur tubi, bronchia, aorta.* Quibus verbis explicantur illa lib. de locis in homine. Ἀορταὶ (sic enim Iones efferunt) αἱ συνέχουσαι τὸν πνεύμονα καὶ τὸν βρόγχον, i. *quæ continent pulmonem & guttur.* Nec aliud erat quod Galenus voluit in dictionario Hippocratico, τὸ ἀπηρτημένον τῆς ἀρτηρίας τοῦ πνεύμονος μέρος ἑκατέρωθεν, i. *pulmonis pars vtrinque ab arteria deducta.* Neque verò non idem illud; pulmonis substantiam, præter id quod carnosum est, persimile spongiæ, consurgere ex triplici, arteria venosa, vena arteriosa, & arteria aspera. lib. 3. & 6. de vsu part. Hæc enim illa est quam arteriam absolutè dixit ἐν γλώσσαις, vt erat in vsu primùm: sed eam asperitas postea ab reliquis separauit; cùm esset omnibus inditum nomen vel ἀπὸ τοῦ ἀέρα τηρεῖν, quod est *aërem ducere*, vel ἀπὸ τοῦ αἰρεσθαι, i. *attollere*, cuius præteritum perfectum in tertia persona habet ἄρται, vnde & per pleonasmum ἀορτή vel ἀωρτή Nam in plusquamperfecto Homerus vsurpauit ἀώρτο. Hoc eò dico quòd verisimile videatur, vt si arteriis omnibus sit commune nomen aorta; ei profectò κατ' ἐξοχὴν tribuatur, quæ ipsum sic possedit arteriæ. Est autem aspera, quam diffundi in pulmonem scimus: cui quæ dicantur medicamenta dicta sunt icc ἀρτηριακά. Sic quia arteria aspera βρόγχος vel βρόγχος vocabantur, eius quoque propagines, βρόγχια vel βράγχια appellata. Quò fit vt cùm nominis prærogatiuam dedero propaginibus illis, eius postea vsum concedam ei quam in pulmonem cor transmisit arteriæ. Eam Aristoteles νευρωδεστάτην cùm dixit: tamen æquè neruosam esse non putauit atque aspera arteria est: sed venis in eo prætulit, quibus cùm longè duriorem dissecta cadauera obtineant, nuncupata est ἀορτή: quod Græcis conceptaculum quidem omne, sed vaginam præsertim sonat; quam ipsa arteria, & figura, sic duritate refert: hic ὠχεῖν, μεγάλη, pulsatilis neruus, Arabum doctoribus arteria audax.

Ergo. SI VEHEMENTER INFLAMMENTVR AORTÆ, VT IN LATVS INCVMBANT.] i. Costis adhærescant, hoc est, si inflammatio pulmonem intus extràque ita occupet vt vniuersum peruadat, donec membranam inuadat costas succingentem, cum qua exudantis per summum ardorem sanguinis concretione conglutinetur. Ab æstu sanguinis inde magis inflammari pulmones incipiunt, vbi sunt maxima eius conceptacula in quibus, quasi in lebete, feruet. Diffunduntur autem per pulmones medios: vt nun nisi ardentissima inflammatio attingat superficiem eorum extimam, quæ aortarum ductus oculis ad videndum exhibet, & manibus ad contrectandum.

ET CORPVS EA PARTE RESOLVITVR.] i. Spirandi vis in thorace exoluitur: impeditis à pulmonum adhæsu intercostalibus musculis, quorum id officium fuit.

ET COSTA EXTERIOR LIVORE TEGITVR.] Qui color est subtilissimi sanguinis, cuius natiuum calorem inextinguibilis feruor extinxit. Nam crassior inde nigrescit. Est porro nigro proximus liuidus.

HOS PRISCI VOCANT ICTOS.] Βλητοὺς, ἀπὸ τοῦ βάλλειν, i. *ictos*, ἀστροβλήτους *de cælo tactos*, diuina virgula ictos: qualis eorum à morte color quos fulgor absumpsit: qualis vitium, quas gelu rigentes adhoc summo mane, intempestiuus Solis radius nulla ne leuissima quidem aura commoto aëre, præcepit: dictum vitium σφακελισμὸς, carbunculatio, Gazæ radicatio apud Theophrastum quinto de causis. De quo vide r. c. 1. huius lib. & lib. 3. de morbis per initia. Sed iis quæ leguntur part. 33. & 34. 1. de diæta acut. nulla verba accommodatiora sunt (loquitur autem de pleuriticis quos importuna ptissanæ exhibitio suffocat ὑπὸ ῥέγχους καὶ ὀρθοπνοίης, i. *stertore & spiratione sublimi*) μάλιστα δὲ τούτους οἱ ἀρχαῖοι βλητοὺς ὀνόμαζον, &c. i. *Hos maximè antiqui ictos opinabantur, eam ob causam præsertim* (i. propter celeritatem interitus:) *sed etiam quia mortuorum costæ liuidæ conspiciuntur, velut diuerberatorum.* Ab his eorum quæ subiiciuntur perceptio est, ex proportione causæ ad effectus, καθ' ὅτην τὸ μᾶλλον ducta.

32 Ἢν δ' ἅπας ὁ πνεύμων φλεγμήνῃ μετὰ τῆς καρδίης, ὥς τε καὶ προσπεσεῖν πρὸς τὴν πλευρήν· παραλύεται πᾶς ὁ νοσέων, καὶ κεῖται ψυχρὸς ὁ νοσέων ἀναίσθητος· θνήσκει δὲ δευτεραῖος ἢ τριταῖος. Ἢν δὲ καὶ χωρὶς τῆς καρδίης συμβῇ, καὶ ἧσσον πλείονα χρόνον ζῶσιν· ἔνιοι δὲ καὶ διασώζονται.

Quod si totus pulmo inflammetur cum corde, vt in latus procidat; resoluitur totus æger, iacetque frigidus, & sensus expers: moritur autem secundum aut tertium diem agens. Sin autem sine corde contigerit, idque minùs; seriùs vitam finiunt, & quidam euadunt.

PARTIVM officialium quæ distinguuntur septo quodam, vel mediana linea, proptereàque sunt geminæ; vt omnes ministræ motus, procreationis, & sensus; talium, inquam, partium grauior & periculosior est, vtriusque in officio laborantis aut eo carentis, quàm alterutrius; dextræ videlicet, aut sinistræ afflictio. Sic apoplexiæ, totius cerebri vitio; quàm paralyseos, alterutrius partis, grauior offensio esse solet. Atque vt in paralysi paralyticus manet superstes, superstite adhuc respiratione quæ cordis voto respondeat; in apoplexia autem forti quæ totum prohibet spiritus commeatum, cita mors venit: sic tolerabilis est illa pulmonis alterutrius phlegmone, quæ parti oppositæ libertatem non adimit qua morem gerit thoraci ad inspirandum, expirandum & efflandum. Intolerabilis autem est illa quæ totum obsidet, & summam infert contumaciam inspirationis, expirationis & efflationis. Hinc meteorismus primùm in respirando, mox orthopnœa, indéque apnœa mortifera. Quòd si ad grauissimum illud malum totius inflammati pulmonis, accesserit quoque inflammatio cordis obsessi; quæ salus vitæ sperabilis esse potest? certè nulla. Est enim magna pulmonis & cordis sympathia & syntimoria, in societate, vicinia, & spirabilis atque vocalis materiæ commeatu. Hic sanè in summa principatus offensione, pars illa consocialis cordi grauiter multumque laborat, cuius officio vitam ipsam carere non potis est, & cuius vitio ipse principatus vitæ collabitur.

Ergo. QVOD SI TOTVS PVLMO INFLAMMETVR.] Pariter similiterque pars dextra atque sinistra, phlegmone sit obsessa; idque tribus vtriusque dimidiæ alis, supera, media, & infera; vnde non solùm tota lingua fit rubra & aspera: sed etiam thoracis omnia quæ illis adiacent partibus inflammatis, æquè laborant; videlicet iugulum vtrumque, media vtrinq; costa, & regio vtraq; septi transuersi.

aph. 65. 4 part. 8. lib. 1. περὶ αἱμῶν.

CVM CORDE.] Viscere nobilissimo, quod naturaliter ipsum per se micat, fontemque habet natiui caloris, nectarisque viuifici: vnde partium omnium solidarum, spirituumque fluxa viuacitas recreatur atque reficitur. Id autem pulmonum fibris ita circumuoluitur, vt iis quasi sepultum esse videatur.

VT IN LATVS PROCIDAT.] Distentis nimium ab inflammatione aortis, prætumidisque toto pulmone, & varicosis venis; vnde laryngis ima, & circumjacentium laterum tota regio ab oppressione, venarumque micantium appulsu laborat.

RESOLVITVR TOTVS AEGER.] Eadem ratione qua superiore prognosi demonstratum est corpus ea parte resolui, qua vehementer inflammantur aortæ, vt in latus procidant, & qua exterior costa liuore fucatur. Id autem fit per eam speciem apoplexiæ in qua spiritus vitalis aditu prohibetur ad cerebrum; & per oppressionem neruorum, à phymate partium adjacentium: non autem per epigenesin causæ in cerebro firmiter fixæ, quæ libertatem meandi adimit spiritui animali. Talis est torpor nephriticorum è directo renis afflicti. Talis eorum quibus ex anadrome lumborum ad caput, manus torpescunt. Hæc autem resolutio vniuersalis, respirationem adimit, proptereaque vitam tollit.

part. 5. sect. 2. 6 Epid. Coac. 4 capit. 12. lib. 2.

IACETQVE FRIGIDVS.] Recreatione caloris natiui ab inflammatione foris intrò, & impedimento eius appulsu ab oppilatione aortarum: vt interim taceam facilem, citamque σβέσιν vitalis caloris, ex qua partium extimarum frigus, ferè conjunctum habet liuorem cùm in propinquo mors est.

ET SENSVS EXPERS.] Tum quia impeditur facultas sensifica, intercepto spiritu animali; tum quia refrigeratæ, penéque dixerim, extinctæ partes sensificæ; facultatis iam multùm languentis, & in officio laborantis non sunt capaces.

MORITVR AVTEM.] Per extinctionem & suffocationem caloris viuifici, sublata respiratione per resolutionem siue paralysin vniuersalem; & exhausto fonte spiritus animalis, ex paupertate vitalis.

SECVNDVM AVT TERTIVM DIEM AGENS.] Quoniam in peracuto morbo celeritas motus cum principatu vitæ collapso; celerrimam quoque interitus mutationem infert.

SIN AVTEM SINE CORDE CONTIGERIT.] i. Si pulmonum inflammatio systrophica, nullam ex corde mali accessionem habeat, maneatque æger cum signis inflammati totius vtrinque pulmonis, sine vlla palpitatione & syncope.

IDQVE MINVS.] Vt summa non sint omnia inflammati pulmonis, quæ cernuntur in magnitudine & vehementi symptomatum τῶν γινομένων & ἐπιγινομένων.

ET SERIVS VITAM FINIVNT.] i. Ad decimumquartum diem protrahitur vitæ discessio.

ET QVIDAM EVADVNT.] Quibus apparent signa epiphænomena quæ faciunt discessionem morbi

morbi in expurgatione propria, per sputi anacatharsin; aut in laudabili quodam abscessu, vel etiam laudabili suppurato; præsertim si cætera signa salutariter suffragentur, quæ paulò antè sunt tradita & explicata. Coac. 18. & 33. huius c.

33 Τοῖσι ἐμπύοισι γινομένοισι, μάλιστα δὲ ἐκ πλευριτικοῦ καὶ περιπνευμονικοῦ, θέρμαι παρακολουθοῦσι, τὴν μὲν ἡμέραν λεπταί, τὴν δὲ νύκτα συντονώτεραι, καὶ πτύουσιν οὐδὲν ἄξιον λόγου, ἱδρῶσί τε περὶ τράχηλον καὶ κλεῖδα, καὶ τοὺς μὲν ὀφθαλμοὺς κοιλαίνονται, τὰς δὲ γνάθους ἐρεύθονται, χειρῶν δὲ θερ-
10 μαίνονται τοὺς δακτύλους ἄκρους, καὶ τρηχύνονται, γρυποῦνται δὲ ὄνυχας, καὶ καταψύχονται, περί τε τοὺς πόδας ἐπάρματα ἔχουσιν, καὶ κατὰ τὸ σῶμα φλυκταινίδια, σιτίων τε ἀφίστανται. τὰ μὲν οὖν χρονίζοντα τῶν ἐμπυημάτων ἔχει τάδε σημεῖα.

At verò purulenti qui ex pleuritide aut peripneumonia huiusmodi sunt, febres habent interdiu leues, de nocte fortiores, ac nihil expuunt
20 *commemorabile, sudant circa collum & iugulum, cauantur oculi, malæ rubent, manuum verò extimi calent digiti, & exasperantur, vngues adunci fiunt, pedes refrigerantur & tument, pustulæ toto erumpunt corpore, cibos iubent facessere: atque hæc suppurati signa sunt inueterati.* sic legedum.

Est illud iam positum; quòd pleuritidis & peripneumoniæ mutatio fit in suppuratum, si concessæ fuerint ægris induciæ, nec antè perierint, ipsi verò prædicti morbi, nec anacatharsi, nec phlebotomia, nec pharmacia, nec diæta, curationem receperint: nunc suppurati quod vetustate in tabem mi-
30 grauit, signa docentur.

Avt vero pvrvlenti] Qui sunt eiusmodi, propriéque dicuntur, quibus vel in vomica costarum, pus latet, siue pulmonum: vel ea rupta effusum pus in thoracem, ibi stabulatur, & fluctuat. Atque inter empyema & empyon hoc interest, quòd empyematis nomen, omni cuiusque partis suppurato apponitur: empyi autem non nisi purulento à pleuritide & peripneumonia. lib. 2. progn. & aph. 44. 7.

Qvi ex plevritide avt peripnevmonia eivsmodi svnt.] Superuacaneum hoc, satis erat dixisse ἐμπύοισι: quemadmodum in prognostico dixit præceptor. Τοὺς δὲ ξύμπαντας ἐμπύους γινώσκειν χρὴ τοῖσι δε σημείοισι i. *Empycos omnes his oportet signis cognoscere.* Ratio autem metaptoseos peripneumoniæ in suppuratum, non ita pridem explicata fuit in illa prognosi. *Qui autem peripneumonici, diebus criticis non expurgati sunt; sed eos cum delirio exegerunt: tandem exactis 14. morbi diebus, periculum est ne purulenti fiant:* Coac. 17. huius c.
40 Idem quoque scriptum legitur lib. 1. τῶν νόσων.

Febres habent] Ab horroribus quibus crebrum est empyema costarum atque pulmonum: Non enim sunt illæ febres natura horriferæ: sicut inter continuas hemitritæus; intermittentium verò, quartana. Nec verò illi horrores veniunt κατὰ τὴν αἰτίαν, vt in febribus: sed ἀφ' ἑλκέων, vt in purulentis. Et verò Hippocrates horrorem posuit signiferum suppurati, quod fieri tum primùm docuit cùm pleuriticus cœperit perhorrescere, quod antè non fecit. Atqui de rigore & horrore illud præceptum est; nunquam sine febre cieri, propter afflictionem caloris viuifici cordis: atque ipsos cùm frustra fiunt, vt certè hîc fiunt, metastasin facere ad diaphragma & caput. Notabile autem quod ait, θέρμαι παρακολουθοῦσι, vt alia sit febris idea, quàm eius quæ fuit dum peripneumonia ipsa manebat. lib. 2. progn. lib. 1. τῶν νόσων.

Interdiv leves] Tum propter lucis appulsum, quæ natiuo calori maximè est consocialis, fa-
50 citque vt suppurati feritas infringatur; vnde non tam fortes, nec tam crebri horrores, faciliórque vaporis fumidi expiratio, transpiratio, & efflatio: tum quia partes solidæ natiuo calore magis fruuntur & recreantur; vt interim taceam cætera lucis commoda. Sic ischiadicis meliùs esse solet.

De nocte fortiores] Tum quia frequentior est horrescendi & calescendi vicissitudo; tum quia fumidus vapor non tam liberum habet exitum, quàm interdiu: maior est item puris vellicantis molestia & importunitas; nec interim omittendum quòd in tenebris noctu, somni vacuitas, ipsa per se morbus est. Omnium autem phlegmonarum systrophicarum, indéque nascentium suppuratorum, grauiores sunt morbi, appulsu tenebrarum, quàm lucis. Nec verò libenter Galeno assentior profitenti eam purulentorum molestiam quæ noctu augetur, non vitio noctis accidere: sed partium solidarum
60 hectica febre laborantium, vnde à cibis sub noctem exhibitis, incandescunt calcis instar quæ incendium concipit aqua superfusa, & fumat. Quidni facit idem cibus diurnus? Sed interdiu febris mitescit. Ergo mitescit à causa diurna: sicut exacerbatur à causa nocturna. Contrariæ autem sunt causæ diei & noctis.

Ac nihil expvvnt commemorabile] Idque noctu potiùs quàm interdiu. Hinc prima mali labes quæ paroxysmos infert nocturnos. Tum enim futura est symptomatum quæ vocant

Coac. 2. 7. huius & prorr. 7. cap. 2. 1.

ἀπεψύχθη, cùm cessant propria cuiusque morbi epiphænomena, nec dolorificum malum foras exit. Hæc labes miseros ad insanabilem tabem deducit. Denegatæ autem anacatharsćos puris, causæ in promptu sunt; materiæ contumacia, tunicæ densitas pulmoni circumtextæ, alarum collapsarum oppressio, & imbecilla nimis concussio in tussiendo: quoniam latera sunt infirma.

aph. 38. 4.

SVDANT CIRCA COLLVM ET IVGVLVM] Quæ sudandi ratio dicitur ephidrosis, quam alibi demonstrauimus fieri ineunte quidem morbo, ab oppressione: sicut eo affecto, ab exolutione partium solidarum, quæ succum alibilem sibi assimilare non possunt, sed exudare sinunt. Hîc autem causæ vtriusque ratio locum habet. Nam illa quæ incessit frustra & crebrò, tussiendi cupiditas, materiam expectorabilem, vaporémque fumidum eò trudit & sistit, vbi & focus morbi. Est autem ferè in superis pulmonum alis quæ iugulo adiacent, vnde succus exprimitur & exudat: vt verum illud sit quod dici solet, *Vbi sudor inest, ibi nunciat morbum esse.* Cuius aphorismi veritas, cùm alibi, tum hic potissimùm lumen suum ostendit. Ac de sudore posita sunt à nobis theoremata omnino catholica, quibus docetur, sudoris triplicem esse causam excretionem, expressionem, & exolutionem. Nam quod in prognostico scriptum est, ἱδρῶτες περὶ τὸν τράχηλον; non ad sudoris confertim prorupti abundantiam referri debet: sed ad sudatiunculam continenter exudantem.

CAVANTVR OCVLI] Quia multùm emacruerunt; emacruerunt autem cum tota facie cadauerosa per exhaustum humidi primigenij, atque, vt ita dixerim, colliquamentum quod attulit febris tabifica, cuius ardore partes liquuntur. Multùm etiam facit nectaris viuifici defraudatio quæ venit à paupertate sanguinis & cordis infirmitate. Sed illud colliquamentum, vnáque defraudatio quotidiani pabuli, primùm apparet in oculis, qui vt molliores, liquuntur faciliùs quàm cæteræ faciei partes, tum autem spiritus animalis multi participes in secunda valetudine; simulatque eo defraudari cœperint collabuntur.

3. Epid. part. 3.

MALÆ RVBENT] Ecce quod monstri simile est, cùm ad extrema ventum est maciei; malæ rubent. Atqui pars omnis pallescit quæ multùm emacruit; aut etiam cum primùm cœpit macrescere: & contrà, suaue rubet cùm fit habitior. Sunt igitur ὁμοῦ rubor & macies. Attamen hic ponuntur in eodem subiecto, nec minũ: quoniã in secunda valetudine; pars omnis, vnde capit αὔξην, inde suaue ruber: sicut in aduersa inde pallescit vnde contrahit cachexiam. Secus fit in morbis acutis atque tabificis, in quibus per propagationem causæ morbificæ, partes quædam rubent, quæ paupertate alimenti sunt pallidæ: sicut nonnullæ calent quæ per [illegible] caloris natiui, sunt glacie frigidiores. Iam verò malæ rubent: quoniam pulmonũ anathymiasis tussiendo expressa, ibi subsistit propter angustiam venularũ, maiorũ [illegible] excipientiũ quæ nõ expirat. De faciei autẽ rubore critico & symptomatico, alibi multa scripsimus.

prorr. 31. sect. 2. 1. aph. 14. 1.

MANVVM VERO EXTIMI CALENT DIGITI] Calere hic digitos ait, non quidem calore vitali & sanguine illustratos, quoniam inopia sunt hic marmore frigidiores: sed qui appulsu caloris febrilis incandescunt æstu, tum etiam ab hectica febre firmiter ibi fixa, vnde magis ardent: quia multum habent humoris parte interna. Est igitur idẽ θερμαίνεσθαι quod πυρέσσειν, sicut modò vidimus: idem θέρμη quod πυρετός: quanquam illud verbum θερμαίνεσθαι, & nomen ipsum θέρμη, secundum naturam dicuntur. De nomine autẽ τὸ θερμὸν pro calore natiuo, solennis est ille aphorismus. *Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. i. Quæ increscunt corpora, plurimum habent caloris innati.*

ET EXASPERANTVR] Signum hoc syllogisticum hecticæ febris atque tabificæ: vt enim suauitate vitalis principij, nectarísque viuifici partium solidarum viuacitas manet illæsa in corpore solido & succi pleno: sic à febrili ardore pars vnaquæque suo genio defraudata, tum paupertate succi alibilis, tum spiritus appulsu tabifici; non solùm rigidiuscula fit siue σκληρὰ: verumetiam siccitatis intensione, maiorem concipit inæqualitatem, & exasperatur. Atque hoc documentum est phthiseos quam facit φθίσις, per vlceris edacitatem, febris corruptionem, & spiritationem tabificam.

6. Epid. part. 3.

VNGVIS ADVNCI FIVNT] Absumpta carne qua firmantur vtrinque. Vt enim laxitas cum pallore inchoatam denunciat extenuationem: sic tensio absolutam. Scitum est illud. Πᾶσα λεπτυσμὸς χαλᾷ τὸ δέρμα, ἔπειτα κατατείνει. i. *Omnis extenuatio laxat cutim, tum deinde intendit.* Extenuationis autem perfectæ signum iam posuit, digitorum asperitatem. Atque talis character vnguium, sicut extenuatio ipsa, θηριώδεα nomen dedit, quod phthiseos causa est atque signum. Ac signum quidem, quia phthisici vnguibus sunt, more cuiusdam feræ vncinari; causa autem, quoniam pulmonum vlcera tam sunt edacia more ferarum, vt sanguinem totum è corde exhauriant.

6. Epid. part. 2.

PEDES REFRIGERANTVR ET TVMENT] Quia non habent ὑπέκκαυμα febris hecticæ, sicut manus & digiti, nec verò incandescunt æstu febrilis ardoris, eò diffusi quod longo interuallo seiuncti sint à foco suppurati, natura autem frigidi atque sicci, quia toti ferè sunt ossa, nerui, membranæ & cartilagines, ἄναιμοι penè & ἄσαρκοι: ideo nunc ex euentu, frigidiores apparent, nectare viuifico destituti. Eadem ferè ratio est tumorum qui assurgunt in pedibus ex peculiari eorum natura, collocatione, situ, & humoris morbifici dominatu, cum infirmitate summa, peneque dixerim, extinctione caloris viuifici, cuius ne minima quidem portio prorepit ad pedes.

lib. 2. progn.

aph. 14. 7. lib. 4. acut. lib. 1. περὶ νούσων.

PVSTVLÆ TOTO ERVMPVNT CORPORE] Faciúntque corpus velut bullarum. Quales enim sunt bullæ in humore ex eo circumtenso à spiritu flatulento, vel à calore: tales phlyctænæ, phlyctænidia, phlyzacia, exanthemata, echymata (nihil enim refert quomodo dicantur) ex collectione ichorum venenatorum, corporis superficiem erodentium, vel amburentium; vnde ὁ [illegible] nominantur. Ichores autem venenati, vel ἀπὸ τῆς [illegible], i. à spiritu & diæta; vel ἀπὸ τῶν [illegible] i. à morbidis causis, quæ vitio cuiusque nascuntur. Atque ichores extrinsecus veniunt à tempestate austrina, cum densis nimbis, & rapido æstu coniuncta. Sic enim de illa tempestate scriptum reliquit præceptor,

lib. 2. de nat.

Τηγυιος,

τοῖς ἰχῶσι, inquit, ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες ἐγκατελαμβάνοντο καὶ ἀναθερμαινόμενοι, καὶ κνησμὸν ἐποίουν, εἶτα φλυκταινίδες ὥσπερ πυρίκαυστοι ἐξήρευγον, i. *Subnascebantur ichores, qui conclusi incalescebant, & pruritum faciebant; deinde pustulæ excoriebantur ambustis similes.* Intrinsecus autem nascuntur ichores ex visceribus malè moratis: quemadmodum hic ex pulmonum & capitis mutua syntimoria, cordis exhausti sympathia, suppressi puris corruptione, partium solidarum spiritu & sanguine; omníque calore viuifico defraudatarum. Nam denegatæ anacatharseos mala hæc sunt. *Si cui sputa salsa & tussis quiescunt in rubet corpus velut exanthematis obsitum, sed ante interitum exasperantur.* Carnium autem quæ suppurati vitio sunt, vt ita dicam μυώδεος, i. *musculæ*, facilis est ad ichorum collectionem, vnde manant & exoriuntur phlyctænides, affectio. Sic enim præceptori visum est ita scribenti. Πᾶν γὰρ τὸ ἀσύμφυτον, ἢν τε δέρματι, ἢν τε σαρκὶ κοιλανθῇ ... πληρωθὲν ἐστὶ, ὑγιαῖνον μὲν πνεύματος, ὁ δὲ νοσεῖ ἰχῶρος, i. *Quicquid est incoalile sub cutim, aut carnem, cauum est, repletur autem, sanum quidem, spiritu, morbidum autem ichore.* Loquitur autem de interstitiis musculorum quæ caua sunt, & ventres dicuntur. Atque si ventres illi cum musculis benè habeant natura & valetudinis cura, spiritu salubres replentur: sin autem morbidi sint, malo ichore. Cæterùm ichores illi, qualitate sunt acres, temperamento calidi; proptereáque amburendo & erodendo idonei.

Ac cibos ivbent facessere] Quia excreantur: quæ affectio dicitur ἀποσιτίη. Fit autem labefactata naturali œconomia per συμπάθειαν vtriusque partis, ventriculi dico, & iecoris; vnde ipsos tædet sui officij. Ac talem ἀποσιτίαν, eiusque causam Hippocrates obseruauit in Patio, quem scribit, exactum ad morbum, fuisse ἀπόσιτον & 120. die interiisse; qui tamen non erat purulentus. Sed alibi multa nos de ἀποσιτίῃ quæ in morbis omnibus, si quid aliud, grauissima esse solet: quanquam existunt aliæ causæ τῆς ἀποσιτίας, quæ non sunt insanabiles, vt hæc.

Atqve hæc svppvrati signa svnt inveterati] Causæ sunt explicatæ. Nunc aliorum signa examinemus, quæ in proxima continentur prognosi.

34 Τὰ δὲ συντόμως ῥηγνύμενα, σημειοῦσθαι, τούτων τε τοῖσιν ἐπιγινομένοισι, καὶ τοῖσιν ἐν ἀρχῇ πόνοισιν· ἅμα δὲ καὶ ἤν τι δυσπνοώτερος γίνηται.

At verò quæ breui rumpuntur, significari, & iis quæ superueniunt, & iis quæ initio apparuerũt: simul autẽ, & si quid difficiliùs spiret æger.

Empyematis inueterati signa explicata sunt, certè tam certa, vt firmiter illis credendum præceperit summus dictator, quòd sint eiusmodi, authore Galeno, tantáque vi prædita ad persuadendum, ὡς μηδεμίαν ἀμφιβολίας ὑπολείπεσθαι, i. *vt nullus omnino restet dubitandi locus.* Nunc incunda ἐμπύημα eius quod statim, & continuò ruptum est. Eius autem ineundæ ratio, difficilior erit in quærendo, quàm in recensendo syllogistica signa: quæ omnia, superuenientium & apparentium nomine complexus est noster præceptor: ipsa verò quæ sint non posuit, præter vnum, ad finem prognoseos. Non idem illi consilium fuit superiore prognosi, quæ catalogum habet omnium signorum empyematis inueterati. Quæramus igitur, quando quærendi defatigatio turpis est, cùm id quod quæritur pulcherrimum sit.

At vero qvæ brevi rvmpvntvr.] Nec tandiu cunctando, vtramque spiritus & nutricatus œconomiam labefactarunt, partibúsque solidis ἀσπλυσμὸν & ... intulerunt. Breui autem rumpuntur: quia phlegmone systrophica, breui conuersa est in suppuratum, quod medium esse diximus inter citam crisin, & desperatam salutem: nec tamen illud suppuratum in pulmone conceptum, liberalem habuit anacatharsin. Quando autem rumpantur vomicæ pulmonum, vt breuissimè, & vt longissimè; mox infra ponetur. Cæterum ὀξυρραγῆ vocat empyemata, quæ hic dicuntur συντόμως ῥηγνύμενα; vt rectè & consultò videar conuertisse, quæ breui rumpuntur: non tamen numerum singularem continuaui, quem loco pluralis vsurpaui superiore prognosi. Sed parua res est.

Significari.] Certò denunciari: signis quæ nullam relinquunt ἀμφιβολίαν: vt occasio nacta curandi ratio instituatur qua foras exeat empyema; primùm quidem, si potis est, anacathartica pharmacia: sin minus ad sectionem vel ad vstionem veniendum, sicut faciendum præcepit Hippocrates, idque αὐτίκα; vt idem docet alio loco vbi trium morborum curationem citò ineundam suadet; hydropis, secando, empyematis, adurendo & trumatum capitis, terebrando. In talibus enim; ipsa celeritas mora est, ipsaque dilatio periculosa. Sic autem ait. Τρώματα ... ταῦτα ... ἀλλὰ ... αὐτίκα. Et quoniã empyema thoracis, non vno in loco stabulatur, ex triplici foco alterutrius partis pulmonũ per alas distinctæ, vel ex vno tantùm, coq; partis, alterius aut vniuersi, vt non ita pridẽ suprà positum est, ne quis vrendo vel secando aberret à scopo; iussit præceptor, linteũ eretriadis terræ, calido diluto imbutum circumponi purulento thoraci, vt qua parte id primùm resiccari cœperit, nouacula aut pyroticũ adhibeatur. Interea reficcandũ caput, præsertim si coryzæ & sternuramenta præcesserint, aut cõsecuta fuerint in morbis pulmonũ: nẽ dum vacuãdo puri das operã, catarrhi prolapsus negotiũ tibi exhibeat. Qua de re bis idẽ scripsit his verbis. Ἄρχου τὸ πρῶτον κουφίζειν τὴν κεφαλὴν ἵνα μηδὲν ἐπιρρέῃ ἐς τὸ στῆθος. i. *Primum incipito caput leuare, nequid in pectus decidat.* Et. Τὴν κεφαλὴν ἀποξηραίνειν, ἵνα μὴ ἐπιρρέῃ i. *Exsiccare caput, ne distillet.* Omnia autẽ quę illic posita sũt de vacuãdo pure, locũ habẽt in empyemate statim facto & rupto, nõ in eo quod in vetustatẽ incidit, eaq mala intulit quæ paulò antè sunt explicata.

Et iis qvæ svpervenivnt.] Hic tria docentur signorum genera, quibus deducimur ad cognitionem & scientiam empyematis confestim facti & rupti. Ac primum genus nominauit eorum quæ inflammationi superueniant, dum in pus mutatur, nec antè fuerunt, phlegmones pathognomoni-

ca; sed puri adiuncta sunt: quæ quia præceptor speciatim non posuit, contentus genere [illegible] nostræ sunt partes ea veluti per præconem citare ab Hippocrate ad ipsum Hippocratem, tanquam ad veritatis tribunal. Sed præstò sunt illa duo [illegible] empyematis inchoati & facti, quæ diem vadimonij obire non recusarunt. Sunt autem; rigor qui antè non fuit, dum inflammatio seu phlegmone systrophica, cruda maneret, & grauitas loco doloris. Hic enim rigor cietur non quidem ἀπὸ τῆς [illegible], i. à cacochymia è vasis expressa: sed à pure in vomica concepto, vt annotauit Galenus. Idem Galenus author est, phlegmonas omnes nobilium partium, nisi præsidiis digerantur, sed in supputatum vertantur; horrorem ciere: quoniam nascentis puris acrimonia mordens vicina corpora, eodem planè modo ciet horrorem, quo acria medicamenta. Grauitas autem, doloris acerbi succedanea, signum est syllogisticum mutatæ phlegmones in suppuratum: quoniam suppurati non tanta est tensio, quàm phlegmones crudæ. Sed grauitas ibi manet: quoniam morbificus humor, velut in ergastulo quodam conclusus, foras non exit. Iam verò rupti continuò suppurati ratio ineuoda ex celeritate confecti ab ineunte phlegmone. Nam cita puris confectio, citam quoque habet rupturam: nisi aliò cursum inflectat, & per anacatharsin vacuetur. Ac tum grauitatis & febris leuatio est: quod signum imprimis narrat Hippocrates puris in thoracem effusi. [illegible] i. *Rupta vomica sanus esse videtur sibi ægrotus: quòd ex loci angustia, pus abijt in amplitudinem: ac spiritus quem spiramus, in pulmone sedem inuenit.* Est igitur signum syllogisticum puris in thoracem effusi, & ruptæ pulmonum vomicæ; fugax leuatio grauitatis. Nam ea non multò pòst, longè percipitur grauior & molestior: vt rectè Hippocrates obseruauit.

Lib. 6. Epidem. — lib. 2. progn. — lib. [illegible]

Et iis quæ initio apparuerunt,] Hic genus alterum ponit signorum phlegmones in empyema mutatæ, quæ [illegible] Græci vocant, Latini *antecedentia*. Sunt autem; peripneumonia iam descripta in sæuo dolorum cruciatu scapulæ atque iuguli, pectoris oppressione, meteorismo spiritus & calida expiratione, febre continua, cum anxitudine quæ diebus criticis anacatharsin nullam habuit: sed eos cum delirio exegit ad decimumquartum vsque diem; eadémque nec phlebotomia quieuit, nec pharmacia, nec diæta, nec parotide, nec abscessu crurali. Hæc demum signa sunt [illegible], quæ opinionem faciunt phlegmones affectantis viam ad empyema, si antè non fuerit ad mortem fatalis, nec ægrum intra decimumquartum diem ad exitium præcipitarit.

Coac. 19. & 17. huius c.

Simul autem et si quid difficilius spiret æger.] Hoc signi genus videtur [illegible] antecedentis & consequentis. Est enim antecedens vomicæ iamiam rumpendæ: sicut repetio traditum à præceptore qui ait. [illegible] i. *accedere necesse est dolorem, dyspnœam, & ptyalismum, ante puris eruptionem.* Vbi Galenus super dyspnœa hæc scripsit. [illegible] i. *Difficulter toto morbi decursu spirant: maximè verò vbi dolor accesserit.* Sed non est firmiter fixa difficilis hæc spiratio: sicut ea quæ rupturam consequitur. Sic autem fit. *Rupta vomica, ægro sibi meliùs esse videtur*, vt supra iam diximus: [illegible] i. *Labentibus inde doloribus pectora pure implentur, indeque tusses & febres, atque adeo cæteri omnes dolorum cruciatus; ipsum magis lacessunt & opprimunt: Ac morbus ipse, tum maximè innotescit.* Est igitur difficultas aucta spirandi, signum [illegible] prægressæ rupturæ, aut iamiam futuræ. Ac prægressæ quidem firmiter fixa & stabilis quæ vires acquirit eundo: futuræ autem fugax & leuiter presso ad exiguum tempus. Quod ipsum planè illud ostendit. [illegible] i. *si aliquantulum, & aliquantisper, difficiliùs spiret æger.*

35. Ῥήγνυται δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἐμπυημάτων· τὰ μὲν εἰκοσταῖα· τὰ δὲ τεσσαρακοσταῖα· τὰ δὲ πρὸς τὰ ἑξήκοντα.

Plurimæ autem suppurationes rumpuntur, aliæ quidem vicenûm dierum, aliæ verò quadraginta, nonnullæ etiam sexaginta.

Hic summa esse debet medico ad res ægri attentio. Nec vlla excusatio accipienda, si quid fortè acciderit quod ab eo præuisum non fuerit. Est enim cita multùm & præceps occasio in medendo. Sed tamen sic medicus τὴν [illegible] exercebit, vt eam præterire non sinat, hospite, quod aiunt, insalutato. Iudicium adhibebit explosa fallaci experientia. Quod vnum arripiendæ occasioni commendat Hippocrates. Nec verò iudicij difficultatem pertimescet, quæ magna est, modò adhibeat tempus & diligentiam ad consequendam [illegible], dictatoris, qua bene iudicandi ratio comparatur. Ergo ne occasio medendi præripiatur in suppurato & exputato, eius arripiendæ opportunitatem adferet dierum criticorum obseruatio, præter ea quæ modò sunt posita de empyematum peripneumoniæ natura & causis, vnde illa celeriùs aut seriùs gignuntur, & rupta vomica effunduntur, cum signis antecedentibus, adiunctis, & consequentibus, inchoatæ vomicæ factæ & ruptæ.

Plurimæ autem suppurationes] Plurimas eò dixit, quòd aliæ quædam sint alterius generis, quæ non seruant legem dierum criticorum hic præscriptorum: sed multò antè rumpuntur. Ac sane tales edunt, qui, cum sputo bilioso, purulentum expurgant; diductúmve id fuerit, aut permixtum: ac ferè moriuntur, decimumquartum morbi diem agentes, maximéque ij qui septimo tale sputum cœperint expurgare. Ergo Plurimæ suppurationes.] i. Cæteræ omnes: sicut præceptor scripsit in prognostico, αἱ δὲ ἄλλαι [illegible]: quarum scilicet primigenia phlegmone, inoffenso cursu mutationem habuit humoris phlegmonici in empyema, nó in gangrænā, vita superstite, & cum spe salutis.

Lib. 2. progn. & Coac. 20. huius c.

Rvm-

RVMPVNTVR] Et pus in thoracem, vomica rupta, effundunt, quod inde citò vacuari debet, sectione vel vstione, si anacatharsis desit.

ALIÆ QVIDEM VIGINTI DIERVM] i. Vigesimo die à phlegmone systrophica pulmonum aut laterum, quam demonstratum est purulentam fieri, nisi intra decimumquartum diem cœperit expurgari. Non enim verisimile est, vigesimo die rumpi ex quo pleuriticus aut peripneumaticus, in vacuitate anacatharseos, grauiùs febricitauit, inchoato pure; inde perhorruit; mox loco doloris, grauitatem percepit pure confecto: quæ omnia ferè accidunt sub decimumquartum diem inflammationis pleuriticæ aut peripneumonicæ, si, cùm eò ventum est, dolorificum malum foras exire spuendo non cœperit. Sic enim viginti dierum numerus produceretur ad 34. totius historiæ. Atque ita pus in vomica stabulando ea mala inferret quæ diximus in empyemate inueterato; vt nemo iam defungi posse, sed in omni empyemate, præsenti periculo locus esse videretur. Quod falsum est. Nam multi euadunt, de quibus infrà dicetur. Ergo nos duce Hippocrate, quem si sequamur, nunquam aberrabimus; vigesimum diem reuocandum statuimus ad primum historiæ totius morbi, vnde scilicet primùm æger decubuit; eundémque ipsum diem vigesimum, septimum esse vel nonum à quo febris exacerbata est cum horrore, indeque percepta grauitas pro sæuo dolore: prout illa celeriùs, i. vndecimo; aut serius, i. decimoquarto, exoriuntur. Ac si quis ab horrore statim nouos labores experiatur partium afflictarum, in meteorismo spirationis, in tussi & ptyelismo, idque continenter & fortiter; vomicæ ruptionem habebit, quoad longissima esse potest, intra septimum horroris diem: quibusdam enim fit eo celeriùs. Quò igitur celeriùs fit empyema, eò celeriùs quoque rumpitur. Nam celeritas in pure conficiendo, posita est in calore humoris & partis obsessæ: tarditas contrà: quò spectant ægri vires, ætas, natura, regio, anni tempus atque tempestas. Atqui celeritas aut tarditas empyematis, celeritatem quoque aut tarditatem adfert ruptionis. Celeres quidem motus, celeres mutationes edunt.

(aph. 8. 5. & Coac. 27. huius c. — lib. 1. progn.)

ALIÆ VERO QVADRAGINTA] i. Dierum vigintiseptem ab horrifero empyemate, si exortum fuerit decimoquarto: vt exoriri solet cùm intra illud tempus libera non fit anacatharsis, aut nulla omnino sit. Quod si verum est, deroganda fides theoremati meo, vel aphorismo Hippocratis. Sed vtriusque veritas ita lucebit. Ac primum sic aphorismi. Quòd quatuordecim dies, quibus in sputi vacuitate fit empyema, numerandi sunt, non ab historia pleuritidis aut peripneumoniæ adhuc mitis: sed ab incremento exacerbatæ, vt decimusquartus ab incremento, sit vigesimus ab historia totius morbi. Atque ad eam legem examinandi sunt quatuordecim dies quibus iudicantur omnes morbi acuti. Sic igitur empyema fiet vigesimo die, post quem exolescit vis acutorum morborum: Itaque factum empyema vigesimo, nò ampliùs naturam retinet morbi acuti: sed nomine tenus, huiusmodi esse dicitur ἐκ μεταπτώσεως. Est enim metaptosis peripneumoniæ in empyema. Cæterum vt acuti reapse morbi, duobus septenariis iudicantur intra vigesimum: sic tres vt minimùm exigunt septenarios supra vigesimum, qui nomine tenus acuti sunt ἐκ μεταπτώσεως. Atque illi tres septenarij, quadragesimo absoluuntur, quo empyema in thoracem effunditur, si per anacatharsin totum expurgatum non fuerit. Totum ideo dixi: quoniam Hippocrates author est, quòd si quam celerrimè phyma pulmonum coquatur, ac sursum pus viam affectet, totúmque spuendo expurgatum fuerit, ipsáque vomica sit exhausta; inde salus vitæ comparatur. Quòd si quid reliquiatum superit, aut si noua subinde fluxio cooriatur in partem afflictam; semper periculo locum esse. Theorematis autem mei defensio in eo versatur quod ex Hippocrate posui; non antè pus è vomica erupturum, quàm exorta fuerit noua quædam species doloris, tussis, dyspnϾ, cum ptyelismo: vt si hæc omnia simul non fiant, neque appareant, empyematis ruptura longiùs, & medici opinione seriùs protrahatur.

(lib. 3 progn. — lib. 1. de morb.)

NONNVLLIS ETIAM SEXAGINTA] Quibus non cadit ruptio in quadragesimum: quo exacto, sperabilis non est ante sexagesimum; vt neque alia crisis expectari debet post quadragesimum. Atque locum habet in omni conditione contraria celeritatis in motu & mutatione morborum, quam infert; in natura quidem, complexio & temperamentum frigidius; in ætate, senectus; in tempore, hyems; in tempestate, frigida pluuiosa, & aquilonia constitutio; in humore, crassities & contumacia. Eadem ratione tumores abdominis molles, ac doloris expertes; præsertim qui sub vmbilico sunt, etiam cum febre; non ante sexagesimum diem in pus vertuntur: sicut nec hypochondriorum duri ac dolorifici, ante vigesimum. Ergo suppurati omnis ratio incunda tum ex humore morbifico tum ex parte obsessa. Plurimùm valet etiam ad suppurandum ipsa curatio, quam medicus instituit quo iure quáque iniuria. Scitum est illud. *Si fouendo nihil profeceris ad ipsum dolorem sedandum, fouendi finem facito: ξηραντικὸν γὰρ τοῦ πνεύμονος καὶ ἐμπυητικόν.* i. *Id enim pulmonem exsiccat, & suppuratum accersit.*

(lib. 1. progn. — lib. 2. acut.)

36 Οἷσι μὲν οὖν ὁ πόνος ἐν ἀρχῇ ἔγκειται σύντονος, καὶ δύσπνοια, καὶ βὴξ μετὰ πτυελισμοῦ· πρὸς τὰς εἴκοσι, καὶ συντομώτερον προσδέχου τὴν ῥῆξιν. οἷσι δὲ ἐλαφρότερα ταῦτά ἐστιν, ἐς ὕστερον κατὰ λόγον.

Ergo quibus initio dolor est fixus & contumax, vnáque difficilis respiratio ac tussis cum ptyelismo; ad vigesimum diem, eóque celeriùs, ruptionem expecta: quibus autem hæc leuiora, seriùs pro ratione.

VT EMPYEMATIS inchoati signa sunt, febris exacerbata, horror, & dolor prægrandis: perfecti autem, febris remissio atque doloris, sed horror increscens, & grauitas pro cruciatu sæui doloris : ita eiusdem celeriùs aut seriùs è vomica erupti τεκμήρια sunt in hac prognosi posita, quæ προηγούμενα Græci vocant, Latini *antecedentia*.

ERGO] Vt scilicet prudentiam compares, atque præuideas quando empyema sit erupturum, & eo erupto remedia conuenienter ac loco adhibeas quæ pus exire faciant, nec sinant ipsum cunctando tabificum fieri.

QVIBVS] Empyicis pure adhuc concluso in vomica, & quod omni caret anacatharsi.

INITIO] Suppurati confecti, per metaptosin pleuritidis aut peripneumoniæ.

[Coac. 1. c. 1. lib. 2. lib. 3. progn.] DOLOR EST FORTIS ET CONTVMAX] Distenta multo pure, dum exitum quærit, membrana & proritata. Nos autem consultò hîc, πόνον συντονον, vertimus, *dolorem firmiter fixum & fortem*, exemplo adducti cephalalgiæ, vbi πόνον σύντονον esse dixit, quem in prognostico super eadem, ὀδύνην ἰσχυρὰν nominauit. Nam quod obiicitur; sæuos dolores inchoati puris, mitescere in confecto; sanè quidem in stabulando & residendo, vbi sensio grauitatis percipitur loco acerbi doloris. Secus fit in erumpendi contentione. Tum enim distentio membranæ est maior, & protitatio item molestior.

VNAQVE OIFFICILIS RESPIRATIO.] Eadem planè quæ cernitur in phlegmone systrophica, dum ipsa manet thoracis atque pulmonum, scilicet parua & frequens: vt ex hoc loco facilis perceptio fit illius prognoseos quam sic expressimus. [Coac. 1. c. 9. li. 2.] *Respiratio parua & frequens, inflammationem, & laborem denunciat partium spirabilium*: vt inflammatio ad pleuritidem & ad peripneumoniam pertineat: labor autem ad empyema; præsertim verò cùm ad eruptionem viam affectat.

AC TVSSIS] Ab irrita contentione & concussione thoracis, quem ichor lacessit exudans ab empyemate.

CVM PTYELISMO] Quia tum empyicus finem sputandi non facit, lacessitus ab ichore cuius tenuitas, per densitatem circumtextæ membranæ transmittitur & exudat.

AO VIGESIMVM OIEM.] Ex quo laborauit prægrandi pleuritide, aut peripneumonia.

EOQVE CELERIVS] Ad decimumseptimum; si empyema celeriùs factum sit : vt sæpe fit ob causas in superiore prognosi adductas.

RVPTIONEM EXPECTA] Non expurgationem puris quæ sursum fit spuendo. Nam empyema turgens, dum in tali ferocitate, foras exire nequit ; & quia minùs coactum est, & membrana densior circumtexta pulmoni: quod reliquum est in tensione tam forti & συντονίᾳ doloris, cùm in angusto spes est & suffocatio in propinquo; naturæ fortis contentio ruptionem molitur qua pus effunditur, vnde laxitas atque doloris remissio.

QVIBVS AVTEM LEVIORA] Ἐλαφρότεροι dixit per metonymiam afflicti pro afflictione.

SERIVS PRO RATIONE] i. Pro merito remissiorum signorum ruptionem indicantium : vbi ad septenarios & ad vicenarios dies criticos attendeodum.

37 Λογίζεσθαι δὲ τὸν χρόνον ἀφ᾽ οὗ πρῶτον ἤλγησεν, ἢ ἐβαρύνθη, ἢ ἐπύρεξεν· εἴ ποτε ῥῖγος ἔλαβε. προσγίνεσθαι δὲ ἀνάγκη, καὶ πόνον, καὶ δύσπνοιαν, καὶ πτυελισμὸν πρὸ τῆς ῥήξεος.

Sed ratio ineunda temporis à quo primùm fuit sæuus dolor, aut grauitas, aut febris exacerbata: si fortè tum rigor inuasit. Accedere autem necesse est dolorem, dyspnœam, & ptyelismum ante ruptionem.

VT A MOTV sit omnis mutatio: sic motus à tempore quo paroxysmi, periodi, & crises morborum suscipiuntur & fiunt per decertationem naturæ & morbi. [lib. περὶ χυμῶν. lib. 1. progn.] Solenne est illud. Οἱ πεπασμοὶ ἐν τῷ χρόνῳ. i. *Pepasmi tempore fiunt.* Et, *Febres iisdem numero diebus iudicantur, quibus homines intereunt aut exoluuntur morbo.* Quæ cùm ita sint.

RATIO INEVNDA TEMPORIS] Ad memoriam reuocanda, & acri iudicio expendenda occasio temporis, qua motus & mutationis signa eduntur in omni certamine morbi & naturæ; idque cùm aliàs, tum hîc potissimùm, vbi comparanda est notitia empyematis, tum in vomica, tum in ruptione, simulatque mutatio illa fit, ne ipsa medendi occasio præripiatur, sed singulari iudicio arripiatur, quamuis admodum præceps & fugax.

A QVO PRIMVM FVIT SÆVVS DOLOR] Noua species doloris oborta in puris pepasmo, quod dum conficitur, grauiora sunt omnia doloris & febris, quàm confecto: quia tum maior est membranæ tensio & protitatio ab intemperie calida, & prægrandi sanguinis alterati, in parte inflammata [aph. 46. 2.] sensus acerrimi. Non enim hæc sunt ineuntis peripneumoniæ : sed iam empyematis metaptosin habentis.

AVT GRAVITAS] Facto puris pepasmo, & pure collecto quod breui circumscriptum est loco

partium

partium circumiacentium, optima conſpiratione ipſum pus vndiquaque propellentium. Illa enim demum eſt bona ſuppurati conditio, quod, vt breuiſſimè, ſic acutiſſimè eſt collectum. Secus fit in phymate crudo, quod vt latiſſimè eſt diffuſum: ita melioribus ægri rebus apparet, nec ita dolorificum eſt, nec ita corruptioni & gangrænæ obnoxium.

AVT FEBRIS EXACERBATA.] Exacerbatur autem feruore ſanguinis dum fit pepaſmus, & doloris acerbitate.

lib. 1. progn & Coac. 8. c. 11. lib. 2.

SI FORTE TVM RIGOR INVASIT.] Quod ſignum eſt ἀρχομένου empyematis inchoati atque confecti, vt non ita pridem oſtendimus.

ACCEDERE AVTEM NECESSE EST DOLOREM, &c.] Ac ſi diceret; vt occaſionem arripias in puncto, quod aiunt, empyematis è vomica erupturi; nouiſſima cooferre oportet cum primis: vt ſi perſpectum habeas cùm phlegmone in pus tranſierit, idque quàm citò aut ſerò, & ex perſpicientia præuideris quando incidet ruptio empyematis; eam progno- ſin confirmabunt deſcripta hic ſigna quæ ſunt πυώσεως empyematis iamiam è vomica erupturi. Quæ ſit autem ratio & cauſa horum ſignorum, dictum eſt in ſuperiore progno ſi.

38 Οἷσι μὲν οὖν ὅτε πυρετὸς αὐθέως ἀπογίνεται μετὰ τὴν ῥῆξιν, καὶ σιτίων ἐπιθυμέουσι, καὶ τὸ πῦον ἀνάγεται ῥηϊδίως, λευκὸν ἐὸν, καὶ ἄοσμον, καὶ λεῖον, καὶ ὁμόχροον, καὶ ἀφλέγμαντον, κοιλίη τε σμικρὰ συνεστηκότα ὑποχωρέει, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ σῴζονται συντόμως.

Quibus igitur & ipſa febris ſtatim à ruptione diſcedit, & concupiſcunt cibos, ipſum verò pus educitur facilè, album, nihil olens, laue & æquale, nec feruidum, atque tum aluus pauca & figurata excernit: y ferè confeſtim ſeruantur.

HACTENVS ſancitæ ſunt leges prædicendi empyematis inchoati atque confecti, quod in pleuritidem cadit & in peripneumoniam; ſiue id ſtabuletur in vomica; ſiue in ſpatium thoracis ruptionem moliatur. Nunc vomicæ ruptæ, puríſque in thoracem effuſi, commoda & incommoda videamus. Enimvero commoda hæc ſunt.

QVIBVS IGITVR.] Vomica rupta empyicicis, pure in thoracem effuſo.

ET IPSA FEBRIS.] Quam puris feruor accendit, & ipſa ruptionis in thoracem molitio.

STATIM A RVPTIONE DISCEDIT.] Extincto febris foco, nec vllo ſuperſtite empyromate, per vacuationem humoris morbifici in thoracem effuſi, qui cùm in vomica incanduiſſet æſtu; nunc plane deferbuit, liberiùnque habet exitum per anacatharſin, vt mox dicetur. Ergo diſcedit febris ἀκινδύνως ἡ ἐκκρίσεις: quæ propria & vera eſt febris diſceſſio ſine metu relapſus: quoniam empyema pus edidit in membrana collectum, non in viſcere ipſo diffuſum: vt nulla ſuſpicio ſit exulcerati pulmonis neque corrupti. Qua de re illud præceptum eſt in empyemate hypochondrij. *Suppuratorum*, inquit, *quæ ſurſum ſunt alia quidem in tunica ſtabulantur collecta, alia verò in viſceribus ipſis diffuſa.* Huius autem collectionis ſigna lucent in pure deſcripto, non amurcoſo. Huc accedit, quòd rupta vomica magnam ægro leuationem adfert, quòd ex loci anguſtia pus abiit in amplitudinem, ac ſpiritus quem ſpiramus, in pulmonibus, vnde priùs arcebatur, ſedem inuenit. Nec verò inde ampliùs metuenda eſt noua oppreſſio, cuius Hippocrates meminit: quia puris effuſi non eſt longa in thorace manſio, ſed cita expurgatio per liberam & liberalem anacatharſin, vt mox infrà ponetur.

Coac. 7. c. 11. li. 2. aph. 47. lib. 3. aſſd ...

CONCVPISCVNT CIBOS.] Quorum paulò antè ſumma fuit abominatio, ἀποσιτίη, non quidem labefactata per νόσημα aluo; ſicut iam vidimus in ſuppuratis vetuſtate tabificis (nam talis abominatio eſt planè mortifera & inſanabilis:) ſed à perenni affluxu ichoris maligni qui ab empyemate concluſo exudabat, & perennitatem ſuam à febre habebat, vnde liquitur caro recens preſſa, & ſanguis bileſcit. Nunc ea dimiſſa, eodem planè modo, quæ proſtrata erat appetentia excitatur: quod eueniſſe narrat præceptor iis qui febre laborabant tritæophya, de quibus ita ſcripſit. Ἐν δὲ χρόνῳ ... μέγιστον τῶν ... ἐρρύοντο ... ἐν τοῖσι μεγίστοισι ... στραγγουριώδεα ἐγένετο. i. *Vtile vnum maximúmque eorum quæ accidebant ſignorum, quibus conuerſio fiebat ad ſtranguriam.* Et paulò poſt. Γεύματα πάντα ἡδέως ἔχον. i. *Cibos omnes ſuauiter guſtabant.* Suprà autem dixerat. μέγιστον μὲν σημεῖον καὶ κάκιστον δὲ ... παρηκολούθει τοῖσι πλείστοισιν, ἀποσιτίη δὲ τῶν γευμάτων. i. *Maximum deterrimúmque ſignum plurimos circumuenit; ciborum abominatio.*

Coac. 33. huius c. lib. 1. aſſd ... 1. Epid. part. 2.

IPSVM VERO PVS.] Rupta vomica in thoracem effuſum.

EDVCITVR.] i. Surſum expurgatur ſpuendo. Id enim ſignificat verbum ἀνάγεται, vnde nomen deducitur τῆς ἀναγωγῆς quod vſurpauit præceptor in illo aphoriſmo. Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες πτύουσι τούτοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ ἀναγωγὴ γίνεται. i. *Quicunque ſpumantem expuunt ſanguinem, iis de pulmone ſurſum expurgatio fit.*

aph. 13. 5.

FACILE.] i. Citò, liberè, & liberaliter. Ac citò quidem, ne mora in vitio ſit; liberè & ex facili, ne

dolor ex irrita concussione, cum tussis molestia, rheoma concitatum inferat in partem afflictam, & parti afflictæ noua inferatur afflictio; liberaliter; autem, ne quid reliquiarum supersit purulentæ materiæ, vnde vel noua sit pulmonum oppressio ad interitum vsque fatalis, vel consectaria sit tabes mortifera.

ALBVM.] Quod partis, vbi confectum est, integritatem arguat.

NIHIL OLENS.] Tantùm abest vt sit fœdi odoris: vnde significatur prædictæ partis integritas, & suppurabilis materiæ nulla putredo siue corruptio, ex dominatu caloris natiui, cuius virtute fit omnis pepasmus, maximéque in suppurato.

LÆVS.] Ex magisterio caloris viuacis atque viuifici, quo pariter æqualitérque materia suppurabilis mitificatur.

ET AEQVALE.[Tum in substantia, tum in colore; ex quo significatur humoris ad suppurandum benignitas & obedientia. Est igitur æquale in substantia, quod nulla sui parte est crassius neque tenuius; in colore autem, quod expuendo non cernitur, exempli causa, bilioso, pituitoso, vel atro permixtum.

NEC FERVIDVM.] Quia feruor eius, dimissa febre, deferbuit, nec vllum calorem edit in sputo, neque exhibet parti contactæ.

ATQVE TVM ALVVS PAVCA ET FIGVRATA EXCERNIT.] Bene constituta naturali œconomia, in coquendo, distribuendo, & excernendo.

II FERE CONFESTIM SERVANTVR.] Quia fruuntur commodis quibus vita hominum sustentatur; respiratione libera, & inculpata nutritione. Est autem perperam hic scriptum, *ferè*, pro *certò* aut *sine dubio*: sicut legitur in prognostico.

39. Οἷσι δὲ πυρετοί τε παρακολουθοῦσι, καὶ δίψα, καὶ ἀποσιτία, καὶ τὸ πῦον πέλιον, ἢ χλωρὸν, ἢ φλεγματῶδες, κοιλίη τε ἐφυγραίνεται· τελευτῶσι.

Quibus autem veniunt inde febres, & sitis, & cibi fastidium, atque pus exit liuidum, aut viride, spumans & feruidum, aluúsque liquida est; moriuntur.

QVÆ HIC ponuntur signa, eiusmodi sunt, vt desperationem salutis ostendant.

QVIBVS AVTEM VENIVNT INDE FEBRES.] i. Quæ ruptionem vomicæ consequuntur: qu'a pus effusum, quod priùs erat in pulmone diffusum, horrorem ciet, qui febrem accendit per afflictionem caloris. Atque hic frequens rigor, & consectariæ febris, tabifica; vires iam multùm infirmas, omnino reddunt effœtas. Notum est illud. *Crebrò citatus rigor, nec febris discedens, ægro iam infirmo; lethalis.* Ac nihil naturæ grauius, quàm frequens rigendi & calescendi vicissitudo. (aph.46. 4.)

ET SITIS.] Concepta in pulmonibus causa sitifera, quam febris efficit importunam.

ET CIBI FASTIDIVM.] Ab ichore maligno qui prorepit in aluum, eiúsque virtutem coquendi & appetendi labefactat, vnde grauissimum infertur malum τῆς ἀποσιτίας, qualem in omni morbo agnouit Hippocrates, vt suprà tangebamus. (3.Epid. part.2.)

ATQVE PVS EXIT.] Sed frustra, & naturæ immerito. Frustra enim malignæ cacochymiæ vacuatio fit, quam fouet nobilissimi visceris praua affectio. Ratum est illud, quòd omnis excretio praua, signum est affectionis prauæ. (aph.47. 4.)

LIVIDVM.] Liuoris qui cernitur in aliqua parte, vel in humore, duplex omnino causa est; καυσώσεως, ἢ νεκρώσεως: hic autem sputum liuet perfrigerata parte, perfrigeratur emortua; emoritur autem per extinctionem viuacitatis in vitali principio, & paupertatem vitalis caloris ab exhausto corde. Est autem hoc liuidum fœdi odoris.

AVT VIRIDE.] Nondum emortua parte, sed incendio conflagrante, & bile accensa. Nam quicquid æruginosum est, quod in prognostico dixit χλωρὸν ὑγρὸν, vndecumque veniat, humoris vnde gignitur, & partis vnde manat, ardorem denunciat. (prorrh. 10.c.1.2.)

SPVMANS ET FERVIDVM.] i. Bullatum & æstuosum. Est autem sic, obortis bullis in circumtenso humore, vi caloris contra naturam.

ALVVSQVE LIQVIDA EST.] Quia tædet iam partes nutritias, natiuo calore & spiritu defraudatas, sui quamque officij: atque imprimis iecur in attrahendo, ventriculum in coquendo; vnde in summa infirmitate, noua subinde fit infirmitatis accessio. (aph.12.5.)

MORIVNTVR.] Collapsis omnibus naturæ præsidiis, & sæuiente morbo; quæ salus vitæ restat sperabilis? mors in propinquo est: notæ sunt causæ interitus & salutis.

40. Οἷσι δὲ τὰ μὲν ἐπιγίνεται, τὰ δὲ μή, ἐκ τῶν προειρημένων, οἱ μὲν ἀποθνήσκουσιν, οἱ δὲ ἐν πολλῷ χρόνῳ σώζονται.

Quibus

Quibus autem signa quædam adsunt prædicta, quædam verò absunt: alij moriuntur; alij post longum tempus seruantur.

MAGNA SÆPE incidit signorum controuersia, cùm alia medicum spe consolantur salutis; alia verò metu exterrent interitus. Ac tum difficillima est tecmarseos ineundæ ratio ad prædicendum certò quid euenturum sit. Sed ea sic ineunda ex doctrina Hippocratis. Ac primùm τὰ [illegible], i. *signa syllogistica*, plus conferre ad τέκμαρσιν, quàm τὰ εἰκότα, *verisimilia*. Deinde τὰ ὁμοειδῆ, i. *quæ sunt eiusdem speciei*, & inter se consocialia, maiorem habere vim quàm ἑτερογενῆ, *dissentanea*, quæ sunt alterius speciei: præsertim cùm agitur de comparanda cuiusque morbi notitia. Nam in prædicendo, sæpe non minùs iuuant discessionem vitæ aut morbi, quàm ipsa [illegible]; vt alui profluuium in laudabili, aut certè non mala anacatharsi. Postremò certa comparatur τέκμαρσις, ad vitæ quidem præsagium, si cum remissione τῶν [illegible] appareant commoda epiphænomena, vt in pleuritide mitescente, sputum flauo permixtum, citò & copiosè editum; interitus autem, si pathognomonica signa prægrandia, nimis opprimendo accessionem adiungant eorum quæ à propagatione morbi epigenomena nominantur, indéque faciant epiphænomena praua quæ principatum obtinent in prædicendo de morbis acutis; maximè verò praua. Nam bona, sæpe irrita fiunt ex euentu, vt sputum laudabile quod dolorem non sedat, propter perennitatem rheumatis concitati. Sed vt ad praua redeam, quorum vis maior est quàm bonorum in eodem morbo ad præsensionem interitus aut salutis: prauorum calamitas potissimùm cernitur in prægrandi peripneumonia quæ habuit phrenitidis accessionem, per epigenesim; tum epiphænomena edidit praua in sputo, qualitate, copia, tempore; & expurgandi modo, quale pessimum edi potest. Sic in comate vigili cernuntur pathognomonica cerebri multùm oppressi, ex pari magisterio pituitæ & bilis, vnde nascitur monstrum biceps quod [illegible] Græci vocant; inde per epigenesin dolor ceruicis atque lumborum: quoniam facilis est sympathia facilísque syntimoria τῶν [illegible] τῶν [illegible]; mox epiphænomenon sequitur mutatæ oppressionis in exolutionem, sanguinis substillum è naribus, idque quarto die. An non hæc omnia ab eodem fonte nata, conspirant ad mortem? Sed in controuersia signorum hic descriptorum, eius dirimendæ mea sic ratio est; vt si pessimum epiphænomenon sit inemendabile, cuiusmodi est liuidum pus à necrosi, cum accessione febris, & liquidæ alui, desperata sit omnino salus ægroti: quoniam ad mortiferam vim morbi, collapsis iam omnibus naturæ præsidiis, continenter accedit & crescit virium summa infirmitas. Quòd si in tanta puris & febris calamitate, adhuc supersit œconomiæ naturalis integritas, & firma vis partium nutritiarum; valet id quidem plurimùm ad vsum atque dulcedinem diuturnioris vitæ: sed non ad spem certò retinendam salutis. Nam vitium illud contumax, tandem aliquando partes nutritias in contagionem adducet. Sin autem prauum pus domabile sit, vt spumans & ferulum, ac cætera mala remissiora, nec aluus liquida, spes quidem affulgere, ac velut salutis quædam aura potest afflari. Est enim sperabilis ægri salus, post longum tempus triumphaturi de morbo.

41. Οἱ δὲ μέλλοντες ἔμπυοι γίνεσθαι, πτύουσι πρῶτον μὲν ἁλμυρὸν, εἶτα γλυκύτερον.

Qui futuri sunt purulenti, primùm quidem expuunt salsa, mox dulciora.

HOC THEOREMA non est catholicum, nec verum καθ' ὅλου sed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Non enim peripneumoniæ omnis quæ empyematis metaptosin habet; salsum aut salsilaginosum est sputum. Sed si qua in peripneumonia tale sputum editum est, id simulatque dulcescere cœperit, empyema succedit. Ergo non omnis purulentus à sputo salsilaginoso, dulcius expurgare solet. Vt certè illa sputi salsi in dulce mutatio, non fit τεκμήριον, i. *signum syllogisticum* omnis empyematis in peripneumoniam, vel in pleuritidem incidentis. Nam sine illo signo, sæpe fit empyema. Nec verò semper commodo ægri salsum mutatur in dulce quia præstaret salsum liberaliter expurgari, quàm in pus conuerti. Est enim melior anacatharsis, quàm empyema. Quòd autem sputi dulcedo in malis ducenda sit, iam suprà positum est inter aduersa pleuriticorum signa. Et verò Hippocrates empyema scripsit fore annuum sputi dulcis, nisi ad quadragesimum diem vacuatum fuerit. (Coac. 8. huius & lib. 1. [illegible])

Ergo. QVI FVTVRI SVNT PVRVLENTI.] A peripneumonia quæ in tumore consistit, à pituitæ salsæ prolapsu, & collectione exorto; ad cuius curationem, auspicandum præcipit à remediis caput siccantibus & repurgantibus; purulenti autem futuri sunt ex longa pituitæ mora in pulmonibus, vnde nec citò, nec liberè, nec liberaliter expurgatur. (eod. li. 3. [illegible])

PRIMVM QVIDEM EXPVVNT SALSA.] Expuunt autem serò, parca manu, difficulter; atque illam salsilaginem facit pituitæ putredo, vel seri biliosi & pituitæ permixtio.

MOX DVLCIORA.] Sic enim à pepasmo salsa & amara dulcescunt mitificata: sed frustra fit pepasmus ad empyema quod foras non exit. Propterea nuper voluit, parotidas non solum suppurari, sed etiam fistulari, fistulam edere rupta vomica pus effundente. Alioqui, denegato exitu, nouum inde pus (Coac. 11. huius &)

Coac. 15. c.7.lib.2.

illud dulce concipit salsilaginem, planè tabificam: de qua illud præceptum est. *Si cui sputa salsa & tussis quiescunt huic rubet corpus velut exanthematis obsitum: sed ante interitum exasperantur.* Nam sputum illud, dulcius factum è salso, foras non exit liberè: quia morbus iam in vetustatem incidit, quando tale percipitur. At seta purgatio nunquam medici & ægri votis respondet, in copia, & expurgandi modo.

male legebatur φῦμα.

42. Οἷσι δὲ ἐν πνεύμονι ἐμπυήματα γίνεται, τὸ πύον ἀνάγουσιν ἐς μ. ἡμέρας μετὰ τὴν ῥῆξιν. ταύτας δὲ ὑπερβάλλοντες, ὡς τὰ πολλὰ φθισικοὶ γίνονται.

Quibus in pulmone fit empyema, ij quadraginta diebus à ruptione, pus expurgant: sed iis frustra exactis, tabidi ferè redduntur.

Coac.27. huius c. Coac.19. huius c.

Peripnevmoniæ in empyema metaptosin habentis conditio explicata fuit ad illam prognosin. *Qui autem peripneumonici, diebus criticis non expurgati sunt, sed eos cum delirio exegerunt; tandem exactis quatuordecim morbi diebus, periculum est ne purulenti fiant.* Eôdem spectat & illa. *Iam vero dolorifica partium istarum mala, quæ non quiescunt nec expurgatione sputi, nec phlebotomia, nec pharmacia, nec diæta, in empyema mutantur:* In hanc sententiam solennis est aphorismus 8 lib. 5. de mutatione pleuritidis in empyema. Sed empyematis facti, & vomicæ ruptæ, vel puris in thoracem effusi vacuatio per anacatharsin, quæ vel diebus absoluitur quadraginta, vel transit ad phthisin; cur ita fiat, ratio iam adducta fuit commentario ad illam prognosin.

Coac.12. huius c. 7.Epid.

Qui è pleuriticis facti sunt purulenti, quadraginta diebus à rupta vomica expurgantur. Exemplum legitur in Metone, cui quadragesimo die pleuritidis in empyema mutatæ, ipsum pus, rupta vomica, expurgatione absolutam sui habuit, trigintaquinque aliis à ruptione diebus. Atque ita periculo & morbo defunctus est. Iam igitur sit satis monuisse, malè hîc legi φῦμα, ἀντὶ τοῦ ἐμπυήματος. Nam phyma pulmonis vsurpatur lib. περὶ νούσων, pro systrophica eius phlegmone, in quam non cadit expurgatio purulenta, dum ipsa manet. De phthisi autem, quæ & cuiusmodi sit, loco dicetur. Hac de re solennis est aphorismus.

aph.15.5.

Qui ex pleuritide facti sunt purulenti, si quidem quadraginta diebus à ruptione, fuerint expurgati: quadragesimotertio quiescunt: sin minùs transeunt ad ipsam tabem. Vide Galeni commentarium.

43. Ἐπὶ πλευροῦ ἀλγήματι, στάξις ἀπὸ ῥινῶν αἵματος κακόν.

Si lateris morbo substillum incidat sanguinis è naribus, graue malum.

Omnia quæ apparent & fiunt ἀκρίτως, i. *non lege critica*, lethalia sunt, aut certè sinistri iudicij, maximè verò cùm præter speciem ipsam τοῦ ἐπιφαινομένου, quo nec dolorificum malum foras exit, nec exiturum ostenditur, in vitio sunt etiam, excrementi ipsius qualitas, quantitas, modus excernendi, & tempus. Omnia enim τὰ περὶ μὴ κρίνοντα, qualitate quidem non aliena, sunt δύσκριτα, i. *sinistri iudicij*, eoque magis, quò plura conspirant ad δυσκρισίαν. quantitas exigua, dies non criticus, & pigra excretio: quæ autem iudicatoria non iudicantia, qualitate in vitio sunt, mortifera esse dicuntur; eoque magis, quò plura huc spectant. Atque vt thentematis veritatem intueamur.

Si lateris morbo.] i. Pleuritidi quæ consistit in phlegmone systrophica membranæ costis intextæ, vel etiam lateris morbo, i. empyemati collecto, vel effuso, Nam de vtroque dicitur lateris morbus. i. de phlegmone, & empyemate. præsertim hoc loco vbi agitur de empyemata, quod etiam est dolorificum lateris malum. Neutrius autem epiphænomenon est substillum è naribus, vt mox dicetur.

lib.1. περὶ διαίτ. f.1 r. prorrh. Coac.1. c.2.lib.2.

Svbstillvm incidat sangvinis e naribvs.] Quod specie ipsa non est pleuritidis epiphænomenon, nec empyematis: nisi fortè sit epigenomenon, illius quidem, per metastasin ad cerebrum, quæ paraphoricum edit symptoma, vnde substillum, sicut in comate vigili: huius autem, per exolutionem potentiæ retentricis ab inueteratione suppurati tabifica, Nec verò substillum sanguinis, in bonis vnquam ducendum, nisi fortasse id vnum quod hæmorrhagiæ liberalioris opinionem facit: cuiusmodi est illud quod cum vrinæ pepasmo incidit in quartum diem, apparétque ad hæmorrhagiam septimo die venturam; incidit autem sternutatione oborta.

Coac. 155 lib. 1. 7.Epid.

Nam de Metone quod scriptum est, bis die quarto substillum sanguinis habuisse: pessimè quidem ille fuisset, nisi fouendo caput, Hippocrates quinto die profluuium sanguinis excitasset.

1. Epid.

Grave malvm.] Quia non est proprium epiphænomenon, & quia parca manu & pigro lapsu fluit; quod signum est proritationis irritæ, quæ non rarò, sanabiles morbos. ex euentu facit insanabiles. Fit enim ex irrita proritatione ἀκρισία, quæ infert acrisiam, dyscrisiam, malorum accessionem, relapsum, mortem quoque ipsam. Hinc vetus illa opinio; melius multò esse, naturam quiescere, quàm aliquid frustra moliri. Sed irrita fit proritatio in substillo: quoniam potens non est natura nimiæ abundantiæ, qualitatísque malignæ, vel, vt scripsit Galenus; natura suo dominatu nequit regere multos vel malignos humores, aut ipsa iacet effœta diu multúmque oppressa. Illud verò malum, prauitate ipsa

prorrh. 56.f.3.1.

multò

mulrò fit peius, si sanguis qui stillat, qualitate sit merus, vt in Philisco; fluat è diuerso mali dolorifici; ac si vndecimo die; sed etiam in paroxysmo, vt quarto aut quinto; sine delectu periodorum, vt paribus aut imparibus diebus morbi exacerbantur; postremò si bis die fiat, & redeat, quod explodirur in illa prognosi. *Vndecimum diem agentibus, subsillia sanguinis mala sunt; idque cùm aliàs, tum si bis fiant & redeant.* Quò enim sæpius frustra proritatur natura, eiúsque contentio irrita manet atque inanis; eò res ægri peius ha- eunt. Sic io rigore vidimus, sæpe & frustra concitato.

hist. 1. 1. Epid. Coac. 2. c. 13. li. 2. in Philisco. Coac. 12. c. 13. li. 2.

44. Οἷσιν ἐμπύοις, ἐπιεικέστερον ἔχουσι, δυσωδίαι τῶν πτυσμάτων παρακο-
10 λουθοῦσι· τούτοις ὑποστροφὴ κτείνει.

Quibus purulentis mitiora sunt omnia, si postea pus edunt fœdi odoris; iis recidiua mortifera.

Illa demvm leuatio empyicorum fluxa est atque obnoxia recidiuæ, in qua supersunt reliquiæ morbi exacti. Supersunt autem reliquiæ, aut veteris cacochymiæ, aut succrescentis. Ac veteris quidem, in pure concluso, vel in thoracem effuso, quod foras non exit: succrescentis autem a vitio pulmonum
20 exortæ, in quibus diffusum pus, non in membrana collectum, rupta vomica, vlcus ferinum reliquit, vnde perennis generatio puris maligni.

Ergo. Qvibvs pvrvlentis.] Qui propriè dicuntur empyici, & sunt eiusmodi, vel pure in vomica pulmonum collecto, vel in thoracem erupto.

Mitiora svnt omnia.] Dyspnœæ, doloris, & febris, eaque pathognomonica, quæ dum pus conficeretur, maiora erant quam confecto, non tamen omnino quieuerunt: quoniam τὸ ἐπιεικὲς eam moderationem significat, de qua versatur illud in sapientum sermone μηδὲν ἄγαν, i. ne quid nimis: quemadmodum suprà iam è prorrhetico annotauimus. In effuso autem pure, quod vomica ipsa vomuit, mitiora sunt omnia epiginomena, dyspnœæ, tussis, ptyelismi, febris, doloris: quorum acerbitas magna erat dum ruptionem natura moliretur. Iam enim pus rupta vomica, è loci angustia transiit in
30 amplitudinem, & spiritus ipse quem ducimus, in pulmonibus, vnde priùs arcebatur, sedem inuenit.

Coac. 97. lib. 1. prorrh. 67. c. 3 r. lib. 1. ...

Si postea pvs edvnt foedi odoris.] Cuius fœditas putredini accepta fœditas sepen ab Hippocrate nominatam ostendit.

Iis recidiva.] i. Noua symptomatum, paulò antè remissorum, fietura; ab oppressione pulmonum atque thoracis; quam facit puris collecti, & continenter ab vlcere succrescentis nimia abundantia, cum perenni affluxu catarrhi è capite. Hæc autem recidiua cernitur in reuersione & molestia symptomatum grauiorum quàm fuerint in ruptione propinqua, nempe doloris, febris, dyspnœæ, meteorismi, & anxitudinis

9. Epid.

Mortifera.] Quia deinceps nulla erit remissio, sed incrementum, & vires effetæ languent cum accessione maioris infirmitatis, & sympathia partium omnium sociarum & vicinarum.

lib. 1. ...

40

45. Οἱ ἐκ πλευριτικῶν διαπτύοντες πυώδεα ὑπόχολα, στρογγύλα, ἢ πυώδεα, ὕφαιμα, παρακολουθοῦντες χρόνου· ὀλέθριοι δὲ καὶ ὧν τὰ μέλανα λιγνυώδεα πτύοντες, ἢ οἷσιν ἀπὸ οἴνου μέλανος γίνεται πτύσματα.

Qui è pleuriticis purulenta expuunt biliosa, rotunda, aut purulenta, fusca labentibus inde diebus, desperati: desperati sunt etiam qui ni-
50 *gra & fuliginosa expuunt; aut quibus, velut nigro vino, sputa sunt tincta.*

Existit pepasmus omnino pestiferus, vt quodam loco scripsit Hippocrates (per ironiam ita loquutus, quia hoc, quicquid est, corruptionis potiùs quàm pepasmi nomen meretur:) vbi paria non sunt omnia caloris natiui, & mitificandi humoris; vt si humor prauitate sua sit indomabilis, aut si natiuus calor effœtus langueat in pepasmo materiæ, alioqui natura mitificabilis. Ac prioris vitij exemplũ hic ponitur in expuitione purulenta & biliosa: alterius verò in purulenta ὑπέλυσι. Quoniam autẽ pleu-
60 ritidis & peripneumoniæ mortifera sunt omnia, sicut de angina præceptum est; nisi dolorificum malum foras excat citò, & liberè ac liberaliter; quale in vtroque morbo descriptum est: aut si careat beneficio anacatharseos, illud certè obtineat quod medium esse diximus inter veram crisin & desperatam salutem; videlicet empyema, cuius quoq; vacuatio expetenda per facilem sputi anagogen, nihil olens, vndiquaque albi, læuis, & æqualis. At talis anagoge, verum & certum est signum mali dolorifici, exeuntis cum redintegratione partis obsessæ, omniumque symptomatum vacuitate. At si non fuerit talis, huius

Coac. 16. c. 15. li. 2. Coac. 15. c. 15. li. 2. Coac. 38. huius c.

sed qualis hoc loco & suprà iam posita est; non certè hæc,malum exire, sed intus ad ægri pestem perniciémque subesse restatur; vnde perennis manat puris maligni soboles & propagatio, quæ finem habitura non est, donec ægrotus animam exhalarit. Sed huius prognoseωs demonstratio petenda erit ex aliis quæ in hanc sententiam scriptæ sunt,ac demonstratæ.

Ergo. QVI E PLEVRITICIS.] Pleuritide sæua correptis,quorum anacatharsis nec cita fuit,nec liberalis & libera,sputi exactè flauo permixti,vnde pleuritis nō rarò sua sponte quiescit, crisinque habet simplicem perfectam,recidiuæ & suppurati expertem; eadémque nec phlebotomia, nec pharmacia,nec diæta curationem recepit; & tamen virtute naturæ, empyemati locum dedit; cuius confectio & eruptio celeritate præcedit reliqua empyemata , quæ cadunt in pleuritidem & peripneumoniam: sicut non ita pridem annotauimus ex Galeno ad illam prognωsin. *Plurimæ autem suppurationes rumpuntur,aliæ quidem viginti dierum*,&c. Vbi demonstratum est, plurimas eò dici,quòd aliæ sint alterius generis quæ non seruant legem dierum criticorum in ea prognωsi traditorum; sed multò antè rumpuntur, ac septimo die non tarò tales eduntur,quales in prognostico,& suprà,& hîc leguntur.

Coac. 15. huius c.

PVRVLENTA EXPVVNT BILIOSA.] Intra decimumquartum,nulla præeunte salutari anacatharsi quæ dicta est.Nam cætera empyemata non fiunt,aut certè vix ante 14.nec rumpuntur ante 20. quàm breuissima esse potest eorum confectio , & consecuta ruptio. At purulenta & biliosa expuitio empyematis tam citò confecti,sæpe cadit in septimum, indéque mors venit intra decimumquartum. Tam citæ mortis causa est morbi ferocitas,& summa caloris natiui infirmitas,quæ cernuntur in bilioso pure, diductúmve id fuerit, aut permixtum: maximéque cùm ipsa natura, rei malè gestæ arguitur septimo die:tum enim malè res eunt,atque spes omnis retrò sublapsa refertur. Est autem,vt iam diximus, analogia septimi indicantis, ad crisin decimiquarti. Sed satis iam alibi de iis, qui purulenta expuunt biliosa,& quare moriantur.

lib. 2. progn. & Coac. 20. huius c. — Coac. 10. huius c.

ROTVNDA.] Quorum prauitas consideranda in signo & causa.In signo quidem, quo denunciatur crassitudo & lentor humoris in pulmonum bronchiis cumulatè collecti,& ab immoderato calore tam glutinosi atque rotundi , pars enim vnde manat, ardore conflagrat. In causa autem: quoniam difficilis est talium excreatio;eáque difficultas excreandi,auget materiæ contumaciam,auget quoque ardorem:hinc maior dyspnœa.Atque hæc tria;difficultas spirandi,excreandi, & glutinosum pus, mutuas tradunt operas in ægroti perniciem,vt alibi docet præceptor.

li. 1. acut.

AVT PVRVLENTA SVBCRVENTA.] Vnde significatio fit effœti multùm caloris natiui , qui materiam , pepasmi capacem, mitificare non potest, coloremque solidarum partium,quarum munus est ipsa concoctio,puri,vt decet,omni ex parte inducere.

LABENTIBVS INDE DIEBVS.] Vnde prauitatis & infirmitatis accessio fit.Nam & corruptio malor in dies accrescit,& virtus exoluitur partium quarum officia necessaria sunt ad conseruationem vitæ.

DESPERATI.] Quorum desperatio posita est in vitio inemendabili partium obsessarum , calorem cordis vitalem suffocantium,vel extinguentium cum spiratione difficili atque rabifica.

DESPERATI SVNT ETIAM.] Calamitosa vi ardoris quo peruruntur atque conflagrant partes spirabiles,vnde μαρασμὸς ἀδιόρθωτος,& priuatio,ex qua denuo habitus comparari non potest.

QVI NIGRA EXPVVNT.] In quibus summa sunt prauitatis omina, quæ in cuiuslibet meri humoris vacuatione cerni possunt.Nam huius nigri humoris,atque,vt ita dicam,atrabilarij, non melancholici, materialis causa est bilis multùm viridis & æruginosa ; efficiens verò, prægrandis calor adurens,& serum exhauriens, vnde tam merus est vt eo nihil magis:iuxta illud. Εἰ δὲ μὴ ὕπνος ἄκρητος, ὥστε μέλαν φαίνεσθαι, &c. Atqui nihil merum in bonis ducendum, ne ipse quidem sanguis. Ergo desperati sunt illi qui cum sputo nigro,purulentum expurgant.

lib. 2. progn.

ET FVLIGINOSA.] Damnantur hîc fuliginosa , quæ tamen plus habere securitatis alibi scripsit, quàm cætera praua:multùm enim differt fuliginosum à nigro. Nam à fuligine superficies tantùm fucatur, sed ab ardore totum corpus omni ex parte nigrescit. Atque vt nigriciei causa est ardor quo humor conflagrat: sic fuliginosi coloris vapor & anathymiasis, quia superficies humoris fucatur. Sed in sputo vera est fuliginosi commendatio,præ cæteris malis.In empyemate vituperatio, postquam naturæ frustra conatus capti sunt in coquendo.

Coac. 17. huius c.

46. Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες πτύουσι, πονέοντες ὑποχόνδριον δεξιόν. ἀπὸ τοῦ ἥπατος πτύουσι, καὶ οὗτοι πολλοὶ ἀπόλλυνται.

Quicunque spumantem expuunt sanguinem, dextróque laborant hypochondrio; à iecore spuunt, multique intereunt.

ECCE QVO in errore versantur,qui omnem diagnωsin pleuritidis aut peripneumoniæ ponunt in sputo cruento. Non enim hoc pathognomonicum est illorum morborum ; sed epiphænomenon potiùs:nec vnquam inter diagnωstica recensetur à præceptore;sed inter prognωstica: nisi quis diagnωsin inde comparari putet humoris morbifici:quod illi concesserim facilè, modò inde prognωsin incurādi esse fateatur.Enimvero dubitari non potest quin sputum spumosi sanguinis, illinc veniat, aut illac feratur,vbi

retur, vbi facilis est generatio spumæ in circumtenso sanguine à spiritu flatulento, vel à calore contra naturam. Est autem facilis circumtensio in ardore, vasorum amplitudine, & motu perpetuo spongiosi pulmonis, cum accessione tussis molestæ quam excitat crebra concussio. Vera est igitur illa sententia præceptoris. *Qui spumantem expuunt sanguinem, iis anagoge fit è pulmone.* Verùm vt spuma fit in pulmone: ita non semper sanguis è pulmonis commeatu, nec de substantia eius prorumpit. Quod multis iuuenibus vsu venisse comperi, quibus, cohibita narium hæmorrhagia, sanguinis anadrome cursum habuit per pulmones, & exitum per os. Ac mihi quoque iam homini quinquagenario, cùm olim familiaris fuisset narium hæmorrhagia, commodo valetudinis ad illud vsque tempus ætatis meæ; tum ea suppressa, nec tamen anadrome statis temporibus quiescente; qua data porta prorupit per anastomωsin venarum pulmonis, atque id quidem sæpe & multùm: quæ tamen sedata per Dei misericordiam, nullam offensionem partis reliquit qua cursum inflexit, præter summam corporis infirmitatem. Sed eum qui sequutus est annum exegi in medendo, scribendo; & legendo Hippocratem clara voce & firmis lateribus. Deo sit honor & gloria qui me sanauit, ac mihi medicinæ faciundæ rationem aperuit per hæmorrhoidas, admota hirudine. Sic enim rheuma concitatum retrahitur, efferáque sedatur anadrome atque sistitur. Huc spectant & illa. *Mulieri sanguinem euomenti, menses prorupti, λύσιν, i. solutionem afferunt.* Et, *Mulieri menstruali, cui menstrua non respondent, prodest è naribus profluere sanguinem.* Est enim ratum illud, quòd qui statis temporibus profundunt sanguinem, si in loco non profuderint, grauissimis malis tentantur: ac nonnulli epileptici moriuntur; nisi aliqua fiat anagωge, aut per phlebotomiam prouisio vel curatio adferatur. Nam *ex hæmorrhoide quantumuis parum aut parumper aperta, aborta vertigines; paraplecticum quippiam ominatur. Sanat autem phlebotomia.* Vt autem hæmorrhoides conuenienter fluentes, omnia ferè arcent mala thoracis & cerebri, atque adeo corporis vniuersi: sic illæ inconsideratè suppressæ, planè grauiora inferunt mala, quàm quæ arcere solebant. Est igitur necessaria κενεαγγεία, i. *vacuatio* cuiuslibet superuacanei quod exitum de more non habet: alioqui tum à suppressione vbi stabulatur, tum ab anadrome vbi subsistit: sæpe insanabilem morbum facit. Ac nihil naturæ molestius, nihil pestiferum magis, quàm solidæ excretionis repentina suppressio. Ex ea enim suppressione, multi per oppressionem & malignam cacochymiam morbi graues nascuntur. Nam *& profusa narium hæmorrhagia, vi suppressa, nonnunquam adducit conuulsionem: sanat autem phlebotomia.* Qualis est autem partium per quas ad exitum sanguis viam affectat, natura, in temperamento, complexione, conformatione, & officio: talis eiusdem in excernendo idea. Nam è pulmone spumans & floridus, cum tussi; ex aluo ruber aut niger, cum vomitu; è thorace parum bullatus cum tussi atque dolore, foras exit: ne persequar cætera quæ sunt notissima.

[aph. 13 5. — 1558. — 1578. — aph. 32 & 33. li. 5. — Coac. penult. c. 13. li. 2. — Coac. vlt. c. 13. lib. 2. — 6. Epid. — Coac. 12 c. 13. li. 2.]

Dextro qvs laborant hypochondrio] Per metonymiam & propriè dicto: vt affectio ipsa sit hepatis quod in eo hypochondrio continetur: sympathia verò ipsius hypochondrij, i. epigastri partis illius quæ subiacet, vel potiùs adiacet cartilaginibus notharum costarum, vnde nomen habet: ac sympathiæ illius notæ sunt, dolor & duritas. Vtriusque autem symptomatis causa est, non propria quidem hypochondrij tensio: sed eius oppressio quam facit phlegmone systrophica iecoris adiacentis.

A iecore spvvnt] Inflammata scilicet parte illius conuexa, vnde à forti contentione naturæ sui diligentis, & periculum vitare studentis; translatio fit sursum per expressionem sanguinis qui è directo ferri debebat secundùm iugulares venas ad caput, indéque prorepens ad extimas venarum oras, quæ sunt ad nares, illac per anastomωsin hæmorrhagiam ciere, quæ plurimum opis & adiumenti adferret; inchoatam systropen reprimendo, factam exoluendo, denique rheuma concitatum inhibendo, & consistens vacuando, vnde iam ampliùs periculo locus non esset. Verùm hîc deuium iter est cùm itur ad pulmones, quo periculum mutatur potiùs quàm vitatur: ac longe maius periculum esset, si anadrome ad pulmonem inflexa, ibi subsisteret, nec anagωgen haberet. Nam inde nata peripneumonia, nullum adferret iecori eleuamentum: sicut nec vlla sympathia est primigenij mali leuamen, quandoquidem ipsa quidem exclusio sanguinis illac prorupti, vllo fit commodo leuationis, vt mox dicetur. Credibile est autem malum pulmonis à primigenia iecoris inflammatione adhuc superstite, principia causásque duxisse.

[lib. 2. ...]

Mvltiqve interevnt] Quoniam vt spumæ generatio fit in pulmone: sic propagatio perennis causæ morbificæ in iecore inflammato: vt quamuis eductio sanguinis in pulmone collecti, ad syntropen ibi natam atque conceptam multum opis adferret: tamen hoc loco fit irrita expurgatio propter perennitatem affluxus à iecoris foco, inflammatione obsessi; quam ibi subesse restatur hipochondrij meteorismus sine borborygmo, sed cum dolore & febre coniunctus. Quæ causa è multis vna est, cur omne sputum quod non sanat dolorem, sit prauum: quantumuis bonum esse videatur. Et cùm sanguis huius omnis, cujusmodi tandem fuerit, etiam bonitate eximius, sursum per os editus, in vitio sit; niger autem specie ipsa pessimus; tamen deorsum ductus per hæmorrhoidas, laude conspicuus esse soleat: tum verò ad caolæ & signi calamitatem sanguinis per os exclusi, multùm accedit, quando inex austi fontis, vnde manat, signa eduntur; qualis hic cernitur atque tractatur hypochondrij dextri afflictio quæ homini necando ipsa per se satis est. Notum est illud. *Hypochondrij, præsertim dextri, tumores duri ac dolorifici, per initia mortem in propinquo esse denunciant,* &c. Propterea consideratè scriptum est.

[Coac. 18 huius c. & lib. 2. progn. aph. 25. 4. li. prognost.]

Mvlti intereunt, non omnes: quoniam si validarum virium beneficio ventum sit ad vigesimum diem manente febre, suppuratio fit, vnde nonnulla spes affulget salutis. Intereunt autem à foco primigenij morbi, & loco indebitæ vacuationis. Atque à foco quidem; propter amissionem officij necessarij, doloris acerbitatem, partium vicinarum sympathiam & syntimotiam; tum propter generatio-

neu perennem prauorum humorum. A loco autem vacuationis indebitæ; propter excellentiam partis afflictæ, i. pulmonis, vasorum ἀναστόμωσιν, ἢ ῥῆξιν διάβρωσιν, i. diductionem, rupturam, erosionē; quę nō sanescunt facilè; tum propter viuifici nectaris paupertatem quam infert sanguinis è sinu cordis exclusio. Postremò φθίσις ἀπὸ τοῦ πτύσματος, i. phthisis à sputo, de qua illud præceptum est. Τοῖσι δὲ νεανίσκοισι, αἵματος πτύσιες, φθίσιες, i. Iuuenibus, sanguinis sputiones, phthises: vnde & illud Tabes potissimùm in eam cadit ætatem quæ est à 18. ad 35. Et rursum. Ἐπὶ αἵματος πτύσει, πύου πτύσις κακόν, i. A sanguine sputo, puris sputum; malum. Vbi Galenus ait, non omnem sanguinis expuitionem, tabis consecutionem adferre: sed eam solùm quę à maligno fit.

aph. 19. 3.
aph. 9. 5.
aph. 15. 7.

47 Οἷσιν ἐν σεισμοῖσιν, πύον βορβορῶδες ἔρχεται, καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται ὡς τὰ πολλά.

Quibus concutiendo pus editur cænosum, & fædi oderis; vt plurimùm moriuntur.

Qvemadmodvm naturæ vis atque integritas in motu & pepasmo, consolatur medicum spe certa salutis: ita segnicies & infirmitas in vtroque, desperationem; in alterutro, metum adfert sinistri euentus. Hic autem comparatio fit vtriusque facultatis, vnde prædicendi ratio iniri debet interitus aut salutis. Ac naturalis quidem validæ in pepasmo; contrà effœtæ, in corruptione humoris morbifici: animalis verò firmæ in substantia, robustæ in officio expurgandi sputum aut pus; infirmæ & languidæ, in interceptione & impedimento exitus, vnde suffocatio, indéque mors venit. Est igitur prognoseos huius quæstio, vtrum purulenti peiore sint loco à puris corruptione, quàm à difficultate & contumacia excundi. Quæstionis autem hæc erit decisio.

Qvibvs] Empyicis, quorum patefacta iam ratio est in generatione suppurati, & vomicæ ruptione 20. 30. 40. aut 60. die.

Concvtiendo] A forti contentione musculorum intercostalium, idque voluntatis imperio, tum ab electione, tum ab instinctu. Est enim natura in concussione potens causæ morbificæ: quemadmodum in conuulsione impotens. Excitatur autem concussio, vel sponte sua, vel nostra in tussi; quod est καθ' ὁρμὴν, ὃ κατὰ προαίρεσιν. In sternutamento, singultu, rigore; tantùm καθ' ὁρμήν, i. ab instinctu partis affectę, nec voluntatis imperio. Est igitur fortis concussio, signum τῆς ἰσχύος in substantia; τῆς δὲ δυνάμεως in officio.

Pvs editvr coenosvm] Quamuis liberè & liberaliter, à forti contentione thoracis, meatuum libertate, & pure meabili. Est autem cœnosum βορβορῶδες, colore fuscum, & substantia ἀμοργώδες i. amurcam referens. Ex quo significatio fit corruptæ partis vnde manat, effœti caloris, & materiæ prorsus indomitæ.

Et foedi odoris] In quo putredinis summa sunt omnia, vnde vis tabifica nectar viuificum cordis planè corrumpit, & vnde partium omnium solidarum viuacitas labefactatur, corrupto vitali principio cui tabifica vis infertur à corde, loco viuifici nectaris. Est autem putredinis fœtidæ corruptio inemendabilis, nec vnquam redintegranda, quæ per synimoriam, partem vbi concepta est, ad extremum corruptionis perducit, & insanabilem gangrænam inducit.

Vt plvrimvm morivntvr] Vel potiùs necessariò: quoniam mortifera est gangræna cùm cæterarum corporis partium, tum verò spirabilium, quarum officio vel ad punctum temporis vitam carere non potis est: & quarum vitio, naturæ omnia præsidia collabuntur, cum ἀδυναμίᾳ omnium facultatum, & vacatione omnium officiorum, tandem in sympathiam & contagionem adductorum nobilissimæ partis corruptæ.

48 Οἷσιν ἀπὸ τοῦ πύου ἡ μήλη χρωματίζεται, καθάπερ ἀπὸ πυρὸς, ἀπόλλυνται ὡς τὰ πολλά.

Quibus à pure coloratur specillum, tanquam ab igne, maximam illi partem intereunt.

Coac. 31. huius c.

Enimvero bene res eunt, & bono sunt loco empyicorum, quibus vel confecto statim pure dum stabulatur in vomica, vel ea rupta in thoracē effuso, ipsum liberaliter & ex facili educitur per os, nihil olens, æquale, læue, & album. Tales enim pro certo euadunt, si bene constituta sit naturalis œconomia: quoniam ab expurgatione puris, fruuntur omnibus naturæ commodis quibus vita hominum sustentatur, nempe spiritu & nutricatu. Sin autē eo careant beneficio citæ, liberalis, & liberæ anacatharseos; ibi tum citò puris vacuatio molienda per vstionem aut sectionem: sicut faciendum præcepit Hippocrates, & suprà iā aperuimus. Ac si perusto latere κατ' ἴξιν empyematis vacuandi, quod vel pleuritis vel peripneumonia, vel ipse lateri affixus pulmo intexit (quod erat in more positum, institutóque vete-

rum

rum medicorum, vt Galenus ex Platone comico annotauit:) si, inquam, perusto latere, pus exeat, quale descriptum est bonum; bene fit ægro: sin autem cœnosum & fœdi odoris; mortiferum. Ac sanè pus illud alia probatione non egebat suæ qualitatis mortiferæ, quàm prædicta odoris atque coloris, nec erat necesse aliam subiungere in hac prognosi traditam, cùm illa sufficeret. Cur autem id factum sit, planum faciet prognoseωs explicatio.

QVIBVS] Empyicis qui perusto latere pus edunt foras, quod erat in thorace diffusum.

A PVRE] Non eo solùm quod expurgatur per os, in quo fœdi odoris, & cœnosi coloris argumenta sufficiunt ad præsensionem interitus & desperationem salutis, vt alia probatione hîc tradita, nec specillo sit opus: quia nullum ante fit vlcus, nec vulnus in libera puris expurgatione.

10 COLORATVR SPECILLVM] Scilicet vulnerarium, quod in sinum immittitur, siue in fistulam expurati:ne, quia longa est via, decipiatur medicus pure quod in propinquo est partium circumiacentium; tum autem vt pus quod in abdito latet, exitum habeat, quo sæpe impeditur vel sua crassicie; vel ipsius fistulæ sinuoso anfractu. Coloratur autem à pure quod in profundo est, vnde tali colore inficitur, qualis est eius coloratio.

TANQVAM AB IGNE] Vt scilicet immissum, pro candido & argenteo; velut plumbeum & igne perustum extrahatur; indicio puris, feritate acerrimi.

MAXIMAM ILLI PARTEM INTEREVNT] Causæ sunt explicatæ in superiore prognosi.

20 49 Μετὰ πλευροῦ ἀλγήματος, μὴ πλευριτικοῦ δὲ, καὶ ταραχώδεα λεπτῶν, ἢ ἐπιεικῶν· οὗτοι φρενιτικοὶ ἀποβαίνουσι.

Quibus cum dolore lateris, non tamen pleuritico, leuis adest aut modica perturbatio; euadunt phrenitici.

MAGNA VIS est ad ea quæ cuique accidunt suscipienda, in præparatione τῶν ἐπιλήπτικῶν; i. *excipientis causæ*, vel affligendæ partis. Ecce dolor lateris, nec tamen pleuriticus, transit ad phrenitidem: quia

30 coniunctam habet τὴν ταραχὴν, i. *animi perturbationem*. Huiusmodi est illa prognosis. *Qui cum perturbatione, vrinas meiunt claras & albas, vel enæoremate nigra præditas; ipsos manet phrenitis.* Sed præstat examinare institutam prognosin. [prorrh. 4. f. s. t.]

QVIBVS CVM DOLORE LATERIS] i. Dolorifico lateris malo. Sic enim dolorem pro morbo, sæpe iam diximus vsurpari. At cuiusmodi sit ille morbus, quia non docetur ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, nostræ partes erunt quærere ἐκ τῶν ἀσυμβιβαζόντων, ex eo scilicet quod adiecit.

NON TAMEN PLEVRITICO] i. Minimè nato ab inflammatione systrophica membranæ costis intextæ. Quæramus igitur super eo dolore lateris ad phrenitidem transeunte, quem ipsa pleuritis non facit. Sed quid dixi, super dolore? illud enim, *super*, ad methodum pertinet examinandæ rei quæ in quæ-

40 stionem vocatur. At nondum constat quænam sit illa res, nisi ἐκ τῶν ἀσυμβιβαζόντων, quod posuit in vacuitate pleuritidis. Quænam igitur tanta vis esse potest exorti doloris in latere, nec tamen pleuritici, vnde inferatur phrenitis? Enimuero diaphragmatis non est, nec vmbilici palpitantis, nec mediastini vulgò dicti. Etenim diaphragmatis inflammatio, quam vox acuta, quæ fuerat antè grauis, & hypochondriorũ intrò sursum ostendit reuulsio, est planè phrenitica. Vmbilici autem palpitatio, non est phrenitica, quã inflammatio non excitauit, pace Galeni dixerim. Nam vt concedam quod ipse dixit, paraphoricam esse diaphragmatis offensionem lege contagionis & sympathiæ quam habet cum cerebro: tamen offensionis causam probare non possum, quam idem scripsit oriri ex flatulento spiritu, frigoris vi cumulatè suppresso. Est enim ratum illud theorema ipsius. Οὐδέποτε ἡ πνευμάτων ἀπόληψις, ὑποχονδρίων φλεγμονώδη διάθεσιν ἐργάζεται. i. *Flatuum interceptio, nunquam hypochondriis infert dispositionem inflammatoriam.* Sed illa [Coac. 55. lib. 1. f. s. t. prorrh. lib. 4. acut.]

50 offensio non est lateris, nec morbo, nec sympathia. Mediastini autem quæ ratio esse potest, cartilaginei? quod si concessero inflammari, pleuriticus erit dolor, qualem demõstrauimus verè dici & esse à phlegmone sterni, costarum superarum, inferarum, & dorsi. Erit igitur lateris dolor, non tamen pleuriticus, qui per metastasin facit phrenitidem; is ipse de quo illud extat perceptum. τὰ ἀραιὰ τῶν πλευρῶν [illegible] ἀλγήματα παράφρονας [illegible], i. *Hos rari per latus oborti dolores, delirium fore testantur.* Hic enim raros dolores credibile non est dici, quos excitant flatus, quorum subita dissipatione ipsi dolores subinde quiescunt. Illud enim quod supra posuit de biliosis & meris deiectionibus; non admittit collectionem spiritus flatulenti. Deinde verò à dolore lateris inde oborto, non fieret ipsa phrenitis: quia spiritus flatulenti vt nulla suppressio inflammatoriam parit affectionem; sic nulla eius translatio. Quamobrem si, vel Galeno teste, rari dolores lateris, eò dicantur quòd sint fugaces: huiusmodi esse possunt à bilis or- [Coac. 50. c. 11. li. 1. Coac. 97. lib. 1. & prorrh. 10. f. s. t.]

60 gasmo, quam demonstratum est metaptosin crebram huc illuc habere, sicut in cerebro: sic in thorace, modò infera, modò supera; modò dextra, modò sinistra, modò antica, modò postica illius regione. Atq; dolor talis non est verè pleuriticus: nisi fortè ὁμωνύμως dicatur & κατὰ χρῆσιν: quia non habet secum adiuncta pleuritidis pathognomonica & συνδρόμων. Sed tamen ille dolor facilè transit ad cerebrum, ibique paraphorica edit symptomata; sicut iam per orgasmum, metastasin habuit ex aluo in thoracem. Paraphorica autem symptomata, facilè in cerebro excitantur.

prou. 4. sect. 1. 1. & alibi passim.

Si adsit levis avt modica pertvrbatio] Nam τάραχὸ absolutè dicta, mentis est propria, qua itur ad omne genus delitij; maximè autem phrenitidis & insaniæ, cùm effera bilis eò proserpit, ibique feritatem suam exercet.

50 Ἐν τοῖσι κατὰ πνεύμονα αἱ λίην ἐξέρυθροι ἀποστάξιες πονηραί.

Quæ cadunt in peripneumoniam prærubra multùm stillicidia mali sunt ominis.

Coac. 45. huius c. hist. 1. 1. Epid.

Satis iam de stillicidio sanguinis, quod cadit in peripneumoniam; aut etiam nimis multa ad illam prognosin. *Si lateris morbo substillum incidat sanguinis è naribus, graue malum.* Nunc autem sufficier explicare quid sit prærubrum valde stillicidium. Est illud sanguinis meri, suo sero nimis exhausti à febrili ardore, proptereáque pessimi. Ergo si ad vitium stillicidij, quod ipsum per se magnum est, & crisis aduersæ, accesserit quoque prauitas eximia sanguinis multùm è natura egressi, qualis est meri, vt in Philisco; non dyscrisia solum stillicidij simplicis, quæ ipsum semper manet: verumetiam mortis consecutio adferetur homini desperato. Vide comment. ad illam prognosin, & quæ adducta sunt illuc ex aliis aphorismis, de stillicidio accuratissimè scriptis & explicatis.

51 Μετὰ βράγχου πτύελα γλίσχρα, ἁλμυρώδεα κακόν. ἢν δέ τι ἐπαίρηται κατὰ στῆθος· ἐπὶ τούτοισι, κακόν. τὰ ἐς τράχηλον ἀλγήματα, τούτων ἰσχνανθέντων ὀλέθρια.

Cum raucitate sputa glutinosa & salsilaginosa: malum: quòd si quid præterea in pectore assurgat: malum. Ac sanè ceruicis dolores tumore vanescente: sunt desperatæ salutis

6. Epid. parte 3. 2. Epid. part. 3. 6. Epid. part. 3. 3. Epid. 1. Epid. ibid. 6. Epidem. part. 3.

Catarrhi ferini prolapsus, & vbi insederit, & vnde, & quà exierit; sæpe insanabilem morbum facit. Quod ipsum docere videtur illa sentẽtia. Ἐπὶ τοῖσι καταρρόοισι τοῖσι κακοήθεσι, κἂν ἐκπυεῖσθαι ὦσι, κἂν μὴ ὦσι, κακόν. *Destillationes malignæ* (in pulmonem prolapsæ) *extùmve habeant, aut non; semper sunt malæ.* Scripta est autem de iis qui thorace angusto sunt, dorsóque alato: quorum vitiosam conformationem referendam esse docet preceptor πρὸς τὴν τῆς ἀφορμῆς ἀδυναμίην, i. *ad imbecillam vim efformandi*; cuius imbecillitatem ponit in paupertate caloris natiui, ex paruitate cordis, quæ facit thoracis angustiam: sicut amplificatio amplitudinem. Scitum est illud. Στενότης καὶ πλατύτης ἀπὸ τῶν ἐναντίων. i. *angustiæ & amplitudinis contrariæ sunt causæ.* Huiusmodi autem naturæ quæ sunt angusti thoracis & dorsi alati, proptereáque dicuntur πτερυγώδεες: sunt omnes φθινώδεες, i. *obnoxiæ tabi*: præsertim si ad illud vitium formaturæ accesserit perennis catarrhi ferini generatio, ex contraria temperie nobilium partium, & impuritate ipsius hepatitis & aortæ, tum à tempestate austrina, ventis placida, & pluuiosa. Tum enim periclitantur οἱ πτερυγώδεες à phthisi, quos potissimùm destillatio ferina è capite facit tussiculosos & raucos. Cùm igitur catharri ferini vis erodendi (est enim ἀναβρωτικὸς proptereáque dicitur θηριώδης) merum adferat θηριώματος, i. *ferini vlceris* in parte capacissima rosionis, i. in raro & spongioso pulmone periculosa est eius mansio diuturnior, vbi non potest pepasmum habere: sicut catarrhi alij feritatis expertes, quos vetant inde cieri pharmacia anacathartica, priusquàm mitificati fuerint. Et si fortè natura, spõte sua, ipsum tussiendo extussire conetur; & irrita eius contentio, & inanis catarrhi expressio per fumidi vaporis efflationem, ipsa tussiendi assiduitate, vasis alicuius inferet ruptionem, & caput ipsum replebit, cuius repletio erit catarrhoica, per syntimoriam sequiens in pulmonem. Nec solùm catarrhi ferini prolapsus in pulmonem, cùm insederit, ipsum corrumpit; & vnde foras exire tentat, vasa disrumpit cum irrita tussiendi assiduitate: sed etiam quà prolabitur, & quà effertur; damnis auget ægrotum. Sic enim præceptor annotauit in illo.

1. Epid.

Φάρυγγες τοῖσι πλείστοισι τούτων ἐξ ἀρχῆς, καὶ διὰ τέλεος ἐπώδυνοι, εἶχον ἔρευθος μετὰ φλεγμονῆς. ῥεύματα σμικρὰ δριμέα, λεπτὰ, ταχὺ κακούμενοι καὶ τηκόμενοι, i. *Eorum verò plurimis exactum ad morbum fauces erant dolenter affectæ, quarum affectio cernebatur in rubore & phlegmone. Lacessebant eos fluxiones exiguæ, acres & tenues, citò maleficæ atque tabificæ.* Nunc ostendamus quàm sputa sint mala, glutinosa & salsilaginosa, cum raucitate coniuncta.

Ergo. Cvm ravcitate] Quam edit asperitas tunicæ arteriam succingentis, imbutæ catarrho primùm acri & tenui, mox glutinoso & salso.

lib. 1. & 3. de acut.

Spvta glvtinosa] Lenta & viscida: non à crudore, sed à calore contra naturam perusta, vnde nominantur καταγλισχρασμένα ἀπέπτως. i. *glutinosa & coctionis experta.* Nam coctione fiunt crassiuscula & meabilia, quæ putria vulgò dicunt: sicut ex vulgari consuetudine loquendi scripsit Hippocrates, ὀλάπιως. Hîc igitur sputa sunt ἀσπιλως, i. ἀπίπτως glutinosa; proptereáque ἰσχυρόχυτα, i. *screatu admodum difficilia*: quoniam contumaciter adhærescunt faucibus & arteriæ, vnde non exit facilè catarrhus ferinus in pulmonem prolapsus, quamuis eo delatus fuerit ipso vapore fumido, per tussim expressus:

sed

sed ibi dispergitur, & vt Galeno placet, ἀναπαλινδρομεῖ, i. rursum præcipitat, cuius inchoata fuit ἀναφορὰ, i. sursum elatio, nec tamen transeundi celeritate per arteriam, præuenit dispersionem sui per eam, atque relapsum. Quæ causa est cur in arteria glutinosum fiat, quod priùs acre fuit & tenue. (Gal. ad part. 16. sect. 3. 6. Epid.)

ET SALSILAGINOSA] i. Dilutum salem referentia, idque vel propria corruptione catarrhi, vnde fit pituita salsa, quemadmodum à concretione gypsea, & à resolutione aquea, vel à permixtione bilis & pituitæ. Sunt autem amari & salsi affines sapores.

MALVM] Quia raucitas cum tussi coniuncta, phthiseωs præminciа est vel consectaria: prout catarrhi feritatem senserit arteria; vel appulsu qui fit superne deorsum; vel eo qui inferne sursum, quando ibi dispergitur, ex eo quod ἡ ἄνοδος celerem non habet διέξοδον. Deinde quia sputum glutinosum, difficili excreatione plus adfert detrimenti, quàm adiumenti. Hinc maior doloris & tussis molestia, cum syntimoria contumacis materiæ, & spirationis difficilis, quæ frustra tussiendo augetur: vt interim præteream signum quod edunt sputa glutinosa perusti humoris ab incendio & ardore quo pars incanduit, vnde sputa illa procedunt. Atque vt glutinosum nocet contumacia & partium, vt sic dicam, laceratione: ita salsilaginosum, erosione. Nam signa terrifica sunt καθ' ἄνω ἢ κάτω. (Theoph. c. 8. lib. 2. de caus. plant.)

QVOD SI QVID PRÆTEREA IN PECTORE ASSVRGAT] Cuiusmodi est λόρδωσις à phymate duro pulmonis, partiúmve anticarum, thoracis vertebram dorsi auulsis ligamentis, sternum versus abducente; aut etiam sterno expulso ab oppressione partium spirabilium quæ adiacent ipsi, tum à propagatione rheumatis concitati & consistentis.

MALVM] Quia vis magna denunciatur mali quod foras non exit, sed acquirendo vires, distorsionem & luxationem adfert rhacheωs, ipsámque facit ἀσκώλιον, κυφὴν, & κυνόμαλον; quæ olim naturaliter constituta erat ἰθυκέλευθος, ἰθὺ λορδὸς ἢ ἰθύκυφος. Vulgata est illa sententia. *Qui ante pubertatem, gibberosi fiunt ex asthmate, vel ex tussi, moriuntur.* Vide doctissimum Galeni commentarium. (lib. 3. ἀφορ. aph. 46. 6.)

ACTVM CERVICIS DOLORES, TVMORS VANESCENTE, MORTIFERI] Ratio huius mortiferi symptomatis atque signi, repetenda est ex illa prognosi. *Sin autem cynanche faucium euanescit, nullo erysipelate foris exorto, nec excreato pure ex facili & sine dolore, idque diebus criticis, mortifera est.* Nam *erysipelas intus foras conuerti, commodum: at foris intrò, mortiferum. Intrò autem conuertitur, cùm eo vanescente pectus opprimitur, ac difficilius spirat æger.* Pertinet enim pars vltima huius prognoseωs ad phlegmonem & ruborem faucium dolenter afflictarum à feritate catarrhi, vel prolabentis; vel ἄνοδον sine διέξοδον habentis. (Coac. & 5. c. 15. lib. 2.)

52 Βράγχος μετὰ βηχὸς, καὶ κοιλίης ὑγρῆς· πῦον διάγει:

Raucitas cum tussi, & liquida aluo; pus edit:

VT RAVCITAS inæqualitatem ostendit arteriæ catarrho imbutæ: sic tussis, præsertim sicca, perennitatem catarrhi prolabentis, quando raucitatem secum habet coniunctam. Et quia catharri vis efferata est quæ cernitur in raucitate, & faucium phlegmone, atque rubore; periculum est ne tabem inferat, erodendo pulmonem. Fuit illud iudicium præceptoris, quòd qui à catarrho diu vexati sunt, tabificam vim eius tandem experiuntur, ac tabidi iacere coguntur. Iudicium aperit præceptoris, diuina obseruatio sic expressa. πρὸ δὲ τοῦ θέρους ἀρξαμένου, καὶ διὰ θέρεος, καὶ κατὰ τὸν χειμῶνα· πολλοὶ τῶν πάλαι χρόνον συνεχομένων, φθινώδεις κατεκλίθησαν. i. *Ante æstatem, & per ipsam, atque per hyemem, eorum multi qui iam diu conflictabantur, phthisici iacuere.* Ad quem locum hoc theorema catholicum scripsit Galenus. Οἱ ἀπὸ κεφαλῆς ῥευματισμοὶ, βηχώδεις μὲν εὐθὺς ἐργαζόμενοι κατ' ἀρχὰς ἀνθρώπους, εἰ δὲ μὴ χρόνῳ παύσονται μηδὲ ἀναθάλλουσι τῷ ἑπομένῳ ἔτει, φθινώδεις ἐργάζονται. i. *Destillationes è capite, quæ statim initio tussiculosos homines faciunt, atque tantos, nisi labente proxima anni parte quiescant, ac velut redintegrationem habeant; profectò alteram tabis inferunt differentiam.* Est autem tabis altera differentia quæ in vlcere pulmonis consistit; sicut altera in ruptione vasis: illa quidem πρεσβυτέρων, i. *hominum ætatorum*; hæc verò iuuenum, hæmorrhagiæ commodis carentium à 18. ad 35. ætatis annum. Ac tabis vtraque differentia, sic expressa legitur in illa prognosi. φθίσιες μάλιστα γίνονται, ἀπὸ τοῦ ῥήξιος φλεβῶν τῶν παχειῶν, καὶ ἀπὸ κατάρρου τοῦ ἀπὸ κεφαλῆς, i. *Ibi demum in metu sunt maximo tabes, tum à ruptione venarum crassarum, tum à catarrho è capite.* Ex qua prognosi Galenus distinctionem attulit causarum tabificarum, ad locum prædictum: vt satis mirari non possim tanti authoris pertinaciam in deroganda fide prognoseωn Coacarum, ex quibus tot flores collegit vnde sua scripta ornauit, & immortalem doctrinæ singularis gloriam comparauit. (1. Epid. aph. 9. 5. Coac. 5. c. 17. li. 2.)

Ergo. RAVCITAS] Initio statim catarrhi oborta, sicut Galenus rectè annotauit, κατ' ἀρχάς: quoniam ferina destillatio, statim malefica esse solet, & statim tabifica iuxta illud, ταχὺ κακοήθεις καὶ φθινώδεις. (1. Epid.)

CVM TVSSI] Ferina, pertinaci & sicca, in qua tussiendo, nihil, aut certè parum, excluditur; idque crudum, aut certè parumper coctum, mox crudum à nouo prolapsu, atque iis tantùm qui meliore sunt loco: Nam qui peiore sunt, ne quidem paulisper vllo gaudent pepasmo: sed continenter pauca exponunt cruda, exactum ad morbum.

ET LIQVIDA ALVO] Cuius præpropera excretio est ac lienterica, non quidem per sympathiam partium nutritiarum quas tædeat sui quamque officij, ab inueteratione tabis, mox affutura morte; nec verò destillatione catarrhi in aluum, qui oxyregmiam primùm, mox parit lienteriam. Sed à feri-

tate catarrhi quæ facit aluum ὑγρὸν, obortis scilicet aphthis in aluo, vnde labefactatur facultas eius retentrix, vt cibos etiam suauissimos, aliquantisper continere non possit. Credibile est autem, catarrhum idem facere in raro & molli pulmone, quod in densiore & solidiore, aluum: sicut Galenus annotauit, vbi docet Hippocrates, ab eodem catarrho eosdem homines tabidos fieri, & aluo turbata. Est autem hæc ἀκολουθία vt intelligamus, inde phthisin nasci, vnde vlcuscula, quæ sunt aphthæ, in ventriculo excitantur. Talis consecutio symptomatum legitur in illa prognosi. Στόματα ἀφθώδεα τῶν ἐπιφόρων, ὀλέθρια· ἆρα ἢ κοιλίας καταδιαρρήγνυνται, i. *Ora grauidarum aphthosa, terrifica. Num etiam perliquidas reddunt aluos;* Nam causa vlcerifica, per continuitatem interioris tunicæ prorepit ab ore ad aluum, vbi facit idem quod fecit in ore, nempe vlcuscula, vnde liquidis excrementis fertur aluus: quæ causa, nutriendi & gerendi opportunitatem adimit: proptereàque locus est abortioni.

3. Epid. part. 3. — in Coac. infra.

PVS EDIT] Non primo & per se, sed interuentu phthisis. Cuius quidem facilis generatio est à tali catarrho, maximè verò in homine angusti thoracis & dorsi alati, idque tempestate austrina, ventis placida & pluuiosa. Eiusmodi esset prognosis, si quis prædictionem ederet futuræ abortionis, ex grauidæ mulieris ore aphthoso. Tale est illud adagium. Oculus domini habiliorem facit equum. Non oculus domini ἰσχύϊ per se parit equo: sed equisonis diligentia quæ ad nutum domini adhibetur, in equo conuenienter fideliterque curando.

lib. 1. περὶ γονῆς. & aph. 34. 5.

53 Οἷσιν ἐν περιπνευμονίῃ οὖρα παχέα ἐν ἀρχῇ, εἶτα πρὸ τῆς τετάρτης λεπτύνεται, θανάσιμον.

Quibus in peripneumonia, vrina continuò crassa, mox ante quartum diem tenues fiunt; mortiferum.

HVIC demonstrandæ prognosi aduocanda sunt nobis hæc duo catholica theoremata. Prius est. In „ morbo acuto malè res eunt, quando perennis accessio fit causæ morbificæ. Alterum. Malo sunt loco res „ ægri in morbis acutis, quando naturæ præsidia collabuntur. Ac theorematis vtriusque veritas ostenditur in hac prognosi sicut in illa. *In parturientibus, vrina citò & paulisper cocta, pestifera.* Videamus igitur quantum lucis adferant theoremata illa catholica, huic explicandæ prognosi, quæ omnem ferè continet rationem prædicendi de morbis acutis, quæq; suo particulari exemplo de more & instituto præceptoris, præcepta edit singularia inetundæ τεκμάρσεως ad scienter & certò prædicendū quid cuique sit euenturū.

Coac. 7. c. 4. lib. 2.

QVIBVS] Conuenienter curatis, & in quorum commoda nihil peccatum est: vt nulla sit excusatio culpandi medici, conimive qui præstò sunt.

IN PERIPNEVMONIA] Inflammatione pulmonum systrophica, iam suis omnibus signis descripta & explicata.

Coac. 6. huius c. ex lib. 3. περὶ νούσ.

VRINÆ] Non quidem colliquamenta, nec οὖρα ὁμόχροα βρώμασι καὶ πόμασι, i. *vrinæ concolores potioni & cibo:* sed quarum materia est, vt ait Galenus, ὀρρὸς τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν, i. *serum quatuor qui stabulantur in venis humorum.* Est enim triplex vrinæ materia, præter τὰ ὑφιστάμενα.

6. Epid. part. 5.

CONTINVO] Ineunte morbo, simulatque venit peripneumonia, atque, vt dici solet, τῇ πρώτῃ εἰσβολῇ, i. *primo appulsu,* vel *aggressione.*

3. Epid. hist. 2.

CRASSÆ] Non quidem grumosæ ex affluentia crudorum ὑφισταμένων; nec verò crassæ, i. turbatæ ac iumentorum similes quæ diu depositæ non residunt, quæ οὖρα θολερὰ nominantur: sed crassæ, hoc est mediocris consistentiæ, nec spissæ nimis, nec tenues. Sic enim crassæ dicuntur quæ à pepasmo spissescunt, iuxta illud. Παχύνεσθαι δεῖ καὶ τὸ διαχώρημα πρὸς τὴν κρίσιν ἰόντος τοῦ νόσου, i. *Excrementum spissari oportet dum itur ad crisin.* Ac tales vrinæ crassæ leguntur in illo aphorismo. *Qui cum vrina crassa, meiunt furfuracea, scabiosa est iis vesica.* Vbi Galenus rectè annotauit, vrinam tenuem & furfuraceam, scabiosarum esse venarum: crassam verò, ipsius vesicæ. Ac de his aliàs.

part. 2 de Hermoc. aph. 69. & 70. lib. 4. lib. περὶ χυμῶν.

MOX ANTE QVARTVM DIEM] Quo prima periodus morbi absoluitur, & πρῶτος ἀγὼν nominatur, i. *primum certamen naturæ & morbi:* à prædonibus ducta metaphora qui viatores inuadunt. Notabile autem est quod scripsit, MOX ANTE QVARTVM DIEM: quoniam primis illis morbi diebus ante primam ἀγῶνα crebri sunt metaptosibus morbi acuti, ac tum humoris morbifici efferi fit orgasmus; non autem cùm iam processerint quaternariis, vt in phrenitide obseruauit præceptor.

li. 2. prognost. aph. 77. 4. li. 3. prognost. prorrh. 13. l. 1. 1.

TENVES FIVNT] In substantia, ex vacuitate coctionis quæ paulò antè specimen edideat suæ virtutis in crassa vrina: quod est argumentum fatiscentis naturæ & officij malè gesti à partibus nutritiis; maximè verò iecore & venis: ac tum vrinæ sunt tincturæ biliosæ expertes, ex translatione bilis ad superas partes quæ quia critica esse nequit ad futuram iuuenum hæmorrhagiam, sicut eius deriuatio ad secundum dysenteriam (non enim critica spes affulgere potest pepasmo ante quartum diem) efficitur planè vt sit omnino symptomatica ingrauescentis peripneumoniæ, aut etiam mox in phrenitidem migraturæ. Atque huius metaptoseos opinionem facit repentina mutatio crassitudinis in tenuitatem ante quartum diem, quo tempore, vt iam diximus, frequentissima esse solet metaptosis morborum peracutorum, & humoris orgasmus. Hic locum habet illa sententia præceptoris. Οὖρα τὰ λεπτὰ, οὐδὲν κρίσιμον, οὐδὲ χρηστόν, i. *Vrinæ tenues, criticum nihil, & vtile præ se ferunt.* Sed de vrinis suo loco dicetur.

aph. 72. 4. 5 Epid. part. 3.

MOR-

MORTIFERVM.] Quoniam si ad nobilissimæ partis oppressionem, continenter fiat noua morbificæ causæ accessio; vel, si in morbo calamitoso & peracuto; partium spirabilium ἀπεσφάγνα sit, & vis effœta langueat partium nutritiarum, profectò, labefactata spiritus & nutricatus œconomia, necesse est vitam effluere.

54. Οἱ ἐν ξηρῇσι περιπνευμονίῃσιν ὀλίγα πέπονα ἀνάγοντες, φοβεροί.

De peripneumonia sicca iis verendum qui pauca expuunt, & cocta paulisper.

SICVT periculosa est anadrome rheumatis concitati, quæ peripneumoniam fouet & auget: ita consistentis contumacia in coquendo & expurgando. Ac rheumatis concitati pertinacia, superiore prognosi tradita est in vrina quæ citam mutationem habuit crassitudinis in tenuitatem. Hic traditur contumacia consistentis, cum pertinacia concitati. Vtriusque autem ratio sic innotescet.

DE PERIPNEVMONIA SICCA.] In qua sputum flauum pauco permixtum sanguine non editur circa initia, nec diebus criticis liberaliter expurgatur: talis enim dicitur sicca, i. sputi expers, in qua dolorificum malum citò, per anacatharsin, foras non exit. Ac siccitatis causæ omnes propalam explicatæ sunt ad illam prognosin. *Pleuritides sputi expertes, grauissimæ.* Ergo qui sæuis peripneumoniæ symptomatis exercentur, nec vllam edunt vacuationem propriam phymatis in pulmone oborti. [lib. 2. progn. & Coac. 16. hm s c. Coac. 3. huius e.]

IIS VERENDVM.] Quia non laxatur phyma pulmonis, vnde nulla symptomatum grauissimorum remissio, sed grauiorum accessio extensione maiore, vnde spiratio difficilior auget humoris expurgandi contumaciam: quemadmodum hæc rursum, difficultatem spirandi, donec ventum sit ad stertorem & orthopnœam suffocantem & strangulantem. Atque in vniuersum mortifera sunt omnia peripneumoniæ, si dolorificum malum foras non exeat citò. Est enim, vt dici solet, celeritas mora ipsa, quando cum sæui doloris cruciatu coniunctus est in spirando meteorismus. Et verò in vacuitate commodorum epiphænomenon, fœtura est subnascentium prauorum symptomatum, quæ vocant τὰ ἐπιγινόμενα. Ergo de peripneumonia sicca iis verendum.

QVI PAVCA EXPVVNT.] Idque serò: ob materiæ contumaciam, vasorum siue meatuum angustiam, & imbecillam concussionem. Nihil autem paucum est criticum: maximè verò id quod difficulter exprimitur veriùs quàm expurgatur. [prorrh. 7. f. 1. a.]

ET COCTA PAVLISPER.] i. Parca manu & aliquantisper cocta. Hæc autem vicissitudo est pessima, cruditatis & pepasmi.

55. Τὰ ἐν τοῖσι στήθεσιν ἐξανθήματα ὑποπλατέα γίνεται τοῖσι τοιούτοισιν ὀλέθρια.

Pectora rubris maculis supersparsa; talibus mortem subesse testantur.

QVÆ PER metaptosin nata, spem adferunt bonæ crisis, & bona spe consolantur medicum; eadem per epigenesin, metu exterrent sinistri iudicij. In strangulatu forti cum sæui doloris cruciatu, & orthopnœa, quæ angina vera est, exortum in ceruice & sterno erysipelas, periculi locum tollit, si ex anginæ foco egressum fuerit per metaptosin, nec intrò recurrat. Idem per epigenesin diffusum veriùs quàm effusum, quod indicant symptomata ingrauescentia, vana spe lactat medicum imperitum. Nam cita mors venit.

Ergo. PECTORA.] Dorsum quoque ipsum, & latera quibus adiacent inflammati pulmones.

RVBRIS MACVLIS SVPERSPARSA.] Vel maculis quibusdam obsita, rubris quidem, sed minimè tuberosis, ab expressione seri, cuius nimia abundantia pulmo distentus est, peneque oppressus. Exudat autem serum illud, potissimùm iis qui carent libera & liberali expurgatione humoris morbifici, & quibus vrinæ primùm crassæ, mox tenues ante quartum diem redduntur; maximè verò densis corporibus quæ ab exercitatione violenta peripneumoniam contraxerunt.

TALIBVS MORTEM SVBESSE TESTANTVR.] Non secus atque sputum quod strepitum edit in pectore, vnde curatio desperata. Non secus atque pulmo qui multùm replerus, nihil edit, sed feruet in ima larynge. Quæ sanè afflictio peior est, quàm si ederet sputum nigrum, sicut docet illa prognosis. Εἰ δὲ μὴ ἄνω ἀνέρχοιτο ὥστε καὶ μέλαν φαίνεσθαι, δυστυχέστερόν ἐστι τούτων ἑκάστου. κακὸν δὲ καὶ ἢν μηδὲν ἀποκαθαίρηται, μηδὲ προΐῃ ὁ πνεύμων, ἀλλὰ πλήρης ἐὼν ζέῃ ἐν τῇ φάρυγγι. i. *Quòd si sit ita syncerum, vt nigrum appareat, peius hoc est prædictis. Malum item, si nihil expurgetur, neque progrediatur pulmo expurgando, sed plenus adhuc ferueat in faucibus.* [lib. 2. progn.] Est igitur illa rubrarū macularū in pectore supersperso, ἐκ τῆς ἀναφορᾶς causæ morbificæ ab ingrauescente peripneumonia, & à pulmone, seri putrescentis æstu fluctuante, cum stertore ad imam laryngē

56. Πλευροῦ ἄλγημα ἐν πτύσει χολώδει ἀλόγως ἀφανισθὲν ἐξίσταται.

Lateris dolor in sputo bilioso quod immeritò vanuit; insaniam facit.

prorrh. 17.f.2.1. Coac.51. l.1. aph.26.2.

VETVS ILLVD scitum est. Τὰ ὀλέθρια ἅπαντα μαλθακυνόμενα θάνατον σημαίνει i. *Mortifera omnia quæ abs re mitescunt, mortem in propinquo esse testantur.* Et, *Quæ praua cum signis mitescunt, mortifera sunt.* Multa sunt alia præclarè scripta de insidiosa leuatione morborum. Quæ omnia his literis continentur. *Quæ immeritò leuantur & leuant, iis non est credendum, nec conquiescendum.* Ecce pleuritis, ipsa per se formidabilis, cum signo terrifico, nempe sputo bilioso mitescit, atque omnino vanescit, vt iam nulla ampliùs superesse videatur. Est igitur insidiosa eius leuatio. Quas autem faciat & paret insidias, in hac prognosi docetur.

LATERIS DOLOR.] i. Pleuritis lateri dolorifica per inflammationem systrophicam membranæ costis intextæ, & ab ea doloris molestia, hic & alibi nomen habet.

Coac.7. huius c. lib.3. ἐπιδημ. & Coac. 30. huius c. Coac. 14. huius cap.

CVM SPVTO BILIOSO.] Non quidem à bile sputo exactè permixta, quod tertio die cœptum mitificati & expui, citas facit discessiones; nec verò in pleuritide biliosa simul & sanguinea, quæ vt plurimùm nono vel vndecimo iudicatur, ac præter cæteras sanescit perfectè atque simpliciter. Sed cum sputo bilioso flauo & mero, quod scilicet pituitæ non est permixtum, nec sanguini, atq; idem caret suo naturali sero quo naturaliter vnusquisque humor diluitur. Vnde significatur pleuritici humoris prauitas, eiusdémque cruditas, cum perennitate rheumatis concitati ab hepate, & hepatis impuritate.

prorrh. 22.f.2.1.

QVI VANVIT IMMERITO.] Non critica lege quieuit, cum expurgatione cita, liberali, & libera, sputi boni & laudabilis, quale iam diximus: id enim significat, ἀλόγως, ἀσήμως, μὴ κατὰ λόγον, παραλόγως, vt in eo. Δίψα παραλόγως λυθεῖσα ἐν ὀξέσι κακόν. i. *Sitis sedata immeritò in acutis, malo est.* Vbi Galenus author est, sitim abs re sedari, manente scilicet causa sitifera, quam vacuatio critica deiectionum, sudoris, hæmorrhagiæ non sedauit, nec artificium medici ad imitationem naturæ comparatum. Sic & hoc loco, pleuritis in sputo bilioso, sine causa vanescit, cui natura nihil opis attulit, nec adiumenti, nec etiam mituit diligentia & industria medici, quam adhibet vacuatione & metecorismo per phlebotomiam, forum, & pharmaciam tum catharticam, tum anacatharticam.

Coac 99. 1.lib. prorr.5. f.3.1.

INSANIAM FACIT.] Hæ sunt insidiæ quas facit & parat lateris dolor, sine causa, & prauo cum signo vale dicens. Nam biliosus & efferus humor, per orgasmum ciet anadromen, quæ non antè subsistit, quàm ad cerebri arcem peruenerit, vbi mortifera edit omnia, si exitum citò non habeat per hæmorrhagiam. Ac primùm bilis flaua ad caput translata, ibique fluctuans æstu, phrenitidem parit, mox insaniam: quòd eius in atram facilis mutatio sit. Sunt autem acriores morsus bilis atræ, quam flauæ. Nota est illa prognosis. *Phrenitici, sputatores, fanatici, vel insani; etiámne tremuli?* Quid autem inter phrenitidem & insaniam intersit, dictum est alibi multis in locis. Hic pensum meum absoluisse videbor, si nonnulla scripsero super philologia huius prognoseos. Primúmque, quòd verbum ἐξίστησι, per metonymiam legi debet, nempe afflicti pro afflictione, quod Galenus nimium anceps verborum, solœcismo tribuit explodendo. Sed tales solœcismi sexcenti leguntur apud Hippocratem, qui tamen non sunt explodendi, sed ex dianœa præceptoris fideliter & religiosè interpretandi; ne optimarum rerum sic traditarum fructu optatissimo careamus. Alterum est super illo participio ἀφαυρῶσιν, quod qoidē, sicut verbum ἀφαυρίζειν & ἀφαυρίζεσθαι, vnde venit, accommodatur semper leuationi, vel insidiosæ, vel etiā falsò creditæ: sicut ῥαΐζειν, ῥαΐσαι, & ῥᾳῶν, leuationi veræ quæ fit εὐσήμως, ἢ κατὰ λόγον. Sed inter ἀφαυρίζεσθαι & παραμαλθακίζεσθαι, quorum vtrumque dicitur de iis quæ tum insidiosè, tum falsò leuantur, hanc differentiam ponit Galenus; quòd illud sit repentinæ & subitæ leuationis; hoc verò tardæ & lentæ. Atque hæc Galeni distinctio legitur comment. ad illam sententiam, quam tamen Codex Græcus Galeni ad Hippocratis opera, distinctam non habet, sed commentarij literis minutioribus excusam, in eoque confusam. Est autem hæc. Τὰ ἐπώδυνα, ἀκρίτως παραμαλθασσόμενα φλαῦρα. i. *Quæ dolorifica sine crisi residunt* (loquitur enim de parotidibus) *praua sunt.*

Cōment. ad prorr. 76.f.3.1.

57. Οἱ διὰ ἐμπύησιν πυρετοὶ διαλείποντες· ἐφιδροῦντες οἱ πολλοί εἰσιν.

Quæ à suppurato febres quiescunt, sudatiunculam multa habent.

Coac.38. & 39 huius cap.

ENIMVERO spei plenum est empyema vnde febris ægrum dimittit, ipse autem cibos concupiscit: ac pus educit facilè, nihil olens, album, æquale, & læue. Mortiferum autem quod febrem infert, sitim, & cibi fastidium, atque pus edit liuidum aut viride, spumans & fetidum. In incerto res est, quando ab empyemate, ipsa quidem febris quiescit, sed inde sudatiuncula exudat circa iugulum atque pectus. Quemadmodum autem sic fiat, iam ad demonstrandum aggredior.

QVÆ A SVPPVRATO FEBRES QVIESCVNT.] Græcè est, δι' ἐμπύησιν, i. *propter suppurationem.* vt suppuratio causa sit febris vale dicentis, & quiescentis. Quiescit autem: quoniam symptomatica erat systrophicæ phlegmones dum manebat; nunc ea concocta, & in suppurationem conuersa puris admodum mitis, quale suprà descriptum est; & laxitate comparata dolorificæ tensionis; mirum videri non debet si proritatione omni sedata atque restincta, febris ipsa cum dolore discedit. Ac participium illud, διαλείποντες, verbúmque ipsum διαλείπειν, non est hic intermissæ febris periodicè accedentis, sed quæ perfectam habet discessionem. Talis obseruatio est cùm alibi passim, tum in multis aphorismis libri quarti.

Aph.46. 47.48. 49.50. lib. 4.

SVDATIVNCVLAM MVLTÆ HABENT.] Non illæ quidem exactæ, sed quæ pòst exoriuntur ab

ab empyemate quod liberè, citò, & liberaliter foras non exit: sed intus cunctando putrescit: vt quamvis confectione sit optimum, corruptione fiat pessimum, causamque inferat sudatiunculæ & horroris quæ vicissim apparent, eaque vicissitudo iam in iudicatum transit prauitatis, initio statim huius diuini operis. Ac sudatiunculæ & horroris causæ vnde veniant, non ita pridem sunt explicatæ. Est autem sudatiuncola, ἱδρώς, quæ vel toto corpore manat exigua, vel circa iugulum & pectus exudat. Posteriorem significationem hic retinendam duximus: quia vbi sudatiuncula, ibi morbus: & è conuerso.

58. Τοῖσιν ἐμπύοισι κώφωσις γινομένη, αἱματώδεα διαχώρησιν σημαίνει. τούτοισι πρὸς τὴν τελευτὴν, μέλανα διαχωρέει.

Surditas quæ cadit in empyicos, cruentam excretionem denunciat. Atque his sub finem vitæ, nigra ducuntur.

QVONIAM sine studio & ardore quodam amoris, nihil in vita fit egregium, atque, vt præclarè Xenophon, [illegible], i. *victoria nihil fructuosius*. tantum adhibui temporis & diligentiæ, vt per Dei gratiam, inuenisse me putem abditam nimis & abstrusam veritatem huius prognoseos. Est igitur sic eruenda veritas, & propalam explicanda:

SVRDITAS.] Auditus priuatio, vel interceptio; illa quidem, cessante ab officio facultate, propter exolutionem τῆς ἰσχύος quæ posita erat in firma & solida substantia partis illius cerebri, vnde vis audiendi manat; altera autem surditas ab interceptione auditus, fit impedito appulsu τῶν ἀκουστῶν, i. *audibilium*, vel *eorum quæ cadunt sub aures*; non quidem vitio τῆς ἰσχύος neque τῆς δυνάμεως: sed eius quod dicitur ἀκουστικόν, per oppilationem meatus auditorij. De qua illud memoriæ proditum est. *In febre surditas aluum sistit.* Multa sunt alia super hac re scripta multis in locis.

QVÆ CADIT IN EMPYICOS.] Per afflictionem partium vicinarum, in empyematis sympathiam adductarum, & per propagationem causæ morbificæ ad cerebri arcem prorepentis, vnde surditatis vtriusque causa & ratio in mentem venire potest medici disputantis.

CRVENTAM EXCRETIONEM DENVNCIAT.] Vellem dixisset αἱμοῤῥαγίαν ἢ στάξιν ἐκ ῥινῶν, i. *profluuium sanguinis, aut stillicidium eius è naribus*. Nam surditas non est σημεῖον deiectionis cruentæ: quamvis non sim nescius, nomen τῆς διαχωρήσεως, non pro deiectione semper vsurpari, sicut vsurpatur ὑποχώρησις. Nam significat etiam quodam loco τὴν ἀνάδοσιν, quæ toto corpore fit, potionis & cibi. Sed intolerabile esset verbi aucupium, significationem deiectionis cruentæ conuertere ad hæmorrhagiam, vel ad stillicidium. Sed vt concedam hoc in philologia, quamvis absurdum; inde manabit philosophia longè absurdior, vel sophisma potiùs, siue sophistica ratio explodenda. Non enim descriptæ surditatis, vel succedanea, vel consectaria esse potest hæmorrhagia: sed parotis potiùs, quæ tum peripneumoniæ, tum empyemati succedanea esse solet, & cuius prænuncia est cum comate surditas. Nam si quis obiiciat quod alibi ratum & persuasum esse voluimus. *Quibus aures obsurduerunt cum grauitate capitis, hypochondrij tensione, & splendoris offensione, sanguis è nare prorumpit.* Sciat is velim, surditatis huius principia causasque duci, vnde signa veniunt ἰδίως τῆς hæmorrhagiæ iamiam futuræ, quæ cernuntur in hypochondrij tensione, & splendoris offensione; quorum illud, sanguinis ad cerebrum concitati; hoc verò consistentis, quod hæmorrhagiam ciet, certissimum est argumentum. Ac surditas quidem cita est quæ aluum sistit, retractione sursum bilis quæ aluum ciebat, Indéque surditas venit per oppilationem meatus auditorij, qua impeditur appulsus τῶν ἀκουστῶν ad sedem & domicilium τῆς ἀκοῆς. Hanc verò surditatem exolui docet præceptor, vel hæmorrhagia, vel aluo biliosis excrementis prorupta. Sed ea signa educuntur in ἀκμῇ naturæ & morbi, saluis adhuc & integris ægri rebus: hæc autem viribus iam effœtis; vnde incommoda possunt incidere, vel stillicidij sanguinis continenter pigro lapsu euntis, vel dysenteriæ diuturnioris hepaticæ quam [illegible] alibi vocat Hippocrates, illud quidem ab impuritate, & prauorum succorum abundantia in hepate: hæc verò ab hepatis infirmitate & malè gesto officio, quando ipsum tædet sui officij, ἀῤῥωστίαν vocat Galenus.

ATQVE HIS.] Qui ab empyemate obsurdescunt, & qui deiectionis cruentæ incommoda sentiunt, vel sanguinis è nare stillantis; ab hepatis infirmitate, & hepatitis impuritate.

SVB FINEM VITÆ.] Mox effluxuræ, quam diutius manere non potis est cum exolutione partium spirabilium & nutritiarum, & cum symptomatica excretione cruenta, quam refrigeratio sæpe adfert caloris natiui, non secus atque lienteriam, cùm ab hæmorrhagia profusiore, vel sponte sua, vel aliena, exacto iam morbo, refectioni operam dare incipiunt conualescentes.

NIGRA DVCVNTVR.] Vt sæpe fit ab hæmorrhagia, vel ab omni excretione cruenta, vnde significatur μεγάλη ἔκστασις τῶν σπλάγχνων i. *ingens viscerum è natura egressio*, nec amplius redintegranda. Sed illa nigrorum deiectio, cuiusmodi sit, quæque sint illius causæ, multarum prognoseon argumenta dedit in tractatu περὶ αἱμοῤῥαγίας, quem adornauimus ex præscripto authoris. Sed omnium nigrarum deiectionum distinctio diuina est in aphorismis. Quorsum autem fiat commemorata hic nigrorum deiectio, planè aperit aph. ille 23. lib. 4. *Quibus à morbo acuto, vel diuturno, vel à traumate, aut aliter, multùm maciatis bilis atræ, aut melancholicus humor subit, cuiusmodi est sanguis niger; postridie moriuntur.* Vide Galenum.

Coac. 10. lib. 1. prorrh. 7 sect. 1. aph. 58. 4. — Coac. 6. c. 4. lib. 2. in Epid. aph. & prorrh. — Comment. ad aph. 22. 2. — lib. 2. progn & Coac. 12. huius c. prorrh. 75. sect. 1. Coac. 7. cap. 3. lib. 4. — aph. 60. 4. & Coac. 15. lib. 1. — prorrh. 2 sect. 1. 6. Epid. part. 7. 4. [illegible] — Coac. 7. c. 15. lib. 2. in aph. & prorrh. 6. c. 14. li. 2. aph. 21. 22. 23. 24. & 25. lib. 4.

59. Πλευροῦ ἄλγημα μετὰ πυρετοῦ χρονίου σημαίνει πύου ἀπάξιν.

Lateris dolor cum febre diuturna; pus eductum iri significat.

LATERIS dolor & pleuritis,tametsi frequenter apud Hippocratem,sunt nomina eiusdem morbi,differunt tamen in hac prognosi,quemadmodum in aphorismo illo. τῷ δὲ χειμῶνι πλευρίτιδες πόνοι στηθέων, πλευρέων. i. *Hyeme pleuritides, dolores item pectorum atque laterum.* Cuiusmodi autem illi dolores sint extra pleuritidem; considerandum. Enimvero certum est, causam eorum positam esse in tensione & proritatione partis obsessæ. Est autem hæc, musculus respirationi vel efflationi dicatus, tum etiam is qui per συνάρθρωσιν, connexionem & symphysin perficit scapularum cum ceruice, dorso, & sterno. Vnde autem veniant causæ dolorum, caput est intelligere ad explicationem huius prognoseωs.

LATERIS DOLOR.] Quem fecit tensio & proritatio musculorum intercostalium, dorsalium, & scapularium; vel à catarrho, vel à spadone, vel ab vtroque spasmate. Nam à catarrhi prolapsu tanta vis infertur carnibus, vt sæpe adferat distorsioné thacheωs, quæ tollit ipsius naturale ἰθυωρίαν, quo recta sinuoso ductu progreditur à ceruicibus ad os sacrum, facitque vt in alterutram partem, dextram aut sinistram, se inflectat, & σκολίωσιν edat contra naturam. Idem catarrhus non tarò vitiat τὸ ἰθυσπονδὲς ossis sacri ac dorsi, & τὸ ἰθυλορδὲς lumborum atque ceruicis; vnde fit partium illarum è sua statione foras vel intrò egressarum, κύφωσις & λόρδωσις, vt ita dicam, monstrosæ. Sed à spadone dolores laterum foris exoriuntur, cùm venulæ partium circumiacentium, emulgendo distentæ sunt humore prauo, & varicoso. Nam venæ, attrahendo carnes ipsas præcedunt: vel quando excipiunt τὴν ταυσίωσιν crassarum venarum, & fit ἐκχύμωσις. Vtriusque autem spasmatis ratio hæc est, vnde lateris dolor infertur. Ac primùm fit spasma, indéque nomen habet, quando musculorum fibræ plurimùm distenduntur, adeo vt nonnullæ disrumpantur, ac tum à spasmate ῥῆγμα enascitur. Sed ea prægrandis fibrarum distensio accidit ἢ αὐτομάτως, i. *sua sponte*, ἢ μετὰ προφάσιος, i. *incidente aliqua foris causa*. Ac sua sponte fit, ἀπὸ τῆς ἀσιτίης, idque κατ' ὦσιν ἢ κατ' ἕλξιν, i. *appulsu vel tractu*. Atque appulsu quidem, quando exudat alicunde inutilis humor, ipsum vero exudantem, vel etiam expressum caro excipit, atque distenditur. Tractu verò distentio ipsa perficitur, quando ipsarum carnium, venarúmque circumiacentium vi attractrice, fibræ musculorum vnà cum venis, ad nauseam vsque replentur, apparétque illa Græcis dicta ταυσίωσις. Quinetiam spasmata extrinsecus veniunt, sicut iam posui ex præceptore, cuius verba hæc sunt. *Nascuntur spasmata, tum à labore, tum à lapsu & casu, tum etiam si quis prægraue onus leuare conetur, tum à cursu & lucta*, &c. Sed idem præceptor in catalogo symptomatum quæ à træmate incidunt, spasma recenset.

lib. 1. περὶ ἄρθρων. — lib. 1. περὶ νούσων. — comm. 3. ad lib. κατ' ἰητρεῖον. — lib. 1. περὶ νούσων. — eod li. 1. περὶ νούσων. lib. 3. κατ' ἰητρεῖον.

CVM FEBRE DIVTVRNA.] Ex quo efficitur, non esse pleuriticam, i. pleuritidis symptomaticam: proptereáque dolorem hunc lateris non esse pleuritidis consectarium. Nàm pleuriticorum febris est breuis, vt ipsa pleuritis quæ in suo statu non manet vltra 14. diem, sed mutatur in empyema, si careat anacatharsi. Diuturnam autem hìc vocat, tum quia longi est temporis, tum quia mitis & lenta: quæ significatio est diuturnæ febris, in illo. Τὰ ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ λελυμένως ἀπὸ πυρετῶν χρονίων ὀλέθρια. *Apoplexia quæ citò incidit, alioqui sanabilis, à diuturna febre mortifera fit.* Vbi diuturnam intelligit, mitem & lentam, nec apoplecticæ causæ potentem.

aph. 8. 5. & suprà. prorrh. 50. l. 2. t.

PVS EDVCTVM IRI SIGNIFICAT.] Quoniam à febre illa, supputabilis humor fit: non tamen suppuratio ipsa, quæ tantùm natiui caloris virtute perficitur. Suppurabilis autem fit in spasmatis magnis. Nam de exiguis illud præceptum est. Ἐνίοισι δὲ ὁκόσοι ἀσθενέα σπάσματα ἐν τῇσι σαρξὶν, ἢ ἐν τῇσι φλεψὶν οὐκ ἐκπυΐσκεται· ἀλλὰ γίνεται φύματα πολυχρόνια, i. *Nonnullis cùm imbecillia spasmata sunt in carnibus aut venis, non suppurantur, sed fiunt tumores diuturni.*

lib. 1. περὶ γυναικείων. lib. 1. περὶ νούσων.

60. Οἱ φρικώδεες πυκνὰ, ἐς ἐμπύησιν ἔρχονται· ἀτὰρ καὶ πυρετὸς τῶν τοιούτων, ἄγει ἐς ἐμπύησιν.

Qui perhorrescunt crebrò, ad suppurationem deueniunt: quinetiam talium febris, ipsos ad suppurationem ducit.

QVOD PLEVRITICI omnes horriduli fiant, & sint empyici per metaptωsin pleuritidis in empyema; dictum est abundè suprà. Hìc odiosa esset repetita causæ horriferæ commemoratio. Ergo non est dubium quin pleuritici ad suppurationem deueniant, & sint empyici, quando ex insolentia horroris iam perhorrescunt crebrò.

Coac. 37. huius 6. & 2. progn.

QVINETIAM.] Præter crebros horroris insultus, vnde pus editum significatur, atque dum editur.

TALIVM.] Qui perhorrescunt crebrò ἀτάκτως καὶ ἀσείτως, sine paroxysmo periodico, & sine vlla discessione febris: quoniam talium horror cietur ἀφ' ἑλκέων, i. *ab vlceribus purulentis*, non ἀπὸ τῶν ἀγγείων. i. *à vasis* cacochymiæ febrilis, vt in tertiana, quartana, & ardenter acuta, quæ abeunt periodicè aut criticè, quoties in iis rigor cietur.

aph. 58. & 63. l. 4.

FEBRIS.] Vel ea quæ vltra 14. diem protrahitur in pleuritico, cui febris finem non attulit anacatharsis

tharsis libera & liberalis. Vel febris, quam nuper legimus ab authore nominatam [illegible]; vt alia sit febris idea, quam eius quæ fuit dum ipsa pleuritis maneret, aut peripneumonia. Est autem horroris consectaria, non ipsa tamen horrifera. Nunquam enim fit horror quin veniat inde febris per afflictionem caloris vitalis qui est in corde. Vbi enim caloris vitalis domicilium, ibi per eius afflictionem à putri humore febris accenditur.

Coac. 31. huius c. lib. 1. [illegible] lib. de febrib. & 2. [illegible]

IPSOS AD SVPPVRATIONEM DVCIT.] Quoniam ad generationem puris necessaria est materiæ supputabilis præparatio. Efficitur autem talis, à febre; in cuius vacuitate nullum fit suppuratum: quia sine febre nihil est supputabile: quamvis suppuratio ipsa dono febris non fiat; sicut nec vllus pepasmus: sed tantùm virtute caloris natiui partium solidarum à nectare cordis viuifico recreatarum. Sic in omni suppuratione febrem requirit Hippocrates, vt iam sæpe vidimus tum in hoc tractatu, tum in eo quem scripsi de tumoribus hypochondriorum & ventris.

61. Οἷσιν ἐκ πλευρῦ ἀλγήματος ἀσιτίαι παρακολυθοῦσι ὑπό τι καρδιαλγικοὶ, ἱδρώδεες, ἔχοντος δὲ προσώπυ ἄνθη, καὶ κοιλίης ὑγροτέρης· ἐμπυήματα κτ πνεύμονα ἴσχυσι.

Quibus à dolore lateris collapsa fit apparentia cum cardialgia, ac tum sudores cum facie rubicunda exudant, & aluo liquidiore; iis empyemata sunt in pulmone.

HIC ETIAM signa sunt empyematis in pulmone confecti, quæ suprà iam vidimus in illa prognosi. *Quibus in febre, lateris dolor incidit, si quidem liquidus & biliosis fertur aluus, mitescit: sin autem collapsa maneat appetentia, ac tum sudores cum saturato rubore faciei exudent fluente aluo, & manente cardialgia, hi cùm diutius à peripneumonia ægrotarint, moriuntur.* Itaque mihi religio esset animum denuo ad scribendum appellere super eodem argumento: nisi quædam me inuitarent quæ in commentario proferentur.

Coac. 73. lib. 1.

QVIBVS A DOLORE LATERIS.] Ad vnam vel vtramque clauiculam, vbi superna vna, vel vtraque pulmonis ala ægrotat. Aut qui ad mediam costam vrget, vbi media pulmonis ala; idque thoracis parte altera, vel vtraque. Aut qui circa septum transuersum exercet, vbi & infra. Aut si dimidia pars tota pulmonis obsessa est phlegmone, omnia quæ adiacent ei parti, laborant. Denique lateris dolor symptomaticus, & signum [illegible] inflammati pulmonis: sicut lingua rubra & aspera.

Coac. 31. huius c.

COLLAPSA EST APPETENTIA.] Non aliunde, quàm à dolore lateris per metonymiam dicto pro ipso pulmone afflicto. Non enim reuera hęc ἀσιτία est [illegible], i. *consectaria* lateris dolentis: sed dolorifici ipsius pulmonis, peripneumonia laborantis. [illegible] autem scripsit [illegible] i. *vacuitatem appetentiæ*, pro cibi fastidio: cùm scilicet ægri [illegible], vel, vt alibi scripsit, [illegible] i. *fastidio & contumacia efferuntur in cibos & medicos.* Hoc autem cibi fastidium propriè ἀποσιτία nominatur: de qua satis iam alibi. Sed huius causam agnosco in hac prognosi τὴν [illegible] alui.

3 Epid. part. 3. hist. 2. & 5. Epid.

CVM CARDIALGIA.] Quam facit impuritas hepatis, vnde prorepit serum feritate pessimum; ad ipsum ventrem, indéque ad orificium eius quod est acerrimi sensus: quod quia veteribus καρδία nominatur, inde afflictio eius nomen habet ἡ καρδιαλγία. Quorsum autem scripserit ὑπό τι vnica in promptu causa est; quòd vbi est aliqua sensus infirmitas, ibi tanta sensio sensificæ causæ excitari non potest. Quoties enim, teste Galeno, deriuatiua nomina coniunctum habent illud, τι; vel affectionis exiguæ, vel rarò incidentis opinionem faciunt. Sed quorsum ὑπό τι etiámne ad maiorem [illegible]. Huiusmodi est illud. τὰ καυματώδεα ῥίγεα, ὑπό τι ὀλέθρια, i. *Æstuosi rigores nonnihil sunt mortiferi.* Vide commentarium.

prorrh. 17. f. 3. 1. & Coac. 15. c. 11. lib. 7. prorrh. 14. f. 3. 1.

AC TVM SVDORES.] i. Sudatiunculæ circa pectus & iugulum: quia vbi sudor, ibi & morbus.

CVM FACIE RVBICVNDA.] Quoniam malæ rubent.

ET ALVO LIQVIDIORE.] Per cacopragiam ventriculi & hepatis.

EMPYEMATA SVNT PER PVLMONEM.] Dextra, sinistra parte, dimidia; vel supera, media, & infera, pro situ doloris. Empyemata sunt cum his signis quæ iam vetustate in tabem transierunt. Vide comment. ad 33. Coac. huius cap. vbi signorum ratio explicatur.

prorrh. 35. f. 3. 1. & Coac. 7. lib. 1.

62. Τὰ ὀρθοπνοϊκὰ ποιέει ὑδρωπιώδεα σκληρά.

Orthopnœam faciunt hydropiformia dura.

EXTREMVM illud erat de costarum atque pulmonis empyemate; vt eius mortifera signa dicerentur iamiam futuræ mortis. Nam tabes empyemati succedanea, non est tam citæ mortis quam orthopnœa. Quæ cuiusmodi sit, & quemadmodum incidat, sic ad docendum aggredior.

ORTHOPNOEAM.] Spirationem illam difficilem in qua difficultatis summa sunt omnia: quoniā

ſpiritu quem ducendo viuimus, nec à larynge & arteria commeatum habet, nec in pulmone multùm oppreſſo ſedem inuenit vbi excipiatur ipſe autem vapor fumidus, citò expulſus, difficillima expiratione, omni puncto temporis metum affert ſuffocationis. Quæ cauſa eſt cur non ſolùm reſidendo, vt in aſthmate: ſed etiam ceruicem arrigendo, ſpiritum trahere, quod alibi vocat αὐχενίζειν, veriùs quàm ducere cogantur ægroti, quibus ne ſic quidem ſpiritus liberè, ſed difficulter admodum per anguſtias venarum euadit, ob eamque cauſam orthopnoici nominantur, ab orthopnœa cui nomen dedit ille ſpirandi modus, cum recta & nullo modo inflexa ceruice. Ac talem ſpirationem iam vidimus in angina. Quoniam autem natura iuſtiſſima eſt, ſuique diligens, viam inuenit quâ deducitur ad conſeruationem ſui, ea collocatione recta thoracis atque ceruicis; vnde fit vt arteria è larynge ducta explicetur, vnaque apophyſes eius in pulmonem diuiſæ.

prorrh. 55. ſ. 2. 1. — lib. 1. περὶ ἀγμῶν. — 6. Epid. part. 5. — prorrh. 54. ſ. 2. 1. — lib. 3. περὶ νούσων. — prorrh. 54. ſ. 2. 1. — lib. 1. acut.

FACIVNT.] Ab oppreſſione primùm pulmonis, quam facit puris effuſi ſuppreſſio, mox fiſtularum arteriæ, pus excipientium, nec expurgantium, repletio; vnde per continuitatem arteriæ diſtenta larynx vocem edit τετριγώδη, eadem prorſus ratione qua ex priſſana inconſideratè exhibita (dolore ſcilicet nondum laxato, nec ſputo ſua ſponte liberaliter exeunte, ſed contrà contumaciter glutinoſo, necdum etiam ſecta vena, fotu, clyſtere, diæta conuenienter adhibitis) homines moriuntur ſtrangulati à ſtertore & orthopnœa, vel vt verbis vtar præceptoris, ὑπὸ τῆς ὀρθοπνοίης καὶ τοῦ ῥέγχεος ἀποπνιγέντες, i. *orthopnœa ſtertore ſuffocati.*

cōment. ad aph. 11. 4.

HYDROPIFORMIA DVRA.] Quæ ſunt hydropis ſimilia, i. τὸν ἀσκὸν, vtrem aqua repletum vel inflatum referentia; quæ ſimilitudo nomen dedit hydropi, tam tympaniæ, quam aſcitæ, vt docet Galenus. Hîc autem quæ ſimilitudo eſſe poteſt in thorace ſicut in ventre, vel inflati, vel aqua repleti? Summa nimirum diſtenſio ex nimia humoris abundantia, quæ latitudinem tollit thoracis in dorſo & pectore, ipſumque totum facit teretem, vtris modo diſtenti. Ac talem infert diſtentionem πνεύμων πλησθεὶς, i. *pulmo repletus*: de quo hæc leguntur apud Hippocratem: Ἢν πλησθῇ ὁ πνεύμων, βῆξ ἴσχει, καὶ ὀρθόπνοια καὶ ἆσθμα. i. *Quoties oppletur pulmo, tuſsis habet, & orthopnœa, & aſthma.* Illic memoratur etiam pulmonis hydrops, quem appoſitè vocat ὕδερον, non ὑδρωπιώδη, vt in hac prognoſi. Eſt autem durum illud ὑδρωπιῶδες tum quia ſiccum à ſputi vacuitate, vnde laxitas nulla doloris, nec partis afflictæ; tum quia diſtentum nimis atque prætumidum. Nam à concretione, nulla ſuſpicio duritatis, niſi κατὰ συμβεβηκός. Ac tales moriuntur ad circiter quartum diem agentes. Illud enim ſignificat τεταρταῖοι μάλιστα. Sicut nos ex Galeni commentario annotauimus ad illum locum Hippocratis de luxata inferiore maxilla. Οὗτοι γὰρ ἐ... θνήσκουσι, μάλιστα δεκαταῖοι. i. *Moriuntur ad circiter decimum morbi diem, hoc eſt nono vel vndecimo.* Sic & hic, ad circiter quartum videlicet tertio, vel ad ſummum quinto. Illud enim ſignificat μάλιστα.

lib. 2. περὶ νούσων. — 2. περὶ ἄρθρων.

63. Τὰ σπάσματα μὲν πάντα ὀχληρὰ γίνεται, καὶ πόνους τε ἐν ἀρχῇ συντόνους παρέχει, ἐκ δὲ ὑστέρου ἐνίων ὑπομιμνήσκει. δυσκολώτατα δὲ τὰ περὶ θώρηκα· μάλιστα δὲ κινδυνώδεα.

Omnes quidem auulſiones infeſtæ ſunt, doloréſque inferunt circa initia ſæuos; ac nonnullorum memoriam de integro renouant: grauiſſima autem circa thoracem, omniúmque maximè periculoſiſsima.

ERAT EX illis quæ primùm in pleuritide ſicca præcepit; num ſine ſpaſmate, an verò cùm ſpaſmate maneat ſicca pleuritis. Ac meliùs ægri, ſi pleuritis ſicca coniunctum habeat ſpaſma, quàm ſi eo careat. Hîc prudens correctio adhibetur illius prognoſeos.

comm. ad lib. περὶ ἀγμῶν. lib. 1. περὶ νούσων. Coac. 59. huius c.

OMNES QVIDAM AVVLSIONES.] Quas fecit fortis fibrarum tenſio. Sic enim Galenus. Τὰ σπάσματα, inquit, γίνεται περὶ τὰς ἶνας τῶν μυῶν, ἐπὶ πλεῖον διαταθείσας. i. *Auulſiones fiunt, muſculorum fibris plurimùm diſtentis.* Atque illa tenſio fortis accidit vel à traumate, labore, lapſu, caſu, & ſi quis graue onus leuare conetur, vel ὑπὸ τῶν ἰχώρων, i. ab humore prauo, ichore, & flatu; idque κατ' ὦσιν, ἢ καθ' ὁλκὴν, i. *appulſu vel tractu.* Quæ omnia non ita pridem fuſiùs diſputata ſunt, vt ea tantùm attingere ſufficiat quæ huc pertinere maximè videantur.

INFESTÆ SVNT.] Tum propter negotiùm quod faciunt parti auulſæ, tum propter συντονίαν doloris quem ipſa prægrandis tenſio excitauit.

aph. 25. 2. lib. 2. περὶ ἀγμῶν. 6. Epid.

DOLORES INFERVNT SÆVOS.] Quorum συντονία niſi exolueretur breui, vt certè à flatu exoluitur; & citò vires ipſas exolueret, & citam quoque mortem adferret atque crudelem, ex offenſione partium officialium. Vetus eſt illud. Nihil æquè facit corpus infirmum atque dolor, & ad infirmitatem corporis adiungit etiam humorum corruptionem: vnde ſyntimoria perennis malorum.

CIRCA INITIA.] Simulatque exortæ ſunt auulſiones: citò autem exoriuntur ſua ſponte: quoniam cita venit tenſio illa prægrandis: quod cernere eſt in muſculorum ſuræ auulſionibus, quas vulgò nominant (guttas crampas) quæ cruciatu ſæui doloris ſunt penè intolerabiles.

goutes crampes.

AC NONNVLLORVM MEMORIAM DE INTEGRO RENOVANT.] Idque vel ſuperſtite partium auulſarum querela, quæ ſemper à ſpaſmate manent infirmæ, ac dolent; vel etiam ὑπὸ τοῦ

ῥήγνυται disruptis quibusdam fibris per tensionem illam prægrandem, vnde noua subinde spasmatum generatio: quoniam pars quælibet semel auulsa, præter eas quas olim habuit auulsionis causas, appulsum vel attractionem nouam intra se continet; videlicet collectionem humoris, ichoris, & flatus: propter expultricis potentiæ infirmitatem. Scitum est illud: *Si quid à labore in vitio sit, ibi morbus firmatur.* Et illud: *ἀναρῥοῦται ὑγιαῖνον μετὰ πνεύματος, ἀσθενοῦν ἰχῶρος*, i. *Sanum repletur spiritu, infirmum verò ichore.* Sic igitur. Auulsiones dolorum memoriam de integro renouant.

aph. 39. 4. lib. ἀφορισμῶν.

Gravissime autem circum thoracem.] Eò spectat prognosis vt doceat, omnes quidem auulsiones, sæui doloris cruciatu infestas esse dolentibus. Sed illas demum esse grauissimas, i. admodum periculosas. Hîc enim καταχρηστικῶς dixit, δεινοτάτα pro χαλεπώτατα, quæ cadunt in thoracem: de quibus iam supra illam prognosin instituit. *Pleuritides auulsionum expertes, grauiores iis quæ* 10 *sunt participes*: cuius hæc correctio est, sicut iam posui. Sunt autem grauissimæ thoracis auulsiones, quoniam musculorum spirabilium & vocalium auulsorum contumacia impedit respirationem & efflationem, quibus officiis dicatæ sunt partes illæ naturaliter constitutæ, vt interim taceam summam doloris acerbitatem, quæ, vt scribit Galenus, si non citò exoluitur, *ἐν τάχει καταλύει τὴν δύναμιν, ἐξάγει τε θάνατον ἐπιφέρει*, i. *citò vires exoluit, & etiam mortem infert.* Propterea bene præceptum est in ea conuulsione quæ febris vacuitatem adfert cùm incidit eodem febris die, aut postridie, aut ad summum perendie; quod malè res eunt si eam qua cœpit horam excedat, neque quiescat. Hic enim cruciatu sæui doloris, & impedimento vitalis officij, mortifera est. Pertinet etiam ad hanc prognosin quod scripsit Hippocrates de conuulsis ambabus vtrinque pulmonum alis, quarum auulsione, doloris acerbissimi consecutio adfertur lateribus, pectori, dorso, & scapulis; vt nulla collocatione cor- 20 poris, vel minima leuatio inueniri possit. Atque hinc ita mors venit ad circiter quartum diem. Quæ causa est igitur quamobrem in tanta calamitate pectoralium auulsionum, nihilominus tamen earum adiunctionem vacuitati anteponendam duxerit in pleuritide iam descripta. Primùm sciat velim is qui talia mihi obiiciet, theorema illud quod positum est de pleuritide auulsionum participe vel experte, non esse catholicum de omni pleuritide, neque καθ' ὅλου verum: sed tantùm καθ' ὑπόθεσιν de sicca pleuritide in qua melior est auulsio siccitate, qua nihil pleuritico grauius, nihil periculosius esse potest. Hic enim auulsio leuationem adfert doloris & spirationis multùm difficilis: quia fit in tensione partium circumiacentium, appulsu vel attractione intus foras; humoris morbifici. Est autem bona conuersio, erysipelatis intus foras. Ac facilior est eius curatio, quàm comparatio liberæ & liberalis ἀναπνοῆς ἀναφθέγγεσθαι in sicca pleuritide. Præterea nec tam sæuus dolor est, nec tanta febris, nec difficultas spirandi tanta, in auulsione musculorum quàm in prægrandi phlegmone systrophica mem- 30 branæ costis intextæ. Facilior est autem curatio auulsionis fixæ, fotu, hapso, litu, phlebotomia, quàm inflammationis cum perennitate rheumatis concitati, & incremento consistentis.

aph. 25. 2. 763. Coac. lib. 1. lib. 2. μοχλικοῦ. aph. 26. 6. & Coac. 5. cap. 15. lib. 2.

64 Οἷσιν ἔμετος αἵματος, πυρετὸς πολὺς καὶ πόνος περὶ μαζὸν, καὶ θώρηκα, καὶ μετάφρενον· οἷσι [μὲν] γίνεται πάντα ταῦτα, συντόμως θνήσκουσι. οἷσι δὲ μὴ πάντα, μηδὲ σφόδρα· βραδύτερον. φλεγμαίνουσι δὲ τὸ μακρότατον, ἡμέρας τεσσαρεσκαίδεκα.

malè fuit γίνε

40 *Quibus sanguis vomendo prorumpit, vnáque febris multa, ac dolor est circa mammam, thoracem, & dorsum; quibus hæc omnia, quidem adsunt, continuò moriuntur: quibus verò nec omnia, nec vehementia; seriùs: quàm longißimè autem, quatuordecim dies inflammantur.*

Nunc de pulmonis hæmorrhagia dicendum, quæ multùm differt ab iis quæ hactenus dictæ sunt in hoc tractatu; expuitione scilicet & anacatharsi. Harum enim primordia sunt, thoracis contentio siue 50 concussio, & fumidi vaporis efflatio vnde sputum exprimitur in spatia pulmonis interna quæ sunt arteriæ bronchia, indéque tussiendo sublatum expurgatur per os, quod ἀνακαθαίρεσθαι Græci vocant. Nam sputi cruenti aut sanguinis qui vel sputando exit, vel excreando, nulla hîc mentio. De vomitu autem sanguinis propriè dicto, qui vel ipsius ventriculi vel aliarũ partium nutritiarũ vitio commouetur; alius fuit scribendi locus. At verò hæmorrhagia pulmonum cietur, vel à plethora ipsorum particulari, dehiscentibus vasis aut ruptis, vel à forti in vlcere pulsu κατ' διάβρωσιν, tum ab orgasmo sanguinis multa bile perfusi, qui vel inde ad exitũ viam affectat, vel aliunde anadromen habet, atq; illac cursum inflectit.

Cap. 15. huius 2. lib.

Ergo. Qvibvs vomendo sangvis prorvmpit.] Vt iam non hæmoptysis, verùm profusa videatur hæmorrhagia spumantis & floridi sanguinis, in qua sanguis larga manu, tanquam vomendo, profunditur. Quale est illud: *purpuream vomit ille animam* tametsi non ausim astringere diuinam Hip- 60 pocratis διάνοιαν. nec legibus grammaticorum, nec poetarum aut rhetorum verbis. Diuinus vir sua edit ὀνόματα quæ omnia sunt, vt ait ille, ῥήματα. Sed vt redeam. Scopus authoris, ipsáque signorum ὁμοειδῶν concursio, palam testatur, vomitionem hanc propriam esse pulmonis, aut certè pulmoni μεταφορικῶς attributam; vnde scilicet, aut quà profluit ille sanguis. Prorumpit autem ex nimia abundantia, quæ vel appulsu, vel attractione, pulmonum venas distendit, ibique facit particularem quandam reple-

tionem, à diætæ vitio in victus ratione & vitæ instituto: præsertim verò iuuenibus à 18. ad 35. ætatis annum. Cæteris autem, ab oppressione quam fecit suppressio familiaris & solitæ vacuationis. Huiusmodi sunt præter cætera, dolorifica lumborum mala quæ non sunt ampliùs, vt solebant, per vterum menstrualibus, aut hæmorrhoicis per anum, sanguiflua. *(Coac. 2. cap. 12. lib. 2.)*

VNA QVE FEBRIS MVLTA.] Quæ motus edit celeres, continuos, & vehementes; nata è systrophica phlegmone ipsius pulmonis, quam fecit anadrome ibi subsistens, vel repletio particularis, vnde affectio illa; cuius tametsi propria est sanguinis vacuatio per hæmorrhagiam pulmonis; tamen non adimit febrem: quia inflammationem non tollit. Est enim ratum illud ex historia de Larissæa virgine; quòd etsi plethoræ propria vacuatio est hæmorrhagia: tamen ea plethoricam affectionem non tollit, si cum inflammatione, vel cum maligna qualitate coniuncta sit. Atque huius theorematis veritas sæpe iam patuit. *(hist. 12. part. 3. 3. Epid.)* 10

AC DOLOR EST CIRCA MAMMAM, THORACEM, ET DORSVM.] Hæc sunt argumenta cum febre [illegible] inflammatarum pulmonis superarum & mediarum alarum quæ adjacent mammis, thoraci, & dorso: quarum inflammationem non sustulit profusa per os hæmorrhagia; vt symptomatica esse videatur sanguinis à febre catullientis & orgasmum habentis. Est autem iam illud positum, quòd omnis androme ibi morbum facit, vbi subsistit.

QVIBVS HÆC OMNIA QVIDEM ADSVNT.] Hæmorrhagia, febris, dolor circa mammam, thoracem, & dorsum.

CONTINVO MORIVNTVR.] Profluuio nectaris viuifici, & cordis exhausto, per hæmorrhagiam; marasmo viuacitatis & humidi primigenij, à febre. Tum vacatione officij quo vita carere non potest, per afflictionem partium spirabilium, thoracis atque pulmonum: vt interim taceam cruciatum sæui doloris nobilium partium, qui & citò vires exoluit, & citam mortem infert atque crudelem. Enimuero pestifera est omnis quæ non iuuat hæmorrhagia. Nam vnde natura commeatum parat quo se tuetur & sustinet, inde eo defraudata labascit. Atque in sanguine focus est vitæ. Sed illa demum funesta est hæmorrhagia, quæ causam post se relinquit mortiferam; videlicet inflammationem & febrem acutam, vnde maior consumptio fit humidi primigenij septem diebus, quàm à calore natiuo septuaginta annis. Cæterùm, quæ vis maior vitæ adferri potest ad citam mortem, quam ea quæ tollit v tale officium, respirationem scilicet? Quod facit pulmonis inflammatio; & thoracis oppressio. Ergo non sine causa continuò moriuntur. 20

QVIBVS VERO NEC OMNIA, NEC VEHEMENTIA; SERIVS.] Pro analogia causarum mortiferarum. 30

QVAM LONGISSIME AVTEM, QVATVORDECIM DIES INFLAMMANTVR.] Non vltra quatuordecim dies vitam ducunt, nec seriùs vitam finiunt morituri: quoniam acutorum morborum finis fit intra decimumquartum. *(aph. 23. 2.)*

65 Τοῖσι αἷμα πτύουσιν ἀπυρέτοισιν ἐὸν συμφέρει, καὶ βήσσειν, καὶ πονέειν ἐλαφρῶς, καὶ τὸ πτύελον παχύνεσθαι πρὸς τὰς δὶς ἑπτὰ. πυρέσσειν δὲ, καὶ βήσσειν, καὶ πονέειν συντόνως, καὶ αἷμα πρόσφατον αἰεὶ πτύειν, ἀσύμφορον. 40

(malè legebatur λιπαρώδης.)

Sanguinem expuentes iuuat esse febris expertes, ac tussire leuiter, atque dolere; ipsum verò sputum crassescere ad dies bis septem. Sed febricitare multùm, itemque tussire atque dolere, tum sanguinem subinde nouum expuere; calamitosum.

50

HÆC PROGNOSIS desperato iam mihi ab hæmoptysi, velut salutis auram afflauit, per gratiam misericordis Dei qui noluit seruum suum immisericorditer ægrotare. Sed vt aggrediar ad enarrandum. Commemorantur hîc signa sanabilis aut insanabilis αἱμοπτοϊκῶν, quæ ipsa per se nihil valet: sicut præceptor monuit in illo aphorismo. Αἷμα ἄνωθεν μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν: i. *Sanguis supernè, qualiscunque fuerit, malus.* Antithesis autem signorum quorum iam ratio patefacta est superiore prognosi, planum faciet quò deuentura sit ipsa hæmoptysis. *(1578.)*

Ergo. SANGVINEM EXPVENTES.] Qui tussiendo expurgant, non sputando, nec excreando è faucibus, vel è palato, aut gingiuis. Expurgant autem tussiendo, sanguinem non sputo permixtum, sed floridum, spumantem, copiosum: qualis esse solet quæ ex pulmonibus eductio fit, non ex arteria. *(aph. 13. 3.)* 60

IVVAT.] Prodest, confert, i. multum opis & adjumenti adfert, tum ad vsum atque dulcedinem diuturnioris vitæ, tum verò ad spem retinendam salutis.

ESSE FEBRIS EXPERTES.] Quia febris vacuitas non facit marasmũ & consumptionẽ vitalis principij in humido primigenio; nec verò corruptionẽ inducit ac paupertatem viuifici nectaris: quæ omnia sunt febris incommoda: ipsa verò febris vacuitas nullã subesse testatur exulcerationem, nec phlegmo-

neme

nem : quæ duo imprimis terrifica esse solent. Denique talis hæmoptysis nullam post se relinquit mortiferam causam, nisi fortè ipsam venarum anastomosin, vel etiam ῥῆξιν; quarum tamen credibilis est redintegratio cùm cessat hæmoptysis.

Ac tussire leviter.] Græcè est ἱλαρῶς. i. *alacriter*, vt nulla sit tussis molestia, quam facit assidua fortisque contentio siue concussio, & irrita protitatio quæ sursum deorsumve irruit.

Atque oolere.] Vel potiùs, ne minimùm quidem : si tantùm excederis ἀῤῥωστίαν, & quandam segniciem artuum totiusque corporis, quæ homines facit ἀεργούς, vnde Latinis nomen inuentum est ægri.

Ipsum vero sputum crassescere.] Παχύνεσθαι legendum duxi ἀντὶ τοῦ λεπτύνεσθαι. i. *tenuari* : in cuius verbi examine nulla occurrit æquitas vt sic legatur. Crassescit autem vel crassiusculum fit atque mitescit, ad exitum faciliorem, & erethismum minorem, aut nullum; permixta exactè sanguini pituita, virtute caloris natiui coquentis & permiscentis. Necessariò autem sputum crassescit, feritate domita, & pituita exactè permixta.

Ad dies bis septem.] Vel quatuordecim, quorum historia omnis exigitur in expurgando sputo cruento, ne quid, stabulando in bronchiis, corrumpatur. Ipsum verò sputum paulatim exuitur colore sanguineo: quia quò longiùs abest ab hæmoptysi, eò parciore sanguine perfusum apparet, donec ventum sit ad 14. quo cessat omnis expurgatio sputi cruenti in dies diminuti.

Sed febricitare multum.] Æstu incandescere, cum siti, vigiliis, jactatione, micantium venarum inæquali pulsu, & vrinis rubentibus.

Itemque tussire.] A protitatione perenni, sursum deorsumve irrupta; quæ fortem infert, assiduam, atque permolestam thoracis concussionem.

Atque oolere.] A perceptione vel sensione tot rerum naturæ grauium, & aduersarum.

Ac sanguinem subinde novum expuere.] Patefacta de integro via exitui, per erosionem, κατ' διάβρωσιν, aut etiam κατ' ῥῆξιν, ἢ καὶ ἀναστόμωσιν; sanguinem autem merum, i. alienæ mixtionis expertem, floridum, & spumantem, qualis apparuit circa initia. vide lib. 1. ἀφορισμ.

Calamitosum.] Quoniam pessima est consuetudo effundendi sanguinem per os, quantumvis optimum; præstatque pessimum nigrum per sedes infetas vacuare. Est autem calamitosa, ne dicam funesta, sanguinis sursum prorupti exclusio; quæ præter summam, quam infert, vitium infirmitatem, adhuc relinquit mortiferas causas, febrem, inflammationem vel vlcus. Animaduertet autem studiosus, idem esse multùm febricitare, quod, superiore prognosi, multa febris & inflammari ad dies 14.

66 Οἷσι τὸ πλευρὸν μετέωρον, καὶ θερμότερον, ὅταν ἐγκεκλιμένοισιν ἐπὶ θάτερον, βάρος ἐξηρτῆσθαι δοκέει· τούτοισι τὸ πύον ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρεός ἐστιν.

Quibus intumuit latus atque incaluit, si cùm in oppositam partem decumbunt, graue quippiam suspensum esse videtur; pus ab vna parte collectum est.

Sequitur vt empyemate facto à pleuritide (nam hic peripneumoniæ locus non est) quàm primùm pus exeat; conclusumve sit in vomica, vel in thoracem effusum. Exit autem vel sua sponte per anacatharsin quam facit thoracis concussio & fumidi vaporis efflatio, per interiora pulmonum spatia quæ sunt arteriæ bronchia : vel qua data porta foras, medici artificio pyoticum adhibentis. Eiusmodi sit artificium, vt ne quid in commoda ægri peccetur : sed κατ' ἴξιν putis, i. *è directo*, non ἀντίξουν *è diuerso*, pyoticum adhibeatur: prout dextra aut sinistra, & vtrobique, supera, media, aut infera parte, pus abditum stabulatur. Eius inueniendi ratio præcipitur in hac prognosi. Nam cognitionis & scientiæ σημεῖα suprà sunt posita; cùm scilicet mutatio fit, aut etiam facta est, inflammationis pleuriticæ & peripneumonicæ in empyema. Hic tantùm argumenta ponuntur, quibus, tanquam odora canum vis, eò deducimur vbi jacet lepus. Galen. lib. 2. progn.

Ergo. Quibus intumuit latus.] Copia putis oppressum atque distentum, vnde alterutrius lateris inæqualitas in quantitate : quemadmodum vniuersi thoracis æqualitas contra naturam, ex nimia humoris collecti abundantia quæ latitudinem ipsius tollit in dorso & pectore, ipsumque totum facit teretem, vtris modo distenti; speciem quandam exhibet hydropis duri, cuius consectaria est orthopnœa. Illud autem μετέωρον, ad lateris tumorem accommodaui, exemplo illius: Οἷσιν ἂν ὑποχόνδρια μετέωρα; vbi Galenus author est, μετέωρα dici, τὰ ἐς ὄγκον μείζονα κατά τινας αἰτίας γενόμενα. i. *quæ scilicet in molem majorem, multis de causis, assurgunt.* Sed tamen aliud est πνεῦμα μετέωρον, quod significat ἀφ' ὑψηλοῦ ἀνελκόμενον. i. *spirationem sublimem, vel è sublimi ductam*, quam quisquis vel eminus in alio cernit, multùm explicato sursumque adducto thorace & scapulis. Aliud est autem meteorismus in illo: Χρὴ δὲ ὑγιῆ ἐόντα, ἐν τοῖσι μετεωρισμοῖσιν ἐλαφρὸν εἶναι. i. *Oportet ægrotum alacrem esse assurgendo, vel residendo*, Idque sua sponte, non autem à spiritus meteorismo coactum, vt in peripneumonia. Coac. 62. huius cap. aph. 74. 4. progn. 6. lib. 2. prog. 10. lib. 1.

Atqve incalvit.] A pure recèns confecto quod impressionem adhuc retinet caloris febrilis, vel ab eo vetustate putrescit, vnde ardoris cuiusdam sensio excitatur in socia parte atque vicina. Vetus est illud: τὰ κοινὰ, καὶ τὰ ἐγγὺς πρῶτα καὶ μάλιστα κακοῦται. i. *Quæ socia sunt atque vicina, primùm & maximè vitiantur.* Atque in lateris calore febrili cernitur inæqualitas in qualitate, quam esse docuit τοπικὴν partis afflictæ. Notum est illud: Ὅκου ἐνὶ τοῦ σώματος τὸ θερμὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος. i. *Vbi multus calor firmiter fixus inest, ibi & morbus.* Sed eam τοπικὴν inæqualium partium in substantia, quantitate, & qualitate, iam pridem vidimus in hypochondrio.

Si cvm in oppositam partem decvmbvnt.] Sic illud τὸ ἕτερον, consultò vertendum duxi, vt sana pars intelligatur, ac nihil à se mutata, quæ afflictionis alterius partis particeps non fit, obstante recto septo ipsius thoracis, quod mediastinum vulgò dicunt. Galenus membranas esse dicit, vt ipsa quoque docet anatome, quæ recta thoracem intersepiunt, peruaduntque à sterno ad dorsum; atque ipsum thoracem diuidunt in duos veluti sinus.

Grave qvippiam svspensvm esse videtvr.] Tanquam è parte afflicta propendens, quod super septo illo recto thoracis incumbit: vt non minùs graue sit decumbere in sanam partem, quàm in eam quæ adjacet morbo: illic enim suspensione dolorifica; hic autem oppressione tussifera, vis morbi augetur: propptereaque decubitus grauis est ac permolestus. Facilior est autem qui fit in dorsum, & quo supini jacent ægroti. Ac talis collocatio est in hac valetudine quidem, κατὰ λόγον naturæ iustissimæ, sui diligentis; in alia verò, παρὰ λόγον. Naturaliter enim tam sani quàm ægri decumbunt, suo commodo, in alterutrum latus. Notabile est autem quod scripsit, *graue quippiam* primùm quia grauitas succedanea doloris acuti, signum est syllogisticum pleuritidis in empyema conuersæ. Deinde verò: quoniam semper ibi focus est morbi reapse, vbi excitatur sensio grauitatis. Nec idem spondere ausim de cæteris dolorum generibus, quorum perceptio sæpe fit per contagionem siue sympathiam.

Pvs ab vna parte collectvm est.] De qua dubitandi locus non esset in hac empyematis perspicientia, si medicus exactæ pleuritidis historiam tenuisset. Nam vbi regnauit pleuritis, ibi abstrusum quoque succedaneum empyema.

67 Τοῖσιν ἐμπυΐσκοισι τὸν πνεύμονα· κατὰ κοιλίην πῦον ὑποχωρέειν, θανάσιμον.

Empyicis à pulmone; pus duci per aluum, lethale.

Qvæ in angvsto spes erat dum peripneumonia regnabat, nondum planè occidit; sed affulget melior, quando succedaneum est empyema quale iam demonstrauimus esse bonum. Id enim medium est inter citam perfectámque crisin, & desperatam salutem. Ac sanè quibus ab empyemate, statim ipsa febris discedit, & concupiscunt cibos, ipsum verò pus editur album, æquale, nihil olens, & læue; atque tum aluus pauca, mollia, & figurata excernit; confestim seruantur. Sed in empyemate bono vt ipsum suo pepasmo, & grauiorum symptomatum remissione nos consolatur: sic metu exterret, periculique locum subesse testatur, si vacuationem sui non habeat citò & liberè διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων, i. *per loca lege naturæ commoda, nec ex euentu incommoda.* Sic nuper vidimus peripneumonicum morbo defungi, si parotis inde nata suppuret fistulamque edat rupta vomica pus effundente. Idem quoque vidimus in abscessu phlegmones hypochondriacæ. Quia non minor cautio est in puris exitu, quàm in suppuratione ipsa. Malum pus, quacumque foras exeat, desperationem adfert. Idem penè facit bonum descriptum, si per incommoda loca exitum moliatur. Qui certè scopus est prognoseos institutæ.

Ergo. Empyicis.] Quibus à phlegmone, facta est puris vomica intra thoracem. Tales enim soli dicuntur empyici.

A pvlmone.] Quem tenuit systrophica inflammatio, quæ inde nomen sibi adoptat, & peripneumonia nominatur. Ipsa verò, nec sua sponte quieuit per anacatharsin, nec artificio medici curationem recepit; & tamen validarum ægri virium beneficio, qui antè non occidit, exacto 14. die mutationem, vel potiùs metaptosin habuit in empyema.

Pvs dvci per alvvm.] Eodem planè modo quo ex peripneumonia, dum ipsa regnat, fertur aluus biliosis excrementis, vnde materia & occasio præripitur futurorum abscessuum qui sæpe ex peripneumonia oriuntur, vel sub auribus, vel in crure. Nam si phlegmonicus humor peripneumoniæ, ad inferas alui sedes cursum inflectit, & illac excernitur; quidni faciet idem pus empyematis in pulmone concepti? Est quidem insuetum iter, fateor: sed non tamen ignotum: sicut nec illud etiam per quod vrinæ redduntur stranguriosæ, purulentæ, abradentes, nec sunt tamen nephriticæ; vt fortasse quispiam existimarit: sed tales reuera ex morbo quorundam partium diaphragmate superiorum, vt secundùm Hippocratem rectè Galenus annotauit, viamque aperuit quà illæ ferantur. Quid verò? nonne hoc spectat quod scripsit Hippocrates? *Maximum & vtilissimum signum affulsisse salutis in spe angusta, ob febris assiduitatem, eximium cibi fastidium, & malignam alui proluuiem, quibus repentè in stranguriam conuersio facta est;* vnde homines illi symptomatis omnibus periculosis defuncti sunt. Vbi Galenus author est; vitia vniuersi corporis æquè per vrinas atque per aluum expurgari. Ac fuit profectò illud iudicium præceptoris, authore Galeno, naturam scilicet viam inuenire quà se expediat humore morbifico, quamuis & ipse crassior

crassior sit, & meatus angustiores : modò validæ sint eius vires, ad fortem in depellendo & propulsando contentionem. Et verò idem scripsit, naturam moliri abscessus per ossa: hydropicorum aquas reducere ad intestina : empyicis, anacatharsin fieri puris in thoracem effusi. Quæ omnia sunt fusiùs disputata ad illam prognosin. *Quæ fit è diuersò hemorrhagia, praua est : vt in liene magno, è dextris : eoque similiter in hypochondrio.* Cuius sententiæ authorem statuit Galenus Hippocratem : quamuis prorrhetico & Coacis bellum indixerit, vbi tantùm legitur; alibi nusquam, quod sciam.

LETHALE.] Siue *mortiferum.* Tum ex peruerso conatu naturæ, cuius irrita fuit contentio ad anacatharsin. Hîc enim commodior esset faciliorque ad exitum via per vrinas, quæ tantùm stranguriæ fugacis molestiam exhiberet; nihil autem negotij facesseret naturali œconomiæ : sed contrà, multùm opis adferret ad perfruendos cibos, quod illis Thasiis contigisse modò scripsimus. Tum verò puris ductus per aluum, coquendi vim labefactat in ventriculo, distribuendi in ieiunio; excernendi naturaliter in crassioribus intestinis. Hinc maligna venit alui proluuies, ac dysenteria: quæ, fractis iam viribus, immisericorditer ægrum exercet. Denique afflicto iam multùm empyico, omni spe lab[illegible] contingit : quando œconomia naturalis labascit. Ac talis adducta est ratio ad illam prognosin. *Abscessuum hypochondriacorum, lethales sunt illi qui pus effundunt intrò, &c.*

3. Epid. part. 2.
Coac 2. cap. 13.
lib. 2 com m. ad 31. prog n. lib. 1.
lib. 1. prorrh. & Coac. 2. cap. 11. lib. 2.

68 Οἱ τρωθέντες ἐς τὸν θώρηκα, τὸ μὲν ἐκτὸς τοῦ τρώματος ὑγιάσθησαν, τὸ δὲ ἐντὸς, μὴ κινδυνεύουσι ἔμπυοι γίνεσθαι. ὅσοις δ' ἀν ἁπαλὴ ἔνδοθεν ἡ οὐλὴ γένηται· ῥηιδίως διαῤῥήγνυται.

Quibuscumque sauciatis thorace, foris quidem trauma sanescit, intus verò non; periclitantur empyici fieri. Et quibus tenera est intùs cicatrix; disrumpitur facile.

HACTENVS sancitæ sunt leges super empyemate cuius origo est pleuritis aut peripneumonia: sicut suprà ostendimus. Ecce nunc aliud quod venit extrinsecus à traumate ipsius thoracis. Ergo ex quinque generibus noxarum corporis, duo hîc sunt posita : vnum ἀπὸ τῶν ἐόντων, quod reuerâ quatuor illa continet; cùm quid intra se corruptum est, vt cancer, abscessus, humor; cùm quid innatum est, vt calculus in vesica & renibus, cùm quid increuit, vt vena transiens in varicem; cùm quid deest, vt ren vel testis. Hæc enim reapse omnia sunt ἐόντα, pertinentque ad illud perceptum Hippocratis quo statuit omnes morbos nasci partim ἀπὸ τῶν ἐόντων partim ἀπὸ τῶν ἔξωθεν. Sed ex illis quatuor generibus τῶν ἐόντων, illud proponitur; cùm quid intra se corruptum est. Quod in empyemate, pleuritidis succedaneo locum habet. Nam ἀπὸ τῶν ἔξωθεν fit etiam empyema, videlicet ἀπὸ τραυμάτων, ab ictibus; cuiusmodi hoc est quod legitur in hac prognosi. Ictus enim qui vulnus facit in thorace, collisumve id fuerit aut discissum, si non rectè curetur, mortiferi empyematis causam infert. Atque scopo eo quem initio posui, scripta hæc decisio est à præceptore 1. lib. de morbis; quàm scholæ Coæ magistri huc transtulerunt. Sed aliæ sunt ἐνδείξεις ad benè curandum necessariæ, quæ proferentur in philologia & philosophia huius prognoseωs.

QVIBVSCVMQVE SAVCIATIS THORACE.] Quibus in thoracem vulnus illatum est, amplitudine diuisionis magnum; collisumve id fuerit, tantumve discissum; & quod non in summa tantùm est parte, sed penitiùs penetrauit. Atque vt loquitur Hippocrates, ἢ ὑπὸ δόρατος, ἢ ἐγχειριδίου, ἢ τοξεύματος ἢ ἄλλου τρωθῶσι, *vel hasta, vel pugione, vel telo intrò sauciati fuerint.*

FORIS QVIDEM TRAVMA SANESCIT.] Obducta cicatrice, vnde non ampliùs ipsum vlcus ἀναπνοὴν ἔχει διὰ τοῦ ἀρχαίου τρώματος, i. *spirationem edit vltrò citroque per primigenium vulnus quod ictus fecit*; neque illac frigidum foris ad se adducit; neque foras calidum vaporem fumidum à seipso excludit; nec verò pus ipsum expurgat εὐπόρως, ex facili. De traumate autem, quid sit, & quemadmodum intelligi debeat apud Hippocratem, dictum est suprà ad illam prognosin. *A traumate, conuulsio exorta, mortifera.* Hic certè significat diuisionem cutis, membranæ, & carnis, quam medici vulnus dicunt.

INTVS VERO NON.] Ad superficiem internam tunicæ costis intextæ, quæ difficiliùs coalescit quam caro, ac ne vix quidem : quoniam difficilior est membranarum συνουλωσις, quàm σαρκώσεως, carnium : vbi facilè succrescit caro quæ interuentu suo cicatricem cuti, constantem mixtione membranæ & carnis, & adhærescit ad carnem, cui non est coibilis membrana costis intexta. Hinc difficillima membranæ illius vulneratæ coitio. Nam si coiret vulnus pariter æqualiterque, tam intus, quam foris; ipse vulneratus & saucius, omni ex parte sanesceret, essetque in tuto, ac redintegrata omnino parte, non esset illi verendum de malo proposito. Est autem hoc.

PERICLITANTVR EMPYICI FIERI.] Sic Hippocrates loco prædicto. Ην δὲ τὸ μὲν ἔξω ὑγιασθῇ, τὸ δὲ εἴσω μὴ ὑγιασθῇ, ἔμπυος γίνεται. i. *Si vulnus foris quidem sanum fit, intus verò non sanum : purulentus fit saucius.* Magna hîc certè morbi metastasis, ex qua periclitantur magis de vita sauciati, quàm ex vulnere ipso, quamuis amplitudine magno, & officij præstantia partis vulneratæ: vt verum illud sit quod Hippocrates memoriæ prodidit. Τὰ μὲν ἐπὶ κακοῖσιν, ἀνάγκη κακὰ γίνεσθαι. i. *Omnia quidem è malis exorta, ipsa quoque*

Cels. lib. 5. cap. 26.
lib. 1. περὶ τέχνης.
ibidem.
ibidem.
Coac. 3. cap. 14. lib. 2.
lib. 1. [illegible] [illegible]

necessariò vitia sunt. Ac sauciati sic, malè sanè purulenti redduntur, confluente vlceris pure in sinum thoracis, quod exitum habebat foras per ἀρχαῖον τρῶμα, priusquam foris occalluisset, aut certè & veriùs, coaluisset. Inde adeo fit vt stagnante pure in sinu thoracis, quicquid eò confluit, in pus vertatur. Hinc noua malorum multiplicatio per sympathiam & syntimoriam partium sociarum & vicinarum: quamuis hoc ab vlcere factum empyema, quod facit empyicos, facilius esse dicatur cæteris quæ intus veniunt à pleuritide aut peripneumonia. Nam significatio τοῦ ἐμπύου dicta est sæpe suprà.

lib. de locis in homine.

Et qvibvs tenera est intvs cicatrix; disrvmpitvr facilè.] Ac si diceret; si vlcus exactè non fuerit expurgatum pure & sanie inter vtramque oram, tametsi vtraque simul coaluerit cicatrice obducta: tamen eueniet vt accrescente pure, & sanie, in eo interuallo quod est inter vtramque oram; facilè interioris laceretur cicatrix: quia tenerior est quàm exterior, idque tum propter acrimoniam puris & saniei quæ parta est in cunctando; tum propter vulneratæ partis tensionem, quibus accedit motus perennitas quæ cernitur in thorace, cuius vulnerari hoc esse incommodum scripsit præceptor, quod ἕλκεα κινεύμενα ἐπαναῤῥήγνυται. i. *agitata vlcera perenni motu, insuper disrumpuntur.* Hæc autem pars altera institutæ prognoseωs ex 1. lib. de morb. desumpta, pertinet ad correctionem eius quod paulò antè scripserat: quòd si coalescit vulnus omni ex parte, tam intus, quàm foris; ipse vulneratus in tuto est: quoniam suspecta esse debet vlceris non bene mundati & repurgati coitio. Hippocratis verba hæc sunt: Καὶ ἢν ὑγιασθῇ μὲν ὁμοῦ καὶ τὸ ἔσω, καὶ τὸ ἔξω, ὁ δὲ εἴσω ὀδύνη [illegible] ἀπαλὸν ᾖ, καὶ τρηχὺ, καὶ πελιδνόν· ἀποῤῥήγνυται ὀλίγῳ, καὶ αὖθις ἔμπυος γίνεται. ἀποῤῥήγνυται δὲ καὶ ἢν τι πονέσῃ, [illegible] ἢν φλέγμα, ἢ χολὴ πρὸς τὴν οὐλὴν [illegible], καὶ ἢν [illegible] ἑτέρῃ νούσῳ λεπτυνθῇ. i. *Quod si reintegratio simul facta sit tam intus, quàm foris, ipse verò intrà cicatrix tenera sit, aspera, debilis, atque liuida; nonnunquam denuo exulceratur, & purulentus fit. Rursum exulceratur etiam si quis nimium laborarit, aut emacruerit, aut si pituita vel bilis ad cicatricem adhærescat, firmiter ibi fixa. Tum si alio correptus morbo, multùm extenuatus fuerit.* Ergo permagni refert scire vbi sit vulnus, & quæ sit conditio vulneratæ partis. Imprimis autem prouidendum ne quod iam ipsum per se magnum est vulnus, curantis negligentia vel imperitia fiat maius, grauiorumque malorum consecutionem adferat.

Ibidem.

lib. 1. περὶ νούσων.

69 Ἀπόλλυνται δὲ ἐκ μὲν τῶν περιπνευμονικῶν ἐμπυημάτων οἱ γεραίτεροι· ἐκ δὲ τῶν λοιπῶν, νεώτεροι.

Intereunt autem ab empyematis, peripneumonicis quidem, seniores: ab reliquis autem, iuniores.

In omni morbo acuto, tum per se, tum ἐν μεταπτώσει, futuri exitus præsensio comparatur, tum ex ipsius morbi specie & idea; tum ex ægroti cuiusque communi & priuata natura, ætate, viribus, ac diæta. Ætatis hic mentio fit, quæ in cuiusque natura mutationem adfert temperamenti, & habitus: vnde vires validæ, vel imbecillæ. Quæ causa mouit Hippocratem vt scripserit, ab empyemate quidem peripneumonico faciliùs sanescere iuuenes, quàm homines ætatis affectæ: à cæteris autem seniores. Quod cur ita sit, eò conuertamus animum vt sciamus.

Intereunt avtem.] Suffocatione & extinctione caloris vitalis, quem virulenti puris aura disperdit: copia autem puris cor obruit, sanguinisque appulsu prohibet; vnde cessat prouentus viuifici nectaris, indéque mors venit.

Ab empyematis.] i. A phymatis purulentis, vel quæ alterando in pus conuersa sunt qualibet parte corporis. Sic enim Galenus: *Empyemata, inquit, nominare consueuit Hippocrates, non ea quidem solùm quæ in thorace, sed etiam qualibet parte corporis ἀλλοιωθέντα εἰς πῦον φύματα.* i. *alterando in pus mutata phymata.* Id ipsum docet quod sequitur.

comm. ad aph. 44.7.

Peripnevmonicis qvidem.] Per metaptosin peripneumonici phymatis in empyema, quando ipsum phyma nec sua sponte quiescit per anacatharsin liberam & liberalem sputi flaui, sanguine pauco exactè permixti; nec artificio medici curationem recepit: ipse verò ægrotus, intra 14. diem non occidit; quo exacto, nonnihil à metu respirat per succedaneum empyema.

lib. 2. progn. & Coac. 26. huius cap.

Seniores.] Homines iam ætate grandes, vel ætatis prouectæ (quos in hanc sententiam vocat ἀποκλινούσης ἡλικίας. i. *ingrauescentis* vel *fugientis ætatis*, quos vulgus nominat declinantes; non tamen decrepitæ senectutis, quæ ipsa per se morbus est. Senioribus igitur maior periculo locus est quàm iuuenibus: non solùm in peripneumonico empyemate; sed etiam in peripneumonia quoque ipsa, tum in pleuritide: quòd ætas eorum præcipuam opportunitatem ademerit anacatharseωs salutiferæ; fortem thoracis concussionem meatuumque ipsorum libertatem. Nec verò in senibus curatio artificiosa iure & loco perfici potest ex sententia; tum propter præsentem; tum propter eam, quæ in metu est, virium infirmitatem. Agitur enim de vacuando per sanguinis detractionem. Hîc autem qui ad vacuandum accedit, caueat ne id modò consideret, quàm vires sint validæ, sed vtrum eiusmodi sint cum securitate, an verò cum infirmitatis metu. At senioribus & iam infirmiores sunt ipsæ, & in maioris infirmitatis metu post vacuationem. Quæ res adduxit Hippocratem vt in capiendo delectu phlebotomiæ, ad hæc tria præceperit attendendum. Ἢν ἰσχυρὸν φαίνηται τὸ νόσημα, καὶ οἱ ἔχοντες ἀκμάζωσι τῇ ἡλικίῃ, καὶ ῥώμη παρῇ αὐτοῖσιν. i. *Si prægrandis sit morbus, si ætate floreant qui ipsum habent; tum si adsint vires.* Sanè in peripneu-

Conc. 27. huius cap.
lib. 1. περὶ νούσων.
lib. 4. περὶ διαίτ.

peripneumonico empyemate, seniorum desperata salus, quòd fractis iam viribus à peripneumonia, in empyema inciderint, cuius difficilior expurgatio est quàm peripneumoniæ: propter eáque à concursu causarum mortiferarum, vitam finiunt suffocati. Hîc mihi negotium exhibet locus ille apud Hippocratem, vbi commoda sunt maiora senum ad facilem puris anacatharsin, quàm iuuenum. Sic enim scriptum reperio, quod negare non ausim esse Hippocratis. [illegible] *Qui ætate florent, propteréaque firmo sunt corpore atque solido, non possunt æqualiter expurgare pus ab vlceribus quæ sunt in ventre supero. Neque enim pulmo eorum, solidior densiórque factus, admodum attrahit in arterias: ipsa verò arteria cùm sint exiles atque compactæ, pus non excipiunt nisi parcè & rarò: vt necesse sit, pus in thorace & in vlceribus cumulari & incrassari. At verò grandiori ætate* (vel homini fugientis ætatis) *& pulmo ipse rarior est atque capacior, & ampliores arteriæ: vt pus ipsum diu cunctari non possit, nec in thorace, nec in vlceribus.* Ego verò Gordonium hunc nodum sic resoluendum arbitror; omnia quæ illic leguntur, multa autem leguntur, pertinere ad alteram partem huius prognoseos, quæ docet grauiora esse iuuenibus, mortiferáque magis reliqua empyemata, quorum origo est trauma thoracis, non peripneumonia, nec pleuritis: vt aliò referri non debeat quod scriptum est in hac prognosi (AB RELIQVIS AVTEM IVNIORES) quàm ad empyemata fauciati thoracis. Non enim tam grauiter ægrotant faucij senes quàm iuuenes, nec tantorum symptomatum epigenesin habent; faciliùs autem sanescunt & à traumate & ab empyemate, si fortè inciderit; quod perrarò accidit nisi malum vires acquirat, aut recrudescat negligentia medici vel imperitia.

AB RELIQVIS AVTEM IVNIORES.] Non enim [illegible], sunt grauiora, sed ipsa phymata inflammat, [illegible], dum scilicet pus ipsum conficitur. Tum enim grauior est iuuenum febris, quàm senum, & cruciatus sæui doloris. Ergo sufficiat scopum indicasse, meamque scribendi operam conuertisse ad mentem authoris, cuius hæc enarratio est, non mea.

70 Τῶν ἐμπύων ὅσοι σειομένοισιν ἀπὸ τῶν ὤμων, πολὺς γίνεται ψόφος, ἔλασσον ἔχουσι πῦον, ἢ οἷσιν ὀλίγος, εὐπνοωτέροισιν ἐοῦσι, καὶ εὐχροωτέροισιν. οἷσι δὲ ψόφος μὲν μηδεὶς γίνεται, δύσπνοια δὲ ἰσχυρὴ, καὶ ὄνυχες πελιοὶ, πλήρεις εἰσὶ πύου, καὶ ὀλέθριοι.

Inter empyicos quibus, concussis humeris, multus fit strepitus; parcius illi pus habent, quàm quibus exiguus; modo spirent faciliùs, & meliùs sint colorati. At quibus ne minimus quidem infertur, sed fortis dyspnœa, liuidique vngues; pleni sunt illi pure ac desperati.

INTER EMPYICOS.] Qui sunt eiusmodi, effuso pure in sinum thoracis, rupta pulmonis vomica: vbi agitur de vacuando per vstionem, aut sectionem: exploranda autem regio stagnantis puris, non eodem modo quo nuper faciundum præcepit in pleuritidis empyemate, per decubitum in alterutrum latus, vbi de grauitate suspensa, pus vna tantùm in parte collectum esse percipitur. Quæ ratio explorandi frustra hîc factitatur: quando ab vtriusque pulmonis phlegmone fit empyema.

QVIBVS, CONCVSSIS HVMERIS.] Vel potiùs *concutiendo humeros*; vt ea concussio, ægri sponte non fiat; sed medici curantis industria: sicut præceptum est à dictatore, his verbis: *Si pus non expuatur, eius autem significatio fit propter costas, extemplo ibi secare oportet, vel vrere. Sin autem nec expuatur, nec indicetur ad costas sensum, calida multa lauato, & priusquam biberit, in firmo sedili collocato; ibi tum altero humero manibus comprehenso, ipsum concutito, & arrectis auribus, ad costas admotis, attendito num quid vndecumque indicio sit de se ipsum.* Ergo si concussis à medico humeris, explorandi causa, ne quid inconsideratè faciat in vacuando pure.

MVLTVS FIT STREPITVS.] Qualis exauditur in borborygmo, vacua sæpe aluo, stomachóque latrante. Est autem ψόφος, murmur illud fluctuantis aquæ, vel [illegible] flatus, quod exauditur intus aut foris de corpore. Atque intus quidem, in phreniticis, parum & tardò bibentibus, quos dicit præceptor [illegible] dum bibunt: sicut obseruauit in Theodori vxore, in meteorismo hypochondrij murmurantis; in pleuriticis, quando subsistit anacatharsis, vt iam suprà ostendimus; hoc loco, in empyicis. Præterea in hydrope tum vniuersali, tum particulari pulmonis & vteri. Sed intus foras eduntur strepitus in crepitu ventris, quem vocat [illegible], in ructu, in sibilo aurium, in dejectione stridula; nam aurium bombus foras non exit; sed est quidam interior ψόφος. Multus autem fit strepitus in empyico non expuente, ex paucitate puris quod, humeris concussis, in loci amplitudine libertatem habet fluctuandi: propteréaque fortius perstrependi, vt meritò scriptum sit.

lib. 1. [illegible]

Coac. 66. huius cap.

lib. 3. [illegible]

in prorr. & Coac. 01 lib. 1. 7. Epid. aph. 74. 4. Coac. 21. huius cap. 2. Epid.

PARCIVS ILLI PVS HABENT QVAM QVIBVS EXIGVVS.] Nam vtre distento, nullus fluctuandi locus est: propterea que nec fluctuatio vlla sonora. Percipitur autem multus hic strepitus in supera regione thoracis, vbi concussio fit humorum. Nam quod in sedibus inferis stabulatur ab empyemate inferarum pulmonis alarum, explorari etiam debet appresso hypochondrio, diaphragmate quoque ipso. Eadem ratione multum in pectore sputum perstrepit, feruetque ad imam laryngem, quando ab efflatione sublatum, ibi subsistit, nec expurgatur; vnde pleuritici moriuntur.

Coac. 11. huius cap. lib. 1. περὶ ἐξιών.

MODO SPIRENT FACILIVS.] Hic non sine causa codicem Græcum emendaui, & pro δυσπνοώτερον, legendum duxi εὐπνοώτερον. Nam in fluctuatione libera, indéque sonora, ex loci amplitudine à puris copia non occupati nec distenti, nulla est æquitas opinari maiorem dyspnœam, congenerem & consocialem esse multi strepitus qui concutiendo auditur; vnde significatio fit puris exigui. Est enim hic major libertas partium spirabilium, quàm in nimia puris abundantia, vbi nullus, aut certè paruus excitatur strepitus; & cui strepitus vacuitati rectè adiunxit fortem dyspnœam, vt signum πληθώρης. Ergo spiratio facilior est in strepitu multo ex paucitate puris effusi è loci angustia in amplitudinem, vnde spiritus ipse quem ducimus, in pulmone sedem inuenit, quà spirat liberiùs & expirat. 10

ET MELIVS SINT COLORATI.] Vt coloratio hæc non tantùm pertineat ad faciei malas saturato rubore suffusas, quod ipsum vt reliqui vultus, non raro significat ἐρύθημα, quam non omisit in signorum catalogo empyematis inueterati. Nam in multo strepitu empyematis, non ita rubent malæ, quàm in exiguo. Sed ad colorem quoque pertinet cæterarum & extimarum corporis partium suaue rubentium. Id enim planè indicat, quod in contraria parte scriptum est de liuidis vnguibus. Atque ex hoc colore suaue rubenti, sperabilis est vitæ salus: quemadmodum ex liuore omnino desperata. Quòd si quis obijciat, in strepitu multo sputi subsistentis, pleuriticos interire; in promptu est mihi responsio; talem strepitum excitari pleuriticis, ab irrita efflatione, vbi feruet ad imam laryngem, ibique cumulatum, suffocationem infert. Hic autem strepitum puris parcioris multum cieri à concussione concutientis medici: vnde suo non excedit loco, nec subuehitur per arterias ad imam laryngem; propterea que nec illic periculo ægri substitit. 20

Coac. 33. huius cap.

AT QVIBVS NE MINIMVS QVIDEM INFERTVR.] Ob nimiam abundantiam puris, cui vix sufficit ipsa thoracis amplitudo, ac totum occupat à iugulo ad ventrem vsque, iuxta illam prognosin. *Ex pulmonis empyemate, si dolor ad iugulum & ad ventrem prorepit, & cum anxietudine stertor adsit; expectorandæ materiæ vis magna ostenditur.* Sed eius prognoseωs partem explicat illa disputatio Hippocratis, quam sic instituit; mox autem dicetur. Pergamus: 30

Coac. 18 lib. 1.

ET FORTIS DYSPNOEA.] Quoniam thoracis amplitudo vertitur in angustiam, à puris collectione; pulmonis explicatio & libertas, in oppressionem, à circumfuso pure: vnde spiritus exploditur, nec ampliùs sedem habet qua ducatur, & fumidus vapor expiret. Inde asthma & orthopnœa.

LIVIDIQVE VNGVES.] Ab extinctione caloris vitalis, & paupertate viuifici nectaris. Cernitur autem primùm liuor in vnguibus: quia longè absunt à fonte τῆς ἀρχῆς, & quia pellucidi. Opponitur autem hic liuor colori suaue rubenti, de quo iam diximus.

PLENI SVNT ILLI PVRE.] Vnde à nimia repletione, nulla fluctuatio excitari potest, proindéque nec strepitus exaudiri. Vt igitur empyematis notitia comparatur ἐκ τῆς ἀναμεβλημένης peripneumoniæ; videlicet ex nulla aut modica expurgatione sputi, tum ex infecta medici curatione intra 14. diem: deinde verò ἐκ τῶν ὑπεχόντων: ex rigore qui antè non fuerat, & ex grauitate loco doloris. Sic copia & abundantia puris innotescit ex vacuitate strepitus, à concussione, & forti dispnœa, cum cæteris signis quæ suprà sunt posita & explicata. 40

AC DESPERATI.] Causæ adductæ sunt desperatæ salutis, in superiore prognosi, & suprà. Altera restat causa non exaudiri strepitus in concutiendo, quam eleganter scripsit præceptor his verbis. Si ob crassitudinem pus non fluctuat, nec strepitus in thorace, ac frequens respiratio est, citáque expurgatio; tum verò pedes tument, ac tussicula quædam adest: ne erres; sed certò scias thoracem pure repletum. Deinde rationem & modum subjungit explorandæ partis in qua pus abditum latet, per cataplasma ex eretriadis terræ luto confectum, vt, ea deprehensa, pyroticum statim adhibeatur, aut nouacula incidatur. Atque hic finis esto prognoseωn pleuritidis, peripneumoniæ, & empyematum, ex quibus empyici propriè nominantur. Deo sit honor & gloria qui mihi affuit. Nunc 50 transeamus ad phthisin, captis primùm à Deo scribendi primordiis.

Coac. 33. huius cap.

DE PHTHISI.

CAP. XVII.

ΟΣΟΙ ἀφρῶδες αἷμα ἐμέουσι, πόνου μὴ ἐόντος κάτω τοῦ διαφράγματος· ἀπὸ τοῦ πνεύμονος ἐμέουσι. καὶ οἷσι μὲν ἡ μεγάλη φλὲψ ἐν αὐτῷ ῥήγνυται· πολύ τε ἐμέουσι, καὶ εἰσὶν ἐπικίνδυνοι. οἷσι δὲ ἡ ἐλάσσων, ἔλασσόν τε ἀνάγουσι, καὶ εἰσὶν ἀσφαλέστεροι. 60

1 *Qui sanguinem vomunt spumantem, omnique dolore carent sub diaphragmate; à pulmone vomunt. Et quibus in ipso rupta est magna vena; & multùm illi vomunt, & periculosè admodum. Quibus autem minor, & parciorem educunt, & magis in tuto sunt.*

HÆC SVNT primordia phthiseωs, de qua mox dicturi sumus. Quoniam autem phthisis primigenia omnis, non empyematis consectaria; causas ducit vel à catarrho ferino, vel à ruptione venæ pulmonis: atque ruptionis illius notitia comparatur è sanguinis purpurei spumantis, per os effusi copia: ne vitiosa sit ipsa tecmarsis atque fallax in prædicenda phthisi de sanguinis vomitu siue copiosa rejectione; distinctionem attulit spumantis illius sanguinis, copiosè & quasi vomendo prorupti, quæ docet num illac per pulmonem, an verò illinc exclusio illa fiat. Nam à pulmone ipso, cùm rupta vel exesa vena cumulatè expuitur, periculum maius est atque certius futuræ phthiseωs, quàm si aliunde duceretur illa eductio. Atque hîc locum habet, cùm scilicet à pulmone fit anagoge, paronomasia illa qua ludit præceptor in aphorismis. Τοῖσι δὲ νεανισκοῖσιν, αἵματος πτύσιες, φθίσιες. i. *Iuuenibus sputa sanguinis, phthises.* Tum illud: *Phthisis potissimùm in eam cadit ætatem quæ est à 18. ad 35. annum.* Ac de spumante quidem sanguine qui aliunde ducitur per pulmonem, dictum est suprà ad illam prognosin. *Quicumque spumantem expuunt sanguinem, dextroque laborant hypochondrio, à jecore illi spuunt,* &c. sed hæc repetenda erunt necessariò in hac prognosi.

aph. 29. 5. aph. 9. 5. Coac. 4. cap. superioris.

QVI SANGVINEM VOMVNT.] i. Pleno ore profundunt: quale est illud Virgilianum,

--- *Foribus domus alta superbis,* *Mane salutantum, totis vomit ædibus vndam.*

Et, *Purpuream vomit ille animam:* --- accepto vulnere in thorace. Vt nemini dubium sit, vomitum illum sanguinis, esse pulmonum, quod ipse præceptor mox dicet.

Ergo. SANGVINEM VOMVNT.] i. Plena, quod aiunt, manu effundunt; rupta, exesa, vel aperta vena pulmonum, vbi sanguinis copia est, quam abundè suppeditat cor, ipsum per se micans, per insignem venam arteriosam.

SPVMANTEM.] In quo cernitur ἀφρῶδες ἐπανθισμα. i. *spuma fulua efflorescens,* minutissimis bullis obsito, ex eo circumtenso à spiritu & calore pulmonis, continenter, spirandi causa, follis modo, agitati; natura mollis & spongiosi. Est enim spuma nihil aliud, quam minutissimarum bullarum generatio in circumtenso humore, vel à spiritu, vel à calore. Sed inter omnia viscera vtriusque œconomiæ, spiritus & nutricatus, multùm spumifera est pulmonis conditio, atque natura. Est enim fuluus & spumans qui è pulmone sanguis erumpit, iuxta illud catholicum theorema, ὁμοίας γὰρ δεῖ τῆς ἀποῤῥοίας τῇ ἀπορρεούσῃ οὐσίᾳ, i. *effluentia similis esse debet substantiæ vnde quid effluit.* De sanguinis autem exclusione per os, vt intelligatur vnde, quamobrem, & quà fiat; notæ sunt explicatæ suprà, ex qualitate, copia, & excernendi modo: vt superstitio sit vel ostentatio toties ista repetere.

Gal. comm. ad aph. 14. 1.

OMNIQVE CARENT VITIO SVB DIAPHRAGMATE.] Nec sunt colore flauo, subuiridi aut fusco fœdati, habentque hypochondria bene morata, benéque constituta in omni beneficio æqualitatis; in substantia quidem, mollia, solida, & succi plena; in quantitate, λαπαρὰ, i. *in mediocritate posita contractionis & tensionis:* in qualitate verò, æqualiter suauiterque calida. Denique à norma & præscriptione naturæ nusquam egressa. Tum nulla est vmbilici palpitatio. nec vlla micantis arteriæ cœliacæ perceptio.

A PVLMONE VOMVNT.] Quoniam nihil opinionem facit sanguinis anadromen facientis; non suppressa iuuenum, familiaris olim, hæmorrhagia; non hæmorrhoides hominum hæmorrhoicorum; non menstrua menstrualium. Effluentiam verò hanc pulmonis esse testatur sanguis ipse fuluus & spumans, qui nusquam talis apparet, nisi à pulmone primùm exceptus fuerit. Hic autem nusquam venit ad ipsum pulmonem. Deinde copia effluentiæ, tum effluendi modus qui tanquam vomendo fit, ac sine dolore. Quæ omnia sunt sanguinis à pulmone manantis τεκμήρια, vnde vera illa τεκμαρσις quam præceptor posuit super hac re in aphorismis. *Qui spumantem expuunt sanguinem; iis de pulmone fit talis eductio.* Et verò ille aphorismus eodem planè scopo enarrari debet, vel recenseri, quo hæc prognosis. Vtraque enim sententia spectat ad phthisim, cuius origo est illa pulmonum hæmoptysis, vel hæmorrhagia. Nam altera phthiseωs causa, quæ est catarrhi feritas, loco dicetur. Illa enim prior est ordine apud Hippocratem & Galenum: hæc verò secunda. Ergo non sine causa orsus est à priore, quam statuit pulmonum hæmoptysin, vel hæmorrhagiam.

aph. 13. 5.

ET QVIBVS IN IPSO RVPTA EST MAGNA VANA.] Non quidem in trunco venæ arteriosæ, qui est ad basin cordis (nam cita inde mors venit) sed in maioribus ramis qui venas edunt αἱμόῤῥους, quas vocat præceptor in hac prognosi magnas, sicut alibi magnas αἱμοῤῥοΐδας: quoniam, teste Galeno, iis diuisis, hæmorrhagiæ accidunt, quæ non cadunt in paruas. Rumpitur autem αὐτομάτως. i. *sua sponte,* vel μετὰ προφάσεως, i. *incidente causa aliqua,* tum intus, tum foris. Ac sponte quidem sua, ὑπὸ πλαδώσεως, distenta nimium crasso, vel multo humore, nec ita pulmoni affixa: verùm suspensa, vnde ruptio, qualis in iis fit qui sanguinem merum repentè meiunt, & sponte. Id autem fit inopinato sanguinis appulsu, vel attractione à venis. At verò ruptæ venæ πρόφασις, i. *prænuncia causa & occasio,* vel intrà cernitur, vel extrinsecus. Intrà quidem, ex illa prognosi. *Quibus pleno ore, tanquam vomitu, sanguis prorumpit, vtraque febris multa, ac dolor est circa mammam, thoracem, & dorsum,* &c. Extrinsecus autem, in iuueoe, cui casu, ictu, jactu, prorumpit: vel diætæ vitio in victus ratione, & vitæ instituto.

comm. ad 9. lib. 2. περὶ ἀγμῶν. lib. 1. περὶ νόσων. aph. 78. 4. Coac. 63. sup. cap.

ET MVLTVM ILLI VOMVNT.] Quoniam hæmorrhagia magnarum venarum propria est, non paruarum.

ET PERICVLOSE.] Profluuio nectaris viuifici vnde cor exhauritur; tùm autem superstite causa mortifera, crebrò hæmorrhagiæ memoriam renouante. Est autem ruptio magnæ venæ, difficulter sanabilis. De qua illud præcepit Hippocrates, φλὲψ αἱμοῤῥοοῦσα οὐ συμφύει. i. *non coit.* Tum illud: τὰ κινεύμενα ἕλκεα ἐπαναῤῥήγνυται. i. *Agitata vlcera perenni motu, denuo lacerantur.* Sed causas interitus ab hæmorrhagia pulmonum, recensuimus non ita pridem.

QVIBVS AVTEM MINOR.] i. Venula in quam fieri solet magnæ κενώσιος: quemadmodum in magna, spadon & varix.

ET PARCIOREM EDVCVNT.] Quoniam hæmorrhagia larga non cadit in venulas.

ET MAGIS IN TVTO SVNT.] Quia defraudatio minor naturæ, & quia facilis est venularum coitio, pulmoni affixarum. Sunt igitur magis in tuto ad vsum & dulcedinem diuturnioris vitæ, & ad spem retinendæ salutis; modò adhibeatur medici diligentia, cum pari industria, qua phlegmone, & omnis corruptio propulsetur.

lib. 2. περὶ αἱμῶν. — lib. 2. περὶ νούσων. — lib. de locis in homine.

2 Τῶν φθισικῶν, οἷσιν ἐπὶ τὸ πῦρ τὸ πτύαλον κνίσσει βαρὺ, καὶ αἱ τρίχες ἐκ τῆς κεφαλῆς ῥέουσιν ἀπόλλυνται.

E phthisicis, quibus ad ignem sputum olet grauiter, ac tum capilli fluunt è capite; moriuntur.

AB EMPYEMATE transeundum est ad phthisin, quòd ei proxima sit, non tamen vnius empyematis succedanea. Nam ipsa quoque primigenij iuris est, è catarrho nata, vel ab hæmoptysi quam fecit venæ ruptio in pulmone. Nam ea quam intulit empyema, eiusmodi sanè est vt omnem explodat medici diligentiam atque industriam. Ac certè prudentis est medici, eum, qui seruari non potest, non attingere; nec subire suspicionem occisi, quem sors ipsius peremit. Quæ causa est cur ipse præceptor hanc indicasse contentus fuerit, attingere autem noluerit. Ad alia verò genera primigeniæ phthisis, quam vel catarrhus intulit, vel ruptio venæ, tantùm remedia duxerit præscribenda. Nec tamen omisit eam quæ dicitur φθίσις νωτιὰς, quam scribit accidere incontinentia τῶν νεογάμων καὶ φιλολάγνων. Sed explicanda phthisis natura, vt intelligatur quid sit quod in quæstionem vocatur. Ac primùm scire licet, communi appellatione, phthisis nomen significare omnem cachexiam, atrophiam, & marasmum quoque ipsum quem hectica febris inuexit. Sed phthisis per antonomasiam, pertinet ad vlcus pulmonis; cùm scilicet vel à catarrho, vel ab hæmoptysi per venæ ruptionem, huic exulceratio accedit. Ac nunc vsucapio est phthisis, pro eo quod propriè Græci omnes, maximéque Athenienses, olim vocabant φθόην, si Galeno credendum. Tametsi reperio nomen τῆς φθόης ab Hippocrate vsurpatum pro eo pulmonis vlcere vnde pus editur grandinosum, quod appressum digitis, virus exhalat fœdi odoris. Sed vsucaptæ phthiseos pro ipsa phthoë, vbi symptoma locum occupat morbi; ac morbus ipse, symptomatis nomen sibi adoptat, hæc ratio est: quoniam vlcus pulmonis, emaciandi facultate, & vi tabifica, cæteros omnes morbos præcedit. Est autem triplex in eo vis emaciandi. Prima, ipsius edacitas quæ fontem exhaurit viuifici nectaris. Altera, febris hectica, quæ humores vitiat, ipsamque partium solidarum substantiam labefectat, viuacitatem extinguit marasmo humidi primigenij. Tertia, spiritus quem ducimus tabifica qualitas, quæ ipsi de corruptela & vlcere prauo pulmonis accedit, à quo excipitur. Est igitur phthisis, vlcus malignum pulmonis, quod vi tabifica, morbis omnibus antecellit. Iam verò ab ea phthisi, homines dicuntur φθίνοντες, καὶ φθινώδεις quorum valetudo penes est phthisin, & φθινώδεες etiam, quorum natura vergit ἐπὶ τὸ φθινῶδες. Huiusmodi autem sunt πτερυγώδεες, i. *alati scapulis*, quorum scapulæ dorso exactè non adjacent; quia non habent dorsum, vt decet, ἰθύνωτον, sed paulùm inclinans ad ἰθυλορδὸς; & contra cetuicem ad ἰθύκυρτον, quam tamen natura voluit esse ἰθυλορδὸν. Talium natura hominum, si perennis catarrhi generatio sit, vel aliunde fiat, eius prolapsum tussiferum experitur in ipsos pulmones. Atque hæc pertinent ad vnum genus τῆς ἐπιληπτικῆς φθινώδους. Alterum mox dicetur in recensione causarum efficientium.

lib. 1. περὶ νούσων. — comm. ad aph. 16.7. — lib. 2. περὶ νούσων. — 3. Epid.

Ergo causarum phthisim primigeniam efficientium, duo sunt genera (nam φθίσιν νωτιὰς non attingo, nec eam quæ consectaria est empyematis;) vnum catarrhi vis effecta: alterum venæ ruptio in pulmone. Est enim consentaneum, vt vndecumque vlcus nascitur in pulmone, id causa sit phthisis. Sed quantum animo complecti possum, duo illa tantùm reperio à præceptore posita. Ac duo illa genera complexus est breuiter infrà, quæ pluribus alibi explicauit. Est autem super hac re prognosis hæc. *In metu sunt maximè phthises, tum à ruptione venarum pulmonis crassarum, tum à catarrho è capite.* Quemadmodum autem rumpatur vena, tum intrà, tum intrinsecus, dictum est superiore prognosi ac demonstratum; ruptionem crassioris venæ ex difficili coitione, & facili disruptione, subinde memoriam hæmoptyseos renouare, ac lacerando & erodendo, vlcus inferre. Hinc veniunt illa: αἵματος πτύσις, φθίσις. id est, *sanguinis expuitiones, phthises.* Et, ἐπὶ αἵματος πτύσει, πύου πτύσις i. *à sputo sanguinis, sputum puris*; vbi Galenus author est, non omnem sanguinis expuitionem, pus edere: sed eam tantùm quæ maligna est, qualis de pulmone omnino est. Tum illud quod est vtriusque causæ commune. ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις. i. *Ad sputum puris, phthisis & effluentia*; videlicet capillorum, aut ventris. Huius autem tabiferæ causæ τῆς ἐπιληπτικῆς, notabile est in ea ætate quam definiunt anni à 18. ad 35. Est enim hæc ætas, potissimùm

lib. περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων: Coac. 6. huius cap. — aph. 29. 3. — aph. 15. 7. — aph. 9. 5.

mùm ruptionis capax præter cæteras, tum [illegible]; tum [illegible]; idque vel casu, vel à diæta. Causa restat altera quæ [illegible], i. erodendo, facit vlcus. Est autem catarrhi feritas, in pulmonem prolapsi. Ac talis causa sic legitur apud Hippocratem. *Si caput repletum sit pituita, simulatque laborare cœperit; tum rheuma in pulmonem concitatur, quod simulatque pulmo complexus fuerit; statim ægrotat, morsu lacessitus à catarrho putri, & salsa pituita.* Est enim ferina destillatio, statim malefica, atque tabifera, iuxta illud: [illegible], i. *statim vitiati, ac tabescentes.* Quæ res adduxit Galenum vt hæc scriberet: *Destillationes è capite, quæ statim initio tussiculosos homines faciunt atque raucos, nisi labente anni parte quiescant; profectò alteram phthisis adferunt differentiam.* Est autem altera phthisis differentia, quam parit catarrhi vis erodens: sicut altera quæ fit à ruptione vasis. Atque hæc quidem iuuenum est, succi plenorum, hæmorrhagiæ commoda non habentium. Illa verò [illegible], i. *hominum alatorum & angusti thoracis*, idque tempestate austrina quam excipit aquilonia. Quæ cùm ita sint, iam tempus est examinare fideliter omnia quæ phthisi accidunt, exordiendo ab iis quæ posita sunt in hac prognosi.

E PHTHISICIS.] Quorum patefacta omnis ratio est, ducta è causis phthisiferis, & ex morbi natura, cur ita sint, & ita vocentur. Sed tamen ex iis qui nondum eò venerunt, vt ad vltima ventum esse testentur; cuiusmodi sunt qui vnguibus, more cuiusdam feræ, sunt vncinati, atque sic emaciati vt nihil aliud sint quàm syphar hominis; tumque iis est spiratio parua & rara, cum diarrhœa. Sed qui statim initio phthisis hæc edunt de quibus hic agitur. Cuiusmodi ferè sunt illi phthisici, quorum phthisis nata est per exulcerationem pulmonis, appulsu ferini catarrhi, putris & salsi: quem simulatque pulmo complexus est, [illegible] concipit: iuxta illam sententiam præceptoris. [illegible], i. *Omnia quidem è malis orta, ipsa quoque necessariò mala sunt.*

QVIBVS.] Phthisicis factis è catarrho ferino & putri, qui iam inde à priore foco, videlicet capite, in vitio est, minimèque pepasmi capax, in pulmone molli & spongioso quem miserè lacerat.

SPVTVM.] Quod est proprium & vnicum phthisis epiphænomenon, cuius effluentia similis esse debet substantiæ vnde manat. Est autem puris expuitio quam vlcerata pars edit per efflationem qua pus attollitur & subuehitur secundùm arteriæ bronchia ad ipsum bronchum.

AD IONEM.] Quo periculum fit optimè, sputi omnis tam purulenti, quàm saliuæ multæ, putris, & salsæ; quæ à pulmonibus educi solent: quod etiam innuit aphorismus ille: [illegible], i. *quodcunque sputum extusserint.* Vt igitur periculum fiat olfactu, qualiter sputum olet.

AD IGNEM.] Superfusum, vel in vitro, aut pelui admotum, siue sputum sit pus, siue saliua salsa & putris. Quod rectè Celsus expressit cum ait: *Quicquid exscreatum est, si in ignem impositum est*, nam quod sequitur, *mali odoris est*, non sapit Hippocratem, nec viri mentem assequitur. Non enim iudicium est præceptoris; omnia phthisicorum sputa in ignem imposita, mali odoris esse: verùm quæ ita sunt, omnia planè testari, etiam phthisis initio, ægrum seruari non posse. Cur autem explorandi odoris causa, præceperit sputum in ignem imponi, mea sic ratio est quam ex Theophrasto hausi: quoniam cùm odor sit corporum mixtorum & succidorum, non autem [illegible], quæ nullam edunt anathymiasin per quam fit odor, inde adeo accidit corpora mixta & succida, tam [illegible] quàm [illegible], si fortè nimis coacta fuerint, vel alieno humore perfusa, [illegible], i. *molli flamma indigeant, quæ calefaciens sensim, vaporem excitabit, per quem fit odor.* Sed eam anathymiasin odoriferam, eorum corporum succidorum quæ intra se abditum habent odorem, non solùm igne blando & lento, sed etiam terendo excitandam præcepit, vt in radicibus: sic in sputo grandinoso [illegible]; quod scribit, attritum digitis, expirare virus fœdi odoris. Ergo præscripta hîc [illegible], humorem perfusum dissipando, & faciendo [illegible], i. *diducendo meatus* subjecti corporis, anathymiasin excitat odoriferam.

EST FOEDI NIDORIS.] Nam propriè nidor, est anathymiases quæ suffiendo editur. Talis autem nidor, est cerebro gratiosus, qui recreat ipsum suo appulsu suaui, ac salubriorem locum efficit vbi excipitur; intemperiem frigidam temperando: quandoquidem calida est odoris natura. Sed gratiosi odoris causa est, rerum succidarum [illegible], naturæ [illegible], i. *consentaneum*, perfecta mixtio & pepasmus. Hinc [illegible] stirpium, aromatum, rerum denique omnium succidarum. Nam lapides & aurum odore carent. Vt autem à pepasmo rerum [illegible]: sic ab illarum corruptione & putredine, tum etiam à mixtione [illegible]. Præclarè igitur Aristoteles, vt cætera omnia, [illegible] odores (sic enim vocat fœdos & graueolentes) proportione quadam respondere ait saporibus multùm amaris propterea quòd vt sapores amari sunt [illegible], i. *deuorantur amarè*: sic & ipsi [illegible], i. *putres odores, ægrè admodum spirando ducuntur.* Est igitur [illegible] idem quod [illegible], vel, vt hîc loquitur, [illegible], quod est humilius. Atqui [illegible] illud sputum, non erit nouum in phthisi quam genuit empyema, quod, multò ante phthisin, tale sputum edidit fœdi odoris. Nec verò, vt iam dixi, hoc pertinet ad omnem phthisin primigeniam, statim exortam. Nam quæ à venæ crassioris ruptione oritur, tale sputum non expuit, nisi mox affutura morte. Sed illud est proprium phthisis quam fecit catarrhus [illegible], i. *pituita salsa & putris.* Ergo mirum videri non debet si concitatum rheuma, iam [illegible], faciat etiam rheuma consistens [illegible], idque in pulmone quem vocat præceptor [illegible]. Vbi enim sperari nequit pepasmus, neque [illegible], ibi necessariò fit [illegible], gangræna, & sphacelismus. Nam quæ omnino praua sunt, & primigenia prauarum affectionum signa, mutationem in melius habere non possunt. Vt autem pituita putris, est praua in rheumate concitato: sic alteratio eius in consistente, absolutam edit corruptionem: quoniam in affectione maligna, & à corrumpente causa veriùs quam à mitificante, alteratio illa suscipitur atque perficitur.

ACTVM CAPILLI FLVVNT E CAPITE.] Est hoc sanè πτυέλου praui rheumatis concitati: sicut sputum σιαλῶδες, rheumatis consistentis. Notum est illud: quòd omnis excretio praua, signum est syllogisticum affectionis prauæ. Nam fluunt Galeno capilli è capite, sicut è plantis folia; aut propter inopiam succi alibilis a siccitate, aut propter affluentiam corrumpentis ipsos humoris. Hîc tamen Galenus agnouit τὴν ἔνδειαν ἐσχάτην τροφῆς, ἔστι ὅτε καὶ διαφθορὰν τῶν χυμῶν, i. *summam penuriam succi alibilis: nonnumquam & eiusdem corruptionem.* Quod parum appositè scriptum est κατὰ τὴν διάνοιαν præceptoris, qui parem agnoscit prauitatem τοῦ ἐπιῤῥέοντος ὑγροῦ ἐκ τῆς κεφαλῆς, καὶ τοῦ συνισταμένου; i. *fluentis aut concitati è capite, ac consistentis in pulmone.*

lib. 1. κατὰ τόπους. lib. περὶ τῶν αἰτίων.

MORIVNTVR.] Non tamen fortassis repentina morte quæ in propinquo est: sicut accidit cùm accessio fit diarrhœæ: sed quòd seruari non possunt in tanta corruptione humoris morbifici, & partis obsessæ: quoniam à priuatione habitus denuo comparari non potest. Ac si diceret; pro desperatis habendi sunt, quorum desperatio posita est in vitio inemendabili nobilissimæ partis, cuius vitale officium est atq; viuificum; ipsa verò corrupta, putri halitu vitalem cordis calore suffocat, tū vlceris edacitate extinguit, cum spiratione ipsa tabifica; ac tandem fit syndrome causarū omnium mortiferarum.

3 Τῶν φθισικῶν, οἷσιν ἐπὶ θάλασσαν πτύουσι, ἐς τὸν πυθμένα βαδίζει τὸ πύον· ὀλέθριον συντόμως. ἔστω δὲ ἐν χαλκῷ ἡ θάλασσα.

E phthisicis, mare conspuentibus, quorum pus abit in fundum; breui mortiferum: sit autem mare aheno.

HIC DVCE iudicio, & comite experientia, proponitur alia nota qua nobis vtendum præcepit, ineundæ causa tecmarseos, ad prædicendum de sputo phthisicorum. Atque inter notam hîc positam, & illam quæ huic citima est, hoc interesse video; quòd illa est phthisis, periculosè quidem, sed tamen diutiùs eos quos inuasit malè habentis: hæc verò cùm adest, mortem in propinquo esse testatur. Nec mirum: quòd illa sit cuiuscumque sputi graueolentis ab igne: hæc verò tantùm puris, contra naturam, sponte in fundum maris demersi. Quod quamobrem ita sit, videamus.

E PHTHISICIS.] Quia pulmonis vlcere tres intra se fouent emaciandi causas, vnde sic emacruerunt, vt, pristino charactere amisso, vultus eorum cadauerosi esse videantur.

MARE CONSPVENTIBVS.] Ex præscripto medici ad certam prognosin, ac stabili fundatam iudicio, attendentis. Mare autem vocat aquam marinam è mari haustam, vel eius loco, si desit, muriam, cuius faciundæ modum tradit Galenus, vt vel cum ipso mari asphaltite conferri possit grauitate sua: quamuis illud mare tantò sit ponderosius Oceano; quantò hic fluuiis, lacubus, atque stagnis. Vt mare amplius non sit expetendum, ne ipsum quidem asphaltites, explorandi causa, cùm muria ipsa sufficiat. Ergò pus phthisicorum excipi debet aqua marina, vel muria, quæ grauitate, asphaltiti mari non cedat, quæque ouo natari possit.

4 simpl. & lib. 2. meteoron.

QVORVM PVS.] Efflando cum tussi per bronchia sublatum, & excreando editum, quod naturaliter constitutum, est ψαθυρὸν. i. *friabile*, in læuitate & æqualitate: sicut pituita tenax & γλίσχρος, etiam mitificata atque quodammodo purulenta.

ABIT IN FVNDVM.] Grauitate parta, & leuitate amissa, cunctando in bronchiis, ob infirmam nimium concussionem, & irritam crebrò efflationem, vnde crassescit, ac fit rotundum, eodem modo quo sputa rotunda in pleno, dementiæ prænuncia. Vbi Galenus ait, rotunditatis eius causam materialem esse, crassitudinem humoris in pulmonum bronchiis cumulatè collecti; efficientem verò, immoderatum calorem, quem hîc non tam agnoscimus phlegmones, quàm extremæ σηπεδόνος sobolem. Ac talem puris ideam descripsit nobis in phthoë, de qua sic ait: Τὸ πύον οἷον χάλαζα, καὶ διατριβόμενον ἐν τοῖσι δακτύλοισι σκληρὸν καὶ κακῶδες γίνεται. i. *Pus velut grando, ac digitis attritum, fit durum & fœdi odoris.* Cur autem pus exiguum demergatur in fundum aquæ marinæ quæ magis inuecta sustinet quàm fluuialis; planum faciet quod subjecit.

6 Epid. part. 5.

BREVI MORTIFERVM.] Signo & causa. Ac signo quidem: quia rei mortuæ & fœtidæ nihil esse potest consociale quod integrum sit. Atque omne viuens, consortis mortui impatiens esse solet. Est autem sputum hoc mortuum, natum à νεκρώσει pulmonis, non ab eius virtute natiua: sicut pus album, æquale, nihil olens, & læue. Tale pus non penit fundum aquæ marinæ, sed etiam fluuiali, & omnium leuissima pluuiali aqua, sustinetur. Submergitur autem βαρύ, ἀμοργῶδες καὶ βορβορῶδες. i. *fœtidum, amurcosum, cœnosum*; cuiusmodi esse solet soboles τῆς νεκρώσεως, non autem naturæ. Ac tale pus, cunctando & incalescendo, fit durum & graue, nec ampliùs retinet suam ψαθυρότητα. Vt mirari desinam, quòd & morticinum & ponderosum pus submergatur, vel in fundum etiam grauissimæ aquæ marinæ. Iam verò, causâ etiam tale pus ad citam mortem fatale est: quoniam percunte vitali pulmonis officio, ac viribus iam effœtis, pus cumulatè collectum, nec facilem habens exitum; vitalem cordis calorem pestifera aura disperdit, ipsumque cor opprimit: sicut vlcus, edacitate sua calorem extinguit. Tum ab oppressione puris, in thorace fit asthma, in gutture orthopnœa. Atque ita phthisici vitam finiunt suffocati.

Arist. lib. de sensib. Theoph. lib. 1. de caus. plant. Plato 3. de Republ.

SIT AVTEM MARE AHENO.] Quia vel mari seruando accommodatissimum est, societate ipsa quam vas ahenum habet cū aqua marina & salsa & amariuscula. Est enim χαλκὸς ὁμοιόχυλος, quia ἔγχυλος: sicut aurum ἄσημον, quia est ἄχυλον. Succus autem τοῦ χαλκοῦ consocialis est aquæ marinæ. At ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ συμφέρον ἐστί, & ὅμοιον ὁμοίῳ δεῖ πελάζειν. Vel ideo mare iubet esse aheno, quod muriæ cōficiēdæ

aptissimum

aptissimum sit. Ac si diceret: intelligo autem mare quod in aheno factitium est, muriam scilicet, quæ, vbicumque terrarum, instar sit maris vbi non suppetit aqua marina, quando vsuis gentium explorandi puris hæc ratio necessaria est. Erit igitur ahenum per metonymiam mare ipsum: muria autem marina: sicut in sacris literis, amplissimum & capacissimum vas ahenum in templo Salomonis, nominatum est mare. Verùm hoc nomen habuit ab amplitudine. Illud verò ab aqua salsa, qualis marina est, dicitur.

4 Οἷσι τῶν φθισικῶν αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ῥέουσιν, ὑπὸ διαῤῥοίης ἀπόλλυνται· καὶ ὅσοισι φθισικοῖσι ἐπιγίνονται διάῤῥοιαι, θνήσκουσι.

E phthisicis, quibus defluunt capilli è capite; pereunt à diarrhœa: & quibus phthisicis diarrhœa incidit; moriuntur.

Enimvero phthisis; vt periculosè omnis malè quidem habet quoscumque inuaserit: tum verò illa mortiferè, quæ vel coniunctam habet causæ mortificæ perennitatem, cum accessione grauiorum symptomatum; vel eorundem infert consecutionem per propagationem malignæ cacochymiæ, vel infirmitatis in partes vicinas quarum virtute constat nutricatus œconomia. Ergo è phthisicis mortiferè continuò ac circa initia pro certo ægrotant, quibus vnà cum phthisi accessio est causæ morbificæ, id est, catarrhi putris & salsi: tum autem symptomatis grauissimi, id est, diarrhϾ, quam vnà cum phthisi excitauit catarrhi prolapsus in aluum, qui eam fecit aphthosam. Ac certè catarrhi maligni perennitas declaratur ipso defluuio capillorum. Quæ autem phthisis, ipsa per se manet postquam exorta est, periculosè quidem phthisicos malè habet: sed tamen diutius: donec superueniente alui profluuio, mortifera breui reddatur. Hæc, mea quidem sententia, præceptoris [illegible] est in hac prognosi, vt planum faciet ipsa glossa.

Ergo E phthisicis] Nondum ita multùm emaciatis, & quorum [illegible] nondum percipitur in aduncis vnguibus, & facie cadauerosa: sed tamen quorum sputa in ignem imposita, nidorem expirant fœdum, [illegible]: quoniam continuò [illegible] sunt in rheumate consistente: sicut [illegible] fuerunt in concitato.

lib. [illegible]

Qvibvs deflvvnt capilli e capite] Non quidem à tam cita paupertate humoris spermatici, nec verò à densitate cutis quam ex euentu fecit inopia viuifici nectaris, penéque extinctio caloris vitalis: quæ omnia vt [illegible] verè dici concedam; hic tamen [illegible] appositè dici non possunt. Nondum enim ad vltima ventum est effœtæ naturæ, nec dum principatus naturæ collapsi sunt, nec [illegible] ipsa. Sed quibus capilli defluunt, vt supra modò attingebamus, à corruptione humoris in capite stabulantis. Id autem comperio euenire, tum [illegible] ipsius capitis, vnde phthisis accidit; tum [illegible] eiusdem capitis à phthisi exortas. Nam capitis & pulmonum facilis est [illegible], per quam mutuas tradunt operas in eorum perniciem quos phthisis inuasit, aut pituita putris primùm in capite occupauit. Multùm autem facit ad eam causarum vicissitudinem ipsa thoracis corporis conformatio [illegible], vnde homines fiunt [illegible].

Perevnt a diarrhoea] Ergo nec asthmate suffocati, nec orthopnœa strangulati: sed virium exolutione, quæ [illegible] dicitur, & caloris vitalis extinctione per inopiam viuifici nectaris. Eius autem diarrhϾ quæ simul cum phthisi coniuncta est, idque continuò; causam attulit catarrhi maligni prolapsus in aluum, sicut iam posui, qui eam fecit aphthosam, quemadmodum exulcerauit ipsum pulmonem. Vt ab eodem fonte hîc pariter æqualitérque principia causásque duxisse videantur [illegible] capillorum & alui. Non enim phthisi huic diarrhœa succedit: sed penè dixerim, comes accedit. Secus fit in altera diarrhœa mox explicanda. Ac talem symptomatum consecutionem, & causarum vicissitudinem, tum à phthisi, tum à catarrho, præceptor sic docuit. *Si quidem capilli iam inde ab initio defluere cœperint* (id enim significat [illegible]) *atque iam nudari cœperit caput, tanquam à morbo; tum si consputenti prunam, sputum edit fœdum nidorem, hunc dicito intra exiguum tempus moriturum. Ac moriendi causam & occasionem fore diarrhœam, vel ipsum [illegible]. Quandoquidem pus ipsum quod putrescit circa cor, in prunam effusum fœtet, indéque calefactum cerebrum salsilaginem fundit, quæ ciet aluum, facitque vt liquidis excrementis feratur. Signum id ita esse, quòd è capite fluant capilli.* Efficitur ergo phthisim [illegible] capillorum & alui, tum per sympathiam simul, tum per syntimoriam vicissim accidere. Quò mihi spectare videtur etiam aphorismus ille. Ὁκόσοισι φθισικοῖσιν ἀποῤῥέουσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, διαῤῥοίης ἐπιγενομένης, ἀποθνήσκουσιν. i. *Quibus phthisicis defluunt capilli è capite, diarrhœa superueniente; moriuntur.*

13. [illegible]

aph. 12 [illegible]

Et qvibvs phthisicis] Quibus nec fluunt capilli è capite quia non est salsilago nec pituita putris: nec sputum in prunam impositum fœdi odoris est. Sed qui sic manent phthisici, postquam exorta est phthisis, ac cessante causa quam fortasse intulit iuuenum hæmoptysis, vel sanguinis vomitus è pulmone prorupti, quem edidit ruptio crassioris venæ. Quibus, inquam, sic phthisicis, à pulmonis vlcere vel [illegible] quod vires acquirit eundo, vicinásque & socias partes in sui contagionem adducit.

Diarrhoea incidit] Non autem penè comes fuit & socia initio statim morbi, nec ita multò pòst, ob salsilaginem quam fundit caput, tum [illegible] pituita putri obsessum; tum [illegible] & [illegible], à fœtido pure calefactum, & nidore putri repletum: sicut prædictis accidere vidimus. Sed diarrhœa quæ incidit per [illegible] morbi prægrandis, nutricatus œconomiam in conta-

„ gionem & sympathiam adducentis. Et cùm sympathia nulla leuationem morbi adferat vnde venit, sed „ potiùs accessionem malorum adiungat; tum certè partium aliarum sympathia non fit, nisi grauiter affligatur ea pars quæ primùm laborat. Ergo qui phthisis dominatu tenetur, & penes quam valetudo est vniuersi corporis, sicut de pleuritide & peripneumonia scripsit præceptor; facilè transitum eius & propagationem experitur in partes nutritias, quas tandem sui tædet officij, cùm suo, vt ita dicam, genio defraudatæ fuerint, ex paupertate spiritus & caloris, quam ipsum ϑεῖον μα pulmonis inuexit. Ergo sic affectis, diarrhœa incidit, propter cacopragiam hepatis & ventriculi; quorum illud nec chylum trahere à ieiuno; nec ipsum si quem fortè attraxerit, in sanguinem mutare potest : hic autem non rarò alimentum corrumpit.

aph.17. 6.& 12.7.

MORIVNTVR] Est enim diarrhœa sic, multùm iam phthisicis nata, & firmiter fixa illius causa; ipsum τὸ κτεῖνον, vt ait præceptor, id est, *illud ipsum quod mortem infert* : quoniam, authore Galeno, tale symptoma & signo, & causa mortiferum est, γίνεται μὲν γὰρ, inquit, ἐπ' ἀρρωστίᾳ τῆς δυνάμεως, αὐτὸ δὲ πάλιν ἀρρωστοτέραν αὐτὴν ἀπεργάζεται, id est, *Nam tale symptoma, ex natura ipsius, partiúmque quarum potentia corpus ad-* » *ministratur infirmitate natum; ipsam denuo infirmiorem facit.* Ergo si ad calamitosam & inexpugnabilem vim » magni morbi, accessio fiat causæ mortiferæ; vt si labefactata spiritus œconomia, nutricatus præsidia » collabantur, cita mors venit.

lib.2. aph. vnum. aph.12.5

5 Αἱ ἐν φθισιῶσιν ἐπισχέσιες πτυάλων, ἐξίστανται ληρωδῶς· αἱμορροΐδα τούτοισιν ἐλπὶς ἐπιφανῆναι.

Quæ phthisicis accidit sputorum suppreßio, dementiam infert nugacem; his hæmorrhoidem spes est apparituram.

ECCE PENES phthisin valetudo est corporis vniuersi, de norma & præscriptione naturæ multùm per eam egressi, partiúmque nobilium quarum imperio regitur corporis vniuersitas. Atque illius quidem egressionis notas primùm aperuit symptoma; effœtæ virtutis à phthisi nutritiorum viscerum, diarrhœam; tum vitiatæ nutritionis, defluuium capillorum. Nunc aliud symptoma proponitur phthisis consectarium, à vitio cerebri ac deprauatæ principis facultatis quam λήρησιν Græci vocant; quod cernitur in nugaci dementia, cuius tamen leuatio sperabilis est per hæmorrhoidas inde apparituras. Quæ omnia sintne ita, & cur ita sint, videamus.

Coac.2. c.12. li.2. Coac.20. c.13. li.2. 6. Epid. part.3.

QVÆ PHTHISICIS] Quorum phthisis orta est, non quidem à destillatione ferina putri & salsa: sed à ruptione crassioris venæ pulmonum, quam fecit, exempli causa, dolorificorum in lumbis malorum & sanguifluorum anadrome, inhibita vacuatione solita; hæmorrhoicis quidem, hæmorrhoidum; & menstrualibus, menstruorum. Nam vt omittam cætera quæ super his multa sunt antè posita. *Qui statis ac definitis temporibus sanguinem profundunt, si loco non profuderint; symptomatis cerebri exercentur.* Omnia etiam suppressæ immeritò hæmorrhoides symptomata inferunt, quæ ab ipsis, dum conuenienter fluunt, arcentur & abiguntur.

ACCIDIT SPVTI SVPPRESSIO] Non solùm puris fusi ab vlcere, per efflationem secundùm arteriæ bronchia ad bronchum sublati : sed etiam à perenni anadrome rheumatis concitati, cuius per anacatharsin fiebat anagoge, nunc autem subsistit. Subsistit autem cohibita in pulmone, vbi cunctando putrescit materia expectorabilis, vnde grauiorem fœdúmque magis nidorem expirat ad cerebrum, caput inficit atque replet, ibique symptomata edit paraphorica. Vel aliò quàm ad pulmones anadrome illa cursum inflectit, & pro hæmorrhagia dementiam excitat nugatoriam, vt mox dicetur.

DEMENTIAM INFERT NVGACEM] i. Nugarum garrulitate ridiculam, qualem dementiam scripsit præceptor de Thasia muliere vultuosa & iracunda, quæ à menstruis non de more proruptis sic delirauit; παρέληρε, inquit, καὶ ἀγρυπνώδης; vel, vt legitur in vulgato codice, ἠχυμώθη. Vt enim deliria quæuis sunt alterati, & quasi morsu quodam lacessiri cerebri atque repleti symptomata : sic varia est deliriorum idea, pro varia suscipientis & efficientis causæ natura. Sic lethargicorum deliria sunt cataphorica, & cum cita obliuione coniuncta, ex pituita putri. Comatosorum vigilum typhomania, ex pari magisterio pituitæ & bilis. Phreniticorum perpetuæ cum vigiliis & febre dementiæ, à proritatione bilis flauæ in cerebro stabulantis. Fanaticorum insaniæ summa sunt omnia, vt qui omnino de potestate mentis exierint à bile atra quam genuit flaua : quòd illius quàm huius multò sint acriores morsus. Nugigerulorum dementiæ sunt à sanguine non ita multùm acri, nec multa bile perfuso. Melancholicorum silens est ipsa dementia, vt phreniticorum garrula : quòd illa sit ab humore melancholico, mœroris & metus patente. Quæ omnia propriis quæque nominibus & proprietatibus distincta sunt tractatu proprio quem scripsimus de sententia præceptoris, 1. lib. huius diuini operis. Ergo nugigeruli sunt, nugásque garriunt, qui à sputi prædicti suppressione delirant : quod genus dementiæ παραληρητικῶς nominauit ἔκστασιν, quæ tantùm insaniæ fanaticorum propria est, ob eámque causam dicuntur ἐξίστασθαι μελαγχολικῶς, ὀξέως; vel etiam φρενιτικῶς; quibus ad vltima ventum est insaniæ & furoris.

14. & 15. & 9 prorrh. sect.1.r. hist.20. part.3. 3.Epid.

HIS HÆMORRHOIDEM SPES EST APPARITVRAM] Quoniam in omni morbo per metastasin humoris nato, si fortis naturæ contentio sit in expellendo, ibi meritò κατὰ λόγον fiet ἀπόστασις, vnde primùm venit ipsa μετάστασις. Sic mulier illa vultuosa, dementiæ garrulæ finem habuit, omnique periculo

riculo defuncta conualuit, vrinis nigris, ac liberali profluuio menstruarum quæ paulò antè non ibant, sursum autem metastasin fecerant. Idem accidit virgini Larissææ. Sed hæmorrhoidum fructus in illo sunt aphorismo. *Melancholicis & nephriticis prodest hæmorrhoidas superuenire.* Non enim vacuando solùm hæmorrhoides prosunt; sed qualitate humoris qui vacuatur, consecutionem adferunt sanitatis. Eodem spectat & illc. *Insanientibus si veniant hæmorrhoides, insaniæ finem adferunt.* Ex quibus efficitur hæmorrhoidas per metaptosin obortas, & conuenienter fluentes, vacuando, retrahendo, ac detrahendo rheuma concitatum atque consistens, ipsámque morbificam cacochymiam & impuritatem vasorum expurgando, propugnationem & epanorthosin adferre peripneumonicis, hæmoptycis, phthisicis ab earũ suppressione natis, melancholicis atque fanaticis. Vide Comment. nostrum ad 21. Coac. cap. 13. huius 2. lib.

[Margin: hist. 7. part. 1. 3. Epid. aph. 21. 7. aph. 21. eiusdem lib.]

6 Φθίσιες ἐπικινδυνώδεαι αἵτε ἀπὸ ῥήξιος φλεβῶν τῶν παχειῶν, καὶ ἀπὸ καταῤῥόου τοῦ ἀπὸ κεφαλῆς.

In metu sunt maximo phthises, tum à ruptione crassarum venarum tum à catarrho è capite.

HACTENVS de phthisis natura, déque symptomatis eius. Nunc de causis dicendum breuiter vnde ipsa venit primùm & per se, nec morbi alterius succedanea. Non enim hoc loco agitur de phthisi empyicorum, quæ nullam admittit medici diligentiam, nec vllam industriam: nisi fortè illam quæ insanabilis esse percipitur, propreteáque indigna censetur cui medicina fiat, vt ne ipsam quidem velit attingere medicus. Quod est prudentis boníque viri officium, ne vana spe lactet ægrotum; nec subeat suspicionem occisi quem sors ipsius peremit. Nec verò hic ponitur illa phthisis, veteribus dicta ὠτίας, quæ propria est φιλολόγων καὶ ποιητῶν, Agitur autem de primigenia phthisi quæ in vlcere pulmonum ferino consistit, θηρίωμα Græci vocant cuius proprium nomen est φθόη; de symptomate autem maciei atque marcoris, κατ᾽ ἐξοχὴν nominatur; quòd ea tres habet emaciandi causas, quarum vi sæua homines breui sic à se mutantur, vt planè iam cadauerosi esse videantur. Sunt autem edacitas vlceris, tabifica febris, & aëris inspirati pestifera qualitas quam ipsi, pulmonis impertit fœda exulceratio. Sed ista sunt αὐτοληπτικῶς demonstrata ad secundam prognosin huius tractatus, vbi de phthisi abundè disseruimus. Atque illius hypothesin, velut digito indicauimus, quæ à præceptore hic in quæstionem vocatur: vt ex perspicientia scopi quò dirigit mentis aciem nihil nisi apposite comminiscamur, scribamus, ac nihil inepte moliamur. Ergo de causis dicendum quæ faciunt ipsam phthisin qualem descripsimus. Nam τῶν ὑποδεκτικῶν, i. *causarum suscipientium*, per quas efficientium vis impressa manet, vnde omnis morborum generatio est; earum, inquam, species & ideæ ponentur, postquam efficientium ratio patefacta fuerit & expensa.

[Margin: Coac. 2. huius c.]

IN METV SVNT MAXIMO PHTHISES] i. Ostentant periculum sui ne accidant, vel cùm inciderint, periculum mortis iniiciunt. Sic vtroque modo explicari potest τὸ ἐπικίνδυνον: sed prior explicatio mihi magis probatur ad eam loquendi formam qua vsus est nuper κινδυνεύουσιν ἔμπυοι γενέσθαι, i. *periclitantur empyici fieri.* Nam phthisin omnem, malè habere quos inuasit periculosè, nouum non est: vt nihil noui adferre videatur prognosis hæc si eò dicatur. Adde quod, vt concedam phthisin tum à ruptione vasis, tum catarrho natam, periculum vitæ moliri: non tamen tam certò, nec tam citò molitur quàm phthisis empyicorum. Ac sæpe ipsa phthisis primigenia, periculosior est efficiente causa, quàm morbi natura, aut certè morbo diutiùs periculosa; celeriùs autem causa, id est, feritate catarrhi, & hæmorrhagia pulmonum à perennitate anadromes. Ergo periclitantur homines, phthisi mox affutura.

[Margin: Coac. 8. cap. sup.]

TVM A RVPTIONE CRASSARVM VENARVM] Nam anastomosis rarò adducit exulcerationem: διάβρωσις autem fit à catarrho, quæ altera phthisis est causa. Quemadmodum autem ruptio venæ incidat, dictum est suprà ad primam prognosin huius tractatus, ac demonstratum, αὐτόματον ipsam fieri, vel μετ᾽ αἰτίου, tam intrà, quàm extrinsecus; idque iuuenibus qui eas degunt ætates quæ sunt à 18. ad 35. annum, vt mox infrà dicetur. Crassas autem venas intelligit, ramos insignes venæ arteriosæ, vti iam vidimus ad illam prognosin. *Quibus in pulmone rupta est magna vena, & multum illi sanguinem vomunt, & periculosè, &c.* Est igitur hic vena crassa, quam illic vocat μεγάλην; & rursum μεγάλας, quę alibi nominatur αἱμοῤῥόους, quòd, iis diuisis, hæmorrhagiæ accidunt, quæ non cadunt in paruas.

[Margin: Coac. 1. huius c. sent. 9. lib. 2. περὶ ἀγμῶν. lib. περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρ. Comment. ad part. 18. s. 3.]

TVM A CATARRHO E CAPITE] Qui corruptione propriæ substantiæ in vitio est: propereáque dicitur κακοήθης & θηριώδης: quia metum adfert τοῦ θηριώματος. Est enim phlegma, vt ait præceptor, putre & salsum: propterea que διαβρωτικὸν, vt scribit Galenus. De huius autem catarrhi feritate, multa iam alibi scripsimus, & feritatis vim calamitosam ostendimus in erodendo partem capacissimam erosionis, i. pulmonem ἀραιόν. Ac de illo catarrho ferino verum est illud Hippocratis; quòd eius prolapsus, & vbi insederit, & vnde vel quà exierit inciderítve, sæpe insanabiles morbos facit: maximè verò iis qui ei catarrho gignẽdo, ciendo, & excipiendo nacti sunt temperiem contrariam nobilium partium, cum hepatitis impuritate; & conformationem thoracis angusti, dorsíque alati, palatum verò habent sublimius fornicatum, ac dentes προμαλακίους, ex capite turbinato parte antica. Lege diuina soper hac re præceptoris verba, literis digna aureis. Sed ea præstat nostro fœdare attramento, quàm silere. Οἱ φοξοὶ, οἱ μὲν καρτεροαύχενες ἰσχυροί τε τἄλλα καὶ ὀστώδεες, οἱ δὲ κεφαλαλγέες, καὶ ὠτόῤῥοοι· τούτοισιν ὑπερῷον κοῖλον, καὶ οἱ ὀδόντες ... i. *Foxi, siue capite turbinati, qui validam habent ceruicem, robusti sunt cùm partibus aliis, tum ossi.*

[Margin: 6. Epid. Ibidem. lib. 3. alim. 6. Epid. part. 7. 6. Epid. part. 1. vide Comment. ad Coac. 51. cap. superioris. 6. Epid.]

bus.at quibus caput dolet, stillántque aures; his conuexum palatum, serrati dentes. Et, Οἷσι περιγυῖαι αἱ πλευραὶ διὰ τὴν ἀσθενείην τῆς ἀρχῆς, οὗτοι ὑπὸ τῶν ῥευμάτων κακῶς ἔχουσι, καὶ ἐκκρινομένων, καὶ μένοντων, i. *Quibus alatæ sunt costæ, propter conformantis causæ imbecillitatem, hi malè habent à catarrhis malignis, siue excernuntur, siue subsistunt.* Iam verò aggrediamur ad alteram causam τὴν ὑποδεκτικὴν, quæ propria est phthisis quam facit ruptio venæ crassæ.

(6. Epid. part. 3.)

7 Τῶν δὲ ἡλικιῶν ἐπικινδυνώδεαι πρὸς φθίσιν, ἀπὸ ιη. ἐτέων, μέχρι ε. καὶ λ'.

Inter ætates, illæ demum ostentant periculum phthisis, quæ sunt ab anno decimooctauo, ad trigesimumquintum.

Svperiore prognosi deductum est, quoad resolui potest τὸ ὑποδεκτικὸν phthisis quam facit catarrhus è capite. Nunc ponitur alterum ruptioni vasis accommodatum, per quam prior incidit phthisis differentia: sicut à catarrho altera. Quoties autem conspirant æqualiter, vis efficiendi & opportunitas excipiendi, opinionem faciunt rei futuræ quam moliuntur. Hinc rerum omnium, quæ terra marique gignuntur, principia caosæque ducuntur. Continuò has leges æternáque fœdera Deus imposuit rebus omnibus procreandis. Et verò Hippocrates nihil vnquam statuit de morborum natura & exitu, nisi ἐκ τῆς τοῦ ποιητικοῦ καὶ τοῦ ὑποδεκτικοῦ, i. *ex cognitione & perspicientia efficientis causæ & excipientis.* Atque hic cardo est morborum omnium quorum historiæ sunt in libris τῶν ἐπιδημιῶν. Hoc fundamentum est libri tertij aphorismorum. Denique hæc præceptoris est δόξα, vbicunque agit de cognoscendo, medendo, & prædicendo. Inde omnis comparatur ratio διαγνώσεως, θεραπείας, καὶ προγνώσεως.

Ergo. Inter ætates] Quarum successione mutatio fit cuiusqoe naturæ, in temperamento, complexione, & habitu. Nam *quibus iuuenibus astrictior fuit aluus, in senectute laxatur*; & quæ sunt eiusmodi. Ergo intet ætates, per quas degendæ vitæ distincta ratio est. Sunt autem; triplex infantia, pueritia, pubertas vel adolescentia, iuuentus, constans ætas, & triplex senectus: quæ tamen non certo annorum numero definiuntur; sed actionum varietare, vel diuersitate succedanea.

(aph. 20. 2.)

Illæ demvm ostentant pericvlvm phthisis] Vel, vt modò vertimus; in metu sunt maximo phthisis; vel obnoxiæ sunt maximè phthisi: Græcè est ἐπικινδυνώδεαι πρὸς φθίσιν: ex quo apparet, idem esse quod iisdem scripsit verbis in superiore prognosi, cùm ait, φθίσιες ἐπικίνδυνοι, vt iam monuimus. Intelligit autem phthisin quam facit ruptio venæ crassæ non catarrhus è capite. Huius enim ad phthisin incommoda non minùs experiuntur senes quàm iuuenes: teste illa sententia. Τοῖσι πρεσβύτῃσι δύσπνοιαι, καὶ κατάῤῥοι βηχώδεες, id est, *Senioribus spirandi difficultates catarrhi tussiferi,* &c. Quò spectat & illud. Φθινώδεες πολλοί: vbi Galenus hæc. *Dictum est à me prius, quòd destillatio è capite in fauces, indéque per laryngem in asperā arteriam, cùm ad pulmonē peruenerit, huiusmodi facit morbos: quod iuuenibus contigisse scripsit Hippocrates in pestilentium morborum catalogo.* Sunt igitur ætates illæ phthisi obnoxiæ, quæ accidit rupta vena.

(aph. 31. 3. — 3. Epid. part. 3.)

Qvæ svnt ab anno xv iii. ad xxxv.] Causæ vlteriùs deduci non possunt, quàm à nobis deductæ sunt initio huius tractatus, & superiore prognosi. Vt paucis dicam; facillimè omnium venæ rumpuntur iuuenibus: tum αὐτομάτως per spadonem, cohibita familiari hæmorrhagia, vel etiam sanguinis catullientis orgasmo: tum μετὰ προφάσιος, tam intrà, quàm extrinsecus; idque vel casu, vel diætæ vitio in victus ratione, & vitæ instituto. Annotauit Galenus, ætates hic dici plurali numero, quòd illis annis qui sunt à 18. ad 35. exigantur duæ ætates, videlicet pubertas & iuuentus. Ac finem præceptor statuit excretionum omnium criticarum, potissimùm verò hæmorrhagię, trigesimumquintum ætatis annum.

(Coac. 2. & 2. huius cap. aph. 9. 5. in progn. passim.)

8 Τὰ κνησμώδεα σώματα μετὰ κοιλίης στάσιν ἐν φθισικοῖσι κακόν.

Pruriginosa corpora post alui suppressionem in phthisicis; graue malum.

Nihil mortiferum magis est quàm falsò credita, aut insidiosa symptomatum funestorum leuatio. Solenne est illud. Τὰ θανατώδεα, ἄνευ λόγου ῥαστωνεύοντα θάνατον σημαίνει, i. *Lethalia quæ abs re mitescunt; mortem subesse testantur.* Exempla non ita pridem adducta sunt ad illam prognosin. *Lateris dolor qui cum sputo bilioso euanuit; insaniam facit.* Io phthisicis, vt nihil pestiferum magis est quàm diarrhœa per quam ad exitium præcipitantur, proptereáqoe dicitur à præceptore τὸ κτεῖνον, i. *illud ipsum quod perimit*: sic insidiosa eios repressio, tantùm abest vt aliquid opis & adiumenti adferat, fortè ad vsum diuturnioris vitæ; vt ipsam dulcedinem auferendo per impatientem moræ pruriginem, efficiat ne diutiùs in periculo sint, sed vt celeriùs moriantur. Id ita esse, planum faciet ratio huius prognoseωs.

(prorrh. 1. s. 2. 1. Coac. 56. cap. sup. lib. 2. aphorism. & Coac. 4 huius c.)

Prvriginosa corpora] Quorum impuritas putris est & salsa, primùm hepatitis, mox aliarum venarum αἱμοῤῥοίων; cacochymiam suam in venulas eructantium, ac velut σαπρίαν quandam edentium. Hinc fœda venit psoræ prurigo, quæ nullam diurnæ neque nocturnæ quietis partem impertit iis quos impatientet exercet.

Post

Post alvi suppressionem] Repressa scilicet diarrhœa, cuius causa superstes, eodem planè modo pruriginem excitat toto corpore, quo diarrhœam ipsam ciebat. Vt autem per epigenesin diarrhœa constibat: sic etiam importuna pérque molesta pruriginis proritatio. Nam si per metaptosin exorta esset illa prurigo, cum redintegratione & officio partium nutritiarum; bona spe consolaretur medicum, aut retinendæ adhuc salutis, aut certè productioris vitæ. At causa diarrhœæ manet superstes; quam diximus positam esse vel in effœta virtute partium nutritiarum quæ coquendo, distribuendo, & excernendo, naturalem œconomiam componunt & administrant; vel in prolapsu catarrhi maligni, facientis aluum aphthosam. Atque superstitis causæ, naturalem œconomiam labefactantis argumentum est prurigo illa firmiter fixa, non fugax, vt esse solet quando incidit per metaptosin; cuiusmodi sunt tubercula, exanthemata, tum cutis ictcrica defœdatio. Firmiter autem fixæ pruriginis causa est cachexia; huius verò, perennis impuritas viscerum & hepatitis, éaque putris & salsa; vnde totius corporis nutritio deprauata.

In phthisicis] Quorum iam virès effœtæ languent à phthisi & diarrhœa, & qui iam multùm emacuerunt à triplici causa emaciandi, quam phthisis, vt ita dicam, secum portat.

Grave malum] Denunciant atque inferunt: ac denunciant quidem, origine mali vnde prurigo accidit, quæ inueterationem & inexpugnabilem causæ morbificæ perennitatem ostendit. Miserrima est enim quæ in marcorem incidit cachexia: inferunt autem, molestia quæ somnos adimit, & remeabili vapore putri & fœdo. Huiusmodi sunt pectora rubris maculis supersparsa empyicorum, quæ mortifera esse dixit præceptor. Huc pertinet illud etiam quod suprà iam positum est. *Si cui sputa salsa, vnáque tussis quiescunt, is rubet corpus velut exanthematis obsitum: sed ante interitum exasperatur.* Vide Comment. ad illam prognosin. Ergo diarrhœa phthisicorum lethalis, repressa immeritò, & in cachexiam conuersa; mortem subesse testatur, ipsámque, celeriùs opinione, adducit.

Coac. 55. cap. sup. Coac. 15. c. 7. lib. 2.

9 Ἐπὶ τῶν φθινώδεων ἕξεσι, μετὰ πυρετοῦ, ἐς οὖλα καὶ ὀδόντας ῥεύματα ἐπιφαινόμενα· κακόν.

In habitu phthisiformi, cum febre, si fluxio in dentes & gingiuas coorta sit; ingens malum.

Ibi demum in propinquo est malum, státque, vt dici solet, pro foribus, vbi ad præparationem excipientis causæ accedit vis efficiendi. Nam vtriusque causæ societate & quasi conspiratione quadam, atque consensu, omnia fiunt quæ sunt in rerum natura. Ne longum faciam, facilis est generatio phthisis in habitu phthisiformi, quotiescunque incidit causa phthisifera. Iam verò qui sit habitus phthisiformis; quæ item causa phthisifera & habitui consocialis, vel quæ suam illi dicatit operam ad generationem & impressionem phthisis, id verò est quod hæc prognosis in quæstionem adducit.

In habitu] In habitudine corporis quæ cernitur in charactere, colore, & mole: tum autem in collocatione, situ, & apta cum quodam lepore conuenientia, aut contrà indecora compositione partium singularum κατὰ τὴν ἀνομαλίαν. Quæ habitudo, prima sub aspectum cadit, éstque tractabilis. Nam suus est etiam cuique parti habitus, earum quæ in præcordiis aut hypochondriis continentur, vnde homines μεγαλόσπλαγχνοι & μικρόχολοι dicuntur, quorum scilicet canaliculus bilis prorepit ad fundum alui, non ad tenue intestinum. Tales biliosi sursum ex habitu nominantur.

lib. 2. περὶ διαίτης

Phthisiformi] Qui præ se fert speciem & ideam, suscipiendæ phthisi & fouendæ accommodatam siue idoneam, cuiusmodi est hominum thoracis angusti, dorsique alati, quibus ea conuexiore ceruice, quæ est in recticaua κατὰ φύσιν, pectori ferè mentum annectitur. Tum autem qui turbinato sunt capite palato nimis altè fornicato, ac dentibus quasi pectinatim commissis. Hæc fabricatio est τῶν φθινωδέων, quos ita esse docet Hippocrates ἐξ τῶν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένων; ob cámque causam, fœtos catarrho phthisifero: quòd ei gignendo, ciendo, & excipiendo, magna sit thoracis & capitis sympathia; magna etiam syntimoria. Hic enim paupertas caloris viuifici, angustiam facit thoracis vnde crudor cerebri, cuius propugnaculum caput in vitio est formatura & complexione ipsa. Hinc repletio assidua capitis, vt nulla hominum fabricatio sit catharri maligni feracior, quàm talium στηθοφυλακῶν, quos inde vocat præceptor φθινώδεας: quòd viscerum & hepatitis, aortæque ipsius impuritate, capitis repletione & destillatione perenni, cęteris omnibus antecellant. Denique hi sunt οἱ νοσερῶς ἔχοντες, ὧν φύσις ῥέπει ἐπὶ τὸ φθινῶδες, *i. qui valetudine viuntur dubia, quorum natura vergit ad phthisin.*

part. 18. sect. 3. 6. Epid.

Cum febre] In talibus hominum naturis catarrhi feracissima, ipsum gignendo atque ciendo. Idem facit vinum quod citò caput replet, indéque est καρηβαρικόν. Et verò nunquam cessat catarrhus donec febris quieuerit, vt in stillatitiis aquis, non fit stillandi finis quamdiu accensus est focus. Quicquid " enim vaporem sursum effert, nec dissipat; stillicidij causam adfert. Quamobrem consideratè multùm, " vt cætera omnia, dixit Hippocrates, *Conuulsionem sanari ab exorta febre acuta quæ priùs non fuit: quòd si priùs fuerit exacerbata, vt par sit conuulsiuæ causa.*

Coac. 11. c. 14. l. 2.

Si fluxio in dentes et gingivas coorta sit] Vel, ad verbum ex mente authoris; si fluxio feritatem suam ostentet in dentibus & gingiuis, vt illis quidem inferat spha-

Coac. 8. & 9. c. 7. lib. 2.

celismum, his verò exulcerationem vel abscessum ; peiùs habitura ipsum pulmonem ; cùm eò illapsa fuerit.

INGENS MALVM] Quod scilicet remeando & permeando, sursum deorsúmque prorepit. Ac remeando quidem : quoniam, *Si dente syderato ingens cum delirio febris accesserit, mortiferum: sin autem periculo defunguntur, ossa illis abscedent.* Nam in his casibus magna cerebro est sympathia, quæ in officij communicatione, & vicinitate consistit. Permeando autem, catarrhi vis effeta in aluo diarrhœam aut dysenteriam, in pulmonibus autem phthisim exitialem parit: præsertim iis qui sunt natura φθινώδεες. Nam quod in aluum prorepat, ibíque tyrannidem suam exerceat; in promptu sunt illa dogmata præceptoris. *Quibus è gingiuis cum aluo liquida sanguis exudat; pestiferum.* Et, *Ora grauidarum aphthosa, terrifica. Num etiam perliquidas reddunt aluos?* De facili autem catarrhi prolapsu in pulmones τῶν περιπνευμονιῶν, quos hic & suprà descripsimus; otio esset abuti, pluribus demonstrare: quando id ratum est omnibus : ac nemo sit omnium, qui nostra hæc legerint, quem id nescire persuasum habeam.

Coac. 31. c. 7. lib. 2. infra in Coac.

Ἐπὶ πᾶσιν ὑποχόνδρια μετέωρα κακόν. κάκιστον δὲ ἐπὶ τοῖσι φθισικοῖσι.

Hypochondriorum meteorismus, cùm cæteros malè habet ; tum verò eos pessimè quos phthisis exercet.

CAPVT EST ad perceptionem huius prognoseos, primùm intelligere ; quòd eò peiùs ægroti res eunt, quò plures naturæ principatus in vitio sunt. Quod nemo inficias iuerit ita esse. Cùm igitur duplex omnino sit œconomia naturæ per quam vita hominum sustentatur ; vna quidem spiritus ; altera, nutricatus: profectò malè res eunt si alterutrius malè morata, maléque constituta sit ratio : pessimè, si vtriusque. Ac sanè vitia vtriusque cernuntur in hac prognosi eùm legitur. *Hypochondriorum meteorismus, pessimè illos habet quos phthisis exercet.* Est enim spiritus prægrande malum in phthisi ; nutricatus, in hypochondrij meteorismo, qualem hic velit præceptor: tum autem quemadmodum fiat, & quo sui apparear.

HYPOCHONDRIORVM] i. illarum abdominis partium quæ sunt proximè cartilagines notharum costarum, & ensiformis : vel eorum viscerum quæ hypochondriorum quasi complexu fouentur, hepatis, lienis, diaphragmatis, & cordis vulgò dicti stomachici. Hæc enim per metonymiam hypochondria quoque dicuntur, ac suos quæque habent meteorismos, vel abditos, vel in abdomine manifestos: sicut abdomen ipsum propriu tumore obsessum.

aph. 74. 4. hist. 1. sect. 1. 3. Epid. Coac. 66. cap. sup. aph. 74. 4. Ibidē & Coac. 11. c. 11. li. 2.

METEORISMVS] i. Tumor in hypochondrio aspectabilis; non quidem eius vitio: sed partium abditarum, quarum etiam suus est meteorismus, tractabilis tantùm intra; de quo illud scriptum est. Ὑποχονδρίου ἔντασις λαπαρή, i. *Hypochondrij submollis distensio.* Hic superstitio esset, denuo recensere varias meteorismi distinctiones quæ positæ sunt in tumoribus, in spiratione difficili, & in habitu decumbendi. Tot enim reperio apud Hippocratem, quas nuper attigimus. Hic scire licet, hypochondria dici μετέωρα, τὰ ἐς ὄγκον μείζονα κατὰ πολλὰς αἰτίας γιγνόμενα, i. *quæ in molem maiorem multis de causis assurgunt.* Causæ autem cur sic assurgunt, tres omnino dictæ sunt à præceptore; inflatio, inflammatio, scirrhus. Inflatio fit à spiritu flatulento, eáque duplex: cum borborygmo, & cum torminibus. Cum borborygmo, recens atque fugax: quoniam borborygmus ille sic editur, flatus exclusione deorsum. Itaque citò exoluitur, vel cum deiectionibus & vrinis, vel ipse per se traiectus, vel ad sedes inferas deuolutus. Inflatio cum torminibus, contraria est borborygmo: est enim dolorifica ; ille doloris expers: hæc sursum mouetur, ille deorsum. Atque hæc recens, aut vetus. Ac recens quidem, à sero bilioso quod exudat à iecore in tenuia intestina. Vetus, ab intemperie hectica tenuium intestinorum, quæ hydropem siccum prænunciat. Sed hypochondriacæ phlegmones duo sunt genera; vnum fugax & simplex, alterum firmiter fixum atque systrophicum. Vtrumque facit in hypochondrio meteorismum : sed illud quidem doloris expertem; hoc verò dolorificum atque durum. Fugax est hypochondrij phlegmone : fugax item meteorismus qui ad hæmorrhagiam apparet instante crisi febris acutæ, per sanguinis ad caput anadromen. Fugax est etiam meteorismus quem humor attollit peripneumoniæ, dum ad crura cursum inflectit, vbi abscessum facit. Talis in Herophonte fuit sinistri tensio hypochondrij, quam hîc meteorismum dicimus. Sed à systrophica phlegmone iecoris aut lienis, hypochondrij meteorismus assurgit dolorificus atque durus. Est autem huiusmodi, tum proprio viscerum ipsorum vitio, tum alieno. Ac proprio quidem ; connexarum hepatis partium tensione prægrandi, & intemperie, ab humoris infarctu præcalidi & glutinosi. Nam alieno vitio dolet hypochondrium, non autem suo, à viscerum oppressione nimis distentum. Atque systrophica tantùm phlegmone iecoris aut lienis, meteorismum hunc facit durum, recentem, ac dolorificum, quem veteres nominarunt κύρτωμα ἐπάρμα σκληρὸν καὶ ἐπώδυνον. Nam eius qui à scirrho attollitur, inueteratio est, ac doloris vacuitas; item borborygmi, & torminum. Diaphragmatis inflammati consectaria est vtriusque hypochondrij sursum intrò retractio, vt in Sileno. Et : *Quibus acuta non, hypochondria intrò sursum in reuulsa sunt.* Ac satis iam de hypochondrij meteorismis, quorum ille demum ius habet calamitatis in hac prognosi, quem phlegmone viscerum systrophica excitauit. Declarat illud quod ait, cùm cæteros malè habet. Nullus autem præter hunc, cæteros malè habet periculosè. Nam scirrhi & torosi eum hîc nulla opinio esse potest.

lib. 3. progn. lib. 2. progn. & Coac. 24. cap. super. hist. 3. 1. Epid. hist. 2. 1. Epid. Coac. 55. h. 1 & in prorrh.

CVM

Cvm cæteros male habet.] id est, Omnes omnis ætatis, sexus, naturæ; quocunque illi morbo laborent: qualem fuisse legimus Hermocratem cum febre acuta, & capitis atque lumborum dolore, qui ἔντασιν habuit τῶ ὑποχονδρίου λαπαρῶς, ac sexto die fuit ictericus; obiit autem 26. Qualem Apollonium Abderitam, qui cùm diu ὀρθοστάδην progressus esset, quamquam ægrè, quòd esset μεγαλόσπλαγχνος, & familiariter ei iecur doleret, ac tum colore icterico multùm fœdatus; tandem victus morbo decubuit, ac 34. die interiit. Hujusmodi sunt icterici omnes quibus dextrum obduruit hypochondrium. Ne multa, vt hypochondriorum ἀνωμαλία ἢ λαπαρότης in omoi æqualitate, cum spiratione facili, præclarè ad salutem apparet & facit in omnibus morbis acutis: sic inæqualitas illa triplex hypochondriorum, & impedita respiratio, terrifica omnino debet haberi, quando excusationem non habet perturbationis criticæ ad salutem. Denique nunquam in tuto est ille qui meteorismum gerit hypochondrij stabilem, & firmiter fixum.

hist. 2. part. 1. 3. Epid. hist. 13. part. 3. 3. Epid. aph. 46. 4.

Tvm vero fos pessime.] Et periculosissimè: nec iis diutiùs periculo locum esse sinit, qui ea sorte citò intereunt.

Qvos phthisis exercet.] Qui dominatu phthisis tenentur cum signis prædictis. Nam dolorifica hypochondriorum mala; quæ facit inflammatio viscerum systrophica; homini necando ipsa per se satis sunt: sicut & ipsa phthisis. Ac dolorificus atque durus hypochondrij tumor, per initia quidem natus, mortem breui affuturam denunciat, nisi primis periodis per hæmorrhagiam liberalem periculi locus tollatur. Ergo si ad phthisin accedat hypochondrij tumor, celeritas incidit moriendi, quoniam fatalis ad interitum morbi accessio fit: ne taceam interim perennitatem causæ phthisiferæ quam fundit hypochondrij meteorismus, vt spumantem inde sanguinem effundi iam videtimus: quem ego non successione phthisis, sed potiùs accessione primigenia, exortum fuisse arbitror, & consecutionem attulisse phthisis, non hanc illius. Nisi quis fortè obiiciat illam prognosin. *Quibus hypochondria tumere assurgunt, aluo suppressa, malum: malum est etiam quibus inueteratione morbi tabescentibus, alui profusè feruntur.* Sed nihil ad rem.

Coac. 46. c. 16. lib. 2. Coac. 17 c. 11. lib. 2.

II Τῶν μακρῶν ἐπὶ τῖσι τετηκόσι ὀλεθρίοισιν ἐνίοι πρὸ τῆς τελευτῆς ἐπιῤῥιγοῦσι.

Qui ex longa phthisi consumpti ac desperati sunt; nonnullis ante finem vitæ, rigor cietur

Prvdentis est medici, non solùm funestos exitus præuidere morborum: sed ipsam quoque mortem iis indicare qui proximè absunt à fine. Ac non id quidem cùm animam desperari agunt: id enim faciunt idiotæ: sed cùm in spe viuitur longioris vitæ, aut etiam retinendæ adhuc salutis. Mortem in propinquo esse quædam signa testantur quæ vulgo putantur ἀμυδρὰ, nec nisi à sciente animaduerti possunt quorsum illa fiant atque appareant. Huiusmodi sunt illa. *Qui prorupto sanguine perhorrescunt in tremate; grauissimum habent malum. Atque hi vitam finiunt differendo, nec opinantes.* Et, *Qui à morbis acutis aut longis, vel à tremate, vel vndecumque multùm emacruerunt, si atra bile aut sanguine nigro aluus ducatur, postridie moriuntur.* Et quoniam illud, τῶν μακρῶν, ancipitis iudicij est (Nam eò referri potest quod modò Latinè posuimus de hypochondrij meteorismo in phthisicis; Græcè autem sic habet. Οἷσιν ὑποχόνδρια μετεωρίζεται, κοιλίης ὑποστάσης: κακόν. κακὸν δὲ ἢ οἷσιν ἐν φθινάδεσι τῶν μακρῶν, αἱ κοιλίαι ὑγραίνονται) erit, meo quidem iudicio, commoda huius prognoseos formula, his verbis concepta.

Coac. 5. c. 13. li. 2. aph. 23. 4. Coac. 17. c. 11. li. 2.

E phthisicis qui longa phthisi planè confecti sunt ac desperati; nonnullis ante finem rigor cietur.

Atqve hanc formulam legi velim pro stylo ipso prognoseos, cuius enarrationem sic instituimus.

E phthisicis.] Quorum historiam pridem tenemus, nec dum excidit animos vt nihil necesse sit nouam ordiri, minùs autem retexere.

Qvi ex longa phthisi.] Quæ in vetustatem incidit, & cuius inueteratio inde fuit, quòd neque succedanea sit empyematis; nec primigenia perennitatem excepit catarrhi ferini; nec perennem habuit malignam anadromen; nec accessionem aut consecutionem diarrhœæ mortiferæ, qua sæpe ante diem phthisici ad exitium præcipitantur: sed quæ in pulmonum vlcere solo manet, suis comitata symptomatis, quæ & iam dicta sunt, & mox loco dicentur.

Plane confecti svnt.] id est, Contabuerunt, vel macie conciderunt à tribus illis emaciandi causis quas inesse diximus in exulceratione pulmonis, vnde ipsum vlcus nomen sibi vendicat phthisis. Sunt autem ipsius edacitas, febris hectica, & spiritus, quem spirando inducimus, tabifica vis, ipsi à pulmone impressa. Quinetiam huc conspirant tres illæ contabescendi causæ, quas ita literis mandauit præceptor, Γενομένων ἢ χρόνων μακρῶν, ἢ πόνων πολλῶν, ἢ ἀγαῖς ξυντήξιος, i. *à longo tempore, laboribus multis, & magnis, colliquatione assidua*: quamvis non eò scribantur à præceptore, sed ad generationem prauorum abscessuum. Nam longo tempore, multo labore, & colliquatione praua homines contabescunt. Quæ

5. Epid. parte 2.

tria sunt posita in phthisi prædicta. Hic enim à phthisi longa, similiter maces extrema infertur, vt à febre ardenter acuta atque tabifica, quæ circa initia facit oculos concauos, collapsa tempora, & nares acutas. Notum est illud Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως. i. *Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet: quæ autem breui, confestim.* Nam extenuationis inchoatæ & confectæ signa sunt alibi tradita eo stylo. *Extenuatio primùm cutim relaxat, postea verò distendit*, &c.

Ac desperati.] Adducta in sympathiam naturali œconomia, quam sui iam tædet officij, ac signa edit malè gestæ rei in diarrhœa: pus verò phthisici, iam fœdi odoris est, in ignem impositum, petitque fundum aquæ marinæ in eam coniectum: vt iam nulla salus in phthisico sperabilis esse possit, collapsis præsidiis œconomiæ vtriusque, tum spiritus, tum nutricatus; effœta virtute partium spirabilium & nutritiarum, quarum singulari vitio, naturæ commoda in summa incommoda transierunt. Nam loco nutricatus, defraudatio est atque corruptio alimenti, tum spiritus loco viuifici, tabifica respiratio.

Nonnullis.] Quibus fortè substitit expurgatio fœdi ac virulenti puris, vnde spiratio difficilior, & febris intensior.

Ante finem vitæ.] Paulò antè quàm è vita excedant, aut vitam cum morte commutent: quæ commutatio insperata, tam citò accidit, derepente oborto rigore, vt mox dicetur. Ac vitæ finem adfert coniuncta cum extinctione paulatim obrepente, repentina suffocatio caloris vitalis.

Rigor cietur.] Tum ab vlcere sordibus valde oppleto tum a vasis, transfusam ab vlcere puris impuritatem exprimentibus in carnem & cutim, quarum concussione rigor cietur: qui quoniam frustra fit, translationem facit ad cor & ad cerebrum, cum afflictione summa caloris viuifici ad μάρανσιν vsque perducti; ad cuius extinctionem repentè ingruit suffocatio. Est enim sic ratio comparata crebri rigoris, vt homines morbo iam fractos, ad mortem præcipitet. Et verò effœtæ vires, tantam concussionem perferre non possunt. Ac de rigore omni symptomatico, multa sunt alibi disputata, & quæ non est animus huc transferre.

12 Τὰ ἀμυχώδεα ἐξανθήματα ἕξιος σημαίνει.

Pustulata corpora velut ambusta: phthisin ostendunt habitus.

Vel,

Τὰ ἀμυχώδεα ἐξανθήματα φθίσιος ἕξιν σημαίνει.

Pustulata corpora velut ambusta; phthisin confectam ostendunt.

Vtroque stylo vera est instituta prognosis, & appositè scripta ex mente authoris. Nam pustulata corpora, velut ambusta, & habitus phthisin, & ipsam phthisin confectam ostendunt. Ac phthisin quidem confectam, cuius dominatu ad vltima ventum est, pulmonibus purulentè limosis, vt quodam loco scripsit præceptor Exoriuntur autem pustulæ illæ πυελιώδεις, vel ἀμυχώδεις, ex affluxu & collectione ichorum venenatorum & acrium, corporis superficiem erodentium, vel amburentium. Qualis autem subliuida est bulla continua in lingua tumescens, cùm pleuritis funesta est; quæque eam refert, in oleum immersi ferri candentis, vbi multùm interesse vidimus inter linguam bullatam & bile suffusam: tales hoc loco sunt pustulæ phthisicorum ambustæ. Quòd si pectora rubris maculis supersparsa, peripneumoniæ sunt malè habentis mortiferè quos inuasit; non minus periculum inferri testantur pustulæ phthisi exortæ, quarum generatio & origo suprà iam posita est in empyemate inueterato quod proximè ad phthisin accedit. Ἕξιν autem vocat τὴν ἑστῶσαν quæ opponitur τῇ σχέσει; non inchoatæ quidem, sed planè confectæ, & ad extremum perductæ, ac firmiter fixæ & stabili. Quo etiam stylo scribuntur febris hectica, elephantia, leuce, marasmus, & intemperies omnis æqualis. Est igitur phthisis confecta, pulmonis purulentè limosi perfecta exulceratio, cuius τὴν ἕξιν ostendunt corpora pustulata, & bullis, velut ambustis, obsita. Talium autem bullarum causæ adductæ sunt.

Altera lectio est huius prognoseωs de habitus phthisi, quæ nō est febris hecticæ; nec enim phthisis est febris, nec in hac febre, corpora sunt pustulenta: sed phthisis est habitus, vel in complexione partium aspectabilium, vel in earum structura. De complexione, illa sunt imposita. *Prurriginosa corpora, cum suppressa est aluus in phthisicis graue malum.* Est enim miserrima quæ in tabem incidit cachexia. Et, *Si cui sputa salsa, vnáque tussis subibentur, ius rubet corpus velut exanthematis obsitum: sed ante interitum exasperatur.* Hæc enim pertinent ad marasmum & corruptionem partium solidarum. Et verò, quicquid in corporis habitu cauum est, ἢ ἀσύμφυτον, i. incoibile, cuiusmodi sunt interstitia musculorum; vt spiritu repletur in secunda valetudine: sic ichoribus in aduersa, quorū collectione, præter perennem affluentiam à viscerum corruptione, pustulæ toto corpore excitantur erodendo, vel amburendo. De habitu autem phthisiformi ex partium structura & fabricatione ad suscipiēdam phthisin idonea, certum est inde pustulas exoriri posse, vnde ipsa quoque phthisis exoritur, & vnà sæpe incidit diarrhœa: nempè à catarrho quem edit pituita putris & salsa. Tum huius confectæ phthisis consectarias esse potiùs, quàm alterius quæ accidit

à rupta

à rupta vena pulmonis. Hoc stylo igitur legi potest prognosis. *Ambusta pustula, fiunt phthisis illius quæ nascitur ex habitu phthisiformi:* sicut defluuium capillorum, & socia diarrhœa. Longè alia est conditio eius quæ cadit in eas ætates, quæ sunt à 18. ad 35. annum. Hæc enim habitus non est, sed iuuenilis ardoris, & multi sanguinis biliosi; vnde ruptio venæ crassæ pulmonis, & inde phthisis. Descriptio habitus phthisiformis, ad viuum nuper expressa est commentario ad nonam prognosin huius tractatus.

13 Οἱ δύσπνοοι πληρώσει, πολλὰ ἄπεπτα ἀνάγοντες ἐν φθίσει ὀλέθριοι. *malè fuit ξηρώσει.*

10 ***Suspiriosi ex nimia puris abundantia, & cruda expuentes multa in phthisi; desperati.***

EQVIDEM nunquam fastidiosè indicaui de verbis & stylo prognoseon in hoc libro scriptarum: sed religiosè correxi, duce authore, quicquid non esset consentaneum suæ maiestati. Sed facere non possum quin hic dissentiam à lectione vulgata, ac pro ξηρώσει legendum putem πληρώσει. Nam & ξηρώσεως nomen apud Hippocratem nouum est, ac nihil præscribit meditandum hic dignum Hippocrate. Penè dixerim, ineptiæ sunt comminisci σπασμοῦ ἀπόγονον, conuulsionis sobolem in thorace. Hoc fe-
20 brium est acutarum ardentium, nec vllam hîc societatem habere potest cum expuitione multorum crudorum. Et verò dyspnœa omnis partium spirabilium, frequens & parua est, quam edit proprius ipsarum dolor vel inflammatio. Ibi nulla ξήρωσις: verùm angina, pleuritis, peripneumonia, & asthma. Hîc nimia puris abundantia spirationem facit asthmaticam cum horrore. Qua de re illud præceptum est. *Labores horriferi, cum suspirioso anhelitu, signa sunt phthisis*, mortiferæ ex hoc loco. Cur autem mortifera sit, dictum est suprà.

DE HEPATICIS.

30 ΟΙΣΙΝ ἡπατικοῖσι πολὺ πτύαλον αἱματῶδες, εἴτε ὑπόσαπρον, εἴτε χολῶδες ἄχρηστον ὀλέθριον ἰθέως. CAP. XVIII.

1 ***Quibus hepaticis copia est cruenti sputi, eiúsque vel nonnihil mali odoris, vel biliosi meri; citò mortiferum.***

QVEMADMODVM præclarè Hippocrates, non omnia, inquit, iisdem nominibus appellata, easdem vires habere, quamvis non sint æquiuoca; sed quòd eiusdem speciei variæ sint ideæ: sic nominum *lib. περὶ ἀγμῶν.*
40 deriuatio similiter facta ad nomenclaturam morborum & ægrorum qui partium obsessarum nomina sibi adoptant, non semper eandem in omnibus denotat ipsarum partium conditionem, vnde nomina deriuantur. Nam, exempli gratia, pleuritis & pleuriticus, hepatitis & hepaticus; eiusmodi sunt; illa quidem ab inflammatione systrophica lateris; hæc verò, ab hepatis ἀτονίᾳ, sine systrophica phlegmone, quam dyscrasia prægrandis inuexit. Et tamen eorum similis est deriuatio, & similis analogia in deriuando. In promptu sunt Galeni placita super hepaticis, omnia suo quæque loco scribenda in stylo prognoseon, quæ complectuntur omnem hepaticorum formam & speciem, omnésque ipsorum symptomata. Hæc igitur prima lex de signis hepaticorum atque symptomatis sanciatur. Nam scrupulus quem mihi præceptor iniecit de triplici hepatite, contra Galeni placita, per Dei gratiam eximetur, nec animo fixus hærebit donec finem faciam disputationis.

50 QVIBVS HEPATICIS.] id est, iis qui hepatite laborãt; vel quos hepatitis malè habet periculosè. Est autẽ hepatitis, hepatis ἀτονία, i. *exolutio:* hepatis dico ἐκ τοῦ κατορθώματος, i. *è norma & præscriptione* sui proprij temperamẽti & complexionis, procul egressi: atque id sine phlegmone systrophica, & sine scirrho. Quæ ratio egressionis iam demonstrata est suprà. Vt propriè sit hepatitis; exolutio virtutis hepaticæ, ex qua hepatici nominantur. Virtutem intelligo τὴν ἰσχύν, i. *substantiæ ipsius robur*, cuius potentia est ipsa δύναμις, Latinè *facultas* dicta, quæ versatur circa officia partis cuiusque. Ac trium principatuum quorum dominatu regitur ipsa corporis vniuersitas, totidem facultates esse dicuntur; hepatis quidem, nutritia; cordis, viuifica & cerebri, animalis. Hic de nutritia; cuius perditio similiter mortifera est, vt viuificæ facultatis à phthisi: vt paria esse videantur incommoda phthisis & hepatitis. Atque vt vitale officium perit à phthisi descripta: sic ab hepatite nutritium. Porro hepaticæ facultatis ab hepate na-
60 turaliter constituto, in laude est sanguificatio (liceat enim sic loqui per analogiam mitificationis quam Cicero vsurpauit: ne quis momentorum auceps mihi obganniat.) Eaque sanguificandi actio, sicut virtute & integritate perficitur hepatis: ita suscipitur ope & ministerio illarum quatuor facultatũ quæ ab officio nominantur, attractrix, retentrix coctrix, & expultrix. Earúmque omnium, totidémque actionũ, præsidia sunt, hepatis εὐτονία, vasorum libertas, εὐχυλία humorum, vel bona chylosis. Quemadmodum enim, cùm illa tria in promptu sunt, εὐτονία, εὔρροια, καὶ εὐχυλία, optima conspiratione atque

consensu, faculrati cuique actio morem gerit in attrahendo, retinendo, coquendo, & expurgando: vnde sanguificatio ipsa votis naturæ respondet: ita collapsis tribus illis præsidiis, labefactantur auxilia τῆς αἱματώσεως, id est, *sanguificationis*, ac nulla facultas officium facit, omnisque cessat actio, aut certè in vitio est deprauata vel imbecilla: vt est conditio facultatis, meatus, & chyli. Enimvero sicut illorum trium, εὐτονίας, εὐρρώστίας, ἰσχύος consspiratio esse debet, vt inoffenso cursu progressio fiat τῆς ἰσχύος πρὸς δύναμιν, ἢ δυνάμεως πρὸς ἐνέργειαν, i. *virtutis ad facultatem, & huius ad actionem*, vnde perficitur sanguificatio naturæ consentanea: sic eorum discordia concidit triplex illa consensio, actionis non morigeræ facultati, nec huius virtuti & robori principatus. Est quidē virtutis & roboris exolutio, ipsa perditio facultatis; & perditæ huius symptoma, vacuitas actionis. Verùm hæc retro non commeant; vt actionis læsio, sit facultatis offensæ & huius offensio, exolutæ virtutis quam in εὐτονίᾳ ipsius substantiæ positam esse diximus. Exemplo sit hydrops, qui non solùm accidit alienatione facultatis sanguificæ verumetiam impedimento functionis hepaticæ. Pariter enim fit, non tamen similiter, ἡ ἀλλοτρίωσις τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου, i. *alienatio sanguificandi operis*; tam ab impedimento quàm deperditione functionis hepaticæ. Ergo duplex erit generatio hepatitis quæ homines facit hepaticos; vna quidem hepatis impedita functio, altera verò substantiæ ipsius primigenia exolutio. Impeditæ functionis duæ sunt causæ proximæ; priuatio seu deprauatio primæ coctionis; & interceptio distribuendi chyli, quam ἀνάδοσιν Græci vocant: vt iure dici possit interceptio digestionis. Interceptæ ἀναδόσεως ἢ πέψεως, tum autē ἐκλύσεως causæ, tam intrà natæ, quam extrinsecus incidentes, loco dicentur. Planum fit igitur ex his quæ posui, per syntimoriam in vitio esse vicissim & mutuò ἰσχὺν ἢ δύναμιν, ἢ τὴν ἐνέργειαν partim ipsius principatus, partim meatuū, partim humorum. Est autem medici operæpretium, tenere sciēter hæc omnia, ne vnquam fallatur, nec erret in διαγνώσει ἢ προγνώσει hepaticorum Scientiā verò tenebit ex incommodis siue symptomatis, & ex signis quæ cuique apparent & fiunt, cùm perspicientia causarum tam ἐπιγινομένων quàm ἐνυπαρχόντων, i. *ingruentium & consistentium*, foris & intrà. Quæ omnia tempus est propalam explicare. Ac primùm, jam illud verè positum est ac demonstratum, quòd hepatis ἀτονία, i. *imbecillitas* quæ facit hepaticos, causam habet dyscrasiam prægrandem. Est enim consentaneum, vt si robur hepatis, ἢ εὐτονία fundamentum habeat τὴν εὐκρασίαν: imbecillitatem ἢ ἀτονίαν inferat δυσκρασία prægrandis, multùm scilicet a naturali tēperamento egressa in omni genere intemperiei, calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, & ex his compositæ. Nam quòd recentiores quidam medici, omnem ἀτονίαν, vitium esse putarunt materię, non intemperiei; non intellexerunt profectò constare omnia τῇ κράσει, ἢ τῇ συστάσει, i. *temperamento & complexione τῶν συγγενῶν*, i. *humorum quatuor*; ac temperamenti ius esse & imperiu in complexionem, cuius mutatio frequens est ab intemperie. Sed extra oleas hæc. Nunc mentis aciem dirigamus ad scopum. Est igitur δυσκρασία omnis, causa τῆς ἀτονίας. Sed illa dyscrasia, aut primùm & per se cadit in hepar, aut aliunde superuenit. Ac primùm & per se, quæ πρωτοπαθὴς dicitur, i. *primigenia*. Primigenia est συγγενής, i. *congener*, velut parente sata συνήλικ@, i. *coætanea* vel *coæua*: vt in iis qui natura sunt ὑπαλλήλως ... Est autē συναυξής quæ cum ætate simul accreuit, diætę vitio, in victus ratione, & vitæ instituto. Cōgenere dyscrasia, gentilitij iuris est elephantia, & vitulentia; ne longiùs abeam Coæua dyscrasia quam fouet malè motatum hepar, maléque constitutum, in complexione & fabrica; omnis aduersæ parens est valetudinis; frigida quidem, crudore, cacochymia pituitosa, & flatu; calida verò, ardore, putredine, bile primùm flaua, mox atra, & ad extremum marasmo hydropico. Sed dyscrasiæ incremento, quod vitio diætæ infertur, omne genus accidit symptomaticum hepaticorū. Sic Apollonio iam ὑπάλλαγμα ἔχοντι & iam icterico, pessimè fuit ab vsu carnium bubulatum & lactis caprini. Sic pestifera esse dicitur aqua mulsa omnibus ὑπαλλάγχνοις. Nam trium generum hepatitis, primum quidem refert Hippocrates ad bilem atrā, quę autumno potissimùm prorepit ad hepar, ibique stabulando adducit in hepatis primum affliсti sympathiā, vicinas partes & socias Sed alterum genus oriri dixit æstate διὰ τὴν κρεοφαγίας πλείω ἢ οἰνοφλυγίαν, i. *ab edacitate carnium bubularum, & vini voragine*. Sic meritò dici potest dyscrasia συναυξὴς à diæta φαύλῃ ἢ φαύλης: sicut συναυξεῖς morbi sunt qui cum ætate simul increscunt, viresque acquirunt eundo. Quales dicuntur esse podagra & calculus in vesica. Sed satis iam de primigenia dyscrasia quæ cadit in hepar, humores, & vasa; & quæ ἀτονίας causa est, tum ἀπ' ἀρχῆς, tum διὰ τῆς τροφῆς. Supersunt quædam causæ procatarcticæ, i. non intrà natæ, sed extrinsecus incidentes, quæ nouam inferunt dyscrasiam τὴν ἐπίκτητον, parentem, præter supradictam diætam quæ auget πρωτοπαθῆ dyscrasiam. Sunt autem, diætæ olim sapienter institutæ mutatio in φαύλην ἢ ἀκαιρον, profusa narium hæmorrhagia, profluuium muliebre quod vocant ῥοῦν γυναικεῖον: hæmorrhoides licenter proruptæ; licentior etiam phlebotomia; tum balnea intempestiua, & fotus. Hinc summa viscerum labes, quam ὑπαλλήλων φθίσιν veteres nominarūt. Hinc deprauatio, & perditio nutricatus, cachexia, & hydrops. Denique hæc dyscrasia nuper exorta, nec minùs firmiter fixa, quam vetus illa nobiscum sata, coæua, & simul increscens omnino similiter productrix est symptomatum hepaticorum, vt illa prædicta. Nam *quibus hæmorrhagia profusior est: laborantibus inde diebus iis in vitio sunt alui*, quæ feruntur partim liquidis excrementis, partim chylosis. Et, *Ab hæmorrhagia, nigrorum vt faculenti sanguinis, deiectio; praua est: pestifera est etiam cùm prærubra illuuie fertur aluus*. Profluuia autem mulichria saniosa, tum similes dysenteriæ, vt sunt incommoda siue symptomata hepatis in suo sanguificandi munere fatiscentis: ita per syntimoriam, ipsum peius habent periculosè. Sed illa profluuiorum muliebrium incommoda scripsit præceptor in libris περὶ γυναικείων. De balneis autem & fomentis intempestiuis, illud præceptum est; frigida quidem σπασμὸν ... hepatis, vt loquitur Aristoteles, Latinè *crudorem* & velut ... quandam adferre: calida autem νεύρων ἀδυναμίαν, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, γνώμης νάρκην, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας· ταῦτα οἷσι θάνατος, i. *neruorum imbecillitatem, carnium effœminationem, stuporem mentis, hæmorrhagias, lipothymias; hæc quibus mors*. Denique omnem ἀτονίαν hepatis comita-

hist. 13. part 3. 1. prid. lib. acut.

1. lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.

6 Epid. part. 3.

aph. 21. 4.

in aph. prorrh. & Coac in prorr. & lib. 4 περὶ νούσων, lib. 2. περὶ γυναικείων. in problem. aph. 16. 5.

comitatur coloris fœditas, atrophia, & cachexia. Et verò hepatitis primæ color est subliuidus. Secundæ auriginosus. Tertiæ niger. Ac pro dyscrasiæ cuiusque prægrandis idea, facultatúmque, vasorum, & humorum vitio; symptomatum variorum fœtura est, quæ cernuntur in deiectionibus & vrinis, tum in habitu, colore, charactere, & mole. Nam impeditæ functionis heparicæ, non suo quidem vitio, sed alieno; incommoda mox infrà dicentur, cùm ventum fuerit ad hydropem.

Ergo. QVIBVS HEPATICIS.] Quorum hepatitis & ἀτονία, repentè impressa est à vetere dyscrasia hepatis, vel partium vicinarum & sociarum, per quam præsidia collabuntur τῆς αἱματώσεως, cuius labefactatæ in hepatico adolescente signa obseruauit Galenus; excretionem multam proluuiei rubræ, & vrinas, similiter vt est aqua, tenues atque albas, cum febre, quàm stylo Hippocratis [illegible], suo autem [illegible], nominauit. Sed hæc [illegible] hepatici adolescentis, non [illegible] hepaticorum omnium. Sunt enim alia signa & incommoda hepaticorum pro varia, quæ ipsos facit, virtutis facultatúmque dyscrasia, & variarum facultatum offensione: vnde & varia læsio actionum. Nam vt omittam cetera impeditæ digestionis, ἡ ἀναδόσεως, tum vitio attractricis, tum exolutione vel obstructione vasorum; signum est chylosa deiectio: cessante autem coctrice, fit excretio proluuiei rubræ.

COPIA EST CRVENTI SPVTI.] Non quidem similiter vt qui spumantem expuunt sanguinem, dextróque laborant hypochondrio: de quibus extat prognosis: sed quorum exoluta est vis expultrix cum ipsa coctrice; nec rubra proluuie fertur aluus; vnde collectio illa plethorica, cum deprauatæ naturæ impulsu, qua data porta, exitum sibi quærit, facilémque viam inuenit quà exeat per efflationem thoracis, secundum spatia interiora pulmonum. Est enim ratum illud: quòd solita excretio sanguinis, si iure & loco non fiat, aliò cursum inflectit vt exitum habeat. Sic denegata proluuiei rubræ excretio facit hemoptysin in hac prognosi posuam. Nec mirum in syndrome officiorum deprauatorum, extraordinaria signa edi. Est quidem frustratæ sanguificationis, & resolutæ in coquendo virtutis hepaticæ, ordinaria proluuiei rubræ per aluum excretio, cum vrinis tenuibus albis: sed proluuiei suppressæ in hepate vbi gignitur extraordinaria est copia sputi cruenti: sicut mulieri menstruali cui menstrua non respondent, nouum est sanguinem vomendo profundere & extraordinarium.

EIVSQVE NONNIHIL MALI ODORIS.] Cuius fœditatem contraxit cacochylia suppressa in hepatis amplitudine, vbi [illegible] facit denuò caloris natiui: sicut ipsius est soboles, ipsámque nata ostendit, dum ferretur per aluum in rubra proluuie.

VEL BILIOSI MERI.] Accensa multum, & æstu incandescente vi alteratrice, vel etiam rupta hepatis bile, & sursum prorupta: quamvis hæc vomatur potiùs quàm expuatur.

CITO MORTIFERVM.] Quoniam vt in phthisi mortifera est diarrhœa: sic in hepatite & hepatis ἀτονίᾳ, sputi cruenti copia, aut biliosi meri. Nec solùm hæc mortifera est: sed etiam mors ipsa cùm incidit, siue, vt loquitur de diarrhœa, in phthisicis, ipsum τὸ κτείνειν. Causæ in promptu sunt: quoniam vt excrementum illud, signum est μεγάλης κακώσεως; & insanabilis partium nutritiarum, maximè verò hepatis è suo catorthomate omnino egressi, planéque alienati: sic ipsa excretio vires exoluit, cum cita extinctione caloris viuifici.

Cõment. ad aph. 65.4. — Cõac. 46. cap. 16. — lib. 1. [illegible] — lib. [illegible] protrh. 17. [illegible]

2 Ἐφ' ἡπατικῷ τῆξις ἅμα βράγχῳ κακόν. ἄλλως τε κἢν ὑποβλήσσῃ.

In hepatico mala est colliquatio cum raucitate; idque cùm aliàs, tum si tußicula sit.

HEPATITIS & phthisis mutata conspiratio est in ægroti perniciem, atque sympathica earum generatio, hinc inde causas ducentium. Nam hepatitis à phthisi, & huius ab hepatite generatio est: sicut in hac prognosi docetur quæ sic habet.

IN HEPATICO.] Quem fecit hepatis ἀτονία.

MALA EST COLLIQVATIO.] In qua liquuntur partes solidæ, suo defraudatæ genio, & contabescunt, ac signa edunt extenuationis perfectæ in pallore, ac rigida tensione ipsarum. Non enim hic colliquatio est colliquamenti quod cernitur in deiectionibus & vrinis à febre tabifica quæ ardenter acuta est: sed exhaustarum partium solidarum, suo, vt iam dixi, genio defraudatarum, ex perdita nutricatus œconomia, cum febre lenta, & excretionibus importunis. Est autem mala, vt signo & causa. Vt signo quidem: quoniam colliquatio habitus, colliquamentum ostendit principatus nutritij. Vt causa autem: quoniam totus habitus naturali vacat officio, non sine reciproca viscerum offensione. Tum autem vasa impuro & inutili succo distenta, refluxus incommoda multa adferunt ad hepar.

6. Epid. part. 3.

CVM RAVCITATE.] Quam edit arteriæ inæqualitas catarrho imbutæ. Imbuitur autem perenni prolapsu. Perennitatem facit repletio capitis. Repletur autem vaporibus & humoribus qui sursum feruntur & refluunt.

IDQVE SI TVSSICVLA EST.] Quæ signum syllogisticum est catarrhi è faucibus in laryngem, indéque per arteriam prolabentis in ipsum pulmonem, vbi feritate sua (est enim efferus inde natus) exulcerationem facit pulmonis, in cuius edacitate, corruptione, & febre, phthisis ipsa consistit. Vt enim raucitas, inæqualitatem ostendit arteriæ catarrho imbutæ: sic tussis ipsa perennitatem prolabentis catarrhi, quando raucitatem secum habet coniunctam. Quemadmodum igitur in phthisi, hepaticum est aluum ferri liquidis & saniosis excrementis: sic in hepatite, phthisicum continenter tussire cum rau-

citate, vel raucum esse cum proritatione tussiculæ. Ac verum illud est quod posui non ita pridem: Quò plures principatus in vitio sunt, eò res ægri peius eunt. Nam hepatitis & phthisis, alterutra homini necando ipsa per se satis est.

3 Οἱ καθ' ἧπαρ ὀδυνώδεες, καρδιαλγικοὶ, καρώδεες, ῥιγώδεες, κοιλίαι ταραχώδεες, λεπτοὶ, ἀπόσιτοι, ἐφιδρουῦντες πολλῷ· πυώδεα κάτω κοιλίην προΐενται.

Circa hepar dolentes, cardialgici, veternosi, perhorrescentes, aluo turbata, macri, ciborum fastidiosi, sudatiunculis crebri; purulenta per aluum profundunt.

Hic est complexio symptomatum hepaticorum, quæ facit inueteratio hepatitis. Omnia autem nomine afflictorum scripta sunt pro afflictionibus ipsis. Quæ metonymia & eius conuersio, frequens est, vt iam monui, apud Hippocratem: ne quis fœditatem clamet solœcismorum, qui elegantiam sapiunt Hippocraticæ maiestatis.

Ergo. Circa hepar dolentes.] Non quidem, si bene iudico, ab inflammatione systrophica connexarum hepatis partium: sed à collectione humorum, partes vicinas & socias opprimentium, venasque oppilantium: cuiusmodi dolor est hepatitis secundæ. Nam systrophicarum hepatis phlegmonatum natura, distinctio partium, causæ, symptomata, & signa syllogistica, periodi, paroxysmi, & crises, proprium iam & velot dicatum, atque quodammodo consecratum ei cognitioni & scientiæ habent tractatum, Hippocratico planè stylo accuratè contextum. Et verò hic locus est hepatitis & hepaticorum: non autem assurgentium in molem propriarũ hepatis phlegmonatũ. Nam quod empyema hic ait per aluũ profluere, phlegmonem ipsam fuisse non arguit quæ illud fecerit empyema; sæpe enim funditur suppurato intra venas humore, ac sine vlcere partis quam illæ venæ circumfluunt: vt in menstrualibus annotauit præceptor, quas diu malè habuit menstruorum suppressio circum locos, ac tandem pus effundunt per vterum, sæpe omnis exulcerationis expertem. Cætera autem symptomata, nec solius phlegmones propria sunt, nec eius, cùm incidit aut transit in empyema, necessario consectaria, si tantum rigorem exceperis. Præterea quę huic citima est mox explicanda prognosis, acerbissimum ponit dolorem hepatis, quem superueniens febris exoluit: quod certè in phlegmone systrophica locum habere non potest. Quid verò? nonne ab hepatis ἀτονίᾳ, quando ipsum tædet officij sanguificandi, quæ priùs exibat rubra proluuies, pòst nigra & fæculenta effunditur? Sic fæces minutulæ duræ, instar pilularum stercorosarum capræ, abeunt in deiectiones chylosas: sic etiam flauæ & glutinosæ, in rubram proluuiem. Hæc fiunt quando ventum est ad partium alienationem quam intemperies prægrãdis inuexit. Erant quidẽ pilulæ stercorosæ, & flauæ atque glutinosæ deiectiones hepatis multùm & nimiùm alterati. Nunc autem chylosa excretio, & rubra proluuies, sunt hepatis alienati. Sic alterationis transitus esse solet ad alienationem: nisi ἑτεροιώσεως loco fiat partis ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν multùm egressæ. Et cùm ad vltima ventum est alienationis, omni vacat officio principatus, atque dominatu corruptionis regitur œconomia nutricatus. Ibi continenter noua succrescit, & effera cacochymia. Ibi symptomatum perennis est propagatio in socias partes & in vicinas. Est autem propagatio sic.

Cardialgici.] Quos dolnt exercet cordis, quod est orificium alui, sensus acerrimi. Exercet autem à proritatione humoris maligni, qui eò prorepit ab hepatite quam fecit æstate bilis collectio ab edacitate carnium bubularum, & vini voragine. De quibus hæc sunt Hippocratis. Ταῦτα γὰρ πάντα, τὴν τοιαύτην τοῦ ἔτεος ὥρην, πολεμιώτατα τῷ ἥπατι, καὶ χολὴν μάλιστα συνάγουσι πρὸς τὸ ἧπαρ, i. *Hæc enim hepati tum infestissima sunt, & bilem ad hepar adducunt.* Est autem Galeno idem cardialgia in stomacho, quòd καρδιωγμὸς, cuius fundamentum est καῦμα ἰσχυρὸν περὶ τὴν κοιλίαν, i. *ventriculus æstu incandescens*; feruescente scilicet in tunicis eius, bile. Sic cardialgia Galeno in commentario, vel καρδιωγμοὶ Hippocratis in stylo prognoseωs; vomitionem ostendit mox affuturam. Et verò Hippocrates author est dolorifica lumborum mala quæ incidunt ab æstu prægrandi quo vasa lumbaria incanduerunt, & ab oppressione particularis plethoræ, tum etiam micantis arteriæ magnæ pulsu molesto; non rarò cardialgiam excitare; idque, si Galeno credimus, prorepente sero è vasis expresso in aluum, indéque in stomachum vel orificium alui quod sensu præditum est quàm exquisitissimo: proptereàque dicitur αἰσθητικώτατον, ὅτι νευρωδέστατον ὄν, i. *acutissimè sentiens: quia neruosissimum.*

Veternosi.] Καταφορικοὺς hic vocat καρώδεας, qui sunt reuera κωματώδεις. Quid enim differat carus à comate, scriptum est suprà. Hic igitur coma est, sicut in illo. *Hypochondrij tensio cum fastidio, comate, & cephalalgia, fundit parotidas.* Omnis enim repletio capitis, cataphorica & cephalalgica; fundit parotidas. Est autem cataphorica hæc repletio comatosa, non carosa: quoniam carus, symptoma & signum est phantasiæ exolutæ, cuius exolutionis causa est prægrandis frigida intemperies quam acida pituita inuexit. At coma, inclinatio est veternosa, phantasiæ infirmæ symptoma: sicut carus abolitæ. Atque huius quidem comatis causa est repletio capitis, vt iam dixi, cataphorica, quæ soboles est viscerum afflictorum, & impuritatis vasorum.

Per-

Cap. 11. huius 2. lib.
lib. 1. περὶ γυναικ-είων.
Coac. 13. c. 11. li. 2.
lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.
aph. 65. 4.
lib. 3. progn.
prorrh. 37. s. 3. 1. & Coac. 8 & 25. c. 12 li. 2. sent 20
lib. 2. περὶ ἀφορισμ.
Coac. 1. & 2. c. 2. lib. 2.
Coac. 19. cap. 11. eiusd. lib.
prorrh. penul. s. 1.

PERHORRESCENTES] A pure horrifero, de quo iam multa in empyemate; qui locus sufficiet explicando huic simili eius rigori. *sup. cap. 16. huius 2. lib.*

ALVO TVRBATA] Quorum alui, non ita pridem, reddebant pilulas stercorosas, veruecinarum similes; nunc & chylosis feruntur deiectionibus, & rubra proluuie, cum torminibus atque morsu; quod fit alteratione versa in alienationem hepatis; vt ipsum iam sui tædeat officij in coquendo & attrahendo.

MACRI] Nam emaciandi causæ in promptu sunt; principatus vitia in corrumpendo; nulla coctio; nulla digestio; hepatitis venæ, ac cæterarum sanguifluarum impuritas; colliquatio; labores multi; & inueteratio morbi. Sic igitur macie contabescunt, vt eorum facies iam cadauerosa esse videatur: quod extenuationis signum est absolutæ.

CIBORVM FASTIDIOSI] Vnde significatur collapsa facultas appetendi, vel [illegible] ipsa ventriculi. Atque inter cardialgiam siue cardiogmum, & [illegible] hoc interest: quod illa protitationis est: hæc verò exolutionis. Illam excitat acrimonia stimulando: hanc fœditas resoluendo. Est igitur symptoma [illegible], de quo præclarè multa Hippocrates in Epidemiis; præsertim verò in tritæophya febre, & tempestate pestifera. *lib. 1. & 3. Epid.*

SVDATIVNCVLIS CREBRI] Sic enim vertendum duximus, ἱδρῶσι πυκνοῖς [illegible]: vt illud; [illegible], idem sit quod multùm in pluuiis, tametsi minutulis, propter earum frequentiam. Ergo sudatiunculis crebri sunt, in quibus exudat crebrò sudor exiguus, symptoma exolutæ virtutis partium solidarum quando inueterauit iam morbus; sicut idem ab oppressione exprimitur circa initia. De tali sudatiuncula extat illa prognosis. *Crebra sudatiuncula & horroris vicissitudo; pessima, siue mortifera. Nam dum vitam finiunt, empyema ostendunt cum aluo turbata.* Propterea subiecit præceptor. *1. Epid. Coac. 10. lib. 2.*

PVRVLENTA PER ALVVM PROFVNDVNT] Empyemate quidem non collecto in tunica: sed in viscere ipso, & circumfluentibus vasis diffuso. Quamuis autem pus inde fundatur per loca [illegible], lege naturæ (nam cauarum hepatis partium propria est per aluum expurgatio) tamen loco illa sunt, eam ob causam, ex euentu incommoda; quòd noua succrescit offensio nobilium partium, virulentam potiùs quàm purulentam materiam excipientium, vnde labefactatur coquendi vis in ventriculo; distribuendi in ieiuno; & naturaliter excernendi in crassioribus intestinis. Atque ita moriuntur. *Coac. 8. cap. 11. 2.*

4 Τοῖσι ἢ παρ ἐξαπίνης περιοδυνωδέσι πυρετὸς [illegible] λύει.

Meliùs sic in aphorismis.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται, ἄτερ φλεγμονῆς· τουτέοισι πυρετὸς [illegible] λύει τὸν πόνον. *aph. 40. 6.*

Quibus hypochondrij dolor est, sine phlegmone; iis superueniens febris, dolorem exoluit.

CERNVNTVR hîc primùm differentiæ doloris hypochondriaci, quæ vt apparent, sic earum diuersa curatio esse debet. Cernuntur hîc etiam commoda febris quæ finem adfert doloris hypochondriaci: quamuis ea naturæ bellum indixerit. Similiter autem hîc facit, vt illic. *Conuulsionem sanat acuta febris exorta, quæ prius non fuit: quòd si priùs fuerit, exacerbata.* Non enim conuulsionem sanat quæ incidit ab exhausto, vel ab inflammatione neruorum: quemadmodum neque hîc dolorem hypochondriacum, quem inflammatio facit, vel morsus; vt mox dicetur. Singularis est autem Galeni peruicacia, cùm ex hac sententia veterem illam conatur explodere. *Quæ ex hypochondriorum doloribus febres nascuntur; terrifica.* Qua de re nos alibi disceptauimus contra Galenum, cuius disceptationis disceptatores appello viros bonos, medendi & philosophandi peritos. Sed aggrediamur ad lectionem præsentis prognoseos. *Coac. 11. c. 14. li. 2. in procemio ad part. 2. 3. Epid. & in prorr. Comment. ad Coac. 32. lib. 3.*

QVIBVS] In omni diæta cruditati studentibus, in otio, & satietate ciborum.

SINE PHLEGMONE] id est, Sine phlogosi & inflammatione systrophica, quæ in cauo hepatis infert singultum, sitim, & linguæ fucatæ flauo aut viridi colore, scabriciem: in conuexo autem, siccam tussim, difficilem spirationem & circa iugulum dolorem acerbum. Tum autem nulla sensio excitetur morsus molesti, quem ideo prætermisit Hippocrates, & inflammationem solam excepit è censu doloris: quia morsus nomeo, dolorificam vim suam ipsam per se ostendit: proptereáque non dolor, sed morsus vocatur. Testis est illa sententia. [illegible], id est, *Quibus, cum biliosa deiectione, premitur morsu pectus, amarescitque os; malum.* *aph. 40. 6.*

HYPOCHONDRII DOLOR EST] Quem cum exceptione phlegmones atque morsus necesse est fieri, vel ab oppilatione, vel à tensione spiritus flatulenti, vel ab intemperie inæquali. *Coac. 45. lib. 2. & Coac. 14. c. 10. p. 2.*

SVPERVANIENS FEBRIS] Quæ prius non fuit: sed nunc exorta, humoris collecti putredine, doloris acerbitate, atque vigiliis.

DOLOREM EXOLVIT] Quoniã, vt ait Galenus, febrili calore dolorificus humor inciditur, tenuatur, atque digeritur; tũ spiritus flatulenti tensio ipsa laxatur, atque intemperies inæqualis ad temperamẽti·

Coac. 31. c.15. li.2. & aph. 74.4.

æqualitatem reducitur. Eôdem spectat illa prognosis. *Tumores hypochondriorum, sine phlegmone recens obortos, tum inde natos dolores, exoluit borborygmus in hypochondrio excitatus, maximéque si exciderit cum deiectionibus & vrinis, sin minùs, ipse per se traiectus. Iuuat etiam is qui ad inferiora deuoluitur.* Hæc autem prognosis legitur iisdem scripta literis aph. 50.7. Sed melior nobis visa est 40.6. quam secuti sumus.

5 Ὅσοι δὲ ἀφρώδες αἷμα πτύουσι, πονέοντες ὑποχόνδριον δέξιον ἀπὸ τοῦ ἥπατος πτύουσι, καὶ πολλοὶ ἀπόλλυνται.

Quicunque spumantem expuunt sanguinem, dextróque laborant hypochondrio; ab hepate spuunt multique intereunt.

Coac. 46. cap. 16. 2.

OMNIA QVÆ pertinent ad philologiam & philosophiam huius prognoseos, suprà sunt posita ad eandem prognosin, iisdémque verbis à præceptore traditam: sed non eodem scopo, quam tamen adduci non possum vt excolam nouo stylo. Pergamus ad reliqua.

6 Οἷσι καυθεῖσιν ἧπαρ, οἷον ἀμοργὴ ἔρχεται· θανάσιμον.

Quibus inusto hepate, velut amurca prodit; funestum.

Coac. 38. cap. 6. 2. Coac. 47. & 48. eiusdem cap. Coac. 9. c. 11. li. 2. aph. 45. 7.

DEMONSTRATVM est in empyicis, quòd eorum bene res eunt atque confestim seruantur, quibus, rupta vomica, febris discedit, & concupiscunt cibos; ipsum verò pus educitur facilè, album, nihil olens, æquale, & læue. Contrà; ipsos mori quibus, concutiendo, pus editur cœnosum & fœdi odoris. Tum autem, quibus à pure coloratur specillum tanquam ab igne, ipsos non posse seruari. Coloratur autem specillum vulnerarium quod in sinum immittitur, siue in fistulam perusti lateris vnde pus foras exit quod erat in thorace diffusum. Similiter empyema hepaticorum, quod exitum foras affectat, nec fertur per aluum; siquidem, perusto hypochondrio, libertatem habeat exeundi, ac tum in exitu signa edat integræ partis solidæ, vegeti caloris natiui, & humoris morigeri (quoniam id manat è tunica vbi collectum erat, non in viscere ipso diffusum) apparétque omnino quale modò descriptum est; certa spe consolatur medicum futuræ salutis. Sed tamen id fieri posse non arbitror in hepatis ἀνοίᾳ quæ pus edit prauum, in viscere ipso diffusum, non autem collectum in tunica: cuiusmodi nuper effundi per aluum ostendimus. Nisi fortè quis in laude ponat empyema quod fecit doloris acerbitas in hepatico, quam fortis tensio flatulenti spiritus excitauit, vt Galenus author est. Nam à systrophica hepatis phlegmone sic fieri, nouum non est.

Coac. 2. huius c. Comment. ad aph. 50 7.

Ergo. QVIBVS] In hepatico empyemate constitutis quod fecit hepatitis secunda; quæ nec clysteribus, nec purgatione lactis asinini cocti, & mellis, quieuit: nec verò etiam lactis caprini vsu, cum tertia parte melicrati, nec verò concessit lacti equino. Quinetiam cui nihil profuit sanguinem detraxisse incisa vena interiore brachij dextri, nec operam dedisse purgationi post sanguinis detractionem. Intumuit autem magis ac magis hepar, multúmque prominet foris, vt iam vstioni sit locus, quæ sola superest atque restat de tot præsidiis; tum buxeis fusis in oleum feruens immissis, aut etiam fungis, vel nostris pyroticis è calce & cinere culmorum & siliquarum fabaceorum, ex aqua confectis; vstionem moliri oportet. Ac si bene cesserit vstione, sanus euadet, & reliquum vitæ tempus exiget sine labore. Sin minùs, nulla ope remediorum deinceps adiutus, vitam finiet in corruptione. Talem verò exitum fore ostendit pus amurcosum quod manat huiusmodi è parte corrupta, cum pari fœditate odoris atque coloris: vnde nulla salus vitæ sperabilis esse potest in amissione vitalis officij quo fungitur ipsum hepar dum valet natura & valetudinis cura.

DE HYDROPE.

CAP. XIX.

Οἱ δὲ ὕδρωπες οἱ ἐκ τῶν ὀξέων νοσημάτων· ἐπίπονοι γίνονται καὶ ὀλέθριοι. ἄρχονται δὲ οἱ πλεῖστοι μὲν ἀπὸ τῶν κενεώνων καὶ τῆς ὀσφύος· οἱ δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἥπατος.

1 *At verò hydropes illi demum permolesti sunt atque mortiferi, qui veniunt è morbis acutis: plurimi autem nascuntur à lumbis & ilibus: alij verò ab hepate.*

INTER SYMPTOMATA hypochondriaca quæ ipsos malè habent diutiùs & periculosè quos infestant, ne dicam mortiferè, hydrops principatum obtinet mortiferæ contumaciæ atque molestiæ. Sic enim præceptor ait, [illegible] loquitur autem de iis qui veniunt è morbis acutis. Sed aliorum quoque similis ratio est quos diætæ vitia promouerunt, per hepatis alienationem, & per intemperiem hecticam cæterarum partium nutritiarum quæ impedimentum adferunt functi. nis hepaticæ; vt suo quoque loco illæ omnes causæ ponentur. Est autem hydropis tanta calamitas, vt ad illius nomen exterriti homines, toto corpore perhorrescant, ac subinde illud exclament. Dominus meliora. Et tamen perpaucos videas qui seruent leges ipsum arcendi quando in metu est, ac ne abigendi quidem quando aduenit, noturámque oppugnat, ipsam pro certo expugnaturus. Nisi excusatio forte sit accipienda illius cui, cùm aqua interminatum esset, mero liberaliter se inuitauit, quoad vixit, vnde implicitus fuit hydrope. Tum eius quem nobilis quidam medicus apud Antigonum regem negauit posse sanari. Cúmque alter medicus se sanaturum polliceretur, respondit; illum ad ægri morbum respicere, se verò ad animum quod homo esset notæ intemperantiæ. Nec eum res fefellit. Ille enim cùm summa diligentia, non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur: tamen malagmata sua deuorando, bibendóque suam vrinam, exitium sibi quæsiuit. Nullæ sunt igitur leges curandi pro iis qui vitam sectantur voluptuariam, sed pro iis tantùm qui frugaliter viuunt & frugi sunt, atque obedienter se gerunt in medicos benè monentes, benéque præcipientes omnia quæ sunt salutis. Nunc de hydrope ipso dicendum.

Hydropis vel hyderi (nihil enim refert) idea cernitur vel in abdomine, tanquam vtre, distento, vel in compagine vniuersi corporis quod inæquale est, tumoribus aliter atque aliter per totum id orientibus. Distentionem facit abdominis tanquam vtris; vel spiritus flatulentus vnde si mouetur, creber est sonus instar percussi tympani; vel aqua in aluum ipsum contracta, quæ moto corpore ita mouetur, vt impetus eius conspici possit. Sed tamen hydropis nomine omnia prædicta genera continentur: quia communis omnium est, humoris nimia abundantia. Nam siccum hydropem dixit Hippocrates, quem proximo seculo insecuti medici, [illegible] nominarunt. Et quamuis hydropes, aliarum quoque sint partium, vt vidimus nuper in illo. *Orthopnœam faciunt hydropsformes dura*, & sinus capiti sit hydrocephalos, hyderos quoque sinus pulmoni, ac sinus vtero, tum etiam testibus hydrocele: tamen quia similitudo [illegible] *i. vtris repleti*, quæ nomen dedit hydropi, potissimùm cernitur in abdomine, vbi non minùs tympanitem effingit, quàm ipsum ascitem: tum autem quia sonori flatus, potissimùm intra distentum abdomen exaudiuntur, ibique fluctuantis aquæ conspicitur impetus dum mouetur: hydropis antonomasiam sibi vendicat pars illa distenta, cuius distentio similis est vtris repleti, & ab ea similitudine dicitur hydrops, tam tympanias, quàm propriè dictus ascites; vt rectè annotauit Galenus, vbi nos [illegible], legendum duximus [illegible]. Nam commemorata inæqualitas tumorum per totam compaginem orientium, dicitur quidem hydrops: sed [illegible], ex aquæ nimia abundantia quæ communis est omnium, non ex figura ipsa. Nam quod obiicitur, ascitem propriè dici [illegible]; sanè quidem, tum à materia, tum à forma sicut repletus vter, dicitur hydrops; quòd eius teres à distensione figura, penè aspectabilem facit humorem intus conclusum cui excipiendo factus est vter; humorem dico, vinum, mel, oleum, aquam. De tympanite verò quòd dicitur huiusmodi esse à tympano cuius edit sonitum, si pulsetur; est illud quidem verum, à sono sed vtriformis est, vnde hydrops vocatur, & à sonitu quem edit pulsatus intra spiritus, pelle collisis, sicut in tympano, siccus ab Hippocrate nominatur. Atque hæc super philologia hydropis.

Nunc ad philosophiam accedamus. Ea versatur circa essentiam morbi, partem obsessam, causas, symptomata, signa, periodos, paroxysmos, & crises. Ac primùm hydropis essentia, tumor est vtriformis qui cernitur in abdomine multùm distento, vel à spiritu flatulento, vel ab humore intrà stagnante inter peritonæum, & tunicam & intestina. Stagnandæ partis illius ratio mox explicabitur: quemadmodum & hydropis illius quem [illegible] veteres nominarunt. Sed hydropificarum causarum duo sunt genera; vnum, simplex humorum in amplitudine alui collectio; alterum, perennis aquarum, & spiritus flatulenti generatio, & perennis in aluum affluxus. Atque illa simplex & semel contracta in aluum, aquæ collectio, tribus fit modis: nimia potione aquarum, ob inexplebilem sitim à febre, vel ab itinere sub ardenti Sole confecto: præterea febris abscessu: tum à ruptione bullarum hepaticarum quæ [illegible] Græcè dicuntur. Dicendum de singulis antequam veniamus ad perennitatem causarum hydropificarum, quæ propriæ sunt huius prognoseos.

Ac primùm inexhausta potio aquæ cumulatam edit collectionem sui in aluo, facitque hydropem in aluo tractabilem & aspectabilem, si, simulatque pota est, liberali vomitu non excludatur. Ac de huius quidem hydropis natura & causis, hæc ratio fuit Hippocratis. *Si mulier tenetur hydrope, ac lien eius aquarum copia intumuerit; intumescit autem aquosus, cum adueniente febre, nec abeunte, sitis ipsum detinet inexplebilis; quam explere cupiens, sæpe & multùm bibit, nec reuomit. Inde adeo fit vt, de instituto natura, quantum solebat, per vrina ductus abeat in vesicam, & meiendo reddatur. Reliquum, quod multum superest, lien sibi capiat, & à ventre exhauriat, cùm incaluerit rarus natura, spongiosus, & proximè ventrem situs. Quæ cùm ita sint, sin nec sudore diffluxerit, nec aluus profusè fluxerit; tum lien assurgit in molem; eòque magis cùm tam liberalis potio aquæ est: quem si quis attingat pressiore tactu, percipitur mollis vt lana, fortassis etiam cum renixu. Cùm ergo intumuit nimia abundantia saturatus, planéque expletus, redundantiam deponit per venas in corpus, & maximè in omentum, indéque in amplitudinem alui, loculósque, & crurum, diffunditur. Sic enim comparatum est natura, vt alius alia de suo impertiant, cùm quid redundat, nimiúmque est supra vires, vt ampliùs capi non possit. Inde igitur venit hydrops: quando lienis consuetudo est, vt visceris rari & spongiosi, continenter humorem superfluum attrahendi, & redundantiam deponendi, vt dictum est.* Egregia certè, ac digna Hippocrate, philosophandi ratio, quæ ponit hydropis huius naturam in repletione vtris aluini, quam fecit aquarum collectio ex nimia potione, nec vomitu

Cels. cap. 21. lib. 3.

lib. 4. acut.

aph. 12. 4. Coac. 62. c. 16. li. 2. li. 2. & 3.

Comment. ad aph. 12. 4.

Gal. ibid.

nec sudore, nec fluxu ventris exhausti. Hydropicos autem hoc tantum hydrope implicitos, sanari posse arbitror dicta; & ventris compunctione [illegible] Græci vocant : sicut faciendum præcepit Hippocrates. Hi sunt de quibus illud præceptum est. [illegible], i. *Hydropicos flatum facere oportet.* Horum enim sanatio in aquarum vacuatione consistit, quando earum perennitas nulla est. Vt planè ridicula sint triscurria Paracelsi, qui ex hoc hydrope sanabili, omnium sanationem pollicetur. Ac sanè, hydropis huius, qui curationem recipit, pulcherrima descriptio est apud Hippocratem, quam aureis scriptam literis, Latinè sic vertimus. *Oportet eum qui dominatu hydropis tenetur, & tamen superstes futurus est, eòque salubriter defendaturus; primùm quidem visceribus præditum esse bene natura, vt virtus naturæ luctat in coquendo ex facili; tum facilè spiritum ducat doloris expers; totúmque adeò corpus æqualiter suaviterque caleat; nec extima partes liquentur & contabescant. Satius enim fuerit ipsas tumere; prastitutum autem neutrum esse. Nam partes internas, æqualiter esse decet ac molliter constitutas. Nec verò omnium intenta sit aluus sed mollius cula, digitis attrectata. Nulla tussis adsit, nec sitis; nec lingua asperitas, ne à somno quidem, cùm solent hæc tria exacerbari & irritari. Tum cibos lubenter capere, nec satiari admodum, si fortè ceperit liberaliùs. Quinetiam sit aluus morigera, citóque feratur cùm purgationi dat operam. Aliàs verò ducatur mollibus excrementis & figuratis. Vrina autem fundatur, appareátque qualis esse debet pro vitæ instituto, vinóque, quo vtitur, mutatione in copia & qualitate. Exercitationem & laborem ferat alacriter vacuus lassitudinis. Operæpretium fuerit hominem sic in omnibus constitutum esse, vt securitatem consequatur salutis.* Hic silet Hippocrates, iamiam dicturus de altero collectionis modo, qui fit à febris abscessu critico, cuius tamen salutifera non est crisis : quia vires non sunt ferendo hydropi gratissimo inde nato. Ac generationem & ortum eius ita docet præceptor. *Exaustis iam multis diebus, multísque laboribus, & colliquatione assidua; exorti sunt inde abscessus, aut multò maiores quàm vt tolerabiles essent, aut certè minores quàm vt prodessent, sed intrò recurrerent, & ipsos aegrotos peiùs haberent, & periculosiùs. Ac maiores quidem & intolerabiles erant, post longum tempus multísque labores, & colliquationem tritæophyæ febris quæ tunc regnabat, dysenteria, tenesmi, lienteriæ, diarrhææ : quibusdam hydropes.* Ibi Galenus author est, illos hydropes exortos fuisse ob nimiam abundantiam frigidorum & liquidorum humorum, qui, mea quidem sententia, non confluxere ad intestina sicut ij qui prædicta proluuia excitarunt: sed ad lienem, qua ratione dictum est in prima specie collectionis hydropicæ ex lib. [illegible] Sed tamen hoc interest, quòd illa, ex nimia potione aquæ, sanabilis est: hæc verò, ad mortem fatalis: quòd à colliquatione orta sit. Tertia restat ratio [illegible], i. *coacti & cumulati in aluum collecti humoris,* vnde hydrops assurgit, qui non minùs periculosè suum exercet hydropicum, quam is cuius modò meminimus. Ratio autem collectionis hæc est. [illegible] i. *Quibuscumque aqua repletum hepar, ipsum in omentum profundit inde aluus repletur, & moriuntur.* Et tamen Galeni iudicium est, tales hydropicos posse seruari atque sanari: quàm verè & rectè iudicarit, viderint sapientes. Non enim temerè scripsit Hippocrates, mortiferum esse talem hydropem. Et quamuis authoritas viri sufficiat pertinaciæ infringendæ cuiuslibet hominis vel opiniosissimi: tamen ipsa originis perspicientia, quam ex Galeno ipso hausimus, difficultatem maximam curationis ostendit. Nam ortus principia, sunt hepatis bullæ quas vocant [illegible], quarum generatio facillima est in ea, quæ vestit hepar, membrana, Huius verò causa est prorupta, à ruptis bullis in omentum, aquæ collectio; vnde stagnatus venter edit hydropem. Sed earum bullarum quæ assurgunt in hepate, causa est circuntensio à collectione ichorum, vel erodentium, vel amburentium. Quamobrem in vitio est ipsum hepar quod colligit, & ichor qui erodendo vel amburendo, facit hepar bullarum. Ergo maiora sunt incommoda ichoris in omentum prorupti, quàm pluuiarum aquarum stagnantium [illegible] potarum, vt ait præceptor. Solenne est illud, quòd omnia è malis orta, vt eadem quoque sint mala necesse est. Et, pars vnaquæque dum valet bene, spiritu quidem abundat: dum autem male, ichoribus.

Sed hæc sufficiant. Sequitur vt de causis hydropificis hoc loco dicamus, quarum perennis generatio est, & perennis in aluum affluxus. Inde assurgunt hydropes de quibus agitur in hac prognosi. Eorum verò hydropum causa communis est, ac verè hydropifica, [illegible], i. *frustratum opus sanguificandi.* Hoc enim frustrato, seri, pituitæ, & flatuum perennis generatio est, vnde nascuntur hydropes, quorum diuersa illa materies tres edit ideas, [illegible]: quæ nomina, suis quæque proprietatibus distincta sunt in philologia huius tractatus. Sed ea sanguificandi frustratio quanti complector animo, duobus omnino fit modis. Aut enim functionis hepaticæ impedimento accidit, aut alienatione virtutis sanguificæ quæ penes est ipsum hepar. Hepaticæ functionis impeditio cernitur in lienteria, diarrhœa intestini ieiuni, tum in torminibus alui quæ nulla curatione quiescunt, propterea in liene magno vnde lienici nominantur, & in dolorificis lumborum malis quorum anadrome fit ad hepar. De lienteria illud præceptum est; quòd primæ coctionis abolitio, quæ ipsam facit, omnem generando sanguini materiam præripit, vnde frustratio est [illegible]. Huc pertinet aphorismus ille. *Quibuscunque lienosis dysenteria incidit: bene est, si longa non est: longa enim parit hydropem, aut lienteriam, vnde homines moriuntur.* Ad quem locum ita scripsit Galenus. *Vitiatis prauorum humorum transitu intestinis, facultas eorum iacet afflicta, suis labefactatur symmetria caloris natiui, vnde nascitur lienteria & hydrops. Ac lienteria quidem, à solo intestinorum vitio quod serpit ad ventriculum vsque; hydrops autem per sympathiam tum hepatis, tum lienis, atque adeo generis omnis vasis.* Diarrhœa intestini ieiuni, frustratæ signum est [illegible], vnde accidit hydrops: propter interceptam digestionem chyli, & interclusum iter eius ad hepar. Ac diarrhœa quidem fit oppressione & procitatione ieiuni, à copia & corruptione chyli cunctantis. Amplificatio chyli est atque corruptio in ieiuno quia interclusum est iter ad hepar, & intercepta digestio, quam [illegible] Græci vocant. Digestionis interceptæ causa est, ieiuni aut mesenterij phlegmone, quæ facit infirmas venas per quas solebat

[Marginal notes: 6. Epid. part. 7. — lib. 2. prorrh. hic [illegible] — 2. Epid. part. 3. — aph. 55. 7. — lib. [illegible] — Gal. lib. [illegible] progn. — aph. 48. & 43. l. 6. — Galen. l. 3. prognost.]

bat hepar chylum & alimentum sibi attrahere; vt iam contumaces, principi morem non gerant. Atque hæc diarrhœa, potissimùm cadit in eum hydropem qui venit ab ilibus vel à lumbis. Nam de torminibus quę nulla curatione quiescunt, illud sancitum est, quòd transeunt ad siccum hydropem: ob intemperiem hecticam intestinorum tenuium, quorum anfractibus, vt claustris quibusdam, flatus conclusi fremont. Vt enim flatuum illorum generatio, est vera soboles cruditatis: sic eorum in ventre permansio & stabulatio, causam habet collapsam vel deprauatam vim περισταλτικὴν ipsorum intestinorum: quòd scilicet intestina, motu peristaltico naturali contrario, circumcirca fibris rotundis colligant se infernè sursum. Quæ motus deprauatio dicitur εἰλεῶδης, vnde & ileus nomen habet. Est igitur eadem causa hydropis tympaniæ quem siccum dixit Hippocrates, quæ torminum flatulentorum. Amplificatio sola flatuum, distinctionem ponit illorum symptomatum, per vtriformem abdominis tensionem. Magni lienis magna est cum hepate sympathia, iure societatis & vicinitatis. Atque vt officiorum inter se communicatio est, sic vitiorum etiam. Est enim similis partium syntmotia per quam mutuas tradunt operas ad salutem, vel ad exitium. Sicut igitur nimiam humoris abundantiam & hepatis redundantiam excipit, quam in omentum & vacua intestinorum loca deponit, vnde hydrops assurgit, maximè verò ascites: sic eandem redundantiam, qua prior obruitur, facilè ad hepar transmittit; eáque vitiorum communicatio sanguificandi vim labefactat. Magni autem lienis, à bile aut pituita causæ ducuntur. Hippocratis illud est. *Quibus magnus est lien, si quidem biliosi sunt; fœdati multùm apparent, vlceribúsque obsiti quæ difficulter sanantur: tum illis ab ore fœdus est odor, atque macrescunt. Lien verò durus percipitur, manétque sui similis in magnitudine. Sin autem pituitosi, sunt lienosi, nec cibos detrectant, multò minora sunt ea prædicta incommoda, tum lien aliàs atque aliàs maior est.* Ergo in splene affecto, & in totius corporis malo habitu, nascitur hydrops. Similiter lumborum anadrome facit hydropem, vt magni lienes. Vitiorum item lumbarium communicatio cum mesaræo, mesocolo, & intestinis, hydropifica esse solet. Lumborum excursus fit à repletione particulari hæmorrhoicæ venæ & arteriæ quæ adiacent lumbis, cùm nec hæmorrhoides fluunt hæmorrhoicis, nec menstrua menstrualibus, vt solebat. Huiusmodi sunt etiam diuturni circa lumbos & ilia, qui ad hypochondria prorepunt, dolores, tanquam χιτώνια, id est, *qui velut quibusdam vncis instar cuiusdam retis piscarij, quod nominatur χιτών, hypochondria circumplectendo, ipsa quodammodo lamare videntur.* Est enim feritas magna illius excursus qui prorepit è lumbis, ac suorum incommodorum vim magnam ostendit quocumque appulerit, ad cerebrum, ad cor, ad stomachum, ad septum transuersum, vt alibi iam demonstratum est. Magna est etiam vitiorum lumbarium communicatio cum mesaræo & mesocolo, quæ à ligamentis & neruis lumborum oriri docet Hippocrates. Hinc veniunt tormina quæ abeunt in siccum hydropem: quæ ratio hydropifica differetur ad illum locum vbi de hydrope dicetur qui nascitur è lumbis & ilibus. Atque iam patefacta est omnis hepaticæ functionis impeditio quæ frustrationem adfert αἱματώσεως, vnde hydrops.

lib. περὶ παθῶν.

c. 12. huius

2. lib. 6. Epid. part. 4.

Ventum est igitur ad alterā causam frustrati operis sanguificandi, quam positā esse diximus in alienatione virtutis sanguificæ quæ penes est ipsum hepar, dū manet in norma & præscriptione sui proprij tēperamenti, cōpaginis & complexionis. Eius alienationis duæ sunt in vniuersum causæ. Vna quidem ἡ ἔκλυσις, i. exolutio. Altera verò ἧπαρ ὀπτὸν καὶ κατεφρυγμένον, i. exhaustum frictum, vel, vt ita dicam, *frictura retorridum hepar.* Exolutionis causæ omnes dictæ sunt nuper in hepate & hepaticorum historia, quæ tum primigenia impressione cadunt in hepar, tum ipsi accedunt & accidunt per epigenesin vicinarum & sociarum partium afflictarum. Ac primigeniæ sunt quæ dicuntur σύμφυτοι, vel intrà natæ, congeneres & coæquales, σύμφυτοι καὶ συγγενεῖς; vel extrinsecus incidentes diætæ vitiò, in victu & instituto. Sed satis iā de his non ita pridem, ne nauseabunda sit repetitio eorum quorum memoria recens, lectorum & auditorum animis firmiter hæret. Succedit exhaustum hepar, seu frictura retorridū. Exhausti hepatis atque tosti causa est cæcus ignis, vel ardor febrilis, vnde celeriter, continenter, & vehementer febris mouetur. proindéque acuta est, vnde hydropes veniunt huius prognoseos. Atque cæcus ignis fundamentum habet in dyscrasia congenere, velut parentū vitio sata, tum in coæua, quam σύμφυτον Græci vocāt, quæ scilicet cum ætate simul accrescit; tum ea quæ primùm insita, diætam nacta est qua vires acquirit eundo, proptereáq; ἐπίκτητος nominatur. Talis est dyscrasia eorū qui iam μεγαλόσπλαγχνοι à prima cōpagine, sicut Apollonius, dyscrasiæ prægrandis accessionē adiungunt, æstate potissimùm, ἀπὸ τῆς γαλακτοφαγίης καὶ βοείων κρεῶν, καὶ οἰνοποσίης, i. *ab edacitate bubularum carnium, & liberalissima potione vini.* Atque hic cæcus ignis depopulatur hepatis gratiosum humorē, ipsúmque reddit exuccū, quod arescendo fit durū, & è suaue rubenti nigrū aut cinericiū. Sic ab exhausto vis perit sanguifica, & pro sanguine funditur serum aut pituita atri coloris aut cinericij. Interea dum cæcus ignis depopulatur humidum primigenium, antequā incōmoda veniāt marasmi hepatici, depopulatio illa cernitur in atrophia & cachexis hominū morbo regio fœdatorū, in siti & siccitate linguæ fucatæ subuiridi aut flauo colore, tū in febricula quadā nocturna & parū placida mēbrorum quiete. Deiectiones sunt pilulatæ, vervecinarū modo, Vrinæ multa bile saturatæ. Adueniente marasmo, & alienata virtute sanguifica, frustratio est αἱματώσεως: ac tum paulatim hydrops assurgit, perennitate ichoris in alueum confluentis. Confluendi ratio & stabulatio, mox dicetur. Superest causa altera marasmi hepatici, quæ posita est in ardore febrili quo ipsum hepar conflagrat. Enimuero nihil æquè natiuum calorem extinguit atque febrilis ardor. Ac sanè iactura fit maior humidi primigenij septem diebus a febre acuta; quam à calore insito septuaginta annis, vt alio loco iā diximus. Septem diebus vitam is finit, tabifica vi febris consumptus, qui septuagenarius erat futurus duce natiuo calore. Nihil tam citò fatale est ad ictericum, quàm febris acuta, si pestilentiam tantum exceperis. Ergo marasmum facit πυρετὸς febris acuta quæ in hepatē focum habet. Qualem in Hermocrate notauit Galenus ex historia præceptoris. Ac talis marasmus, aut citò mortiferus est, vt in Hermocrate,

Coac. 2. cap. superioris.

aut hydropificus, qualis ponitur in hac prognosi, ortus ab hepate ex morbo acuto. Hîc sanè miserrima est conditio febricitantium, siti ardentium, qui eius non dicam depellendę causa, sed nec leuandæ quidem, pauxillum frigidæ impetrare non possunt à quibusdam superstitiosis. Accedamus ad tribunal veritatis medicæ, cuius edictum est illud solenne. Ἴησις, αἱ τίνεσ ἀντιτείνειν καὶ μὴ συνομολογέειν τῷ νόσῳ, i. *Curatio est, morbo resistere ac pugnare, nec conspirare cum eo.* Deinde subiecit. Τὸ ψυχρὸν, καὶ βοηθέει, ἀπὸ τοῦ θερμοῦ, i. *Frigidum & auxiliatur quibusdam, permúlque omnia quæ sunt à calido.* Et, Ἐν θέρμῃ φύσει ψύξις τὸ ποτὸν ὕδωρ, ἡ ἀνάπαυσις, i. *Præcalida natura refrigeratio est aqua pota, & quies.* Et, Δίψος παύει χεῖλος τὸ στόμα, σιγῶν, ἀέρα ψυχρὸν εἰσάγειν, ὕδωρ ψυχρὸν πίνειν, i. *Sitim sedant, os continere, tacere, frigidam auram ducere & frigidam aquam bibere.* Sed quorsum tam multa de potione? Quia profectò nefas est non explere sitim quę facit marasmum hepaticum. Nam & sitis causa est causi: quoniam venolæ cùm exaruerint, ad sese attrahunt biliosos & acres ichores. Quòd si quis obiiciat, hîc ab hydrope timeri collectionem aquarum potarum; sciat is velim, non tam verendum de collectione hydropifica potarum aquarum, quas vel ipsa febris, vel sudor exhaurit; quàm de ipsarū succrescentium perennitate ab hepatis frixo exhausto, atque marasmo retorrido. Penè ineptiæ sunt, alias comminisci causas perennè hydropificas (nam triplicem illam collectionem excepimus aquarum potarum, ruptarum bullarum, quas nominant ὑδατίδας, & abscessus critici à febre in aluum.) Ineptiæ sunt, inquam, supra Hippocratem philosophari de hydropificarum causarum perennitate, cuius illa duo sunt capita; impeditio multiplex functionis hepaticæ, & alienatio virtutis sanguificæ per αἴθησιν & μαρασμὸν ἀέναον: ex quibus in conspectum se prodit ἀδυναμία τῆς τοῦ αἱματώσεως ἔργου.

6. Epid. part. 5. eiusdem lib part. 4. lib. eiusdem part. 3. lib. 4. acut.

Iam verò quemadmodum hydrops aspectabilis fiat, dicamus. Hactenus de hydropis cuiosque materia, quæque sit illius gignendæ causa & ratio. Nunc operæprecium est dicere quà feratur in aluum, ibique stabulando ipsam faciat vtriformem: tum autem quemadmodum fiat inæquabilitas illa tumorum per rotam compaginem aliter atque aliter orientiū, quæ dicitur ἀνασαρκὸς, vel, vt Celsus vertit, aqua inter cutem; quæ versio huius hydropis tantùm est, non aliorum: quos tamen omnes communi hac voce nominauit. Ac primùm tympaniæ spiritus flatulentus, aluum intentam reddit è loco vbi gignitur & stabulatur. Gignitur autem in tenuibus intestinis, & circa mesenterium in amplitudine alui, ab hecticà intemperie quam partibus illis, lumborum & ilium vitia intulerunt. Vetus est illud. Τὰ μεσάραια νεῦρα ἀπὸ τῆς ῥάχιος ἐπὶ τὴν γαστέρα, i. *Mesocola*, hoc est mesenterium, *è neruis quæ sunt à rhachi ad ventrem.* Hic autem ῥάχιν, per synecdochen, vocat lumbos, quorum tubercula, & luxata, per dysenteriam, non rarò senescunt. Idem non fit in dorso. Ac stabulantur flatulenti spiritus tympanitæ hydropis: quia non habent exitum; ex amplitudine quidem alui, propter peritonæi tunicæ densitatem; ex intestinis verò, propter infirmitatem, vel etiam deprauationem peristalticæ functionis intestinorum: quòd scilicet vt iam posui, peristaltico motu, naturali contrario, fibris rotundis se colligant infernè sursum. De generatione, & flatuum mansione in aluo, Galenus hæc ait. Ἀναγκαῖον εἶναι γαστέρα μὲν ὅλην ἐξαίρεσθαι τῶν ἐντέρων πεπληρωμένων πνεύματος φυσώδους, οὗ μὲν τῆς γενέσεως αἰτία ἡ ἀπεψία, τῆς δὲ μονῆς ἐνδον, ἀρρωστία τῆς περισταλτικῆς δυνάμεως τῶν ἐντέρων γίνεται, i. *Necesse est ventrem attolli, repletis flatulento spiritu intestinis, cuius origo est cruditas: ipsa verò intus permansio, infirmitate accidit peristalticæ facultatis intestinorum.* Sed tamen generationis & mansionis principia causæque ducuntur à lumbis & ilibus, vt præceptori visum est: tametsi flatuum matrix cruditas & intemperies, non tanta est vt aquarum. Ergo iam constat, opinor, ex illo Galeni loco, maiorem esse cruditatem, & intemperiem frigidam aquarum matricem; quàm flatuum: quod humor, sine calore aliquo, in flatulentum aërem mutari non potest. Sed cùm vtriusque hydropis, tam ascitæ, quàm tympanitæ, materia intus conclusa in aluo, repleti vel intenti abdominis, tanquam vtris, formam exhibeat; conclusi quidem flatus, fuit in promptu & facilis apposita ratio. Sed conclusarum aquarum, qui fiat illa conclusio, vnde, & quà veniat ipsarum collectio qua venter in molem assurgit; id verò complecti animo non ita est facile. Accedamus ad Hippocratem, omnium ducem optimum, quem si sequamur, non aberrabimus. *Longa lienosi dysenteria, lienteriam parit vel hydropem.* Hîc sanè lienteriæ & hydropis idem subiectum videri posset, intestina scilicet quæ in vitio sunt; maiore quidem, in lienteria; minore verò, in flatulento hydrope. Est enim maior lienteriæ huius intemperies, quàm tympanitæ. Sed tamen ibi Galeno visum est, lienteriam esse consectariam longæ dysenteriæ, à solo intestinorum vitio; hydropem verò per sympathiam, tum hepatis, tum lienis, atque adeo generis omnis venosi. Ex quibus efficitur; non, sine sympathia lienis atque venarum, hydropem nasci ascitem, vndecunque labefactetur symmetria caloris natiui, iaceatque virtus effœta sanguificandi. Vt enim per mesentericum ramum, fertur in alueum intestinorum, proluuies rubra quam fundit hepatis ἀτονία: sic eadem, per splenicum ramum, effunditur in lienem, indéque in omentum, & inde in amplitudinem alui, quæ est inter peritonæum tunicam & intestina. Sic enim comparatum est natura, vt aliis alia de suo, quod redundat, impertiant. Ac syntimoriam ipsi iam vidimus hepatis & lienis, eámque attigimus. Atque vt in nimia potione aquarum, si tantum vesica excipit quantum solebat; quod reliquum superest, superest autem multum, lien sibi attrahit, cùm incaluerit, rarus natura, & proximè ventrem situs; indéque cùm intumuerit, saturatus nimiúmque expletus; redundantiam suam deponit in omentum, & in loculos alui. Sic in perenni generatione proluuiei rubræ, ab hepatis μαρασμῷ καὶ ἀτονίᾳ, cùm nimia est abundantia circa hepar & venas, nec ea proluuie fertur aluus; ibi tum venit hydrops ascites, quando & hepar seipsum exonerat in lienem, & ea lienis consuetudo est, tamquam visceris rari & spongiosi, humorem superfluum attrahendi, & redundantiam deprimendi, vt dictum est, de more institutóque partium, in loca vicina. Ac fuit illud iudicium præceptoris, omnem ascitem nasci præeunte, vt ita dicam, liene; contra, eundem vitari & abigi diarrhœa cruditatis experte, vt infrà dicetur. Est quidem fons idem, eadémque causa hepaticæ dysenteriæ, vel proluuiei rubræ & hydropis: sed varia inclinatio

6. Epid. part. 4. — lib. 2. περὶ ἄρθρων. — lib. 2. progn. — Ibidem — ad aph. 11. 4. — aph. 43. 6. — Ibidem. — lib. 1. περὶ γυναικ. — Ibidem.

inclinatio, diuersitatem adfert symptomatum & incommodorum. Atque vt finem faciam, & breui complectar quæ super his dici possunt; repetam illud quod recensui in catalogo hydropificarū causarum. Est autem hic aphorismus. *Quibuscunque aqua repletum hepar, ipsum in omentum profundit; inde aluus repletur.* Ecce repletio hepatis ex aquarum nimia abundantia, quas ipsius genuit ἀτονία, easdémque suppressit. A suppressione oppressio ipsarum, expressionem attulit in omentum, inde oppressum pariter: similiter autem vt hepar ipsas exclusit, aluus excepit, cuius repletio ipsa est hydrops ascites. Non enim occulti sunt aquæ ductus per quos effunditur in amplitudinem alui. Nunc de hydrope qui aqua dicitur inter cutem, ἀνὰ σάρκα Græci vocant, [illegible]. Atque hic quidem hydrops cernitur in tumorum inæqualitate, per totam compaginem aliter atque aliter orientium. Est igitur forma huius hydropis, ἡ καχεξία vniuersi corporis, quæ primùm apparet in pedibus: quòd illi procul absunt maximè à partibus calidissimis. Cachexia hæc venit ex cacochymia sanguinis pituitosi, quam hepatitis vena impertit singulis hæmorrhoidibus venis, per totam compaginem distributis: quemadmodum hæ rursum expletæ, cacochymiam, velut per [illegible] quandam, effundunt & euomunt in venas minores, carnibus & cuti affixas nutriendi causa. Ibi deprauata nutritio est quoniam nec appositio fit, nec assimilatio illius cacochymiæ, quæ non καθ' ἕλξιν, vt naturaliter suscipitur ipsa nutritio, sed κατ' ὦσιν, id est, *appulsu*, ad nutriendas partes accedit ipsásque opprimendo malè habet, quas nullo modo reficit. Hinc spiritus abit interuallorum carnis, & pro eo replentur ichore illo pituitoso, ipsáque interualla minimè coibilia, sicut Hippocrates vocat [illegible], glutinoso mucore nunc inter se coëunt & confunduntur. Hinc tota cutis tumida est atque turgida, quæ pressa digito, statim subsidit, mox inde consurgit. Est autem huiusmodi, obrupta pituitoso sanguine, veriùs quàm nutrita. Ex eodem fonte confluit pituitosus hic sanguis, quo humor ascitæ hydropis. Est autem fons ipsum hepar quod sanguinis vbertatem mutauit in aquas, & pituitam. Iam explicatæ sunt causæ aquarum. Sed nimia pituitæ abundantia, causam habet suffocationem caloris natiui quæ in propinquo est. Periculum suffocationis positum est in oppressione. Oppressionis autem causa est ipsa suppressio, vel hæmorrhoidum solitarum in hæmorrhoicis, qui sunt eiusmodi complexione, temperamento, atque diæta; vel menstruorum familiarium in menstrualibus. Hæmorrhoidum verò vel menstruorum intelligo, sursum ad fontem refluentium, id est, ad hepar, quod [illegible] esse dicit Hippocrates, ipsúmque quodammodo sua copia obruentium. Ergo hydrops venit à suppressione sanguinis, vt ab eiusdem profusione. Vetus est illud, [illegible], id est, *quòd ex hæmorrhagia hydropes fiunt.* Atque ex perspicientia prædictæ causæ hydropificæ, maiores nostri ad leucophlegmatiam inchoatam, detractionem sanguinis consultò præscripserunt, quam cæteris hydropum generibus interdixerunt. Ad inchoatum dixi: quoniam iudicium est præceptoris, ipsum planè fieri vetustate [illegible] i. *illud studere atque moliri, vt fugari non possit.* Ac de illo quidem illud præceptum est. [illegible] i. *Si cui leucophlegmatia implicita fortis superueniat diarrhæa, morbum exoluit.* Hic pensum meum absoluisse videor super causa formali cuiusque hydropis. Quid superest igitur? Vt eorum hydropum supradictorum symptomata exequamur, periodos item, paroxysmos, & crises. Quæ omnia, quoniam de iis institutæ sunt prognoses hic positæ, in recensione & examine singularum loco dicentur.

Ergo. AT VERO HYDROPES.] Ac si diceret: quoniam hepaticorum consectaria sunt hydropica. Illud enim significat particula, δὲ, quæ instituti præsentis è proximo consecutionem ostendit. Nec tamen hydropes attingit quorum causa est hepatis [illegible] quæ facit hepaticos: sed eos qui sequuntur proximè morbos acutos, ob eam causam sic nominatos: quia celeriter, continenter, & vehementer mouentur. Huiusmodi sunt febres quæ nominantur [illegible], & quarum excrementa sunt [illegible].

Ergo. HYDROPES.] Quorum iam forma expressa est in ascite, leucophlegmatia, & tympanite.

ILLI DEMVM PERMOLESTI SVNT.] Symptomatum vehementia quæ cernitur in dolore, iactatione, siti inexplebili, difficultate spirandi, febre, vigiliis, cum fœditate coloris.

ATQVE MORTIFERI.] Causæ hydropificæ contumacia inexpugnabili, & hydropicorum symptomatum calamitosa vi. Nam hydropifica causa est hydropum hîc descriptorum, non simplex aquarum collectio, sed earum perennitas; vel à marasmo retorridi hepatis; vel ab intemperie hectica frigida nutritiarum partium. Atqui omnis frigida intemperies nata ex ardore febrili, est insanabilis: quoniam à priuatione habitus denuo comparari non potest. Symptomatum autem prædictorum acerbitas; & succrescentium causa est incommodorum, & vires exoluit, calorem natiuum suffocat per translationem ab hypochondriis ad præcordia, denique omnia tollit officia, tum vitalia, tum naturalia.

QVI VENIVNT E MORBIS ACVTIS.] Tum κατ' ἀπόστασιν, i. *per abscessum*; tum κατ' ἐπιγένεσιν, id est, *per propagationem* morbi, & alterius impressioné. Nam si per abscessum oritur morbi acuti, sicut è tritæophya febre oriri narrat Hippocrates, natura non erit ferendo hydropi grauissimo: proptereáque talis abscessus maior esse dicitur à præceptore, quàm vt perferri possit. Sin autem per epigenesin oriatur, maior inde fiet incommodorum accessio. Nulla enim quæ per sympathiam incidunt symptomata; leuationem adferunt primigeniorum malorum. Et, [illegible] i. *E morbis qui alter superuenit alteri, non rarò mortiferè habet ægrotum.*

PLVRIMI AVTEM NASCVNTVR E LVMBIS.] Tum per epigenesin lumbarium vitiorum, secundùm neruos ipsos qui à lumbis exorti constituunt mesocola; tum per comminationem febris acutæ quæ focum habet in vena & arteria prægrandi lumborum.

ET ILIBVS.] Ab intéperie frigida hectica tenuiū intestinorū, spiritu flatulento fœtorū, vel à ieiuni phlegmone quæ digestionis officium adimit venis meseraicis, nec sinit esse morigeras hepari attrahēti,

ALII VERO AB HEPATE.] Frustrato sanguificandi opere;tum propria ipsius ἀτονίᾳ,tum scirrho atque marasmo,tum suffocatione caloris natiui ex nimia effluentis sanguinis abundantia.

2 Τοῖσι μὲν οὖν ἀπὸ τῶν κενεώνων καὶ τῆς ὀσφύος ἀρχομένοισιν· οἱ πόδες οἰδέουσι, καὶ διάρροιαι πολυχρόνιοι παρακολουθοῦσιν, οὐ λαπάσσουσαι τὴν κοιλίην, οὐδὲ τὰς ὀδύνας λύουσαι τὰς ἐξ ὀσφύος καὶ κενεώνων.

Ergo quibus hydropes à lumbis & ilibus ortum habent; iis tument pedes ac diarrhœa longa est quæ nec prætumidum ventrem adæquat, nec ipsos lumborum & ilium dolores exoluit.

CVM OMNIS,qui per se incipit,grauis est hydrops;tum verò grauissimus, qui morbo alteri,tam acuto,quàm vetusto superuenit; imprimísque quartanæ omnium vetustissimæ. Siue autem per se incipiat , siue morbo alteri superueniat;certum est ipsum vel ab hepate , vel à lumbis & ilibus ortum habere. Ac lumbaris quidem & iliaci primùm hîc signa ponuntur,atque incommoda siue symptomata.

ERGO.] Patefactis hydropum sedibus vnde nascuntur , & vbi subsistunt ; sequitur vt signa & incommoda eorum ponantur,quæ sunt huiusmodi.

QVIBUS HYDROPES A LVMBIS ET ILIBVS ORTVM HABENT] id est,Qui à mesenterio,vel,vt scripsit Hippocrates,à mesocolo lumbigena,vel ab intestinis iliacis principia causásque ducunt,per earum partium inflammationem,vel intemperiem hecticam frigidam quæ a lumborum vitio serpit ad illas, ibique firmiter fixa hæret. Nam vitiorum lumbarium magna esse solet communicatio cum gentilitiis partibus,vicinis item & sociis. Ac denique lumborum vitia, nullam partem corporis sinunt expertem sui; sicut demonstratum est alibi. Et verò multa iam diximus de iis quæ pertinent ad materiæ procreationem,& ad formalem causam hydropis cuiusque,lumbaris atque iliaci.

Coac.14. c.12. lt.2.

IIS TVMENT PEDES.] Non quidem dum reapse manet morbus acutus : sed cum in vetustatem incidit per μετάπτωσιν,ac tum nomen solû retinet morbi acuti,quod olim iure habuit,naturâ verò amisit. Primùm igitur pedes tument antequam sparsa sit tumorum inæqualitas, alibi quoq; orientium; nec verò tument vt in phthisicis à ξηρασίῃ, quæ toto diffusa corpore,primùm apparet in pedibus: quòd illi procul maximè absint à principatu & fonte viuifici nectaris quod in corde situ est , indéque corporis vniuersitatem viuidam reddit : sed quòd pituitosum sanguinem primi excipiant; quem præ natiua & aduentitia intemperie,frigida, meliùs mitificare non possunt & quòd laborant ex paupertate spiritus & caloris viuifici,in languida viuacitate, propter longinquitatem partium calidarum , sanguine abundantium, & propinquitatem ipsius cruditatis quæ vnica matrix est τῶν ὑπερσαρκωμάτων, è quibus assurgunt hydropes hoc loco descripti , qui à lumbis & ilibus ortum habent. Ergo sic pedes intumescunt primi omnium totius compaginis: quemadmodum iidem primi omnium refrigerantur in paupertate & interceptione vitalis caloris. Nam primæ omnium manus,vel extimi digiti, sensum exhibent perfrigerationis in eiusdem caloris tentatione vi febris ardenter acutæ, vt alibi annotauimus ex 1. lib. τῶν ἐπιδ. Est igitur primum hoc signum hydropis iliaci: quamvis commune sit aliorum quoque hydropum. Distinctio tamen ponenda in tempore tumoris exorti,vt loco dicetur.

2.lib.in historia febrium.

AC DIARRHOEA.] Profluuium alui quod continenter fit liquidis excrementis, ac sine cruditate ciborum quam lienteria fundit sine doloris molestia,tum sine cruenta deiectione quam cum torminibus exprimit dysenteria. Sic enim differentiæ statuuntur illorum trium profluuiorum alui.

1.Epid. part.2.

LONGA EST.] Quia non fit humore in aluum prorupto; vel è toto corporis habitu per venas ad hepar (sic enim per aluum,corporis vniuersitas expurgatur,vt etiam per vrinas;) vel è capite,vel è nutritiis partibus ad intestina proluuiem deponentibus. Ac talis diarrhœa non est τοιαύτη οἷα ὁρμωμένη λαύρως καὶ ἰσχυρῶς,vt scribit Hippocrates de dysenteria quæ dicitur αἱματώδης Tum sæpe critica est fugax illa,& exigui temporis diarrhœa, profusè peracta; idque cùm aliorum morborum qui homines periculosè habent,tum verò hydropum. In promptu sunt illa. *Si cui leucophlegmatia implicito fortis superueniat diarrhœa,morbum exoluit.* Et, *Si quis dominatu hydropis tenetur,per venas aqua profluente in aluum,sanatur.* Hic diarrhœa longa,est toto genere symptomatica. Est autem huiusmodi perenni generatione profluentis humoris, & perenni affluxu. Perennitas ortus posita est in phlegmone intestini ieiuni, & contumacia mesaraicarum venarum : propter quæ mala ipsum hepar suo non potest fungi munere attrahendi. Sic intercluso itinere,chylóque in anfractibus ieiuni concluso & ilei;tandem accessione grauitatis à pondere;& proritationis à chyli corruptione ac bilis morsu;claustra laxantur:nec duce vi expultrice,penè collapsa, excrementis chylosis bile multa fucatis , continenter & rapidè fertur aluus. Est igitur symptomatica omnis excretio qua minimè vacuantur quæ vacuari prodesset : ac tantùm abest vt affligentis mali aliquam leuationem adferat, vt contrà ægrotum maximè damnis augeat. Talis est illa diarrhœa quam à melicrato meraciore, biliosis potissimùm, accidere narrat Hippocrates. Eius verba hæc sunt Latinè conuersa. *Enimvero biliosa excrementa,spumātia,tum saturata magis quàm decet,magísque feruida,melicratum merum ducit potiùs quàm bene dilutum.* Ac talia quidem excrementa,alia quoque inferunt magna incom-

Ibidem. lib.4 περὶ ἄρθρων. aph.29. 7. aph.15.6. lib.3. περὶ διαίτης ὀξέων.

incommoda. Non enim extinguunt hypochondriorum ardorem: sed multò maiorem accendunt, faciúntque vt penè conflagrent incendio. Tum verò iactationem artuum, & intolerabile adferunt ægris fastidium. Præterea in transitu, sedem & intestina exulcerant. Quæ mutatio est diarrhœæ in dysenteriam iuxta illud. Ἐν ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, *i. Sincere deiectioni dysenteria superueniens.* Et, ἐκ διαῤῥοίης δυσεντερίη. *i. Diarrhœæ dysenteria accedit.* Sed nimium mihi diu verba fecisse videor super symptomatica diarrhœa. Nam symptomaticæ huius calamitatis illa sunt quæ sequuntur.

QVAE NEC PRAETVMIDVM VENTREM ADAEQVAT.] Sic enim rectè videor expressisse illud Hippocratis, οὐ λαπάσσει τὴν κοιλίην. Significat enim verbum λαπάσσειν, id quod intumuerat, & in molē accreuerat siue tumorem, ad pristinam æqualitatem, vel ad ὁμαλὲς, siue ad amussim adducere partis circumiacentium. Ac pristinæ in aluo æqualitatis illud est. Δεῖ δὲ [illegible] λαπαρὴν [illegible]: vbi Galenus τὴν λαπαρὴν opponi scribit intento nimium atq; repleto ventri quem naturaliter esse decet in mediocritate positum tensionis & contractionis. Sed æqualitatis restitutæ, partis quæ intumuerat, ad ὁμαλὲς vel ad amussim vicinarum circumiacentium, vt cætera omittam quæ multa leguntur apud Hippocratem, solennis est illa prognosis. Τὰ παρ᾽ ὦτα λαπάσσει βῆχια [illegible]. *i. Parotidas æquant tussiculæ ortæ cum ptyelysmo.* Ac similis operatio est in peragenda æqualitate partium tumidarum quando illæ dicuntur λαπάσσειν, ὁμαλίζειν, [illegible]. Sed tamen hoc interest, quòd in τῷ λαπάσσειν, si tantùm exceperis vnum locū, vera est redintegratio partium è sua mole naturali, contra naturā, vlteriùs egressarum, idque per amotionē causæ vnde facta est illa egressio. Sed in verbo ὁμαλίζειν declaratur æqualitas insidiosa, repentè adueniens. In [illegible], leuatio insidiosa quidem, sed lenta & sera æqualitate quæ cùm ita sint; diarrhœa hæc symptomatica ideo nō adæquat ventrem prætumidum: quoniam perpetua amplificatio est causæ hydropicæ quæ continenter inde succrescit vnde fit diarrhœa, nempe ex irrita cōtentione visceris in opere faciundo, is in sanguificando. Est autem irrita operatio: propter contumaciam venarum digestionis, qua defraudatur chylo in sanguinem conuertendo: Vt eadem planè sit causa frustratæ operationis sanguificæ, & symptomaticæ huius diarrhœæ. Frustratur sanguifica operatio, materia sanguinis intercepta. Eius interceptio, accedente grauitatis pondere, & proritatione, intestinis etiam fatiscentibus, commouet diarrhœam qua ventris prætumidi atque distenti causa non tollitur: sed contrà augetur accessione perenni aquarum & flatuum succrescentium, frustrata operatione sanguifica. Quæ sanè frustratio; est hydropum omnium veluti matrix quædam.

NEC IPSOS LVMBORVM ET ILIVM DOLORES EXOLVIT.] Quia tensionis laxitatem non adfert, tensionis materiam vacuando: sed auget potiùs, apponendo. Nec verò dolorificum ieiuni malum foras excludit: sed eius incommoda tantùm ostendit & exhibet. Quinetiam intemperiem hecticam tenuium intestinorum, procreatricem flatuum, tantùm abest vt eximat, vt ne symptomata quidem ipsa foras exire faciat: sed peristalticæ functionis vi languida vel deprauata, spiritus flatulentos intra conclusos, exitu omni prohibeat. Hinc magna doloris accessio esse solet. Hinc magnum hydropis incrementum.

SCRIPSI *hanc prognosin è prognostico. Nam Coaca visa est mihi mendosa & imperfecta: cuius correctio & perfectio, hinc repetenda erat.*

3 Ὁκόσοισι δὲ ἀπὸ τοῦ ἥπατος οἱ ὕδρωπες γίνονται, βῆχές τε καὶ θυμὸς ἐγγίνεται αὐτέοισι, καὶ οὐδὲν ἀποπτύουσιν ἄξιον λόγου, καὶ οἱ πόδες οἰδέουσι, καὶ ἡ γαστὴρ οὐ διαχωρέει, εἰ μὴ σκληρά τε καὶ πρὸς ἀνάγκην. καὶ περὶ τὴν κοιλίην γίνεται οἰδήματα τὰ μὲν ἐπὶ δεξιά, τὰ δὲ ἐπ᾽ ἀριστερά, ἱστάμενά τε, καὶ καταπαυόμενα.

Sed quibus ab hepate sunt hydropes, & vnà tusses adsunt, & crebra incessit tussiendi cupiditas, & commemorabile nihil extussiunt, ac pedes tument; tum aluus non deiicit nisi dura atque coacta. Quinetiam circa ventrem assurgunt œdemata, partim dextra; partim sinistra; quia modò consurgunt, modò subsidunt.

EST QVIDEM communis omnium hydropum causa & veluti matrix quædam, frustratum opus sanguificandi. Sed operationis frustratæ, in promptu sunt mala, quæ tum a lumbis & ilibus, tum verò ab hepate ipso principia causasque ducunt. Ac de lumborum & ilium vitiis hydropicis, & signis eorum, tota est proximè scripta prognosis. Nunc de hydrope dicendum hepatico, cùm scilicet proprio hepatis vitio, non alieno, frustrata est sanguifica operatio.

aph.23.7. aph.74.7. progn. Coac.3. c.4.lib.2. part.2. sect.4.6. Epid. Gal. comment. ad prorrh.

Ben quibus.] Hydropicis, & vtriforme abdomen gerentibus.

Ex hepate sunt hydropes.] Quos edit aquarum collectio, amplitudinem alui replentium; quas hepar fundit alienata virtute sanguifica, idque per marasmum retorridum, quem febris impressit ardenter acuta, nec tamen tam citò peremit; aut quæ per ἀκρίτως acutæ vetusta est, vt quartana; vel etiam per suffocationem caloris natiui, & scirrhum, ex copia sanguifluorum illuc refluentium. Nam hepatis ἀτονία è dyscrasia frigida & hæmorrhagia, quamuis hydropifica, hîc non habet concursum descriptorum signorum atque symptomatum.

Et vna tusses adsunt.] Vnà posui, vt omnis tollatur suspicio eius tussis de qua scripti sunt illi aphorismi. τοῖσιν ὑδρωπιῶσι βὴξ ἐπιγενομένη, κακόν. i. *Quibus hydropicis, noxæ tussis accidit; graue malum.* Et, ὑδρωπικὸν ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστος. i. *Hydropicum si tussis malè habet, desperatus.* Eiusmodi enim tusses, mortem subesse breui testantur, quando ad vltima ventum est ipsius hydropis, & ad extremum perducti. Sic enim Praxagoras author est, epigenesin fieri grauiorum symptomatum in morbis grauissimis. Hic ponitur illa tussis quæ comes est hepatici vitij quod facit hydropem. Accidit autem concussione thoracis atque pulmonum, quam ciet, non quidem prolapsus catarrhi sed inane studium anacatharseos, cuius opinionem facit proritatio diaphragmatis ab exudante sero, & quodam ichore maligno ex hepate, cui superpositum adiacet diaphragma. Idem quoque facit prætumidum hepar quod suo appulsu multum opprimit diaphragma, vnde pulmones similiter in angusto esse videntur, vt si catarrhi copia obruerentur: proindeque non minùs contendunt expedire se & explicare tussiendo ab illa molestia, quàm si materia esset quædam expectorabilis, cuius expectorato liberantur, & liberè aura fruuntur. Sed hi frustrà id moliuntur per tussim, vt mox dicetur.

Et crebra incessit tussiendi cupiditas.] Idque tam sponte uostra, quàm morbitam scilicet instinctu quam electione. Dictum est de instinctu. Cernitur autem electio hydropicorum in tussiendo, dum student comparare pulmonum libertatem, extussiendo id quod eos redigit in angustiam quæ adimit beneficium liberæ spirationis. Sed illa tussiendi contentio atque studium breui cessat, quia est irritum, non secus atque illud, deglutiendi crebrò in laxitate vuulæ. Frustra enim deglutiendo certant qui sic laborant.

Et commemorabile nihil extussiunt.] Nisi fortè quidpiam paucum ac tenue quod sudatiunculæ instar exudat, & quod in summa tussiendi contentione exprimitur in arteriam, & inde in fauces, quod nullam adfert leuationem. Sed eum ichorem qui exudat ex hepate, propter summam ipsius tenuitatem, fumidus cordis vapor suis velut manibus complecti non potest, neque per bronchia sublatum ad bronchum adducere, & ad fauces. Nec verò tumor hepatis, quod, opprimendo septum transuersum angustiam illam parit ipsorum pulmonum, atque spirandi adimit libertatem, vlla tussiendi contentione, ac studio, extussiri posse videtur, nec dolorificum illud malum foras exire.

Ac pedes tument.] Oedemate illic oborto à sanguine multùm pituitoso, cuius incommoda primùm apparent in pedibus, natura & situ, omnium frigidissimis, qui, vt longissimè absunt à fonte viuifici nectaris, atque à commercio partium calidarum: sic non ita procul à domicilio cruditatis, quæ sua sponte prolapsa deorsum in pedibus tandem subsistit, ibique tumorem facit œdematosum, ipsis non modò non benè assimilata, sed ne apposita quidem benè. Nam eius hydropis quem suffocatio infert caloris hepatici atque sanguifici, ex muliebrium sanguifluorum, & hæmorrhoicorum refluxu ad hepar γινόμενος; tum eius qui nascitur à vetusto ictero vel à quartana per longam consumptionem humidi primigenij, eius, inquam, hydropis, vel eorum hydropum signa multò antè sunt in albo & molli pedum tumore, quàm in abdomine vtriformi, quæ forma est verà cuiusque hydropis. Ac tumor ille sursum prorepit sensim à pedibus ad malleolos, indéque ad crura & ad ilium ossa, tum ad lumbos & ad ventrem, vt mox dicetur. Secus fit in vero ascite quem genuit [illegible], à febre acuta. Huius enim ad summum perducti, propagatio est pedum & crurum tumor, sicut hydrocele testium. Atque tum hydrops ille quando ad vltima ventum est, [illegible] habet sursum tussiferam in thorace; deorsum verò in artus, œdematosam. Erit igitur pedum tumor hydropicus, in quibusdam [illegible], in aliis verò [illegible].

Tvm alvvs non deiicit.] Hoc signum syllogisticum est, atque, vt ita dicam, character hydropis hepatici, non secus atq. diarrhœa prædicta, iliaci. Aluus autem nihil deiicit: quia nec irritatur corruptione chyli, nec suppressione tanta opprimitur. Deinde hic fæces naturali carent vehiculo, id est, humore quem hepatis phlegmone prorsus exhaurit. Tum intestina, proritatione illa non gaudent, vt solebant deiectionibus ipsis dicata, quam bilis edit per folliculi meatum effusa. Quæ ratio inhibendæ atque sistendæ fæcis, communis est omnium ictericorum: cuiusmodi sunt tales hydropici.

Nisi dvra.] Velut pilulatæ fæces caprarum, quæ [illegible] nominantur. Huiusmodi autem sunt: quia diutiùs cunctantur in aluo: & quia, exhausto caloris cuiusdam ignei, dura redduntur perusta.

Atqve coacta.] i. Non sua spōte: sed medici artificio ipsam cogentis ad excernendū. Ac talis difficultas excernendi cum fæcibus duris planè ostendit nutritiarum partium œconomiam in vitio esse caloris & siccitatis. Hinc partium illarum sicci dicuntur morbi: sicut & sicca pleuritis, in sputi vacuitate: & sicci morbi venarum & arteriarum, in asperitate linguæ & cutis squalore, vt alibi docet Galenus in explicatione siccorum morborum. Sed excrementorum talium, ac deiectionum forma & ratio continetur in illo prorrhetico. κοιλίαι [illegible], σμικρὰ δὲ μέλανα [illegible] χαλῶσαι [illegible]. i. *Suppressæ alui, nec nisi pauca quadam nigra, fæcis caprarum instar laxantes, idque coactè, malum.*

Qvin etiam circa ventrem assvrgvnt oedemata.] Verbum hîc Græcum retinui

retinui potiùs quàm Latinum, *tumorem*: quòd illa sint vera œdemata, sicut à recentioribus vsurpantur ne quis existimet tumorem dici hoc loco, illum repleti supra modum vel intenti abdominis vniformem, qui vera formam & ideam exhibet ipsius hydropis. Hîc enim circa ventrem assurgunt œdemata: sicut primùm in pedibus assurgere diximus, idque κατὰ τὴν αὔξησιν tumoris œdematosi, qui sensim prorepit à pedibus ad crura & ad ilia, indéque ad ventrem, pro cruditatis accretione, partiúmque, vbi subsistit, succedanea refrigeratione, &, quasi ordine quodam, consectaria suffocati caloris hepatici atque sanguifici.

Partim dextra, partim sinistra.] Vt est inclinatio tumidorum pedum & crurum κατ' ἴξιν dextræ aut sinistræ: tum vt pars alterutra ventris incommoda percipit suffocati caloris.

Qui modo consistunt, modo subsidunt.] Ac si diceret. Est quidem tumida cutis atque turgida toto corpore hydropicorum, vt quæ nutricatum capessit à sanguine pituitoso, quæ appressa digito, statim subsidit, & mox consorgit. Sed tamen non statim vnà cum [illegible] acutorum morborum, cutis intumescere consueuit. Nam turgidi sunt primi omnium pedes ipsi: quia longissimè absunt à partibus calidissimis. Inde symptoma illud paulatim conscendens, transit ad ventrem, ipsúmque totum occupat, similiter paritérque affectum, i. turgidulum atque tumidum, sicut pedes; vt in eo digitorum vestigia imprimantur, appareátque fossula quæ mox consurgit. Atque illud est quod præceptor ait, circa ventrem nasci œdemata modò consistentia, modò subsidentia. Quamvis hæc etiam dici possint de ortu primo eorum, vbi circa initia modò aluus tumescit, modò residit; ac tandem in tumore manet, neque residit ampliùs. Hæc sunt Galeni.

[lib. 2. progn.]

4 Ἐπὶ τοῖσι ξηροῖσιν ὑδρωπιώδεσι, τὰ στραγγουριώδεα μοχθηρὰ· φλαῦρα δὲ, καὶ τὰς μικρὰς ὑποστάσιας ἔχοντα.

In sicco hydrope, stranguria praua est: ac praua quoque vrina, quæ hypostasin habet exiguam.

Seqvitvr, vt posita distinctione hydropum trium ex causis & signis, quæ [illegible] Græci vocant; deinceps dicamus de iis, quæ in singulos cadunt, symptomatis. Ἐπιγινόμενα sunt cuiusque hydropis ad summum perducti, suáque incommoda huc illuc quoquouersum propagantis, idque nulla leuatione partium afflictarum: sed contrà maiore afflictione, non earum modò quæ in sympathiam adducuntur; sed illarum etiam quæ primum laborare cœperunt. Sic enim comparatum est, vt in epigenomena grauiorum morborum, non minùs ostendant calamitatem partium ipsa propagantium, quàm partibus ipsis, quà feruntur, & vbi excipiuntur, calamitosa sunt. Vetus est illud. Ὧν γὰρ κατὰ συμπάθειαν γίγνεται παθημάτων, τούτων οὐδὲν ἔστι λύειν τὰ ἐξ ἀρχῆς πάθη. i. *Earum quæ per sympathiam oriuntur affectionum, nulla omnino est quæ primigenia mala exoluat.* Omnia autem τὰ ἐπιγινόμενα veniunt per sympathiam: cùm scilicet priore morbo, non solùm superstite, sed multùm adducto; nouus quidam alter accedit, non autem succedit, vt fieri solet in [illegible]. Cùm igitur τὰ ἐπιγινόμενα sint eius morbi, qui tantùm abest vt aliquid de suo concedat, vt contrà magis ac magis ingrauescat, virésque, vt ait ille, acquirat eundo, tum ipsa quoque oborta, grauiorum malorum accessionem adiungant, terrifica sanè videri debet omnis hydropum, alioqui per se mortiferorum, epigenesis. Atque imprimis crudelissimæ stranguriæ, quæ hîc docetur cadere in siccum hydropem.

[Gal. ad sent. 10. lib. … aphor.] [aph. 11. 7.]

In sicco hydrope.] Cui quidem morbo, similitudo veris intenti nomen dedit hydropis: adiunctionem verò habet siccitatis, & siccus nominatur à flatulento spiritu, quo nimium aluus intenditur. Aliter quoque dicitur τυμπανίας ἢ τυμπανίτης: quia, similiter vt tympanum aliquod, sonitum edit: pulsato intrà spiritu, quando pellis alui colliditur. Hunc sapienter Hippocrates verus dictator, ex causæ hydropisicæ, i. flatus, perspicientia, siccum vocauit in Aphorismis, vt iam posuimus in philologia trium hydropum. Idem choleræ nomen adiectiuum dedit, quam spiritus acres flatulenti excitarunt. Sic enim ait. Χολέραι δὲ ξηραὶ, ἡ γαστὴρ πεφύσηται καὶ ψόφοι ἔσω. i. *Sicca autem cholera aluus inflata est, atque intrà soni exaudiuntur.* Sed tamen hydropis sicci alia consideratio esse potest in hac prognosi, vt eò siccitas illa spectare videatur, quòd maneat siccus hydrops, de quo ne minimum quidem decidit in stranguria. Sic enim sicci dicuntur morbi, vt vidimus in sicca pleuritide, quorum vacuatio nulla est, nec vlla leuatio, si quid aliunde foras edatur. Nam siccus est hydrops, manétque suo statu, vel etiam crescit in symptomatica diarrhœa, quæ dolorificum vel hydropisicum, malum foras non edi: sed intus inclusum esse testatur. Denique in omni vacuatione qua morbi causa foras non exit, sed intrà subesse ostenditur; siccus est morbus, de quo verendum, donec à pepasmo humescere cœperit.

[aph. 11. 4. Coac. 1. huius c. lib. 4. … Coac. 3. c. 16 lib. 2. lib. 2. progn. & Coac. 2. huius c.]

Ergo. In sicco hydrope.] Qui est eiusmodi; aut propria specie, & idea, vt τυμπανίας; aut qui nihil concedit de suo, nec vlla ex eo deducitur portio causæ hydropisicæ. Vtrumque sapit [illegible] præceptoris, vt mox videbitur.

Strangvria.] Vrinæ stillicidium, quod contineoter, quasi guttatim, exprimitur: cuius expressionis tam crebræ & exiguæ causa est, vesicæ imbecillitas, tum ab intemperie, tum à tumore aliquo, vel acrimonia ipsius vrinæ, tam à renibus, tum à venis; in vesicam ipsam deductæ. Quò fit vt stranguria omnis posita sit vel in morbo, vel in symptomate ipsius vesicæ. Atque hîc stranguria vtriusque, & morbi, & symptomatis, opinionem facit. Ac morbi quidem, intento nimium aqualiculo, qui, non diffi-

[aph. 58. 5.]

mili ratione, opprimendo cogit vesicam ad meiendum, qua prætumidum hepar diaphragma; indéque in angustiam redactum pulmonem ad tussiendum. Sic editur stranguria crudelis in calculo, cuius oppressione, tam crebrò vesica concutitur ad eum excutiendum: sed frustra conando, ex ea concussione frequens vrina meiitur stranguriosa. Tum illa oppressio multùm intenti aqualiculi, vesicam non sinit vllius inflammationis expertem, nec intestinum rectum, cuius tamen vitio vesica non trahitur in sympathiam ad stranguriam, nisi prægrande sit vitium illud, teste Galeno, cuius verba hæc sunt. Οὐχ ἁπλῶς ἕπεται ἑτέρῳ δυσπαθοῦντι πάσχειν ἀλλὰ τοῖς ἐξαιρέτοις κατὰ μέγεθος. Hæc igitur strāguria quæ morbo vesicæ fit ab hydrope per sympathiā propinquitatis; non dubium est quin, accretione hydropis, terrifica sit, & meiendi molestia corpus infirmum faciat cum accessione grauiorū malorum quæ veniunt à dolore. Symptomatica autem stranguria, id est, quæ accidit symptomate ipso vesicæ, non morbo, vel quam vesica edit, non suo quidem vitio, sed alieno; sæpe finem adfert grauissimorum morborum. Talis illa fuit de qua hæc scripta sunt. *Inter signa omnia fuit vnum vtile maximúmque, quod multos à maximis periculis liberauit, quibus in stranguriam mutatio facta est, eóque abscessus conuersi sunt.* Hæc fuit propria iis quos diu multúmque tritæophya febris iam exercuerat. Sed alia est hydropicorum stranguria, quorum hydropes à ieiuni phlegmone, vel à torminibus, ortum habent, Nam vnde sunt homines ileosi, non rarò etiam fiunt stranguriosi, & contrà quamvis Galeno parum id placeat. Sed placitum est præceptoris, quod non sine iudicio & experientia positum esse arbitror, nec ratum, nec homini sapientissimo persuasum: vt spero me alias demonstraturū si Deus voluerit, cùm ea de re suo agetur loco. Ergo si ex eodem fonte stranguria incidit vbi fit ileus, & ibidem hydrops ab eadem causa exurgit; cómoda erit stranguria, si fiat per metaptasin hydropis per quam hydropifica causa liberè foras exeat: declarat id ipsum leuatio. Incómoda autem per διάδοσιν propagata, quæ, vt iam posui, dolorificum malum foras non edunt, sed ipsum intus inclusum esse testantur. Argumento est incrementum hydropis, & maior molestia quàm solebat.

aph superiore, & 17.7. — 1. Epid. part. 1. — aph. 44. 6. & in Coac. infrà.

Prava est.] Signo & causa. Vtriusque ratio patefacta est in historia stranguriæ, suprà hîc posita. Sed vt complectar breui quæ fusiùs dicta sunt. Praua est quidem stranguria vt signum: quoniam symptomatica est per propagationem hydropis in quo summa sunt omnia symptomatum hydropicorum. Ac tantùm abest vt adiumentum adferat leuationis, vt incommoda multa inferat: proptereáque causam obtineat prauitatis. Non enim fugax est, vt critica illa prædicta quæ profuit Thasiis ad febrem tritæophyam: sed πολυχρόνιος, id est, *diuturna*, & molestissima, quæ, sicut dolor omnis, acerbitate sua & vigiliis facit corpus infirmum, & vnà corruptionem adiungit humorum. Hinc febrium ortus & paroxysmi, omniúmque penè malorum prodoctio.

Prava est autem quæ paucam habet hypostasin.] Ac si diceret; hoc signum est syllogisticum atque certissimum argumentum stranguriæ, non quidem naturæ, sed merito morbi susceptæ, quam nec perirrhœâ vrina fundit afflictatum partium expurgatio: quòd vrinæ nulla sint prędita hypostasi, aut perexigua. Quo nomine hypostaseωs, non debet intelligi nec fingi animo illa quæ ad crisin apparet febrium acutarum, læuis, æqualis, & alba: sed albuminea, crassa, γονοειδές, i. *genituralis*, quę speciem & ideam præ se fert genituræ humanæ, per quam exoluuntur ferè hypogastrici omnes morbi à pituita: non rarò etiam conuulsiones ac febres quæ sunt natura vetustæ. Atque huius hypostaseωs descriptio est in illa historia Thasiorum, de quibus hæc scripta sunt à præceptore, Περιῤῥοῖαι δὲ οὔρων πολλαὶ ξυσματώδεες, πυώδεες, στραγγουριώδεες. i. *Circumfluebant multis vrinæ abradētes, puriformes, stranguriosæ.* Deinde subiecit. Οὐ νεφριτικὰ ἀλλὰ ἄλλων ἀντ' ἄλλων. i. *Nō erāt nephriticæ: verùm his pro aliis alia.* Quod est eiusmodi ac si diceret, Tales vrinæ non vitio renum fluebant, nec ipsius vesicæ: verùm per μετάστασιν, atque, vt ita dicam, διάδοσιν partium superarum implicitarum morbo, & se humore morbifico exonerantium. Talis est illa hypostasis de qua in conuulsione sic legitur. *Quinetiam prodest, vrinam fluere albumineam.* Talis & illa de qua illud memoriæ proditum est ab Hippocrate. Ἐν Περίνθῳ τὸ γονοειδὲς τὸ ποιοῦν, ἢ τὸ κείμενον, καὶ τὸ ἔργον τὰ τοιαῦτα· ἔπει αἱ οὐρήσιες φύονται ὅταν ὑπὸ φύσιος πολλὰ, ἢ τὸ ὑπογαστρίου πολλὰ γλίσχρα διαλυθῶσιν, ἐδόκει κρίσιμον. i. *Perinthi vrina genituræ similis, vel ipsum genituale quod cernitur in vrina, tale nobis visum est, quale criticum quippiam esse solet. Et verò talia sunt hypogastriorum, quorum vitia tumorifica tollunt vrinæ, cùm illa nec multo flatu, nec multo stercore glutinoso resident.* Nam vt absoluam; enæoremata genituralia, vt in febre acuta mortiferè apparent: sic in vetusta, pituitæ ostendunt purgationem. Nec verò mirum videri debet vrinas reddi stranguriosas & genituræ similes, per expurgationem pituitæ à mesenterio & intestinis: quando huiusmodi sæpe feruntur in conuulsione per μετάστασιν à neruis ad venas: sicut a venis ad neruos non rarò fit μετάστασις, vnde incidit tremor atque delirium. Atque mirari desinet qui attentè legerit & intellexerit hunc aphorismum Hippocratis. *Quibus inter ventrem, & septum transuersum prolapsa est pituita quæ facit dolorem, nec exitum habet in aluum alterutram; his conuersâ per venas ad vesicam pituitam, malum exoluitur, siue sanatur.* Ibi Galenos docet, egregios naturæ conatus, qui vulgò miraculis apponuntur in molienda & absoluenda vacuatione cuiusque humoris morbifici.

1. Epid. part. 2. — Coac. 15. c. 14. li. 2. — 6. Epid. part. 2. — 1. Epid. & aph. 31. 7. — aph. 26. 6. aph. 32. 7.

5 Τοῖσιν ὑδρωπιώδεσιν ἐπιληπτικὰ ἐπιγενόμενα, ὀλέθρια, ἀλλήλων τε σημείων μοχθηρῶν, καὶ κοιλίας καθυγραίνουσι.

Hydropicis quæ superuenit epilepsia, funesta. Cùm enim signa hæc mutuò certent inter se maleficentia: tum verò profusiores faciunt aluos.

Ex eo-

Ex eodem fonte molta oriri symptomata nouum non est: quando ἐπιγένεσιν grauissimorum morborum varia esse solet. Atque vt idem fons multos fundit riuulos: sic idem morbus multa symptomata epigenomena, quoquo se verterit & cursum inflexerit eius perennitas. Ac ne longum faciam, lectorémque obruam multis exemplis quæ theorematis huius catholici veritatem ostendunt; paucis absoluam, eo contentus quod ponitur in hac prognosi epigenomenon graue ipsius hydropis. Est autem epilepsia quæ nouè incidit in hydropicos, quorum, & ipsi, vnde nomen habent, hydropes, per epigenesin oriuntur.

Hydropicis] Ὑδρωπώδεες, i. qui speciem & formam gerunt hydropis in abdomine vteriformi per ἐπιγένεσιν lumborum & ilium, vel in prætumidi, nimiúmque turgidi totius corporis inæqualitate, à nimia sanguinis ad hepar refluentis abundantia, ipsúmque calorem sanguificum suffocantis.

Epilepsia] Iniussa corporis vniuersi conuulsio cum læsione sensuum atque mentis, quam edit cerebri proritati contractio, mox inde spinalis medullæ, & inde neruorum omnium, motui atque sensui præfectorum. Atque hæc quidem conuulsio epileptica, non est neruorum, conuulsificam intra se causam habentium; videlicet repletionem aut siccitatem: sed vnius tantùm principij, hoc est cerebri, deprauato accidit motu, non vitio artuum contractorum: vt cætera omnia quæ incidunt genera partium conuulsarum: earum dico quarum iniussa contractio est, non simplex collectio. Simplex autem collectio est illarum quæ, à paralysi oppositarum & antagonistarum, ipsæ sua sponte, non nostra, principium versus colliguntur. Sed olim multa diximus de conuulsione. [cap. 14. huius 2. lib.]

Quæ superuenit] Per epigenesin causæ hydropificæ, vel ipsius symptomatis, vnde proritati cerebri, & ea proritatione multùm afflicti, contractio est, non autem concussio: qualis edi solet quando ipsum potens est ἐνδυναστεύει, & proritantis causæ. Hic autem labascit, ac dominatu regitur illius causæ malignæ, cuius appulsu contrahitur. Sed ille appulsus fit primùm per ἐπιγένεσιν causæ hydropificæ quæ tum à lumbis & ilibus, tum à reflexu sanguinis, olim per sedem vel vterum profluentis, ortum habet. Deinde verò per propagationem symptomatis ipsius hydropici. Ac de lumbarium vitiorum propagatione vetus est illud. *Diuturni circa lumbos & ilia, tum qui ad hypochondria prorepunt dolores cum febre & cibi fastidio, si fortiter inde ad caput transierint; crudeliter illi conuulsifico modo necant.* Non dolorifica lumborum mala quæ propagantur ad ceruices & ad caput, vicissitudinem adferunt conuulsionis & paralyseos. Atque in ea vicissitudine, grauissimorum morborum tempora exiguntur. Sed tamen Galeno visum est, credibilius esse, natam ex anadrome lumborum paraplegiam tolli oborta conuulsione. Quid verò? nónne huc spectat etiam illa prognosis? *Ex dolorificus lumborum mali excursu, oculorum peruersio, graue malum.* Possem hic ego plura ex Hippocrate ad hunc locum adferre: sed hæc sufficiant. De sanguifluorum autem muliebrium, & hæmorrhoicorum refluxu ad hepar, vnde hydropes, siquidem vltra fiat eorum propagatio; in promptu sunt illa symptomata epileptica. *Qui statis temporibus sanguinem profundunt, si careant eo beneficio, nec ampliùs loco profundant; vitam finiunt epileptici.* Nam & Hippocrates inter symptomata quæ veniunt ex puerperiorum excursu, commemorat σπασμὸς ἐπιληπτικός. Nam hystericarum ferè comes est conuulsio epileptica, fugax tamen & facilis, sine febre; non quia proritando potiùs quàm exhauriendo fit, vt posui: sed quia fugax eius causa, sicut & suffocationis hystericæ. Hic autem fixa est firmiter quæ facit hydropem. Ex quo efficitur, propagationem penè infinitam videri, αὐτῶν τε ἐπιγινομένων καὶ τῶν ἐπιγιγνομένων, i. *propagantium & propagatorum inde malorum.* Nam quæ in hydropicos incidit epilepsia, & causæ ipsius propagantis hydropem, & propagati hydropis symptoma est epigenomenon. Nam & hydropico symptomati superuenit epilepsia, non minùs quàm ipsi causæ hydropificæ: quoniam in hydrope stabulum est corruptionis quæ facilè, cerebrũ lacessendo, consecutionem adfert horrendæ illius epilepsiæ; idque tum appulsu venenatæ cuiusdam auræ, tum translatione malignæ hydropis cacochymiæ: sicut vidimus in Comitissa Grueriana. Ac talis epilepsia mox vertitur in apoplexiam mortiferam & insanabilem. Sed aliàs multa scripsimus de malo epilepsiæ quod magnum ab Hippocrate nominatur.

[Coac. 19. c. 12. li. 2. & prorr. 8. f. 3. 1. prorrh. 26. f. 3. 1. Coac. 10. c. 12. li. 2. & in prorrh. Coac. 10. c. 13. li. 2. & prorr. 39. f. 3. 1. Coac. 3. c. 14. li. 2.]

Cum enim mutuo certent inter se maleficentia] i. Cùm mutuò se afficiant, mutuásque tradant operas in ægri perniciem, vt alibi scripsit Hippocrates, συντιμωρέουσιν ἐς τὸ κακόν: quoniam syntimoriæ maleficæ causa est ipsa epigenesis, quæ, vt ita dicam, par pari refert ei morbo & loco vnde propagatio ipsa fit, ipsúmque cumulatè auget malis atque damnis ægrotum. Nota sunt illa præceptoris quòd malè orta, pessimè ipsos habent quos inuaserunt. Et, τῶν νοσημάτων ὅ, τι ἂν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ ἐπιγένηται, ὡς τὰ πολλὰ ἀποκτείνει, i. *Quorum morborum alter superuenit alteri; maximam ille partem interimit.* Et, quo plures principatus in vitio sunt, eò res ægri peiùs eunt. Est autem epilepsiæ tanta, vt sic dicam, atrocitas, vt nulla vis naturæ maior αὐθεκάστως possit inferri, quàm ab ea infertur. Est enim regina conuulsionum, quæ omnes per iniussam contractionem natæ, crudelissimæ sunt. Ac demonstratum est alibi, quòd illa demum symptomata citæ mortis, ac iamiam venturæ argumenta sunt & causæ ipsæ, quæ cum signis effœtæ naturæ, offensionem ipsi quoque inferunt intolerabilem. [c. 14. huius 2. lib. lib. de diæt. acut. lib. de locis. lib. de morb.]

Tum vero faciunt profusiores alvos] Per ἀτονίαν ventriculi quæ accidit per sympathiam cerebri epileptici, cuius maleficium illud est, vt iniussus contrahat seipsum versus partes illas quæ nostra sponte, i. προαιρετικῶς, & iussu nostro mouentur: eas verò exoluat quæ sua sponte, i. αὐτομάτως, non nostra, opus quæque suum faciundo, vitæ inseruiunt conseruandæ; vt ventriculus, coquendo & appetendo, intestina, distribuendo & excernendo. Atque hoc profluuium alui, non est criticum hydropi sanando; vt esse iam diximus illud de quo hæc scripta sunt à præceptore. *Si cui leucophlegmatia implicito fortis incidat diarrhœa, morbum exoluit.* Et, *Si quis dominatu hydropis tenetur, per venas aqua profluente in aluum; sanatur.* Sed est omnino symptomaticum lientericum, & soboles cruditatis. Atqui mox infra dicetur; diarrhœam hydropis criticam, esse debere omnis cruditatis expertem. Hic autem [Coac. 9. cap. 14. 2. aph. 29. 7. aph. 15. 6.]

cruditas & lienteria, ortum habet ex eo quod omnia cerebri vndecunque afflicti mala, cum stomacho facilè societatem ineunt: idque vel vna generis similitudine, qua νευρώδης ἄτε omnium esse dicitur, propterẽaque cerebri omnium συμπαθὴς ἄτε. Non igitur inde facta profusior aluus, hydropico vllum videtur adiumentum adferre: sed maximam potiùs noxam atque damnum ingrauescentis hydropis, & virium collapsarum. Quicquid enim morbum auget, fouétque, & vnà corpus facit infirmum, desperationem adfert salutis. Ac tam nocenter hydropicum afficit hæc lienteria, quàm pleuriticum illa diarrhœa quam esse dicit Hippocrates αὐτὸ τὸ κτεῖνον, i. *illud ipsum quod perimit.* De qua, vt iam diximus, hæc scripsit Galenus. Γίνεται μὲν γὰρ τὸ τοιοῦτον σύμπτωμα, ἐπ' ἀρρωστίᾳ τῆς δυνάμεως, αὐτὸ τε πάλιν ἀρρωστίαν ἐπιφέρει.

lib. 2. περὶ ἀρθρων. — lib. 2. περὶ νούσων. — Cõment ad aph. 12. 5.

6 Ἐν τοῖσι χολώδεσι κοιλίη ταραχώδης διαδιδοῦσα σμικρὰ γονοειδέα, μυξώδεα, καὶ πόνοι περὶ ἦτρον ἐμποιέοντα, καὶ οὖρα οὐκ εὔλυτα ἰόντα ἐς ὕδρωπα ἀποτελευτᾷ ἐκ τῶν τοιούτων.

In biliosis aluus turbata quæ pauca exhibet similia genitura, atque mucosa, & circa hypogastrium dolorifica, nec vrinæ faciles in meiendo; ex talibus desinunt in hydropem.

IBI OEMVM hydropes in metu sunt, vbi causarum hydropificarum est concursus, maleficentia inter se pariter concertantium ad generationem hydropis. Sed in biliosis, causarum est concursus ad hydropem, quibus appareẽt & fiũt quæ scripta sunt in hac prognosi. Quod sic aggredior ad demonstrandũ.

IN BILIOSIS] Qui sunt eiusmodi temperamento, habitu, & diæta, i. victu & instituto, quod ἀνατροφὴν Græci vocant. Ac temperamento quidem, qui hepate sunt calidissimo, & hepatite turgida sanguine bilioso. Habitu verò biliosi hoc loco ponentur, quos οἷος ἦν ὁ huiusmodi esse narrat Hippocrates; quorum exempla leguntur apud Galenum in Paulo rhetore, & Eudemo philosopho, qui tamen ταπεινὸς ἄτε erat temperamento. Sed illi tota compagine pituitoso, ac bile sursum refluente, astrictior erat aluus, crebra vomitio biliosa. Huic verò biliosæ deiectiones: vomitio bilis nulla. Biliosi autem diæta sunt, instituto quidem, qui in labore, & animi contentione, sæpe irarum æstu fluctuantes; ac suum defraudantes genium, corpus conficiunt. Victu autem, seu victus ratione, bilis abundat in iis, proptereáq; sunt biliosi, de quibus hæc scripsit præceptor. Ἀπὸ τῆς κρεοφαγίης βοείων κρεῶν, καὶ ἐξ οἰνοφλυγίης ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θέρεος, ἡ χολὴ πλεονάζει. ταῦτα γὰρ τὸ ἧπαρ μάλιστα πολεμοῦσι, καὶ ἐπισπᾶται τὴν χολὴν, καὶ χολώδεα τὸ χρῶμα ὅμοιον ἐστὶ τῷ ἴκτερι, i. *Ex bubularum carnium edacitate, viníque immodica potione, idque potissimum æstate, color est similis malicorij. Omnia enim prædicta, sunt hepati eo tempore infestissima, bilémque adducunt & sistunt ad hepar.* Sic Apollonio facta est bilis accessio, natura iam bilioso, editáque sunt exempla intemperantiæ. Ergo IN BILIOSIS] Temperamento, habitu, atque diæta: quorum biliosa natura atque conditio, cum ætate accreuit simul, eáque συγγενὴς à prima complexione atque compagine, facta est συνήγωγος καὶ ἐπαυξής; idque potissimùm constanti ætate, quo tempore ad summum perducta est.

lib. 2. περὶ φύσιος. — lib. 1. περὶ διαίτης. — ibid. & in arte parua. — lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. — hist 13. part. 3. 3. Epid.

ALVVS TVRBATA] Cuius egestio crebra est, cum torminibus atque morsu. Sic enim Galenus τὴν ταραχὴν alui describit, vnde dicitur ταραχώδης. Verba Galeni hæc sunt. Τὸ εἰς τὴν κοιλίαν συνελθὸν, εἶτα μετὰ δήξεως ἐκκριθὲν, ἐργάζεται τὴν ἐκταράξιν, i. *Quod in aluum defertur, si cum morsu subducitur, perturbationem facit.* Quanquam reperio apud Galenum, τὸ ταράττεσθαι ῥῆμα, οὐ τὴν σύμμετρον ὑποχώρησιν, ἀλλὰ πλεονάζουσαν δηλοῦν, i. *verbum hoc, perturbari, non modicam indicare deiectionem, sed nimiam eius abundantiam.* Hîc tamen secus est, quod sic habet.

3. Epid. part. 3.

QVÆ PAVCA EGERIT] Proptereáque non lege critica & salutari: quia nihil paucum est criticum. Atque hoc solo quantitatis vitio exlex est illius legis quæ sancita est de alui perturbatione spontina, his verbis. Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται. *Si qualia purgari decet, purgentur.* Nam illud οἷα, quo significantur τὰ καλὰ καὶ χρήσιμα, minimè locum habet in tam exigua quantitate. Nam illud paucum, symptoma est languescentis vel nimiùm oppressæ naturæ. Sed eius aluinæ turbationis symptomaticæ alia sunt argumenta hîc posita.

prorrh. 7. sect. 1.

GENITVRÆ SIMILIA] Quorum tametsi diuersa est ratio, indéque varia euidentia, tam ad interitum, quàm ad salutem: hîc certè adduci non possum quin ea putem colliquamenta esse tenuium intestinorum, quorum adeps liquitur, ac deiectiones edit velut opimas, i. albas & læues, cuiusmodi scriptæ sunt in prognostico de dysenteria. Liquitur autem adeps à vi tabifica tum ardoris hepatici, tum bilis, abradendo, intestinis molestæ. Sin autem bilis ipsa nacta sit τὸ ἄγαν πικρόχολον, eiúsque, vt ita dicam, clystere careant intestina; tum hectica intemperies quam infert pituitæ mansio, eiúsque suppressa egestio, similiter hydropem faciet, vt illa quam intulit bilis appulsus, vnde liquitur adeps intestinorum. Atque hic glutinosa mucosa egeruntur & pauca. Hîc etiam duæ in promptu sunt causæ hydropis: vna quidem ὑλική, i. *materialis,* videlicet pituitæ collectio: altera verò ποιητική, i. *efficiens,* intemperies hectica tenuium intestinorum quæ pituitam intus inclusam mutat in aërem flatulentum.

lib. 2. progn. — aph. 11. 4.

ET CIRCA HYPOGASTRIVM DOLORIFICA] Quæ διὰ ξύσιν καὶ τρηχυσμὸν, i. *quæ abradendo & exasperando,* partibus illis molesta sunt, vt suprà iam diximus.

NEC VRINÆ FACILES IN MEIENDO] Non quidem vesica plena, sed vacua: vt nulla

veræ

veræ ischuriæ sit excusatio, quæ propria est vesicæ, cùm vel sensio nulla excitatur, nec proritatio ad meiendum, sensu amisso: vel nulla vis excernendi lucet, qua reddat vrinam: vel vrinariæ fistulę tanta est oppilatio, vt exitum vrina non habeat. Sed ideo non sunt faciles in meiendo; vel quòd earum materia deriuetur in aluum, nec tamen excitat diarrhœam: vel ipsi renes laborent in officio mulgendi serum à sanguine; vel impeditio sit illac transeundi ad ipsam vesicam. Sed ischuria hæc præuertit morte hydropem. Est igitur talis ratio præceptoris. Quemadmodum in aquarum perennitate, quæ posita est in syndrome prædictarum causarum, hydropis occasio præripitur; sicut & ipse iam exortus sanatur; si vel diarrhœa cruditatis experte, vel perirrhœa liberali, aquarum copia excludatur: sic denegato exitu per illos veluti aquæ ductus, ex earum collectione hydrops assurgit. Quod ipsum declarat illud quod sequitur.

Ex talibus desinunt in hydropem.] Ac si diceret; ex perenni fonte aquarum qui cernitur in causis hic positis, necessariò venit symptoma hydropicum, si fontis illius nulli sint riuuli, per vrinæ ductus aut fæces: ac neque diarrhœa cruditatis experte, nec perirrhœa, hydropis materia & occasio præripi posse videatur.

7 Ὑδεριῶντι πυρετώδει οὖρον μικρὸν καὶ τεθολωμένον ὀλέθριον.

Si cui aquoso cum febre vrina pauca sit atque turbida; perniciosum.

Superiore prognosi ea mens fuit atque σκοπὸς præceptoris, vt planum faceret, ibi demum hydropis molem assurgere, vbi causarum eius coitio est, quam συνδρομὴν Græci vocant: & impeditio nulla, quin ea moles assurgat. Ac syndrome quidem causarum est, in biliosis descriptis, quorum aluus pauca egerit, partim genituræ similia, partim mucosa, & circa hypogastrium dolorifica. Quæ sunt eiusmodi, vt malum subesse intus, non foras exire testentur. Impeditio nulla est molis hydropicæ, quando aquarum perennitas non habet exitum per diarrhœam aut perirrhœam vrinæ liberaliter confluentis & effluentis. Hic signa ponuntur hydropis funesta, quæ ducuntur è causis mortiferis. Ac signa quidem funesta sunt, vrinæ paucæ & turbidæ. Causæ autem mortiferæ, ingrauescens hydrops, & febris. Atque sic epilogismus est præceptoris. Si cum accessione causarum mortiferarum, euidentia sit prauorum signorum atque lethalium; ibi non desperata solùm est salus, verumetiam mors in propinquo. Sed epilogismi huius analogismum sic recensere oportet.

Si cui aquoso] Consultò verti *aquosum* τὸ ὑδεριῶντι: quoniam nomen illud non est cuiusuis hydropici, sed eius tantùm qui stagnat aquis, & implicitus est vero ascite. Ac philologiæ huius philosophicæ, documentum statuit illud quod alibi legitur scriptum his verbis, ὑδεριῶντας διαφθείρειν ταχέως. Pertinet autem illud præceptum ad vacuationem aquarum stagnantium, ex quibus ὑδεριῶντες nominantur potiùs quàm ex abdomine vtriformi, quod etiam tympanitarum commune est vt ascitarum. Nam ex abdomine vtriformi, similiter nominatur tympanias hydrops, vt ipse ascites. Ergo. Si cui aquoso] i. Aquarum in aluo stagnantium nimia abundantia multùm implicito, quas genuit hepatis ἀτονία vel suffocatio caloris sanguifici, vel etiam marasmus retorridus, frustrata in totum operatione sanguifica. Earum verò aquarum perennitatem excipit lien, quam in omentum deponit, mox illud in amplitudinem alui, & inde assurgit verus ascites qui tum ab humore, tum à forma vtris quam exhibet, nomen habet hydropis.

6.Epid. part. 7.

Cum febre] Vel exorta nouè acuta, vel exacerbata: tum à putredine aquarum stagnantium, tum hepatitis ipsius impuritate, cuius cum ipso corde facilis communicatio esse solet, vnde vel exoritur febris quæ priùs non fuit, vel, si priùs fuerit, exacerbatur. Atque huius febris symptoma est, geminata corruptio partium stagnatarum & sitis inexplebilis: cui gerendus mos, liberaliter se potu frigidæ inuitando. Nam sitis tædia non facilè nec tolerantur feruntur: quia sunt tædia penè intolerabilia. Sed tamen potio non vltrà danda est, quàm vt vitam sustineat: optimáque est quæ vrinam mouet.

Vrina pauca sit] Cuius tamen liquor vel ὀρρὸς, nec febris ardore consumptus est: nec diarrhœâ profluxit; nec etiam sudore diffluxit: nec verò tantum eius transiit ad vesicam, quantum solebat: non quia in vitio sunt renes vel aquæductus: sed quia omnis humor cursum ad lienem inflectit, quem cùm expleuit, tandem effunditur in omentum; & inde in spatium illud quod est inter omentum & tunicam peritonæum. Nullus enim ascites oritur sine consensu & conspiratione ipsius lienis. Est igitur vrinæ paucitas, ab inopia seri aliò confluentis quàm ad vrinæ ductus. Ac nulla hic renum malementium, nec vrinæ ductuum, accusatio esse potest: nisi fortè in vitio sint, ipsâ quotidiani officij vacuitate, aut saltem remissione, ignauiores.

Atque turbida] Similiter vt illæ vrinæ iumentorum similes, quæ cùm agitatæ fuerint, diu depositæ non resident. Ac tales vrinæ dicuntur οὖρα θολερὰ, οἷα ὑποζυγίων, ἀχρήτα, ἐστὶ τῶν, ἀσύστατα. Sunt autem eiusmodi, perturbato sero in venis, à spiritu flatulento, & intus incluso febrili ardore. Ac pessimæ sunt tales vrinæ: vt signo quidem; quia denunciant paupertatem caloris natiui, & incrementum eius qui contra naturam est, eique internecinum bellum indixit: vt causa autem; quoniam translationem habent sursum ad caput vnde dicuntur cephalalgicæ, & conuulsificæ, vt in Polyphanto.

lib. 1. & 3. Epid.

aph. 70. 4. & 7. Epid.

Perniciosum] i. Non solùm desperatæ salutis eorum qui seruari non possunt, sed mortis propinquæ. Nam si τὰ ὀλέθρια, ἀσήμως φαινόμενα θάνατον σημαίνει. i. *perniciosa, immeritò sedata; mortem sub-*

prorrh. 17. C. 1.

esse testantur: quidni mortifera erunt citæ mortis & iamiam venturæ, perniciosa quæ meritò ingrauescunt, & signis comitata sunt planè funestis? Huiusmodi sunt vrinæ paucæ ac turbidæ nec tamen nephriticæ, quarum explicata ratio in hydrope aquoso, & febre sitifera; inualescentis mali, & triumphatæ naturæ, collapsorúmque omnium præsidiorum, signa ostendit. Πάνυ γὰρ δασέα οὖρα, καὶ ἀνατεταραγμένα σημεῖον ἀκριβὲς κεφαλαλγίης, καὶ σπασμοῦ, καὶ θανάτου, i. *Vrina valde crassa, turbata. signa sunt certissimo cephalalgiæ conuulsionis, & mortis.* Est igitur verum quod initio posui ad demonstrandum id quod scriptum est in hac prognosi. Si cum accessione causarum mortiferarum, euidentia quoque est signorum lethalium; mors in propinquo est. Sed eam causarum mortiferarum accessionem demonstrauimus in aquoso languore & febre: signorum lethalium super his euidentiam, in vrina pauca & turbida. Quamobrem epilogismo suum attulimus analogismum, cum veritate huius prognoseos.

7.Epid.

8 Ἐπὶ δὲ ὑδέρῳ ἀρχομένῳ, διάῤῥοια γενομένη ὑδατώδης χωρὶς ἀπεψίης· λύει τὸ νόσημα.

Iam verò ineunte hydrope, si aquosa incidat diarrhœa, cruditatis expers; morbum exoluit.

QVÆ SCRIPTA sunt hactenus de hydrope; omnia metum adferunt atque mœrorem. Scripta autem sunt de causis hydropificis, earúmque origine: tum de symptomatis quæ per ἐπιγένεσιν propagantur; alia quidem sursum, alia verò deorsum. Nouissimè posita sunt etiam signa hydropis funesta quæ ducuntur è causis mortiferis. Nunc operæ precium fuerit, animum reuocare ad crisin hydropis, quæ ipsum reficiat, & consoletur spe aliqua secundæ valetudinis. Est igitur in hydrope spes aliqua secundæ valetudinis; primùm in quo plus vacuatur humoris, quàm assumitur, deinde verò qui, lege critica, hydropificum excernit humorem, quò, quà, & quemadmodum, natura duce, suscipitur atque perficitur ipsa excretio. Ac nulla est ratio excernendi potior, neque commodior, quàm ea quæ per diarrhœam aut perirrhœam, sponte absoluitur. Nam præceptoris illud iudicium est, quòd, *Si quis leucophlegmatia dominatu tenetur, à diarrhœa forti sanatur.* Et, *Si quis hydrope implicitus sit, aqua per venas in aluum profluente, morbo defungitur.* Verùm, vt obiter moneam, quod ἰσχυρὴν esse velit diarrhœam hydropis; non eo certè dixit vt longa sit: sed vt libera & liberalis. Id ipsum declarat illud quod alibi scriptum est de cruenta dysenteria ἀγωγῆς φύσιος, i. *natura duce* suscepta. Ὁρμᾶται μὲν λαύρως καὶ ἰσχυρῶς· ἀτὰρ οὔτε πολυχρόνιος γίνεται, οὔτε θανατώδης. i. *Cietur liberaliter atque fortiter: sed tamen nec longa est, nec mortifera.* De perirrhœa autem solenne est illud quod nuper adduximus. *Quibus inter ventrem & septum transuersum prolapsa est pituita quæ facit dolorem, nec exitum habet in aluum alterutram his conuersa per venas ad vesicam pituita; malum exoluitur.* Est igitur huius prognoseos hic epilogismus. Ea demum salutaris vacuatio est, quæ incidit in hydropem; quà & morbificus humor, atque vt decet, quemadmodum, quà, & quantum, & quando necesse est, vacuatur. Huiusmodi est aquosa diarrhœa, cruditatis expers, quæ prorumpit circa hydropis initia. Sed huius prognoseos veritatem ostendit qui sequitur analogismus. Est autem huiusmodi.

aph.19. 7. & lib. περὶ ὑγρῶν.

lib. 4 περὶ διαίτ. ὀξ.

Cóment. ad Coac 4. huius cap.

aph.52.4.

IAM VERO] Ac si diceret: patefacta omni causa hydropis, omníque symptomate quod incidit per epigenesin; perspectis etiam signis fatalibus ad interitum; sequitur vt dicam de crisi qua quidam hydropici periculo defunguntur.

INEVNTE HYDROPE] i. Circa hydropis initia, cùm adhuc validæ sunt vires ægroti, quarum ope tanta contentio est naturæ, vt miraculo apponi soleant insperatæ, & insuetum per iter, excretiones quas ipsa molitur & perficit. Ac tum ineunte hydropé, nondum in corruptionem adductis visceribus à vitio & putredine aquarum iampridem in aluo stagnantium. Quod certè cùm ita est, frustra suscipitur aquarum vacuatio, tam sponte sua, quàm nostra: quod dicere solet præceptor αὐτομάτως, καὶ χειρουργικῶς. Propterea illud edictum est dictatoris. Τοὺς ὑδρωπιῶντας ταχέως τάμνειν, i. *aquosos citò secare.* Nam vbi locus est sectioni ad vacuationem aquarum: ibi salutaris est etiam, quæ sua sponte incidit, aquosa diarrhœa cruditatis expers; neque aliter fit hydropici commodo: quoniam frustra emittitur aqua quæ vitiatis visceribus subinde enascitur; nisi fortè geminata corruptio in metu sit, nisi aqua emittitur quæ contra naturam ibi subsistit, quæque nocet hepati, & œconomiam labefactat partium nutritiarum, mox autem spirabilium. Id metoens bonus medendi artifex atque magister Hippocrates; crebrò dabat operam purgationi, sursum, deorsum, vt visum erat. Ac sursum quidem, elleboro: deorsum autem, cneoro, sextis quibusque diebus: hippophais succo, octauis: grano cnidio, decimis. Nec verò illa pharmaca eò dabat, quòd speraret, emisso humore, sanari posse hydropem: sed vt aquarum vitaret incommoda, quæ ibi subsistunt, & stagnando putrescunt: tum vt emissus humor, medicinæ locum faceret quam intus inclusus impedit. Eò etiam potui dabat vinum Mendæum album, quod erat suauissimum atque paucifèrum. Quòd si sua sponte aluus ferretur liquidis excrementis, vinum dabat austerum. Et si purgando nihil proficeret, pyroticis escharoticis, & ferro, qua data porta, humori vacuando exitum foras moliebatur. Atque hæc omnia remediorum genera, suo quæque loco & ordine, circa initia præcipit adhibenda, iis verbis. Ταῦτα δὲ κατ' ἀρχὰς ποιέειν τοῦ νοσήματος.

6.Epid. part.3.

lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.

SI AQVOSA INCIDIT DIARRHOEA] i. Alui profluuium quod continenter fit liquidis excrementis, idque sine vlla ciborum cruditate, quam fundit lienteria: tum sine cruenta deiectione,

quam

quam exprimit dysenteria. Sic enim positæ sunt differentiæ illorum trium profluuiorum alui. Diarrhœam autem vult esse aquosam, vt secus ab ea sit hydropico, quàm ab illa nuper prædicta, hydropis toto genere symptomatica, quæ dolorificum malum foras non edit: sed intus inclusum esse testatur. Est autem chylosa, quæ nec prætumidum ventrem adæquat, nec ipsos lumborum & ilium dolores exoluit. Ex aquosa igitur diarrhœa secus est planè hydropico quàm ab illa prædicta: quoniam ex aquosa tam bene est illi, quàm ex chylosa malè. Est autem bene: quia dolorificum malum foras exit; ac vacuatur id quod vacuari potest. Hinc tumidus venter subsidit; dolor sedatur; medicinæ locus est ad viscerum ἐναντίωσιν, quam impediebat aqua intus inclusa. Tum verò non est in metu ampliùs noxa prægrandis quam partibus inferunt aquæ stagnantes: nec verendum ampliùs de translatione sursum aquarum, quæ tussifera esse solet, atque mortifera. Denique hæc diarrhœa, omnium commodorum prouentu beat hydropicum, ipsa per se, modò fugax non sit illa beatitas, vt mox dicetur. Iam verò quemadmodum incidat hæc diarrhœa planè insperata, & insuetum per iter, ne verbum quidem Galenus. Mea autem sic ratio est; humorem cieri & attrahi per venas quæ attrahendi potentia carnes ipsas præcedunt, deuoluí in omentum, & inde in lienem, vnde per splenica vasa παρακείμενα habet in mesenterica, & inde profluit ad intestina. Sed hæc sunt κατ' ἴξιν. Quòd si ad eam vim attrahendi, quæ tributa est venis, & partibus, conspiratio quoque accedat κατ' ὁρμὴν, i. *ab impulsu* naturæ studentis expellere quod ipsam malè habet periculosè, multúmque lacessit; hîc sanè vsurpandum vetus illud Hippocratis. Δυοῖν μεγάλων, μεγάλα καὶ τὰ ἔκγονα γίνεται, i. *Positis magnis duobus, oriunda quoque sunt magna.* Atque inciendo & propellendo, tanta vis lucet naturæ oppressæ, vt sæpe viam inueniat quà ducitur ad vacuationem cuiusque humoris morbifici: quamuis & ipse crassior sit, & meatus angustiores: modò validæ sint eius vires ad fortem in expellendo contentionem. Ac super his fuit illud Galeni iudicium, non dubitasse Hippocratem scribere, naturam moliri abscessus per ossa; hydropicorum aquas confluere ad intestina; empyicorum pus rupta vomica, in thoracem effusum, per anacatharsin expurgari. Abscessus & vacuationes edi κατ' ἴξιν, bene, in nulla meatuum euidentia: ἀνάπαλιν verò, malè. Quoniam maior vis est in contentione forti naturæ, quàm in meatibus.

1. Epid. part. 2. Coac. 2. huius c. — Cõment. ad aph. 29. 7. & 15. 6. lib. 1. ἐπιδημιῶν. 2. Epid. part. 1. — Cõment. ad aph. 52. 7.

CRVDITATIS EXPERS] Quæ cernitur in oxyregmia, & excrementis, quæ tum ex aluo, tum è venis ducuntur. Ex aluo quidem, lientericis; quorum præpropera excretio, vel à catarrhi prolapsu in aluum, vel à coctione frustrata, cuius frustratio est ab intemperie frigida firmiter fixa in aluo: ne interim taceam aphthas quæ inferunt lienteriam. Sed cruda est etiam diarrhœa chylosa quam nuper attigimus. E venis autem ducuntur vrinæ quarum apparet cruditas in colore, liquore: & hypostasi. Huiusmodi sunt. Οὖρα λεπτὰ, ἄχροα, οὐχ ὑφιστάμενα, ἀνυπόστατα, i. *Vrinæ tenues, decolores, non residentes, nec vlla hypostasi præditæ.* Sed ea cruditas alui nunquam ipsa per se consistit quin accessionem habeat vrinarum crudarum. Vetus est illud. Ἡ κοιλίης ἀργίη, ἡ τῶν ὅλων σύγχυσις, καὶ ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίη, i. *Alui segnicies, omnium confusio, vasorúmque impuritas.* Tametsi reperio, alui cruditatem vitari prægressâ etiam summa illius causâ: vt prorupta nimium hæmorrhagia, dum manet coctio vrinarum. Qua de re illud præceptum est dictatoris. Οἷσιν αἱμοῤῥαγίαι πλεῖστ' ἀπελήλυθε τὸ χεῖν, κοιλίαι πονηρεύονται, ἢν μὴ τὰ οὖρα πεπανθῇ, i. *Quibus sæpe & multùm profluit sanguis, malefica fiunt alui, modò cocta non sint vrinæ.* Προσημαίνουσι autem hîc ait, quod alibi scripsit in hanc sententiam, καθυγραίνεσθαι. Ergo diarrhœa hydropici sit aquosa, & vacua cruditatis: vt scilicet, cùm proruptis aquis cessarit profluuium, quod ὀλιγήμερον esse decet, i. *paucorum dierum,* aluus ducatur fæcibus figuratis & mollibus: vrinæ autem fundantur, quales debent esse pro vitæ instituto, victúque, quo vtitur, mutatione in copia & qualitate. Ex quibus efficitur, hydropem hîc poni cuius natura & ὕπαρξις in aquarum collectione, non in perennitate consistit; & cuius curatio atque sanatio, solam desiderat vacuationem aquarum. Nam cæterorum hydropum qui vel ab hepate, vel ab ilibus ortum habent, nullæ vrinæ sunt cruditatis expertes. Ac deiectiones positæ sunt contra naturam.

part. 1. sect. 3. 6. Epid. prorrh. 41. S. 3. 1. aph. 27. 4. Coac. 2. huius c. ex 2. prorrh.

MORBVM EXOLVIT] Quòd eius hydropis conditio sit qualis descripta est in prorrhetico, cum integritate partium nutritiarum & spirabilium: & in quo hydropici qualitas & excrementa, nullam aut exiguam è norma sua naturali egressionem ostendunt. Ac talium, vt iam dixi, curatio in vacuatione sola versatur aquarum replentium, quando earum perennitas nulla est. Diarrhœa autem descripta sufficit vacuandis aquis, quarum simplex collectio est in amplitudine alui, sine vlla viscerum offensione.

Coac. 2. & 3. huius c. lib. 2. prorrh. & coac. 2. huius c.

9 Τοῖσι ξηροῖσιν ὑδρωπιώδεσι προσημαίνουσι, στρόφοι περὶ τὸ λεπτὸν ἐμπίπτοντες κακόν.

Denunciato iam sicco hydrope, si tormina sint circa tenue, ingens malum.

TERRIFICA sunt illa symptomata, & cum periculo permolesta, quæ nec vale dicunt, & continenter accrescunt. Enimuero dolorifica hydropis mala, quæ vel sponte non exeunt, nec medicinæ concedunt mortifera sunt: ac multò magis, quando eorum perennis accretio est. Talis maleficentia est hydropis quem author posuit in hac prognosi.

DENVNCIATO IAM SICCO HYDROPE] Qui est eiusmodi, aut propria specie & idea, qualem esse diximus τυμπανίαν, quem siccum Hippocrates nominauit: aut qui nihil concedit de suo; nec

vlla ex eo deducitur portio causæ hydropificæ, nec ipsius symptomatis; tum propter peritonæi tunicæ densitatem, per quam nihil expirat spiritus flatulenti; tum propter peristalticæ intestinorum virtutis infirmitatem, vel etiam deprauationem, vnde fit ἡ ἀναίσθησις, ac tensio maior, cuius quidem laxitas non est sperabilis, denegato quaquauersum exitu spiritui flatulento. Denunciatur autem siccus hydrops in specie & idea, cui similitudo vtris intenti, nomen dedit hydropis: τυμπανίας autem dicitur, quia, similiter vt tympanum, sonitum edit, pulsato intrà spiritu, quando circumtensa vel intenta nimiùm pellis alui colliditur. De natura huius hydropis, multa iam diximus, tum in historia de hydrope, tum ad prognosin illam. *In sicco hydrope stranguria praua est.*

Coac. 1. & 4. huius cap.

Si tormina sint circa tenve] Quæ ipsum torqueant sæui doloris cruciatu, ab intemperie firmiter fixa tenuium intestinorum, cuius quidem vitio sæui dolores illic exorti, nulla medici ope quiescunt, tum propter causæ morbificæ contumaciam, tum propter perennem flatuum accretionem: labefactata etiam vi peristaltica intestinorum, vnde flatulenti spiritus exitu prohibentur. Qua de re aliàs. 10

Ingens malvm] Quoniam dolorificæ tensionis laxamentum comparari non potest, neque sperari dum manet vitium insanabile tenuium intestinorum, cuiusmodi est firmiter fixa, & velut hectica intemperies quam negat Hippocrates posse reduci ad pristinum statum, & eius ἀνατρέψαι frustra tentari nouando atque vacuando. Quæ duo sunt remediorum genera quibus omnes morbi sanabiles curationem recipiunt. Super hac re, nota est sententia præceptoris.

aph. 11. 4.

10 Τὰ ἐξ ὑδρωπικῶν ἐπιληπτικὰ· ὀλέθρια. 20

Quæ ex hydropicis veniunt epilepsia; mortifera.

Hvivs prognoseos philologia & philosophia continetur in commentario nostro ad quintam huius tractatus.

11 Ὕδερος πρὸς θεραπείην ἐνδιδοὺς, καὶ παλινδρομέων ἀνέλπιστος.

Hydrops qui medicinæ concedit, ac reuenit; desperatus. 30

Eorvm symptomatum frustra tentatur leuatio, quorum inexhausta manet perennitas. Quod cùm in aliis locum habet, tum verò in hydrope cuius insanabilis causa est: proptereàque subinde renascitur simulatque impeditio nulla est quin renascatur, cùm scilicet finis est medicandi. Ad medicandum inuitat ventris repletio atque distentio dolorifica; metus noxarum hepatis, omniúmque partium nutritiarum; suspecta sursum translatio ad superiorem ventrem, tussifera atque mortifera: tum vt medicinæ sit locus quam impedit symptoma ipsum hydropicum. Medicandi ratio suscipitur atque perficitur, idque circa initia cuiusque hydropis; in leucophlegmatia quidem primùm, sanguinis detractione; in cæteris verò, catharticis, diureticis, compunctione, παρακέντησιν Græci vocant, & iis quæ prosunt nouando ad oppugnationem causæ morbificæ. Bene res eunt cùm ea curatione, in perpetuum venter subsidit, pristinúmque suum recipit κατάστημα: tum quiescit omne symptoma hydropicum, & restituta est omnis œconomia, vitæ custos, tum spiritus, tum nutricatus. Talem hydropis formam ille modò exhibuit quem sua sponte sanat aquosa superueniens diarrhœa, cruditatis expers & vacua. Secus fit in eo hydrope quem author posuit in hac prognosi. 40

Coac. 8. huius c.

Hydrops qvi medicinæ concedit] i. Cuius intentum abdomen, nouando & vacuando subsidit, vnde hydropici magna leuatio, & alacritas quoque incredibilis.

Ac revenit] Non recurrendo quidem, vt dictum est suprà de abscessibus qui à peripneumonia in crure oborti, cursum eò reflectunt, velut postliminio, vnde priùs venerunt; quod propriè est παλινδρομεῖν: sed renascendo, vt febrium recidiuæ, quarum scilicet exactarum τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα, ὑποστροφὰς [illegible] ποιέει. Sunt autem τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα, i. *reliqua febrium*, superstites ipsarum materia, & empyreuma, vnde solent renasci. Huius autem hydropis, qui renascendo reuenit, τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα sunt, hepatis ἀτονία, marasmus retorridus, atque scirrhus; extinctio item caloris sanguifici: denique causa omnis alienatæ virtutis sanguificæ, vel impeditæ functionis hepaticæ. Est enim consentaneum, vt si causa quæuis hydropem genuerit, dum vires valerent; nunc, iis afflictis, maiorem vim habeat procreandi: maximè verò cùm impeditio nulla sit. 50

Coac. 16. ca. 16. 2. aph. 12. 2.

Desperatvs] i. Desperatam salutem ostendit eius qui seruari non potest: quoniam & insanabilis causa est quæ accrescit; & symptoma ipsum, corruptione partium nutritiarum, & μετάστασις sursum ad thoracem, mortiferum. Nec verò ampliùs curandi necessitas patem habet commoditatem, vt antea; nec medicinæ locus est, quia fractæ sunt vires. 60

12 Τοῖσιν ὑδρωπιώδεσι κατὰ φλέβας, ἐς κοιλίην ῥαγέντος τοῦ ὕδατος, λύσις.

Qui secundùm venas hydropici sunt; proruptâ in aluum aquâ sanantur.

EADEM prorsus conditio est horum hydropicorum qui prorupta in aluum aqua sanantur, quæ & illorum de quibus iam dictum est, quòd ineunte hydrope, aquosa superueniens diarrhœa cruditatis expers, morbum exoluit. Etenim certissima securitas est, nullam edi posse diarrhœam, cruditatis expertem, cùm partes nutritiæ in vitio sunt, & inde nascuntur hydropes. Tales cùm excludendi naturæ aut medicinæ concesserint, reueniunt renascendo. Hæc igitur prima lex sanciatur in curatione hydropis, vt careat illis vitiis vnde aqua subinde enascitur; & vt ab eo, cum spe salutis, vacuetur humor, & venter siccetur. Verùm vt eadem conditio est huius hydropici & illius prædicti, quorum vterque propriam habet naturam in vacuando humore: tamen dissimilis est ratio vacuationis. Illic enim, aquæ stagnantes in aluo, per deriuationem à splenicis vasis ad mesenterica, seu per quandam palindromen cõ translatæ, ad intestina prorumpunt, & excluduntur. Hîc autem palindrome quidem est: sed eam facit κατ' ἄνω, carnium oppressarum κακώσεως, & fortis naturæ contentio, vnde compaginis tollitur inæqualitas, tumoribus meritò adæquatis, qui toto corpore aliter atque aliter orti erant.

Ergo. QVI SECVNDVM VENAS HYDROPICI SVNT.] i. Quorum hydrops assurgit, quemadmodum illic docetur, ἐπὶ λευκῷ φλέγματι ὕδρωψ, i. *leucophlegmati hydrops superuenit*. Est enim forma huius hydropis cachexia corporis vniuersi, quæ venit ex cacochymia pituitosi sanguinis, quam hepatitis vena impertit artuum hæmorrhoidibus: quemadmodum hæ rursum expletæ cacochymiam euomunt in minores, carnibus & cuti affixas nutriendi causa. Hinc tota cutis & caro tumescit atq; turgescit, quæ pressa digito, statim subsidit, mox inde consurgit. Quæ quidem causæ hydropificæ perspicientia mouit Hippocratem, vt ipsum hydropem positum esse dixerit κατὰ φλέβας vel ἀνὰ φλέβας, nec ratione dissimili qua dicitur ἀνάσαρκα. Est autem λευκοφλεγματίας, cuius formam edit deprauata carnium & cutis nutritio. Deprauatæ autem nutritionis causa est ἡ φλέγματος πλεονεξία, i. *nimia pituitæ abundantia*, quam naoseabundæ venæ in carnes & cutim euomunt veriùs quàm adducunt. Atque ita κατ' ἄνω explentur, non autem κάθ' ἕλξιν nutriuntur: sicut naturaliter comparata est earum nutritio, iuxta illud præceptum. Σάρκες ἕλκουσι ἐκ κοιλίης καὶ ἔξωθεν. i. *Attrahunt carnes ex ventre & extrinsecus*. Est igitur hydrops κατὰ φλέβας, vel ἀνὰ φλέβας, Idem qui & ἀνὰ σάρκα, & ὑποσαρκίδιος, & λευκοφλεγματίας. Omnia enim synonyma sunt eiusdem, alia quidem ex pituitæ ductibus, alia ex mansione, alia ex materia & colore.

PRORVPTA IN ALVVM AQVA.] Indéque diarrhœa oborta, cruditatis experte, eaque cum libertate caloris sanguifici, quem suffocabat, sanguinis vacuandi sursum ad hepar refluxus. Prorumpit autem aqua in aluum è tumido atque turgido corporis vniuersi habitu, per quandam κακώσεως carnium expletarum, quæ in desiderio ἀφροδισίων atque sudoris pituitam pepasmo tenuiorem refundunt in venas, quam ipsæ priùs in carnes effuderant, atque, vt ita dicam, distentæ nimis vomuerant. Hæc autem prorumpendi ratio, similiter fit vt illa quam edunt lumborum tubercula, ipsos adducentia ἐς τὴν κοιλίην, vnde & κύφωμα ipsum sanatur. Nam tuberculorum materia, cùm mitificari cœperit, transit à lumbis ad venam insignem quæ proximè adiacet, vnde crurum venæ turgescunt varicosæ. Ἤδη δὲ καὶ ἰᾶται καὶ τὴν δυσεντερίην πολυχρόνιον γενομένην, i. *Sanat etiam dysenteriã diuturnã*: cum scilicet tuberculi humor cœperit esse purulentus, propterea que tenuior, κατάληψιν habet facilem ad mesocolon, quod à lumborum neruis ortum habet, indéque ad intestina, vbi abradendo, & exasperando excitat dysenteriam.

lib. 3. de ἄρθρων.

SANANTVR.] Vt idem scripsit in aphorismis. Sanantur autem vacuatione libera & liberali humoris, cuius appulsu inæqualitas illa erat totius compaginis. Nam vitia vniuersi corporis, tam intrà, quam extrinsecus, nouum non est per diarrhœam aut perirrhœam exolui. Sanantur autem sine vllo metu relapsus, si nulla deinceps palindrome fit renascendo, superstite causa hydropifica. Obseruabit autem studiosus, in eandem sententiam scriptos esse, & eòdem spectare aphorismos 15.6. & 29.7.

aph. 78. 7. — sent. 4. part. 6. 6. Epidem. — aph. 15. 6. & 29. 7. cap.

DE DYSENTERIA.

ΔΥΣΕΝΤΕΡΙΗ ἀκαίρως ἐπισχεθεῖσα, ἀπόστασιν ἐν πλευρῇσιν, ἢ σπλάγχνοισιν, ἢ ἐν ἄρθροισι ποιεῖ. ἆρα ἡ μὲν χολώδης, ἐν ἄρθροισιν· ἡ δὲ αἱματώδης, ἐν πλευρῇσιν ἢ σπλάγχνοισι.

CAP. XX.

1 *Dysenteria quæ intempestiuè sistitur, abscessum facit vel in lateribus atque visceribus, vel in articulis. An biliosa quidem, in articulis? cruenta autem, in lateribus atque visceribus?*

AVT APVO se præceptor sic statuit, aut ad eius mentem magistri Scholæ Coæ; vt primùm diceretur de morbis hepaticis qui sunt in hepatis στάσει quam extrema genuit visceris intemperies. Mox de abscessu terribili κατ' ἀπόστασιν, κατ' ἀπόθεσιν, qui cernitur in hydrope. Tum de abscessu altero κατ' ἀπορροήν, quem exhibet dysenteria. Sunt enim symptomata hæc maximam partem hepatica, vel hepatis ἔργα; quamvis & ipsa ex aliarum quoque partium vitiis enascantur. Sed post historiam

h p.titis, atque hydropis, doctrinæ institutus ordo, dysenteriæ explicationem loco à nobis requirit.

Dysenteriæ nomen communi voce ad vitia pertinet intestinorum. Propterea Celsus, dictionis aucupio, vt esse solet nimius verborum auceps, τὴν δυσεντερίαν Latinè vertit, *tormina intestinorum*. Tum intestina intus exulcerari dicit, & ex his cruorem manare. Sed tormina siue tormenta, propriè sunt intestini sursum reuulsi, cuius affectio crudelissima, στρόφος & εἰλεὸς nominatur. Hic dolorificum malum foras non exit, vt in dysenteria. Et quamvis in cruenta deiectione, posita sit ipsa dysenteria: non tamen efficitur, ipsam manare semper ab vlcere intestini. Nam duplex hepatica dysenteria, quarum altera verè cruenta est, nihil habet eiusmodi. Dysenteriæ profectò natura, his verbis expressa legitur apud Galenum, ex mente Hippocratis. Προείρηται δ' ἡμῖν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν, γίνεσθαι τὰ τοιαῦτα νοσήματα, τῶν περιττωμάτων εἰς τὴν γαστέρα συρρεόντων· τὰς μὲν δυσεντερίας δηλονότι, μετὰ τῶν αἱματωδῶν διαχωρημάτων, αἷς ἂν τρόπῳ γεννηθῶσιν. i. *Dictum est à nobis antea, huiusmodi morbos nasci* (loquitur autem de dysenteria, lienteria, diarrhœa, tenesmo) *confluentibus excrementis in aluum. Ac dysenterias quidem, cum sanguineis deiectionibus, quocunque illæ modo exortæ sunt.* Ergo non vna est tantùm ratio dysenteriæ, quam in exulceratione positam esse dixerunt. Quinetiam idem Galenus author est, Hippocratem consueuisse, nomen dysenteriæ non solùm ad intestini vlcus referre: sed ad cruentam excretionem quæ per intestina deiicitur. Ergo nec semper tormentum est intestini, nec semper vlcus, dysenteriæ causa morbifica, vt Celso placuisse video, cuius ego latinitatem magis amplector, quàm ipsius scientiam medicinæ. Igitur, vt paucis complectar, ac dicam quod sentio. Dysenteria, omnis cruenta egestio est per intestina, vndecunque illa egeritur.

1. Epid. part. 2. — 4. περὶ ἀφόρων.

Dixi ex Galeno, duce Hippocrate, quocunque illa modo, & vndecunque egeritur: quoniam egestionis illius cruentæ, proptereàque dysentericæ, multæ sunt causæ, multiplex item ratio atque modus. Causæ sunt, hepatis ἀτονία, vacuatio periodica, & expressio symptomatica; quorum egestio, sine vlcere fit intestini cùm primùm egeritur. Exulceratio est intestini, cùm διὰ τὸ ξύειν καὶ τραχύνειν, i. *abradendo & exasperando*, molesta sunt quæ illuc confluunt, & illac effluunt excrementa. Qualia esse solent colliquamenta febrium tabificarum; excrementa critica febrium acutarum, dysenterica splenicorum: postremò eorum qui ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἄνευ προφάσεως, i. *sponte sua & sine vlla præuidentia*, dysenteriæ morbo explicantur, quam vel bilis flaua, vel atra, vel etiam pituita putris & salsa excitauit. Dicendum de singulis, vt, ex earum perspicientia, conuenienter & appositè remedia præscribantur, nec dysenterici mala incurrant in hac prognosi descripta, quæ mala curatio inferre solet.

Prima egestionis cruentæ, proptereàque dysenteriæ, causa est, hepatis ἀτονία, de qua nuper diximus in hepatite. Cernitur autem dysenteria hæc in proluuie rubra ventris, quam vocat præceptor ἐξ ὑδαρέων αἱματώδεων. Egerendi ratio facilis est, sine morsu, ac tormine intestini, nec cōsolationem exigit clysteris è lacte, donec adultior facta, cœperit esse nigra, & intestinis molesta. Pugnandum iis remediis quæ cōfirmando hepati suam dicarunt operam; tam intrà, quàm extrinsecus. Ac sæpenumero frustra pugnatur, & irrita est oppugnatio, cùm hepatitis vetus est causa, & ipsa quoque in vetustatem incidit. Altera dysenteriæ causa est, hepatis εὐτονία, cuius virtute sanguis prorumpit ad intestina, quod scripsit Hippocrates, λαύρως καὶ ἰσχυρῶς. i. *fortiter & liberaliter.* Ac salutaris est illa dysenteria & periodica puri sanguinis, vnde κατ' ἐξοχὴν dicitur αἱματώδης, vel αἱματηρή. Talis est verna dysenteria epheborū & iuuenum, si fortè careant hæmorrhagiæ commodis à 18. ad 35. aonum, quibus ætatibus naturaliter fluit sanguis è naribus: iuxta vetus illud perceptum. Ὁπόσοι ἀφροδισιάζειν ἄρχονται, ἢ τρηχὺ φωνεῖν, αἱμορραγοῦσι. i. *Cùm cœperint agnoscere venerem, vel asperam vocem edere, sanguinem illi profundunt è naribus.* Vere autem sanguis augetur, ὑπό τε τῶν ὄμβρων, καὶ τῶν θερμημεριῶν, i. *tum ab imbribus, tum à cælo calidiore.* Talis est dysenteria eorum qui, ad curationem cruris perfracti, sic parte saucia collocantur, vt semper sit ἀνάρροπος, dum curantur. Quæ collocatio vt bona est dum phlegmone est in metu: sic eo sublato, vitiosa. Tunc enim debet esse κατάρροπος. Talis eorum est etiam qui altero crure sunt mutili, si nullam quotidiani victus partem deduxerint. Sed cùm symptomatica omnis dysenteria morbo accidat, vel hepatis exoluti, vel intestini exulcerati, quorum symptoma commune est cruenta per aluum egestio: secus hanc fieri docet Hippocrates, vt naturæ ipsius merito, non morbi, accidere videatur. In symptomatica dysenteria, vel vlcus est intestini, vel hepatis ἀρρωστία. In hac verò, vlceris nulla suspicio: cernitur autē hepatis εὐρωστία, & fortis naturæ contentio. Sic enim scripsit præceptor. Ὁρμᾶται μὲν λαύρως, καὶ ἰσχυρῶς· ἀτὰρ, οὔτε πολυχρόνιος γίνεται, οὔτε θανατώδης, οὔτε γὰρ μὴν ἀπόσιτοι γίνονται, οὔτε ἄλλως ξυμφέρον κενεαγγίειν. i. *Cietur profusè & fortiter, nec longa est, nec mortifera. Non enim ciborum fastidiosi sunt, nec video cur hic vacuationi operam dare oporteat.* Præter infirmitatem hepatis vel ἀτονίαν quæ rubram edit proluuiem, alia quoq; cernitur à visceris oppressione. Hic longa est dysenteria αἱματώδης: quia non cietur fortiter, nec liberaliter. Ibi tum vacuationi locus est, per sanguinis detractionem, quæ multis auxilio fuit ad epidemicam illam dysenteriam quæ in hominum vitam inuasit Luteriæ 1578. Sed satis iam de dysenteria merè cruenta & impermixta, quam triplicem esse diximus.

2. 1. prorrh. — lib. 4. περὶ ἀφόρων. & lib. περὶ φύσιος. — part. 3. 6. Epid. lib. — 1. περὶ φύσιος. lib. 4. περὶ ἀφόρων. — ibidem.

Nunc de intestinali, quam scilicet vlcus exprimit intestini. Hæc sanè symptoma est semper ipsius rheumatis consistentis: sæpe etiam cōcitati, στηριζόμενον καὶ ὁρμώμενον Græci vocant. Sed huius tamen nō rarò, per eam fit crisis. Rheumate quidem consistente exulceratio est intestini, eaque vel nuda & simplex, vel cum putredine quadam coniuncta quam veteres medici, communi voce, νομὴν dixerunt. Vtraque exulceratio ferè naturam sequitur & qualitatem rheumatis concitati. Planum id faciet singularum causarum examen, quarum catalogum iam recensuimus. Ac primùm rheumata concitata quæ vlcus faciunt intestini, sunt colliquamenta febrium tabificarum, qualia fuisse narrat Hippocrates dysenteria illa febrium tritæophyarum, quibus iamdudum, cum sæuis doloribus & colliquatione multa impliciti erant Thasij. Hîc nō est dubium quin exulceratio illa νομὴν habuerit ex maligna putredine. Quæ causa est

lib. 9. περὶ νόσων. — 1. Epid. part. 2.

est cur sæua & longa fuerit dysenteria: proptereáque ipsam fuisse dicit maiorem δυνάμιος, quàm vt perferri potuerit. Altera dysenteriæ causa est ab vlcere intestini, excretio critica humoris morbifici, & febris acutæ, cuius editur crisis; iuuenibus & ephebis, per hæmorrhagiam: senibus, per dysenteriam. Quod legimus contigisse Bioni seni, apud Silenum decumbenti. Tertiam exulcerandi causam posuimus in lienosis: quando lienis morbo per dysenteriam defunguntur. Talis dysenteria vel ab exulceratione nuda enascitur, vel ipsa exulceratio ῥεῦμα habet coniunctam. Hæc longa est, atque mortifera, illa breuis, & ex toto salubris, & critica bonæ crisis. De priore illud edictum est dictatoris, τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίαι ἐπιγενομένη ἀγαθόν. i. *Lienosis cùm dysenteria incidit, bonū est.* De altera solenne est illud. *Quicunque lienosi dysenteria implicantur, si ea in vetustatem inciderit, hinc sequitur hydrops aut lienteria, & moriuntur.* Ergo splenicorum, i. eorum qui iam diu habent durum lienem, non idem est humor tumefaciens: sed aliorum quidem mitior; aliorum verò ferocior.

Sequuntur nunc vlcerificæ causæ intestinorum quæ primigeniam faciunt dysenteriam, nec morbi alterius succedaneam, sed vlceris tantùm ipsius consectariam. Omnium autem causarū ducuntur principia ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, ἢ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, i. *intus aut extrinsecus.* Τὰ ἐνεόντα, insita quædam sunt vitia temperamenti, complexionis, & habitus; eaque congenita, coæua, & increscentia: sic enim Latinè vertimus, τὸ συγγενὲς, τὸ συνήλικον, καὶ τὸ ἐπαυξῆον. Et illa quidem tria, potissimùm per ætates vim suam ostendunt. Huiusmodi sunt dysenteriæ ingrauescentis ætatis. Τὰ ἔξωθεν. i. *quæ sunt extrinsecus,* quorum magna vis est ad procreationem morborum, omnia duobus illis capitibus continentur quæ statuit noster præceptor de causis morbificis. Eius verba hęc sunt. Αἱ δὲ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν. i. *Morbi omnes partim à diæta nascuntur, partim à spiritu, quem ducendo viuimus.* Diætæ vitio, vt omittam cætera, dysenteria est biliosis, quibus melicratum genuit bilem crassam & efferam quæ intestina & sedem exulcerat. De spiritus autem certissimum est; quòd temporum exactorum vitio, & inæquali statu præsentis, dysenteria omnis regnat autumno. Nam temporum ipsa defectio in tempestatum alteratione & alienatione, eaque tam inficiendo quam corrumpendo aërem: dysenteriarum etiam pestilentium feracissima esse solet. Ac nulla tempestas fuit earum feracior, quàm superioris anni. Talis etiam, me admodum puero, apud nostrates Segusianos coorta est, quæ in multis vrbibus atque pagis internecina penè fuit. In tēpestate pestifera, cuius apud Thucydidem historia est, causarum autem, morborum, & omnium quæ cuiq; accidebant diorismi apud Hippocratem in catalogo morborum pestilentiū qui tunc regnabant, sic recensetur. Κοιλίαι ταραχώδεες, ἀπόσιτοι, i. *Alui turbatæ, ciborum fastidiosi.* Tum illud. Ὡς δὲ ἐν κεφαλαίῳ εἰρῆσθαι πάντες καὶ οἱ τὰ μακρὰ νοσέοντες, καὶ τὰ ὀξέα ... ἐν τῷ κατὰ κοιλίην ... μάλιστα ... πάντες γὰρ τὰ κατὰ κοιλίην ... i. *Vt paucis complectar & vno verbo dicam; omnes qui tum erant morbis implicati, tam acutis quàm longis, ex alui symptomatis moriebantur. Omnes enim sustulit vis alui malefica, influendo.*

[Marginalia: 1. Epid. part. 3. — aph. 48. — 6 aph. 43. — lib. 1. περὶ νούσων. — aph. 29. 3. — lib. 2. περὶ φύσιος. — lib. 3. περὶ διαίτης. — 1578. — 1538. — lib. 1. Epid.]

Sed quantum complector animo, eorum, quæ aluinam faciunt dysenteriam exulcerando, triplex est omne rheuma ὁρμώμενον καὶ συνεστηκὸς i. *concitatum atque consistens.* Est autē bilis flaua, bilis atra, & pituita putris ac salsa, quam vocat Hippocrates ἁλμυρὸν φλέγμα καὶ σαπρόν. Bilis flauæ iam edita sunt exempla in biliosis, quibus ad pleuritidem imperatur meracior aqua mulsa. Idem accidit quoq. iis, cùm in secūda valetudine similem naturæ suæ calidioris diætam instituunt, per edacitatem carnium bubularum, & ingluuiem vini fortis, idque potissimùm æstate quæ calidissima sit atque siccissima, proptereáq. bilis acerrimæ procreatrix. Hæc enim sunt hepati nocentissima, bilemq; ad ipsum adducunt. Οἷσι μὲν αἱ κοιλίαι ὑπερθερμαίνονται ... i. *Quibus ventres nimium calent, iis fortia vina & cibi, perturbationem adferunt* (flauæ bilis vel atræ.) Ergo citata bilis flaua & velut expressa multùm saturata, ex hepate; contumaciter adhærescit ad intestinum quod abradendo & exasperando, primùm quidem leuiter, velut epidermide tenus, mox carne tenus & vltrà, exulcerat. Aluus primùm edit, cùm difficillima egestione, bilem spumantem quam vocant χολώδεα ἐπαφρίζοντα. Hinc sequitur excretio adnatarum intestinis partium quæ sunt τὰ σάρματα ... quorum excrementa vocat Hippocrates σμικρὰ τε ὁμοῦ καὶ γλίσχρα, καὶ λευκὰ, καὶ ὑπόχλωρα, καὶ λεῖα. i. *pauca simul & glutinosa, & alba, & subflaua, & læuia* vel æqualia. Inde fit depopulatio partium, intestina constituentium, quæ cernitur in excretione interioris membranæ cuius ramenta quædam apparent, velut epidermidis cuiusdam abrasæ. Postremò sæuiente malo, & firmiter fixo, & quod deinceps eradicari nequit; erasa excernitur substantia intestinorū solida, cuius adeo magnæ sunt excretæ particulæ, vt meritò carnes dicantur. Tunc insanabile malū est, quòd eius mala sit redintegratio, μήτε συμφυῆναι τὸ ἕλκος ... μήτε ἐπουλωθῆναι ... i. *cùm neque coalescere tātùm vlcus, neque obduci cicatrice possit.* Hinc edictum illud. *Si cui dysenteria implicito carnes deiiciantur; funestum.* Sed inter causas mortiferas dysenteriæ, principē locū obtinet atra bilis, quæ est Hippocrati & Galeno, ἡ μέλαινα χολὴ, eaque potissimùm quam perusta genuit flaua bilis: quòd huius acriores sunt morsus, quàm eius quam melancholicus humor edit. Est enim feritas maior bilis atræ ex flaua, quam ex humore melancholico, vt suprà ostendimus in phrenitide. Nec verò tam sæuus est melancholicus humor, quàm flauus quem vocat Hippocrates μᾶλλον τοῦ καιροῦ ... χολώδεα, i. *colore plus quàm decet, saturato biliosum.* Et verò dysenteria ex melancholico humore sata; non est aluina cum vlcere: sed tantùm hepatica, qualis in illo descripta est. *Deiectiones nigræ, cuiusmodi est sanguis niger, quæ sua sponte cum febre & sine febre ducuntur; pessimæ.* Sed illud pertinet ad bilem atram. *Circa morborum initia, si bilis atra sursum deorsumve exeat, desperatio est.* Ac tantum interest inter bilem atram, & melancholicum humorem, quantum inter ferrum candens, & frigidum. Nam melancholici humoris nulla est feritas: in atra bile summa sunt omnia feritatis, ac tria illa secum habet coniuncta, quæ sunt acerrimi morsus, τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες, καὶ τὸ διαβρωτικόν, i. *acre, acidum, & erodens.* Quæ cùm ita sint, planè efficitur, verissimum illud esse quod scripsit præceptor. *Dysenteria, si ab atra bile incipiat; mortifera est.* Est autem mortifera: quoniam præ se fert speciem & ideam

[Marginalia: lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. — ibidem. — part. 5. 6. Epid. — Gal. ad aph. 26. 4 lib. 2. progn. — aph. 26. 4. — aph. 21. 4. aph. 22. 4. — aph. 24. 4.]

carcinomatis vlcerati, quod cùm extrinsecus insanabile est, multò magis intrà, desperationem ostendit sanationis: tum quia nec vlla est eius redintegratio sperabilis in tam maligno vlcere quod nullũ habet fundamentum περιόδους καὶ ἐπιδόσεις: tum quia non est medendi commoditas: tũ quia illud carcinoma, perpetuo excrementorum appulsu, sordescit & proritatur. Tertià restat causa dysenteriæ aluinæ quam in pituitæ putris appulsu & adhæsione positam esse diximus, vt cæterorum humorum exulcerantium. Sic enim visum est philosophari duce Hippocrate, qui, vt Galenus author est, eandem statuit causam vlcerati pulmonis & intestini. Verba Galeni hæc sunt. *Humoris praui è capite in fauces affluxus, quod in pulmonem prolapsum est, affectionem phthisicam excitauit: quod verò in ventrem delatum est, deorsum subeundo cum morsu, perturbationem creauit ipsius.* Sed quid authorem Galenum appello? Ipse Hippocrates author est, eundem esse fontem phthiseos atque torminum alui. Huius pituitæ prouentu onustum est caput in tempestate austrina quæ pluuias exhibet. Exprimitur autem modò ad superum ventrem, modò ad inferum, vel ad vtrumque; cùm eam tempestatem iam diu regnantem excipit aquilonia. Quæ ratio causæ morbificæ symptomatúmque inde nascentium, aureis scripta literis à præceptore, sic legitur apud Celsum. *Si verò austri pluuiaque hyemem occuparunt, ver autem frigidum & siccum est* (& aquilonium) *grauidæ quidem fœminæ quibus tum partus adest, abortu periclitantur. hæ verò quæ gignunt, imbecillos vixque vitales edunt. Cæteros dysenteria & lippitudo arida: & si seniores sunt, grauedines atque destillationes malè habent.* Hîc Celsus ex Hippocrate aurum colligere nesciuit: sed pro eo thesauro nobis carbones exhibuit. Otiosum est in ea versione versari. Sed alius erit explicandi locus. Ad institutum reuertor, & aduocabo Galenum qui super dysenteria è tempestatibus illis enata, tam bene scripsit, vt alibi nusquam melius scripsisse videatur. *Quæ in tempestate prædicta ortum habuit pituita, ob calidiorem hyemem salsa erit, proptereàque gignendis dysenteriis accommodata, postquam illa diu multúmque mordendo & abradendo vitiauerit intestina, vtpote quæ propter lentorem in sinuosis intestinis subsistit atque quodammodo stabulatur, ac pigro lapsu meat. Quò fit vt continenter acri sua qualitate abradendo exulceret, ac dysenteriam edat cum egestione cruenta.* Hactenus de natura & causis dysenteriæ. Nunc ad examen institutæ prognoseωs accedamus.

3. Epid. par. 3. — c. 1. lib. 2. — comm. ad aph. 11. 3.

Dysenteria.] i. Cruenta egestio, tum hepatica, tum aluina. Nam symptomatica omnis dysenteria, morbo accidit, vel hepatis exoluti, vel intestini exulcerati. Sic enim Galenus. Νόσημα μὲν οὖν ἐστιν ἡ τοῦ ἥπατος ἀῤῥωστία, καὶ ἡ τῶν ἐντέρων ἕλκωσις· κοινὸν δὲ σύμπτωμα ἀμφοῖν ἡ διὰ τῆς ἕδρας ἔκκρισις αἱματώδης. i. *Morbus est tam hepatis imbecillitas, quàm intestinorũ exulceratio: eorum porro symptoma cõmune est excretio per sedem cruẽta.* Excipio deiectionem cruentam αἱμοῤῥοΐδα, quę est eiusmodi vt cum ipsius cruoris deiecti nomine, dysenteria fit atque dicatur: tamen naturæ fortis merito, non morbi vitio, accidere videatur. Ac similiter quidem ipsa fit, vt hæmorrhoïdes, hoc solùm differens; quòd hæmorrhoïdes fluant aperta vena in ano: dysenteria verò, κατ' ἐξοχὴν dicta αἱματηρὰ vel αἱματώδης, αἰσθάνουσα habeat in anfractibus vel inuolucris intestinorum. Ergo Dysenteria.] Tam hepatica, quàm aluina, quocunque illa modo inciderit.

lib. 4. περὶ ἀρθρ.

Quæ intempestiue sistitur.] i. Cuius ἡ ῥεῦσις ἐπισχεθῇ, i. *fluxio cunctata*, exitu prohibetur per intestina & sedem, quà exire solebat, & quidem priusquam vacuationi & deriuationi operam dederit, ac neoterismo. Quæ curandi ratio sic tradita est à præceptore. *Si quem dysenteria vi occuparit, huic toto ventre dolor est atque tormentum, ac bilem, pituitam, & sanguinem ipsis permixtum egerit. Huic purgato capite, pharmacum dato potui, quod pituitam sursum expurget* (vt faciundum præcepit in illo. Ἐλλεβορίζειν δὲ χρὴ οἷσιν ἀπὸ κεφαλῆς εἰσιν ῥεύματα. i. *Ellebero purgandi sunt, quibus est à capite defluxus.*) *Tum postquam aluum lacte cocto proluerit, reliquum corpus, vt decet, curato: ac si quidem febre careat, opimis, pinguibus, dulcibus atque humidis, continenter mulsa & incommoda ex aluo subducito: tum calida multa quæ infra sunt vmbilicum partes foueto, si dolor adsit. Potiones autem, sorbitiones & cibos conuenienter exhibere oportet sicut præscriptum est in pharmacitide. Hic sanè morbus accidit cùm pituita & bilis affixa sunt ad venas alui, & ad ipsam quoque aluum. Hic vitiatur sanguis & corruptus egeritur. Vitiatur etiam intestinum quod abraditur & vlceratur. Atque hic morbus est longus, & satus, ac sæpe mortiferus. Verùm si firmo adhuc corpore, validísque viribus adhibita fuerit medicina, spes quidem est euadendi. Sin autem consumpto iam corpore, & aluo in totum exesa, remedia præscribantur; hic nulla salus vitæ sperabilis.* Sistitur autem potissimùm, vt cætera omittam styptica, imperio mulierum aulicarum, & medicorum ipsis morem gerentium improbitate & imperitia; pastillis terræ Lemniæ, quam Turcus dicitur dono Regi misisse, vt maior authoritas ei remedio compararetur.

lib. περὶ παθῶν. — lib. 4. περὶ διαίτης.

Abscessum facit.] i. Dysenterici humoris ἀπόστασιν, i. *decubitum*, per μετάστασιν i. *translationem* rheumatis quod primùm ciebatur ad intestina. Translatio autem fit, cùm vel interclusâ viâ humor se aliò recipit illuc effusus; vel aliò idem retrahitur atque refluit, per quandam palindromen quâ eò reuertitur vnde primùm cietur. In hac μεταστάσει, nunquam bene est dysenterico. Sed bene est in deriuatione per diuretica, & vomitu, sponte vel arte prorupto.

Vel in lateribus atque visceribus.] Vt per eam μετάστασιν pleuritidem excitet, vel peripneumoniam, vel hepatis phlegmonem: non secus ac si refluerent hæmorrhoïdes à longo affluxu, per quæ ex eo refluxu hydropem gignunt vel phthisin.

aph. 13. 6.

Vel in articulis.] Similiter vt colici sunt arthritici, cõuersa colica in arthritidem. Sic enim visum est præceptori cùm ait. Ὧι τὸ ἔντερον ἐπὶ δεξιὰ, ἀρθριτικὸς ἐγένετο, καὶ ἡσυχέστερος, ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἰητρεύθη, ἐπονέετο μᾶλλον. i. *Cui dextrà situm intestinum dolebat, oborto articulari morbo, fuit quietior: sed eo quiescente, rursum vnde fuit affligitur.* Vetus opinio est, talem esse μετάστασιν vel μετάπτωσιν crudelem ipsius dysenteriæ. Solenne illud est quod ea de re alibi scripsit præceptor, vnde magistri Scholæ Coæ, institutam prognosin huc transtulerunt. Δυσεντερίη παυσαμένη, ἀπόστημα ποιήσει, ἢ οἴδημα, ἢν μὴ ἐς πυρετοὺς, ἢ ἱδρῶτας, ἢ οὖρα παχέα καὶ λευκὰ, ἢ ἐς τεταρταῖον, ἢ ἐς κιρσὸν, ἢ ἐς ὄρχιν, ἢ ἐς σκέλεα ἢ ἰσχία ἀλγήματα ... i. *Dysenteria quæ cessauit, abscessum faciet, vel tumorem: nisi dolor abeat & obfirmetur vel in febres, vel in sudores, vel in vrinas crassas & albas,*

lib. 4. περὶ διαίτης.

vel

vel in tertianas, vel in varices, vel in scrotum, vel in crurum dolores, vel ad ischium quoque ipsum.

AN VERO BILIOSA IN ARTICVLIS? CRVENTA IN LATERIBVS ET VISCERIBVS?] Ac si diceret. Verùm dysenteria aluina quæ in exulceratione alui consistit, quam facit humor segregatus à concretione sanguinis, vt est bilis flaua quæ relictis intestinis, ad articulos cursum inflexit, dolores excitat articulorum? Cruenta verò, i. αἱματώδης, refluit primùm eò vnde venit, i. ad hepar, indéque excurrit ad latera, & ad pulmones? Animaduertet autem studiosus, in hac quæstione positam esse diæresin vtriusque dysenteriæ, videlicet hepaticæ, quæ ipsa per se cruenta est & aluinæ, cuius deiectio cruenta, causam habet exulcerationem intestini quam facit bilis flaua, aut pituita putris. Ac per dysenteriam biliosam notauit cætera quæ, similiter vt illa, fiunt in aluo. Sed transitus ratio fit dysenteriæ in arthritidem, aut per deriuationem humoris à fonte vnde manabat à rheumate concitato; aut per μετάστασιν rheumatis consistentis, ab intestino ad lumbos; vnde facilis est abscessus, vel ad crura, vel ad varices. Vt enim lumborum phymata, dysenterica sunt, vel etiam varicosa: sic aluina dysenteria, primùm exorta; dolorum lumbarium, & inde articularium proletaria esse solet. Est enim lumborum & intestinorum facilis sympathia, & συμπάθεια.

2 Δυσεντερικοῖσιν ἔμετος χολώδης ἐν ἀρχῇ κακόν.

Dysentericis vomitio biliosa initio: graue malum.

EA DEMVM in malis ducenda sunt, quæ olim profutura, nocent quando apparent & fiunt. *Critica sine crisi, alia quidem mortifera sunt, alia verò sinistra crisis.* Et. 1 [illegible] (Epid. 2. par. 1.) *i. Quæ crisin subeunt ante diem, si cruda sit crisis, hinc veniunt recidiuæ: sin minus, acrisiæ manent. Fuerit etiam illa crisis funesta, si non partita.* [illegible] *i. Quæcunque signa sunt critica, si eadem non sint eiusmodi; sinistræ sunt crises.* Ergo si vomitio biliosa dysenterico veniat sine crisi causa ministra est, vel potiùs ipsa effectrix, cùm rectè fit; aut si ante diem incidat, cum feritate bilis; aut denique, si non fit critica, vt esse debet; vel erit mortifera, aut sinistri iudicij; vel socia & conscia grauissimæ recidiuæ: nisi fortè superstes maneat acrisia. Quemadmodum autem prædictorum malorum origo fit & causa effectrix vomitio biliosa quæ dysentericis accidit circa initia; paucis aperiam.

DYSENTERICIS.] i. Iis quos occupat dysenteria, non quidem αἱματώδει: sed aluina quæ cruentatas edit egestiones ab vlcere intestini quod pituita putris, vel bilis effera excitauit, dum pigro lapsu glutinosa fertur per intestinorum anfractus, ipsisque abradendo & exasperando sæuissimam infert molestiam.

VOMITIO BILIOSA.] Bilis flauæ spumantis & meræ, quam sursum deorsumque incandescens hepar effundit, ac similiter cum dysenteria cietur, vt in cholera cum diarrhœa.

INITIO.] Vel circa initia, cùm ipsa natura morbificis causis multùm opprimitur, nec tum sperabilis vlla crisis, quæ vi naturæ, ac lege critica fit, excernendo. vt ea vomitio, & qualitate ipsa, & tempore, symptomatica sit.

GRAVE MALVM.] Quia dysentericis nulla inde leuatio est, sed grauiorum malorum accessio: quòd nullam exhibeat speciem causæ criticæ qua dolorificum malum foras exit: sed nuncia sit praui affectionis quæ intus inclusa est. Omnium enim quæ per διάδοσιν ad sympathiam adducuntur; nihil est quod primigenij mali leuationem adferat: sed contrà symptomatum grauiorum accessionem. Est igitur biliosa vomitio circa initia dysenteriæ, eius amplificatio. Secus dicendum de illa vomitione quam sua sponte natura ciet ad remoram diarrheæ vetustæ. Hæc artificium præbet medico, ad imitationem naturæ comparandum. (aph. 16. 6.) Eius adiumentum in reuulsione positum est: quemadmodum prædictæ vomitionis biliosæ noxa & calamitas in συγχύσει, i. confusione, per διάδοσιν, i. propagationem materiæ sursum deorsumque confluentis.

3 Οἷσιν ἐκ δυσεντερίης ὀξείης, ἐς πυώδεα ἥκει τὸ ὑγρὸν, τὸ ἐφιστάμενον ἔκλευκον ἔσται, καὶ πολύ.

Quibus è dysenteria sæua itur ad puriformia; qui superstat humor, multùm albus erit, & multus.

BENE RES enim quando cruditatis mutatio est in pepasmum, & sæui dolores mitescunt. Ergo dysentericis bene est cùm è dysenteria sæua itur ad puriformia. Cuius pepasmi signum est, humoris multùm albi, facilis & multa egestio. Positæ autem mutationis, & signi, mea quidem sic ratio est.

QVIBVS E DYSENTERIA SÆVA.] Sic enim visum est interpretari illud ὀξείης, vt omnis tollatur opinio dysenteriæ illius quæ ipsa per se cruenta est, proptereáque dicitur αἱματώδης, quæ vt celeritate cæteras antecellit (est enim ὀλιγήμερος, i. exigui temporis) ob eamq; causam videri possit acuta:

men in ea sæui dolores non sunt, quorum cruciatu hæc verè acuta est: quamvis diutiùs ipsum malè habeat quem inuasit.

Ergo. QVIBVS E DYSENTERIA SÆVA.] i. E cruenta egestione quam edit exulceratio intestini nata ex morsu acerrimo pituitæ putris, aut bilis: vnde sæua tormina excitantur cum egestione difficili, crebra, & pauca.

ITVR AD PVRIFORMIA.] Mitificato rheumate concitato & consistente. Nam pituita pepasmo fit puriformis: ipsa verò bilis: τρόπον τινὰ φλεγματοῦται, i. *quodammodo pituitescit*, vt visum est præceptori. Igitur ab egestione cruenta quæ difficulter, crebrò, & parum egeritur; transitus fit ad puriformem, facilem, & nihil olentem; virtute caloris natiui, & integritate partium solidarum, quibus materia effera mitificatur, & omnem exuit feritatem: vt iam dominatu & imperio regatur ipsius naturæ, nec ampliùs ipsi vim adferat. Secus est in egestione opima, læui, pauca, partim alba, partim subflaua. Hic liquitur adeps & seuum, quorum seuosa & adiposa egestio, febris ardore liquata; difficilis est, ac fœdi odoris, nec vllum adfert dysenterico adiumentum: sicut hæc puriformis.

lib. 3. ἀφορ. ἀξιων.

QVI SVPERSTAT HVMOR.] Τῆς ἐφισταμένης, quæ vox Hippocrati familiariter vsurpatur de iis quæ supernatant in deiectionibus & vrinis. Ac superstat quidem puriformis humor, si aqua in pelui excipiatur, nec fundum petit, vt sputum funestum phthisici mare conspuentis. Vel superstat etiam puriformis egestio, ipsa per se, in stercore.

MVLTVM ALBVS ERIT.] Segregatus à concretione & mixtione alieni humoris: non secus ac tela & cera insolatione albescunt, segregata omni sorde, quæ ipsas fucabat. Hæc autem segregatio virtute perficitur caloris natiui in puriformi egestione quæ multùm albescit etiam ab intestino quod album est, cuius integritate ὁμοιά ἐστι ἡ ἀπόῤῥοια τῇ ὑποκειμένῃ ὕλῃ, i. *effluentia similis est subiectæ substantiæ vnde manat.*

ET MVLTVS.] Qui antè paucus egerebatur ab oppressione; nunc multus egeritur liberè, à libertate partium obsessarum quarum redintegratio cernitur in liberali & libera egestione cocti humoris, cuius pepasmum arguit copia & albedo.

4 Τὰ δυσεντεριώδεα, ὑπέρυθρα, ἰλυώδεα, λάβρα διαχωρήματα, ἐπὶ φλογώδεσι ἐξερυθροῖσι χρώμασι λυόμενα· ἐκμανέωσι.

Deiectiones dysentericæ quæ rubris, limosis, cumulatè ducuntur; si cum facie rutila & saturo rubore suffusa quiescant; insania est in metu.

HIC SPECIES altera est dysenteriæ quam in diæresi positam esse diximus primæ prognoseωs, vbi quæstio est præceptoris. An dysenteria cruenta intempestiuè cohibita, abscessum faciat in lateribus & visceribus. Enimvero duplex est omnis ratio dysenteriæ: vna quidem hepaticæ, altera verò aluinæ. Sed aluinæ incommoda sunt explicata, & redintegratio quoque ipsa. Nunc de symptomatis dicendum hepaticæ, de qua iam illud perceptũ est; quòd ea intempestiuè suppressa, tũ in lateribus, tum in visceribus exempla edit intempestiuæ suppressionis. Atque inter symptomata eius immeritò subsistentis, principem locum habet id quod ponitur in hac prognoσi. Est autem insania, cuius origo sic est, ac signa eius mox affuturæ prænuncia.

DEIECTIONES DYSENTERICÆ.] Quæ cernuntur in cruenta egestione quam edit πλῆθος καὶ κακία αἵματος, i. *copia & vitium sanguinis*; vel exulceratio intestini. Sed hîc sanguinea tantùm attingitur, vbi sanguis in vitio est; vel nimiâ abundantiâ, vel qualitate ipsa.

QVÆ RVBRIS LIMOSIS CVMVLATE DVCVNTVR.] Aluo prorupta, primùm rubro, mox inde crasso & fæculento sanguine, quem hepatis ἀτονία profundit ad intestina, vel laxitas & ἀτονία effundit.

SI CVM FACIE RVTILA.] Et scintillantibus oculis: non quidem à lumine sibi connato, quod est instrumentum αὐγοειδὲς visificæ facultatis: sed à fulgore aduentitio, ac velut quibusdam marmarygis ob oculos obuersantibus, à sanguinis appulsu, multa bile perfusi, ad nitentes pellucidásque oculorum membranas, cum inflammatione quadam proprij oculorum luminis atque fulgoris; vnde nascuntur intus τὰ ἐρευθέα coruscantia.

τὸ φλογῶδες ἐν ποσὶν legitur prorrh.

ET SATVRO RVBORE SVFFVSA.] Non eo quidem refluo, vt in iis qui verecundia erubescunt: sed firmiter fixo & stabili, quem edit cruenta dysenteria, sursum ad caput reflexa; nec tamen hæmorrhagiæ opinionem facit.

33. s. 2. 1. & Coac. 7. 1. lib.

QVIESCANT] Repentè inhibeantur, ídque immeritò καὶ παραλόγως, vt dictum est in prima prognoσi huius tractatus.

INSTANTIA EST IN METV.] Præsertim si vultuosa sit facies, egregiè colorata, qualem Hippocrates vidit in ea muliere Thasia quam vocat δυσάνιον, ex bilis atræ infectione, quæ facilem ortum habet ex sanguinis æstu quo primùm incanduit cerebrum vnde facies egregiè colorata, mox vultuosa & rubra: quod signum tanti fecit Hippocrates ad omnis dementiæ præsensionem, vt illud instar omnium esse duxerit. Nota est illa prognosis. *Egregiè colorata facies & vultuosa; postsferum: ac tum caperatio frontis, phreniticum.* De phrenitidis autem & insaniæ ortu multa iam scripsimus 1 libro.

3. Epid. part. 3. Coac. 3. c. 3. 2. lib.

Δυσεντερι-

Δυσεντερίη σπληνώδεσι μὴ μακρὴ χρήσιμον· μακρὴ δὲ, πονηρόν· ληγούσης γὰρ, εἰ ὕδρωπες, ἢ λειεντερίαι γίνονται· θανάσιμον.

Dysenteria lienosis, non longa quidem; vtilis: longa verò pestifera. Nam quiescente illa, si vel hydropes veniant; vel etiam lienteria; mortiferum.

Erat ex illis quæ pertinent ad dysenteriam, illud extremum; vt patefactis omnibus, quæ ipsa infert, symptomatis atque incommodis; si quæ essent illius commoda dicerentur. Eorum commodorum recensio longa non erit. Catalogum finiet vnius commemoratio: ciúsque non ita certæ securitatis. Est autem dysenteria quam lienosi edunt, quæ vt longa, aut breuis est: ita sinistri aut secundi iudicij esse solet. Sed antequam institutæ prognoseos demonstrationem aggrediar; diorismos adferam splenicorum, vt intelligatur quibus adiumentum adferat dysenteria quam edit lienis expurgatio duce natura, vel artificio medici ad imitationem naturæ comparato.

Sanè lienosi non sunt, nec huiusmodi esse dicuntur apud Hippocratem, quos morbi omnes inuadunt lienis. Nec verò vndecunque lien affligitur, & malè habetur, eius afflictio lienosum facit eum quem occupat, vt inde propterea nomen habeat lienosi. Non enim lienosum dici eum reperio, cui turgidum est, durum, ac dolorificum hypochondrium sinistra parte, ab inflammatione systrophica ipsius lienis: quemadmodum nec hepatici nomen habet is cui pariter similitérque dextrum laborat, hepate inflammato. Eorum enim viscerum systrophicæ phlegmonæ, circa initia periculum adferunt citæ mortis mox adfuturæ: nisi, hæmorrhagia liberali, periculo defungantur; aut validarum virium beneficio cum eo tumore ad vigesimum vsque diem perueniant, quo ipsa phlegmone in empyema mutatur. Hic neuter eorum nomen adoptat sibi partis obsessæ; vt alter quidem hepaticus; alter verò splenicus nominetur. Non Herophonti nomen est lienosi, cui die quinto lien intumuit cum hypochondrij tensione; octauo cœpit imminui, & in crura tumor abscedit. Inauditum etiam fuit lienosi nomen Philisco, de quo sic narrat præceptor σπλὴν ἐπῆρτο περιφερεῖ κυρτώματι, i. *Turgidus erat lien tumore rotundo.* Ac ne complectar omnia quæ multa sunt apud Hippocratem; comprehendam breui: sic enim statuo cum Galeno; hic lienosos dici quibus iam pridem viscus ipsum lienis indurauit: vt planè stulti sint qui ἀδιορίστως eandem lienosis & melancholicis curationem instituunt. Sed multùm interest, magnique refert detúrne oxymeli splenico, an melancholico. Illi salubertimum est: huic nocentissimum. Testis est illa sententia præceptoris. *Nigrorum fermentatio est ab oxymelite, tum meteorismus & amplificatio.* Ergo lienis vetustè orta duricies, lienosos facit quos occupat. Hæc autem vetusta duricies sic ortum habet, authore Hippocrate. *Quibus magnus est lien, si quidem biliosi sunt, fœdati multùm apparent, vlceribúsque obsiti quæ difficulter sanescunt; tum illis ab ore fœdus expirat odor, atque marescunt. Lien verò durus percipitur, manétque sui similis in magnitudine, nec cibos deiiciunt. Sin autem pituitosi sunt, multò minora sunt iis prædicta incommoda: tum ipse lien aliàs atque aliàs maior aut minor est.* Sed illa vetustas duriciei quam esse dixit Galenus τοῖς σπλῆνα χρονίως ἐσκληρυσμένον ἔχουσι. i. *iis quibus longo tempore lien indurun*; non debet referri ad statum ipsius duriciei quæ pridem existit: sed potiùs ad ortum eius qui vetus est, vnde lienis tumor paulatim assurgit. Talis est illa loquendi forma. *Quæ longo tempore extenuantur corpora, parcè ac diu reficienda: quæ verò breui, breuiter*, i. paucis diebus. Non enim eò spectat illud χρονίως, vt significetur vetustas tumoris qui iam accreuit; sed inueteratio accrescendi: quemadmodum nec in illo, vetusta est corporis extenuatio, sed ipsa extenuandi causa. Sed illa lienis tensio, indéque nata duritas quadruplicem habet formam, quæ sic expressa est à præceptore. Σπλὴν σκληρὸς, οὐ τὰ ἄνω· κάτω στρόγγυλος. πλατὺς. παχὺς. μακρὸς, λεπτός. i. *Lien durus, non sursum; deorsum rotundus, latus, crassus, longus, tenuis.* Quod est eiusmodi ac si diceret. Quotiescunque lien induruit; non est sursum hæc duricies quæ ortum habet à veteri congestione humoris: quemadmodum illa quam repentina fluxio excitauit, quæ & ipsum lienem facit ἀνάῤῥοπον, & omnia quæ inde mouentur ἀνάῤῥοπα, vt hæmorrhagiam, & faciem insigni calore & colore suffusam. Sed hæc duricies vetustæ congestionis, vnde homines lienosi dicuntur, deorsum percipitur, éstque κατάῤῥοπος, omniaque inde nata κατάῤῥοπα, quæ cernuntur in calore & pustulis partium inferarum, vt pedum, & genuum; cum frigore superarum, vt aurium, narium, & manuum quoque ipsarum: sicut Galeno visum est emendanti vulgarem scripturam. Ergo hic lien deorsum durescit, eáque duricies cùm accreuit, rotunda est, aut lata: quarum differentiarum commune est nullam esse lienis accretionem in longum: quæ tamen accretio, reliquarum duarum communis est, crassæ ac tenuis: vt scilicet ipsa duricies sit longa & crassa, tenuis item & longa. Quæ cùm ita sint, nunc erit facilis demonstratio huius prognoseos quæ sic habet.

[Margin: lib. 1. progn. & in Coac. — hist. 3. 1. Epid. — hist. 1. 1. Epid. — aph. 43. 6. — lib. 4. περὶ διαίτ. — lib. περὶ παθῶν. — aph. 48. 6. — aph. 7. 2. — 6. Epid. part. 2.]

Dysenteria.] i. Cruenta egestio; non quidem hepatica: sed aluina; quam edit exulceratio intestini, nata ex glutinoso & acri humore qui admodum pigro lapsu extra fertur, per sinuosa intestina, quibus abradendo & exasperando molestiam exhibet sæui doloris.

Lienosis.] i. Quibus lien ipse iam pridem cœpit durescere, ac tandem κατάῤῥοπος factus est: non quidem repentino affluxu sanguinis melancholici qui phlegmonem edit systrophicam, ipsúmque facit ἀνάῤῥοπον cum duritate ac sæui doloris cruciatu; sed quibus congesta sensim pituita, aut melancholicus humor, duritatem attulit tensionis; oborto scilicet lienis tumore rotundo, aut lato, longo & crasso,

itémque tenui atque longo. Quæ omnes differentiæ sunt in κατaῤῥόῳ liene, per congestionem humoris pituitosi, aut melancholici: quò spectat instituta prognosis.

lib. 4. περὶ ἀφ-ρῶν.

NON LONGA QVIDEM.] Quod in laude positum dysenteriæ periodicæ sanguinis redundantis, quæ fit κατ' λόγον naturæ, i. imperio ac dominatu ipsius, quæque nullam habet ἐπίφεσιν. Est autem non longa, i. pressa leuiter ad exigui prædicationem temporis, atque fugax: à forti contentione naturæ, humorem morbificum, iam cœptum mitificari, confertim ac celeriter expurgantis. Naturæ autem contentio excitatur cùm lien induruit: quia tum oppressa, tum proritata, fit αἰσθητικωτέρα, cum sensione ac perceptione tumoris molesti. Antea verò nullum erat studium excernendi, dum virtus excretrix manebat sopita & debilis: quæ causa & occasio lieni fuit, congerendi humorem melancholicum aut pituitam, sine molestia: donec ipsa congestio cumulata, lieni tensionem attulit, indéque duriciem atque renixum, ac proinde sensionem suæ molestiæ qua proritatum viscus colligit se ad excernendum humorem morbificum διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων, i. *per loca lege naturæ commoda*, vt explicet se illa molestia. Quæ ratio explicandi concessa est partibus omnibus quæ communi funguntur officio. Intelligo autem quò, quà, & quemadmodum; vt est humoris motus, naturæ impulsus, & partis obsessæ conditio atque situs. Quæ tria expurgandi conuenienter commoda & opportunitates, sunt in liene turgido & καταῤῥόῳ, per intestina: vnde dysenteria per accidens excitatur.

VTILIS.] Quia inde certissima est securitas, secundam fore valetudinem lienosi quem modò descripsimus; idque tum per se, tum ex euentu. Ac per se quidem: quoniam vacuando atque nouando, redintegrationem adfert lienis, multùm è natura egressi, facítque vt ad officium redeat segregandi humorem nigrum à sanguine. Quod non in vltima laude ponendum est naturalis œconomiæ, naturaliter constitutæ. Ex euentu autem: quoniam fugax illa dysenteria non infert incommoda, mox dicenda, lienteriæ vel hydropis.

LONGA VERO.] Cuius longinquitas tribuenda est, vel ipsi lieni ab oppressione nimia fatiscenti, non exurgenti contra vim morbi; vel humoris efferi offensioni, cuius exulceratio sæua est in intestino, cum diuturno affluxu lacessentis continenter humoris: cuiusmodi esse dicitur dysenteria quæ à bile atra duxit initium.

PESTIFERA.] Signo & causa. Ac signo quidem: quoniam ipsa symptomatica, nata est è symptomate, ac symptomatico motu edita, non vi naturæ: tum autem quia tam sæua dysenteria, & colliquamento vtriusque adipis, & intestino exeso, funesta est. Vt causa autem: successione mortiferorum symptomatum, lienteriæ, vel hydropis. Sequitur enim.

NAM CESSANTE ILLA.] Non quidem redintegrato intestino nimium exulcerato, penéque exeso; nec restituto liene quem dira vis morbi, diu multúmque oppressum labefactauit: sed omni sensione sopita, sublato intestini sensu per νέκρωσιν & gangrænam.

SI VEL HYDROPES VENIANT.] Tympanias vel ascites, quorum inde natorum generatio patefacta est in historia de hydrope.

VEL LIENTERIA.] Cuius natura & causæ mox dicentur in proxima decisione.

aph. 43. 6.

MORTIFERVM.] Sic enim dixit alibi, ἐπιθανατώτατα: quoniam nulla redintegratio esse potest in magnis symptomatis quæ à pessimis ortum habent; idque cùm aliàs, tum si naturæ vires languent effœtæ. Hic autem lienteria, ex imbecillitate orta virtutis, ipsam quoque denuo infirmiorem facit. Notum est illud vetus Hippocratis. *Morborum quicunque alter alteri superuenerit; maximam partem interimit. Nam cùm infirmo iam corpore, maleficentià morbi præsentis; alter morbus incidit, priùs ab imbecillitate moritur, quàm morbus nouè aduenienss, cursum suum confecerit.*

lib. ἐπιδημιῶν.

Exiitit quæstio difficillima, super dysenteriæ vindicis breuitate, qua vnicè commendatur. Num semper in vitio longa sit; ac nullam vim habeat vindicandi, grauiorum malorum assertrix. Fuit namque illud iudicium præceptoris, vt dysenteria longa, sit vindex lumbarium gibberum: quando illa gibbera & κυφώματα veniunt à luxante tuberculo. Hippocratis verba hæc sunt. Ἤδη τινὰ ἔλυσε, ἡ δυσεντερίη μακρὴ γενομένη. i. *Iam pridem constat quòd quibusdam, gibberorum lumborum libertatem attulit dysenteria quæ longa est.* Ergo dysenteria longa, vindex est lumbarium gibberum à tuberculo enatorum. Hic certè quærendi occasio est, cur ea longinquitas non inferat illa incommoda mortifera, lienteriæ & hydropis, de quibus verendum præcepit in longa dysenteria lienosi. Enimuero phymatis siue tuberculi, coxam, i. lumbos luxantis, & κύφωμα, i. *gibberum* facientis, causa est sanguis quem mitificari oportet, & in empyema mutari, vt confluat ad intestina, quò nec sua sponte posset appellere, propter crassiciem: nec ab inflammata parte cieri; propter segniciem. Sed empyemate, crassi humores tenuantur, ipsáque partium obsessarum natura excitatur ad excretionem humoris molesti. Est autem pepasmus sanguinis, omnium humorum mitissimus. Itaque dysenteria longa est, longo affluxu materiæ, cuius ne minimum quidem superesse oportet in phymate, vt luxata vertebra reponatur. Sed ea materia longo affluxu non facit carcinoma in intestino, nec intestini substantiam labefactat, quam superficie tenus tantùm abradit; nec verò nutritias partes in mali societatem adducit, vt inde lienteria vel hydrops in metu sit. Longinquitas autem dysenteriæ, id secum adfert commodi, vt phymatis luxantis materiam vacuando, ipsam quoque luxatam vertebram, è suo ginglymo & symphysi foras egressam, intrò velut fugitiuam retrahat, per sympathiam mesocoli, neruos lumborum ex quibus constat, in crebra egerendi contentione attrahentis. Secus est in dysenteria lienosi, quæ si à pepasmo veniat pituitæ à forti contentione lienis exclusæ; breuis est atque fugax, nec vlla suæ feritatis impressa relinquit vestigia in intestino. Sin autem melancholici humoris putredine quadam atrabilaria excitetur; quò longior, eò peior: quoniam, vt paucis dicam, idem facit quod illa quam excitat bilis atra.

lib. 3. περὶ ἄρθρων.

DE

DE LIENTERIA.

ΕΝ ΛΕΙΕΝΤΕΡΙΚΟΙΣΙ μετὰ θηρίων ὀδύναι, στρόφῳ λυόμεναι, τὰ περὶ ἄρθρα μετεωρίζουσιν. ἐκ τούτων λέπια ἐξέρυθρα φλυκταινώδεα. ἐφιδρώσαντες ὅτι διαφοινίσσονται, οἷα μάστιξιν. Cap. XXI.

10 1 *In lientericis cum feris aluinis, qui tormine exoluuntur dolores; quæ circa sunt articulos tumefaciunt. Hinc prærubræ squamulæ & bullatæ. Quinetiam oborta sudatiuncula, vibicibus rubent obsiti, vt flagris cæsi.*

SEQVITVR aluinum symptoma, toto genere symptomaticum, quod nulla ratione criticum esse potest; vt sæpenumero est diarrhœa: non tarò etiam dysenteria, vt suprà ostendimus. Est autem lienteria, quæ ex infirmitate orta naturæ, ipsam reddit denuo infirmiorem. Ergo lienteria semper mere-
20 tur malè de iis quos inuasit: quia non effundit quod intus læsurum erat, sed potiùs profuturum; videlicet quicquid assumptum est: proptereaque vt causa ipsa; sic etiam spatio periculosa est. Interdum enim ægros trahit: interdum præcipitat. (Cels. capit 16. lib. 4. & 1. Epid. part. 2.)

Sed eius infirmitatis, vnde lienteria ortum habet, causa omnis priuationem edit primæ coctionis in aluo: idq; tum per se, tum ex euentu. Atque natura lienteriæ in coctione frustrata consistit: symptoma verò in præpropera egestione σιτίων ἀμεταβλήτων, i. *ciborum mutationis penè omnis expertium.* Vt non minùs in vitio sit lienteriæ morbus atque symptoma, quam si ægro manus adferret. Est enim perinde adeo victum tollere, ac vitã adimere: planeq; idem est lientericũ esse, quod genio defraudari, & fame absumi.

Quemadmodum autem symptoma hydropis edit frustratio αἱματώσεως: sic lienteriam frustrata chyli operatio, vel ipsa chylosis frustrata. Ille symptoma est secundæ coctionis deperditæ: hæc verò primæ.
30 Sic enim Galenus agnoscit in lienteria, σίτησιν τῆς πρώτης πέψεως: quemadmodum in hydrope, τὴν ἀποπληξίαν τῆς αἱματώσεως ἔργου: vt suprà iam demonstratum est. Quamobrem nec λειεντερία Græcum nomen, nec Latinum, *læuitas intestinorum*, conuenienter & appositè, morbi aut symptomatis naturam animo complectendam proponit. Nec enim læuitas intestinorum, semper est: sed quandoque asperitas: nec si esset, symptomatis huius consecutionem adferret. Adfertur autem morbo ventriculi, non intestinorũ. (aph. r. 6. & lib. 2. progn.)

Atque vt iam cœpi attingere; duplex in aluo causa est vnde lienteria vulgo dicta enascitur. Vna quidem, frustratio coctionis; altera verò, præceps egestio. Illic manet cruditas: hic contineri nihil potest quicquid assumptum est, quin protinus imperfectum reddatur. Atque vtriusque causæ commune est, coctionis priuatio: sed frustrationis, per se; præcipitis verò egestionis, ex euentu. Commune est etiam vtriusque, aluum ferri cibis incoctis & crudis.

40 Frustratæ coctionis per se, causa est prægrandis ventriculi frigida intemperies quæ ἀτονίαν facit; vnde frustratio coctionis, cuius frustratæ primum symptoma est, alui grauatæ oppressio, inde crudorum quæ sumpta sunt, libera & liberalis egestio. Eius lienteriæ ἐπιγινόμενα sunt, fames canina quæ dicitur κυνορεξία, i. *inexplebilis appetentia*, hinc βούλημα τούτοις καταλύσεως τῆς δυνάμεως ὀρεκτικῆς, i. *collapsa vis appetendi*, cum indigentia alimenti per νήστιν alui quam in Pario annotauit, quem scribit fuisse σιτόνοσον, i. *cibi fastidiosum*, cum aluo prorupta vel profusa liquidis excrementis. Comitantia autem signa sunt, alui oppressio ex irrita contentione & inani conatu coquendi: mox inde profusa crudorum ciborum egestio. Huius lienteriæ, his de causis enatæ, proprium epiphænomenon quiescentis & vale dicentis, est ὀξυρεγμίη, i. *acida eructatio*, quæ priùs non fuit: sicut alterius lienteriæ mox explicandæ, προσημαινόμενον, i. *prænuncium signum*, quod eam citò venturam denunciat, similis oxyregmia, siue acida eructatio. Ad
50 lienteriæ huius curationem, neotetisino tantùm est opus, ὅτι ὅμως συμφέρει κενεαγγείην, vt verbis vtar Hippocratis, i. *neque profuerit vacuationi operam dare.* Atque ipsa curandi ratio, in illo præscripta est à præceptore. Λιμὸν θώρηξις λύει. i. *Famem caninam, potio meri exoluit & sanat.* Huc spectant fermenta stomachica, litus, hapsi, emplastra; tum piperata etiam, siue aromatica condimenta, cum delectu morbi & ægri. (aph. r. 21 & 2. Epidem. lib. 3. περὶ διαίτης. lib. 4. περὶ ὀξέων.)

Restat altera lienteria, cuius præceps egestio causa est cruditatis; cùm scilicet quidquid assumptum est, contineri nequit in aluo, donec perfectum sit: sed protinus redditur imperfectum. Eius incontinentiæ duplicem causam reperio; vnã catarrhi prolapsum crudi & albuminei, quo præcipitantur quæ sumpta sunt omnia, priusquam mitificari cœperint, vel etiam mutari in aluo. Hæc, tempestatis est humidæ frigidæ & aquiloniæ, cuius vi sic ortam fuisse Thasiis narrat Hippocrates. Γενομένου δὲ τοῦ ἔτεος ὅλου ὑγροῦ, καὶ ψυχροῦ καὶ βορείου· ἤρξαντο μὲν τὸ πρῶτον ὀφθαλμίαι ῥοώδεες. κτλ. δὲ τὸ θέρος ὕδε καὶ φθινόπωρον, λειεντεριώδεες.
60 &c. i. *Exacto anno humido frigido & aquilonio; primùm quidem exorta sunt ophthalmia liquentes. Per æstatem verò & autumnum, iam pridem concepta causa, facti sunt lienterici*, &c. Vide Galenum. Hic primùm siccandum est caput marsupiis, & pane calido, ne quid deinceps confluat: mox purgationi operam dare oportet diluto rhabarbari: diætam præscribere siccam ac tenuem, nec sistere ante tempus. Lienteriæ huius descriptio digna Hippocrate, sic legitur. *Lienteria cibos egerit imperfectos & crudos*, ἀπέπτους vocat Hippocrates; (1. Epid. part. 2. lib. περὶ παθῶν.)

ac tum nullus dolor est. Sed tamen corpus macrescit. Ac morbus quidem infertur, quando è capite & supero ventre catarrhus pituitæ prolabitur ad inferum ventrem. Quod cùm accidit, cibi ab ipso catarrho crudorum concipiunt, & humescunt: vnde ipsorum ἀπέπτων, i. crudorum & incoctorum præceps egestio esse solet. Tum corpus liquatur.

Superest causa altera præcipitis egestionis: propter cáque crudæ, quæ incontinentiam ventris ostendit. Est autem aphthosa ventriculi tunica, i. leuis & superficie tenus impressa exulceratio, qua similiter fit in aluo lienteria, vt strangutia in vesica. Huius lienteriæ historia legitur quidem alibi apud Hippocratem: sed quia pertinet ad hanc prognosin, vel ipsa prognoseως ratio in eius notitia continetur; sufficier locos attingere, & explicare per singula membra ipsius prognoseως, vt eodem stylo exaretur.

comm. ad aph. 1. 6. lib 2. prorrh. 3. Epid. & lib. περὶ διαιτ. ὀξέων.

In lientericis.] Quorum præceps egestio, causa est cruditatis, frustrarâ scilicet coctione ob incontinentiam cibi quam edit aphthosa in sinu ventriculi superficies. Talem enim lienteriæ ideam ponit instituta prognosis, vt planum facient quæ sequuntur. Sed primùm aphthosi ventriculi ratio explicanda. Sanè ἀφθώδης, i. *aphthosus* fit, aphthis quibusdam obsitus. Sunt autem aphthæ, vlcuscula quædam, superficie tenus in ore conspicua lactentium nuper natorum infantium, quæ ἀπὸ τοῦ ἅπτειν nomen habent: quòd infantium ora mollissima, tenerrimáque, serosioris lactis contactum & qualitatem perferre non possint. Hoc sporadicum est à diæta: propterea que sanescit ex facili, vbi sola sufficit diætæ mutatio. Sed illud epidemicum est, habétque λοιμῶδες pestiferum, de quo hæc scripta sunt à præceptore. Στόματα ἀφθώδεα, κοιλίαι ταραχώδεες, ἀσιτίαι. i. *Ora aphthosa, turbatæ alui, ciborum fastidia.* Vbi Galenus author est; aphthas infantiæ quæ cum nutricis lacte suguntur, statim quiescere, si ora lactentium modicè astringantur: sed eas quæ ab humore prauo nascuntur, semper malignas existere. Deinde subiungit. *Prolapso è capite prauo humore in fauces, quicquid in pulmonem irruit, tabificas facit affectiones: quod verò in aluum subit, eam perturbat cum morsu: in transitu autem, appetendi vim labefactat, cibíque adducit fastidium,* quod ἀσιτίας Græci vocant. Sic ora grauidarum aphthosa, futuri abortus prænuncia sunt: quod ab eodem ferino catarrho, idem futurum est in ventriculo, quod apparet in amplitudine oris, videlicet leuis exulceratio. Hinc lienteria quæ abortionis causa est: quia gerendi & nutriendi fœtum adimit commoditates. Quæ cùm ita sint, pergamus ad reliqua.

aph. 24 3. — part. 3. 3. Epid. — Hæc infrà demonstrabuntur in historia, τῶν γυναικείων.

Cvm feris alvinis.] Vel ani potiùs, quæ sunt ascarides: sicut aluinæ feræ, vermes rotundi & lati. Nam de huiusmodi ferarum causis & nomine, dictum est alibi.

Qvi tormine exolvvntvr dolores.] Quos excitat irritata exulceratio, dum præceps egestio fit ciborum, quorum appulsu necessario refricatur, vnde tormentum quod cibis egestis quiescit, vnáque dolor obortus mitescit. Demonstratum est suprà; quòd morsus & tormina nunquam doloris nomine appellantur. Sic igitur dolores oborti cum tormine, exoluuntur cùm cibi transierunt, quorum contactu pressa quantumuis leuiter exulceratio proritatur, atque quodammodo recrudescit. Secus fit in prima differentia lienteriæ, quam edit ventriculi ἀτονία nata ex prægrandi frigida intemperie. Nec enim sæua est crudorum egestio, nec ita præceps; caréque omni molestia in excernendo.

Coac. 15. capit. 11. lib. 2. — ἀφορια. aph. 1. 6.

Qvæ circa svnt articvlos tvmefaciunt.] Quod est eiusmodi ac si diceret. In longa lienteria, quæ quoties aluum ciet, dolores excitat cum tormentis, nec nisi excluso cibo quiescunt; si quidem cibi appulsu tantùm, exulceratio proritetur, cuius ipsa præcipitem facit egestionem; ipsum verò ῥεῦμα ἐξ ὁρμῆς, i. *concitatum è capite*, aliò se conuertat, impetúmque faciat in articulos ipsos; cùm iam pridem emacruerint, proptereáque multùm extenuati sint, eos tumefaciet, non quidem εὐσαρκίᾳ: sed quodam tumore cachectico. Est enim facilis atrophiæ transitus in cachexiam: præsertim cùm perennitas est cacochymiæ. Quod satis indicant quæ sequuntur. Verbum autem, μετεωρίζειν, pertinet ad tumorem contra naturam, non ad εὐσαρκίαν ἢ σαρκῶν αὔξησιν. i. *carnium succi plenarum & solidarum accretionem.* Sic dysenteria biliosa, intempestiuè suppressa, abscessum facit in articulis.

Hinc prærvbræ sqvamvlæ et bvllatæ.] Cùm scilicet ad vltima ventum est, & cachexia solidarum partium, ex æquo certat cum ἀτροφίᾳ. Hîc enim pustulati articuli velut ambusti, corporeæ habitudinis phthisin ostendunt, vt demonstratum est suprà in illa prognosi. *Pustulata corpora, velut ambusta; phthisin ostendunt habitus.* Ac primùm hîc pustulæ, velut bullæ sunt rubræ, ex affluxu & collectione ichorum venenatorum & acrium, superficiem corporis amburentium vel erodentium. Inde squamosæ fiunt, & velut squamatim cadunt emortuæ in marasmo partium solidarum, vt visum est præceptori in illo. *Si cui sputa salsa & tussis inhibentur, iis rubet corpus velut exanthematis obsitum; sed ante mortem exasperatur.* Sed satis iam alibi de bullatis exanthematis quæ cadunt in ἀτροφίας partium solidarum, & suo genio defraudatarum, & erethismis efferæ cacochymiæ afflictarum.

aph. 74. 4. — Coac. 1 cap. superioris. — Coac. 12. capit. 17. lib. 2. — lib. 4. περὶ διαιτ. ὀξέων.

Qvinetiam oborta svdativncvla.] Quæ tum exudat, cùm succi alibilis nulla fit assimilatio, partibus exolutis, ac sui negligentibus, ipsum effluere permittentibus.

Coac. 15. capit. 7. lib. 2.

Ac rvbent vibicibvs obsiti, velvt flagris cæsi.] Quoniam à putri calore sudatiunculæ, cùm naturalis humor effluxit, feruntur ichores qui occupant totum corporis habitum. Est enim perceptum illud Hippocratis; quòd quicquid in corporis habitu cauum est ἢ ἀσύμφυτον, i. *incoctile*, cuiusmodi sunt interstitia musculorum; vt spiritu replentur in secunda valetudine: sic ichoribus in aduersa, quorum collectione, præter perennem affluentiam ex hepatis, venarúmque omnium impuritate; modò pustulæ, modò vibices toto sparguntur corpore, pro qualitate humoris morbifici, & varia partium obsessarum figura. Tali stylo edita est illa prognosis. οἷσι τὰ ἄρθρα φλυκταινίδεσιν, ὑπερυθροῖσιν ἐπανίσταται ... κοιλίας καὶ βουβῶνας ... ὑποπελιδνοῦνται, καὶ ἀποθνῄσκουσι. i. *Quibus articuli attolluntur subrubris bullis; hi cùm obriguerint, toto ventre & inguinibus velut purpurati conspiciuntur, tanquam vibicibus cæsi, & moriuntur.* Sed eius prognoseως enarratio infrà ponetur. Pergamus ad alia.

lib. περὶ φυσῶν.

2 Οἱ ἐν λειεντεριώδεσι μακρῇσι, ἅμα θηρίοισι, στρόφώδεες, ὀδυνώδεες· λυομένων ἐποιδέουσι. Τὸ ἐπιρριγοῦν τούτοισι κακόν.

Quos longa exercet lienteria, cum feris, torminibus, & doloribus; cùm hæc quieuerint, intumescunt. His superrigere malè est.

HIC LONGA non est lienteria, in aphorismis posita, quæ ex Græco Latinè ita conuerti. *In longa lienteria si acida sit eructatio quæ priùs non erat, bene fit ægro.* Est enim causa ejus, ventriculi ἀρρωστία quam genuit ingens ipsius frigida intemperies. Eius egestio caret omni tormento, & omni morsu atque dolore intestinorum, nec ita præceps est, vt iam dixi, quàm aliarum quæ à prolapsu catarrhi è cerebro enascuntur: imprimisque ferini, qui & ventriculum, & intestina tenuia facit ἀφθώδεα. Qualem iam posuit superiore prognosi: & in hac etiam symptomata eius prosequitur tum adjuncta, tum consequentia, συνεδρεύοντα καὶ ἐπιγινόμενα Græci vocant. Est enim lienteriæ signum vnum pathognomonicum καὶ ἀχώριστον, præceps crudorum vel imperfectorum ciborum egestio.

QVOS LONGA EXERCET LIENTERIA.] Quam edit aluus aphthosa, vnde crudorum præceps egestio ab incontinentia omnium quæ sumuntur. Est autem longa, tum ob perennem affluentiam catarrhi ferini, ex anno austrino quem pluuiæ occuparunt, vnde ventriculi & intestinorum aphthæ conjunctum habent Hippocraticum illud θηρίον; non autem lactentium similes quas excitauit serosius lac nutricis: tum ob assiduam proritationem eorum quæ sumuntur, illac transeuntium; vnde solaminis loco, afflictis datur afflictio, vt in prouerbio est.

CVM FERIS.] i. Ascaridibus, in ano velut catullientibus, quæ sunt putredinis fœdæ soboles, non autem excrementi chylosi, quale multum est in puerulis ab edacitate: propterea que scatent lumbricis. Nam tæniarum alia ratio est, quam suprà ex præceptore attigimus. Non enim credibile est in chylosi excrementi vacuitate, ac tam præcipiti egestione, lumbricos nasci: quamuis in torminibus etiam enascantur; si verum illud est præceptoris. Τοῖσι καρδιώσσουσι μετὰ στρόφων κοιλίης θηρία καταρρήγνυται. i. *In cardialgia cum torminibus, feræ alui prorumpunt.* Sed ascaridum hìc nulla est impeditio: quin potiùs opportunitas ex fœda corruptione. Ascarides autem, feræ sunt, nec rarò κατ' ἐξοχὴν, nomen ferarum obtinent, vt in illo. Τὸ θηριῶδες φθινοπώρου, i. *Autumno ferinum.* Vbi Galenus author est, ferini nomine contineri ascaridas, lumbricos, elephantem, cancrum, phthisin, cæteráque omnia sæua mala quæ autumno potissimùm regnare dicuntur. Sed ex omni sensu τοῦ θηριώδους. cui locus hic esse possit quàm ascaridibus, non hercle inuenio. Lumbricos iam explosimus: elephantem verò, cancrum, phthisin, & vlcus depascens, quod θηρίωμα ἢ νομὴν Græci dicunt, huc aduocare nec possumus, nec debemus. Nam vt cæterorum facilis ratio est cur in lienteria loco ponenda non sint: sic ferini vlceris ac depascentis nulla est æquitas cur in lienteria sit vsurpatio. Est enim θηρίωμα vlcus, ἢ νομὴ in aluo, dysenteriæ aluinæ causa effectrix: quoniam egestionem mouet cruentam, quæ nulla est in lienteria: sed tantùm crudi cibi, & imperfecti, ab impotentia coquendi aut continendi.

TORMINIBVS.] Quæ intestinorum leuiter pressa excitat vlceratio, appulsu ferini humoris vnde mordentur, éstque morsus ille, torminum causa vna: sicut & flatus acrior qui in sinuosis intestinis subsistit, nec exitum habet, vt mox dicetur.

ET DOLORIBVS.] Contactu eorum quæ frustra sumuntur dum illac transeuntia præcipitantur ad exitum. Notabilis est, hoc loco, doloris atque torminum distinctio.

CVM HÆC QVIEVERINT.] Sed tamen ὀλεθρίως ἢ ἀσήμως, vt nulla redintegratio sit alui, nec intestinorum, cum perenni affluxu catarrhi ferini. Quiescunt autem ascarides, dolor & tormina: quoniam cessat egestio sensu amisso per νέκρωσιν alui & intestinorum, vnde nulla ampliùs rei molestæ sensio excitatur.

INTVMESCVNT.] Occupati scilicet tympania hydrope qui assurgit copia subsistentium flatuum in anfractibus intestinorum, in quibus impotentia est, vel deprauatio peristalticæ facultatis.

HIS SVPERRIGERE.] Τὸ ἐπιρριγοῦν, semper symptomaticum est apud Hippocratem, vt alibi sæpe iam obseruauimus. Est autem symptomaticum materiæ subsistentis, vt in purulento abscessu; non autem è vasis expressæ in partes acerrimi sensus, neruosissimas; cuiusmodi est ille rigor qui cietur in febribus, è lumbis per dorsum ad caput.

MALE EST.] Signo & causa: quod alibi demonstratum est, vt nemo sit omnium qui nostra hæc legerint, quem ista nescire persuasum habeam.

3 Λειεντερικὰ μετὰ δυσπνοίης, καὶ πλευροῦ τῇ κινήσει· ἐς φθίσιν ἀποτελευτᾷ.

Lienterica quæ cum spiratione difficili, & lateris vellicatione coniuncta sunt; transeunt in phthisin.

ENIMVERO vna lienteriæ differentia, & vna item phthiseos, ab eodem fonte principia causasque ducit; nempe à cerebro vnde ferina destillatio est, nata ex tempestate austrina pestifera, cuius prolapsu

Marginalia: aph. 1.6. — Coac. 15. capit. 11. lib. 2. — ibidem — lib. 2. progn. — lib. 6. aph. & 6. Epidem. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50, 60

in aluum aphthosam fit lienteria; in pulmonem verò, θηριῶδες φθινῶδες, i. *ferinum vlcus tabificum*. Nota est illa sententia nuper è Galeno adducta super symptomatis quæ à ferini catarrhi prolapsu in fauces, nascuntur; quædam in aluo, vt perturbatio vel ἐπιτάραξις; quædam in pulmonibus, vt phthisis: quæ omnia sequuntur naturam humoris morbifici, & partium occupatarum. Sed tamen perrarò accidit, vt ambæ partes, è catarrho in fauces, pariter similitérque affligantur. Vnius afflictio vindex alterius esse solet: sicut in ructu acido, rarò pleuritis incidit: nisi tanta sit catarrhi feritas & propagatio, vt ambas æquè inuadat & occupet. Quod sapienter Hippocrates annotauit in diarrhœa pleuriticorum & phthisicorum, quam scribit nonnullis eorum superuenire, affecto iam morbo; quosdam verò circa initia pariter occupare. Omnis autem præceptoris ratio de diarrhœa cum phthisi, aut super phthisi, continetur in illa prognosi. *E phthisicis, quibus defluunt capilli è capite; pereunt à diarrhœa. Et quibus phthisicis diarrhœa superuenit; moriuntur.* Hic sanè lienteria secum habet coniuncta signa φθινώδεα, dyspnœam scilicet, & lateris vellicationem, quorum significatio est in illo, μετὰ δυσπνοίης, i. *cum spiratione difficili*, &c. Non enim per lienteriæ μετάστασιν phthisis incidit, vt nuper vidimus in dysenteria cruenta, intempestiuè suppressa. Nec verò per μεταχώρησιν humoris lienterici, qui mutata velificatione confluit in thoracem, aluo relicta: sed eius qui pariter æqualitérque simul thoracem & aluum occupauit dominatu & magisterio: ita tamen, vt cùm cessarit lienteria, & aluus tumescere cœperit ob causas prædictas; tum phthisis ipsa lumen suum ostendat, concepto iam vlcere quod ferina intulit destillatio, dum lienterica esset aluus, nec vlla proinde expurgatio fieret vtriusque rheumatis, concitati & consistentis. Quo stylo & scopo scripta est instituta prognosis.

part. 3.3. Epid.

Coac. 4. cap. 17. lib. 2. Coac. 1. cap. super.

Ergo LIANTERIA.] i. Lienteriæ illa species quam intulit sæua destillatio per aluum aphthosam: vnde impotentia continendi quæ nutricatui assumuntur: proptereáque omnium præceps egestio.

QVÆ CVM SPIRATIONE DIFFICILI.] Crebra & parua, ex contumacia & labore partium spirabilium, catarrho & phlegmone occupatarum. Nam spiratio frequens & parua, inflammationem denunciat & laborem partium spirabilium; thoracis, pulmonum, & arteriæ.

Coac. 2. cap. 5.2.

ET LATERIS VELLICATIONE CONIVNCTA SVNT:] Ob proritationem tunicæ costis intextæ, à sæuo catarrho & phlegmone ipsa systrophica, vt suprà dictum est in pleuritide.

TRANSEVNT IN PHTHISIN.] Vel potiùs finiuntur phthisi quam ipsa lienterica non genuerunt, nec per se, nec ex euentu, i. neque per μετάπτωσιν ipsius lienteriæ iam enatæ, neque per deriuationem catarrhi efferi prolabentis: sed accrescendi causam & occasionem dederunt, quòd anacatharsin prohibuerunt ipso ventris profluuio, quod ea ratione plus valet ad imprimendam phthisin, quam deriuatione catarrhi, eius impressionem impediat. Hic enim deriuatio nihil prodest in pari confluxu materiæ in aluum & in pulmonem: quoniam phthiseos & lienteriæ, ab eodem & æquali ortu generatio est. Non igitur hoc loco idem est ortus phthiseos, qui fuit inflationis à lienteria in superiore prognosi. Nec verò καταχρηστικῶς hîc nomen phthiseos, vsurpatum pro lienteriæ atrophia & cachexia, vt opinari quis possit illud, ἐς φθίσιν ἀποτελευτᾷ, i. *in phthisin desinunt*, eò spectare vt inde extrema macies intelligatur quæ longam sequitur lienteriam. Sed phthisis idem significat quod ipsa phthoë Atheniensium, pertinetque ad vetustum vlcus pulmonum, quod emaciandi potentia, & vi tabifica, cæteros omnes morbos præcedit, tum edacitate sua, tum febre hectica, tum aeris quem ducimus infectione tabifica quam ei, pulmonis ipsum θηρίωμα & fœdum vlcus impertit. Sed satis iam de his in phthisi, & eius historia.

Coac. 2. c.17.2.

4 Εἰλεώδεσιν ἔμετος καὶ κώφωσις, κακόν.

Ileosis vomere & obsurdescere; malè est.

HACTENVS de lienteria quæ cernitur in præcipiti & molesta egestione crudorum & imperfectorum omnium, quæ nutricatui assumuntur: ab impotentia continendi, quam edit aphthosa ventriculi exasperatio. Nam eius quæ impotentia coquendi enascitur, exposita est omnis ratio in historia lienteriæ. Quoniam autem sæuis torminibus fœta est illa quoque intestinorum afflictio, quæ ileus nominatur; hic iure & loco quærendum videtur super natura eius, & super symptomatis, quæ ipsos malè habent periculosè, quos ileus occupauit. Sed tamen hoc interest inter lienteriam aphthosam & ileum; quod cùm vtriusque commune sit cruciari torminibus, illa causam habeat impotentiam continendi potionem & cibum; hic vero permeandi & transmittendi extrà per sedem, vt mox dicetur. Ergo nomen ilei pertinet ad intestinorum εἴλησιν contra naturam, quæ est in motu peristaltico intestinorum, contrario naturali, cùm scilicet intestina fibris rotundis circumcirca colligunt se infernè sursum; neque id naturaliter, vt fit supernè deorsum. Est enim peristaltica intestinorum vis, qua transmittuntur infrà humores, flatus, & fæces. Atque id naturaliter fit. Secus autem in ileo, cuius quidem vitio cibus & fæces non permeant; sed primùm in aluo subsistunt, mox remeant sursum, vt etiam per os reddantur. Talis αὐτῶν εἴλησις fundamentum est ilei, cùm firmiter fixa est eius causa. Nam sæpe est fugax & pressa leuiter, cuiusmodi est illa quam infert oxymeli cùm abradendo & exasperando, intestinis molestum est, de quo sic ait præceptor. φῦσαν κάτω κωλύει περαιοῦσθαι, ἀλλὰ πάλιν ἀναστρέφεσθαι ποιεῖ. i. *Flatum prohibet infra transmitti: sed ipsum facit suprà recurrere.* Tum illa etiam quæ fit appulsu rei frigidioris ad anum, vnde comparatur alui astrictio, iis præsertim qui parum obtecto podice diu sedent in marmore.

Coac. 1. huius cap.

Lib. 1. περὶ διαίτης ὀξέων.

more. Sed ingens malorum fœtura est ex ea, quæ sursum fit contra naturam, intestini vtriusque reflexione, quam τὴν τῶν εἰλεῶν nominauimus. Inter hæc mala incredibile est & admirabile quantum & sæui doloris cruciatu & viscerum afflictione, proptereaque imminenti periculo antecellat symptoma illud quod ileum veteres nominarunt, cuius inexpugnabile vitium est ὁ εἰλεὸς νόσος, ob summam causarum vnde ortum habet, contumaciam. Ac primum de ileo vetus est illa prognosis. ἔστι δὲ τὸ νόσημα ὀξὺ καὶ ἐπικίνδυνον. i. *Est autem præceps morbus & periculosus admodum.* Symptomata autem mortifera ilei continentur illa historia quæ sic Latinè legitur ex Græco Hippocratis. *Apud Tisamenum decumbebat mulier quam vix tolerabilia ileosa continuò inuaserunt: vomitiones multæ, impotentia continendi quæ biberat: circa hypochondria sæui dolores; tum infra cruciatus ad aluum; assidua scilicet tormina: nulla sitis erat, sed æstu incandescebat; extimæ partes frigidæ exactum ad morbum; summa mulieris anxitudo; somni vacuitas. vrinæ paucæ ac tenues; deiectiones crudæ ac tenues. Seruari non potuit, nec potis fuit quicquam opis adferri; prorsúsque tali forte interiit.* Sed eorum symptomatum distinctio est in prognosi mox explicanda, cuius facillima erit ratio, postquam percepta fuerit ilei definitio. Est igitur ileus, vtriusque intestini sursum reuolutio, qua nec aluus, nec spiritus infrà transmittitur; sed contrà cibus & stercus, cùm inueterauerit, per os redditur. Eius reuolutionis in ileo, causa est, tum alterutrius intestini vel vtriusque inflammatio; tum, crassioris præsertim, firmiter fixa oppilatio. Ac fixæ firmiter oppilationis in crassiore, doctrina est illa præceptoris. *Hic sanè morbus,* inquit, *enascitur quando perusti stercoris copia est atque subsistit in intestino, ac pituita inuoluitur, eorúmque duorum cumulata congerie clausum intestinum circumtenditur & intumescit.* Oppilationis autem documentum, idem præceptor statuit hoc argumento cùm ait. *Nec vllum eorum quæ sumuntur per os medicamentum excipit, sed sursum vomendo reddit: nec eorum quæ conuenienter subducuntur vllum clysterem admittit.* Sed inflammationis systrophicæ intestini tenuioris, argumenta leguntur in prædicta historia mulieris ileosæ. Sunt autem, prægrandis hypochondriorum æstus & ardor, frigus extimarum partium, & incontinentia potionis, vel eorum quæ potui exhibentur. Ergo si alterutrius inflammatio sit, vel oppilatio, nec aluus, nec spiritus infrà transmittitur. Si pars superior affecta est, cibus: sin autem inferior, stercus per os redditur. Sed eorum symptomatum distinctionem adferet instituta prognosis, quam sic aggredior explicandam.

ILEOSIS.] i. Quibus reuolutio est intestini sursum; qua neque aluus, neque spiritus infrà transmittitur, cum sæui doloris hypochondriaci ac torminum cruciatu. Sic enim præceptor. *Si quem fortè ileus occuparit, ei venter durescit, ac nihil deiicit: tum per totam inferiorem aluum sæuus dolor exoritur, cum febre & siti.* Sic item Galenus ex Hippocrate. *In ileo nihil infrà transmittitur. Atque hoc proprium morbi est inseparabile.* Idem quoque alibi scripsit apertiùs. *In illis nihil omnino deiicitur, ne clysteribus quidem indictis acrioribus.* Atque inter causas reuoluti sursum intestini, memorabilem ponit Galenus, cùm exulceratio leuis est intestini, si à ciborum transitu proritetur, nec exitum citò habeant; tum euenire vt intestinum hac noua proritatione afflictum transmittat sursum ea quæ ipsum læsura erant; ac mutata velificatione, cursum deinceps inflectat sursum contra naturam, quem olim naturaliter deorsum tenebat. Hoc facit intestinum sui diligens atque doloris metuens ex rerum molestarum appulsu. Sic aphthosæ lienteriæ transitus esse potest in ileum.

VOMERE.] Cibum per os reddere cum incontinentia potionis, cùm eò perducta est inflammatio tenuis, vel afflictio intestini, systrophica phlegmone occupati, vt circumtensum extremis digitis prehendatur. Quam afflictionem χορδαψὸν veteres nominarunt, ex eo quòd tractabilis sit ipsa chorda. Est autem chorda, tenuius intestinum. Ac tum epigenomena sunt, vomitus biliosus mali odoris, varius, atque niger; adductis in sympathiam intestini plegmone systrophica inflammati, hepate & liene, multùm inde vitiatis, valdéque afflictis. Tum sitis adest inexplebilis atque febris ardenter acuta, cum prægrandi frigore partium extimarum. Sed alia quoque vomitio est fæcis ac stercoris quàm, pace Galeni dixerim, venire arbitror à contumaci descripta oppilatione crassioris intestini, cuius reuolutio inde fit sursum, eorúmque quæ intrà continentur, eodem transmissio, cumulata congerie; quando, vt iam diximus, infrà transmitti non possunt. Stabulantur autem in crassiore intestino fæces & stercora quæ aliunde proficisci nequeunt quàm vbi sunt. At nihil eiusmodi est in tenuiore. Nec verò illac transmittendi stercoris copia est cùm phlegmone systrophica occupatur: vt maius periculum sit in vomitu cibi quàm stercoris, tum ob vomendi causam, tum ob symptoma ipsum. Nam vomendi causa est phlegmone, cuius periculo illud adiicitur, quòd vomitione cibi & chyli tollitur nutricatus: ne taceam interim quæ ea crebra vomendi contentione symptomata excitantur. Ac leuia intestini tenuioris mala, sunt grauiora quàm crassioris prægrandia. Nefas autem negare est eam crassioris intestini afflictionem, quam ponit Hippocrates in oppilatione à perustæ fæcis congerie cum inuolucro pituitæ glutinosæ & crassæ. Quod fecisse video ipsum Galenum.

ET OBSVRDESCERE.] Surditate vtraque: tum ea quam facit exolutio partis illius cerebri, vnde vis audiendi manat: tum ea quæ fit impedito appulsu τῶν ἀκουστῶν, per obstructionem meatus auditorij: vnde assurgunt parotides graueolentis ilei consectariæ. Ac sanè ilei graueolentia percipitur in vomitu fœdi odoris, in expiratione, in ructu, in flatu, in perspiratione totius compaginis, cujus fœditatem obseruasse se narrat Galenus in quodam ileoso.

MALE EST.] Ne dicam mortiferè; vt certè omnino est. Ac tum mortifera vis est ilei, vt cita inde mors veniat. Quod accidisse legimus ileosæ mulieri, quam scripsit Galenus biduo afflictionis, aut ad summum triduo periisse. Causæ interitus notæ sunt. Talia autem symptomata vomitus & surditatis, tum etiam conuulsionis atque singultus in eos tantùm cadere ileosos docet Galenus, qui ἔχουσι ἀνελπίστως, i. *quos ileus habet mortiferè cum desperatione omni salutis.*

[Marginal notes: 6. Epid. part. 5. — lib. περὶ παθῶν. — histor. 6. part. 2. 3. Epid. — lib. περὶ παθῶν. — Inst. supra citata, ex 3. Epid. — lib. περὶ παθῶν. — aph. 10. 7. — aph. 44. 6. — lib. 1. περὶ ἐξίων. — lib. περὶ παθῶν. ad histor. 6. part. 2. 3. Epid. & aph. 44. 6. — prorrh. 66. 2. 3. 8. — aph. 10. 7.]

DE MORBIS VESICÆ.

Hæc ex prognostico: quod ea lectio mihi melior visa est, quàm Coacarum.

CAP. XXII.

Κύστιες δὲ σκληραί τε καὶ ἐπώδυνοι δειναὶ μὲν παντελῶς καὶ ὀλέθριαι. Ὀλεθριώταται δὲ ὁκόσαι ξὺν πυρετῷ συνεχεῖ γίνονται. καὶ γὰρ οἱ ἀπ' αὐτέων τῶν κυστέων πόνοι ἱκανοὶ ἀποκτεῖναι. καὶ αἱ κοιλίαι οὐ διαχωρέουσιν ἐπὶ τῶν τοιούτων, εἰ μὴ σκληρά τε, καὶ πρὸς ἀνάγκην.

1 *Vesicæ autem duræ quas dolor prægrandis occupat, graues omnino sunt atque pestiferæ. Sed illæ demum perniciosæ admodum, quæ cum assidua febre nascuntur. Etenim quæ mala inferunt tales vesicæ, illa necando sunt satis. Sed ei periculo illud adiicitur, quòd inde aluus nisi coacta, nihil reddit, ac dura sunt quæ transmittuntur.*

POSTQVAM DE aluo dictum est, nunc de vesica dicendum. Eius afflictæ non hercle minora sunt, nec sæua minùs, nec mortifera, quàm ipsius alui symptomata. Nam difficultate ipsa certat cum aluo: nec verò difficile dictu est quin ipsam præcedat, cum celeritate interitus. Ac sanè consentaneum est vt patefactis incommodis quæ inferuntur ab aluo & quæ ipsam inuadunt, stylum hunc nostrum ad vesicæ vitia conuertamus: quòd vtriusque idem sit munus in excernendo, illius quidem stercora, huius verò vrinas. Sed inter vesicæ mala, illud demum maleficentia eximium est, quod summam vesicæ infert molestiam, seu doloris cruciatu; & vna secum adfert officij ad vitam tuendam necessarij difficultatem, sæpe etiam vacationem, cum sympathia sociarum vicinarúmque partium, quarum afflictione salus in dubio esse solet. Huiusmodi est, vesicæ inflammatio per systrophen nata rheumatis concitati, vnde ipsa turgendo fit dura, & prægrandi dolore afflicta. Quæ duo symptomata ponere solet Hippocrates in omni partium tumidarum inflammatione systrophica. Nam actionis læsio, inflammationis consectaria esse solet, vt aliarum quoque affectionum. In vesica, propriæ actionis læsio consideratur in stranguria, dysuria, & ischuria. Quæ tria symptomata non sunt inflammatæ solum vesicæ propria, nisi καθ' ἑαυτήν: sed aliarum quoque affectionum communia, vt suo quæque loco dicentur. Sed inflammationis cuiusque systrophicæ, vndecunque oborta sit, proprium est καθ' ὅλον, καὶ καθ' ἕκαστα, partem occupatam tumere, durescere, & multùm dolere cum pulsu, si magna sit inflammatio. Sic enim Galenus. ἀλγεινόν, inquit, σημεῖον τὸ μεγάλης φλεγμονῆς ὁ σφυγμός. Ergo non aliter visum est præceptori, vesicæ phlegmonem systrophicam describere, quàm ipsius hepatis. De quo inflammato lic. ait. Οἴδημα δὲ ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ εἶναι, σκληρόν τε καὶ ἐπώδυνον. i. *Tumor autem in hypochondrio durus & dolorificus.* Idem non fecit in lateris phlegmone, cuius naturam attigit pleuritidis nomine: quòd lateris tumor non est tractabilis, vt eius duricies possit percipi, sicut vesicæ in aqualiculo, & hepatis in hypochondrio. Nunc igitur verba Hippocratis, iuxta ipsius γραφήν examinemus.

lib. 2. ad Glauc. lib. 2. progn. & suprà capit. 18. huius 2. lib.

VESICÆ AVTEM DVRÆ.] Quarum duricies nata est a tensione, quam intulit tumor ille contra naturam, quem ex Hippocrate nominare soleo systrophicam phlegmonem. Non enim duriciem hic opinamur concretionis aut siccitatis: nec verò tensionem distentæ vrinâ vesicæ.

lib. 4. περὶ ὀξέων.

QVAS DOLOR PRÆGRANDIS OCCVPAT.] Cujusmodi esse solet à phlegmone infestissima partium acerrimi sensus, vt sunt vesicæ. Hic enim rei molestissimæ acerbissima tensio excitatur. Ac doloris à phlegmone in vesica causa est omnis tensio ingens cum intemperie magna humoris phlegmonici, partem exacto sensu præditam, crudeliter lacessentis. Hoc scite pulcherrimum est: maximáque adfert commoda ægris dolentibus qui sanitatem experunt, vt dolore careant. Nam ex perspicientia dolorificarum causarum, artificium datur medico leniendi dolorem, cùm tensioni laxitas, intemperiei temperatio adhibetur.

2. Epid. part. 2.

GRAVES OMNINO SVNT.] Doloris acerbissimi cruciatu, vigiliis, anxitudine, cibi fastidio, cephalalgia, delirio quoque ipso. Grauitatis autem accessio fit vrinæ appulsu, cujus collectione, quia libertatem exeundi non habet, proritatio major est atque distentio. Ac tum fœtura est corruptorum humorum qui proletariam habent doloris acerbitatem cum vigiliis conjunctam, quæ bilis flauæ ac viridis, si quid aliud, feracissima est.

6. Epid. part. 1.

ATQVE MORTIFERÆ.] Symptomatum calamitosa vi, & summa corporis infirmitate. Symptomatum autem calamitosa vis, cùm in iis potissimùm cernitur quæ iam adducta sunt: tum verò in illa clausula mox explicanda quæ statuit inflammatam vesicam homini necando ipsam per se satis videri

& esse

& esse. Ad quem locum ratio differetur, quamobrem vesicæ inflammatio ipsa per se non solùm periculosè, sed etiam non rarò mortiferè ipsum habeat quem firmiter occupauit. Nihil autem æquè facit corpus infirmum, atque prægrandis dolor.

FVNESTISSIMÆ AVTEM.] Quæ ad vltima ventum esse testantur, vt iam nulla salus sperabilis esse possit, nec aliqua vitæ dulcedo, nec vsus diuturnior: quia in propinquo mors est.

QVÆ CVM ASSIDVA FEBRE NASCVNTVR.] Quæ simulatque inflammari cœperint, assiduam febrem accendunt, vnde significatur phlegmones magnitudo atque ferocitas: quoniam symptomaticarum febrium ortus ducuntur non nisi ex magnis morbis, atque ex iis præsertim qui sunt eximij. Nascitur autem febris, accenso calore cordis, in sympathiam inflammatæ multùm vesicæ adducti, arteriarum societate quæ ex ramo per foramen ossis pubis in crus descendente per latera colli, inter vesicæ tunicas ad fundum vsque sparguntur. Ac febres illæ sapiunt magnam & malignam vim systrophicæ phlegmones in vesica conceptæ. Sunt enim peracutæ, assiduæ, singultuosæ, tremulæ, paraphoricæ, breues, funestæ: quales oriri scribit Hippocrates ex calcis fractura quæ habet ἐκχύμωσιν, & inde nigriciem. Est enim vesicæ ad gangrænam euntis, eadem planè cum cerebro, corde, & stomacho sympathia, quam esse docet Galenus fracti calcis atque iam syderari incipientis.

comm. ad aph. 17. 7. lib. 2. περὶ ἀγμῶν

ETENIM QVÆ MALA INFERVNT TALES VESICÆ.] i. Quæ sunt phlegmones & inflammatæ vesicæ. Ac phlegmones quidem sunt, rubor, incendium, pulsus, renixus, & dolor. Inflammatæ autem vesicæ, tensio dolorifica partium circumjacentium, stranguria, dysuria, ischuria: tum ipsa nobilium partium sociarum atque communium sympathia; quæ tantùm abest vt aliquid opis adferat ad phlegmones leuationem, vt maximis damnis augeat.

lib. 3. περὶ ἄρθρων.

ILLA NECANDO SVNT SATIS.] Nam phlegmone ipsa priùs ad exitium præcipitat, quàm habeat empyema quo exoluatur. Tum phlegmones amplificatio, vnde symptomatum prædictorum fœtura est, ipsorum quoque syntimorlam excipit. Hinc empyema nullum, sed eius loco gangræna, quæ ipsa per se mortifera est: vt documento sunt calculosi, quibus extracto calculo, vel appulsu aëris frigidioris, vel extractione violenta, quod sæpe accidit, vesica syderatur. Iam verò ischuria vesicæ inflammatæ, homini necando ipsa per se satis est.

SED ET PERICVLO ILLVD ADIICITVR.] Iuxta illud. Morborum quicunque alter superuenit alteri, periculo adiicit; atque non rarò interimit.

lib. ἐπιδημιῶν.

QVOD ALVVS NON NISI ÆGRE REDDIT ET DVRA.] Hæc sympathia est partium vicinarum, vt intestini recti, cui vesica insidet: sicut iam posita est sympathia sociarum, vt cerebri, cordis, & stomachi in febre assidua, peracuta, singultuosa, paraphorica. Ergo sympathia est intestini, egestionis impeditio, meatu oppresso ex ponderosa & graui vesica. Hæc autem impeditio par pari refert vesicæ in egerendi conatu: quo si desistat æger, doloris metu; pilulatæ sunt fæces, velut capratum; quarum incommoda, signo & causa sunt alibi explicata. Sit igitur clausula huius prognoseos, quòd tum ad vltima ventum est, quando cum sæui doloris cruciatu afflictio est prægrandis nobilium partium, nec vrina redditur, nec aluus infra transmittitur: quarum suppressa excretio ipsa per se mortifera est.

2 Λύει δὲ οὖρον πυῶδες ἀρηθὲν, λευκὴν καὶ λείην ἔχον ὑπόστασιν.

Sanat autem vrina quæ cum pure reddita, leuem & albam habet hypostasin.

IN SPEI ANGVSTIA, cùm scilicet metus est sinistri iudicij, naturæ contentio tanta est, vt viam sæpe inueniat, qua se morbo expediat. Sic in nobilium viscerum phlegmonica systrophe, non rarò hæmorrhagia liberalis κατ' ἴξιν, primis prorupta periodis, periculi locum tollit, quod tum instabat maximè imminebatque. Hic autem cùm in phlegmone & febre assidua periculum sit, eius depellendi ratio est omnis posita in vtriusque morbi pepasmo & excretione, quibus occupatarum partium redintegratio comparatur. Ac febris quidem pepasmus ostenditur in vrina, laudabili prædita hypostasi: phlegmones autem in empyemate, quod cum tali vrina meiendo effunditur. Vtriusque pepasmi ratio & quæ sunt inde commoda mox dicentur. Sed primùm empyematis. Enimuero systropharum omnium phlegmonicarum quadruplex omnis migratio esse potest: vna in partis æqualitatem per διαφόρησιν potissimùm expetendam: altera in empyema: tertia in gangrænam: quarta in scirrhum. Hic διαφόρησις expetenda expectari non debet ob densitatem partis afflictæ. Nec verò sperabilis est hæmorrhagia quæ tumorem minuat sicut in viscere hypochondriaco: quoniam fixa phlegmone nullam exhibet commoditatem sanguini remeando aut permeando. Non enim hîc nudæ sunt venæ, nec suspensæ, vt sua sponte sanguis effluere posse videatur. Quocirca bene præcipiunt qui sanguinis detractionem tum ex interiore cubiti vena, tum ex malleoli saphœa præscribunt. Sic enim præceptor. *Dysuriam,* inquit, *sanat phlebotomia.* Secare autem decet interiores. Ergo naturæ vnicum in empyemate ipso perfugium. Nam scirrhi mutationem mors ipsa præripiet. Gangræna autem est ipsum ὀλέθριον, i. quod verè mortiferum est, vt verbo vtar Hippocratis de phthisici diarrhœa. Quæ cùm ita sint, verba authoris, ad scopum prognoseos conuertamus.

lib. 1. progn. Coac. 2, & 3. cap. 11. lib. 2. aph. 78. 4. aph. 36. 6. lib. 2. περὶ νούσων, & Coac. 6. capit. 17. 2.

SANAT AVTEM.] Doloris vacuitate ac restituta meiendi & egerendi libertate, quam edit mor-

bi pepasmus, vesicæ redintegratio, & febris discessio. Atque *sanandi* verbum vsurpauimus: quoniam Græcum τὸ λύειν, idem est quod sanare, vt suprà ostendimus ad illam prognosin. *Conuulsionem sanat exorta febris acuta.* Vbi Græcè legitur, Σπασμὸν λυτικὸν πυρετὸς ἐπιγινόμενος ὀξύς.

Coac. 11. capit. 14. lib. 2.

VRINA.] Cui excipiendæ atque reddendæ vesica dicata est, quæ cùm redditur liberaliter, signo & causa bene est. Ac signo quidem redintegrandæ partis: causa autem vacuandi humoris qui pepasmum recepit, conuersa phlegmone in empyema.

QVÆ CVM PVRE MICTA.] Qua mictione dolorificum vesicæ malum foras excluditur, si pus album sit, læue, ac nihil olens. Atque illa crisis phlegmones propria est, quæ occupat ipsam vesicam: succenturiata autem peripneumoniæ quæ caret anacatharsi libera & liberali. Sic enim purulentæ funduntur vrinæ paucorum dierum quæ non sunt nephriticæ. Nam quæ continenter ac diu tales redduntur, vesicæ sunt exulceratæ, aut renum.

1. Epid. part. 2. aph. 75. 4.]

LÆVEM ET ALBAM HABET HYPOSTASIN.] Quæ cernitur in fundo matellæ, cùm pus impermixtum residerit. Est autem hæc nuncia mitificatæ febris acutæ: vnde nec ampliùs bilis flaua sæuit, quam ipsa continenter gignit dum viget, nec ampliùs liquitur sanguis & caro tenera; sed partium solidarum virtus iam lucet, quarum munus proprium concoctio est.

3 Ἢν δὲ μήτε τὸ οὖρον μηδὲν ἐνδιδοίη, μήτε ἡ κύστις μαλθάσσοιτο, ὅ τε πυρετὸς ξυνεχὴς ᾖ, ἐν τῇσι πρώτῃσι περιόδοισι τοῦ νοσήματος ἐλπὶς τὸν ἀλγέοντα ἀπολέσθαι.

Sin autem nec vlla remißio est ab vrina, nec vesica mollior; tum etiam febris aßidua sit; credibile est ægrum primis morbi periodi periturum.

IN PERACVTO morbo ac dolorifico spes tuit omnis ac retro sublapsa refertur, si & vires acquirit, & nulla eius leuatio est, vnde leuari solet: sed contrà ei iam admodum periculoso, inde periculum maius adiicitur.

Ergo. SIN AVTEM NVLLA REMISSIO SIT AB VRINA.] i. Si vrina non facit vt morbus concedat & mansuescat, domita feritate: vel si vrina nihil opis adferat & adiumenti ad leuationem morbi atque symptomatum eius; quòd ea vel intus subsistat in ischuria, vnde plus longè adiicitur periculo, quàm a phlegmonica systrophe, & febre assidua: vel si vrina difficulter atque stillatim reddita, nullum ostendat phlegmones atque febris pepasmum, in pure & hypostasi læui & alba. Ex quo efficitur vt

NEC VESICA SIT MOLLIOR.] Vt esse solet ab empyemate, sicut systrophica omnis phlegmone: sed contrà perenni affluxu multùm distenta, durior ac magis dolorifica.

TVM FEBRIS ASSIDVA SIT.] Bilis prouentu ac sanguinis, partiùmque recèns pressarum colliquamento infestissima, cum sympathia cerebri atque stomachi: vnde sunt ἀσώδεις, singultuosæ, paraphoricæ.

CREDIBILE EST.] Non falsa & fallaci opinione, sed certa tecmarsi è signis orta syllogisticis: tum ex comparatione morbi & ægri.

ÆGRVM.] Doloris acerbitate fractum, & sæua molestia, insomnem, anxium, cibi fastidiosum, anhelosum, & cui nihil nisi dura & ægrè aluus infrà transmittit: nec vrina libertatem habet liberaliter excundi, sed intus subsistit cum syntimoria symptomatum, phlegmones, atque febris.

PRIMIS MORBI PERIODIS.] Primo quaternatio, aut ad summum septenatio: quoniam vt peracutorum morborum celerrimi sunt motus ac vehementissimi; sic eorum etiam celerrimæ mutationes ad interitum, vel ad salutem.

PERITVRVM.] Quoniam quæ fiunt omnia quæque apparent primis periodis, eiusmodi sanè sunt, vt mortem subesse & in propinquo esse testentur, sine vlla spe defungendi periculo per hæmorrhagiam aut empyema. Quod sæpe accidit cùm in angusto spes est, cùm phlegmone systrophica iecur occupat, quæ primis etiam morbi periodis mortifera esse dicitur.

4 Ὁ δὲ τρόπος οὗτος ἅπτεται τῶν παιδίων, μάλιστα τῶν ἑπταετέων, ἕως ἂν πεντεκαιδεκαταῖα γίνεται.

Atque hæc morbi species, potißimùm septennes inuadit pueros, donec decimumquintum ætatis annum attigerint.

VBI CAVSARVM est concursus, ibi morborum facilis generatio esse solet. Sed in puerulis septennibus ad 15. ætatis annum, concursus est ac veluti conspiratio causarum phlegmonicarum, systrophen in

in vesica efficientium & excipientium, quibus generatio morbi absoluitur, & citæ mortis prædictæ ratio comparatur. Ergo descripta morbi species, & crisis funesta, potissimùm cadit in septennes pueros, donec 15. ætatis annum attigerint. Quemadmodum autem fiat, sic exponendum arbitror.

ATQVE HÆC MORBI SPECIES.] In Græco est, ὅ γ τρόπος οὗτος, quo continetur omnis historia morbi prædicti, quam recensuit in specie, magnitudine, more, & motu systrophicæ phlegmones in vesica. Ac si diceret. Eorum quæ hactenus dicta sunt, ratio & historia, quod nos morbi specie complexi sumus, breuitatis causa, nec malè.

POTISSIMVM.] Μάλιστα, i. ad circiter, vt in illo. οἷοι οὖν ἢ δυνάμει δυνατοὶ μάλιστα. Vbi Galenus ex Thucydide interpretatur illud, μάλιστα. ὡς ἐγγύτατα, i. quàm proximè. Ac si diceret: inter ætates hominum, illa phlegmones in vesica feracissima est, quę est ad circiter annum septimum, vsque ad decimumquintum, vel, vt in stylo est ipsius prognoseωs, potissimùm hæc morbi species inuadit septennes pueros.

SEPTENNES INVADIT PVEROS.] Vel etiam natu minores, si verum est quod scripsit Galenus, idem esse tempus ad opportunitatem gignendi calculum, & inflammationem in vesica. At sæpe nos à trimatu infantiam vidimus calculosam, & multis extractum fuisse calculum in quadrimatu. Sed tamen Hippocrati visum est, infantiæ calculum statuere in tertia ipsius parte quæ septimum attingit annum, ac iam pueritiæ nomen habet; eámque potissimùm ætatem fœtam esse phymatis, tum eam quæ adultior est, donec ad pubertatem ventum sit. Inuadit autem septennes cùm sic esse cœperint, ac dominatum exercet in prouectiores ad pubertatem vsque: propter eorum edacitatem, qua gignitur copia glutinosi humoris, cuius in vesicam illapsu coagmentatio est lapidosa in cruditate: in corruptione autem crudelis inflammatio, quam facilè concipit tenerrima & multùm infirma pars nervosa quæ morbificam causam excepit, nec meiendo exclusit. Atque hic morbus nascitur à diætæ vitio in parte multùm adhuc per ætatem infirma & tenera; proptereaque illa ætas systropharum omnium feracissima est.

DONEC DECIMVMQVARTVM ÆTATIS ANNVM ATTIGERINT.] Exacto scilicet decimoquarto, quo regnare incipit adolescentia, ætatum omnium temperatissima, quæ si cum pari temperantia esset coniuncta; ætatum omnium secundissima valetudine frueretur. At vetus est illa sententia præceptoris, quòd à 14. ætatis anno ad 42. natura est morborum omnium capacissima. Hic tamen finis est systropharum vesicæ propriarum, comparato partis robore per ætatem, & portione deducta humoris, nec iam ita glutinosi & crassi. Sed tamen vt propria vesicæ tollitur coagmentatio: sic aliena inducitur, vt sequens prognosis aperiet.

5 Οἱ λιθιῶντες σχηματισθέντες ὥς τε τὸν λίθον μὴ προσπίπτειν πρὸς τὸν οὐρητῆρα· ῥηιδίως οὐρέουσι.

Calculosi ea figura siti vt ne calculus procidat in vrinæ ductum, facilius illi meiunt.

QVONIAM systropharum vesicæ, phlegmonica dicta est in essentia, symptomatis, periodis, atque crisi: nunc idem faciundum de altera, cui coagmentatio lapidosa, calculi nomen dedit, vnde illi quos ipse occupat, calculosi dicuntur; neque iniuria. Sunt enim tam sæui dolores eorum quos infestat calculus in vesica, vt nullam ferè partem neq; diurnæ, neque nocturnæ quieris impertiat: proptereaque ipsis competit appellatio calculosi. Vix continent se in illo cruciatu sæuissimorum dolorum, quin illud exclament; viuat mors, pereat vita mea. Nam mori se maluor, quam cruciari sic duriter & immisericorditer, vt sine intermissione aures eorum qui præstò sunt, querelis & gemitu compleantur. Dicamus igitur de natura crudelissimi huius tyranni, eiúsque tyrannidem destruamus. Hic non magnopere laborandū de philologia calculi. Dicendum quid sit ex mente authoris qui eum sua lingua *lapidem* nominauit.

Est igitur calculus, glutinosi & crassi humoris coagmentatio lapidosa. Hæc autem coagmentatio, cùm in aliis partibus formam obtinet calculi: tum verò potissimùm in vesica, vt mox dicetur; vnde homines calculosi dicuntur. Lapidosa coagmentatio in vesica, duplicem habet matricem, quod ἀρχὴν veteres nominarunt: vnam in rene; alteram in ipsa vesica. In rene quidem, cùm ante cœptam duci vrinam, quod est Hippocrati πρὸ οὔρησιος, coagmentatum illic sabulum, in vesicam illabitur, nec inde citò exclusum, corticatim crescit, & in eam calculi molem assurgit, vt intolerabile sit pondus vesicæ. In vesica autem matria est, perfecto vrinæ ductu, quod est μετ' οὔρησιν apud Hippocratem, cùm ipsa per se fit coagmentatio lapidosa, quam vocat præceptor τὸ συνάγμα: quæ facilis est à glutinoso & crasso humore qui stabulatur atque subsistit in vesica debili puerorum, vel hominum grandæuorum, aut certè ingrauescentis ætatis. Fuit enim præceptoris iudicium, non enasci calculum in vesica, nec ipsum per se coagmentari perfecto vrinæ ductu, quod est μετ' οὔρησιν, à 42. ad 63. ætatis annum. Cæteræ omnes ætates in promptu causas habent coagmentandi calculum in vesica, ob vitæ genus omne quod sectantur voluptuariæ. Sed in puerili ætate causa est τὸ συνάγματος μετ' οὔρησιν, copia humoris crassi ab edacitate, ipsáque vrina crassa quæ diutiùs in vesica imbecilliore subsistit; propterea que rectè consulunt qui pueros de nocte excitant ad meiendum, ipsosque vt fortiter meiant, hortantur. Sed ephebotum, iuuenum, consistentium ac declinantium ad 63. ætatis annum, coagmentatio in vesica, ferè matricem habet in renibus de qua iam diximus. Atque in his ratio & experientia locum

habet doctissimi viri Ioannis Fernelij, qua sustinet, omnes vesicæ calculos, πρωτόπηγον habere à renibus: quòd in omnibus calculis, quos ipse fregit plurimos, nucleus quidam sit tuber, quem corticatim pituita inuoluit. In pueris fallax est Fernelij experientia, nec inde certum iudicium comparari potest. Idem etiam de grandæuis dicendum post 63. ætatis annum. Nam si fortè cuiusdam pueri aut senis prædicti calculo inuentum est τὸ πρωτόπηγον nephriticum: non tamen efficitur idem esse in cæteris, quorum coagmentatio lapidosa vesicæ primigenia est. Sic enim præceptor, puerorum calculos coagmentari docet μετ' οὔρησιν, perfecto scilicet vrinæ ductu qui perficitur in vesica. Vbi Galenus author est crassamentum vrinæ quod est in pueris, cùm in vesicam illapsum cunctatur atque subsistit, nec exitum citò habet, initium ibi capere concrescendi & coagmentandi: ac tum iacto eo concretionis fundamento siue initio, quicquid deinceps affluit, similiter crassum vt prius, facilè adplasmari, vnde corticatim auctus, maior assurgit πωρώδης λίθος, i. *lapis tophaceus*, qui ab Hippocrate nominatur σύμπηγμα, i. *coagmentatio*. Pari ratione grandæui πρωτόπηγον habent in vesica, coagmentari calculi.

6. Epid. part. 3.

Idem penè ad verbum legitur lib. 4. περὶ νούσων, vbi agitur περὶ λιθίδος.

Ergo vesicæ calculus vndecunque principia causásque duxerit, cùm in maiorem molem accreuit; accrescit autem granatim aut corticatim, vt iam vesicæ imperio regi non possit, admirabile est quàm sæui doloris cruciatu ipsam exerceat quotiescunque incessit meiendi cupiditas. Incessit autem frequenter; non tam vrinæ copia & acrimonia, quam ipsius vesicæ, sui nimiùm diligentis, temeraria contentione atque conatu. Est quidem sui diligens lege naturæ, qua duce anquirit viam qua se tueatur atque conseruet: sed οὐκ ἐκ διανοίας, vt ait præceptor, i. *non præeunte consilio nec ratione*; cuius quidem inops, irritam habet contentionem, quoties illa contendit concutiendo excutere id quod intrà sæuam exhibet sibi molestiam. Ac tum pro calculo, vrinam stillatim ac difficulter exprimit. Tum collectâ omni ex parte vesicâ, tophaceus lapis in fistulam procidit vrinariam, ægrúmque diris cruciatibus, velut barbarus quidam tortor, exercet. Afflictio autem vesicæ, quam infert coagmentatio Hippocrati lapidosa, aut Galeno lapis tophaceus, nominatur à præceptore λιθίασις; & qui ab ea vexantur, λιθιῶντες: Latinè, Celso interprete, *calculosi*, vt mox dicetur. Sed eam λιθίασιν λιθίδα quoque dici reperio ab Hippocrate, vbi de ortu calculi pulcherrima disputatio est.

6. Epid. part. 5.

ibidem.

lib. 3. aph.

lib 4. περὶ νούσων, capit. 7. lib. 2.

Eius in vesica coagmentati ponuntur hæc signa, quæ Celsus ex illo loco sic fecit Latina. *Difficulter vrina redditur, maximeque circa finem emictionis, paulatímque interdum sine voluntate destillat* (quia contineri nequit, vt in stranguria.) *Eadem arenosa est. nonnunquam sanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur. Eámque quidam promptiùs recti. quidam resupinati, maximéque hi qui grandes habent calculos; quidam etiam inclinati reddunt, colémque extendendo, dolorem leniunt. Grauitatis quoque cuiusdam in ea parte sensus est* (& in podice;) *atque ea cursu, omníque motu augetur. Quidam etiam cùm torquentur, pedes inter se, subinde mutatis vicibus implicant. Fœminæ verò oras naturalium suorum manibus admotis scabere crebrò coguntur*: vt mares præputium. Sed nos ad τεκμήριον calculosæ vesicæ, hæc signa syllogistica obseruauimus, præter causas coagmentandi, & grauitatem partium vicinarum. Sunt autem; crebra meiendi cupiditas, cum difficultate maxima in mictione extrema, tum vrina lactea, crebrò etiam diuersis coloribus variegata.

lib 4. περὶ νούσων.

5. Epid. de puero Theophorbi.

Iam verò in hac torsione calculi quæ celeritatem curandi exposcit: quia sæuus dolor non habet aures, vt inanem verborum audiat consolationem, atque ipsa quoque celeritas mora est: tamen illud crudelitati adiicitur, quòd ipsa curatio crudelissima sit, & ad eam, præcipitem festinare nullo modo conueniat. Cautio magna virium, ætatis, morbi ac temporis esse debet in eo remedio, quod, cùm aliter succurri non potest, necessariò adhibendum. Est autem incisio qua è vesica calculus euellatur, vt, eo euulso, vesicæ redintegratio fit, actionum libertas, & quies symptomatum omnium quæ tum à calculo in vesica enascuntur, & læsa vesica in societatem vicinarum & sociarum partium propagantur. Sed ea incisio, cutis & carnis laceratio, tum calculi è vesica euulsio, non rarò eiusmodi sunt, vt ea subire nihil aliud sit quàm mutare periculum, non effugere. Et tamen sic visum est dictatori, euellere calculum è vesica; neque aliud remedium edicto sanciuit, quod ipse tamen adhibere noluit: sed aliis adhibendum reliquit. Solenne est illud edictum, quo medicorum ora complentur. Οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας· ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε. i. *Nihilominus autem non incidam calculosos: relegabo ad viros artifices tantæ operationis.* Et verò Galeni sublimis est philosophandi ratio super morborum natura quos Hippocrates vocat ἀναυξεῖς. Inter alia eius percepta quæ sunt eximia, illud est commemorabile, quòd puerorum calculus in vesica enatus, non eo gaudet ætatis beneficio quo puerilis epilepsia, quæ inoffenso vitæ & victus cursu, in pubertate sanatur. Nam quò longiùs ætate proceditur, eò calculus maior fit ac ponderosior, nec nisi ope chirurgica euelli potest, nec vllo modo excludi. Hic superstitio esset vel ostentatio, causas adferre cur ei curando, nulli medicinæ sit locus. Fremant licèt omnes Paracelsitæ; ridicula sunt eorum triscurria. Exemplum desidero sanationis: non autem mortiferæ curationis vel potiùs carnificinæ quam temeraria eorum medicina exercet.

ἐν ὅρκῳ.

6. Epid. part. 5.

Possem hic ego, perinde ac idoneum nactus locum, multorum historiam recensere, quos eorum periclitatio ad crudelissimam mortem addusit. Sufficiet illud exemplum quo sapientissimus doctor Hippocrates documentum statuit, ne sui discipuli talem amentiam imitentur. Historia sic narratur. *Larissæ Theophorbi puer, calculosam habebat vesicam; glutinosum quidpiam permeiebat, idque difficulter cum sæuo dolore, tum initio, tum faciens finem meiendi. Præputium manibus confricabat. Hic cùm bibisset acerrimum diureticum, nihil in vesicam secessit, nihil è vesica excessit: vomuit autem multum puriforme & bilem. Ac tum huiusmodi altera transmittebat infrà per aluum. Venter dolebat admodum, & intus incendio conflagrabat; reliquum verò corpus frigidius erat glacie. Omnibus membris captus est, nec voluit quicquam assumere. Huic magna erat ipsius alui exulceratio, à forti nimium medicamento seu pharmaco. Periit, à potione tertium agens diem.* Ergo nihil opis adferre

5. Epid.

adferri potest calculosis, quàm incidendo, vt visum est præceptori, cùm absolutè omni molestia cupiunt expediri, ac defungi periculis quæ inferuntur à calculo. Sunt autem; vesicæ contusio, inflammatio, gangræna, exulceratio, stranguria, ischuria & impedita egestio, cum sympathia reliquarum vicinarum & sociarum partium. Temeraria est omnis medicina, pestifera, & sæpe mortifera, quæ frangendo vesicæ calculo adhibetur. Cui profuerit, vidi adhuc neminem: permultos autem, quibus exitio illa fuit. Sed vnicum illud remedium calculosi, quod in sectione & calculi euulsione positum esse diximus, tam præceps est, vt sæpe in incerto sit medico, quid agendum: ægro flagitante & implorante auxilium. Ac medicus omnem consilij capiendi deliberationem eò conuertit, vt secum sic cogitet. Si ægrum relinquo, eius vitæ timeo: sin opitulor, crudelitatem & ancipitem euentum remedij pertimesco. Sed ille tandem ex incerto certus, compósque consilij redditur, si persuasum id habeat quod omnibus ratum est, magnæque authoritatis perceptum. Est autem. Quòd dubia salus certa desperatione est potior. Præstat igitur cum dubia salute opitulari calculoso, quam ipsum relinquere cum certa desperatione. Hîc silendum mihi est medico: quòd ea curatio, ex dictatoris edicto, pertinet ad chirurgum, incidendi & euellendi peritum. Qualem ipsi vidimus vtrumque Laurentium Collodæum, patrem & filium. Qualem etiam speramus fore nepotem Philippum. Deum rogo vt conatus eorum bene fortunet, ad immortalẽ sui nominis gloriam, & Reipublicæ vtilitatem. Nunc superest vt institutam prognosin examinemus.

Calcvlosi] Οἱ λιθιῶντες, i. quibus coagmentatio est lapidosa; vel, si mauis, lapis tophaceus in vesica, vndecunque is habuerit τὴν πρώτην ἀρχὴν, i. fundamentum & initium concrescendi, πρὶν οὖρον, ἢ ὅτ' ἤρξατο, *i. antequam vrina sit, vel cùm esse cœperit.* Nondum enim vrina est in renibus: est autem in vesica. Ac si diceret; siue coagmentatio primigenia sit in rebus vel in vesica, nihil interest; modò calculi ea sint incommoda & in vesica, & ex vesica, quæ suprà posuimus. Non enim nephritica sunt quæ hîc leguntur: quamuis & nomen τοῦ λιθιῶντος vsurpatum legerim pro calculoso in renibus.

Ea figvra siti] Vel sua sponte καθ' ὁρμὴν, natura duce, quæ sui diligens atque iustissima, eam collocationem atque figuram per se ipsa præscribit quæ sit doloris expers, facítque vt ait præceptor, εἰς ἀνωδύνους τὰς κατατάσιας: vel ea figura siti sunt κατ' ἐπιτήδευσιν, ex præscripto medici & artificio eius qui tenet scientiam partium naturaliter collocandarum, iubétque vt calculosi, quò vrinam promptiùs reddant & faciliùs, alij quidèm sint recti; quidam resupinati, maximéque qui grandiores habent calculos; quidam etiam inclinati, colémque extendendo dolorem leniant. Multùm enim valet ad benecuique agendum, partibúsque omnibus, tum ad leniendum dolorem, ipsa figura & collocatio, naturæ amica. Verus illud est præceptoris, τὰ σχήματα τὰ ῥαΐζοντα, *i. leuantes figuræ sunt*: quarum leuatio patefacta est recta & naturali collocatione partium singularum, cùm fractæ sunt aut luxatæ, quam admirabilis & rerum naturæ peritissimus doctor præscribit Hippocrates libris tribus περὶ ἀγμῶν, & libris quatuor περὶ ἄρθρων.

6. Epid. part.2. de Mochl. scho. lib.1. περὶ ἀγμῶν. 6. Epid. part.3.

Vt ne calcvlvs] Qui stabulatur in vesica, vel ei affixus, vel oberrans.

Procinat] Appulsu vel illapsu (nam vtroque modo ad vesicæ ceruicem descendit;) appulsu quidem, tracta, eius pondere, ad ceruicem vesica; vel ipsa contentione & conatu meiendi, dum vesica colligit se omni ex parte, vt nihil, in meiendo, vrinæ supersit. Illapsu autem, cùm oberrans calculus, motu & cursu prorsum in ceruicem illabitur, aut concutiendo illuc excutitur, ibíque firmiter adhærescit vel affigitur.

In vrinæ dvctvm] In fistulam vrinariam, quæ longa, angusta, sinuosa, incipit à prostata circulari, vesicæ contigua glandula, inde per sphinctetem continuatur, & cole absoluitur. Est autem notabile in hac prognosi, τὸν οὐρητῆρα poni ἀντὶ τῆς οὐρήθρας, in cuius nomine, quod ei primus dedit Hippocrates, docet Galenus significari τὸν πόρον οὐρητικὸν τὸν κατὰ τὸ αἰδοῖον, *i. meatum vrinarium qui est in pudendo.* Sic enim subiecit, τὴν γὰρ οὐρήθραν καλοῦσι. Sed propriè τὸν οὐρητῆρα nominant, stomachum quendam, tunica tenui ac densa præditum, qui à renis sinu super musculos psoas delatus; tandem inter vesicę tunicas, supra ipsius os, in capacitatem subintrat, vrinæ transmittendæ causa è renibus in vesicam.

aph. 82. 4.

Facilivs illi meivnt] Cùm antea difficulter meierent, dum se intus opponeret calculus, ac tum res ipsa cogeret manu emoliri vrinam. Cæteras autem causas difficulter meiendi, & ischuriæ ipsius, huc nihil necesse est aduocare, nec singulas cuiusmodi sint examinare.

6 Ὅσοι δὲ φῦμα περὶ τὴν κύστιν τὸ παρέχον τὴν δυσουρίην· παντοίως σχηματισθέντες ὀχλέονται· λύσις δὲ τούτου γίνεται, πύου ῥαγέντος.

At quibus tuberculum est circa vesicam, quod exhibet dysuriam; quouis illi modo sint collocati, torquentur: sanatio huius atque libertas fit pure prorupto.

Eivsdem symptomatis vt multi sunt morbi; & morbi eiusdem vt multæ sunt causæ: sic varia redintegratio esse debet, quam ἐπανόρθωσιν Græci vocant: proptereáque varia medendi ratio adhiberi. Commune symptoma est dysuria multorum morborum, quibus imbecillitas, impotentia & impeditio

comparantur faciendi vrinam. Fibrarum laxitas in vesica, imbecillam facit vim expellendi. Eadem quoque impotentiam infert meiendi, exoluta prorsus vesica. Idem facit ἀναισθησία vesicæ, i. *sensus amissio*, vnde nulla sensio excitatur vrinæ stabulantis in ipsa vesica. Fistulæ oppilatio dysuriam parit vel ischuriā. Oppilationis autem, quæ morbus est, causæ sunt; pituita, sanguinis grumus, tophus, coagmentatio lapidosa cùm procidit ad vrinæ ductum; item tuberculum fistulæ vrinariæ primò exortum; tum illud succrescens phyma per hypersarcosin natum vrinariæ fistulæ vlceratæ, quam exulcerauit fœda colluuies illac transmissa ex impuro coitu, cuius virulentia prostatam glandulam cum inflammatione turgidam tumidámque reddidit: vnde pissa-calida vulgò dicta. Hic dysuriæ symptomatis vnicum ponit morbum; qui est τῆς οὐρήθρας, i. *meatus vrinarij* oppilatio: cuius duplicem tantùm causam attingit, vnam, tophacei lapidis appulsum vel illapsum; alteram verò, phyma in meatu exortum. Vtriusque causæ distinctionem vno constituit argumento, quod est eiusmodi, vt inde sit facile τεκμαρτοῦ ipsam inire διαγνώσεως, προγνώσεως, καὶ τῆς θεραπείας, i. *canonem statuere cognoscendi, prædicendi, & rectè curandi.* Quæ tria sunt medici officia quibus inuenit veram laudem, & amicos parat. Est autem hoc argumentum.

ATQVIBVS TVBERCVLVM EST] Græcum illud φῦμα, quod latè patet, omniáque suo velut ambitu complectitur quæ intus foris & intrà pullulant in compagine vniuersi corporis, singularúmque partium; consultò ex mente authoris restrinxi ad tuberculum quod in phlegmonica systrophe continetur, vt illud. Ἐν δὲ τῷ πλεύμονι γίνεται περὶ φύματι; vbi agitur de pleuritide. Et verò super hac quæstione bis proposita in aphorismis, nomen τοῦ φύματος idem significat, quod Latinè *tuberculum*, vbi sic legitur. Οἷσιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φύματα γίνεται τουτέοισι, διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις. i. *Quibus tuberculum est in vrethra*, i. in vrinæ ductu; *iis, pure facto atque prorupto, morbi dimissio & libertas meiendi.* Ergo. QVIBVS TVBERCVLVM EST] i. Phlegmonica quædam systrophe quam facit rheuma concitatum atque consistens; vt cæteræ omnes morborum systrophæ enascuntur: hæc autem enata, aut prima congerie, aut secunda: vt in iis quibus à fœda colluuie vlcus edit ὑπερσαρκώσιν, quæ carnositas vulgò dicitur.

CIRCA VESICAM] In ea parte quam Hippocrates vocat τὴν οὐρήθρην, i. *vrethram*; Galenus interpretatur πόρον οὐρητικόν, i. *meatum vrinarium*, cuius descriptio est anatomica superiore prognosi. Appositè autem circa vesicam dixit, vt intelligatur pars ea quæ ministra est vesicæ, non corpus ipsum vesicæ, cuius inflammati prima fuit decisio huius historiæ de morbis vesicæ.

QVOD EXHIBET DYSVRIAM] Vel ischuriam: quò spectate dixit Galenus aphorismum supradictum, vbi lectorem incitat ad scopum visendum, quem illic præceptor non posuit conceptis verbis, vt in hac prognosi. Quæ res, vt spero, æquiorem mihi reddet Galenum, in æstimatione harum prognoseωn Coacarum. Ergo vrethræ phyma siue tuberculum, exhibet dysuriam vel ischuriam; non quidem impotentia vel difficultate meiendi, à laxitate fibrarum; nec verò à sensus amissione, oblitá sui vesica: vt nulla impotentiæ, vel imbecillitatis, vel sensus amissi opinio sit: sed excundi & transmittendi extrà, libertate adempta. Est autem impeditio, intercluso meatu à phymate. Atque hanc difficultatem meiendi, curandam præcepit Hippocrates, ex diorismo Galeni, detractione sanguinis, incisá vena interiore malleoli, è directo. *Dysuriam phlebotomia exoluit: secanda autem vena interiores.* Vbi Galenus sic legendum censet. *Dysuriam & phlebotomia exoluit, &c.* Cætera autem non tollit venæ sectio, vnde impeditio est meiendi. Huiusmodi autem sunt; calculus, tophus, pituita gypsea, grumus, & vetusta caruncula. Nam ad imbecillitatem vel impotentiam, tantùm abest vt valeat, vt plurimùm noceat ipsa venæ sectio: sicut ad vesicæ ἀναισθησίαν, ὅσῳ τὸ κατεψυχθῆναι τὸ ἐν αὐτῇ νεῦρον, καὶ μὴ αἰσθάνεσθαι τῆς οὔρου, i. *perfrigerato, qui est in ea, neruo, nec vrinæ molestiam sentiente.*

QVOVIS ILLI MODO SINT COLLOCATI] Inclinati, recti, resupinati, proni, & in alterutrum latus conuersi: denique quoquouersum illi se verterint, doloris leniendi causa, & emolliendæ vrinæ.

TORQVENTVR] A dysuria & ischuria: quoniam nulla collocatio, neque figura oppilationem tollit meatus à phymate: sicut à calculo procidente. Nam & vrethræ suus idem semper est situs, nec loco mutatur vt vesica: tum phyma ipsum firmiter est vrethræ affixum, neque oberrans vt calculus, isque vel sua sponte, vel appulsu vesicæ ad vrethram, dum ita se colligit in reddendo vrinam, vt nihil reliquiarum supersit. Atque hoc solo argumento diorismus comparatur calculi atque phymatis, cùm alterutrius dysuria est vel ischuria. Nam multùm sanè interest quæ vtrique morbo sit adhibenda curatio. Ac patefacta est quidem ratio curandi calculum, secando & euellendo. Hæc autem vera est phymatis.

SANATIO HVIVS] Tuberculi, quæ perficitur amota omni causa morbifica, & redintegrata parte quam phyma exercuit.

ATQVE LIBERTAS EST] Meiendi, quæ priùs impedita fuit, vrethra phymate occupata. Sic enim nomen τὸν λύσιος accommodati duximus ad morbum, phyma; & ad symptoma, dysuriam vel ischuriam: quod sæpe tam præceps est, vt antequam phyma mitificari cœperit & expurgari, vrethram incidere non tardò sit necesse ad emolliendam vrinam, quæ diutiùs in vesica nequit subsistere, quin eius suppressio crudelissimam mortem secum adducat.

PVRE PRORVPTO] Quo systrophe omnis phlegmonica firmiter fixa, gangrænam arcet, & occupatæ partis redintegratio comparatur, cum libertate naturalium actionum. Est enim bene cuiuis à phymate occupato, cui aliter succurri non potest, quando ipsum phyma vertitur in empyemà, & ruptio empyematis liberum habet exitum in pure laudabili: quemadmodum suprà ostendit curatio inflammatæ vesicæ, & empyema pleuritidis & peripneumoniæ, tum hepatis inflammatione obsessi.

lib. 2. περὶ νούσων

aph. 52. 4. & 55. 7. ἐν τῷ περὶ φύσιος.

Gal. in Cōment.

82. lib. 4.

aph. 37. 6.

Gal. ad prorrh. 16. f. 2. 1.

10 20 30 40 50 60

7 Οἷσι λανθάνει τὸ οὖρον προσπῖπτον ἐς τὸ αἰδοῖον ἐκλύονται ἀπελπιστοί.

Quibus vrina clam illabitur ad pudendum; exoluuntur desperati.

De oysvria & ischuria cœpi agere, quatenus enarratio superioris prognoseωs exigebat, non vltrà. Hîc visum est subiungere clausulam vtriusque, priusquam ad aliud transeam quò mea festinat oratio, vt disputationem finiam de morbis vesicæ. Est autem hæc clausula. Quòd dysuria & ischuria, quæ sunt affines, ac differunt tantùm κατὰ τὸ ἧττον καὶ μᾶλλον, i. *per magis & minus*; quòd, inquam, affectiones illæ cadunt in vesicam plenam, non vacuam, cuius illæ sunt propriæ; & ibi, non alibi, verè huiusmodi fiunt, atque dicuntur. Nam ischuria critica, sudoris prænuncia, quam vocat præceptor τὴν τοῦ οὔρου ἐπίσχεσιν πρὸ ῥίγεος, i. *vrinæ suppressionem ante rigorem*, tum symptomatica, renum vitio & vreterum; κατὰ πρόληψιν καὶ κατάχρησιν, i. *præsumptione quadam & abusu nominis* appellatur. Non enim vrina est donec serum descenderit in vesicam: vt eius cohibitio esse non possit, antequam ipsa sit. Ergo dysuriæ & ischuriæ causa omnis posita est vel in vesica, vel in vrethra. In vesica est ἔκλυσις ἢ ἀναισθησία, i. *exolutio vel sensus amissio*. Exolutio labefactat vim expultricem vesicæ. Sensus amissio, negligentem & oblitam sui reddit vesicam: quòd nulla excitetur vrinæ sensio, cùm debeat esse molesta qualitate aut copia. In vrethra oppilatio est, quam facit aut phyma siue tuberculum, aut lapis tophaceus siue coagmentatio lapidosa quam Celsus Latinè *calculum* nominauit. Sunt quidem plures aliæ oppilandi causæ. Sed illæ tantùm prædictæ, positæ sunt à præceptore. Oppilatio hæc fistulæ vrinariæ, quam nominauit vrethram, vesicæ contentionem frangit in transmittendo vrinam quam exitu prohibet, atque meiendi adimit libertatem. Iam verò determinata quæstione super impotentia aut difficultate reddendi vrinam; sequitur vt alteram determinemus super vrinæ incontinentia. Incontinentiam dico vrinæ, intempestiuam eius excretionem, cùm scilicet ipsam continere non potis est, effluitque aut sua sponte, aut nostra, velimus nolimus: dum scilicet crebrò cogimur ad eam reddendam, quod Græcè est πρὸς αὐτὴν ἀνάγκη, i. *coactu eius*. Itaque duplex omnis ratio est huius incontinentiæ, vel intempestiuæ excretionis; vna quidem iniussæ; altera verò inuitæ. Iniussa est incontinentia, cùm ἀπροαιρέτως fluit vrina, i. *sine voluntate*, ac sine sensu, cuius ratio est in hac prognωsi. Inuita autem, cùm ægrè cogimur laxare claustrum sphincteris, vt exeat: quod cernere est in straoguria, de qua prognωsis est vltima huius tractatus. Sed incontinentiæ, quam diximus esse iniussam mictionem, causa omnis & ratio innotescet ex hac prognωsi.

6. Epid. part. 1.

Còment. ad prorrh. 16. Lat.

Qvibvs] Meiendi non cupidis: quòd nulla sensio sit vrinæ in vesica collectæ.

Vrina] i. Collecta & stagnans in vesica colluuies, vel potionis crudæ, vel seri, humorum qui sunt in venis, vel etiam partium liquefactarum. Est enim hæc triplex vrinæ materia.

Clam illabitvr ad pvdendvm] i. Quæ fluit immemori, ac si lectum in somnis commeieret: quod est sine voluntate ac sensu. Nam mictionis iniussæ vtraque ratio continetur hoc stylo. Clam illabitvr ad pvdendvm. Etenim duplex omnis consideratio est vacuationis iniussæ, ἢ διὰ τὴν γνώμην ἄλλο ποιοῦσαν, ἢ δι' ἀναισθησίαν τῶν μορίων δι' ὧν ἡ ἔκκρισις γίνεται, i. *aut quia mens aliud agit, aut quia sensus amissio est partium quæ euacuationi dicatæ sunt.* Sensus amissionem illæsa voluntate illud declarat. Ἀπὸ κοιλίας λεπτὰ μὴ αἰσθανομένῳ διιόντα, ἐόντι παρ' ἑωυτῷ κακόν, ὥσπερ ἡπατικῷ, i. *Ex aluo tenuia infrà transmittit, nec sentienti, cùm tamen apud se sit; malè est. sicut hepatico.* Occupatæ mentis ac voluntatis amissæ documentum est illud. Τὰ ἀφρόνως καὶ ἀπομνημόνως ὑποχωρέοντα ὀλέθρια. ἆρά γε τουτέοισιν οὐρέεται, ὥσπερ οἱ τὴν ὑπόστασιν ἀναταράξαντες, i. *Quæ immemoribus mictu redduntur; lethalia. Et an ne his meiuntur similiter vt si perturbauerit ipsam hypostasin?* Ac si diceret: cùm pestifera est omnis vrina quæ sine sensu ac voluntate redditur; tum verò ea maximè quæ similis est iumentorum: quoniam vtriusque principatus summa imbecillitas ac deprauatio indicatur, naturalis & animalis. Quò autem plures principatus in vitio sunt, eò res ægri peiùs eunt. Talem exercuit ἀφροσύνη in lethargicis, de quibus hæc scripsit. *Biliosa est aluus cum impotentia continendi; quæ si fortè astrictior est, attamen vrina & faces, clam ægro, iniussa transmittuntur infrà & extrà.* Ergo vrina, vesicæ imperio, sua sponte, non nostra, dum occupatur animus, aliúdque agit, nec vlla sensio est phantasiæ, nec vllum tegimen τοῦ ἡγεμονικοῦ; illabitur ad pudendum: quod sensus amissionem, & laxitatem indicat ianitoris musculi, olim sphincteris, qui eam non prohibet transitu ad pudendum, cùm illac sit ei transeundum. Nam simulatque ad pudendum illapsa est, nulla restat potentia continendi, quin effluat.

6. Epid. part. 5.

prorrh. 46. Lat. Ibidem.

prorrh. 17. Lat.

Coac. 145. 1. lib.

Exolvvntvr] Sic enim ἐκλύονται, olim legendum duximus, ἀντὶ τοῦ ἕλκονται. Est enim pudendi reuulsio, laboris grauissimi argumentum, ac periculum subesse testatur mortiferum. De qua sic ait præceptor. Ὄρχιες καὶ αἰδοῖον ἀνασπώμενα πόνους ἰσχυροὺς σημαίνει, καὶ κίνδυνον θανατώδεα, i. *Testiculi & pudenda reuulsa, labores denunciant acerbissimos, periculúmque subesse mortiferum.* Sed hic nulla est æquitas, conuulsionem locare cum laxitate. Sunt enim ἕλκονται, pudendi reuulsio siue contractio, & sphincteris musculi resolutio: præsertim cùm ipsa facultas in vitio est perinde ac instrumentorum. Quod cernere est in hac prognωsi, vbi cum impotentia continendi vrinam, coniuncta est deprauatio voluntatis. Ergo exoluuntur collapsis omnibus naturæ præsidiis in animalitate sensus & motus, tum in nutricatu partium nutritiarum & principatu cordis vitali.

lib. 2. progn.

Desperati] Sine vlla spe potiundæ & perfruendæ salutis, cuius desperatio in cuiusque vitalis

officij vacuitate consistit. Nam exolutionis desperatæ multa sunt alibi à nobis conscripta. Hæc autem prognosis potissimùm ad eos pertinet qui mente sunt capti.

prorrh. 27 f.1.1.

8 Ἐπὶ στραγγουρίῃ εἰλεὸς ἐπιγενόμενος, ἑβδομαίους ἀπόλλυσιν· ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου, ἀθρόον οὖρον ἔλθῃ.

Stranguriæ ileus superueniens ; septimo die perimit : nisi oborta febre vrina fluxerit cumulatè. 10

ERAT EX illis quæ proposita sunt, illud extremum, vt de vrinæ incontinentia diceremus, cuius excretio est non iniussa quidem, vt superior, sed inuita. Quæ duplex omnino est ratio incontinentiæ. Ac de iniussa quidem, quam ἀπροαίρετον Græci vocant, tum mentis labore, tum sensus amissione, & laxitate sphincteris musculi qui ei vacuationi ex voluntatis imperio suam dicauit operam; dictum est abundè suprà. Nunc de inuita dicendum.

Est igitur illa demum inuita, quæ contra voluntatem, suo coactu exit, quæque subinde nos cogit 20 musculi ianitoris claustrum laxare, nec desinit esse molesta quando paulatim ægrè destillat. Eius inuitæ functionis, ab ægro multæ sunt causæ, quarum maleficentia præceps vrinæ & crebra destillatio est. Præcipitem dico, quę redditur ægro inuito, sine periodico vesicæ conatu, qui esse solet cùm vrinæ copia vesicam distendit, ipsámque excitat ad liberalem & liberam vacuationem rei molestæ. Talis inuita vrinæ destillatio quæ stranguria est, proportione respondet ei lienteriæ cuius pręceps egestio est ab impotentia continendi ea quæ assumuntur, quam edit vel aluus aphthosa, vel proritata morsu potionis aut cibi. Omnis enim stranguria fit, aut morbo vesicæ, aut eius symptomate. Morbus quidem est; exulceratio, vel coagmentatio lapidosa. Symptoma autem, proritatio quam facit triplex vrinæ materia quæ in vesicam confluit. Ipsa autem meiendi molestia, proximè ad tenesmum accedit, in quo similiter ani sphincter laborat, vt vesica in stranguria. Hic primùm dicam de triplici vrinæ materia, vnde proritatio est vesicæ. 30

Prima est potionis præcipitis, vt vini albi Germanici calce infecti, aquę vini; tum vini albi, cantharidibus medicati; prętcrea fontium Leodiensium, chalcantho medicatorum; denique diureticorum omnium fortiorum. Talem vrinam scripsit esse Hippocrates ὁμοίχρουν βρώματι καὶ πόματι. Altera vrinę materia stranguriosa, est serum biliosius eorum qui sunt in venis humorum. Atque hęc stranguria non rarò est critica & salutaris. De qua illud scriptum est à præceptore. *Vnle fuit vnum maximúmque omnium quæ apparebant signorum, ac plurimos liberauit qui erant in maximo vitæ periculo, quibus conuersio facta est ad stranguriosam vrinam.* Vbi Galenus author est, vniuersitatem corporis æquè sic expurgari per vrinæ ductus, atque per aluum & intestina. Tertia restat vrinæ materia liquefactæ, cuius liquamine proritatio est vesicæ atque sphincteris, ad stranguriam. Sed antequam de ea dicam; hic defraudari nolim lectorem ea sententia 40 præceptoris, vbi docetur triplex illa, quam memoraui, vrinæ materia. Est autem his verbis conscripta: Οὖρον ὁμόχροον βρώματι καὶ πόματι, καὶ ἐν ὅσῳ διὰ τόν, καὶ ὅπου τῷ ὑγρῷ συντήξις. i. *Vrina tum cibo & potioni est concolor, tum qualis esse consueuit, tum vbi est humoris colliquatio.* Ac primùm, humoris liquamen sic legitur in nostro Latino ex Græco Hippocratis. *Crebrò vrina redditur cùm incaluerit multùm caput. Liquitur enim pituita in eo. Liquefacta autem partim ad nares abit partim etiam ad os ipsum, partim per venas confluit quà ducitur ad pudendum. Quò simulatque appulit, tum meat is quem lacessit, eandémque molestiam experitur cuiusmodi esse solet à stranguria.* Huc spectat etiam quod idem scripsit præceptor de perirrhœa, purulentæ & stranguriosæ vrinæ, quæ tamen nō erat huiusmodi renum vitio, aut vesicæ. Et ea quidem pertinent ad strangnriam quæ ipso symptomate fit vesicæ, non morbo. Nam sæuo dolore crudelissima est illa stranguria, & firmiter fixa, quæ morbi symptoma est in vesica. Morbus est quidem stranguriosus, exulceratio; quæ idem facit in vesica, quod 50 aphthæ in aluo. Vt enim ex aphthis incontinentia est cibi & potionis in aluo: sic in vesica exulcerata, vrinæ. Hic finis non fit meiendi cruentum quidpiam, aut purulentum, sicut à renibus exulceratis: Notum est illud. *Si sanguinem quis aut pus meiat, vesicæ, aut renum exulceratio est.* Stranguriosa est etiam prostatæ glandulæ inflammatio & vlcus, vnde colluuies illa fœda quæ vulgò est pissa-calida. Stranguriosus item calculus, vt suprà exposui. Ergo inuitæ functionis ad meiendum, & stranguriosæ vrinæ, distinctio est multarum causarum: sicut rectò monuit noster præceptor, cùm ait. Στραγγουρίης οἱ τρόποι πολλοὶ καὶ ποικίλοι, i. *Stranguriæ modi sunt varij & multiplices.* Quæ cùm ita sint, iam loco à nobis exigitur vt quæstionem propositam decidamus, qua ponitur stranguriæ ad ileum propagatio. Decisio autem erit, ipsius prognoseωs explicatio, quæ sic habet.

STRANGVRIA] Quæ posita est in expressione inuita vrinæ, non quidem vesicæ morbo, sed eius 60 symptomate quod infertur pituitæ putris & glutinosæ appulsu, quæ difficulter & ægrè exprimitur, nec liberum habet exitum suo coactu, sed paulatim destillat: vnde stillicidium dicitur, vel vrinæ substillum.

ILEVS] i. Vtriusque intestini, sed crassioris præsertim, hoc loco, sursum reuolutio, qua nec aluus nec flatus infrà transmittitur: sed cùm inueterauerit, stercus per os redditur. Non enim hîc reuolutio est tenuioris intestini à phlegmone. Sed intestini crassioris oppilatio, causa est ilei, de quo hæc philoso-

phia

6. Epid. part. 5. — 1. Epid. part. 2. — 6. Epid. part. 5. initio — lib. 2. περὶ νούσων. — 1. Epid. part. 2. — aph. 75. 7. — Coac. 5. huius c. — lib. περὶ παθῶν.

phia est præceptoris, quam suprà positam, hic denuò scribere non pigebit. *Hic morbus*, inquit, *enascitur quando perusti stercoris copia est atque subsistit in intestino, vbi pituitâ inuoluitur, eorúmque duorum congerie cumulata clausum intestinum distenditur.* [lib. de morb.]

Svpervenienſ] Non quidem retrogressu pituitæ in vesicam illapsæ, ad crassius intestinum nec intestini oppressione à vesica: sed pituitæ illabentis in vtrumque alueum propagatione, aut pariter in vtroque cumulata congerie.

Septimo die perimit] Hic enim potissimùm locum habet perceptum illud Hippocratis, quo statuit omnem morbum qui alter superuenit alteri, non tarò esse mortiferum. Est autem ad interitum præceps ileus, vt suprà ostendimus. Pertinet etiam, quod penè omiseram, ad ilei, cuius hic mentio est, [illegible], quod super ortu eius scripsit Galenus. *Cùm*, inquit, *exulceratio leuis est intestini, si à ciborum transitu proritetur, nec exitum citò habeant, tum certè accidit vt intestinum hac noua proritatione affectum, sursum remittat ea quæ ipsum læsura erant, ac mutata velificatione, cursum deinceps, contra naturam, sursum inflectat, quem olim naturaliter deorsum tenebat.* [lib. de morb. / coac. vlt. cap. superioris. / lib. de ... os.]

Nisi oborta febre] Ex collectione, motu, & putredine bilis acerrimæ, quam genuit sæui doloris acerbitas, cum vacuitate somni coniuncta. Nihil enim perinde facit ad sanguinis corruptionem, vnde bilis prouentus ac sæui doloris cruciatus, & fortes vigiliæ. Sit autem febris acuta, quæ priùs non fuit; aut, si priùs fuerit, exacerbata: vt suprà demonstratum est in conuulsione. [6. Epid. part. 1. Coac. 11. ca. 14. 2.]

Vrina flvxerit cvmvlate] Quæ antea destillabat paulatim, & ægrè. Sic enim stranguriæ & ilei materia vacuatur, quæ intestino sursum reuoluto in ileo, infrà transmitti nequit, ac tantum per vesicam, eius vacuatio molienda, quæ aliter fieri non potest. Ad eam moliendam vnicè valet exorta febris acuta, tenuando, incidendo, vrinæ ductus explicando, naturámque ipsam veternosam excitando. Ac sanè idem hic facit febris acuta, quod in conuulsione, cùm ea repentè incidit, neruis a frigido & glutinoso humore distentis. Pugnat autem pro me illud Galeni perceptum quo hanc prognosin positam in aphorismis oppugnat. *Sanum*, inquit, *eos tantùm morbos sanari siue curari à febribus, qui consistunt in frigore, vel qui à frigore sunt enati, quod vel ipsum est per se, vel cum humoribus crudis & pituitosis, vel cum spiritu flatulento.* Non enim huc stranguriam agnosco à morbo vesicæ: sed à symptomate quod pituitæ appulsu infertur. Nec verò ileum a phlegmone intestini editum, sed eum quem ex Hippocrate & Galeno descripsimus. Quid verò? nonne huc spectat etiam quod scripsit Hippocrates de pituita inter diaphragma & aluum illapsa, quæ per decubitum in vesicam exoluitur, cùm aliter euolui non potest? [aph. 44. 6. / aph. 52. 7.]

DE APOPLEXIA, PARALYSI, ET PARAPLEGIA.

CAP. XXIII.

NΑΡΚΑΙ καὶ ἀναισθησίαι παρὰ τὸ ἔθος γινόμεναι ἀποπληκτικῶν συμβησομένων σημεῖον.

1 *Sensus hebetudo, & eius amissio, si fortè inciderint; futura denunciant apoplectica.*

Etsi cerebri morbus est apoplexia: quia tamen corpus vniuersum prosternit, à quo prostrato nomen habet; huc differri iure eius tractatio debuit, postquam explicati morbi sunt, qui caput & ventrem propriè afficiunt. Adde quòd apoplexiæ nomine paralysis & paraplegia continentur, quæ magis in membris quàm in cerebro esse videntur.

Ergo vt rem propiùs iam attingam. Capitis cerebríque repleti & proritati, suprà demonstratum est, omnino symptomatum quatuor esse genera; cephalalgicum, cataphoricum, paraphoricum, & catarrhoicum. Pertinet genus omne τῶν ἀποπληκτικῶν, ad catarrhoicum: quando scilicet apoplectica, vt hîc docetur, à cerebro enascuntur. Nam apoplexia ἄφεσις dicta, resolutio est vniuersi corporis: paralysis, dimidiati: paraplegia autem, quorumlibet artuum. Atque hæc tria symptomata, hic, nomine τῶν ἀποπληκτικῶν continentur: vt mox dicemus. Nascuntur autem, significata signis hîc positis; aliâ quidem in cerebro; alia verò à cerebro. Sanè apoplexia, in cerebro quidem nascitur per catarrhum quo cerebrum ipsum valde oppressum fatiscit, & vim animalitatis nullam edit, cum amissione sensus & motus in vniuerso corpore. Paralysis verò & paraplegia, per catarrhum qui à cerebro foras transmittitur in cerebri ipsius propagines; vel, vt Græci nominant, [illegible]; videlicet ad spinalem medullam, & neruos. Sed eorum symptomatum natura omnis, & ratio atque distinctio, infrà suo quæque loco dicetur. Ergo in apoplexia, ἄφεσις dicta, collapsa repentè cernitur animalitas ipsa, in amissione sensus & motus; idque principatu eius constricto, vel spiritu animali concluso; vel dissipato, nec instaurato. Nam quòd incidente primùm apoplexia, stertor ad tempus auditur, qui est cum motu; eò certè fieri narrat Galenus, quòd magna spirandi necessitas in æstu & impuritate cordis adhuc micantis, nec tam cito extincti, neruorum [prorrh. 26. 1. 3. 2.]

spirabilium vim excitat ad respirandum, quamuis ægrè. Ac tum suffocatio est in propinquo, cùm stertor adest.

Animalitatis collapsæ, quæ cernitur in amissione sensus & motus, causa potissimùm agnoscitur à præceptore, constrictio cerebri qua spiritus animalis, facultati morem non gerit, nec vllum iam edit officium τοῦ ἐνορμῶντος. Talis in promptu est apoplexia de qua præceptor hunc posuit aphorismū. [aph. 56. 7.] *Quibus concussum est cerebrum, quauis de causa, necesse est ipsos continuò fieri voce captos.* Vbi Galenus author est, per aphoniam intelligi motus & sensus amissionem, quæ cernitur maximè in iis qui capti sunt voce. Huc spectat [aph. 14. 7.] & illud quod idem sic annotauit ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν, ἐκπληξις, ἢ παραφροσύνη κακόν, i. *A plaga in capite accepta, attonitum fieri, vel mente capi, malè est.* Vbi Galenus hæc scripsit. Ἐκπληξιν ἐγὼ εἶναι μοι φθέγγεσθαι τὸ μὴ τὸ παράπαν, ἀλλὰ ἀφωνον γιγνόμενον τὸν ἐφθαλμοῖς ἐφ᾽ ἡσυχίας μένοντα ὁμοίως τοῖς ὑπὸ δέους καταπλαγεῖσιν, i. *Cocum percelli, attonitum reddi appello, cùm quis ab ictu nec clamat, nec quicquam aliud agit, sed commissis prostratus quiescit oculis, similiter vt ij qui timore coercentur.* Hi casus veniunt ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, ἐκ τῶν προσπιπτόντων, i. *appulsu violento rerum extrinsecus incidentium, lapsu, & ictu: non autem à vitio rerum quæ intrà sunt, & intus lædunt* τὰ ἔνδον τι, i. *quæ intus lædunt*, apparent in illo. [aph. 51. 6.] [Coac. 2. cap. 1. 2.] *Quibus, dum bellè valent, exoritur dolor in capite, ac cito voce sunt capti & stertunt; pereunt illi septem diebus.* Huc pertinet illa prognosis. *Quibus cephalalgiæ & ictus varietas sine febre, vnàque vertigo tenebricosa incidit, & tarditas vocis, & manuum stupor hos vel apoplecticos, vel epilepticos, vel etiam lethargicos fore expecta.* Pertinet illud etiam quod sic legitur in aphorismis. [aph. 55. & 56. 6.] *In melancholicis morbis periculum sic ostentat ipsorum decubitus: aut enim apoplexiam corporis, aut conuulsionem, aut insaniam, aut cæcitatem ostendit.* Sed apoplexiæ hinc natæ, potissimùm in eam cadunt ætatem, quæ est à quadragesimo ad sexagesimum. Intrà sunt etiam, & intus lædunt, ac verè sunt τὰ οἰκεῖα, vt ita dicam, apoplectica, capitis fabricatio crassa, rotunda, vnde ceruix enascitur breuis & crassa. Denique, [li. 2. aph.] οἱ παχέες φύσει ταχυθάνατοι μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν, i. *natura crassi quàm graciles, mortis sunt magis præcipitis.*

Ex iis quæ intrà sunt, & intus lædunt, nascitur apoplexia, corruitque animalitas ipsa cum amissione sensus & motus: aut quia spiritus animalis exitu, aut vitalis aditu ad cerebrum prohibetur. Spiritus animalis exitu prohibetur, [Auicenna.] cùm cerebri sinus repleti sunt nimia abundantia pituitæ, nigri humoris, aut sanguinis. Ac dum replentur, necdum repleti sunt, symptoma est conuulsionis epilepticæ, quam excipit resolutio apoplectica; vt ipsi vidimus in Episcopo Niuernensi, & in Quæstore Ballomo, quibus vita defunctis inuenta est repletio sinuum, à sanguine illuc prorupto. Spiritus autem vitalis aditu prohibetur ad cerebrum, in iis qui natura sunt crassi & breuioris colli, repletis nimium, obstructis, compressis, quæ illac feruntur ad caput, arteriis atque venis. Hic enim spiritus animalis exhausti nulla est instauratio. Quò fit vt animal corruat: quia non illi suppetunt τὰ ἐνορμῶντα sensus & motus.

Sed apoplexia est omnis diuisa in fortem & debilem. Atque distinctionis huius ratio in spiratione [aph. 42. 2.] posita est: prout difficultas est maior aut minor in respirando. Meâ quidem sententiâ, debilior est apoplexia intercluso vitali spiritu, quàm animali: nec tam desperabilis est vitæ salus in ea quam peperit interclusio spiritus qui à corde manat viuificus atque vitalis. Nam obstructarum venarum libertas, detractione sanguinis comparatur: sicut faciendum præcepit dictator in illo. *Aphonium febris expertem exoluit detractio sanguinis.* Et, τὸ ἄφωνον ἐξαίφνης γενέσθαι, φλεβῶν ἀπόληψις ποιέει, ἢν ὑγιαίνοντι τοῦτο ξυμβῇ, ἄνευ προφάσιος, ἢ ἄλλης αἰτίης ἰσχυρῆς· φλεβοτομέειν χρὴ τὴν βραχίονα τὴν δεξιὴν τὴν ἔσω φλέβα, i. [2. Epid.] *Quòd quis repentè obmutescat, in causa est venarum interceptio si benè valenti accidat, non præuisa, ac sine aliqua fortiori causa. Ergo venam secare oportet interiorem cubiti.* Hîc tamen negare non ausim, fortis ac debilis apoplexiæ rationem, etiam denegato exitu spiritui animali posse discerni. Hoc enim spectat illa sententia præceptoris. [prorrh. 5u. l. 2. 1.] τὰ ἐξαίφνης ἀπόπληκτικὰ λελυμένα, ἐν πυρετῷ ληρώδει χρονίως ἀπόλλυσιν, i. *Exorta repentè apoplexia non insanabilis, in lenta febre, funesta est.* In apoplexia forti quæ, animalitate omni collapsa, continuò stertorem edit, nulla vitæ salus sperabilis esse potest. Scitum est illud præceptoris. [lib. 4. acut. pag 95.] Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν ἀδύνατον, i. *Apoplexiam fortem exoluere non potis est.*

Hactenus de apoplexia οὕτως dicta. Nam de paralysi & paraplegia, satis iam suprà scripsimus ad [aph. 41. 2.] illam prognosin. *Parotides prauæ sunt paraplecticis.* Est autem ratum illud, persuasúmque omnibus; quòd [Coac. 4. cap. 4. 2.] apoplexiæ omnis, paralyseos, & paraplegiæ ratio, in exolutione consistit. Sed ea demum exolutio pessima est atque mortifera, quam facit interclusio spiritus animalis in cerebro; nec solùm apoplectica, sed etiam paraplegica; quæ cernitur in oculorum peruersione, & oris, in febre acuta, Sunt enim principiorum, facultatúmque grauiores casus, quàm organorum. Atqui oculorum & oris peruersio in morbis acutis, à cerebro est, & in cerebro ipso perficitur. Qualem fuisse legimus paraplegiam illam mortiferam in Epidemiis, quæ, vt Galenus author est, non talis erat, culpa & vitio exolutarum par- [constit. 3. 1. Epid.] tium: sed ipsius principij, hoc est cerebri, vnde paraplegica exolutio veniebat. Huc pertinet illa prognosis, suprà iam posita. [Coac. 78. 1. lib. & aph. 49. 4.] *Quibus morbo iam fractis, videndi vis audiendíve perit, aut etiam labiorum, palpebrarum, vel narium peruersio cernitur, mors in propinquo est.* In cæteris, partium quæ sponte nostra mouentur, exolutio; cum libertate spirandi, non est fatalis ad mortem; sed tantùm symptomate ipso grauis atque molesta; quoniam nulla pars nostri, ne minima quidem, vacat officio, quin tantum incommodet τῷ ὁλομελεῖ, i. *vniuersitati*, quantum ipsa commodabat olim ad vsum & dulcedinem vitæ, dum benè valeret.

Nascitur autem paralysis & paraplegia, vel mollitudine ipsa neruorum & membranarum per ingressum currentem serosi catarrhi, vel impedito spiritus animalis appulsu, qui totâ substantia non fertur vt decet, ad partem à qua suscipitur actio. Examinanda superest instituta prognosis quæ est huiusmodi.

SENSVS HEBETVDO] Græcè est νάρκη: qua voce, partium omnium velut segnicies quædam osten-

ostenditur in officio faciundo, vel in appulsu τῶν αἰσθητῶν excipiendo stupor & hebetudo. Alui segniciem in coquendi officio declarat illud Hippocratis. [illegible] *i. Alui segnicies, omnium perturbatio, & vasorum impuritas.* Ad quem locum hæc scripsit Galenus, [illegible] *hic audiamus, debilitatem alui circa cibos coquendos.* idem [illegible] *i. dolorem stupidum,* siue torpidũ, authore Galeno, per [illegible] expressit, cùm ait, Νάρκη μηρῶ τῶ κατ' ἴξιν. *i. Stupor femoris quod è directo est:* loquitur autem de renibus calculosis. Atque hic dolor stupidus, opinionem facit diminuti pariter sensus & motus. Quod cernere est in iis quibus obstupescit crus illud quod, sedendo, alteri decussatim superimponunt. Ex quibus apparet, verum illud esse quod posui; nempe quòd voce τῆς νάρκης, tum quædam segnicies atque infirmitas quarumlibet partium, in quoq; officio declaratur; tum etiam stupor & torpor, vel hebetudo, qua sentiendi vis languet infirma, nec bene sensio excitatur τῶν αἰσθητῶν in sensu obtuso. Sed illa sensus hebetudo qua sensio frangitur ipsorũ sensilium, tametsi propria est τῶν αἰσθητηρίων, *i. quorumlibet sensoriorum,* ex paupertate spiritus animalis, vel in fonte ipso, cuius exhausti parua est instauratio; vel etiam sæpe à vitio riuulorum quod intulit nerui constrictio vel oppilatio: tamen reperio apud Hippocratem [illegible], *i. torporem mentis.* in quo agnoscit Galenus [illegible] *i. imbecillitatem mentis: resoluta scilicet, vt nervorum, ita cerebri substantia.* Loquitur autem de incommodis aquæ calidæ, si quis ea diu multúmq; vtatur. Huc pertinet illa prognosis. [illegible] *i. Stuporis vtrobique cita mutatio mala est.* Vbi demonstratum est, me authore, stuporem illum minimè ad sensoria referendum, sed ad sensionem ipsam quæ propria est τῆς [illegible]; non solùm in obiecto sensilium, sed rerum expetendarum, vt potionis & spiritus. Repentina illa mutatio phantasiæ stupidæ, potissimùm cernitur in iis quibus acuta febre correptis, occupata delirio phantasia non antè percipit necessitatem rerum in febre expetendarum, vt potionis & spiritus; quàm incremento necessitatis ipsa veterno suo excitetur ad percipiendum & sentiendum vim causæ sitiferæ aut necessariæ spirationis. Ergo qui in febre acuta, modò sui est negligens, modò diligens in vsu rerum expetendarum, vt potionis & spiritus, parem in vtroque ostendit calamitatem; illic multùm hebetis sensificæ facultatis; hic verò crescentis ad summum necessitatis à febrili ardore quo viscera ipsa conflagrãt, vnde phantasia stupida excitatur. Qua de re præcepta sunt à præceptore sic posita. *Extimarum partium cita in vtrumq; mutatio, ac situs huiusmodi, praua est.* Ac si diceret. Quemadmodum cita mutatio partium extimarum, imbecillitatem arguit natiui caloris, & vim ardoris febrilis: ita quæ fit in siti μετάπτωσις, qua modò accensa sitis, modò sedata videtur; idque immeritò; tum hebetudinem sensificæ facultatis, tum robur sitiferæ affectionis ostendit. De spiratione autem quæ notis non respondet incandescentis cordis, sine contumacia organorum spirabilium, solennis est illa prognosis. *Magna & rara spiratio in febre acuta, dementia signum est.* Atque hæc omnia, stupidæ phantasiæ & excussæ documentum complectitur hic aphorismus. [illegible] *i. Qui dolentes ex parte aliqua corporis, sæpe dolorem non sentiunt, his mens laborat.*

Serr. 2. part. 4. Epid. — aph. 16. 5. — Coac. 60. 1. lib. — Coac. 55. lib. 1. & prorrh. 8. s. 1. — Coac. 1. c. 9. lib. 2. aph. 6. 2.

Ergo. Sensvs hebetvdo.] Quæ est in sensoriis quinque sensilium, & sensione stupida; non in segnicie partium nutritiarum, nec occupata delirio phantasia. Atque illa quidem hebetudo sensus, causam agnoscit, vel paupertatem spiritus animalis, vel denegatam ipsi libertatem perueniendi quà & quò viam affectat, [illegible], causa ciendi motus & sensus. Adimitur autem libertas neruis constrictis vel oppilatis.

Et eivs amissio.] In qua sensilium ne minima quidem perceptio est in certis quibusdam sensoriis, vel etiam omnibus.

Si forte inciderint.] Græcè est παρὰ τὸ ἔθος, quod est præter morem & consuetudinem hebescendi, quæ fit sæpenumero ictu & lapsu; tum etiam cruribus complicatis, cubitorum innixu, fame, vigiliis, scoliosi vertebrarum ceruicis, renibus calculosis, & artubus illaqueatis. Est autem præceptoris [illegible] hæc. Si quis repentè stupuerit, sine vlla [illegible], qualis est nephriticorum, ac sine forti causa.

Fvtvra denvnciant apoplectica.] i. Genus omne amissionum sensus & motus [illegible]; tum in vniuersitate ipsa, per apoplexiam; tum in dimidio corpore, per paralysin; tum in quibuslibet artubus, per paraplegiam. Nam τὰ [illegible] sic vsurpari reperio apud Hippocratem, eaq; significatio verè & appositè tribuitur huic prognosi. Ergo sensus hebetudo & eius amissio si fortè inciderint, futura denunciant apoplectica quoniam ibi demum quælibet resolutio in propinquo est, quando spiritus animalis non facit officium τῶ [illegible], in cerebro interclusus: aut cùm illius inopia laboratur, aut prohibetur appulsu & aditu ad ipsa sensoria per quæ suscipitur omnis actio animalis. Neque enim sensifica vis lucet in vllo sensorio, cùm spiritus animalis interclusio est in fonte ipso, vel summa paupertas; aut cùm eiusdem interceptio est in cursu, quem ipse per neruos inflectit. Sed illa sensus hebetudo apparet quando sensilia non exactè percipiuntur in proprio quæque sensorio, nec libera motio est earum partium quæ sponte nostra mouentur; idque παρὰ τὸ ἔθος, i. non proprio ipsarum vitio, sed alieno, videlicet facultatis ipsius. Huc aduocandi etiam deprauati & alieni sensus eorum quæ intrà sunt, & intus lædunt. Huiusmodi sunt tenebricosa vertigo in cerebro; marmaryx & amblyopiæ in oculis; bombus & echo in auribus; fœtor in naribus, stupor & hæsitantia linguæ: palpitatio quoque in musculis, & tremor in artubus. Quorum exempla sunt passim apud Hippocratem, ac suprà iam posita & explicata, quæ esse solent partim apoplexiæ, partim paralyseos, partim paraplegiæ ipsius prænuncia. Ex omnibus autem sufficiet vnum proponere quod valde nos exercuit in explicando. *In conuulsione diu obmutescere, malum est. At verò parumper, aut linguæ apoplexiam, aut brachij, partiúmque dextrà sitarum denunciat. Exoluitur autem vrinis repentè multis & cumulatè proruptis.* Ergo vt spiritus interclusio est, & paupertas in

Coac. 15. cap. 14. 2.

cerebro, vel eiusdem in neruis interceptio: sic apoplexia omnis hoc loco descripta enascitur. Sed apoplexiæ [illegible] dictæ mox affutura signa sunt in [illegible], stupore artuum, tarditate vocis, & aphonia.

2 Ὁκόσοι ἐκ τρώματος ἀκρατέες γίνονται τοῦ σώματος· πυρετοῦ μὲν ἐπιγενομένου, χωρὶς ῥίγεος, ὑγιάζονται· μὴ γενομένου δὲ, ἀπόπληκτικοὶ γίνονται τὰ δεξιὰ ἢ τὰ ἀριστερά.

Qui à trœmate sunt impotentes corporis, exorta quidem febre rigoris experte; seruantur: non exorta verò, fiunt apoplectici partim dextrà, partim sinistrà.

HACTENVS de apoplexia, cuius prænuncia est sensus hebetudo & eius vacuitas ab iis quæ intrà sunt, & intus lædunt exorta, [illegible] Græci vocant, sine occasione & forti causa extrinsecus incidente, quod [illegible] καὶ ἰσχυρῆς αἰτίας iidem ipsi Græci dicunt. Nunc ea ponitur apoplexia, cuius occasio & causa est, illata vis rerum extrinsecus venientium. Sed rerum earum multa sunt genera. Quædam enim veniunt à diæta; quædam à cœlo & spiritu, vel, vt præceptor ait, [illegible] *i. & minimè opportuna, quæpiam de cælo contingunt, & vitæ munica.* Sed illa incõmoda huc minimè sunt aduocanda. Restat genus alterum incommodorum extrinsecus incidentium, quæ ictu, iactu, & casu inferuntur. Quod genus ab Hippocrate sic expressum legitur, [illegible] *i. si quid violentum irruerit.* Deinde illud [illegible] quale sit, velut cuiusdam catalogi recensione aperit. [illegible] *i. Violentum appello, casum, vulnus, plagam, laborem, atque id genus cætera.* Et quoniam inter symptomata quæ violenter extrinsecus infliguntur, trœma violentiæ est vehementissimæ, atque omnis læsio magna quæ firmiter fixa hæret, sub trœmatis nomine continetur: proptereaque visum est præceptori, trœma hic ponere, tum propter violentiam vnde venit; tum quia ipsum quodammodo genus est [illegible], *i. rerum omnium violentarum*, qualis fractura est, contusio, atque vulnus: quæ omnia in caput illata, consecutionem adferunt symptomatis apoplectici, quando inde corporis impotentia est, nec febris, apoplexiæ calamitatem arcet, vt positum est in hac prognosi.

lib. 4. de diæt. [illegible]

1 Epid.

QVI] Omnes homines quibus alioqui bene est natura & valetudinis cura, nec vlla suspicio est [illegible], *i. eorum quæ intus lædunt & magis læsura sunt.*

A TRŒMATE.] Præsertim capitis, cui sententia hæc planè dicata est. Significat autem hic trœma, insignem quamlibet offensionem, læsionem, vel afflictionem capitis violenter extrinsecus, casu, iactu, vel ictu sauciati, vnde quatuor illa eduntur, [illegible] *i. teli acuti sedes, fissura, contusio, & effractura*, vt non inepta videatur hæc paraphrasis. Qui vel à vulnere, vel à contusione, vel à fissura, vel ab effractura sunt impotentes, &c. Ac trœmatis quidem incommoda nulla sunt atque symptomata, quæ propagantur alia per epigenesin, alia per metaptosin. Sed inter omnia, principatum obtinet mortiferæ calamitatis, apoplexia, quæ occupat impotentes à trœmate, vt mox dicetur.

li. de trœmat. cap.

SVNT IMPOTENTES CORPORIS.] i. Quorum corpora, facultatis & spiritus magisterio non reguntur in mouendo & sentiendo; idque tum cerebri [illegible], principatúque infirmo tum exolutis neruis, madefacto eorum principio, vnde [illegible], *i. lentitudo quædam atque segnicies.* Sic apud Hippocratem legitur, [illegible]. De quibus Galeni hæc ratio est. [illegible] *i. Nerui redduntur infirmi, laxa ipsorum substantia. Ac stupor mentis, est quædam ipsius infirmitas vel imbecillitas, resoluta cerebri, sicut ipsorum neruorum, substantia.* Talis Hippocrati est linguæ impotentia, quam vocat γλώσσης ἀκρατῆ; quæ est huiusmodi, authore Galeno, cùm aut lingua titubat, velut tremula, nec bene voces efformat; aut cùm resoluta manet immota, nec iam verborum est dædala. Quinetiam ab oppressione quam facit ipsa repletionis suppressio, vel tantùm oppresso neruorum principio, vniuersum corpus fit ἀκρατής; idque per [illegible] quæ iure societatis, propagationem mouet causæ morbificæ, à principio εἰς τὰ νεῦρα. Qualis imbecillitas cernitur in quibusdam baiulis quando grauissima gestant onera, quibus depositis, sunt alacriores. Ac talis [illegible] legitur in illa prognosi. *Si cui capitis & ceruicis dolor, atque adeo vniuersi corporis infirmitas quædam incidat cum tremore coniuncta, hæmorrhagia exoluit.*

aph. 5. 3. & 3. Epi

aph. 16. 3.

aph. 40. 7.

Coac. 11. cap. 1. 2.

Ergo. QVI SVNT A TRŒMATE IMPOTENTES CORPORIS.] i. Qui sunt in mouendo pigri, & hebetes in sentiendo; non quidem ab exhausto, sed oppresso potiùs aut madefacto neruorum principio. Qualem agnouit causam [illegible] in aph. [illegible] *i. Austri segnes & resoluentes.* Huc etiam referri possunt illa symptomata febrium ardentium quæ in repleto capite a tempestate austrina pestifera enascebantur. De quibus hæc scripta sunt à præceptore. [illegible] Vbi Galenus [illegible] explicat [illegible] *i. Exolutionem ac veluti relaxationem omnium partium cum tanquam paralytici decumbunt.*

aph. 5. 3.

3. Epid. part. 3.

EXORTA QVIDEM FEBRE.] Acuta scilicet, quæ priùs non fuit; aut si priùs fuerit, exacerbata: sicut præceptor ait de febre conuulsionem sanante. Nam febris lenta nihil opis adfert nec adiumenti:

Coac. 11. cap. 14. 2.

tis sed multò magis incommodat, morbúmque ipsum catarrhosum, alioqui sanabilem, reddit funestum & insanabilem, vt infrà videbitur. Exoritur autem febris acuta, collectione, motu, putredine bilis & ichoris accerrimi quem venulæ attraxerunt. Gignitur verò biliosus ichor & acer, à sæui doloris cruciatu quem trauma intulit, cum vigiliis. Nihil enim tam facit ad sanguinis corruptionem, quàm dolor & somni vacuitas. Hinc biliosæ vomitiones nephriticis. Idem accidit sauciatis in capite.

RIGORIS EXPERTE.] Vt nulla sit causa rigoris symptomatici ab empyemate: nec vlla occasio translationis ad caput, à rigore ex venis frustrà oborto. Nam symptomaticus rigor ab empyemate traumatis & capitis sauciati, mortem subesse testatur. Qui verò frustrà cietur rigor è vasis, periculo illud adiicit, quòd translationem facit ad diaphragma & caput: quemadmodum suprà demonstratum est initio huius diuini operis. Sed ille demum inanis est rigor, & frustra cietur, quem nulla sequitur vacuatio quæ afferat finem morbi, vt febris ardentis: aut certè faciat vt æger alacriùs ferat morbum: sicut præceptum est de sudore. Iam verò illud ratum est, omnem rigorem cieri [illegible]. Porrò autem cùm trauma omne capitis mortiferum sit & insanabile, cùm inflammatio cerebri, & ossis corruptio, imperitia medici vel negligentia inferuntur; ibi tum superueniens rigor index empyematis vitiosi, mortem inde futuram ostendit. Est igitur febris opportuna in traumate capitis cum impotentia corporis artuúmque omnium, quæ caret omni rigore.

sent. 5. part. 1. 6. Epid. aph. 50. 4. aph. 69. 3. & part. 3. 6. Epid.

SERVANTVR.] Non semper quidem à traumate, sed nunquam sunt in periculo apoplexiæ ex impotentia corporis quæ à traumate infertur, oppresso nimium aut madefacto neruorum principio. Nam febris exorta in traumate, post septimum diem, æstate; & paulò infra decimumquartum, hyeme; ad interitum esse solet fatalis, omnémque respuit industriam medici quando hæc signa cum febre apparent: primùm exulcerata caro est decolor; tum ichor paucus caudat, peritque rubor in ea, quæ glutinosa fit, ac veluti sale condita, colore fulua, inde subliuida. Os autem tum incipit occupari sphacelo, & fieri cariosum, quod erat læue; postremò subflauum & cinericium: quod si purulentum fuerit; aut pustulæ assurgant & erumpunt in lingua; aut ipse sauciatus, cum delirio vitam finit. Ex quibus efficitur non esse in tuto à traumate, quibus exorta febris est, sed contra, in eo traumate mortem subesse. Quod vt concedam verum esse: tamen prognoseos huius authoritas minimè labefactatur, qua positum est, corporis impotentiam à traumate natam, exorta febre non fieri apoplecticam; sicut fit non exorta. Nam quæ adducta sunt ex Hippocrate, contra institutam prognosin; omnia sunt traumatis inflammatique cerebri consectaria, quorum calamitas in omni signorum genere conspicua est. In excremento quidem, pauco ichore, in qualitate corporis, vel in colore, charactere, & mole: carnis quidem glutinosæ, decolore, flaccidæ: ossis verò, cariosi & asperi, ex perpolito; flaui & nigri, ex albo; mollis & fungosi, ex solido. In actionibus autem, conuulsione quæ cadit in partem oppositam sauciatæ. Atque hæc quidem iniussa contractio partis oppositæ, non nisi ad neruorum inflammationem potest referri, per [illegible] ex læsa parte in sanam. Non enim distentio causa est, non vacuatio, non etiam iniussa collectio mali expers à resolutione partium sociarum & vicinarum. Quæ omnia sunt à nobis alibi demonstrata. Hìc autem apoplexiæ causa est eadem quæ impotentis sauciati. Sed impotentiæ illius, propterea que iamiam futuræ apoplexiæ causam tollit exorta febris in traumate vacuo inflammationis: quemadmodum & conuulsionis quam genuit ipsa neruorum distentio à crasso & glutinoso humore. Quòd enim febris exorta in phlegmone traumatis, periculo adiicit, nec vnquam salubritatis locum habet, nisi ad morbos qui à frigore simplici enascuntur, aut cum humore crudo; declarat commentarius ille Galeni. [illegible] *i. Scimus illos duntaxat morbos sanari à febribus acutis qui à frigore enati sunt vel simplici vel cum humoris affluxu coniuncto crudi & pituitosi: nonnunquam à solo spiritu flatulento.* Ergo febris acuta fortitèr oppugnando, vnamque expugnat causam impotentiæ quam facit oppressio, nimiáque humoris abundantia, & simul eadem opera causam & occasionem præcipit apoplexiæ mox affuturæ.

li. de trau-mat. cap. Coac. 9. cap. 14. 2. Coac. 11 cap. 14. 2. ad aph. 44. 64

NON EXORTA VERO.] Dum suo statu manet frigida intemperies, cum madefacto simul neruorum principio; vnde pigri sunt homines in mouendo, & hebetes in sentiendo; nec vlla sperabilis est redintegratio in febris vacuitate: quoniam sola febris, intemperiem frigidam oppugnando, tandem expugnat, humorémque crudum exhaurit; neruorum principio, ipsisque neruis robur concilians; spiritibus viam munit, quorum appulsu pars vnaquæque fit expedita & alacris ad mouendum & sentiendum.

FIVNT APOPLECTICI.] Vel toto corpore, vel eius dimidio, vel quibusdam artubus resoluti, cum amissione sensus & motus. Ac toto corpore sunt apoplectici, denegata via spiritui animali, cùm eius in cerebro est interclusio, exitúque omnino prohibetur, vt suprà iam posui. Dimidio corpore, vel quibusdam artubus, vnde paralysis vel paraplegia; ex prolapsu materiæ apoplecticæ quam fortis naturæ contentio illuc transmisit è cerebro, ex quo prolapsu madescit pars altera spinalis medullæ, aut ipsa neruorum propago illinc deducta, nec animali spiritu illustratur. Ex multis exemplis vnum proferam quod est solenne apud Hippocratem. Ἢν γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, ἢ μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται. *i. Si lingua repentè est impotens, aut apoplecticum quippiam corporis, aut melancholicum huiusmodi malum est.* Ac si diceret. Lingua tremula, signum vel paralyseos affuturæ; vel mentis non solidæ, sed inconstantis. Ac paralyseos quidem in illo. *In conuulsione diu obmutescere, malum est. At verò partemper, aut linguæ apoplexiam, aut brachij, partiúmque dextrà sitarum denunciat.* De inconstanti mente nec solida, illud quæsitum est suprà. *An verò lingua tremula, non solidam mentem denunciat?* Cui quæstioni sic duximus respondendum. Sanè quidem si per [illegible] phrenitidis contremiscat: sicut & oculi [illegible], qui varios mouent coniectus, etiamsi nostra sponte in nullum aspectabile coniiciantur. Etenim cerebro conflagrante, non potis est oculos nec linguam quiescere.

aph. 40. 7. Coac. 19. cap. 14. 2. Coac. 6. cap. 7. 2.

PARTIM DEXTRA, PARTIM SINISTRA.] Pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & meatuum conditione ac situ. Vt autem apoplexia κυρίως dicta fit occupato principio & spiritu intercepto: sic paralysis & paraplegia in vitio τῶν μυελῶν διὰ λύσιν & impedito spiritus appulsu consistit. Omnium autem symptomatum ἀπὸ λυγμοῦ quæ à trmate capitis enascuntur, prænuncia est inde nata corporis impotentia siue ἀκρασία. Quod autem partim dextrà, partim sinistrà incidat resolutio, in causa sunt illa quæ modò vsurpaui; humoris motus, naturę impulsus, atque conditio partium excipientium. Ac demonstratio apoplexiæ partium dextrà sitarum, repetenda ex comment. ad prognosin 13. cap. 14. huius 2. lib. Non enim appositè huc aduocari potest paraplegia illa cuiusdam mulieris, quæ cùm diu multùmque tussiculosa fuisset, nec commemorabile quippiam expuisset, exolutionem passa est paraplegicam sinistri cruris & brachij dextri; cætera bene habuit, omníque alteratione caruit faciei & mentis. Ex quo efficitur, cerebrum omni vitio caruisse. Quamobrem verisimile est talem paraplegiam venisse ex metaptosi pulmonarij morbi; partim in brachium, intercepta expurgatione, quam ἀνακάθαρσιν Græci vocant: tum in crus sinistrum, non bene suscepto, nec bene peracto abscessu crurali, quò ipsa materia cursum inflexerat.

2. Epid. part. 2. Vide comm. ad Coac. 4. c. 4. 2.

3 Ἀποπληκτικοῖσιν αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι χρήσιμον· ψύξιες δὲ καὶ ναρκώσιες· πονηρόν.

Quæ apoplecticis veniunt hæmorrhoïdes; salutares: pestifera autem perfrictio atque stupor.

IN APOPLECTICIS mortifera quidem sunt omnia ob citam spiritus quem ducendo viuimus vacationem: si malum morbificum citò non exit; id scilicet quod intus lædit & magis læsurum est, nisi exitum citò habeat liberalem & liberum. In apoplecticis morbificum malum est, quo spiritus animalis exitu, aut vitalis aditu ad cerebrum prohibetur, vnde animalitas ipsa intercidit, corruítque animal, cum amissione sensus & motus. Ac spiritus quidem animalis, exitu prohibetur, cùm eius interclusio est per obstructionem sinuum cerebri, tum à pituita, tum à sanguine, tum à nigro humore. Vitali spiritui aditus denegatur per interceptionem venarum carotidum; vt visum est præceptori, cùm ait. Τὰ ἀποπληκτικὰ ... ἐξαίφνης ... Quæ omnia tametsi iam dicta sunt explicata: tamen necessaria hic fuit eorum recensio, vbi agitur de curatione per detractionem causæ morbificæ. Non enim redintegratio comparatur corporis vel humorum è natura egressorum; nisi perspecta sit illa egressio, vnde, quemadmodum, & vbi euenerit.

lib. 4. acut.

Vt igitur causæ sunt apoplecticæ, tum apoplexiæ idea & focus: ita curatio est, vel ipsa curandi negligentia esse debet: quia non decet eum attingere qui seruari non potest. Atque hoc prudentis est medici, ne subeat suspicionem occisi, quem sors ipsius peremit. Ac primùm, iam constat fortem apoplexiam non posse sanari: debilem verò vix esse sanabilem. Exempla debilis apoplexiæ posita sunt in superiore & in hac prognosi. Ac superiore quidem vidimus, eos qui à trmate sunt impotentes corporis, & in periculo apoplexiæ; defungi eo periculo, exorta febre acuta, rigoris experte. Hic autem debilis apoplexiæ critica vacuatio salutaris; tum ea quæ artificio fit medici, ad imitationem naturæ comparato, duce iudicio, & comite experientia, proponitur explicanda. Quinetiam debilis apoplexiæ in fortem μετάπτωσις ostenditur, quando, natura cessante & negligente sui, atque quodammodo triumphata, stuporis & frigoris accessio fit, criticæ vacuationis loco.

APOPLECTICIS.] Quorum debilis est apoplexia sine stertore, in quo dyspnœæ summa sunt omnia: sed cum difficili tantùm spiratione frequenti & parua, propter infirmam facultatem motricem thoracis quæ sua sponte mouet διὰ τῶν ἐσφιγμένων, non excitata solùm neruorũ vi ad functionem in summa spirandi necessitate ab æstu & impuritate cordis adhuc micantis, nec tam citò extincti: quod ipsum apparet in forti apoplexia, vbi spiritus animalis nullum facit officium τῶν ἐσφιγμένων, sicut in debili. Ergo.

APOPLECTICIS.] Quorum debilis est apoplexia, superstite adhuc nonnulla spirandi facultate, & sunt eiusmodi, non intercluso prorsus animali spiritu per absolutam, sed inchoatam sinuum obstructionem, quam facit melancholici morbi ἀπόληψις, hoc loco intelligenda, non semper; aut ipsa venarum ἀπόληψις, de qua iam diximus. Vt apoplexiæ, initio debilis, & nondum fortis duplex omnino causa esse videatur; vna quidem, inchoata sinuum cerebri oppilatio, vel eius concussio; & venarum interceptio.

HÆMORRHOIDES.] Vel quæ nunc primùm fluere inceperunt, ob nimiam humoris melancholici abundantiam; tum propter repletionem: vel quæ antea parum & parumper apertæ, oborta vertigine, paraplecticum quippiam ominantur & inferunt; postea autem velut postliminio redeunt: iuxta illud præceptum. *Dolorifica in lumbis mala; sanguiflua.* Est enim comparata sic hæmorrhoidum ratio, vt iis vel cacochymia melancholica lienis, totiúsque adeo mesenterij, & cauarum iecoris partium expurgetur per ἀναστόμωσιν venarum, ex mesenterico venæ portæ ramo, ad vltimas sedis oras productarum, vel etiam vacuetur repletio venarum quæ adiacent lumbis, vnde dolorifica lumborum mala sanguiflua, per venas quæ ex hypogastria inseruntur in cutim hypogastrij musculosam, & intestinum rectum.

Coac. vlt. cap. 13. 2.

Coac. 2. cap. 12. 2.

EXORTÆ.] Nunc primùm aut postliminio: per humoris ἀπόστασιν, qui habuit inde sursum μετάστασιν vertiginosam, paraplecticam siue apoplecticam. Hic enim paraplegia pro apoplexia vsurpatur, cùm ait. *Ex hæmorrhoide quantumuis parum & parumper aperta, oborta vertigine; paraplecticum quippiam ominantur:*

Coac. vlt. cap. 13. 2.

tur: sanat autem phlebotomia. Solenne est illud, quòd hæmorrhoides cùm inconsideratè sistuntur, eadem prorsus aduocare & inferre solent symptomata, quæ ab iis arcentur dum conuenienter feruntur.

Salutaras.] Vel salutiferæ; quibus apoplectici à debili apoplexia hîc posita, periculo defunguntur & morbo. Nam hæmorrhoides per μετάπτωσιν obortæ, vacuando, retrahendo, ac detrahendo rheuma concitatum atque consistens, ipsamque adeo morbificam cacochymiam & impuritatem expurgando, repletionem quoque deplendo, propugnationem & ἀνάρρωσιν adferunt, vt melancholicis, sic apoplecticis inde natis; vel ex decubitu melancholiæ, vel ex humoris melancholici anadrome & ad caput appulsu. Non enim commodis hæmorrhoidum apoplectici fruerentur ad morbi leuationem, nisi apoplexiæ causa esset melancholicus humor; tum per metaptωsin melancholiæ; tum per epigenesin ipsius humoris, anadromen sursum habentis. Qua de re illud præceptum est quod antè posui. *Ex hæmorrhoide quantumuis parum & parumper aperta obortæ vertigines, paraplecticum quippiam ominantur.* Nam de μεταπτώσει melancholiæ in apoplexiam, solenne est illud. *In melancholicis morbi periculum sic ostentat ipsorum* ἀπόσκηψις. *Aut enim apoplexiam corporis, aut conuulsionem, aut insaniam, aut cæcitatem ostendit*, Et. *Melancholici, non rarò fiunt epileptici.* Sunt igitur hæmorrhoides commodę apoplecticis, in debili apoplexia quam genuit melancholicus humor, tum per anadromen, tum per metaptωsin melancholiæ, quam fieri dixit Hippocrates à quadragesimo ad sexagesimum ætatis annum. Eôdem pertinet illa sententia præceptoris. *Insanientibus obortæ varices vel hæmorrhoides, exoluunt insaniam.* Vbi Galenus, exoluendi rationem agnoscit, ἀθροισθέντων τῶν χυμῶν τῶν μανίαν ἐργαζομένων, καὶ μάλιστα ὅταν μελαγχολικοὶ ὦσι καὶ παχεῖς. i. *Humores maniam committentes, in partes ignobiliores natura rejciente, maximéque si melancholici & crassi fuerint.* Ex quo apparet, eam demum purgationem bene suscipi, & commodo ægrotantis, qua humor qui in vitio est, per commoda loca, liberè & liberaliter expurgatur. Ac sanè commoda hæmorrhoidum, potissimùm commendantur, quando nigra illac conuenienter ducuntur. Scitum est illud. Αἷμα αἰωρεῖν, ὁκοῖον ἄν ᾖ· ... νῦν ... ἀγαθὸν τὰ μέλανα ὑποχωρέοντα. Nam vacuandæ repletionis lumbaris per hæmorrhoidas, longè alia ratio est in qualitate sanguinis, copia, & excernendi modo. Tum enim fluunt hæmorrhoides λαύρως καὶ ἰσχυρῶς. i. *liberaliter atque fortiter.* Ac mirum ni talis vacuatio fit dysenteria αἱματώδης, i. *cruenta puri sanguinis,* quam refert Hippocrates ad hepatis ἀτονίαν, proptereàque non esse πολυήμερον, i. *multorum dierum*, vt inferat ἀποσιτίαν i. *cibi fastidium.* Talis est verna iuuenum dysenteria, si fortè careant hæmorrhagiæ commodis quibus ferè illi fruuntur à 18. ad 34. ætatis annum. Talis eorum est etiam qui ad perfracti cruris curationem, sic parte saucia collocantur, vt semper sit ἀνάρροπος dum curantur: cuiusmodi esse solet eorum qui altero crure sunt mutili, si nullam quotidiani victus partem deduxerint. Quæ cùm ita sint, dubitari non potest quin hæmorrhoides ad vtrumque vitium repletionis & melancholicæ cacochymiæ, si conuenienter fluant; mirificos adferant sanitatis fructus, arcendo & abigendo mala quorum fœtura esse solet quando humores in vitio sunt abundantiæ vel impuritatis.

Pestifera autem.] Quæ nullam recipit curationem medici vel naturæ. Medici quidem, cui præcepta est omnis medendi occasio atque facultas, vt mox dicetur. Naturæ autem, quæ victa iacet, nec excitari potest ad exclusionem causæ morbificæ, & cui nulla excretio, quantumvis critica, vel minimum opis & adiumenti potest adferre, cùm vires effœtæ languent. Ergo pestifera est, vnde cita mors venit, quæque ipsam subesse & in propinquo esse testatur.

Perfrictio.] Qua itur à debili ad fortem apoplexiam, quæque ostendit σβέσιν ἐμφύτου θερμασίας, vt verbis Galeni vtar, i. *extinctionem caloris natiui*. cuius quidem nulla instauratio est in spiratione amissa, vel in stertore; nec partium solidarum viuacitas amplius illustrari nec vegetari potest à nectare cordis viuifico, vnde ipsarum perfrictio est: quia non plus habent caloris quàm nectaris illius viuifici, à corde perenniter affluentis. Duplicis autem perfrictionis positæ à Galeno, grauior & periculosior est vniuersi corporis, quam partium extimarum. Ac talis perfrictio pestifera est, non solùm ipso symptomate, sed etiam impotentia medicandi. Hippocratis illud est. Αἵματος ἀφαίρεσις ἐν κατανψύξει νωθροκαρδίῃ κακόν i. *Detractio sanguinis in torpida perfrictione, pestifera.*

Atque stupor.] Non quidem ille quem paulò antè posuit, apoplexiæ prænuncium, sed eum qui cernitur in delapsu ad pedes, quem ἔκλυσιν vocat Hippocrates; & qui coniunctam habet perfrictionem: vt idem sit hoc loco ψύξις καὶ νάρκωσις, quod in adducta prognosi κατάψυξις νωθρώδης. Quæ duo simul coniuncta, effœtā vim vtriusque facultatis ostendunt; vitalis quidem, in perfrictione; animalis verò, in torpore siue dilapsu, qui antè non erat. Omnis autem aphonia quam facit paupertas natiui caloris, & summa imbecillitas potentiæ animalis; desperationem salutis, atque adeo spem medici planè sublapsam ostendit.

4 Ἐν τοῖσιν ἀποπληκτικοῖσιν, ἐπὶ δυσφορίῃ τοῦ πνεύματος ἱδρὼς ἐπιφαινόμενος θανάσιμον. ἐν αὐτοῖσι δὲ πάλιν τούτοισιν ἢν πυρετὸς ἐπιγένηται λύσις.

In apoplecticis à spiritus angustia sudor proruptus; mortem subesse ostendit. Contrà, iisdem febris exorta; morbum exoluit.

IAT OAMVM salutis ac vitæ certa desperatio est, vbi vitalis officij proxima vacatio est atque priuatio. Ac vitalis quidem officij vacatio est, cùm tollitur ipsa spiratio per quam est vita. Tollitur autem, vel intercepto motu neruorum thoracis, atque spirabilium musculorum, collapsa eorum facultate motrice; vt in forti apoplexia: vel sublato spirandi vsu qui est io corde, sicut apparet in syncope; tum in parua, rara, & frigida spiratione, extincto calore natiuo. Hic tantùm excipio alterum genus mulierum hystericarum, in quibus dissipatur spirandi vsus ad tempus. Postremò vitalis officij, cessante spiratione, vacatio est, intercluso meatu quà spirabilis ducitur aër, & fumidus vapor excluditur; vel à laryngis phlegmone, vel ab illaqueatione, vel à luxatione ceruicis. Quæ causa mouit Hippocratē, vt ex perspicientia trium illorum symptomatum, vitalis officij vacationem inferentium, tres illos posuerit aphorismos. *Qui crebrò & fortiter exoluuntur, nulla occasione manifesta, vitam repentè finiunt.* Et, *Apoplexiam fortem excutere non potis est.* Et. *Qui strangulantur & exoluuntur, necdum tamen animam exhalarunt; non restituuntur, ore spumante.* In summa; quicquid respirationem adimit, vitam tollit. Id ipsum facit cum apoplexia fortis, intercepto motu thoracis: tum vera cynanche, ductu spiritus intercluso: tum syncope ipsa, sublato spirandi vsu. Sed cùm in apoplectica spiritus angustia quæ stertorem edit, spes in angusto sit; tum verò in propinquo mors est, cùm inde sudor exprimitur vel exudat. Ac veritas huius prognoseως sic lumen suum ostendet.

aph. 40. 41. & 42. lib. 2.

IN APOPLECTICIS] A forti apoplexia, vbi collapsa est animalitas, cum sensus & motus amissione. Sic enim appositè videor explicare κτ̃ διάνοιαν præceptoris. Nam prima decisio huius capitis, æquè ad omnem pertinet apoplexiam. Secunda est de apoplexia cuius occasionem & causam, febris exorta præripit in iis qui sunt impotentes à traumate capitis. Tertia verò describit apoplexiam debilem atque sanabilem per hæmorrhoidas conuenienter fluentes. Quarta hæc, symptomate ipso difficillimæ spirationis, & sudore violenter expresso vel exudante, non nisi ad fortem apoplexiam potest referri.

A SPIRITVS ANGVSTIA] In qua difficulter admodum spirabilis aër ducitur, ac fumidus vapor excluditur: quia spiritus animalis in cerebro interclusus, nullum facit officium τοῦ ὁρμῶντος in respirando: sed ideo manet ad tempus difficillima respiratio, quæ singulis momentis augetur & crescit ad summam difficultatem & πνῖξιν: quia spirandi necessitas in ardore cordis adhuc micantis, neruorum & musculorum spirabilium excitat functionem ad inspirandum & expirandum. Itaque δυσπνοία est magna spiritus in hoc stertore apoplectico, vbi neque voluntas, neque mouendi organum, necessario vsui morem gerit qui est in corde: cuius extinctio & suffocatio proximè abest ab eo stertore, vnde citò vita commutatur cum morte. Omnes enim morimur per suffocationem vel extinctionem caloris vitalis qui est io corde, vel, vt præceptor loquitur, κατ' ἀπόσβεσιν ἢ τοῦ ῥέγχους ἀποπνιγέντες. Quæ sententia in suffocatione locum habet, non in extinctione simplici caloris vitalis; vbi respiratio editur parua, rara, & frigida. Sed omnis ratio atque causa difficulter spirandi, suprà est posita & explicata.

lib. 1. acut.

SVDOR PRORVPTVS] Non quidem naturæ impulsu per excretionem proruptus, qualis est sudor periodicus à rigore in tertiana, aut criticus in ardente: quorum ille facit vt æger alacriùs ferat morbum; hic autem morbum exoluit. Sed ille sudor symptomaticus, per oppressionem naturæ exortus, quem ciet expressio; vel quem ipsa partium exolutio, velut roscidulum & miliarem fundit. Quæ sudatiuncula est ἰδρώτιον apud Hippocratem, authore Galeno. Ac de sudoribus alibi satis multa.

lib. 1. progn. & in Coac. aph. 58. 4.

MORTEM SVPERESSE OSTENDIT.] Quia deinceps nulla sperabilis vitæ salus in exolutione partium solidarum, & impotentia continendi succum alibilem proprium quem continenter fundunt: ac nulla spes etiam in expressione sudoris qui oppressionem non tollit: denique ibi demum salutis & vitæ desperatio est, sicut iam posui, quando cum vacatione vitalis officij, quam intulit fortis apoplexia, excretio incidit symptomatica; sicut iam vidimus in lethargo & comate. Ac de lethargo illud præceptum est; quòd si lethargico immemori aluus feratur liquidis excrementis, vel vrinæ fundantur similes iumentorum, ipsum seruari non posse, ac mortem subesse. De comate autem vigili ab oppressione nato, cum pari magisterio bilis & pituitæ, solennis est illa sententia. Μοχθηρὸν ἀποστάζον αἷμα..., i. *mortiferum est sanguinis è nare subßillum*: quoniam inde significatio fit iam fatiscentis naturæ, ab oppressione partis afflictæ, vt cerebri: denique in triumphata natura multùm afflicta, omnis vacuatio symptomatica esse solet; proptereáque funesta, aut certè sinistri iudicij. Et verò in omni resolutione scitum est illud, quòd sudores nocent confertim prorupti, conferunt autem qui sensim exudant; non quidem effœta viuacitate partium solidarum, vnde assimilatio nulla est succi alibilis: sed ab excretione particulari quam virtus naturæ suscipit κτ̃ λόγον humoris mitificari & partis obsessæ: nec tamen ea lege critica quæ cernitur in crisi febrium acutarum, in quibus nihil paucum est criticum. Ac fuit illud iudicium præceptoris, quòd apoplectica illa potissimùm exoluuntur vrinis multis & crassis, & cumulatè proruptis. Ergo sudare in apoplexia forti à difficillima spiratione; mortiferum: siue sudor confertim exprimatur ab oppressione magna: siue sudatiuncula tantùm exudet, effœta viuacitate partium solidarum. Tum enim ad vltima ventum est apoplexiæ, quando cum perfrictione corporis exudat sudatiuncula, vnde significatur summa paupertas atque extinctio viuifici nectaris, & resolutio partium solidarum, ipsáque viuacitas omnino effœta. Hippocratis illud est. Ἐκ ῥινῶν μικροῖς ἰδρῶσι ... ψυχρῷ ... μοχθηρά. i. *Subßillum narium cum exiguo sudore frigido, priorem in modum exortum, pestiferum.*

comment. ad prorr. 7. l. 2. 1. Coac. 145. 1. lib. & prorr. 28. l. 1. 1. prorrh. 1. l. 1. 1. & Coac. 2. c. 2. lib. 2. Coac. 14. cap 14. 2. Coac. 13. sud.

Pars altera huius prognoseως non est Hippocraticæ veritatis. Itaque non est mihi animus abuti otio philosophico super ea.

prorrh. 34. l. 3. 1.

Τὰ ἐξαίφνης

Τὰ ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ λελυμένως, ἐπιπυρετήναντι χρονίως ὀλέθρια.

Sic in prorrhetico, 50. s. 2. 1.

Apoplexia repentè oborta; solubilis: adueniente lenta febre; mortifera est.

Qui morbo aliquo sunt occupati, ea demum remedia expetunt quæ salutifera esse solent. Sed ea quæ expetuntur, non rarò expectationem fallunt ægroti & medici, ac sæpe adiiciunt ei periculo quod à morbo infertur Remediorum in apoplexia expetendorum, sola febris consolatur medicum spe certa leuationis, si fortiter oppugnando expugnat causam apoplexiæ : tum inde sit redintegratio cerebri & neruorum. Eadem metum adfert sinistri indicij, ac certam desperationem salutis; si frustra ciendo humorem morbificum, incommoda excitet magis oppressi cerebri & neruorum.

Ergo. Apoplexia] Debilis, iam descripta: quia non potis est fortem excutere; tum obruto cerebri principatu & animalitate collapsa: tum irrita facultate omnium remediorum quæ adhibentur.

Repente oborta] i. Non præuisa quæ intrà fit & intus lædat, vnde symptomata sunt hæc; cephalalgiæ varietas, tenebricosa vertigo, bombus, echo, vocis tarditas, manuum stupor: vel quæ adueniat illata extrinsecus, vt capitis trauma quod saucium facit corporis inpotentem. Sed quæ sua sponte, nec antè significata irruit; vel sinuum repletione, qua spiritus animalis nec liberè, nec liberaliter manat è cerebro: vel interceptis venis, vnde vitali spiritui aditus denegatur ad cerebrum.

[Coac. 2. c. 1. lib. 2. Coac. 2.]

Solubilis] Non insanabilis : quanquam difficulter sanabilis, vt alibi monuit præceptor his verbis. *Apoplexiam debilem vix est sanare.* Est autem sanabilis: quia non tanta est magnitudo causæ, nec tanta symptomatum violentia, vt omnem respuat industriam medici, omnésque adeo naturæ conatus. Quod autem hîc posuit λελυμένως, id verò multùm exercuit Hippocraticos, imprimísque Galenum. Sed inter cætera quę mandauit literis super eo aduerbio, λελυμένως, operæpretium est legere & intelligere quod ille annotauit ex Erasistrati quodam libro, vbi docetur duplicem esse rationem & causam symptomatum apoplecticorum : vnam eorum quæ συνάγουσι καὶ συντείνουσι τὰς διαρθρώσεις, i. *quæ contrahunt ac distendunt articulos artuum.* alteram verò eorum quæ ἐκλύουσι καὶ χαλῶσι, i. *quæ resoluunt & laxant eosdem articulos artuum.* Itaque illud, λελυμένως, videri positum esse pro apoplexia quæ in laxitate consistit. Quasi verò alia sit eorum symptomatum ratio, quàm laxitatis. Non enim si aphonia parem habet causam contractionis & laxitatis neruorum & musculorum vocalium: idem de apoplexia sentiendum in sensus & motus amissione. Est quidem in conuulsione, motus amissio: sed non sensus, vt in apoplexia. Nec verò si aphonia ponitur pro apoplexia: tamen hæc retrò non commeant, vt omnis aphonia sit apoplectica. Est quidem omnis ἀποπληκτικὸς ἄφωνος; sed non πᾶς ἄφωνος ἀποπληκτικός. Existit enim quædam aphonia conuulsiua. Qualem ostendit illa sententia præceptoris. *Si quis ebrius obmutescat conuulsus,* &c. Tum illa. *Febris conuulsio finem adfert, quæ aut eodem febris die, aut pridie, aut etiam perendie aduenit.* &c. Iam verò nulla est æquitas beneficium febris contrahere tantùm ad apoplecticam laxitatem. Nam febris oborta æquè benignè facit conuulsificæ tensioni, atque apoplecticæ laxitati.

[huius ca. aph. 41. 2. Côment. ad prorr. 50. f. 2. aph. 50. 6. & li. 4. acut. aph. 5. 5.]

Adueniente lenta febre] i. Nouè exorta febre diuturna, lenta & tepida, quæ priùs non fuit. Quod enim præceptor scripsit, ἐπιπυρετήναντι χρονίως, Galenus interpretatur, ἐκ τοῦ ἐπιγίνεσθαι, οὐ βληχρὸν καὶ χρόνιον ἀκολουθήσαντα πυρετόν. Atque idem nominat βληχρὸν πυρετὸν, χλιαρὸν, i. *febrem tepidam.* Fallitur si quis illa duo aduerbia, λελυμένως καὶ χρονίως, ad febrem referre studet; cùm illud sit apoplexiæ; hoc verò febris ipsius. Prętereà si λελυμένως dicatur de febre cuius exolutio est atque discessio: qui fiet illud in apoplexia quam febris lenta, è sanabili facit mortiferam?

Mortiferà est] Quoniam febris ipsa periculo adiicit apoplexiæ, frustra ciendo humorem morbificum qui grauioribus malis auget ægrotum. Quicquid enim humorem ciet, neque dissipat, nec exhaurit; oppressionem infert maiorem. Et verò in omni morbo pręstat naturam quiescere, quàm aliquid frustra moliri. Nam inde fiunt acrisia, dyscrisia, dolor, atque mors ipsa. Quæ res adduxit Hippocratem vt ita scripserit. *Conuulsionem sanat exorta febris acuta, quæ priùs non fuit; aut si priùs fuerit, exacerbata.* Vide comment. nostrum ad illam prognosin.

[1. Epid. Coac. 9. c. 14. 2.]

Seqvvntvr *decisiones tres de hydrope, vt mihi videtur, perperam interiecta. Quæ quoniam suprà sunt posita & explicata, non fuit animus, idque consultò, lucubrationem nostram hic denuo collocare.*

DE MELANCHOLIA ET MANIA.

CAP. XXIV.

AIMETA σιγῆς ἀθυμίαι & ἀπανθρωπίαι, ἐπιεικῶς, αὐτῶν κατεργαστικαὶ [μελαγχολίην σημαίνουσι. ἢ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

Ex aphoris. 23 lib. 6.

1 *Abiectio animi taciturna, & solitudo quæsita, ipsa sui per se authores, & modicæ; melancholiā ostendunt:* vel, *huiusmodi melancholicū est.*

MELANCHOLIAM si animæ peccatum magis esse docuerimus, quàm vitium cerebri; patebit simul, eius explicationem cum morbis capitis non fuisse coniungendam, sed commode ad hunc locum reiiciendam: vt in apoplexia par esse duximus. Præsertim cùm eius fons sæpius in liene & mesenterio, & toto corpore reliquo quàm in cerebro reperiatur.

ABIECTIO ANIMI TACITVRNA] Vel, vt legitur in aphorismis, φόβος καὶ δυσθυμίη. i. *metus & mæror*: vt abiectio scripta hôc loco, non sit demissio ab humilitate & pio Dei cultu profecta, qualis eorum est qui sanctè & religiosè vitam instituunt. Sed ea quam genuit mœsti ac timidi hominis ægritudo, qui omnia tuta timet, ponitque semper ob oculos, primùm quidem suspiciosè omnia quibus exterretur metu, nec vllam quietis partem sibi impertit; ponit autem frequenter insidias sibi paratas: hinc malitiosè odit quos metuit, ac periisse expetit. Sed tamen in perturbatione mentis ita consternitur, vt satis non habeat animi quò linguam promoueat ad conquerendum & obiurgandum, aut comminandum; vel brachia & manus, ad decertandum per vim; nisi cùm ex melancholico fit insanus, exitque omnino è potestate mentis. Nec verò illa demissio est hypocritica, qualem testantur sacræ literæ in Pharisæis apparuisse, quos inde vocant σκυθρωποὺς. Sed ea demissio hic audienda eorum qui morbo animi sunt morosi, terribiles aspectu homines, ob eámque causam melancholici nominantur, vt mox dicetur.

TACITVRNI] Non quidem culpa linguæ, verborum dædalæ, cùm manet immota, vt in ἀφωνίᾳ, i. *impotentia voces efformandi atque loquendi*, quæ vitio accidit organi dialectici. Ac talis ἀφωνία, iniussa est & inuita. Sed ideo sunt taciturni homines illi, animo multùm abiecti: quia morem gerunt animo pertinaci, & sponte sua, fandi sunt negligentes, non impotentes: nisi fortè sit impotentia voluntatis, non autem instrumenti, nec facultatis. Qualem fuisse legimus in historiis Thasiam illam Dealcis vxorem, quæ signa edidit delirantis, partim silentio, partim nugarum garrulitate, exactum ad morbum. Vbi Galenus agnouit silentium illud, melancholicum; garrulitatem verò phreniticam.

hist. 15. part. 3. 3. Epid.

ET SOLITVDO QVÆSITA] Græcè est ἀπανθρωπίη, i. *inhumanitas*, vel hominum vitata societas & consuetudo: qualis eorum dementia est qui suis æqualibus, familiariter vti nolunt; quòd sibi soli placeant, elati fastidio & contumacia. Sed illi potissimùm ad solitudinem viam affectant, vitandæ societatis causa, qui vultu sunt mœsto atque demisso, quem σκυθρωπὸν Græci vocant, ac si malè sibi conscij essent, atque, vt ita dicam, rei quodammodo rerum infœliciter & malè gestarum. Talis est μισανθρωπία, quæ pugnat è directo cum φιλανθρωπίᾳ. Ac solitudinis affectatæ causa est, praua opinio quæ sola cadit in mentem, cùm eius excolēdæ studio non affectatur: nec vt vitetur alterum genus iniustitiæ, ne cui quis noceat. Sed ne hæc quidem sanæ sunt mentis Etenim qui & discendi studio, à rebus gerendis auocantur, & qui nocendo nemini, alterum genus vitāt iniustitiæ, pariter in vitio sunt: quia prosunt nemini, sicut pro se quisque debet prodesse. Vt paucis dicam, illa demum est ἀπανθρωπία hîc posita quæ inhumani est hominis qui procul ab omni societate suum cor edit, persuasione falsa imbutus.

IPSÆ SVI PER SE AVTHORES.] i. Sine causa & occasione sui effectrices, vt nemo intelligat vnde sit & quorsum illa demissio animi cum silentio & solitudine affectata, nisi fortè sit ægritudo animi τῶν σκυθρωπῶν, i. *vultuosorum hominum*, qui, vt Galenus in Critia interpretatur, leui de causa fortiter irascuntur; aut læsi grauiter, sæuum dolorem sic animo conceptū fouent, vt inde nunquam, aut certè vix excidat. Thasiæ mulieris pathemata hæc fuerunt. Ἐκ λύπης μετὰ προφάσιος ὀρθοστάδην ἐγένετο ἄγρυπνός τε καὶ ἄσιτος, καὶ διψώδης ἦν, καὶ ἀλύουσα· τῇ πρώτῃ ἀφ' ἧς κατεκλίθη, νυκτὸς φόβοι, λόγοι πολλοὶ, δυσθυμίη. i. *Ex mœrore per occasionē cōcepto, dum adhuc staret, facta est somni expers, cibi negligens, sitibunda & anxia. Inde quo die primùm decubuit, meūte nocte, visa est sibi metuens, garrula & animo consternata.* Ex quibus apparet verum esse quod in sanctorum hominum prouerbio est. Per quod quis peccat, per id & torquetur. Et verò admirabile est quantum appositè, pathemata illa reciproca, suis quæque locis profecta, & velut postliminio restituta, stylo Hippocratico, catholicum illud habeant theorema. Οἱ φόβοι, αἰσχύνη, λύπη, ἡδονὴ, ὀργὴ, καὶ τ' ἄλλα τοιαῦτα οὕτως ὑπακούει, ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον τοῦ σώματος, τῇ πρήξει ὁ τόπος οὗτος. i. *Timores, vt verecundia, tristitia, item voluptas, iracundia, & cætera quæ sunt eiusmodi, sic morem gerunt occasioni & causis ipsorum* (vt cum horrescimus viso serpente.) *Id autem quod cuique actioni dicatum est, ac veluti aptum natum, vnicuiq; pathemati etiam morem gerit atque inseruit*, vt hepar voluptati, cor iracundiæ, cerebrum verecundiæ. Ergo Thasia illa mulier vultuosa, illis pathematis occupata fuit per morbum, quæ ipsi, dum valeret, causæ fuerunt ægrotandi. Sunt igitur pathemata illa reciproca, quæ vnde prodeunt, ibi memoriam de integro sui reuocant, & reuertuntur.

hist. 11. part. 3. 3. Epid.

lib. περὶ χυμῶν.

ET MODICÆ.] Græcum μετρίαι, idem significat quod Latinum, *Nihil nimis*: vt ex Galeno suprà iam diximus. Est autem sic positum in hac prognosi, vt ea circunstantia τῆς ἀθυμίας καὶ ἀπανθρωπίας, appo-

apposité ipsas conuertat ad illud de quo dicuntur, nempe ad melancholiam. Nec enim leuis & fugax ἀθυμία vel ἀπαθυμία, est melancholica. Nec illa quæ diu & fortiter hominem occupauit, quæque ad ferarum diætam ipsum redegit, præ summo mœrore & metu, cum desperatione τῆς εὐθυμίας; aliud signum requirit melancholiæ cuius ad vltima ventum est. Sed illa demissio taciturna quam diutiùs præ se fert quispiam, nec ita leuiter, sed abundè satis; illa, inquam, propria est melancholiæ nondum perspectæ & cognitæ, vt mox planum fiet in ipsius natura. Ac nisi me fallit animus, eodem planè sensu hic legendum ἐπιπολῆς, quod illud in aphorismis. Ἢν φόβος ἢ δυσθυμίη, πολὺν χρόνον ἔχουσα διατελέῃ, i. *Si metus & mœror ipsos diutiùs malè habeant quos inuaserunt, tum autem similiter exigantur, &c.*

aph. 23. 6.

MELANCHOLICVM ILLVD EST] Siue denunciat melancholiam. Est autem melancholia sic dicta, quòd ab humore nigro, non quidem atra bile nascatur. Non enim melancholia, nomen est nigri humoris, sed morbi. Nec verò melancholici vulgò dicuntur qui sunt in dominatu nigri humoris, nec qui à scopo veritatis aberrant; vt certè aberrant melancholici verè dicti: sed illi maximè qui studio discendi sunt apud se, & qui bonarum cogitationum epulis taciti recreantur & saturantur: quemadmodum de Vlysse narrat Homerus. Quinetiam noster præceptor non attigit solùm melancholicos mente captos, cùm ait. Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, i. *Melancholicos, ferio*[illegible]*m aluum purgare oportet.* Sed eos attigit etiam quibus hypochondria sunt obsita nigro humore, [illegible] sunt melancholici errore mentis. Tum verò illos homines qui cùm olim calido & sicco tempe[illegible] fuerint; affecta iam ætate, sunt frigidi atque sicci. Talium enim sic comparata est ratio comple[illegible]q; humoris, vt cùm purgare consilium est, pharmacum esse debeat μοχλικόν; cuiusmodi solet pra[illegible]d morbos qui humoris morbifici contumacia in vetustatem inciderunt. Sic elleborismum comm[illegible]t Hippocrates: quando, vt scribit Galenus, ὅτι χρόνιον τὸ πάθος, ὡς ἂν εἴ τις μοχλείας δεόμενον, i. *diuturna est passio, & velut vecte indigens.* Sed alia quoque ratio est cur seriò ἢ ἁδροτέρως purgandi sint melancholici a 40. ad 60. ætatis annum: quoniam illa ætate sperabiles non sunt crises μετ' ἐκκρίσεως καὶ χολώδεος. Quò fit vt omnis spes medici & cœptæ curationis fiducia posita sit in pepasmo & purgatione. At verò melancholici mente capti, eiusmodi sunt, morbo melancholiæ occupati.

aph. 9. 4. — commét. 6. part. 6. Epid. lib. 1. — progn.

Sed melancholiæ nomen & ratio, duplex omnino est apud Hippocratem. Vna quidem eorum quos acuta febris inuasit: altera verò illorum qui habent ἀπύρετα, & febre carent. Ac prior significatio est in illo. Τοῖσιν ἐξισταμένοισι μελαγχολικῶς, ἢν τρόμος ἐπιγίνηται, κακόν, i. *Qui melancholicè de potestate mentis exeunt, si tremor superueniat, malo sunt loco:* vel potiùs, sunt desperati. Ad quem locum hæc scripsit Galenus. Μελαγχολικὴ ἔκστασις ἀκουστέον, τὴν σφοδρὰν καὶ θηριώδη. γίνεται δὲ αὐτὴ, διαβρεχούσης τὸν ἐγκέφαλον ξανθῆς χολῆς κατοπτηθείσης, i. *Egressio melancholica hic audienda quæ violenta est atque ferina. Hæc autem gignitur à flaua bile perusta cerebrum imbuente.* Altera melancholiæ significatio est in hac prognosi & in aphorismis, quam stylo nostro decreuimus explicare. Ergo melancholia hîc posita, delirium est intermissionis & febris expers, cum assiduo metu & mœrore coniunctum. Delirium cernitur in mentis egressione. Mentis egressio est in falsa & praua opinione, non quidem phantasiæ; sed ipsius iudicij, quod ἡγεμονικὸν Græci vocant, & in quo regnum est animi. Falsæ ac prauæ opinionis causa est ægritudo ex metu & mœrore concepta. Nam ex mœrore & metu, potissimùm ipsa mens commouetur, & inde nata ægritudo, perennitatem habet eorum pathematum à quibus enascitur. Et cùm melancholicus omne tempus exigat in ægritudine: ibi mœroris & metus nulla vacatio esse potest. Itaque perpetua ægritudo, quæ propriè est melancholia, ostentat quoque assiduitatem mœroris & metus. Quæ duo pathemata sunt melancholiæ ἔκγονα: sicut illius olim fuerunt ἔγγονα. Est autem melancholica ægritudo, febris expers: quia cerebri nulla est protitatio, sed tantùm infractio quædam mentis. Et verò noster præceptor, melancholiæ domicilium collocauit in mente, ipsamque voluit segregari ab omni concretione corporis. Sic enim scripsit. Οἱ μελαγχολικοὶ καὶ ἐπιληπτικοὶ εἰώθασι γίνεσθαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ οἱ ἐπιληπτικοὶ μελαγχολικοί. τούτων δὲ ἑκάτερον μᾶλλον γίνεται, ἐφ' ὁπότερα ἂν ῥέψῃ τὸ ἀρρώστημα· ἢν μὲν ἐς τὸ σῶμα, ἐπιληπτικοί· ἢν δὲ ἐς τὴν διάνοιαν, μελαγχολικοί, i. *Melancholici & epileptici consueuerunt esse vt plurimùm: & epileptici, melancholici. Horum verò vtrumque potissimùm accidit, prout in alterutram partem infirmitas se inflectit. Ac si quidem in corpus, epileptici sunt, in dianœam autem, melancholici.* Est igitur melancholia, mentis: vt epilepsia, corporis. Atque hæc duo symptomata melancholiæ & epilepsiæ, se mutuò consequuntur, & sibi succedunt inuicem; non quidem per μετάστασιν epilepsiæ in melancholiam, & contrà: sed per ἐπίδοσιν vtrinque profectam. Non enim successio est causæ morbificæ in alterutrum, vt scilicet ægritudo mutetur in morbum, & morbus in ægritudinem; relicto priore foco, quod μεταπίπτειν Græci vocant, & inde est μετάπτωσις: sed vtroque malo & vtriusque foco superstite, propagatio fit vnius ad alterum, quod est ἐπιγίνεσθαι, & inde nata ἐπιγένεσις. Nam melancholia superstes, humorem gignit melancholicum epilepsiæ; & epilepsia primigenia, ægritudinem patit animo, ex diuturno mœrore morbi, & metu cadendi: vt rectè Hippocrates annotauit. Hinc mentis demissio & veluti quædam infractio. Est autem philosopho, ne dicam Christiano, indignum & nefas putare causam epilepticam migrare in mentē, quæ sola est ἀσύνθετος, ἄφθαρτος, καὶ ἀκέραιος, omniumq; affectionū secura præterquam δόξης: i. opinionis: quæ sola, vt ait Plato, cadit in mentem; ex eáque, si praua est, melancholica ægritudo: sin autem pia & sancta, ἡ εὐθυμία, i. *tranquillitas* regnat in homine. Quòd enim mens ipsa, omni alteratione careat, planum apertè facit diuina illa disputatio præceptoris, cuius finem attulit hæc conclusio. Αἱ ὁδοὶ γὰρ ᾗ ἡ ψυχὴ διαχωρεῖ, καὶ ὅσοις ἀγγείοισι ἐμπίπτει, καὶ οἷσιν ἐπιμίσγεται, τοιαῦτα φρονέουσι διὰ τοῦτο, καὶ ταῦτα δύνανται μεθιστάναι· φύσιν γὰρ ἀμείβειν ἀδύνατον, i. *Cuiusmodi sunt meatus & vasa, per quæ excurrit anima, & vt sunt affecta, quibus accedit; tum illa etiam quibus permiscetur & se insinuat: sic homines alter atque alter sentiunt; ob eámque causam eiusmodi pathemata per diætam possunt emendari atque transponi. Sed ipsam naturam in aspectabilem transformare non potis est.* Est igitur melancho-

prorrh. 14. l. 1. t. — aph. 23. 6. & 6. Epid. part. 8. — lib. περὶ νοσ. — lib. 1. περὶ διαίτ. — lib. 4. de republ. — lib. 1. περὶ διαίτης ad fin.

lia, mentis ægritudo quæ cernitur in assiduo mœrore & metu. Eius naturam ita descripsit Arculanus ex Auicenna. *Melancholia, inquit, est mutatio existimationum & cogitationum à cursu naturali ad corruptionem, timorem atque malitiam: propter complexionem melancholicam, quæ spiritum facit syluestrem in cerebro; ipsumque facit timidum, propter ipsius tenebras, quæ, sicut exteriores tenebræ, sollicitant ac timere faciunt, eò quòd complexio frigida & sicca contraria est spiritui, debilitans ipsum: sicut complexio calida & humida, qualis est vini, conueniens & confortans.* Ex ex iudicij deprauatione nihil nisi perperam opinantur & faciunt melancholici. Nam falsa illi pro veris, turpia pro honestis, vanitatem pro veritate; caliginem pro Sole, & Orcum pro luce habent. Denique inimicos colunt abiecti & humiles; amicis autem, morosè vtuntur & cum fastidio: tum ipsos amicos pro inimicis fugiunt & auersantur.

Ex quibus apparet, tres casus haberi melancholiæ authores atque fautores; ægritudinem animi; spirituum tenebras: & frigidam atque siccam complexionem cerebri. Sed tamen æquè par est in humidos cadere melancholiam per ægritudinem, atque in siccos. Ac multos ipsi vidimus in adolescentia melancholicos à mœrore & metu. Erat autem illa tempestas tumultuosa, melancholicorum feracissima.

Iam verò illa melancholia quæ in opinionis errore posita est cum ægritudine; vtrum alibi sedem habeat quàm [illegible]dicij domicilio; & num aliter quàm in dianœa & à dianœa existat; hoc loco quærendum. E[illegible] ratum est medicis, quandam esse hypochondriacam melancholiam, à nigro humore qui stabulatur & gignitur in hypochondriis, vbi non rarò efferuescit ac veluti fermentatur, vt ait Hippocrates, ac tum ex eo tetram efferri anathymiasin, vnde spiritui tenebræ offunduntur, visáque apparent mendacia, quæ, sicut in tenebris, pauitant melancholici: sic ipsos metu exterrent. Quæ vt concedam vera esse, per illud catholicum theorema, quòd vt sunt mentis propria instrumenta: sic homines aliter atque aliter opinantur: tamen non efficitur id verè dici, nec veram esse melancholiam, quæ continenter in opinionis errore versatur cum ægritudine. Est enim verè illud positum à Galeno: quòd nullum delirium potest videri ἰδιωτικὸς, quando in cæteris partibus, humorum offensiones, cerebrum in sympathiam & contagionem adducunt. Sed præceptoris iudicium est; quòd ibi demum est melancholia, vbi quis in mœrore & metu longum tempus exigit continenter. Scitum est illud. Ἢν φόβος ἢ δυσθυμίη πολὺν χρόνον ἔχουσα διατελῇ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον, i. *Quòd metus & mæstitia perdurent; à melancholia illud est.*

2 Οἷσιν ἐκ φόβου μετὰ καταψύξιος ἐξίστανται, πυρετοὶ μεθ' ἱδρώτων, καὶ ὕπνοι ἀταράκτοι τοῦτο λύουσιν.

Quibus à metu febris vacuo, ad furorem egreßio est: id febres cum sudoribus, & somni arctiores, nec turbulenti exoluunt.

PVLCHERRIMA hæc decisio est. In qua docetur μετάπτωσις melancholiæ in maniam, i. furorem, tum ratio explicatur defungendi eo furore, idque ἰσχυρῶς ἢ ἀσφαλῶς, i. *secunda crisi*, vnde nihil superest reliquiarum, ac redintegratio est naturæ cum sana mente in corpore sano. Existunt tamen hic difficillimæ quæstiones, quarum solutio erit in prognoseos ipsius recensione.

Ergo QVIBVS] Melancholicis, qui sunt eiusmodi; non quidem à mentis ægritudine primùm concepta, & iam vetusta, quibus tantùm prodest tranquillitatis voces audire, remediúmque à Deo precibus impetrare: nihil autem medicinam corporis adhibere, nisi fortè sit medicinæ locus ad symptomatum, quæ inde in corpus cadunt, correctionem: sed iis melancholicis, quibus spirituum tenebræ inferunt ægritudinem, à tetro vapore, quem melancholicus humor in cerebro excitauit, vnde animi deiectio est, ac velut infractio quædam: quia visis mendacibus exterrentur, quæ opinionis errorem inducunt.

A METV FEBRIS VACVO] i. Ab ea demissione animi, quæ in futuri mali falsa opinione posita est: vel etiam à timore propter expectationem futuræ censuræ, vt ipsi vidimus in quadam illustri muliere admodum melancholica, quòd in suspicionem adulterij venisse se falsò putaret apud maritum, ob eámque causam diem vadimonij coram iudicibus expectaret. Itaque toto corpore perhorrescebat, omnibúsque artubus contremiscebat. Græcè est, ἐκ φόβου μετὰ καταψύξιος: quod nos ex professo vertimus, METV FEBRIS VACVO: ad verbum, METV CVM REFRIGERATIONE. Sed illud Græcum, κατάψυξις, vel extinctionē caloris natiui ostendit in toto corpore, partibúsq; extimis quàm frigidissimis; vel ipsam febrilis ardoris vacuitatē. Ac prior quidē significatio nuper adducta fuit & explicata. Restat altera nūc explicanda, de vacuitate ardoris febrilis, quam hîc secuti sumus. Ergo scire licet in cēsura & examine horum duorū nominum καταψύξιος ἢ ἀποψύξιος, alterutrū pro altero recenseri. Legitur autem ἀπέψυξε in verbo ἀποψύχομαι, pro vacuitate ardoris & moderatione caloris apud Hippocratē, vbi ait, ἀπεψύξε, καὶ πάλιν ἀνεθερμάνθη, i. *temperiem habuit; mox rursum æstu incanduit.* Quod idem ita est scriptum alibi. ἀπύρετος ἔδοξεν εἶναι, περὶ δείλην δὲ πυρετὸς ὀξύς, i. *Visus est febris expers: sub vesperū autem febris acuta, &c.* Sic ἀναθερμαίνεσθαι verbū, pro restituto calore natiuo, & pro accēsa febre reperio vsurpatum. Nam quòd ἀποψύχομαι verbum & κατάψυξις nomen, caloris moderationem partiúmq; ipsarum temperiem, nō secus atque frigus extremum significet, testis est illa sententia præceptoris. Τὰ ἐν ὑποχονδρίῳ καύματα [illegible] ἀποψυχθέντος πυρετοῦ κακόν, i. *Ardoris reliquiæ in hypochondrio, refrigerata febre; ipsos malè habēt quos occupant.* Nam quod obiicitur, illam temperiem expetitam nomine ἀποψύξιος, insidiosam esse, falsóque inde creditam discessionem febris, tum in ardore hypochondrij, tum in febre acuta: vt illud concedam; tamen

lib. 3. artic. lib. 1. de diff. febr. Comment. ad prorr. 2. l. 1. & aph. 3. 6. — Coac. 3. cap. 13. 2. prorr. 31. & 32. l. 2. 1. & 34. f. 3. eiusdē. hist. 2. part. 3. libr. 3. Epidem. hist. 8. libr. 1. Epidem. In prorr. vbi sup. prorrh. 2. l. 1. 1.

tamen non efficitur quin illa temperies siue εὐπαθὴς in hac prognosi posita, non verè significet vacuitatem febris, vbi nulla est inflammatio, nec antegressa febris, aut comes, vt certè nulla est in melancholia. Est autem febris vacuitas in melancholia, quam pertinax metus ostendit, vt signum ἀχώριστον i. *inseparabile*: quoniam in ea primùm laborat illa pars animi, quæ mentis & consilij est, [illegible], propterea que [illegible]. Nec verò vlla proritatio est [illegible] Græci vocant, in stupore animi melancholico, quem inferunt tenebræ spirituum; sed veluti quædam infractio & hebetudo. Nam qui cum febre delirant melancholicè & quasi è mentis exeunt potestate; non sic eorum ratio est; vt mox dicetur.

Ad furorem egressio est] Græcum illud, ἐξίστανται, sic vertendum duxi, ne quis existimet Hippocratem hic posuisse ἔκστασιν illam [illegible], quæ cum silentio est, ac paulò pòst infrà recensebitur. De qua etiam suprà iam diximus ad illam prognosin. [illegible], i. *Qui cum silentio, è potestate mentis exeunt, nec voce sunt capti, mortiferum habent malum.* Nec verò ἔκστασις illa est, quæ in stuporis excessu consistit, per quam vacatio est officiorum animæ sentientis, mouentis, & intelligentis vbi homines stupent attoniti & immoti manent, vt vel transfixi non sentiant: tametsi non negauerim hic febrem salutariter exoriri. Sed illud verbum, ἐξίστανται, indeq. nomen ἔκστασις ad melancholicam pertinet egressionem, vel, si mauis, excessum, quem Galenus vocat θυμοειδῆ, i. *ferinum*: quoniam sic affecti cœptis immanibus efferuntur, proritato cerebro ab atra bile, cuius acriores sunt morsus quàm nigri humoris, quem μέλανα χυμὸν Græci vocant, cuius in atram bilem [illegible] i. *transitus* est, in melancholia hic posita. At proritatio atræ bilis magna in cerebro esse solet, quòd ea tres qualitates habeat proritandi, τὸ δριμὺ, τὸ ὀξὺ, [illegible], quæ non sunt in nigro humore vel melancholico. Tantum verò interest inter atram bilem, & nigrum humorem: quantum inter ferrum candens, & frigidum. Ergo melancholici tandem euadunt fanatici, & cœptis immanibus efferi, sese præcipitant ad exitum, ac sibi manus afferunt violentas.

In exolvunt] i. Vel ferocitate domita, fanaticos faciunt mansuescere & ad se redire; vel esse apud se, qui suæ mentis non erant, per [illegible] qua morbificæ causæ amotio, & partis afflictæ redintegratio comparatur, nulla superstite morbi materia, nec empyemate.

Febres cum sudoribus] Quæ celeriter, continenter, & vehementer mouentur, cum spe salutis, ac sine offensione nobilium partium, nutritiarum spirabilium, & animalium. Ipsæ autem faciunt liberè, liberaliter & citò, exire malum, quod intus lædit; per sudores confertim protuptos: vnde primùm certa est ægris, nec insidiosa leuatio, mox inde perfecta restitutio. Sed febrium commoda hic descripta non recipit ad perfruendum, illud prorrheticum, nec illa prognosis iam posita. Οἱ ἐκ [illegible] i. *Quibus excussa insania, febris acuta superuenit, phrenitici rursus euadunt.* Quæ sententia si attentè legatur, & ad Momi lucernam examinetur, non expugnat: sed ne oppugnat quidem, quæ scripsimus in hunc locum. Id planum faciet commentarius noster. Sed instat Galenus, cui placere iam nuper vidimus atque aliàs, nihil expectandum à febre quod sit salubre, nisi ad eos morbos, qui vel à frigore simplici enascuntur, vel cum humore crudo. Quod certè vt verum est: sic à sententia nostra non discrepat. Non enim hic febris est primum exorta, cuius excussione in cerebro stabulante, paraphorica symptomata excitantur, quæ ipsa vi febris vires acquirunt eundo. Nec verò vlla est cerebri phlegmone: sed proritatio febris expers, quæ vel hæmorrhoide, vel ipsis varicibus in crure obortis quiescit: quemadmodum ipsa quiescit etiam sudoribus criticis, qui à febre cientur. Adde quod humor temperamento frigidus nunc factus est cunctando acrior, & in atram bilem migrauit.

Et somni arctiores] Quorum magna vis est pepasmo ad crisin, & vnde firmissima crisis ostenditur: idque cùm aliàs, tum verò in ecstasi, vel, si mauis, excessu melancholico, in quo infœlix animi vix vnquam

Soluitur in somnos, oculisve aut pectore noctem Accipit,— vt poëta cecinit de Phœnissa. Ac beneficium somni ad crisin, restatur illa sententia præceptoris. [illegible] ἀγαθόν, i. *Ibi somnus benignè facit, vbi delirium inde quiescit.* Et. [illegible] ἀγαθά, i. *Quæ in phrenitide memorantur insomnia, boni sunt omnia.* Quòd autem somni arctiores nec turbulenti firmæ sint crisis atque securæ in promptu est illa prognosis iam adducta. *Somni arctiores, nec turbulenti, firmissimam crisin denunciant: turbulenti verò cum labore corporis, incertam nec stabilem.* Ergo. Somni arctiores] Qui sunt eiusmodi per aliquot dies à crisi: quoniam necessitati summæ à diuturnis vigiliis par est dormiendi somnique ineundi commoditas in temperie cerebri, materia suaui somnifera, & tranquillitate animi iam regnum in recto iudicio possidentis.

Nec turbulenti] Græcè est ἀνάταυστοι, emendando vulgatum codicem Græcum, qui habet ἀνάπαυστοι, i. somni silentium & placidè dormientium exactam ad noctem, qui faciunt breues tenebras: quia illi serpunt gratissimi, curásque leniunt, & corda oblita laborum. Ex quibus significatio fit redintegrati cerebri, & sanæ mentis, nec ampliùs perturbatæ. Nam turbulentos facit ἡ ταραχὴ & acris tetráque anathymiasis.

3 Ἐκ μανίης ἐς βράγχον μετὰ βηχὸς, ἀπόστασις· καὶ ἐν τοῖσι μανιώδεσι σπασμὸς ἐπιγενόμενος, ἀμαύρωσιν ἔχει.

Ex furore ad raucitatem cum tussi, abscessus: tum insanientibus exorta conuulsio, ἀμαύρωσιν adducit.

Coac. 5. huius c. Coac. 71. 2. lib.
eph 22. 4. Ibidem.
prorrh. 25. s. 1. & Coac. 100. 1. li. suprà positaecoac. aph. 44. 6. Coac. 9. cap. 14. 2. ... cap. superioris.
aph. 2. 5. prorr. 5. sect. 1. & Coac. 95. 2 lib. Coac. 157. 2. li.

Vt nihil melius bona crisi, qua illud ipsum quod intus lædit, foras excluditur, ac redintegratio vel ἐπανόρθωσις comparatur corporis è natura egressi, quæ certa & stabilis sanatio est: ita nihil peius nec magis mortiferum, quàm praua μετάστασις vel egressionis progressus ad pessimam διάδεξιν. Bona est crisis insaniæ per μετάστασιν timoris melancholici, non autem phrenitidis. Bona est, inquam, crisis; proruptus sudor à febre qui restituto cerebro, somnum conciliat suauissimum atque gratissimum. Praua μετάστασις raucitas, cum tussi oborta. Pessima διαδέξιες, conuulsio est insaniæ consectaria. Ac sudoris quidem & somni commoda sunt exposita in superiore prognosi κατ' ἀπόστασιν furoris ex melancholico metu enati. Nam μεταστάσιες prauæ & διαδέξιες incommoda recensentur hoc modo.

Ex fvrore] Hic posito, qui est μελαγχολικὴ ἔκστασις, vel, si mauis, egressio melancholica; cùm scilicet quispiam è melancholico euadit fanaticus. Existit enim μανία quædam phrenitica quam genuit bilis atra, ex flaua bile perusta, cuius quidem multò sunt acriores morsus quàm flauæ; proptereáque infert sæuiora pathemata quàm ipsa phrenitis vnde ortum habet cum febre, cuius melancholica rarò est particeps. Ac de mania quidem phrenitica, illud iam vidimus positum à præceptore. *Phrenitici sputatores, fanatici, etiámne tremuli?* Nam à phrenitide sæuiore ad maniam facilis egressio esse solet: vt penè miraculo apposuisse videatur Hippocrates quòd illa tempestate pestifera quam descripsit, ne vnus quidē phreniticorum qui tunc ægrotabant, euasit fanaticus. Sic enim ait. Οὐδὲ ἐξεμάνη φρενιτικῶν οὐδεὶς, ὥσπερ ἐν ἄλλοισιν, &c. Sed huius phreniticæ maniæ multa sunt exempla primo libro Coacarum prognoseων.

Coac. 99. 1. lib.

3. Epid. part. 3.

Ergo. Ex furore melancholico Abscessvs] Κατ' ἀπόστασιν, i. *per decubitum* materiæ morbificæ, quò vel ipsa excurrit, vel eò transmittitur: non autem κατ' ἔκκρισιν, i. *per excretionem* veram & criticam: qualis descripta est ad salutem, superiore prognosi. Atque hæc quidem ἀπόστασις non fit ἐς ὃ δεῖ, i. *quò decet*, nec salutarem edit abscessum: qualem exortum legimus Herophonti, per quem defunctus est morbo lethali. Exortus est autem primùm in liene, mox in crure κατ' ἴξιν, i. *è directo* lienis. Qualem etiam commodis ægri rebus enasci testatur illa sententia præceptoris. Τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγινομένων μανίης λύσις, i. *Insanientibus hemorrhoides aut varices exortæ, sanant insaniam.* Quem aphorismum Galenus enarrans hæc scripsit. Ἐνταῦθα μανίαν τὴν κυρίως μελαγχολίαν ἐκάλεσε, οὐ τὴν ἀπὸ χολῆς, i. *Hic sanè maniam vocat melancholiam verè dictam, non quæ à bile est.* Ergo nascuntur abscessus è mania quæ in excessu melancholico est; non autem phrenitico. Atque illi demum abscessus consolantur medicum spe certa salutis, quos modò recensuimus. Hi verò metu exterrent interitus, qui sic è mania melancholica enascuntur.

Vide cōment. ad prorrh. 1. s. 1. 1. hist. 3. 1. Epid. aph. 21. 6.

Ad ravcitatem cvm tvssi] i. Ad vocis asperitatem cum sicca tussi coniunctam: quarum illa quidem inæqualitatem ostendit arteriæ catarrho imbutæ; hæc verò perennitatem catarrhi in fauces & arteriam prolabentis. Et quia catarrhi vis effera est, quæ cernitur in raucitate & sicca tussi assidua; periculum est ne tabem inferat erodendo pulmonem. Quod metuens noster præceptor, ac tanquam è specula eam calamitatem, vt tempestatem futuram, prævidens; prognosin hanc medico ad industriam comparandam præscripsit. Βράγχος μετὰ βηχὸς καὶ κοιλίης ὑγρῆς, πῦον ἀνάγει, i. *Raucitas cum tussi & aluo liquida, pus educit*: non quidem primum & per se, sed interuentu phthisis quam facit catharrus ille raucitatis author & tussis ferinæ. Quæ docendi ratio est quodammodo ἀσυγματικῶς, quemadmodum in hac prognosi cùm ait. Ex fvrore melancholico, abscessvs ad ravcitatem cvm tvssi; habet amaυρωσιν. Quod idem est vt si diceret; ægrotum lumine cassum reddit vita extincta. Sed clariùs hoc infrà dicetur.

Coac. 52. cap. 16. 2.

Et insanientibvs] Græcè est μαινομένοισι, in quibus regnant τὰ μανικὰ, vel qui sunt in omni excessu melancholico. Huiusmodi μανικὰ sic leguntur in aphorismis. Τὸ μὲν ὅρος τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικά, i. *Vere quidem futura est pathematum mania & melancholia, &c.* Est autem credibile hîc vernam insaniam, non in excessu phrenitico, sed melancholico constitutam. Et verò οἱ μαινόμενοι eiusmodi sunt, vt, si aucupio dictionis credendum est, non mania illa feroci phrenitica; sed leniore ac melancholica, ex qua propriè fanatici nominantur, impliciti esse videantur. Ergo insanientibus, non quidem phreniticis, in quibus insaniæ summa sunt omnia, & cœptis immanibus efferi sunt, proptereáque vinculis coërcendi; sed insanientibus melancholicis: tametsi & illud quo ista ponuntur, in phreniticis locum habet, nempe à conuulsione ἀμαύρωσις.

aph. 21. 3.

Exorta convvlsio] i. Iniussa & inuita contractio artuum dolorifica, non autem simplex iniussa collectio quæ omni dolore caret; nec verò conuulsificam intra se habet causam: sicut nec epileptica contractio artuum. Exoritur autem in mania, conuulsio quæ priùs non fuit, per causam conuulsificam artubus impertitam, ἢ κατὰ μετάπτωσιν, ἢ κατ' διάδεξιν, i. *transponendo aut propagando.* Ac μετάπτωσις, quidem in illo est. *In melancholicis morbis periculum sic ostentat ipsorum decubitus. Aut enim apoplexiam corporis, aut conuulsionem, aut maniam, aut cæcitatem ostendit.* Διάδεξις autem in illo. *Qui melancholicè insaniunt, si tremor superuenit, malo sunt loco.* Sed mania melancholica ipsa per se non infert ἀμαύρωσιν: verùm interuentu conuulsionis. Nec verò illa conuulsio maniæ succedanea, vel potiùs consectaria, secum habet ἀμαύρωσιν, suffocando calorem natiuum, sed extinguendo. Est enim ἀμαύρωσις propriè & metaphoricè, symptoma extinctionis, vel ipsa extinctio. Quamobrem conuulsio hæc, symptoma erit maniæ per διάδεξιν: non autem maniæ in conuulsionem μετάπτωσις. Sed illa διάδεξις incremento accidit morbi: cùm scilicet diuturna & vehemens alteratio vertitur in alienationem partis obsessæ. Atque inter μετάπτωσιν & διάδεξιν conuulsificam quid intersit, planum illud facit. *Quòd melius est delirium superuenire tremori, quàm tremorem delirio.* Nam ille tremor est μεταπτώσεως alterantis: hic verò διαδέξιος alienantis. Atqui alteratio nondum habet ἀμαύρωσιν; & adhuc sperabilis est redintegratio: alienatio autem habet cum desperatione salutis: quoniam à priuatione habitus denuo comparari non potest.

aph. 55. 6. prorrh. 14. s. 1. 1.

lib. 3. progn. de stridore dentium qui superuenit delirio.

Præ se fert amaυρωσιν] Hic non intelligit antonomasticam illam ἀμαύρωσιν quæ

oculorum

oculorum est propria: cùm scilicet, exhausto humore crystallino & spiritu visifico; tum etiam extincto splendore & lumine oculorum proprio, ipsi apparent oculi velut emortui. Ac talem ἀμαύρωσιν nominat in prognostico, ὄψιν αὐχμῶσαν καὶ ἀλαμπῆ, i. *visionem squallidam & lucis expertem*. Eò spectat igitur illud, ἀμαύρωσιν ἔχει, vt intelligamus duo hic posita; nempe abscessum è furore ad raucitatem cum tussi; & conuulsionem exortam præ se ferre causam & signum exoluti spiritus, & extincti caloris natiui; proptereáque mortem subesse: quæ quidem verè & apposité dici potest ἀμαύρωσις. Nam & πνεῦμα ἀμαυρὸν, i. *obscuram spirationem*, morti proximam, eò quoque dici reperio apud Hippocratem. Quæ cùm ita sint, verè & apposité sic videor interpretaturus istam prognosin, E FVRORE AD RAVCITATEM CVM TVSSI, ABSCESSVS ΑΜΑΥΡΩΣΙΝ ΕΧΕΙ, i. mortem infert, vel adducit. TVM INSANIENTIBVS EXORTA CONVVLSIO, ΑΜΑΥΡΩΣΙΝ ΕΧΕΙ, i. mortem subesse testatur. Atque hæc, nisi fallor, germana est versio & enarratio diuinæ prognoseωs.

lib. 1. progn. Coac. 4. c. 9. 2.

4 Αἱ σιγῶσαι ἐκστάσιες, οὐχ ἡσυχάζουσαι, ὄμμα περιβλέπουσαι, πνεῦμα ἔξω ἀναφέρουσαι· ὀλέθριαι. ποιοῦσι δὲ παραπληκτικὰ χρόνια. ἀτὰρ ἐκμαίνονται ἔτι. οἷσι δ' ἐπὶ ταραχῇ κοιλίης οὕτω παροξύνονται περὶ κρίσιν μέλανα διέρχεται.

Qui cum silentio sunt excessus inquieti, oculos circumagentes, ac spiritum sublimè intrò ducentes; mortiferi. Sed tamen diuturnas inferunt paraplegias: quinetiam furiosi euadunt. Quibus autem, aluo turbata, exacerbatio est; iis ferè sub crisin nigra ducuntur.

MORBORVM omnium, principatus naturæ sic occupantium, vt inde ipsorum officia peruertantur; expectanda in peius mutatio est. Hic nulla sperabilis redintegratio. Sic enim comparata est ratio morborum lethalium, vt si non citò exeant crisi propria & secunda; quemadmodum illi specie ipsa primùm, symptomatísque multùm exterrent medicos: ita mox edant signa iamiam futuræ mortis. Ne longiùs abeam; exempláque ex aliis repetam huc pertinentia; examen sufficiet huius prognoseωs. Sic igitur meis ponderibus examinabo.

QVI CVM SILENTIO SVNT EXCESSVS.] Quos intulit melancholia: quod ipsa tamen non facit primùm & per se, ἀλλ' ὅταν ὁ μελαγχολικὸς χυμὸς ἐπὶ πλέον, ἤτοι συγκαυθεὶς, ἢ διασαπεὶς ἐπικτήσηται κακοήθη δριμύτητα, i. *cùm melancholicus humor perustus, aut putrefactus, compararit sibi malignam acrimoniam.* Est igitur excessus ille per ἐπίτασιν melancholiæ, de suo statu egressæ: proptereáque magis occupat cerebri principatum, accessione qualitatis malignæ quæ est in atra bile quam genuit melancholicus humor, cuius non ita sunt acres morsus quàm atræ bilis. Atque hæc melancholiæ in excessum mutatio, peiúsque habet cerebrum, magísque vitiat animalitatem in motu & sensu; quàm melancholiæ ipsius in suo statu permansio. Quinetiam in excessu maiora sunt vitia officiorum animæ intelligentis, quàm in melancholia. Officiorum animæ intelligentis, vitia hic cernuntur, primùm quidem in silentio & inquieto animo: mox in furore & rabie. Melancholicus quidem excessus cum silentio, memoriam renouat melancholiæ taciturnæ quæ in errore opinionis versatur. Hic autem silentij causa est, animi pertinacia superstes melancholiæ quæ in excessum migrauit, ἔκστασιν Græci vocant. Non enim silentium hoc melancholicum, culpa linguæ accidit quæ voces efformat: sed impotentia voluntatis quæ pertinaci animo morem gerit. Nec verò impotentia est facultatis, nec organi dialectici: sed eius tantùm, quam modò attigi, voluntatis κατὰ προαίρεσιν. Itaque proritatio hæc cerebri quæ facit excessum, animalitatem promouet ad inquietem: melancholiam verò non tollit; nec vitia emendat officiorum animæ intelligentis.

Galen. commēt. ad aph. 55.6.

Est autem ἐκστάσεως triplex distinctio; vna stuporis, qua stupent attoniti, manéntque immoti, vulgò dicuntur *tonic*; altera silentij & inquietis; tertia verò furoris & rabiei, quæ quidem phrenitica nominatur. Secundæ ἐκστάσεως in tertiam ἐπίδοσιν recensetur in hac prognosi cùm ait, FVRIOSI EVADVNT: cuius exemplum legitur in Dealcis vxore, quæ morbum exegit vsque ad finem vitæ, quem attulit die 21. partim cum silentio melancholico, partim cum multa nugarum garrulitate phrenitica. Itaque triplex illa distinctio sic nominari poterit, ἔκστασις ἁπλῶς dicta ἔκστασις σιγῶσα, καὶ ἐκ ταύτης φρενιτική.

hist. 15. part. 3. 3. Epid.

Sed illa ἔκστασις quam hîc vocat, σιγῶσαν; non est eius silentij quod vel aphonia induxit conuulsoria; vel cerebri alienatio quæ facultatem adimit vocalem & dialecticam. Sic ebrij & cataleptici, ex priore causa obmutescunt conuulsi, per iniussam contractionem, quæ vera cõuulsio est partium vocalem materiam exprimentium, deducentium, & modulantium. Sic ex altera causa quæ est cerebri alienatio, delitia obscura, cum silentio & tremore coniuncta, sunt valde phrenitica, cùm in propinquo mors est. Sed illud silentium agnoscimus quod ex mœrore natum & metu, simulatque orta est melancholia, in eius excessu voluntatis κατὰ προαίρεσιν; denunciat impotentiam, eximiámque animi pertinaciam. Etenim αἰφωνία quam aphonia inuexit conuulsoria, cum excessu melancholico, mortis prænuncia est mox affuturæ,

Coac. 8. cap. 9. 2. prorrh. 19. f. 1. 1. prorrh. 33. f. 1. 1.

Coac. supra citata. vt iam vidimus in illa prognosi. *Quæ in febre conuulsoria est aphonia, si cum excessu mentis adducat silentium, mortifera est.* Altera verò ἀφωνία, cerebri iam alienati consectaria, cùm scilicet exaruerit; ibi demum accidit, eùm pro clamore silentium est; pro inquiete, νωθρότης atque segnicies, pro contentione artuum, leuis tremor; pro vigiliis, coma & cataphora veternosa. Vt inde solùm ad mortem sit transitus, nec vllum abscessus beneficium expectandum. Sed in silenti excessu hîc posito, nondum ad vltima ventum est, donec ea inciderint quæ occupati principatus officia labefactant. Officia duo animalitatis, quorum vacatio est planè funesta. Vacationem breui ostendunt, inquies, oculorum huc illuc coniectus, & respiratio magna & rara. Dicendum de singulis.

INQVIETI.] Multùm iactati, & qui omnis figuræ ac loci impatientes, nullo consistunt loco, velut furiis agitati; prorritato multùm cerebro stimulis atræ bilis, & visis mendacibus animum fatigante. Hinc nulla quies obrepit, neque diurna, neque nocturna. Hæc autem symptomata sunt alterati cerebri, & mentis perculsæ; vt non solùm in delirio sit: sed in excessu fanatico, quem vocant [Greek illegible]. (Gal. loco citato.) Vt autem iactatio inquies, & indecora corporis agitatio, quæ nec sermone, nec scripto, nec etiam nutu exponitur; excessus fanatici notæ sunt & argumenta: sic alia quæ sequuntur, afflicti multùm cerebri, multùmque in officio laborantis, præ summa infirmitate, signa ostendunt. Scitum est illud; quòd sicut
" actio læsa, partis afflictæ certissimum est argumentum: sic læsionis species, afflictionem ipsam cuius-
" modi sit, planè testatur atque denunciat. Enimvero paraphorica illa iam posita inquies, & indecora
" corporis agitatio, nullis aperta signis cur ita sint, sed in silentio constituta; certum est, cerebro acerrimis morsibus atræ bilis vexato, & inde à visis mendacibus, opinionis errore, in mente concepto; certum est, inquam, enasci, & miserationem amicis adferre, quoties in eorum conspectu eduntur & fiunt. Atque hæc symptomata sunt occupati cerebri, & mentis hæreticæ. Sed quæ sequuntur, in metu sunt medicis & mœrore: propter expectationem grauioris mali futuri. Sunt autem.

6 Epid. Coac. 13. c. 6. 2. OCVLOS CIRCVMAGENTES.] Græcè est, ὄμματα διαδινέοντες eodem planè sensu quo ὀφθαλμοὶ διαστρεφόμενοι καὶ ἀστήρικτοι, i. *oculi circumacti & instabiles*: vel ὄψιας πυκνὰ διαρριπτεῖν, i. *oculorum aciem crebrò huc illuc voluere*: vel ὀφθαλμῶν κίνησις ἐξοίη, i. *oculorum cita huc illuc conuersio.* Sed eorum distinctio adhibenda partim à vitio corporis, partim ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, i. *ab ipso errore opinionis*, quæ est in mente illusa visis mendacibus atræ bilis. Ergo in excessu melancholico, CIRCVMAGVNT OCVLOS.] i. Circumspiciunt, & crebros quoquouersum cient coniectus. Atque id faciunt, vel sponte sua indecorè, vel iniusso motu penè inuiti Ac sponte sua παραφρονικῶς, indecorè id faciunt signo dementiæ. Est enim actio quælibet indecora τῷ παραφρονεῖν, & insueta, dementiæ signis apposita; quæ omnino quatuor esse diximus. Tales oculorum coniectus poëta memorat in Didone furibunda, & cœptis immanibus effera contra Æneam. Nam signa insaniæ, potissimùm lucent in oculis qui omnium proximè absunt à cerebro: quoniam verum est illud positum à præceptore. Τὰ κοινὰ, καὶ τὰ ἐγγὺς, πρῶτα καὶ μάλιστα πάσχουσι, id est, *communia & proxima, omnium prima & maximè afficiuntur.* (lib. περὶ χυμῶν.) Sed in excessu melancholico, aliter circumaguntur oculi, penè dixerim ἀπροαιρέτως, i. *iniussè*, non quidem omnino inuitè (nam illud proprium est dementiæ melancholicæ, quandiu manet) cuius imperio sic indecorè mouentur Itaque circumaguntur æquali vitio voluntatis, & musculorum, oculos ipsos mouentium; labefactata parte illa cerebri vnde mouendi vis manat. Sic igitur contremiscunt musculi ab exhausto: propterea̓que mortem subesse testantur. Est enim firmissimum argumentum, citò venturæ mortis, cum ipsa dementiæ vis infert tremorem: quoniam talis tremor, symptoma est alienati cerebri: sicut delirium, alterati vel prorritati. Qua de re illud Galeni iudicium legitur. (lib. 1. progn.) Οἵ τε γὰρ μὴ ἀναπαυόμενοι, τουτέστιν ἀστήρικτοι, καὶ διὰ παντὸς [Greek illegible] ὀφθαλμοὶ [Greek illegible] [Greek illegible] i. *Suspensi oculi, instabiles & contrà omnino immobiles oculi, signa sunt aut dementiæ, aut tremoris musculorum ad eos attinentium quorum vtrumque hic mortiferum. Sunt enim dementia mortifera. Et à siccitate tremores nati, immedicabiles.* Nam si quis obiiciat; scriptum Galeni, tantum eò spectare, quò verba Hippocratis de ardore febrili & siccitate; vnde primùm delirij est origo, inde tremoris: abundè mihi fuit planum fecisse, tremorem hic positum, à siccitate ortum habere quam excessus peperit melancholiæ. Sed satis iam de hoc signo: pergamus ad reliqua.

AC SPIRITVM SVBLIME FORAS, VEL INTRO DVCENTES] Est quoque hoc signum ἴδιον & omnis dementiæ quæ primigeniam in cerebro causam habet. Est etiam cerebri exoluti symptoma, vt mox dicetur. Est autem signo & causa fatalis ad interitum hæc respiratio. Ac signo quidem, dementiæ idiopathicæ, mox inde cerebri exoluti. Causa verò, accessione & incremento ardoris febrilis, & extinctione aut suffocatione caloris vitalis. Nam spiritus ille quem ait foras vel intrò sublimè duci. planè idem significat quod πνεῦμα μέγα, καὶ διὰ πολλοῦ χρόνου, καὶ τὸ ἀνάπνοον [Greek illegible], i. *respiratio magna & rara: item tarda & velox.* Magnam edit spirationem, partium spirabilium obedientia: raram, dementia: tardam inspirando, cerebri & facultatis infirmitas: velocem expirando, vaporis fumidi abundantia, vnde suffocatio est in metu. Etenim magna & rara spiratio, dementiæ signum est: quoniam in summa spirandi necessitate, qualis est in ardore febrili, & partium spirabilium obedientia quam indicat magnitudo; in vitio est sola voluntas immemor planè sui & negligens. Iam verò illa spiratio tarda quæ cernitur in lenta inspiratione, & properata in expirando, sui officij vacationem breui futuram denunciat: inspiratio quidem, propter potentiæ animalis infirmitatem, virtute ipsius cerebri iam effœta, quæ parem deinceps non adferet necessitati commoditatem. Sed properatæ multùm & citæ expirationis causa est summa contentio musculorum expirabilium, suffocationis metu, ex vaporis fumidi abundantia, quorum conatus adiuuant intercostales: vt veluti quædam sit ipsius thoracis concussio, studen- (lib. 2. progn. & Coac. 1. cap. 9. 2.)

tis

tis excutere quod sibi molestum est. Atque hic cernere est, verum illud esse catholicum theorema. Quod omnes partes officiales incitantur & excitantur magis ad exclusionem rei molestæ, quàm ad comparationem necessariæ. Ergo descripta hic respiratio, vt signis abundat lethalibus: sic ipsa officij vacatione, quam adducit mortifera est atque funesta.

MORTIFERI.] Causæ sunt explicatæ, in essentia morbi & signis lethalibus, quæ sunt, inquies, oculorum varij huc illuc coniectus, tum respiratio magna, rara, tarda & velox.

SED TAMEN DIVTVRNAS INFERVNT PARAPLEGIAS.] Ac si diceret: quemadmodum alterato diu multùmque cerebro, vnde primùm silens excessus, itur ad eius alienati ἄνοιαν, quæ cernitur in oculorum crebro huc illuc coniectu, & difficultate illa spirandi quæ vitio incidit voluntatis, & cerebri languescentis: ita contentione forti naturæ in cerebro, effœtis iam neruis; ibi nascuntur paraplegiæ, quò ipsa materia viam affectat; quæ non excutiuntur facilè, sed firmiter fixæ diu manent: propter humoris morbifici contumaciam, & infirmitatem partium obsessarum. Itaque à silenti excessu melancholico nihil expectari potest præter interitum: nisi oborta febre cum sudoribus, vel abscessu paraplectico, defungantur eo periculo. Sed tamen non facilè adducor vt eos ab interitu vindicent paraplegiæ, quas alibi docet esse funestas, quando superstite malo cerebri enascuntur: vt ipsi annotauimus in comment. nostro ad illam prognosin. *Parotides prauæ sunt paraplecticis.* Quid autem sit paraplegia, quæque sint illius causæ; dictum est in apoplexia. Ex quibus apparet quæ sit attentio medici ad res ægroti, dum occupatur silenti excessu melancholico, vnde progressus fit ad symptomata grauiora: cuiusmodi hæc sunt quæ sequuntur.

1. Epid. par. 3. Coac. 4. c. 4. 2.

QVI ETIAM FVRIOSI EVADVNT.] In quibus insaniæ summa sunt omnia. Sic enim comparatum est, vt primùm ægritudo cum metu, adferat demissionem animi quæ parit ἀπαθανασίαν, inde à silenti excessu nascitur μισανθρωπία, quæ tandem ab odio transit in λυκανθρωπίαν, cum rabie furibunda. Scitum est illud. *Quem quisque metuit, odit; & quem quisque odit, perisse expetit.* Itaque non sine causa, metus parit odium, atque hoc rursum τιμωρίαν, qua homines incitantur ad vlciscendum, vel eos etiam à quibus falso læsi esse videntur. Vt autem progressus illi pathematum, duce opinionis errore, mutuò se consequuntur, ac mentis illusæ tyranni sunt: ita cerebri alteratio, quam sæui humores inferunt; suo excessu, parem adducit symptomatum accessionem, quam deprauatio ipsa ostendit officiorum animæ mouentis & sentientis: quemadmodum ipsi opinionum errores peruertunt officia intelligentis & immortalis. Igitur à silenti excessu melancholico, furiosi euadunt, i. in summo sunt excessu furoris: vbi ad vltima ventum est ferocis insaniæ & immanitatis: ob eam sanè causam, quòd summa peruersio est officiorum animæ immortalis, quæ in errore summo versatur crudelium opinionum, quæ ipsi, tanquam speculo, visis mendacibus offunduntur à tetro vapore bilis atræ acerrimæ, in cerebrum sæuientis, vnde peruersio est etiam officiorum animæ mouentis & sentientis, sicut iam demonstrauimus. Ac de symptomatis & natura insaniæ, dictum est suprà in phrenitide.

Cic. 3. Offic. 1. lib.

QVIBVS AVTEM ALVO TVRBATA, EXACERBATIO EST.] Quibus aluo prorupta cum morsu ab effera bile, silentis excessus melancholici egressio est ad furiosam insaniam.

NIGRA DVCVNTVR.] i. Deiectionibus nigris alui feruntur: quòd eò natura & humor cursum inflectat: quemadmodum sputatores, phrenitici, & inde fanatici, nigra vomunt. Vt enim ptyelismo niger vomitus: ita perturbatione alui, nigra in his deiectio esse solet. Ac deiectionum nigrarum, cur ita fiunt, eadem planè ratio est quam posuit in illa prognosi. *In dolore stomachi febriculoso, aluus cum morsu prorupta; deiectiones nigras pronunciat.*

Coac. 107. 1. li. Coac. 14. c. 10. 2.

SVB CRISIN.] i. Sub finem vitæ, cùm in propinquo mors est. Nunquam enim feruntur alui, sua sponte, nigris excrementis, tum melancholicis, tum atrabilariis; quin pessimè sit ipsis ægrotis. Expetendæ hic potiùs hæmorrhoides, aut varices; quæ tamen furibundis, propè iam alienato cerebro, nihil prodessent. Nam hæmorrhoidum commoda, quæ τῶν μαινομένων commendantur à præceptore, Galenus ibi author, μανίαν ab eo dici τὴν κυρίως μελαγχολίαν. Quod autem ad crisin attinet, nouum non est, nomen illius pro exitio interdum vsurpari. Testis est illa sententia præceptoris. *Lingua quæ multùm nigrescit, intra 14. diem, crisin fore ostendit,* i. exitium ægri denunciat. Nam ei periculo illud adiecit, χαλεπωτάτη δὲ ἡ μέλαινα, καὶ χλωρή. Sed hæc sufficiant.

Græcè est μανιώδεσι. aph. 22. 6. Coac. 1. 6. 7. 2.

DE FRIGORE LVMBORVM.

ΟΙΣΙΝ ὑγιαίνουσι, χειμῶνος ἐόντος, περὶ τὴν ὀσφὺν ψυχρότης, καὶ βάρος ἀπὸ βραχείης προφάσιος, καὶ κοιλίης ἐπίστασις, τῆς ἄνω καλῶς ὑπηρετούσης· ἰσχιὰς, ἢ νεφρῶν πόνος, ἢ στραγγουρίη, τάχ' ἂν συμβαίη.

CAPVT XXV.

1 *Quibus rectè valentibus, hyeme frigus est circa lumbos, atque grauitas leui de causa; tum aluus subsistit infera, & supera in officio est*

conuenienter iis vel ischias, vel renum dolor, vel stranguria fortè contingit.

PROGNOSIS hic posita, familiari docet exemplo, distinctionem causarum efficientium, suscipientium, & reuocantium, ad succedentium inde morborum præuisionem. Est autem potissimùm scripta in gratiam ischiadis.

QVIBVS RECTE VALENTIBVS.] Græcè est ὑγιαίνουσι, i. qui bene valent natura, & valetudinis cura; sine vllo diætæ vitio, in victus ratione, & vitæ instituto, quod Græci dicunt, τῇ φύσει καὶ τῷ ὑγιαίνειν: vt nulla excusatio sit τῶν ἐνεόντων, i. *eorum quæ intrà sunt, & intus lædunt*; nec eorum etiam quæ veniunt ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, i. *extrinsecus incidunt*, à spiritu & inclementiâ tempestatum, quod inde conlicio.

HYEME.] Scilicet aquiloniæ tempestatis quæ autumnalem excepit austrinam. Sic enim præceptor ait. Ἢν δὲ τὸ φθινόπωρον ἐπομβρον καὶ νότιον γένηται, κεφαλαλγίαι ἰσχυραὶ ἐς τὸν χειμῶνα, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες, i. *Si autumnum pluuia occuparint & austri, cephalalgiæ fortes ad hyemem; tusses item, & raucitates; nonnullis etiam phthises.* Atque hoc fundamentum erit prognoseos enarrandæ. Hic non decet causam referre pituitæ hybernæ, ad nescio quam diætam, hyeme consuetam, cruditatis parentem. Hanc non agnouit præceptor cum scripsit, ὁ μὲν χειμὼν ἀργὸς ἔργων, καὶ πίνεται τὰ σιτία, καὶ ἁπλᾶ. i. *Hyems ignaua est; tum ea quæ assumuntur, cocta sunt atque simplicia.* Et tamen Hippocrates author est, hyemem esse φλεγματοποιὸν i. *pituitæ procreatricem.* Ergo non à diæta, sed à spiritu & tempestate hyberna. Quæ ideo visum est annotare, vt statuam & confirmem id quod initio posui; nempe hic, rectè valentes intelligi eos qui sani sunt natura & valetudinis cura.

aph. 13. 3. — lib. περὶ χυμῶν. — lib. de natura hominis.

FRIGVS EST CIRCA LVMBOS.] i. Frigus, quod frigidi humoris appulsu occupat eam regionem τῆς ῥάχεως, quæ infra thoracem est, supra os sacrum vbi finitur, habétque vertebras quinque. Ac lumborum nomen in hac regione descriptum, suo velut ambitu complectitur omnia quæ continent, quæ continentur, quæ adiacent foris & intus: tum ea quæ à lumborum neruis ortum habent. Huiusmodi sunt vertebræ ipsæ, quæ continent; medulla spinalis, renes, καὶ γοναὶ, i. *genitalia muliebria*, quæ continentur; carnes lumborum foris & intus, vena vtraque lumbaris, quæ adiacent; mesocolum, quod à lumborum neruis enascitur. Lumbares musculos, tam intus quàm foris, ipsámque adeo spinalem medullam; tum etiam ligamenta & neruos lumborum, frigus exercet; non quidem à simplici flatu aquilonio, & frigida intemperie: sed à catarrhi prolapsu, cuius materiam abundè suppeditat austrina tempestas exacti autumni, quam hyberna excipit aquilonia. Sic enim docuit in aphorismo quem ex libro tertio aduocaui. κεφαλαλγίαι ἰσχυραὶ, καὶ κόρυζαι, i. *cephalalgiæ fortes & coryzæ ad hyemem.* Nam dictum est alibi ac demonstratum; coryzæ nomen complecti omnem catarrhoicam repleti capitis expressionem. Et verò cephalalgicum illud symptoma capitis multùm repleti ab autumno quem auster & pluuiæ occuparunt; facilè transit in catarrhoicum, vel ipsum per se primum ab eadem autumnali tempestate infertur, adueniente hyberna frigida & aquilonia.

lib. 3. ἀφορισμῶν. — ibid. — Coac. 30. c. 16. 2.

ATQVE GRAVITAS.] Quæ causam dolorificam, firmiter ibi fixam ostendit, quæque sympathiam non exhibet vicinarum aut sociarum partium afflictarum: sed veram ἰδιοπάθειαν ἢ πρωτοπαθῆ, ἢ ἐπίκτητον, i. *primigeniam vel aduentitiam*, per μετάστασιν, è capite vbi fuit primùm [illegible], quod inde migrauit in lumbos. Omnis enim κατάρρους, sicut de anadrome dictum est, ibi morbum facit, vbi subsistit. Est autem *grauitatis* nomen positum ab Hippocrate, pro afflictione quam facit rheuma consistens & concitatum; siue quod eò prorepit, vbi colligitur. Atque talis grauitas, detrahendi & retrahendi consilium adfert medico: sicut faciundum præcepit in pleuritide, vbi sensio est grauitatis ad mammam & brachium. Quod tamen eò dici nolim quis putet, vt, venâ incisâ, sanguinem detrahendum censeam ad omnem partium grauitatem. Ergo hic posita lumborum grauitas, quam parit crudi humoris collectio firmiter fixa in lumbis, non autem sympathia partium enatarum vel intrà sitarum, cuiusmodi est lumborum dolor ab intestini torminibus; cuiusmodi etiam renum grauis dolor in calculosis, tum illa quæ sunt in lumbis dolorifica mala sanguiflua.

lib. 2. acut. — aph. 11. 4. sen. 5. par. 1. 6. Epid.

LEVI DE CAVSA.] Tam intrà, quàm extrinsecus: est enim πρόφασις illa duplex; cùm scilicet fugax & leuis intemperies frigida, lumbis iam frigidis horrifera est; ac multùm inducto iam frigori & grauitati adiicit: tum autem quæ intus lædunt, leui opera sunt grauiora. Scitum est illud; quòd omnis pars intemperata, similem intemperiem faciliùs excipit quàm temperata contrariam. τῇ γὰρ οἰκείῃ δυσκρασίῃ [illegible], i. *intemperie propria, facilè omnes corripiuntur.* Itaque τὸ [illegible], non minùs malo adiiciunt, excipiendo quàm τὸ [illegible]. Inferendo. Et quoties τὸ [illegible], simile habet τὸ [illegible]; quæ inde nascuntur mala, grauissima esse solent.

Coac. 2. c. 12. 2.

TVM ALVVS SVBSISTIT INFERA.] Non quidem sicca, & quæ non nisi ægrè excrementa reddit σπυραθώδεα, i. *pilularum capra stercorosarum similia.* Hæc enim non sunt benevalentium, quales hîc ponit author. Sed aluo bene constituta in naturali œconomia coquendi, ministrandi, & excernendi: tum autem quæ diarrhœam non edit, vel criticam, vel symptomaticam. Nam diarrhœa critica, non chylosa, omnisque adeo cruditatis expers, sanat lumborum grauitatem. Quæ causa mouit Hippocratem, vt inferam purgationem duxerit præscribendam ad intestini tormina cum dolore lumborum, & genuum grauitate coniuncta. Quem locum sic enarrat Galenus. Καθὰ γὰρ τὰς ῥοπὰς τῶν λυπούντων χυμῶν, καὶ τὰς κενώσεις χρὴ ποιεῖσθαι. i. *Vt inclinatio est rerum molestarum: sic vacuationes moliri oportet.* Itaque diarrhœa critica, & cruditatis expers, materiam & occasionem præripit morbis omnibus quos posita lumborum grauitas, per μετάστασιν, est illatura. Ac præcipiendi ratio, quam obseruare libet in hac prognosi, ex aluo liquidis excrementis prorupta κατ' ἴξιν; tum verò succedentium inde malorum materia & occasio κατὰ συμ-

aph. 20. 4.

ἀνακάθαρσις ex aluo quieta; eodem planè stylo & scopo hîc legitur, aut certè legenda est, quo in prognosticis illa successio parotidum, vel abscessus cruralis ex peripneumonia quæ liberalem & liberam non habuit ἀνακάθαρσιν, ægro superstite. Est autem hîc stylus. *Quibus autem ex peripneumonia sub auribus, vel inferis partibus nascuntur abscessus, ibique habent empyema, & fistulantur, hi, defunguntur morbo.* Hîc autem sic esse debet ad res ægri attentio. *Si febris detinet, si dolor nondum quieuit, si conuenienter sputum non editur, si aluus non fertur liberaliter biliosis excrementis; si vrina nec multa est, nec crassa, nec multa partiuus hypostaseos,* &c. Ac si diceret: si peripneumonia, propriam non habuerit anacatharsin vnde quiescat, & tamen validæ sint ægri vires, vnde sperabilis vitæ salus; abscessum in superis partibus, vel inferis expectare oportet, modò abscedendi materiam & occasionem nihil præripiat. Præripiunt autem diarrhœa & perirrhœa. Ergo si aluus subsistit, manetque in officio: sic iam diximus.

[lib. 2. progn. & Coac. 22. & 23. c. 16. 2.]

Et svpera in officio est convenienter.] Quæ parem adfert vsui necessario commoditatem, in libertate spirandi quæ cordis voto respondet inspirando & expirando, siue raucitate, ac sine tussi; vt nulla offensio partium spirabilium subesse videatur, vnde incommoda veniant abscessus coxarij, vel ischiadici, doloris nephretici, & stranguriæ, quæ recensentur in hac prognosi. Talium enim futura est in afflictione thoracis atque pulmonum: maximè autem cùm earum partium systrophica est inflammatio quæ transitum habet in empyema. Denique si tam secundæ sint res de aluo vtraque, vt commodis vti liceat quibus vita hominum sustentatur, nempe spiritu & nutricatu. Nam de aluo supera illud præceptum est, quòd ea circumscribitur à thorace. Sed tamen alui superæ non eadem significatio est in aphorismis libri quarti, qui pertinent ad modum purgandi. In promptu est ille. φαρμακεύειν θέρεος μᾶλλον τὰς ἄνω κοιλίας, χειμῶνος δὲ τὰς κάτω. i. *Purgare decet, æstate quidem ventrem superum: hyeme verò, inferiorem.* Sed extra oleas hæc.

[aph. 38. 6. — aph. 4. 6. 7. 8 & 9. lib. 4.]

Iis forte contingit.] Per ἀποστάσιν materiæ contumacis, quæ firmiter fixa, diu hæsit in lumbis, nec exitum habuit per aluum inferam, neque per superam. Nam, bene dixit esse ambabus, nec inferam ferri quàm fæcibus figuratis: superam verò, nullam eiere anacatharsin dolorificæ in lumbis materiæ, quæ non rarò, iis relictis, sursum ad pulmones cursum inflectit; nec tutò, sed admodum periculosè. Nam grauitatem lumborum exolui per inferam aluum, is demum intelliget facilè qui tenet sympathiam & syntimoriam lumborum, mesocoli, & intestinorum; vt in dysenteria è gibberis lumbis enata. Ac tali penè stylo excoluit illam prognosin quæ loco scribetur in stranguria hîc posita.

[lib. 3. progn. & c. 12. huius 2. lib.]

Ergo. Lvmborvm gravitate.] Quæ aliter exolui non potuit, neque per aluum superam, neque per inferam. Fortè contingit, pro inclinatione varia humoris morbifici.

Vel ischias.] Dolorificum malum, idémque doloris sæuissimi cruciatu acerbissimum, quod occupat τὴν σύμφυσιν τοῦ ἰσχίου, καὶ ἄκρον τὸ πυγαῖον, καὶ εἰς τὰς γλουτοὺς, δι' ἧς ποτὸς τῦ σκέλεος πλανᾶται ὁ ἰσχιάς. i. *ligamentum femoris, os sacrum, & glouium siue nates.* Est autem grauissimi huius doloris causa humoris maligni collectio ad σύμφυσιν τοῦ ἰσχίου, vnde ipsa, sensus acerrimi, distenditur & proritatur. Atque illi distentio & proritatio, cruciatus infert sæui doloris. Collectionem vocat præceptor σύστρεμμα. De humore autem sic ait Galenus. Τὰς δὲ ἰσχιάδας εὔλογον ἐστὶ τε κακοήθεια τῶν χυμῶν καὶ τῷ ψύχει γίνεσθαι. i. *Ischiadas credibile est ex frigore & cacoëthia succorum enasci.* Loquitur autem de ischiade autumni: qualem hoc loco agnoscimus, quam genuit lumborum grauitas atque frigus. Talis ischias, nata ex frigore & grauitate lumborum, non rarò protrahitur exactum ad annum, nec antè quiescit: maximè verò iis qui iam ætate sunt grandes, nec nisi ægrè ducitur aluus, eaque multo mucore; nec potis est ipsos arrigere. Quin etiam hic morbus eò procedit, vt accessione pituitosi humoris, quæ μύξα est veterum, femoris caput è suo excidat acetabulo, idque subinde, quoties ipsum subit; subit autem ex facili, sicut & brachium eo modo luxatum. Secus est de ischiade iuuenum, quæ tametsi doloris acerbitate non cedit prædictæ: tamen breuitate ipsa, tolerabilior est: quia discedit facta quadraginta dierum, sed ea lege, vt neque stupor prægrandis, neque frigus incidat lumborum & crurum. Huius ischiadis sic ratio est. *Cùm pituita & bilis in sanguifluam venam confluxit, ibique firmiter fixa subsistit, vndecunque illa inciderit, vel ipsa per se, vel aliunde, hic tum oberrat pituita illa, bile permixta, per totum crus, & vbicunque insederit; ibi dolorem excitat acerbissimum, non tamen mortiferum, &c. Nam si purgando non cessat, nec quiescit, vstioni locus est in foco doloris. Sit autem vstio crudelis,* &c.

[lib. περὶ παθῶν. — lib. 2. prorrh. — aph. 22. 3. — aph. 58. & 59. 6. li. 1. περὶ ἄρθρων. — lib. 2. prorrh. — lib. περὶ παθῶν.]

Vel renvm dolor.] i. Nephritis, tum ipsa per se, tum calculosa. Per se ipsa quidem, primùm est è lumbis enata, eò transmissa causa primigeniæ grauitatis lumborum, vbi dolorem infert grauissimum: vnde coagmentatio est crassi humoris in calculum & arenas. Atque in tali nephritide calculosa, dolorum acerbitas varia esse solet. Est enim primum systrophe dolorifica, dum cruda manet. Est quoque dolorificum, quod inde nascitur, empyema. Tum ipsa coagmentatio, quam σύμπηγμα vocat præceptor, varietatem adfert dolorum, in generatione, in mansione, in motu. Vt nihil varium sit magis, nec magis mutabile, quàm dolor nephriticus quem prima edit nephritis hîc posita. Nam si bene complector animo, cuius regnum est in iudicio; ex quatuor illis morbis qui numerantur in renibus, primi omnium, relictis aliis qui ab Hippocrate recensentur, historia locum habet in hac prognosi. Est autem sic à præceptore scripta, Latinè versa. *Morbi sunt quatuor nati à renibus. At primi quidem sunt hæc pathemata. Dolor acutus renem inuadit, & lumbos ac testem qui è directo est renis. Tum sæpe vrina redditur, atque subinde sistitur, κατ' ὀλίγον, & sabulosa est. Et cùm arena transmittitur per fistulam vrinariam, dolorem infert prægrandem, qui ea exclusa quiescit: mox inde renouatus, ægrum exercet. Atque is quoties vrinam reddit, præ dolore, colem extendit & fricat, leniendi causa doloris. Hic medicorum vulgus, imperitia huius mali, ex arena conspecta, vesicam existimat calculosam; sed falsò. Est enim ren ipse calculo occupatus. Hic morbus nascitur è pituita, quam quidem exceptam ren alio non transmittit: sed intus coagmentat in tophum.* Quemadmodum autem, lumborum & renum dolores, vicissim

[sent. 5. part. 1. 6. Epid. — lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.]

mutuò se excipiant, sibíque succedant inuicem, planum facit ipsorum sympathia, & mutua syntimoria. Nam & nephritis in sui contagionem atque sympathiam lumbos adducit, & dolorifica lumborum mala, euadunt nephritica, quando humor transit ad renes: sicut à renibus transit ad lumbos. Sic empyema renum, in lumbos expressum, ipsos intumere facit. De quo illud scriptum est à præceptore. Οἷσι τὸν χρόνον ἔμπυοι ἢ ἐν νεφροῖς· ὀσφύϊ ἐπιγίνεται φῦμα ἢ ... Nam gibberorum lumborum à phymate, nota est ratio ipsa curandi per transitum ad venas, vnde varices; vel ad intestina, qui facit dysenteriam.

li. citato. lib. 3. ἀφορισμῶν.

Vel strangvria.] i. Vrinę stillicidium; vel inuita vrina quæ contra voluntatem suo coacta exit, quæque subinde nos cogit, musculi ianitoris claustrum laxare, nec desinit esse molesta: quoniam paulatim ægrè destillat idque tum inde nato vesicæ morbo, tum ipso symptomate. Ac stranguriæ causas non ita pridem recensuimus, prognosi octaua de morbis vesicæ. 10

2 Οἷσι δὲ τὰ κάτω κακοῦται, κνησμῶν ἐγγενομένων ἔμπροσθεν ἰσχυρῶν· τούτοισιν ἀμμῶδες οὖρον γίνεται, καὶ ἐφίσταται. τοῖσι δὲ ὀλεθρίοισιν αὐτῶν διάνοια ἀποναρκοῦται.

Sed quibus in vitio sunt inferiora, pruritu antè forti oborto; vrina iis redditur sabulosa, & cohibetur. Et quibus inde spes in angusto est; dianœa torpescit. 20

Enimvero criticorum abscessuum certa non est crisis, nec inde sperabilis vitæ salus, nisi & procul, supernè infrà eò descendant κατ' ἴξιν, vbi non appareant ὑπόρροπα, i. *semifluxa*: sed ἀξίως τῆς ... , i. *pro dignitate humoris morbifici*, nec inde recursum habeant vnde venerunt. Nam ὑπόρροποι καὶ ἀνάρροποι abscessuum, velut parotidum ferè funesti sunt exitus. Omnium verò tam infrà, quàm suprà exorientium, difficillima curatio esse solet, quorum materia est maligna & effera. Sic enim præceptor ait de puerorum tussi, cum aluo turbata, & febre. Λύουσι δ' ἂν καὶ ἑλκύδρια κάτω ἰόντα. ἢν μὴ στρογγύλα καὶ βαθέα ἦ. τὰ τοιαῦτα γὰρ ὀλέθρια, ἄλλως τε καὶ παιδίοισι i. *Soluerit autem vlcusculorum exortus, modò ne rotundorum & profundorum. Eiusmodi namque mortifera sunt; præsertim pueris.* In hac prognosi καθ' ὑπόθεσιν familiaris exempli, doctrina est prauorum abscessuum, partes inferas occupantium, quorum maligna vis, ἀνάρροπον habet intrò & sursum, quæ & symptomata infert grauissima, & vnde sit vitæ timendum ostendit. 30

2. Epid. sentent. 19. part. 1. 6. Epid.

Sed qvibvs in vitio svnt inferiora.] i. Quibus infra vmbilicum malè est, prauis abscessibus illic obortis, qui eiusmodi sunt, quia ὑπόρροποι καὶ κακοήθεις, i. *semifluxi atque maligni*; vnde, primigenio adhuc morbo superstite, nullam ægris adferunt leuationem: sed contrà, doloris acerbissimi cruciatu & sua propagatione foris intrò, multum periculo vitæ adiiciunt. Qualia esse narrantur τὰ ἑλκύδρια στρογγύλα καὶ βαθέα. Qualia item quæ scripta sunt à præceptore his verbis. *Exanthemata parua, nec dignè morborum excretioni respondentia, inde mox rursum euanescentia, &c. Extiterunt etiam quibus ad articulos, maximè verò ad coxendicem, iisque admodum paucis, sunt exorta cruciatu. quæ loco relicto, mox inde rursum euecta, sursúmque translata, ad priorem habitum reuertebantur. Inde mors plurimis veniebat.* Nam illud, τὰ κάτω, i. *inferiora*, pertinet ad partes inferas quæ sunt infra hepar, tum ad articulos crurum, tibiarum, & pedum. In promptu sunt illa Hippocratis, vt omittam cætera. Ἢν μὲν κάτω τοῦ ὀμφαλοῦ, καταστῇ τὰ ἄνω ἐν τοῖσι κάτω ἀφιστάμενα, ἀγαθόν. i. *Quòd si è superioribus partibus, in inferiores demittantur, in illísque subsistant, bonum.* Et, Ἢ καὶ τὰ κάτω τοῦ ἥπατος, ἄνωθεν ἀφιδρύεται. ... *Ea quoque spectare oportet quæ infra iecur supernè descendunt, veluti in testes & varices.* Quibus in locis docetur, partium inferarum abscessus, meliores esse quàm superarum. Nam superarum abscessus, nec morbos exoluunt, nisi per empyema, nec abeunt sine noxa. Inferarum verò, finem morborum adferunt, nisi recurrat intrò & sursum. Cæterùm appositè scripsit, τὰ κάτω κακοῦται, i. *vitiari & lædi*: quoniam feritate humoris eò prolapsi, multùm à se mutantur colore, charactere, mole, dolore, & actione: tantúmque abest vt inferiora sic vitiata, superiorum tollant vitia vel emendent, vt ea reponant vel augeant sua contagione atque sympathia. In causa est malignus humor, & impar morbo abscessus. Hinc læsa parte infera, multúmque afflicta, recursus fit intrò sursum. Hinc recidiua peior priore morbo. *Reliquum excidit.* 40 50

1. Epid. part. 2. sent. 17. part. 1. 6. Epid. sent. 14. part. 1. 6. Epid.

DE PHYMATIS.

Caput XXVI.

Oἱ τὰ ἄρθρα φλυκταινούμενοι ἐξερυθροῖσι ἐπιπολαίοις· ἐπιῤῥιγώσαντες οὗτοι, κοιλίας καὶ βουβῶνας διαφοινίσσονται, οἷα πληγῇσιν ἐπῳδυνοῖσι, καὶ ἀποθνήσκουσι. 60

1 *Quibus artus sunt pustulis prærubris obsiti, velut ambustis, crebrò rigentes illi, per bubones & ventrem obsidentur puniceo, velut diuerberati; cum dolore, & moriuntur.*

Pertinen

PERTINENT hæ prognoses ad symptomaticam morborũ ἀπόστασιν, εἴτε κατ' ἀπόδοσιν, εἴτε κατ' ἐκροήν; vnde maiora ægris incommoda inferuntur, quàm à morbo; idque tum locis quà feruntur, & vbi subsistunt; tum ipsis quoque vnde venerunt, si eò recurrant, ac velut postliminio reuertantur. Ac prognosi quidem, superiorem præcedente, lumborum à frigore & grauitate occupatorum scriptus est transitus, vel ad ischiadem, vel ad nephritidem, vel ad inuitam vrinam, quæ est Græcorum στραγγουρία. Citima huic altera, symptomata continet inferatum partium vitiatarum, ex quibus, maligni humoris palindrome fit intrò sursum. Hæc autem, ichoris maligni, venenati, & efferi collectionem modicam in artubus, imparem morbo vnde manauit; tum feritatis ipsius documentum ostendit: mox inde nouam ἀπόστασιν peioris cacochymiæ, non ita procul à foco in partes, vnde facilis παλινδρομία est atque funesta. Quæ omnia cuiusmodi sint, hoc stylo aperiemus.

QVIBVS] Maligna febre ac pestilenti correptis & occupatis: quam genuit ichor malignus & putris à tempestate austrina, cum densis nimbis & æstu coniuncta: vnde concipitur τὸ θερμὸν συντηκτικόν, vt Galenus ait, quo sæuus ichor, substantiam partium labefactat. Quale Hippocrati visum est illud rheuma, de quo hæc scripsit. Ἦν δὲ καὶ ῥεῦμα συνεστηκὸς, οὐ πύῳ ἴκελον, ἀλλ' ἑτέρη τις σῆψις, i. *Erat autem rheuma consistens, haud puri simile sed alia quadam putredo.*

6. Epid. Epid. Part. 3.

ARTVS SVNT PVSTVLIS OBSITI, VELVT AMBVSTIS] Ab ichore maligno illuc expresso, cuius collectione omnes exoriuntur pustulæ, tam latæ, quàm tuberosæ, quas edit vel coloratio circumscripta; vel circumtensio cutis ipsius: vnde apparent illa, quæ tum phlyctænæ & phlyctænides, tum phlyzacia, tum exanthemata, tum ecthymata Græcis dicuntur. Ac circumtensa cutis est, atque, vt ita dicam, bullata, erodendo vel amburendo: quod fit à crassiore ichore. Coloratio autem, nec tuberosa, sed velut stellata siue stigmatica, sero imbuta tenuiore. Sunt igitur in hac sententia pustulati articuli, pustulis prærubris obsiti nigricantibus & crustam vertice gerentibus, quæ sunt pustulæ αἱ θερμώδεες, quarum generationem & ortum recensuit lib. 2. Epidem. Cùm densis plueret nimbis, collectos fuisse sub cute ichores, qui pruritum excitabant, ἐπὶ δὲ πυρικαύστοισιν ἐοικυῖαι, i. *pustulas, ambustis similes.* Sunt autem hæc pestilentis morbi propria, à sanguine, substantia sua vitioso, & atra bile multa conspurcato, originem ducentis. Proponuntur verò ab Hippocrate in exemplum, vt ab illis petatur æstimatio ecthymatum reliquorum. Si fœdant cutim, vt morbilli quos stigmata antè nominauimus, si ipsam bullant, sed albicant, nec dura sunt admodum, nec acuminata, vt variolæ quas Sileno non admodum pruriginosas esse dixit; critica esse vt plurimùm, maximéque pueris quibus ἐκθύματα saluti esse, sect. 2. 6. Epid. vt supra retulimus, annotauit: symptomatica si fuerint: at non esse tam grauis morbi, quàm hæc quæ pestilentia sunt; ac sanè mortifera si consecutionem habeant eorum quæ sequuntur.

CREBRO RIGENTES ILLI] Id enim τὸ ῥιγοῦν significati esse, suprà sæpe monuimus, & comprobauimus; illud insuper docentes, esse ad mortem fatale, si à vasis eiusmodi fuerit: vt hic profectò est, vbi empyema non subesse ponitur: sentitur autem, natura deuicta, humorum celera & effrænata vis, cum paulò ante mortem, vel paulò post.

PER BVBONES ET VENTREM OBSIDENTVR PVNICEO, SIMILITER VT DIVERBERATI] Puniceus color est, flammei & rubri coloris in nigro, inquit Aristoteles 3. Meteor. Sanguis igitur natura rubens, dum ardore nigrescit, colorem exhibet puniceum. Nigrescit autem hic, vt iam diximus, & cùm venis conclusus tenetur, & cùm per rigorem erumpens, in inguinibus & ventre subsistit, quæ loca sunt foco impuritatis propinqua: quam notam obseruatam esse cupio abscessus non boni, vt scilicet prope à morbi domicilio abiit. Puniceo colori proximus est liuidus, & in eum transit morte adueniente. Corpus enim, inquit Galenus, viret, nigrescit, liuet, sanguine perfrigerato: quod est mortiferum. Quòd talis diuerberatorum sit color, quòd syderati sic colorati dicantur, audiuimus vatca in illo. *Quibus peripneumonicis, pulmonum sic inflammantur aorta, vt costis hæreant, illis ante interitum liuida videntur ossa. Hos antiqui appellabant ictos.* Bubones autem intelligo inguina: sed & ea in tali casu, vnde liuent, inde etiam tument, atque in tumores assurgunt, quibus à loco, bubonum est nomen.

Coac. 32. c. 16. 1.

2 Τὰ ἰκτερώδεα, οὐ πάνυ τι ἐφαιοθ ανόμενα, οἷσι λύγγες· κοιλίαι καταῤῥήγνυνται· ἴσως δὲ καὶ ἐπίστασις· οὗτοι ἐγχλοιοῦνται.

Quicumque icterici, nec inde admodum quid sentientes, oborto singultu, iis alui prorumpunt: fortaßis autem & ipsa sistuntur; virore saturo colorantur.

EST QVOQVE hoc phyma symptomaticum vniuersi corporis, quod diffusa, veriùs quàm effusa, bile per totam compaginem, ictetus nominatur: quia colorem exhibet similem auis illius vnde nomen accepit. Nam qui effusa bile in morbis acutis, nec ante septimum diem, apparet; idque cum hypochondrij æqualitate, belléque coloratis vrinis, ac deiectionibus figuratis, & mollibus, duce natura exoritur, & lege critica morbum exoluit. Sed bilis diffusæ per habitu corporis, vnde icterus nascitur symptoma-

ticus, multæ sunt causæ quas ita complexi sumus. Vna est dira veneni vis, potione vel morsu immissa: altera morbi orgasmus: tertia hepatis oppilatio, inflammatio, scirrhus. Quæ tria hepatis vitia, duritatis nomine intellexit præceptor cùm ait. Ἐν τῷσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι πονηρόν, i. *Ictericis hepar durum esse, pestiferum.* [aph. 42. 6.] Est igitur omnis ictericorum ratio, diuisa in criticam & symptomaticam: vt ex ictericis, alij quidem eiusmodi sint criticè, alij verò, symptomaticè. Ac sanè ictericis bene est ab ictero critico qui attulit finem febris. A symptomatico autem, malè: quoniam nulla ἐπιφάνεια vel συμπάθεια, deducit causam morbificam: sed multò maiorem subesse testatur. Atque illa bilis effusio siue diffusio, phyma est [lib. 3. περὶ ἄρθρων] vniuersale quod occupat totam compaginem, idque continuum; non autem locorum interuallis distinctum, vt posita modò ecthymata, vel exanthemata cutis bullatæ. Sed icteri critici nulla hic mentio. Ad symptomaticum pertinet instituta prognosis.

Qvicvnqve icterici] Græcè est, τὰ ἰκτερώδεα, i. *quæ sunt icterica*; vel, quibus fœdata cutis est, bile per eam diffusa, fixáque firmiter, quò affluit continenter, ob perennitatem causæ ictericæ. Talis enim ratio est icteri symptomatici, non autem critici, quem cita edit μετάστασις ad cutim, nec ampliùs eò ventura, fonte impuritatis exhausto, quæ est Hippocratis ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσία, vel, vt Galenus in- [sent. 1. part. 3. 6. Epid.] terpretatur, ἡ τῶν μοχθηρῶν χυμῶν πλεονεξία, i. *prauorum humorum nimia abundantia.*

Nec inde admodvm qvid sentientes] i. Quibus ab ictero accidit quædam segnicies in officio faciundo, vel in appulsu τῶν αἰσθητῶν, i. *sensilium* excipiendo, stupor quidam & bebetudo. In prorrhetico sententia hæc si expressa est ab authore. Κακὸν δὲ καὶ ἐπὶ ἰκτέρῳ μώρωσις, i. *Praua est etiam quæ ca-* [prorrh. 13. s. 1. t.] *dit ob icterum fatuitas.* Vbi Galenus author est, eodem planè sensu hîc positam esse μώρωσιν, quo suprà legitur ἡ νωθρότης in deiectione alba phreniticorum. Cernitur autem illa νωθρότης, vel in corpore multùm graui & plumbeo, vel in effœto & languido. Graue est corpus & plumbeum, ab humore frigido, crasso, glutinoso, καὶ ὅλως δυσκινήτῳ, vt Galenus ait, i. *qui ægrè difficultérque cietur.* Est autem effœtum & languidum διὰ τὴν νέκρωσιν τῆς δυνάμεως, i. *emortua facultate.* Quæ cùm ita sint, authore Galeno, difficilis ad- [prorrh. supr. cit.] modum ratio est quare νωθρότης adiiciatur icterico. Nam calidus humor, qualis est bilis icterici, non est δυσκίνητος: sed contrà εὐκίνητος. Quòd si emortua facultate accidat illa νωθρότης quæ facit τὴν ὑπόρ-ῥυσιν, cùm scilicet homo subinde ad pedes delabitur, mortem in propinquo esse denunciat. Quæ ratio τῆς νωθρότητος, accessione non eget symptomatum mortiferorum, cùm ipsa per se ad inferendam mortem sufficiat. Quid ergo ictericum faciet νωθρόν, i. *in mouendo pigrum, & sentiendo hebetem?*

Hîc sanè implicitum me fateor difficultate maxima, quam exhibet mihi Galenus in sua distinctione causarum τῆς νωθρότητος, dum suo animo morem gerit, non veritati; vt prorrheticum illud expugnet quod modò adduximus de alba deiectione phreniticorum. Est quidem vera Galeni diuisio; sed vitiosa: quoniam imperfecta. Nam prætermissio est causæ cuiusdam, segnitiem inducentis, quæ mox proferetur. Nec verò satis appositè, nec verè quidem, dilemmate vsus est cùm ait; in dominatu bilis mobilissimæ, non posse adduci grauem νωθρότητα, cuius humorem necessariò esse decet δυσκίνητον. Quid enim? [prorrh. 60. s. 2. t.] nónne illud scitum est præceptoris? τὰ καυσώδεα μωρωτικά, i. vt ipse Galenus interpretatur, τὰ μώρωσιν ἐμποιοῦντα, i. *quæ fatuitatem adducunt.* Sed idem Galenus author est, τὴν μώρωσιν idem esse, quod ipsa νωθρό- [prorrh. 31. s. 1. t.] της apud Hippocratem in quibusdam prorrheticis. Ex quibus efficitur, eandem posse videri causam fatuitatis, & segnitiei, quæ sunt μώρωσις καὶ νωθρότης. Sed καυσώδη idem fatetur esse μωρωτικά, i. *fatuitatem* [prorrh. 60. s. 2. t.] *adducentia.* Sunt autem τὰ καυσώδη vt Galeno visum est, tum morbi ὀξέα, tum excrementa quæ faciunt [3. Epid. part. 3. in tempestate pestifera.] morbos acutos, quorum vel cita crisis est, vel etiam cita mors. Ergo si τὰ καυσώδη sunt μωρωτικά: similiter erunt νωθρώδη: quemadmodũ ipse dictator Hippocrates, fuisse narrat febres ardentes circa initia κωματώδεας, & paroxysmos ipsarum, coniunctã habuisse τὴν ἔκλυσιν, quam esse dicit Galenus τὴν οἷον ἔκλυσίν τινα καὶ πάρεσιν ἁπάντων τῶν μορίων τοῦ σώματος, i. *velut exolutionẽ & relaxationem quandam omnium corporis partiũ.* Quid verò? nónne huc spectat quod idem præceptor in phreniticis annotauit? Οὐδὲ ἐξεμάνη τῶν φρενιτικῶν οὐδείς, ὥσπερ ἐπ᾽ ἄλλοισιν, ἀλλὰ καταφορῇ νωθρῇ βαρέως ἀπώλλυντο, i. [3. Epid. part. 3.] *Nemo fuit omnium phreniticorum, qui ferocitatis excessum habuerit, vt in ceteris; sed veternosa quadam segnitie graues perierunt.* Ergo nihil vetat quo minus in regno bilis ictericæ, locum habeat ipsa νωθρότης: quoniam principatus neruorum humescit cum ictero, similiter vt cum phrenitide, & cum febre ardente quam veteres καῦσον dixere. Quòd aduocanda mihi est [aph. 5. 3.] sententia illa Galeni, quam de austrina segnicie scripsit his verbis. Τῆς ἀρχῆς τῶν νεύρων ὑγραινομένης, ἀναγκαῖον ἐστι καὶ περὶ τὰς καθ᾽ ὁρμὴν ἐνεργείας γίνεσθαι νωθρότητα, καὶ ὥσπερ διαλελυμένον ἐν ἑαυτῷ φαίνεσθαι τὸν ἄνθρωπον, i. *Madefacto neruorum principio, necesse est in iis, quæ sponte nostra eduntur, actionibus, segnitiem quoque oriri; tum veluti exolutum videri hominem in seipso.* Quemadmodum autem principatus neruorum madescat ictericis, in promptu ratio est: quoniam, diffusa bile per totam compaginem, defraudatur cerebrum suo, vt [prorrh. 31. s. 1. t.] sic dicam, elementari calore & sale. Itaque sicut apparent χολώδεις ἔξω, ita sunt φλεγματώδεις ἔσω. Hinc μώρωσις illa ictericorum, & inde νωθρότης. Ad hoc valet plurimùm deiectio alba & pigra.

Oborto singvltv] Quem edit alui concussio, dum effera bile lacessitur & proritatur, quam ipsi transmittit fons biliosi humoris qui est in hepate inflammato, quod fecit ictericos multùm fœdatos, & satura bile fucatos. De quibus hæc scripta sunt à præceptore. Ἰκτεριώδεες κατακορέες ὀλέθριοι, i. *Icte-* [Coac. 38. 1. lib.] *rici multùm fœdati, pereunt.*

Iis alvi prorvmpvnt] In prorrhetico est, οἶμαι δὲ καὶ κοιλίαι καταρρήγνυνται τούτοισιν, i. *arbitror* [prorrh. 31. s. 1. t.] *autem quòd his profusè alui feruntur.* In Coacis autem sic. τάχα δὲ καὶ κοιλίη ταράσσεται τούτοισιν i. *Fortassis etiam his vitiatur aluus.* Nam ex perenni affluxu bilis in aluum ab hepate, vnde singultus, biliosa deiectio crebra est: quæ si protrepit ad stomachum sensus acerrimi, cardiogmum excitat, aluum sistit, similiter vt in iis [lib. περὶ τῶν τροφῶν, & 1. acut.] qui sunt πικρόχολοι ἄνω τῇ ἕξει, i. *qui habitu sunt biliosi sursum.* Talibus enim solet astrictior esse aluus.

Virore satvro colorantvr] i. Qui hepate inflammato sunt icterici, multùm illi

li primùm fœdati apparent, & satura bile fucati: quoniam diffusa bilis ab hepate inflammato, mera est, nec mitificando dilutior, qualis effunditur ad crisin ictericam, vel ad icterum criticum. Ac tales in eo ictero symptomatico, statim virore saturo colorantur: quoniam flauę bilis meræ, in viridem facilis mutatio esse solet. At qualis humor diffusus, talis & color est. Ac talem colorem icterici moribundi, vt dictum est, ita depinxit Hippocrates. Ἰκτερὸς ἰσχυρὸς δὲ οὗτος ὁ ἐξαίφνης, ὅστις ταχέως ἀποκτείνει· ἡ χροιὴ ἅπαν σώματος σφόδρα ἐστὶ χλωροτέρη, ὥσπερ οἱ σαῦροι οἱ χλωροὶ πέφυκασι· τοιαύτη καὶ ἡ χροιή, καὶ τὸ οὖρον ὑφίσταται, ὥσπερ ὄροβον πυῤῥόν. i. *Huiusmodi est icterus vehemens, & celeriter interimit. Color vniuersi corporis, velut malicorij est: viridis ad instar lacertorum: eiusmodi, inquam, est color, atque in vrina est hypostasis erobea.*

lib. περὶ χυμῶν.
lib. 3. περὶ νόσων.

COROLLARIVM.

Cautio Phlebotomiæ.

Τὰ κατὰ πλευρὸν ἀλγήματα, ἐν πυρετοῖσιν ἰσχυρῶς ἐστηκότα, ἄσημα, φλεβοτομίη βλάπτει· κἢν ἀπόσιτος ἦ, κἢν ὑποχόνδριον μετέωρον. Καὶ ἐν καταψύξει οὐκ ἀπύρους νωθρευμένους, αἵματος ἀφαίρεσις βλάπτει. καὶ δοκέοντες δὲ ἐπιεικέστερον ἔχειν, οὕτω θνήσκουσι.

melius ἀπυρέτοισιν.

Dolores qui latus inuadunt in febribus, æqualitérque ibi absque signis subsistunt; phlebotomia offendit: quamuis & cibi fastidiosus, ac tumido sit hypochondrio. Tum quibus perfrigeratio est cum torpore, nec febris expertibus sanguinem detraxisse nocet. Nam cùm sibi mitius esse putant, intereunt.

melius, febris expertibus.

VETVS quorundam opinio est; nullum dolorem lateris, nedum pleuritidem, nisi vnico phlebotomiæ alexiterio posse sanari. Ac sanè operæ precium est, nugarum audire garrulitatem, quarum ambagibus ipsorum vanitas solertissima est apud vulgus, omnique potior veritate. Sed audiamus dictatoris edicta, è tribunali sapientiæ ac veritatis medicæ. Sunt autem his verbis concepta. Τῶν ὀδυνέων ἐν πλευρῇσι καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν, εἰ μέγα διαφέρουσι, καταμαθητέον, i. *Dolores qui tum in latere, tum in pectore, tum alibi quoque sunt, an multùm cæteris antecellant, perdiscendum.* Quod est eiusmodi ac si dixisset. Quemadmodum partis cuiusque dolor, afflictionem eius denunciat: sic ipsa doloris idea, magnitudo, æqualitas vel inæqualitas, tum assiduitas vel intermissio, cuiusmodi sit ea partis afflictio planè ostendit. Ex cuius perspicientia, omnis prædicendi atque curandi ratio comparatur.

aph. 5. 6.

Ergo. DOLORES] Vel dolorifica mala quæ, distendendo ac proritando, sensionem inferunt rei naturæ tristis & permolestæ in sensorio & in sensu, αἰσθητικῶν, καὶ αἴσθησιν Græci vocant.

QVI LATVS INVADVNT] Parte dextra, sinistra, supera, infera; postica, antica: vbicunque scilicet concitatum rheuma subsistit; siue dolorem faciant τὰ ἔσωθεν, siue, τὰ ἔξωθεν, i. *quæ intrà sunt & intus lædunt; vel quæ extrinsecus incidunt.*

lib. περὶ νόσων.

IN FEBRIBVS] Fortasse meliùs, vt olim annotaui, *sine febribus*, vel *febris expertibus*: vt legatur ἀπυρέτοισι. Quæ lectio magis est κατὰ λόγον τῷ ὑποκειμένῳ πρὸς τὸ κατηγορούμενον, i. *conuenienter magis, ac veriùs, subiectum accommodat prædicato.* Nam lateris dolor cum febre, non ita respuit venæ sectionem, quàm sine febre. Itaque dolor lateris sine febre, videri nequit pleuriticus, qui numquam est febris expers. Nec verò ipsa febris vacuitas in dolore, suspicionem adfert pleuritidis, qualem excitasse dicitur primigenia febris in Anaxione.

ÆQVALITERQVE IBI SVBSISTIT] Græcè est ἰσχυρῶς: quæ dictio pertinet ad τὴν ὁμοιότητα, i. *ad æqualitatem* naturaliter constitutam partis cuiusque. Talis est illa cynanche quæ fortem strangulatum & ὀρθόπνοιαν infert τοῖς ἰσχυροῖς vel ἰσχυρῶς, i. *sine rubore ac sine tumore aspectabili faucium & laryngis.* Quò spectat & illud, ne plura consecter quæ sunt quamplurima. Τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῇ ἀλγήματα πνιγώδεα ἀπὸ κεφαλῆς ἀλγήματος ὀρμώμενα ὀλέθρια. i. *Qui cum æqualitate faucium dolorifici strangulatus, à dolore capitis concitantur, mortiferi.* Ex quo efficitur, dolorem hic positum qui latus inuadit, naturam pleuritidis non habere: quoniam in æqualitate lateris, quam illud ἰσχυρῶς declarat, nulla suspicio est inflammatæ membranæ costis intextæ, in cuius phlegmonica systrophe, ipsa pleuritis consistit. Sed vt concedam esse pleuritidem, si febris nulla est antegressa cuius propagatio ipsam fecerit (nam symptomatica nomen non habet febris, atque vanescit continuò, vt morbus vnde venit exoluitur) hæc autem pleuritis ἀσήμως καὶ ἀκινδύνως, sua sponte quiescit, quis ibi restat phlebotomiæ locus? Sed hæc dicentur postea.

hist. 2. Part. 3. 3 Epid. Coac. 3. & 8. c. 15. 2. Coac. 2. c. 10. 3.

ABSQVE SIGNIS] Quæ cernuntur in doloris idea quę non edit punctoriam acerbitatem, quæ propria est tunicæ inflammatæ à systrophe sanguinis, multa bile perfusi; nec tanta est grauis, aut etiam

tensiui molestia. Tum æqualis non est: quia per se ipse mitescit, vel artificio: idémque non est continuus, sed particeps intermissionis. Quæ omnia sunt ἀσυμβίβαστα pleuritidis, & nulla ὑπάρχοντα. Aut si concedam signa quædam esse pleuritidis verè ὑπάρχοντα, primùm quidem in punctorij doloris idea; cui adiiciuntur sicca tussis, difficultas spirandi, & febris: illa tamen non sint eximia in sua quæque idea, nec æqualitate contumacia, nec assiduitate plurimùm importuna; sed proritatæ partis moderatione, ac tensionis laxitate mitescant, cum tussi humida quæ fuerat antè sicca, ac permolesta: tum ipsa libertas spirandi restituatur per anacatharsin liberam & liberalem sputi, accuratè modica bile permixti. Hic certè.

Phlebotomia offendit.] Quoniam phlebotomiæ & pharmaciæ lex illa principio est sancita; vt loco adhibita, sint προφυλακτικὰ & alexiteria: at sine delectu, temerè & inconsideratè, ἀναιρετικὰ & deleteria. Sed in dolore lateris, qui nec idea pleuriticus dici potest, inflammata membrana costis intexta, quod ipsum declarat ἰσχνῶς; nec magnus est vehementia, nec æqualis contentione, nec assiduitate implacabilis; ac neque est ἔγγονος febris, neque ipsius ἔκγονος; exoritur autem à prolapsu catarrhi, non ab orgasmo sanguinis: in eo, inquam, dolore, phlebotomia nullam vim habet detrahendi τὸ ῥεῦμα ὁρμώμενον, i. concitatum; nec detrahendi συνιστάμενον, i. consistens. Ergo nec iure, nec loco, ad eum dolorem præscribitur, phlebotomia: proptereáque tantùm abest vt aliquid opis adferat, vt plurimùm noceat: quia multùm adiicit catarrho, ipsum gignendo per frigus, eundémque ciendo per infirmitatem potentiæ retentricis quam infert.

Nam de pleuritide, cui summo iure deberi sectionem venæ clamant omnes sophistæ; illud præceptum est à dictatore summo; ei tantùm pleuritidi, iure & loco, proptereáque conuenienter, præscribi, quæ attingit clauiculam, cum grauitate brachij, atque ipsius mammæ; nec fotu minuit, manétque sicca & sputi expers; ob eámque causam doloris ideam habet punctoriam, magnitudine peracerbam, æqualitate similem, & assiduitate grauissimam. Quæ omnia coniunctam habent siccam tussim, febrem assiduam, cum spiratione multum difficili. Et quoniam in eo cruciatu sæui doloris pleuritici, & summa difficultate spirandi, omnia solent esse mortifera, nisi dolorificum malum, id scilicet quod intus lædit, exeat citò foras; hoc est systrophica inflammatio tunicæ costis intextæ; hic venæ sectio, & liberalis detractio sanguinis, verum est alexiterium quo ipsi pleuritici, periculo defungatur. At si pleuritis infera sit, rheuma consistens non detrahet phlebotomia. Hic pharmacia est opus quodammodo mochlica. Qualem præceptor instituit ex peplio & veratro, quæ simul mixta, ἐμμηναγωγὸν esse dicit, omniúmque quæ nouerat, præstantissima; plurima autem nouerat. Non enim hæc duo præscripsit inopia pharmacorum, vt scioli arbitrantur: sed meliorum delectu.

2. acut.

Sed reuertor ad superam, cuius quidem sic comparata est ratio, vt si tum ex facili, tum citò & liberaliter exurgetur, ac sputo flauum exactè permixtum sit; tum careat omni excursu quem cier febris, omníque coriza, & vrinarum bella sit coloratio; phlebotomiam non exigat: sed respuat potiùs & auersetur: quoniam detrahendo sanguinem, sputum, quod omni arte ciendum erat, rettahitur, ipsáque sistitur anacatharsis, quæ liberalis erat & libera, quæque ipsa per se facit vt nihil opis requirat pleuritis à medico: quia tum sua sponte quiescit. Ergo in tali pleuritide, per se sanabili, & phlebotomia periculum est: ob impeditam anacatharsin, quæ libertate spuendi & liberalitate, votis naturæ & medici respondebat: ne taceam lateris infirmitatem quam infert repetita carnificum phlebotomia: quandiu pleuriticus, liberali & libera fruitur expurgatione sputi, sanguine pauco permixti. Scitum est illud Hippocratis. Κωλύει δὲ τοῖσιν αἱματώδεα πτύουσι φλεβοτομεῖν, i. *Impeditur phlebotomia iis qui cruenta expuunt, pleuritis*. Causarum autem recensio clara est, modò scripta, cur in pleuritide vbi expuuntur cruenta venam secare non debeat omnis qui tenet scientiam medicinæ.

Ac si quem teneat cibi fastidium.] In cibi fastidio sine febre, ac sine repletione vasorum lumbarium venam secare non licet, nec expedit. Hæc enim ἀποσιτίη, i. *cibi fastidium*, symptoma est ventriculi exoluti quod annotauit in Pario cuius emortuam facultatem fuisse ait Galenus, vel est symptoma humoris praui è capite procumbentis in fauces, cuius inde prolapsu in aluum perturbata cietur, vitiata primùm appetendi potentia, vnde ἀπόσιτοι sunt ægroti, i. *ciborum fastidiosi*. Quæ ratio τῆς ἀποσιτίης continetur in illo Hippocratis, Κοιλίαι ταραχώδεες, ἀπόσιτοι. i. *Alui perturbatæ, ciborum fastidiosi*. Tale symptoma quod accidit vitiata vel emortua facultate stomachi naturaliter appetentis, grauissimum atque pessimum esse docet præceptor in omni calamitate febrium tritæophyarum quæ apud Thasios illis temporibus viguerunt Ac Pario fuit mortiferum. Hic venam secare, nihil aliud est quàm hominem iugulare; quoniam venæ sectio, periculi loco adiicit, ac viribus detrahit; ipsásque iam morbo fractas, ac genio defraudata per τὴν ἀποσιτίην collapsas, ad exitium planè præcipitat. Sin autem cibi fastidium, siue τὴν ἀποσιτίην inferat proritatio quædam ichoris quem genuit ipsa febris, vt ab eodem gignitur; vel qui prorepit è vasis lumborum ad ventrem, & inde ad stomachum qui est acerrimi sensus: hic sanè faciundum arbitror, quod ipsa per se natura dux optima, suo commodo experitur, & artificium præbet medico, ad imitationem sui comparandum. Itaque sicut natura hic promouet hæmorrhagiam: sic medici artificium esse debet, si ea desit, venam secare. Naturæ studia & crises in promptu sunt illis prognosibus. *Dolorifica in lumbis mala, sanguiflua*. Et. *In lumborum dolore prægrandi, cardialgiæ & cibi fastidia, signa sunt hæmorrhagiæ, tum futuræ, tum antegressæ*. Possem hic ego plura scribere: sed hæc sufficiant.

hist. 1. par. 3. 3. Epid.

3. Epid. part. 3.

1. Epid. part. 2.

Coac. 2. cap. 12. 2. Coac. 8. c. eiusd. & prorr. 3. f. 3. 1. aph. 73. 4

Et si quis habeat tumidum hypochondrium.] Græcè est μετέωρον, i. *quod in molem assurgit*. Sed eius meteorismi multæ sunt causæ, inflatio, inflammatio, scirrhus. Hypochondrium inflammatione tumidum, vt cæteræ omnes systrophæ dolorificæ, non nisi phlebotomiæ concedit, si desit hæmor-

desit hæmorrhagia [illegible] ac redditur insanabile, si quis antè operam purgationi dederit, quàm venam secuerit. Atque vt verba scribam, aureis digna literis, ex dictatore. Η [illegible] *i. Hic à phlebotomia ordiri oportet.* At meteorismi quem facit recens inflatio, cum borborygmo, vnica redintegrandi spes atque ratio, in purgatione consistit, nisi fortè natura pensum illud per se absoluat, sicut docetur in illa prognosi. *Tumores hypochondriorum sine phlegmone, recens obortos; tum inde natos dolores, exoluit borborygmus in hypochondrio excitatus, maximéque si exciderit cum vrina & deiectionibus: sin minùs, ipse per se traiectus. Iuuat etiam is qui ad inferiora deuoluitur.* Hic phlebotomia, pariter studet morbo, & naturæ bellum indixit: quia calorem minuit, vnde maior cruditas, quæ flatuum parens est quorum amplificatio meteorismum hunc facit, cuius exolutio perficitur flatu traiecto, vel ad partes inferas deuoluto, duce natura; vel medici artificio, qui eam cruditatem oppugnat, facultatémque excitat peristalticam intestini, clystere, carthartico, atque fotu. Ac sanè cruditatis victæ, & restitutæ virtutis peristalticæ intestini, signum est borborygmus. Quòd si borborygmus medendo, vt dictum est, non excitetur: quia indomabilis est cruditas in hectica intemperie frigida intestini, cuius tum actio nulla est peristaltica; ipse autem meteorismus assurgat cum sæuis torminibus, transit ad siccum hydropem qui cernitur in abdomine vtriformi, quod amplificatio spiritus flatulenti multùm distendit. Ad eum meteorismum nulla est æquitas venam secare, vt neque ad siccum hydropem

4. acut. Coac. 11. c. 11. 2. aph. 73. 4.

TVM QVIBVS EST FRIGVS TORPIDVM, NEC FEBRIS EXPERTIBVS, SANGVINEM DETRAXISSE NOCET.] Ad frigus torpidum detractio sanguinis perniciosa est in illa prognosi. [illegible] *i. Sanguinis detractio in perfrigeratione, pestiferum.* Est autem frigus torpidum, quod vel oppressione virium & caloris, ab humore frigido, crasso, [illegible] infertur; vel ab emortua facultate, & paupertate caloris viuifici. Ad neutrum frigus torpidum bene fit à phlebotomia. Nam huic quidem cita mors venit: illi autem, multum periculo adiicitur vt mox dicetur. Quod autem frigus est retracto calore à viscerum phlegmone, causo, & lypyria febre, adiunctionem non habet torporis siue [illegible]. Quale illud vidimus. [illegible] i. *Quæ in hypochondrius relicta supersunt incendia, extincto febris ardore, malum denunciant.* Hic sanguis, incisa vena, loco detrahitur. Sed in torpore graui & frigido, qui sanguinem detrahit, etiam prætextu febris, tam est in vitio, quàm si ægroto manus adferret: quia plus nocet, detrahendo calorem natiuum, quàm prosit, extinguendo febrilem. Sunt enim maiora vitæ incommoda ex paupertate caloris natiui & virium infirmitate, quam à febrili ardore. Propterea, quibus cum frigore torpido febrientibus, temeraria est phlebotomia, cùm sibi mitiùs esse putant, vacuitate febris quam attulit venæ sectio, moriuntur, extincto calore vitali, & suffocato à dominatu crudi humoris, frigus torpidum inducentis. Atque hi fato concedunt, vitámque finiunt [illegible], *i. differendo nec opinantes:* similiter vt alii qui proruptо sanguine, perhorrescunt in tremare. Nam si ex critica hæmorrhagia frigus eximium est lethale, quidni funesta erit detractio sanguinis quæ ad frigus torpidum adhibetur? Sed hæc sufficiant.

Coac. 18. c. 13. 2. prorrh. 13. s. 1. 1. prorrh. 7. s. 1. 1. Coac. 8. cap. 13. 2. Coac. 1. c. eiusd.

FINIS SECVNDI LIBRI.

COACARVM HIPPOCRATIS MAGNI PROGNΩSEΩN

LIBER TERTIVS.

INTERPRETE ET ENARRATORE

LVDOVICO DVRETO.

TRACTATVS PRIMVS

DE PROGNOSTICO CORPORIS,

omnibus morbis communi.

ΚΕΦΑΛΗΝ, καὶ πόδας, καὶ χεῖρας κατεψύχθαι, κοιλίης καὶ πλευρῶν θερμῶν ἐόντων· κακόν. βέλτιστον δὲ πᾶν ὁμοίως τὸ σῶμα θερμόν τε εἶναι καὶ μαλθακόν.

1. *Caput, & pedes, & manus perfriguisse, aluo, costisque æstu incandescentibus; graue malum. Optimum autem fuerit, vniuersum corpus æqualiter esse calidum atque suauiter.*

Omnis prædicendi ratio comparatur primùm ex comparatione similium ac dissimilium sui corporum in qualitate, actionibus, & excrementis Deinde verò ex causarum perspicientia, cur illæ res quæ fiunt, quæque apparent, huiusmodi sint aut illiusmodi. Distinctio enim signorum cur ita sint, quorsum illa quoque appareant, planè ostendit: ac veram instituit τέκμαρσιν morborum exitus præuidendi. Sed inter signa quæ cernuntur in corpore, prima occurrit qualitas aspectabilis atque tractabilis in calore, colore, charactere, & mole. Tot enim signa exhibet qualitas ipsa corporis, tam vniuersæ compaginis, quàm partium singularum. De calore igitur in hac prognosi. Ac primùm ponitur τὸ θερμὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον, *i. calor qui bellum indixit ac perimit.* Inde τὸ φίλον καὶ σῶζον, *i. calor amicus & salutaris*: vt intelligatur quantum inter vtrumque intersit.

Ergo. Capvt, et pedes, et manvs perfrigvisse.] Non quidem frigore critico, nec periodico quod est fugax & κατὰ λόγον, *i. natura conuenienter editur ad salutem*: quia inde morbi discessio est vel intermissio, si hemitritæum exceperis. Sed frigore symptomatico perfrixisse, nec eo quidem à paucitate caloris viuifici, cùm ad vltima ventum est vitæ: sed ex illius retractione à viscerum phlegmone, vel cùm ipsius impeditio est perueniendi ad extimas partes, quæ tantum habent caloris, quantum à corde viuifici nectaris, quo defraudantur cùm eius interceptio est à contumaci obstructione venarum micantium, quam vocat præceptor πνευμάτων ἀπόληψιν ἀνὰ τὰς φλέβας, *i. spiritus per venas interceptionem.* Nec verò frigus id leue est, sed eximium: nec pressum leuiter, sed firmiter fixum; aut certè, cum ἀξεῖ citâ febrilis ardoris vicissitudine. De qua illud præceptum est. *Extimarum partium cita in vtrumque mutatio, pestifera est.* Galeni autem iudicium est; quòd extincto vitali principio partium extimarum; exhausto etiã fonte caloris vitalis qui est in corde, fit vt cùm illæ partes perfrixerint, non ampliùs caloris viuifici affluxu recreentur: sed incandescant ardore fugaci, flammæ in visceribus accensæ appulsu; quæ cùm euanuerit; partes ipsas, vt priùs erant, marmore frigidiores relinquit. Atque illa perfrigeratio partium extimarum, est mortis propinquæ: quoniam in causa mortifera, quæ est in æstu quo viscera incandescunt, signum apparet caloris emortui Sed commemorata perfrigeratio in hac prognosi, non est caloris vitalis emortui: sed retracti, cuius retractio cernitur ex ardore vitalium partium, vel nutritiarũ, vel spirabilium; vt mox dicetur. Extimas autem partes hîc posuit, similiter vt in prognostico, caput, manus, & pedes. In Epidemiis dum signa recenset ineuntis causi lethalia, ἀπόψυχρα esse dicit τὰ ἄκρεα; vt ferè sunt pedes extremi, maximè verò manus. De capite autem sic ait: ἐφιδρώσιες περὶ μέτωπον, *i. sudatiuncula*

lib. 4. ἀφορισμ. [illegible] — Coac. 55. 1. lib. & prorrh. 22. s. 1. 1. — progn. 4. lib. 2. 1. Epi. par. 23.

rat circa frontem. Sed à visceribus inflammatis maior esse solet retractio caloris vitalis, quàm à venia febre ardentibus. Propterea in Epidemiis bene est, ἄκρεα ψυχρὰ, super causo: sicut in prognostico, ψυχρὰ ἐόντα, super visceribus phlegmone flagrantibus. At viscerum phlegmone conflagrantium notæ sunt.

Alvo costisqve æstv incanoescentibvs.] Non quidem copia & abundantia vitalis caloris eò retracti; cuius amplificatio quò maior est in aluo & costis, eò suauior & melior esse solet, qualem exposuit illa sententia præceptoris, αἱ κοιλίαι τοῦ χειμῶνος καὶ ἦρος, τῇ φύσει θερμόταται. i. *Alui sunt hyeme & vere naturâ calidissimæ*: sed ardore viscerum quæ illis adiacent, æstuantibus.

aph.15.1.

Grave malvm.] Fortasse mortiferum & funestum: quia viscerum, incendio conflagrantium tanta est è natura egressio, vt vix redintegratio esse possit: tum cessat eorum vitale officium, quo vitam carere non potis est; prætetea nectar viuificum citò absumitur, cùm eius deinceps nulla sit instauratio, neque à spiritu inspirabili, neque à sanguine. Quinetiam, sæui doloris cruciatu, vigiliis, alysmo, cum sympathia vicinarum partium & sociarum, crudeliter vitam finiunt, quibus cum ardore costarum & alui, extimæ partes frigore obriguerunt. Ac de caloris illius inæqualitate firmiter fixa & stabili, foris & intus, edicta sunt illa dictatoris. *In febribus quarum discessio nulla est, intus ardore, & foris frigere atque sitire, mortiferum.* Et, *in morbis acutis frigus partium extimarum graue est malum.* De qualitate autem caloris & frigoris cuiusmodi sit, vide Galeni commentarios tum ad prædictos aphorismos, tum ad prorrhetica 8.31. & 32 lib. 2.

aph. 48. 4. aph. 1. 7.

Optimvm avtem fverit.] Vel, vt Galenus ait, ἀρίστη κατάστασις, i. *optima constitutio* quæ ad salutem præclarè apparet & facit. Nam illud, ἄριστον ἢ βέλτιον (nihil enim refert apud Hippocratem) signo & causa est salutare: vt, ὑποχόνδριον ἄριστον μὲν ἄπονον, &c. i. *hypochondrium optimè constitutum.*

progn 8. lib. 2.

Vniversvm corpvs.] Tam intus, quàm foris, tota compagine. Pertinet enim ad id quod intus est atque foris in corpore, aphorismus ille. *Si corpus tuberculis obsitum est, cum excretione biliosa, intus ægrotat*, &c. Hic enim fœtura est phymatum quæ ipsum malè habet foris, cùm intus illi sit bene, si excrementa fundantur sanorum similia. Sic enim ait. *Tutum est, corpus tum alere.* Quod certè non faceret, si esset intus impurum. Nam *impurum corpus quò magis nutritur, eò magis læditur.*

aph.15.2. aph.10.2.

Ergo. Optimvm fverit vniversvm corpvs.] τὴν ὁλομελίην, i. *vniuersitatem corporis*, quam edit coagmentatio & œconomia viscerum nutritiorum, spirabilium, & animalium in sensu & motu: tum vero ipsa compago partium singularum in corporis habitu qui est foris. Quò spectat hic posita corporis vniuersitas quæ propria est partium tractabilium & aspectabilium. Optimum autem dixit, quod bonitate excellit in signo & causa salutis. Ac signo quidem, in bene morata œconomia vitali, tum spiritus, tum nutricatus: vnde viuacitas partium sustentatur, atque viuifico nectare recreatur. Non minora autem sunt argumenta salutis in qualitate corporis, quàm in actionibus & excrementis. In causa autem salutis illud est optimum, per quod illa commoda crisis optimæ comparantur, excretio & pepasmus. Est enim τὸ θερμὸν ὁμοῖον, οἰκεῖον καὶ φίλιον i. *amicum & salutare.*

Æqvaliter esse calidvm.] i. Calorem ideâ similem, & eundem pariter æqualitérque, toto diffusum habitu; idque continenter: nisi fortè sit critica aut periodica refrigeratio, vt iam posui, partium extimarum, vel vniuersi habitus. Ac talis æqualitas, vacuitatem indicat phlegmones retrahentis, & cacochymiæ malignæ, qualis est in lipyria febre, & cholera morbo: tum verò ipsa denunciat robur naturæ, sanguinis abundantiam, & meatuum libertatem. Quæ tria optimo iure sunt optima. Ergo in omni morbo, caloris æqualitas expetenda, qui non sit δριμύς; vt planum facit quod sequitur.

Atqve svaviter.] Græcè est, ὁμοίως θερμὸν εἶναι καὶ μαλθακόν, i. *similiter esse calidum atque molle.* In prognostico autem sic, θερμόν τε εἶναι καὶ μαλθακὸν ὁμαλῶς, i. *æqualiter calidum atque molle.* Hic nos aucupio τῆς ὁμοιότητος, verius quàm verborum, *æqualiter calidum* vertimus *atque suauiter*: vt illa suauitas intelligatur caloris diffusi æqualiter. Quod est eiusmodi ac si diceret. Expetenda caloris æqualitas quæ non est in causo & lipyria, nec illa tamen quæ est tractabilis per totam compaginem incendio conflagrantem in febribus perurentibus, quas vocant δριμεῖς: sed eam quæ blanda percipitur atque suauis æqualiter, tam in artubus, quàm in costis & hypochondriis; quorum nec aspera cute, nec rigida & mordaci, sed bene morata in calore suaui, percipitur solida & succi plena. Talis complexio præ se fert illud Hippocratis ἄριστον, vel, vt Galenus ait, τὴν ἀρίστην κατάστασιν: cuius ὑπάρχοντα signa, sunt bonitate eximia, cum vacuitate malorum quæ posuit in ardore costarum & ventris, cum frigore partium extimarum. Obseruabit autem studiosus, τὸ μαλθακὸν hic significare τὸ σύμμετρον τῆς ἀντιβάσεως, i. *mediocritatem renixus*, quam εὔογκον καὶ λαμπρὸν alibi nominauit, i. *solidum, succi plenum, atque tactu suaue*: quod nostrates dicere solent, *douillet*.

progn. 26. lib. 1. progn. 19. lib. 2.

2 Στρέφεσθαι δὲ ῥηϊδίως χρὴ τὸν νοσέοντα, καὶ ἐν τῇσι μετεωρισμοῖσιν ἐλαφρὸν εἶναι.

Oportet autem facilè conuerti ægrum, & alacrem esse in exurgendo.

Bene ast ægro dum manet virtus atque integritas trium principatuum quorum potentia regitur ipsa corporis vniuersitas. Ac sanè principatuum nutricatus, & vitæ, magna vis lucet in qualitate corporis quam posuit optimam, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων καὶ τῶν συμβαινόντων. Cernuntur τὰ ὑπάρχοντα, i. *ea quæ adsunt,*

quæque

quoque existum, in æqualitate ac suauitate caloris diffusi per totam compaginem: τὰ δὲ ἀπυρεξίῃ, in vacuitate ardoris costarum & hypochondrij, cum frigoris partium extimarum. Quòd si ad eam εὐτακτον εὐταξίαν, quam edit vitale officium cordis & hepatis; facultatum etiam principatus, qui est in cerebro, lumeo affulgeat, in ratione, duce & comite motus alacritate, cum sensuum integritate omni; votis medici respondebunt ad bonam valetudinem conquirendam & redintegrandam, è naturæ norma egressam. Sic enim comparata est ægri ratio in quo hæc fiunt atque apparent, vt in virtute naturę spes optima sit contra vim morbi. Ac salus vitæ in promptu est, simulatque natura triumpharit de morbo: sicut mors in propinquo, triumphata natura. Sed eam de morbo triumphaturam certissima securitas est, iis præditam commodis quæ pugnant cum morbo, vitámque ipsam tuentur ac sustinent. Hinc veniunt pepasmi & crises.

Ergo. OPORTET AVTEM.] Quod est eiusmodi ac si diceret: præter constitutionem quam exhibent medico τὰ ὑπάρχοντα, naturaliter constituta in calore, colore, charactere, & mole totius compaginis; quorum omnium causa est vitale officium cordis & hepatis; expetenda quoque integritas facultatum actionúmque omnium, quæ partim sunt in principatu cerebri, partim ab ipso veniunt. In cerebri domicilio sunt actiones quæ ἡγεμονικαὶ, i. *principes* nominantur. A cerebro autem motus & sensus: Ac motu & sensu opus est ad vitam tuendam, quorũ vt status melior est, eò firmiora sunt vitæ præsidia. Nã ἡγεμονικὰ sunt vitæ humanæ diuinitus institutæ, non animalis, quam animalitas ipsa conseruat. Vt enim vitale officiũ cordis & hepatis, ministrũ est animalitatis: sic animalitas ipsa inseruit dicata œconomiæ spiritus & caloris viuifici respirando. Itaq; συνεργοῦσιν ἀλλήλοις εἰς τὸ ἀγαθὸν i. *mutuò inter se certant, mutuásque tradunt operas ad ægri salutem.* Ac si conspiratio vtriusque, par pari referat in iuuando; res ægri tam bono sunt loco; quàm dictum est à præceptore his verbis. ἐν παντὶ νοσήματι τὸ ἐρρῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς ἀγαθόν. i. *In quovis morbo, mentem valere ac cibis gaudere, bonum est*, vel, *præclarè ad salutem facit atque apparet.* Magna sunt igitur commoda potentiæ animalis in liberi motus officio, ad fœlix faustúmque prognosticum. Sed illud motus officium vegetæ animalis potentiæ, primum in decubitu & spiratione apparet. De spiratione dictum est alibi. Decubitus autem, conuenienter naturæ in validis viribus bene compositi, hæc prima lex à præceptore sancita est. aph. 44. 2.

FACILE CONVERTI ÆGRVM.] Vel sua sponte in latus vtrumque, vel inuitum; etiam si teneatur alysmo, vt expedito motu, loci & figuræ impatiens, suam denunciat εὐφορίαν: non autem sit δυσφορος, vt esse solent quibus fractæ sunt vires: propterẽáque suo stare loco inuiti coguntur diu multúmq; anxij. Vnde significatio fit prægrauidis morbi, & virium effœtarum. Sed expedita conuersio, quæ vel iussa est ægri sponte, vel inuita in εὐφορίᾳ, virtutem ostendit τοῦ φέροντος. i. *facultatis quæ portat*, & solidum corpus φερόμενον *quod portatur.* Si enim Diocles, authore Galeno, corporis fabrificationem statuit ἐκ τοῦ φέροντος καὶ τοῦ φερομένου. Portantis robur est in expeditione cita τῶν ἐνορμώντων, i. *intus cientium*, nem spirituum qui facultati motem gerunt. Solidum verò corpus in obedientia musculorum atque nerorum, quorum effœminatio par esse non potest quantumvis validæ facultati. Ergo salubre est corpus εὐκίνητον in omni febre acuta, quod morbo resistit, nec oppugnatum fortiter, expugnatur. Tum illud est ἀγαθὸν signo & causa, vbi conspiratio est æqualis ad motum τοῦ φέροντος. i. *portantis*, in ciendo: tum φερομένου. i. *portati*, in obediendo. Sed illa æqualitas conspirandi ad motum, ciendo & obediendo, lucet splendétque in eo quod sequitur. progn. 2. lib. 1.

ET ALACREM ESSE IN EXVRGENDO] Nam talis alacritas in exurgendo, maiorem ostendit vim atque robur cientis potentiæ, & promptiorem obedientiam corporis quod mouetur. Est enim maior contentio in meteorismo, quàm in decubitu. Nec tantæ virtutis est, nec virium tam validarum, decumbendo ægrum conuertit ex facili; quàm edere meteorismum, alacriter exurgendo. Omnis ergo qui sua sponte exurgit alacriter, τεκμήριον exhibet tum vegetæ facultatis, tum solidi corporis. Atque alacritas illa in exurgendo, complectitur τὸ ἰσχυρὸν καὶ τὸ ἀσυμπτωτον corporis, planè virium integri, & vacui infirmitatis, quam ipsa denunciat νωθρότης καὶ ἔρριψις. Est autem νωθρότης in δυνάμει corporis multùm oppressi: quam facit etiam ἐκλύσεως τῆς δυνάμεως, i. *facultas emortua*; vnde ipsa quoque fit ἔρριψις, cùm scilicet æger subinde ad pedes delabitur, nec ampliùs fruitur beneficio decumbendi. Reuera enim decubitus ipse perficitur officio facultatis. Ἔρριψις autem, pondere graui corporis quod ampliùs regi nequit magisterio & virtute τοῦ φέροντος, emortua facultate. Vide Galenum in prognostico. Ac super meteorismi nomine, alibi multa scripsimus quæ nihil necesse fuit huc transcripsisse. prorrh. 13. l. 1. progn. 2. lib. 2.

3 Βαρύτης δ' ὅλου τοῦ σώματος, καὶ χειρῶν, καὶ ποδῶν πονηρόν.

Grauitas autem totius corporis, manuum item ac pedum: pestifera.

Sic in prognostico 7. lib. 2.

Εἰ δὲ βαρὺς ἐὼν φαίνοιτο, τότε ἄλλο σῶμα, καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας, ἐπικινδυνώτερόν ἐστι.

Sin autem grauis admodum videatur, tum reliquo corpore, tum

verò manibus atque pedibus; id multò periculosiùs ipsum habet.

BENE MORATI corporis, benéque constituti argumenta sunt τὰ ὑπάρχοντα bona in qualitate ipsius corporis, & facultatum virtute qua regitur ipsum corpus, cum vacuitate malorum quæ in vitio esse testentur τὸ φέρον καὶ τὸ ὀχούμενον, i. *id quod portat & quod portatur.* Atque illa τεκμήρια bene habiti corporis, bene res ire ostendit ipsius ægroti, nec dum naturæ præsidia sic occupari à morbo, quin contra vim eius, vires opponant cum spe salutis & securitate. Secus est illi cum spe angusta, quem velut constrictum detinet totius corporis artuúmque omnium grauitas quædam plumbea, cum aspectabili qualitate partium extimarum contra naturam. Ac primum quidem perceptum est de grauitate: alterum verò de qualitate. Est autem perceptum hoc grauitas quam opponit alacritati, & expedito mortui in conuertendo & exurgendo.

SIN AVTEM.] Quod est eiusmodi ac si diceret. Vt bona sunt illa corporis τὰ ὑπάρχοντα in qualitate & actionibus quæ proximè absunt à norma & præscriptione naturæ: sic mala sunt illa in quibus apparet prægrandis ab illo naturæ statu egressio. Sunt autem.

GRAVITAS.] i. Plumbea velut moles & sarcina quædam penè immobilis, quæ est huiusmodi, non tam mouendi ponderis contumacia, quàm eius quod mouet, i. facultatis infractione. Hoc tamen perceptum est vtriusque νωθρότητος: quarum altera est grauitatis à crasso, frigido, & contumaci humore quem Galenus vocat δυσκίνητον: altera verò ἀπὸ τῆς νεκρώσεως τῆς δυνάμεως, i. *ab emortua facultate.* Sed illa νωθρότης posita in grauitate, primùm & per se est causæ morbificæ, vel aduentitiæ multùm & grauiter opprimentis naturam: qualem fuisse narrat Hippocrates τὴν ἀτονίην τῆς ἕξιος, i. *laxitatem corporis* in paroxysmis ardentium febrium pestilentiæ. Altera verò νωθρότης, ab emortua facultate, est morbi sæuissimi iam triumphantis de ipsa natura.

Prorrh. 13. s. 1. l. 3. Epid. part 3.

TOTIVS CORPORIS.] Quæ cernitur in pigra conuersione corporis quod iacet in lecto, vbi nulla suspensio est, nec meteorismus: sed tantum simplex decumbendi mutatio in latus alterutrum. Talis mutatio decumbendi facilior est, quàm meteorismi. Nam in decumbendo firma est basis, cui sufficit ad mouendum ipsa mouentis potentia. Sed ipsa meteorismi alacritas, firmam ostendit virtutem mouentis potentiæ, cum pari coniunctam corporis obedientia. Totius autem corporis grauitatem posuit in spinæ carina quæ decumbendo ægrè conuertitur, ac hic vix quidem. Subiecit autem.

MANVVM ITEM AC PEDVM.] i. Artuum omnium, quorum vis lucet potissimum in meteorismo Ac manuum quidem, cibum capiendo atque bibendo: tum palmas tollendo ad sydera, dextrámque amici dextræ iungendo. Nam cæterarum rerum quarum ministræ sunt manus, vacatio esse solet in morbis, nisi fortè scribendum sit. Hîc si non potis est manus attollere lecto altius, aut si ægrè tollantur & contremiscant: ipsi autem pedes proiecti iaceant ad extremam spondam delapsi, nec modicè fiat reflexi: tum verò standi omnis, progrediendi, atque sedendi virtus adempta sit, si fortè surgendum ad subducendam aluum; cui nec manus, nec lumbi sunt auxiliares natibus erigendis ad summittendam in lecto peluim egestoriam; magna est illa grauitas virium effœtarum: proptereáque pessima, vt certè est omnis νωθρότης quæ accidit ἀπὸ τῆς νεκρώσεως τῆς δυνάμεως: de qua iudicium est Galeni, seruari posse neminem qui ea de causa sit νωθρός.

Prorrh. suprà adducta.

4 Εἰ δὲ καὶ πρὸς τῷ βαρεῖ ὄνυχες καὶ δάκτυλοι πελιδνοὶ γίνονται· προσδόκιμος ὁ θάνατος αὐτίκα.

Quòd si præter corporis artuúmque omnium grauitatem, vngues liuent ac digiti; mors in propinquo est.

VERISSIMVM illud est quod sæpe iam posui. Quò plures naturæ principatus in vitio sunt, eò peius ægroti res eunt. Ergo si collapso principatu animalitatis, quæ iam effœta cernitur in pigro motu & sensu obscuro, vitale officium ipsáque virtus viuendi cesset in corde languido, caloris viuifici & spiritus vacuo, ac ne vix quidem micante, cita inde suffocatio est, & vitæ extinctio. Tantæ autem calamitatis signa syllogistica hîc ponuntur.

QVOD SI PRÆTER CORPORIS ARTVVMQVE OMNIVM GRAVITATEM.] Quæ cernitur in decubitu qui ægrè mutatur in studio conuertendi; tum in difficili meteorismo per exurgendi conatum: idque non tam mouendi corporis artuúmque contumacia, quàm impotentia facultatis, vnde ipsa νωθρότης, ἀπὸ τῆς νεκρώσεως τῆς δυνάμεως.

VNGVES LIVENT AC DIGITI.] Non quidem liuore quem infert ἐκχύμωσις ἢ ναυσίωσις, i. *expressio sanguinis è venula nauseabunda in cutim,* qualis apparet in oculis sugillatis, & calce perfracto sed ita liueant, quia perfrigerati: perfrigerantur, emortui: emoriuntur autem, per extinctionem viuacitatis in vitali principio, & paupertatem extremam viuifici nectaris, à corde exhausto. Quæ liuoris ratio adduxit Hippocratem, vt ratum esse voluerit, persuasúmque omnibus, non tarò in nigris digitis, minus quàm in liuidis, periculo locū esse: quia sæpe illi nigrescūt ἀπὸ τῆς ἐκχυμώσεως, quā sanat amputatio, semper autem liuent, ἀπὸ τῆς νεκρώσεως, i. *extincto calore vitali,* cuius extinctio est irreparabilis: quoniam à priuatione ha-

lib. 2. περὶ ἀγμῶν.

Progn. 9. lib. 2.

tione habitus denuo comparari non potest. Propterea sic prædicit.

Mors in propinquo est.] Quæ in priuatione caloris natiui per extinctionem aut suffocationem consistit. Vnde igitur significatio fit extincti caloris, inde certa mors atque cita ostenditur. Est autem in propinquo, nec dum adest: quia nondum ventum est ad vltima extinctionis, cùm primùm apparent signa in vnguibus, qui & procul absunt à fonte caloris, & sunt nitentes atque pellucidi: proptereàque celeriores & apertiores eorum maculæ, quàm partium cæterarum. Nouissima erit in fonte caloris extinctio, ac breui temporis interuallo, ab vnguibus liuidis: ac tum cita mors veniet, idque ad punctum temporis.

10

Hæc prognosis adducta est è prognostico, sicut ibi legitur; idque, vt visum est, meliùs quàm hic.

5 Μελαινόμενοι δὲ παντελῶς οἱ δάκτυλοι καὶ πόδες ἧσσον ὀλέθριοι τῶν πελιδνῶν εἰσίν. ἀλλὰ καὶ τὰ ἄλλα σημεῖα σκέπτεσθαι χρή. ἢν γὰρ εὐπετέως φαίνηται φέρων τὸ κακὸν, ἢ καὶ ἄλλό τι τῶν περιεστηκότων πρὸς τουτέοισι σημείων ὑποδεικνύει, τὸ νόσημα ἐς ἀπόστασιν τρέπεσθαι ἐλπὶς ὥς τε τὸν μὲν

20 ἄνθρωπον περιγενέσθαι, τὰ δὲ μελανθέντα ἀποπεσεῖν.

Qui autem penitus nigrescunt digiti atque pedes; minùs perniciosè habent ægrotum, quàm liuidi. Sed alia quoque signa spectare oportet. Nam si malum illud ferre alacriter videatur, aut si quod aliud præter hoc signum salubre ostendet; spes est ipsum morbum in apostasin abiturum: adeo vt ipse quidem superstes sit homo; excident autem ea quæ nigredinem contraxerunt.

30

Quæ mala sunt orta à malis, pessima esse solent signo & causa, siue κατ' ἔμφασιν siue κατ' ἀπόστασιν oriantur. Ac sanè malum est è malis ortum, sanguinis stillicidium die quarto è naribus. Mala est etiam dysenteria, causa & signo, atrabilaria. Sic mala sunt ἐπ' ἀποστάσει, phymata dura & dolorifica, quæ ὑπερῥίνως ἢ ἀναρρίνως assurgunt. Sed illa demum quæ mali speciem præ se ferunt, non sunt reapse mala, si veniant ἐν τῷ χρηστῷ, vt quodam loco scripsit Hippocrates. Huiusmodi sunt ischuriæ criticæ ac

40 sudorificæ. Possem hîc ego, perinde ac idoneum nactus locum, exemplis lectorem obruere. Sufficiet illud quod positum est in hac prognosi, quod excellentia & perspicuitate cætera vincit omnia quæ aduocari possent. Quid enim peius est ipsa specie in qualitate corporis, quàm digitorum & pedum nigredo? At semper non est mala reapse, si veniat ἐν τῷ χρηστῷ duce natura, lege critica, finem morbi adferent vnde venit. Distinctio autem boni & mali, vt ad vtrumvis nigredo apparet, sic adhibenda est.

sent. 10. part. 1. 6. Epid.

Qui autem penitus nigrescunt digiti atque pedes.] i. Qui vltra liuorem processerunt colore, vt iam nigredine satura, non autem fuligine sint fucati. Cur autem nigrescant penitus, mox dicetur.

Minus perniciosi sunt liuidis.] Sanè quidem: quia non semper sunt perniciosi, vt liuidi. Nam sæpe illi nigrescunt penitus ἐν τῷ χρηστῷ, merito ipsius naturæ: proptereàque plus ha-

50 bent salubritatis, nisi palindromen moueant, vel ex gangræna periculo sit locus, quod medici est arcere: liuidi autem per se iam mali, non liuent nisi ex malo quod est in emortua viuacitate, & in extincto calore viuifico. Itaque maior periculo locus est in signo liuoris: quia semper venit è malis per mala, proptereàque semper est malum. In causa autem nigredinis verendum est de palindrome & gangræna: quamvis bene venerit ἐν τῷ χρηστῷ, atque periculum morbi exacti sustulerit. Nam si è malis exorta est, longè liuorem pernicie ipsa præcedit. Ergo digitorum & pedum liuor in febre acuta semper apparet ad mortem citò venturam. Nigredo autem, si loco venit, nec extirpetur, causam infert interitus, vel sua palindrome, vel ipsa gangræna.

Sed alia quoque signa spectare oportet.] Quæ scilicet ex incertis, nos reddant certos compotésque consilij in iis quæ sunt ἀμφίδοξα, i. *ancipitis vel incerti iudicij*, qualis est digito-

60 rum & pedum nigredo, provt oborta est ἢ ἐν τῷ χρηστῷ, ἢ ἐν τῷ κακῷ, i. *integris ægri rebus, aut malis* vel ad spem salutis, vel ad interitum.

Nam si malum illud ferri alacriter videatur.] i. Si nigredo illa digitorum & pedum, leuationem adferat febris exactæ, nec eam quidem insidiosam, sed veram & criticam, cum vacuitate symptomatum malorúmque omnium, quæ vel à palindrome, vel à gangræna inferuntur. Nam criticorum abscessuum certa est crisis, nec aliter, cum salutariter exoluuntur: sicut parotidū

criticarum in empyemate : nigredinis autem criticæ in extima parte mutila quæ contraxit nigredinem, vt mox dicetur.

NAM SI QVOD ALIVD PRÆTER HÆC, SIGNVM SALVTARE APPAREAT.] i. Si præter alacritatem ἢ εὐφορίαν in toleranda partium extimarum nigredine, vel causa ipsius, quam edit humoris morbifici ad partes illas ἀπόθεσις copiosa quæ ibi facit ἐκχύμωσιν, vnde non exit per venulas admodum nauseabundas: si præter eam, inquit, alacritatem ægroti quam attulit critica, ἀπόστασις, quæ fonte morbi exhausto, sine reliquiis capacitatem nacta est perfecti abscessus, vnde alacritas ipsa est: aliud quoque signum salubre appareat in somni benignitate, cibi appetentia, libertate spirandi, doloris & febris vacuitate, cum vrinis belle coloratis, ac deiectionibus figuratis & mollibus.

SPES EST IPSVM MORBVM IN APOSTASIN ABITVRVM.] Vel potiùs, certa securitas est obortam nigredinem humoris appulsu morbifici, non quidem semifluo, sed perfecto: vnde symptomatum omnium discessio est, ac signorum salubrium euidentia, per ἐπανόρθωσιν principatuum vitæ & animalitatis.

ADEO VT IPSE QVIDEM SVPERSTES SIT HOMO.] In quo redintegratio est vtriusque vitalis œconomiæ, videlicet nutricatus & spiritus, & in quo sunt commoda omnia, quibus vita hominum sustentatur, est autem superstes: quia per illam apostasin defunctus est morbo & vitæ periculo.

EXCIDANT AVTEM EA QVÆ NIGREDINEM CONTRAXERVNT.] Vt necessariò debent excidere vel amputari: quia hæc mortua, sunt inimica viuentis, ἢ αὐτὰ τὰ κτείνοντα, i. *quæ ipsum viuens interimunt*, quod semper impatiens mortui esse solet: nec vnquam quiescit, donec radicitus fuerit extirpatum.

Sic in prognostico, meliùs quàm in Coacis.

6 Ὄρχεις δὲ καὶ αἰδοῖα ἀνεσπασμένα· πόνους ἰσχυροὺς σημαίνει, καὶ σπασμὸν θανατώδεα.

Testes & pudenda contracta; sæuos dolores denunciant, & conuulsionem mortiferam.

EST QVOQVE hoc symptoma inualescentis morbi & virium effœtarum, proptereàque, doloris cruciatu, mortem citò infert crudelissimam, omnémque respuit medici diligentiam & industriam: quia tempus & occasionem præripit curationi. Tum illud citæ mortis periculo adiicitur, quod tam crudele symptoma, earum sit partium quæ principatus omnes naturæ adducunt facilè in sui contagionem atque sympathiam, iure omnis societatis. Vetus est illud Hippocratis. Ὄρχις εἰ οἰδήσας ἀπὸ βηχὸς ἀναμνήσιον κοινωνίης στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. i. *Cùm testis intumescit à tussi, memoriam renouat, societatis pectorum, mammarum, geniture, & vocis.*

Epid. par. 1.

Ergo. TESTES.] Siue δίδυμοι, *gemelli*, scroto conclusi, vasorum spermaticorum numerosa propagine velut pertexti: proptereàque molles, cauernosi, laxi, & rari, percoquendo semini, quod ab iisdem vasis per epididymidem & per parastatam accipiunt, à natura facti & sculpti, per quos amplificatio est caloris natiui: vnde vox plenior, dum manent solidi atque viuaces in prolifico semine faciundo.

ET PVDENDA] Quæ sunt, veretrum seu membrum virile, quod ab osse pubis producitur, ligamentis duobus raris, quæ ipsum efficiunt, illinc exortis, tactu exquisito præditis, quibus venarum atque neruorum multa est propagatio: musculorum item officia præstò sunt, tam intrò cundo, quàm irrigando fundum vxoris.

CONTRACTA.] Vel reuulsa, vt si obriguerint, & intrò retrahi videantur: testes quidem, conuulsis & inflammatis musculis qui secundùm vasa spermatica, ex hypogastrio ad ipsos descendunt, ipsísque adeo vasis, emortuæ iam facultati viuificæ & copias colligenti, nec ampliùs quicquam de suo impertienti, morem gerentibus: pudenda verò, inuita & violenta contractione vasorum, neruorum, & musculorum, sui quæque principatus vitio afflictorum, & commeatus inopia laborantium. Sic enim comparatum est, vt inter omnia μόρια, testes & pudenda eò magis laborent incommodis suorum principatuum, quò magis eorum commoda & officia ipsis necessaria sunt ad fundum prolis arandum cum spe fidissima procreationis.

SÆVOS DOLORES DENVNCIANT.] Quorum cruciatu fit illa partium συμπαθεστάτων retractio, qua vis naturæ maior inferri non potest. Hîc enim partium sensus acerrimi violenta retractio est, vitio insanabili principatuum. Atque illa retractio tollit naturæ præcipua duo solatia, quæ sunt ἡ ἡδονὴ, καὶ ἡ ὄνησις. Ambo tolluntur mutatione loci, quo ipsa norma & naturæ omnis præscriptio conseruatur.

ET CONVVLSIONEM MORTIFERAM.] Signo & causa. Ac signo quidem; collapsis omnibus naturæ præsidiis, commodísque ademptis quibus vita hominum sustentatur: causa autem; sæui doloris cruciatu: quo nihil est omnium quod magis faciat corpus infirmum, maiorémque adferat syntimoriam: maximè verò in hac genitalium retractione, propter sympathiam omnium principatuum: vt verè & appositè hic dici possit quod alibi de conuulsione nata ex febre scripsit Galenus. Οὐκ ἀναμένει τὸν χρόνον τῆς ἰάσεως ἡ σφοδρότης τοῦ νοσήματος, ἀλλ' ἐν τάχει καταλύει μὲν τὴν δύναμιν, ἐξάγει δὲ καὶ θάνατον ἐπιφέρει. i. *Tempus non expectat curationis, morbi vehementia: sed citò vires exoluit, & etiam mortem infert.*

comment. ad aph. 25. 2.

Sic in

Sic in prognostico, & melius quàm in Coacis.

7 Φῦσαν δὲ, ἄνευ ψόφου μὲν καὶ πέρδιος διεξιέναι, ἄριστον. κρέσσον δὲ καὶ ξὺν ψόφῳ διελθεῖν, ἢ αὐτοῦ ἀνειλέεσθαι· καίτοι καὶ οὕτω διελθοῦσα, σημαίνει πονέειν τι τὸν ἄνθρωπον, ἢ παραφρονέειν, ἢν μὴ ἑκὼν ὁ ἄνθρωπος οὕτω ποιήσηται τὴν ἄφεσιν τῆς φύσης.

10 *Flatum, absque sono quidem & strepitu traiici infrà; optimum. Melius autem fuerit, ipsum cum sono transire, quàm sursum reuolui: quamuis ita traiectus, denunciet inde vexari hominem, aut delirare; nisi prudens ac sciens talem flatus exitum moliatur.*

Vt respiratio, spiritus œconomiam bene aut malè moratam esse testatur in vsu, voluntate, & actionibus partium spirabilium: sic flatus aluini sursum deorsúmve traiecti, vel intus conclusi, nutricatus œconomiam cuiusmodi sit, ab officio partium nutritiarum quæ ipsam coquendo, distribuendo, & excernendo, absoluunt; syllogistica signa ostentant, quibus deducimur ad certam pro-
20 gnosin. Ac flatus quidem aluini non ita diu cunctantur, quin sedente medico è conspectu ægri, se prodant, vel ructu, vel crepitu, vel ipso murmure, vel sæuis torminibus. Sed flatuum infrà traiicientium, quænam cuiusque sit conditio in traiectu: tum autem quorsum illi sic exeant vel subsistant, cùm reuoluuntur sursum: id verò est quod ponitur in hac prognosi.

Ergo. Flatvm.] Πνεῦμα φυσῶδες, i. *spiritum flatulentum*, quem edit cruditas ab imbecillo calore, vel ζύμωσις μέλανος χυμοῦ, i. *fermentatio nigri humoris.* Sic enim visum est de aluinorum flatuum generatione philosophari, duce Galeno & Hippocrate, quorum ille sic ait. Πνεύματος φυσώδους τὴν γένεσιν εὔλογόν ἐστιν ἐπὶ ταῖς ἀπεψίαις. i. *Originem flatulenti spiritus consentaneum est duci à cruditatibus.* Hic verò sic ponit incommoda oxymelitis, Τὰ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται καὶ πολλαπλασιοῦται. i. *Ab oxymelle nigrorum est fermentatio, meteorismus, & amplificatio.*

lib. 2. prog.

30 Absqve sono.] Quem edit crassi humoris bullati crepitus, dum infrà deuoluitur atque traiicitur, per angusta viarum expressus. Sic enim de sono sternutamenti ait Hippocrates. Ταράσσεται γὰρ ὁ ἀὴρ, ὁ ἐνεὼν, ἔξω ψοφεῖ δὲ, ὅτι διὰ στενοῦ αὐτῷ ἡ διέξοδός ἐστι. i. *Aër vel spiritus flatulentus qui lædit intus, foras erumpit. Sonat autem, foras exire coactus: quoniam per angusta ipsi est exitus.* Atque hi flatus sonori dicuntur; in aluo quidem, διαβορβορύζοντες; in exitu verò, φῦσαι ψοφώδεις.

lib. 3. acut.

aph. 74. 4. & t. Epid.

Et strepitv.] Vel stridore potiùs, qui creber est sonis minutulis, cum liquidis excrementis à spiritu flatulento spumantibus. Atque ita visum est diorismum adferre stridoris & bombi, secuto Hippocratem, qui posuit in prognosi ψόφον καὶ πέρδιος: vt sanè hîc πέρδιος idem videatur quod τρυσμὸς, de quo illud scriptum est. εἰ δὲ εἴη ὑγρὸν τὸ διαχώρημα, ξυμφέρει μὴ τρύζειν, i. *Sin autem liquida deiectio est, profuerit non stridere:* tametsi Galenus author est, nomen illud *stridoris*, indicare τὸν ψόφον. Quod ipse
40 concedo: sed vti cum diorismo exposui. Erit igitur hæc φῦσα τρυσμώδης: vt aluinorum flatuum triplex omnino sit idea, σιγώδεις, ψοφώδεις, καὶ τρυσμώδεις.

Traiici infra, optimvm.] Non quidem ἁπλῶς optimum, præstantia τῶν ὑπαρχόντων, & opportunitate ipsa τῶν συμβαινόντων; vt apparet in aliis quæ sunt reapse optima: sed inter omnes optima demum est illa exclusio flatuum, quæ sine sono est, ac sine stridore: quia victrice natura fit, officio caloris natiui, primùm quidem humore sopiti, nunc autem suscitati atque potentis: cum libertate meatuum, & virtute integra peristalticæ functionis, vnde flatus ipsi traiiciuntur infrà & sine sonitu excluduntur: quod est imprimis expetendum in aluinis laboribus.

Melivs avtem fverit ipsvm cvm sono transire, qvam svrsvm revolvi.] Nam reuoluti flatus foras non exeunt: sed intus lædunt atque subsistunt. Ac subsistendi cau-
50 sa est, perennis à cruditate origo, & deprauata functio peristaltica intestini, quæ fit infernè sursum motu naturali contrario. Hinc sæua tormina, & crudelissimi cruciatus qui nulla ope quiescunt: sed abeunt in siccum hydropem, quem exhibet vtriforme abdomen, spiritu flatulento distentum. Distentionis causa, est perennis origo flatuum à cruditate, & amplificatio quam deprauata edit functio peristaltica intestini. Ergo minora sunt multò incommoda flatus, quantumuis ægrè & inconsideratè infrà traiecti, cum sono, quàm reuoluti sursum, vt patet ex eo quod sequitur.

Qvamvis ita traiectvs, denvnciet inde vexari hominem.] Si considerate id faciat, necessitate adductus, nec indecorè, fastidio elatus & contumacia: præsertim verò in eos qui præstò sunt, quos revereri solebat. Hîc enim dolorificum malum intus subesse testatur, quod studet excludere, posthabito eorum delectu & reuerentia, quos pudor ipsius magis offenderet: quan-
60 do beneuoli, audito crepitu recreantur. Flatus autem sonori ægrum inde vexari denunciant ægro traiectu: ob crassitudinem spiritus flatulenti ab imbecillo calore & cruditatis sobole: tum propter meatus angustiam, & excludentis naturæ oppressionem.

Avt delirare.] Si olim modestiam excoluerit. Tum enim apparet sui dissimilis. Atque hæc dissimilitudo est morum institutorum; non insitorum: proptereáque principem locum obtinet inter

ſigna delirij, quæ ſunt omnino quatuor; indecora compoſitio; verborum abſurditas; falsò credita doloris vacuitas; & motum diſſimilitudo. De qua iam olim diximus ex profeſſo, ad illam prognoſin. *Moderati hominis reſponſa proterua; mali ſunt omnis.* Et, *Deliria paulisper ferocia, mox erunt immaniſſima.* Delirij autem natura & cauſæ, tum etiam differentiæ, alibi ſunt explicatæ.

Coac. 90. 1. lib.

NISI PRVDANS ET SCIENS TALSM AXITVM MOLIATVR.] Neceſſitate adductus, cum bona venia eorum qui adſunt. Hic nulla delirij ſuſpicio eſt, cùm ſæui doloris acerbitas vincit excultam in omni vita modeſtiam & temperantiam, leuationis ergo. Notabilis eſt in hac prognoſi, priſca religio vitæ honeſtæ, quam noſtri homines vitio iis vertunt qui cum ea vitam decorè inſtituunt: nimis profectò ſecuri religionis & honeſtatis.

10

Sic in prognoſtico, vbi meliùs quàm in Coacis.

8 Ἕλκος δὲ ἤν τε καὶ προγεγονὸς τύχῃ ἔχων, ἤν τε καὶ ἐν τῇ νούσῳ γίνηται, καταμανθάνειν χρή. ἢν γὰρ μέλλῃ ἀπόλλυσθαι ὁ ἄνθρωπος, πρὸ τοῦ θανάτου, πελιδνόν τε καὶ ξηρὸν ἔσαι, ἢ ὠχρὸν καὶ ξηρόν.

Vlcus autem, tum ſi quis ante, tum in morbo ipſo natum habeat per diſcendum. Nam ſi moriendum eſt ægro, ante mortem ipſam liuidum atque ſiccum, aut pallidum atque ſiccum euadet.

20

SINGVLARIS eſt medico ad res ægri attentio, ſi nihil eum lateat vnde ineunda ſit τεκμαρσιν feliciter prædicendi. Ad eam profectò attentionem, præceptoris hortatio eſt in hac prognoſi cùm ait, καταμανθάνειν χρή, i. *omni cura & ſtudio ſcire oportet*: vt nihil ſit loci negligentiæ cùm agitur de prædicendo; nec eos imitemur qui ſola inſpectione contenti vrinæ: cum rythmo venæ micantis perfunctoriè duobus digitis explorato, quamuis ad Lyram aſini: tamen compoſito bene vultu, totóque corpore, ad ſummam hypocriſin; vanitatem ambagibus ſolertiſſimam, pro veritate oſtentant. O laruæ! ò lemures. Atque inter ea quæ in occulto latent, ſunt vlcera partium ſtragulis velatarum, quæ oculis debent conſpici, ad iudicandum cuiuſmodi ſint, & quorſum appareant. Ex iis enim ſigna petuntur interitus aut ſalutis: vt in hac prognoſi docetur.

30

VLCVS AVTEM.] Quod vel ſponte venit, lacerata cute & carne ab iis quæ intus lædunt, & ἐκπυα dicuntur; vel ictu, vel iactu, aut caſu illatum eſt: propterea̋que illinc phyma, hinc trauma dicendum: ſiue vtrumque ſimplex appareat, ſiue coniunctam habeat contuſionem, phlegmonem, aut varicem.

TVM SI QVIS ANTE MORBVM HABEAT.] A collectione ichoris, quem intus ſubeſſe teſtatur exulcerata ſponte caro & cutis: vel quæ ſauciata extrinſecus, ſaniem & ſordes collegit; atque id, partim exorto phymate, partim illapſo traumate ante morbum.

TVM IN MORBO IPSO NATVM.] Siue primùm cutis bullata fuerit, ex anthemate, bubone, carbunculo; & inde diuiſa: ſiue vlcerata primo ichoris appulſu, ipſam erodentis vel amburentis.

OMNI STVDIO PERDISCENDVM.] Eſt enim magnæ molis, inſtituere certam prognoſin, cuius inſtituendæ ratio non minùs de vlcere, quam de ſignis aliis comparatur. Non enim minora ſunt argumenta prognoſeως, quæ cernuntur in qualitate corporis, quàm in actionibus & excrementis. In qualitate corporis, naturæ vis lucet aut morbi, vnde ſigna petuntur virium validarum vel effœtarum, ipſiúſque naturæ viuidæ vel emortuæ: tum in viuacitate ipſa partium ſolidarum: tum in viuifico nectare quod venit à corde.

40

NAM SI MORIENDVM EST ÆGRO.] Suffocatione vel extinctione caloris vitalis, quam inferunt ardor febrilis, cacochymia maligna, cum venenata aura, partiúmꝗ; impeditio quarum officia ſunt omnino vitalia. Sic enim de morte ſtatuendũ & cauſis mortiferis, quæ fiunt, quæꝗ; apparent, tũ in ſymptomatis planè hoſtilibus, tum verò in ſignis triumphatæ naturæ ac fatiſcentis: quæ omnia cernuntur in actionibus, excrementis, & qualitate corporis; ad quam potiſſimùm pertinet inſtituta prognoſis.

ANTE MORTEM IPSAM.] Cùm ſcilicet ardor febrilis, vel qualitas venenata, per extinctionem caloris natiui, ad interitum eſt fatalis. Nam ſuffocatio ipſa quam facit impeditio partium ſpirabilium, hic locum non habet: niſi fortaſſis ea quam infert phtiſicum empyema.

50

LIVIDVM ATQVE SICCVM.] Cuius liuore & ſiccitatę oſtenditur, illic extinctio vitalis caloris, hinc defraudatio vel deprauatio nutricatus. Liuet enim, quia emortuum: emoritur, perfrigeratum: perfrigeratur autem, extincto calore. Nam ſi liuoris cauſa eſt ipſa ἐκχύμωσις, deprauatio eſt nutricatus: nigri humoris ſoboles, vel atræ bilis. Sed ideo ſiccum eſt vlcus: quia ſuo genio defraudatum, ex paupertate ſanguinis: vel quia palindromen ſurſum habet funeſtam, vnde & ſocio caret molli tumore, & excrementis. Nam ſiccitas illa non eſt naturæ, in parte ſolida & ſucci plena: nec artificio medici comparata, ſiccando & detergendo: ſed vitio partis exhauſtæ, quam defraudatio ſiccam fecit; vel ipſa palindrome: extinctio autem caloris, vel deprauatio alimenti, liuidam atque ſiccam.

60

VEL PALLIDVM ATQVE SICCVM.] Græcè eſt ὠχρὸν καὶ ξηρόν, in prognoſtico: in Coacis autem, χλωρόν: quam lectionem probat Galenus, cui placere video, idem eſſe χλωρὸν καὶ ὠχρόν; tametſi fatetur χλωρόν, vſurpari pro viridi, vt in illo verſu Homeri. Οὐ πύργοις χλωροῖς ἐπιβαίνομεν, οὐδὲ σελίνοις. Sed in colore flauo aut pallido, multùm intereſſe arbitror inter ὠχρὸν καὶ χλωρόν. Ac rationē attuli quare diſſentiam à Galeno, commentario ad prognoſin de linguæ coloribus. Ergo vlcus pallidum atque

in Batrach. Coac. 1. cap. 7. lib. 2.

ſiccum,

ficcum, defraudati eſt nutricatus ac deprauati : quemadmodum in pertuſo capite ſigna ſunt deſperatæ ſalutis, ac mortis propinquæ; ſaucia caro ſicca & velut ſale condita, quam vocat ταριχευμένην : os item pallidum, quod erat album; & carioſum, quod erat ſolidum & perpolitum : vt omittam cætera quæ ſpectantur in cerebri actionibus deprauatis. Hæc enim ſunt vitiatæ qualitatis partium pertuſarum. Erit igitur hæc ſumma prognoſeωs Hippocraticæ. Vnde ſignificatur defraudatio vel deprauatio nutricatus, & natiui coloris extinctio : inde mors in propinquo eſſe oſtenditur in morbis acutis. Atqui ex vlcere liuido atque ſicco ſignificatur deprauatio vel defraudatio nutricatus, & caloris natiui extinctio. Ergo &c.

(lib. de vulnerat. capitis.)

9 Ἀνάκλισις βελτίστη μὲν, ὡς εἴθισαί τις ὑγιαίνων.

Illa demum ratio decumbendi eſt optima, quam vnuſquiſque ſeruat dum valet bene.

VETVS ILLVD ſcitum eſt. Quòd omnia quæ fiunt, quæque apparent in ægris, eiuſmodi eſſe debent ad ſpem ſalutis; vt bene valentium ſimilia ſint, eiúſque potiſſimum, cuius valetudo curatur. Atque hic ſanè communis eſt epilogiſmus omnium quæ ſuper ægro feruntur prognoſeωn. Eſt enim conſentaneum, vt qui abſunt proximè à norma & regula naturæ, iis melius eſſe putetur, quàm qui longiſſimè; proptereaque multò facilior ſit eorum redintegratio. Vt autem catholicum hoc theorema, ſcitè & appoſitè locum habet in omnibus quæ circa ægrum ſpectantur; videlicet in qualitate corporis, actionibus, & excrementis: tum vero maximè in decumbendi modo, quem in valetudine aduerſa requirit ab ægro, qualem olim ſeruabat dum rectè valeret.

Ergo. ILLA DEMVM RATIO DECVMBENDI.] Quam ſua ſponte inſuit is qui decumbit, alleuamenti ſtudio ac dulcedinis comparandæ cauſa: non autem decori ſeruandi erga medicos aut familiares atque propinquos. Atque in eo decumbendi modo ſalutatur à medico, priuſquam ad lecti ſpondam acceſſerit; ſicut præceptum eſt à dictatore. Κατακείμενον δὲ χρὴ καταλαμβάνεσθαι τὸν νοσέοντα ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ i. *Ægrum decumbentem oportet deprehendi à medico.* &c. Notabili autem delectu poſuit τὴν ἀνάκλισιν, qua voce firmiorē oſtendit vim decumbendi, quàm per κατάκλισιν, quæ non tollit ἄρσιν, ſicut ἀνάκλισις.

EST OPTIMA] Proptereaque expetenda maximè : quia medici votis reſpondet, cauſa & ſigno. Ac ſigno quidem, vegetæ animalis potentiæ, cuius imperio decumbendi ratio ipſa perficitur, non autem iacendi. Eſt enim decumbendi ratio in actione poſita virtutis quæ portat & mouet : iacendi vero, in paſſione illius, ob grauitatem corporis quod ampliùs portari non poteſt. Cauſa autem, ratio illa decumbendi eſt optima, propter opportunitates & commoda liberæ ſpirationis quam iuuat: cuius libertas præclarè ad ſalutem apparet & facit in omnibus morbis acutis.

QVA VTITVR QVIS FAMILIARITER, DVM VALET BENE.] Eſt enim cuique ſapienter vitam inſtituenti à natura tributum, vt parem neceſſitati commoditatem quærat in decumbendo, qua & ſpirandi comparet libertatem, & dormiendi ſuauitatem, cum vniuerſi corporis artuúmque omnium iucundiſſima quiete in lecto. Sed ea commoda comparantur in ſecunda valetudine: ſi quis decumbat molliter toto corpore, in dextrum latus, vel in ſiniſtrum: idque tum ceruice, tum cruribus atque manibus decenter reflexis & modicè; vt nulla ſit corporis artuúmque figura & compoſitio poſita in exceſſo tenſionis aut flexionis, quod σχῆμα ὑπερβολικὸν Græci vocant. Idem ſi quis faciat in valetudine aduerſa morbi acuti, ſignum dat magnum vegetæ facultatis quæ portat, cum alacritate corporis quod portatur. Omnis enim figura teres atque rotunda, qualis eſt cylindri & globi, ægriùs conſiſtit loco, quam plana. Cauſam autem inquirit & parat prædictorum omnium commodorum; videlicet liberæ ſpirationis, ſomni benigni, atque totius corporis ſuauiter quieſcentis. Quæ ſanè commoda eiuſmodi ſunt, vt multum opis adferant & adiumenti ad morbum fœliciter defungendum.

(prog. 13. lib. 1.)

10 Ὕπτιον δὲ κεῖσθαι, σκέλεα ἐκτεταμένον οὐκ ἀστεῖον.

Supinum autem iacere, extentis cruribus; indecorum.

ATQVE ILLA prædicta; ſunt τὰ ἀναρχέντα bene & naturaliter decumbendi, quæ ſigno & cauſa, rerum ægri bonarum ſunt optima. Hic nunc ponuntur τὰ ἀσχημονέοντα, quæ indecora vocat, proptereaque mala : quoties in decumbendo ſua quæque ſponte iniuſſa ſunt & inuita; nec medici bene monentis, vel ægri prudentis ac ſui diligentis delectu apparent.

SVPINVM AVTEM IACERE.] Græcè eſt κεῖσθαι, non ἀνακλίνεσθαι; idque appoſitè: non enim decumbit qui ſupinus iacet in lecto, extentis ceruice, manibus, atque cruribus, vt ſcriptum eſt in prognoſtico. Ergo. SVPINVM IACERE.] i. Tota ſpina iacendo ſuſtineri, dorſoque ſuam adimere [illegible], ceruices nimium extendendo: ſi talis decumbendi ratio non inuita, nec iuſſa; vel quibuſdam deliciis, vel ipſa pleuritide alterutrius lateris: quæ quia tum ſuſpenſione, tum oppreſſione moleſta eſt, illinc decumbendo in latus oppoſitum, hinc vero in afflictum; ſæpenumero ac ſe è ſemper, inuitam cogit ægrotum iacere in dorſum : quod eſt ſupinum eſſe.

EXTENTIS CRVRIBVS.] Tum etiam manibus & ceruice, vt legitur in prognoſtico: quod cer-

tè opportunitatem adimit totius corporis, artuúmque modicè reflexorum, quam paulò antè posuimus. Causam verò subesse ostendit cur ita sit, videlicet portantis infirmitatem, i. *facultatis*, καὶ τῶν ἐνορμώντων, i. *quæ cient intus*, vel grauitatem corporis quod vix portari potest. Atque hic cernitur ipsa νωθρότης quam facit ἡ ἔκλυσις, i. *exolutio* facultatis & corporis. Quo spectat illa prognosis nuper exposita. Si æger grauis admodum videatur, tum reliquo corpore, tum verò manibus atque pedibus; id multò periculosiùs ipsum habet.

INDECORVM.] i. Absurdum: quod non minùs exterret medicos, quàm idiotas. Est quidem hæc iacendi, veriùs quàm decumbendi ratio indecora: proptereaque si iussa, vel est dementiæ omnis decori securæ; vel necessitatis in metu grauioris molestiæ, aut à suspensione viscerum, aut ab eorum oppressione quæ accidit decumbendo in latus. Iniussa verò, meteorismi expers, manuum atque pedum, causam vtramque subesse ostendit prauæ νωθρότητος atque pestiferæ. Nam quæ tanta esse potest grauitas manuum atque crurum, vt leuari non possint? Meliùs erat Similo de quo sic festiuè Virgilius,

Membra leuat sensim, vili demissa grabato.

Ergo difficilis ille artuum meteorismus, quem vult Hippocrates alacriter suscipi atque perfici, facultatem in vitio esse testatur. Ipsa autem crurum extentio, non est indecora, nec vitiosa, cum iussu medici comparatur ad curationem fracturæ. Est enim naturaliter constituta, in stando. Propterea bene præcipiunt qui manus perfractas collocant in mitella: crura verò in lecto extendunt. Sic enim natura comparatum est vtrisque. Ergo indecora corporis artuúmque collocatio, mali est ominis, cùm vel inuita est, vel iniussa: ob eámque causam est indecora, tanquam decori secura & negligens, quod est ipsius ægri coacti, dementis, vel impotentis. Talis descriptio prauitatis est in illa prognosi. *Oculorum caligatio, albúmve rubens, aut liuens, aut nigris obsitum venulis; indecorum.* Est autem prognosis hæc scripta περὶ καταρρέοντος ὑπτίως κατακειμένου, ἢ περὶ ἀναρρέοντος.

suprà in Coac. & in prog.

11 Εἰ δὲ καὶ καταρρέοι προπετὴς ἐπὶ πόδας, χεῖρον.

Ad hæc, si protinus delabatur subinde ad pedes; peius est illi.

EST QVIDEM indecorum, supinum iacere sic, vt iacentis caput situm sit ad amussim crurum & pedum, minimè reflexorum, sed in figura hyperbolica extentorum. Est autem indecora hæc collocatio, planè καταρρέοντος; proptereaque hominis vel dementis, in amissione decori; vel impotentis, in grauitate portati, quæ certat ex æquo cum infirmitate portantis. Praua est igitur hæc collocatio indecora, quæ vel dementiæ signum est, vel impotentiæ, quæ est ipsa νωθρότης, vt veteres nominarunt. Vt autem illa νωθρότης, signo & causa medicum exterret metu: sic descripta ἔρριψις in hac prognosi, eundem planè in desperationem vitæ & salutis adducit. Hæc enim iacendi ratio, nullam profectò facultatis actionem ostendit: sed potiùs afflictionem extremam, cum scilicet ad vltima ventum est. Eam præceptor τὴν ἔρριψιν nominauit, in qua similiter esse iis quos habet mortiferè, docet Galenus, vt auibus quæ à volatu corruunt sauciatæ vel mortuæ: secus ab illis quæ summa virium contentione, fortique alarum remigio in sublimi manent immotæ. Atque idem Galenus sic interesse contendit inter eum qui natura duce decumbit, & eum qui desperatus iacet fractis iam viribus. Quæ cùm ita sint.

lib. [illegible]

lib. de tremore.

AD HÆC.] Præter hyperbolicam in iacendo figuram, quam supinum corpus καταρρέοντος, extentique nimium artus omnes ostentant, quæ est ipsa νωθρότης, quam facit, non tam portati grauitas, quàm portantis infirmitas: quòd periculosè quidem habet ægrotum: sed illud periculo multum adiicitur, vel, vt præceptor ait.

PEIVS EST ILLI.] A signo collapso facultatis: cuius quidem nulla superest redintegratio. At cùm facultas cessat in officio, exhausta virtute quæ est in substantia, nullum est maius vitæ periculum; immotum vita commutatur cum morte.

SI PROTINVS DELABATVR AD PEDES.] Pereunte omni facultatis officio quod lucet splendétque in decumbendo, exiguum adhuc manet in supino corpore artubúsque extentis ob facultatis infirmitatem; quæ ipsum tamen continet, dum indecorè iacet: omnino autem deserit, ac misero valedicit ἐν τῷ ἐρρῖφθαι τὸ σῶμα. Tum in propinquo mors est.

12 Θανάσιμον δὲ καὶ κεχηνέναι, καὶ καθεύδειν αἰεὶ, καὶ τὰ σκέλεα ὑπτίου κειμένου συγκεκαμμένα τε εἶναι ἰσχυρῶς, καὶ διαπεπλεγμένα.

At verò hiare, funestum est, ac dormire assiduè, tum etiam supinè iacenti crura esse contracta fortiter, atque implexa.

ATQVE HIC, metu proposito in habitu ipso contra naturam sani cuiusque iacentis, vitæ spes nulla superest. Quod certè ostendit illud θανάσιμον ἢ θανατῶδες, i. *funestum.* Nihil enim tam bene fit aliunde, vt inde salutis aura possit afflari medico sapienti, cùm vel ægrotus hiat, vel dormit assiduè. Quamobrem verò hæc signa funesta sint, ipsa causarum cognitio demonstrabit.

AT VERO.] Præter ea quæ non solùm metu exterrent medicos in habitu decumbendi, vel iacendi potiùs:

dī potiùs: eam desperatæ salutis indicia sunt; vt cùm subinde quis deorsum ad pedes delabitur, vnde significatur potentiæ κινήσεως irreparabilis.

HIARE.] i. Ore diducto gulam & fauces propalam explicare, propter laxitatem καὶ ἀτονίαν neruorum & musculorum, ora claudentium, qui cæteros omnes virtute præcedunt; imprimísque autem qui a temporibus nomen habet, & crotophita dicitur: vel; si à tetano qui non rarò cadit in febrem acutam, cùm ceruix obriguerit, maxilla luxatur. Aut si ardore pulmonum & cordis ora hiantia inhient frigidissimo aëri pleno haustu foris ducendo.

FVNESTVM.] Indicio citæ mortis certò venturæ, ob insanabilem causam hiatus, symptomáque oris hiantis. Est enim symptoma partium, suo vitali officio priuatarum, & quod hiantis partis afflictione, mortem non rarò infert. Ac primùm exolutio claudentium musculorum quæ facit oris hiatum, est facultatis emortuæ in febre acuta: similiter vt palpebrarum, narium, & labiorum peruersio, διαστροφὴν Græci vocant, fractis iam viribus à febre acuta. Quamobrem talis causa hiandi, funesta est. Nam quæ à tetano vis infertur luxando maxillam, seui doloris cruciatu citò vires exoluit, vnáque citam mortem adducit. Et verò simplex ipsa luxatio quæ oscitando accidit, mortifera est: quoniam crotaphitarum extentio, violenta, ipsos à dolore inflammat; qui eam quoque inflammationem cerebro vicino impertiunt vnde nascuntur febres acutæ, ac deprauatæ animi actiones. Nota sunt illa Hippocratis hac de re conscripta. Κινδυνεύει ψυχὴ ἀπὸ πυρετοῦ ξὺν ἐχίαν, καὶ νωθρὸς καρώδεος. i. *Periclitatur animus à febre & segnicie veternosa.* Et, Καρώδεες οἱ μύες οὗτοι, καὶ ἀλλοιούμενοι, καὶ ἐντεινόμενοι παρὰ φύσιν. i. *Soporiferi sunt hi musculi & alterati, & distenti contra naturam.* Deinde subiungit. Οὗτοι οὖν καὶ θνήσκουσι δεκαταῖοι μάλιστα. i. *Hi intereunt ad circiter decimum diem.* Oris autem hiatus quem ægri dormiendo pariter atque vigilando ostentant, præ summo ardore pulmonum & cordis, cui gerundus mos ore hiante, quo pleniore, haustu spiritum foris excipiat, & pleniore, vt sic dicam, efflatu, vaporem fuliginosum effundat; periculum sanè maximum, & citæ mortis causam iotus subesse testatur.

lib. 1. περὶ ἄρθρων.

AC DORMIRE ASSIDVE.] i. Dormiendi finem non facere ad morbi tempus exactum, comate veternoso, quod primùm oppresso cerebro, mox inde accidit exoluto. Nam somni arctioris & longioris qui in morbo defunctum à crisi perfecta complectitur, nulla hîc mentio est. Nec verò malum est soporati à crisi post diuturnam somni vacuitatem, vt rectè Galenus ostendit ad illam prognosin. Τὸ καρῶδες ἆρά γε πανταχοῦ κακόν, i. *An soporari, vbiuis est malum?* Sed assiduitas dormiendi, posita in hac prognosi, necessitatem superat ineundi somni, noctémque, vt ait ille, tum oculis, tum pectore accipiendi: propterea que vitio est, soporiferi quidem humoris & cerebri soporati. Ex quibus efficitur, vt occupatam cerebri arcem crudore, lethalis virium exolutio consequatur, ac tandem cerebro fatiscente, ipsa pereat animalitas. Pereuntis autem signum in promptu est, quando assiduè dormit ægrotus cum oris hiatu, quem edit laxitas temporalium musculorum, quæ tanta est, vt quamuis omnium fortissimi sint; hic tamen exolui certare non possint cum duobus exilibus antagonistis, quorum naturalis collectio, sponte maxillam abducit à supera, crotaphitis inuitis, qui eam præ summa infirmitate non possunt adducere. Atque hic verum esse docetur; quòd exolutis vna in parte musculis, in aduersa colligunt se antagonistæ sani, ac sua sponte mouent, non nostra, quamlibet illam partem, cui mouendæ, agendo, non obediendo, dicati sunt. Cernitur autem prius in crotaphitis impotentia cerebri exoluti, quàm in antagonistis maxillam aperientibus: quoniam, vt visum est dictatori, τὰ αὐτὰ τὰ ἔγγυα, ταῦτα καὶ μάλιστα κακοῦται.

in prorr. & Coac. 1. cap. 2. lib. 2.

13 *Τὸ δὲ ἐπὶ γαστέρα κεῖσθαι, οἷσι μὴ συνήθες, παραφροσύνην σημαίνει, καὶ πόνους περὶ κοιλίην.*

Ipsum verò iacere in ventrem, quibus est insuetum; delirium indicat, & circa ventrem labores.

OMNIS ACTIO cuius è natura egressio est, propterea que indecora videtur studiosis decori, si vel inuita est, vel iniussa; partis ipsius vitio tribuenda vnde suscipitur: sin autem sponte fit ægri, nec tamen de more institutoque dum bene valeret, delirio adscribenda: quòd æger non suæ sit mentis, qui contra consuetudinem non seruat decorum. Nota est illa sententia præceptoris. *Si quis ea faciat quorum est insolens, vt si appellat animum ad insueta, aut contrà consueta desistat, grauissimum habet malum, ac tum dementia propè adest.* In omni habitu decombendi, nullius est maior è natura egressio, nec magis actio indecora, quàm eius qui fit in ventrem. Itaque si nulla excusatio est consuetudinis, nec partis afflictæ; certum est, ægrum regi dementia, qui est decori negligens, ac iudiciorum securus eorum qui adsunt. Talis autem compositio tam indecora, dissimilem ægrum sui denunciat moribus institutis.

Coac. 50. 1. lib.

Ergo. IPSVM VERO IACERE IN VENTREM.] In quo iacendi habitu minora sunt commoda somni, quietis, ac liberæ spirationis, quàm in cæteris suprà dictis.

QVIBVS EST INSVETVM.] Vt consuetum est pueris, & melancholicis de nocte pauitantibus: qui ob eam causam proni iacentes, ne visa occurrant mendacia, caput recondunt sub ipso puluino. Cæteris est insuetum qui mascula virtute sunt præditi, nec visis falsò creditis exterrētur. Commoda autem quærunt somni benigni, quietis, & liberæ spirationis, ex decumbendi habitu naturali. Tantæ autē molis est consuetudo ad prædicendum, vt vice sit cuiusdam naturæ: adeo vt nulla censeatur egressio à

natura, si nulla sit ex consuetudine. Sic dentium stridor atque collisio, quæ dormiendo auditur à medico, ipsum metu non exterret, si ea sit ægro dormiendi consuetudo.

DELIRIVM INDICAT.] Sicut omnis compositio indecora, quam facit dissimilitudo institutorum meorum.

ET CIRCA VENTREM DOLORES.] Ac tum indecora compositio in eo iacendi habitu iussa est & inuita, tensionis amoliendæ causa, & dolorificæ suspensionis vitandæ. Ac talis habitus decumbendi quo se componit æger, dolori sedando, signum est diligentis sui naturæ, potiùs quàm dementiæ: nisi fortè is dolor aluinus consecutionem adferat mentis perculsæ, ipsiúsque delirij de quo sunt positæ illæ prognoses. *Palpitatio ventris in febre; facit insaniam.* Et, *Vmbilici dolores cum pulsu coniuncti; nonnihil paraphoricum præ se ferunt, nec sua mentis ægrotum esse testantur.*

Coac. 28. & 30. capit. 11. lib. 2.

Sic in prognostico, vbi meliùs quàm in Coacis.

14 Εἰ δὲ καὶ γυμνοὺς τοὺς πόδας ἀείσκοιτο ἔχων, μὴ θερμοὺς κάρτα ἐόντας, καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὸν τράχηλον, καὶ τὰ σκέλεα ἀνωμάλως διεῤῥιμμένα, καὶ γυμνά· κακόν· ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει.

Sin autem nudis pedibus, nec ita calentibus deprehendatur iacens: tum manibus, & ceruice, cruribus item disiectis inæqualiter, atque nudis; pestiferum. Anxitudinem enim denunciat.

OMNIA QVÆ apparent & fiunt contra naturam morbi & ægri; pestifera sunt atque sinistri iudicij: præsertim si nulla sit critica perturbatio, cuius excusatio accipienda est etiam in alba vrina, delirióque ipso, dum itur ad crisin morbi acuti. Ergo si contra naturam febris acutæ, qua foris pariter atque intus calescunt eximiè quos occupauit; & contra ægri consuetudinem qui sapienter vitam instituit; pedes non ita calentes vti par erat, nudi appareant, sic deprehensi à medico; nec vlla suspicio sit commoti humoris ad crisin: talis iacendi habitus, graue intus malum subesse testatur, quod pessimè & periculosè habet ægrotum. Cuiusmodi autem sit malum, docebit recensio huius prognoseos quæ sic habet.

SIN AVTEM NVDIS PEDIBVS.] Quos, reuoluta stragula, foras exponit, frigoris capiendi causa.

NEC ITA CALENTIBVS.] i. Non dignè satis pro æstu febrili quo incandescit æger, quem æquum fuerat toto diffundi corpore, omnibúsque artubus; vt sanè diffundi solet in omni febre acuta bene morata. Secus fit in lipyria & causo, vbi non est æqualis perceptio ardoris febrilis tam foris quàm intus: sed inæqualitas magna, vbi ardent viscera cum artubus alsiosis.

DEPREHENDITVR IACENS.] Priusquam medicus ad spondam lecti accesserit, nec eius præsentia vrgeat ipsos velare, donec id faciundum præceperit ex dictatoris edicto. Ὕπνος ἐν ψύχει ἐπιδεδημένῳ. i. *Somnos intre opertum, & frigus captantem.* Talis est illa distinctio quam initio posuit in deprehenso habitu decumbendi de more sani iacentis. Sic enim ait. Κεκλιμένον δὲ χρὴ καταλαμβάνεσθαι τὸν νοσέοντα ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ. i. *Decumbentem ægrum oportet deprehendi à medico.*

6. Epid. part. 4.

lib. 1. progn.

TVM MANIBVS ET CERVICE, CRVRIBVS ITEM DESIECTIS INÆQVALITER, ATQVE NVDIS.] Vt ipsum tædeat omnis loci & omnis figuræ, cum falsi caloris in artubus tædio intolerabili: vnde illa veniunt, disiectorum artuum & sine causa nudorum, fastidia. Sic enim apparent negligenter dispersa & inæqualiter, vt omni ratione sint omnium minimè sibi placentis ægri, & sua sorte, vt ita dicam, contenti: sed contrà sibi maximè displicentis, & sua tædia ostentantis per impatientiam vel intolerantiam cuiusque figuræ & loci, quam ipsa declarat crebra mutatio.

ALYSMVM ENIM DENVNCIAT.] Hic nomen Græcum retinui, quo vtraque causa ægri iactati & anxij continetur. Ac neque anxitudo, neque iactatio, satis appositè, ipsa per se, naturam alysmi ponit ob oculos: cuius vtraque subest ratio in hac prognosi. Est enim jactatio & anxitudo, vnius alysmi, qui suo complectitur ambitu τὴν ἄσην καὶ τὴν δυσφορίαν, quarum illa est anxij, hæc verò ægri jactati. Causæ in promptu sunt. Nam cùm alysmi nomen veniat à verbo ἀλύειν, quod est multarum rerum satagere, studiáque sua subinde ad res nouas conuertere, earum fastidio quæ priùs placuerant: hinc nomen alysmi translatum ad ægros qui, ad punctum temporis, quæsitos fastidiunt nouos iacendi habitus. Eius fastidij duplex omnino causa est: vna quidem, stomachi proritatio atque morsus, à feritate humoris, cum æstu: altera autem, virtutis oppressio à corporis grauitate, vt nulla collocatio ei fastidio sit gratiosa. Causæ vtriusque signa sunt syllogistica. Prioris quidem, nauseabunda proritatio: alterius autem crebra jactatio, moræ impatiens, sine nausea. Itaque duplex alysmus, distinctione causatum, nominari solet à Græcis; ille quidem ναυτιώδης; hic verò ἀλύμενος. Vtraque alysmi causa, fastidiosum parit habitum decumbendi, qui cernitur in artubus quoquouersum subinde jactatis atque nudatis: tametsi præcipua jactandi causa, est virtus languida & oppressa: nudandi autem febris ardens & lipyria. Sed plura de alysmo scripsimus primo libro huius operis.

aph. 54. 7.

prorrh. 44. lib. 2.

15 Ἀνακαθίζειν δὲ βούλεσθαι τὸν νοσέοντα, τῆς νούσου ἀκμαζούσης· πονηρὸν μὲν ἐν πᾶσι τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι· κάκιστον δὲ ἐν τοῖσι περιπνευμονικοῖσι.

Sed residendi cupidum esse iacentem, dum viget morbus; pestiferum quidem est in omnibus morbis acutis: pessimum verò in peripneumonicis.

ÆGRORVM signa quæ in iacendo sunt indecora, siue illa morbi dominatu edantur inuita, siue iniussa, virtute omni collapsa; quàm sint tetrifica, metu intetuus vel discrisiæ, suprà iam diximus. Hic ponitur vnum quod vel inuitum est, vel affectatum. Inuitum quidem, est indecorum, quod valet ad morbi atque doloris leuationem, & ad comparandam dulcedinem. Affectatum verò est, quod sponte fit ægri, nullo vsu vitæ quæsito, nec vlla dulcedine; sed incitante alysmo, vel etiam dementia præeunte qua tollitur omnis decori honestas. Sed tamen inuiti, quàm affectati, conditio grauior esse solet. Est autem cupiditas crebrò residendi vel in peripneumonia, vel in acutis febribus quæ celeriter, vehementer, & continenter mouentur. In peripneumonia, quidem inuita est illa cupiditas residendi, ad vitæ vsum & ad dulcedinem, quæsita sic libertate spirandi. In acutis febribus affectata fortè quidem, vt mos geratur incandescenti cordi: certiùs autem, delirio & alysmo. Quænam autem sit ratio in eo iacendi habitu, indecoræ voluntatis aut necessitatis, & vtra ægrotum habeat periculosius; iam ad docendum aggredior.

SED RESIDENDI CVPIDVM ESSE IACENTEM.] Quem vel necessitas, vel indecora voluntas eò adducit. Ac necessitas quidem in peripneumonia & cordis æstu, dum viget febris acuta. Indecora autem voluntas, quando non suæ est mentis, aut etiam deliciarum ergo, vbi collocatio indecora, nihil præ se fert mali, nec signo nec causa.

DVM VIGET MORBVS.) Quando symptomatum summa sunt omnia, ac tum natura pepasmo dat operam, si bene res eunt: sin minùs, accessio est cruditatis, ardoris, orgasmi, ac retro sublapsa refertur spes medici.

PESTIFERVM QVIDEM IN MORBIS ACVTIS.] Tum enim si crebrò studeat residere, nec tamen sit alacer in assurgendo, nec residendi potens; signum dat cordis incendio conflagrantis, & virium languidarum, quarum virtute est opus in morbi vigore, tam ad pepasmum humoris morbifici, quàm ad salutarem habitum decumbendi. Aut si orgasmo humoris ad cerebrum, dementia quædam sit ægri tam indecorè iacentis, nec vlla spes crisis affulgeat pepasmo; id sanè pestiferum est, ac periculosè habet ipsum ægrotum. Nam deliciarum signa susque deque habentur, nisi fortè mutatio sit consuetudinis atque morum.

PESSIMVM VERO IN PERIPNEVMONICIS.] Quorum cognitio atque notitia sic comparatur. Nam febris acuta ipsos exercet, ac spiritum crebrò ducunt, calidúmque expirant, multùm iactati & anxij. Ac dolor est sub omoplata, qui prorepit ad iugulum & ad mammam, cum pectoris grauitate. Ipsum verò adest non rarò delirium. Est autem pessimus ille iacendi habitus in residendo, quem vrget peripneumonia, potiùs quàm febris acuta: quoniam in spiratione difficili parua & crebra, quæ vitio accidit partium spirabilium, systrophica phlegmone obsessarum, grauiora sunt multò incommoda, maioráque tædia, & signa peiora; quàm in difficultate spirandi, crebra & magna. Hæc enim, duce tantùm fit vsu adaucto, qui est in corde ab æstu febrili. Ac periculosior est ipsa difficilis spiratio à phlegmone partium spirabilium, quàm à crescente vsu. Tum autem eùm eò ventum est difficultatis à phlegmone in pulmonibus quæ facit peripneumonicos, vt non nisi residendo & ægrè spiritum possint ducere: tum in angusto spes est: quia spiritus, locum non habet introeundi, nec vapor fumidus exeundi. Hinc suffocatio est in propinquo.

16 Καθεύδειν δὲ χρὴ τὴν νύκτα, τὴν δὲ ἡμέρην ἐγρηγορέναι· τὸ δὲ ἐναντίον, πονηρόν. ἥκιστα δ' ἂν λυπέοιτο τὸ πρωῒ κοιμώμενος ἕως τοῦ τρίτου τῆς ἡμέρης· τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ὕπνοι, πονηρότεροι.

Dormire autem noctu oportet, vigilare interdiu. Contrarium autem malo fit ægri. Sed tamen is minimùm offendetur dormiens manè ad tertiam partem diei: qua exacta, somni omnes inde peiores.

HACTENVS de omni habitu decumbendi atque iacendi. Quoniam autem potissimùm eò se

comparat æger decumbendo atque iacendo, vt quiescat, si potis est, vicæque afflictæ dulcedinem, laborúmque suorum aliquam leuationem percipiat: leges hic positæ sunt vigiliarum & somni, ad ineundam prognosin de natura & consuetudine dormiendi & vigilandi, vt illæ seruantur aut immutantur in ea vicissitudine actionum. Est enim consuetudinis naturaliter institutæ ratio, conseruatrix naturæ: mutatio autem egressæ naturæ de sua præscriptione, ipsius vera labefactatio. Itaque prima lex illa de somno sancita est à dictatore, vt idem sit eodémque modo, ὥσπερ καὶ κατὰ φύσιν ξυνεῖθι. ἡμῖν ϛαι. i. *quemadmodum naturaliter consuetum est nobis.* Vbi Galenus hæc scripsit. ἐπὶ τῶν Ἱπποκράτους χρόνων οὐκ ἄλλο μὲν ἦν τὸ κατὰ φύσιν, ἄλλο δὲ τὰ ἔθη. *Hippocratis seculo, non aliud erat quod è natura est, aliud verò quod est de more institutóque hominum.* Erat igitur consuetudo, lege naturæ, dormiendi noctu, & vigilandi interdiu. Quæ causa est cur ita scriptum sit in hac prognosi. DORMIENDVM NOCTV, VIGILANDVM INTERDIV: velut Latinè vertimus, Græcum secuti.

prog. 12. lib. 2.

DORMIRE.] Somnum inire vel in somnum solui: exhausto spiritu vigilando, cùm animi contentio est ad res gerendas, corporísque labor in motu & sensu: cui spiritui reficiendo & instaurando, placida est opus quiete, quæ dono diuûm gratissima serpit, subítque in vicem vigiliarum. Ac somnus ille qui animalitatis quiete absoluitur, cessante motu & sensu, virtuti adiicit partium nutricium atque vitalium. Inde ciborum & sanguinis coctio, tum copia viuifici nectaris corde repleto, veluti cornucopiæ: vnde caloris & spiritus propagatio est ad cerebri τὰ ἐνορμῶντα, quorum amplificatio comparata, hominem somno excitat, facitque alacrem in omni opere faciundo, qui ante somnum stare vix poterat, aut certè stando habebat conniuentiam veternosam, iuxta illud Hippocratis. Ὕπνος ἑδραῖος ὀρθῷ ἰσταναγμός. i. *Somnus profundus stantem mutare cogit.*

6. Epid. part. 4.

NOCTV OPORTET.] Quoniam consuetudo est naturaliter instituta dormiendi de nocte. Ac talis consuetudo, vt naturam indicat bene moratam: sic ipsam reficit, recreat, & conseruat. Denique omnis præscriptio atque norma naturæ, spectatur in consuetudine illa, quæ in secunda valetudine κατὰ φύσιν, i. *naturaliter* adhibetur: quod noster præceptor vocat τὸ ξυνῆθες κατὰ φύσιν, vbi de somno agit. Est autem naturalis, vel naturali iure fundata consuetudo dormiendi noctu; idque tum per se, tum ex euentu. Ac per se quidem: quia in nocte præcipua est somni causa. Vt enim natiuus calor, foras vel intrò viam affectat: sic inclinatio esse solet vigiliarum aut somni. At noctu calor intrò recurrit, hostilium tenebrarum appulsu. Contrà idem calor interdiu, foras excurrit cum spiritu, excipiendæ causa lucis amicæ, familiaris, atque, vt ita dicam, congeneris. Est enim res quælibet, suo quæque simili consocialis. Ex euentu autem naturalis est etiam consuetudo dormiendi noctu: quoniam impetrata quiete laborum, per noctem ignauam exhausti fontes replentur suo vitali nectare: vnde somniferis epulis cerebrum recreatur atque reficitur, suáque fundit ad vitæ vsus τὰ ἐνορμῶντα.

aph. 12.

VIGILARE INTERDIV.] Somno solutum, sensus acerrimos integerrimósque habere, sensilibus quemque suis excipiendis: idque interdiu, quo tempore copia est τῶν ἐνορμώντων in cerebro, ad mouendum & sentiendum. Ipsa verò tum sponte sua, non minùs quam nostra, præstò sunt negociis obeundis quæ absoluuntur dianœa, motu, & sensu.

CONTRARIVM AVTEM MALO FIT.] Quoniam magna est è natura egressio, tum ipsius adeo naturæ peruersio in nocturnis vigiliis & somno diurno. Non enim par est ratio diurnæ quietis atque nocturnæ tam in necessario dormiendi vsu, quàm in causis somniferis. Est autem contra naturam, calorem cum spiritu intrò cogi ad somnum diurnum; qui naturaliter horis diurnis foras excurrit, vigilandi causa. Quinetiam tum bilis feruescit, ac viscera incandescunt æstu caloris, in cibi vacuitate. Scitum est illud Hippocratis. Πόνος σῖτος ἄρθροισι, καὶ σαρξὶ σῖτος, καὶ ὕπνος σπλάγχνοισι. i. *Exercitatio est artuum, atque carnium cibus, & somnus viscerum.* Atqui naturalis consuetudo exercendi corpus & artus, interdiu; quod propriè est vigilare: dormiendi autem noctu, à cibo. Nam cibi & somni societas, concordia est ad salutem: alterutrius autem, sine altero; maleficentia. Ergo diurni somni maleficentia est, etiam in dormiendi necessitate illius qui vigilauit noctu: quoniam ad dormiendum interdiu, non suppetunt naturales causæ somniferæ, quas habet in promptu is cui de nocte ipsas suppeditat calidus venter cum cibo & potu. Sic ventres hyeme, natura sunt calidissimi, & somni longissimi; amborum naturali quadam syntimoria. Vbi Galenus longinquitatem somni nocturni statuit in longa nocte hyberna.

4. Epid. part. 5.

aph. 15. 1.

SED TAMEN IS MINIMVM OFFENDETVR DORMIENDO AD TERTIAM PARTEM DIEI.] i. Quòd si contentio animi, fortisve cura, aut sæua quædam molestia somnum ademerit; nec placidam membris dederit noctu quietem; & iam exacta nocte, vel mentis tranquillitas, vel ipsa doloris leuatio, aut febris remissio, albescente iam die, partem aliquam diurnæ quietis impertiat, loco nocturnæ; minimùm offendetur, minimúmque in commoda sua peccabit, si beneficio somni fruatur, donec dormiendo exegerit tertiam partem diei quæ est horarum quatuor lucis diurnæ, ab hora sexta matutina vsque ad decimam. Hæc enim pars diei qui absoluitur horis duodecim, præ se fert analogiam veris; quo tempore somni sunt longi: quemadmodum meridiana, æstatis; & vespertina, autumni. Ac sanè illis diei partibus, humorum dominatu homines pro se quisque tenentur; manè quidem, sanguinis; meridie, bilis; vesperi autem, nigri humoris. Nam tenebrarum est pituita. Sic in humoribus animalium, mutua quædam inest mouendi & quiescendi vicissitudo. Hinc veniunt paroxysmi morborum. Quoniam autem prima diei parte, sanguis in motu est, nec dum etiam lucis tantus est splendor, tantaque, vt sic dicam, fulgetra, vt ad se magna vi rapiat calorem & spiritum; propterea leuis offensio est, si tum intus maneat & intrò cogatur, cum sanguine gratioso qui somnum suauem conciliet. Vt maiori beneficio sit apponendum in necessario somni vsu, matutinis

2. Epid. part. 1.

horis

horis dormire, quàm maleficio, ſanguinem & calorem, contra naturæ conſuetudinem, denuo ad viſcera curſum reflectere. Eſt illud quidem poſitum in more inſtitutóque naturæ, vt quis expletus ſomno eóque ſolutus, ipſum denuo manè inſtauret, dormiátque ad multam lucem; ea profectò incommoda experiatur quæ à diurno diuturnóque ſomno importari ſcripſit præceptor his verbis. *fortis vigilia, cruditatem parit potionis & cibi: ſic diuturnior ſomnus & arctior*, ... *i. corpus reſoluit, elixat, capitis grauitatem parit.* Sed tamen peccatur grauiùs vigilando in cruditate, quàm dormiendo interdiu. Quæ res adduxit Hippocratem, vt ſomnum diurnum, tanquam nocturnum, iis præſcripſerit iucundum qui contra conſuetudinem ſe prandij epulis inuitarunt.

Vt lib. 4. acut.

ibidem.

QVA EXACTR, SOMNI OMNES INDE PEIORES.] Sunt quidem peiores & grauiores quàm matutini, vel, vt verbo abſoluam, omnino mali ſunt meridiani & veſpertini ſomni: quia tum elangueſcit corpus velut elixum atque turgidulum ſimul cum capitis grauitate; ob eam ſanè cauſam quòd calor & ſpiritus, inuita luce, abripiantur intrò, vbi cum viſceribus incandeſcunt æſtu: coi quidem malo, grauius illud adiicitur quod ſubeſt intus à bile coacta, vel à nigro humore. Vt verè videas illud dicturus de ſomno meridiano & veſpertino, quod ſcripſit Virgilius de autumno peſtifero,

Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

Eſt enim mira vis corrumpendi & inficiendi corpora, humores & ſpiritus, in ſomno diurno.

17 Κάκιστον δὲ μὴ καθεύδειν μήτε ἡμέρης, μήτε νυκτός. ἢ γὰρ ὑπὸ ὀδύνης τε καὶ πόνου ἀγρυπνοίη ἄν, παραφρονήσει ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου.

Peſtiferum autem eſt non dormire nec interdiu, nec noctu. Aut enim à dolore atque labore ſic vigilauerit; aut, de hoc ſigno, ſua non erit mentis.

QVEMADMODVM vita hominum, vigilando & dormiendo ad vltimum vſque diem inoffenſo curſu exigitur: ſic magna vitæ offenſio eſſe ſolet, quando vigiliarum & ſomni viciſſitudo nulla eſt in morbis acutis. Vt igitur nihil æquè facit ad ſalutem & nihil apparet in morbis acutis, atque ſomni benignitas, & vigiliarum viciſſitudo: ſic vigiliarum aut ſomni vacuitas peſſimè, ſi quid aliud, habet ægrotum. Ac ſomni aſſidui non ita pridem incommoda ſunt adducta. Sed vigilandi aſſiduitas vt ſigno & cauſa medicum exterret metu, in hac prognoſi docetur his verbis.

PESTIFERVM AVTEM EST.] Græcè eſt κάκιστον, i. *peſſimum*, quod ſcilicet maleficentia cæteris omnibus antecellit, nec cæterorum ſignorum bonitate vinci ſe patitur, neque adducitur ad bene merendum; niſi dum inſtat criſis: proptereaque illud κάκιστον, vertendum duxi *peſtiferum*: quoniam illa ſomni vacuitas non rarò mihi viſa eſt mortiferè ipſos habere quorum ſigna cætera videbantur ἀμφίδοξα.

NON DORMIRE NOCTV, NEC INTERDIV.] i. Nullam partem neque nocturnæ, neque diurnæ quietis habere, nec poſſe oculis aut pectore noctem accipere in ſumma dormiendi neceſſitate.

AVT ENIM A DOLORE.] Vt nulla ſit curarum & ſtudiorum excuſatio quæ adimant membris quietem in morbis acutis: ſed ipſe dolor in cauſa ſit cur ſomnus iniri non poſſit: quoniam in doloris cruciatu fiat acrior phantaſia, vnde omnia ſenſoria excitantur ad vigilandum, denegata ipſis quiete.

ATQVE LABORE SIC VIGILAVERIT.] Occupata natura cauſis morbificis acutorum morborum qui perpetuam habent ..., viréſque acquirunt eundo, remiſſionis expertes. Inde vtrumque genus alyſmi, cum intemperie ſicca & calida cerebri, retroque vapore ſomnifero, ſine vlla tranquillitate mentis. Nam vapor ille fumidus, non eſt conciliando ſomno idoneus: ſed potiùs excutiendo. Itaque ſic à labore vigilat qui dormire non poteſt. Cernitur autem labor in perturbatione, intemperie, & fumido illo vapore qui certè vigiliarum feracior eſſe ſolet quàm ſomni.

protr. 4. Lt.1.

AVT, DE HOC SIGNO, SVÆ NON ERIT MENTIS.] Nam perturbati animi facilis tranſitus eſt ad ipſam phrenitidem, quam facilè concipit cerebrum ſiccum & calidum: ſicut infertur facilè ab anathymiaſi tetra & effeta. Poſitis autem magnis his tribus, vt oriunda quoque ſint magna, neceſſe eſt.

TRACTATVS SECVNDVS, DE TRΩMATIS.

AC PRIMVM DE PERTVSIONIBVS CAPITIS.

Cap. I.

ΟΚΟΣΟΙΣΙ κρόταφος τέμνεται· σπασμὸς ἐκ τῆς ἐναντίων τοῦ τομῆς ἐπιγίνεται.

1 *Quibuscunque tempora praciduntur; conuulsio incidit è diuerso partis pracisa.*

Fvit illvo institutum præceptoris in eo libello quem aureis dignum literis accuratè scripsit, ad lauream, de capitis pertusionibus siue trωmatis; primùm naturam explicare capitis pertundendi, ac demonstrare, quòd hominum capita, similiter non sunt affecta, nec constituta siue coagmentata: vt ex perspicientia singularum capitis partium, in suo cuiusque temperamento, complexione, connexione, & situ; omnium pertusarum dignotio, præuisio, atque curatio cuique propria comparetur in specie & idea. Sunt enim alia, specie & idea, suturarum trωmata, quàm cæterorum capitis ossium. Sunt item alia temporum, alia frontis, alia syncipitis, alia quoque occipitis. Atque inter ipsa, vt magna est dissimilitudo: sic etiam magna in singulis; vt scilicet propiùs longiúsve absunt à sua quæque sutura. Ergo nec eadem, nec similia, nec æqualia sunt ossis cuiusque trωmata, quæ vel pari iactu, ictúve pari aut lapsu inferuntur, secando, findendo, collidendo, & effringendo: quia non idem est τὸ διαλεκτικὸν cuilibet trωmati pariter atque similiter excipiendo. Non enim secari potest sutura telo, quantumlibet exacuto, quin ei sectioni adjuncta sit comes fissura, propterеáque contusio. Nam quicquid finditur, idem vnà contunditur. Ex quo euenit vt sauciatus homo in pari periculo sit corrupti ossis à contusione, atque humoris qui ad membranam descendit, exitum verò non habet. Ergo magna vis est τοῦ διαλεκτικοῦ ad ineundam τέκμαρσιν cognoscendi, præuidendi, atque curandi. Sic puerorum ossa, eiusmodi sunt temperamento, vt pertusa putrescant faciliùs quàm iuuenum atque hominum constantis ætatis. Sic etiam sinciput sauciatum, periculosiùs habet ægrum, quàm occiput: idque tam osse corrupto, quàm humore qui ad membranam descendit, eámque irrüat, & inflammationes mouet lethales. Vt igitur ossa tenuiora, minùs resistunt ictui mitiori, quàm crassiora validiori: sic eorum fracturæ, faciliùs & celeriùs mortem inferunt, quàm crassiorum. Est quidem fatalis ad interitum, vtraque causa interitus, fractura syncipitis, pari specie & idea, quæ in occipite curationem recipit. Tum si moriendum sit ægro ab omni parte capitis fissa, incisa, contusa, effracta; vitam is finiet die septimo, cui læsum est sinciput: qui eam protrahet ad decimumquartum, fronte pertusa, sicut idem ad vigesimum, occipite violato.

Connexionis autem varietas & suturarum positus, magno Hippocrati mentis errorem non attulit in iudicanda τῷ λόγῳ fractura, ex ictu & telo: tum ex iis signis quæ non nisi osse fracto eueniunt. Sunt autem; oculos caligare, obmutescere, soporari, concidere, bilem vomere; tum sanguinem per nares auresve exire. At certè sensum ipsius decepit in exploranda τῷ ἔργῳ. Inde cauit sedulò ne quis deinceps eadem ratione deciperetur, qua ipse fuit deceptus. Sic enim statuit de suturarum positu ex capitis proiectura vtraque; antica, postica; vel neutra, vel altera: vt facillimum sit iudicare cuiuis ipso specillo, quod explorandi causa demittitur; sítne fractura, an verò sutura vbi asperitas ossis percipitur, quod natura est læue ac perpolitum, ἑμαχγιῶν Græci vocant. Est autem sutura omnis, rimosa & aspera: proptereáque sensum & mentem fallit similitudo eius cum rima, quando incisa finditur, vnáque contunditur. Ac sensum quidem, in artificio explorandi, visu & tactu. Ipsam verò mentem in iis quæ tantùm ratione nituntur. Sunt enim signa fracti ossis prædicta, æquè sectionis atque fissuræ. Vt admirabile sit præceptoris iudicium, quod ille non ἔργῳ nec λόγῳ etiam de signis & causis morbificis comparauit: sed tantùm ex proprietate partis ipsius secando contusæ. Nec verò suturæ modiolum admouendum suasit, quo excidatur os ipsum quod suo circumactu complectitur, vt vacuetur humor qui ad membranam descendit, alitérque inde non exit: periculosum enim propter inflammationem & cerebri concussionem; vnde non raò humi procumbunt apoplectici, qui ea parte secantur. In vicino id faciundum præcepit, ne sauciatus pereat qui curationem admittit. Omnis enim pertusio non insanabilis, euadit mortifera vel osse corrupto, vel inflammata meninge. Inflammationem arcet vacuatus humor osse exciso primis diebus, nec vltra triduum; præsertim æstate. Ossium verò quæ vel pertundendo denudantur, vel ope chirurgica; sic comparata est ratio, vt nullum ferant liquorem, vnde corruptio in motu est: ne vinum quidem vlceribus valde propirium; quòd eius complexione liquida grauiùs offendantur, quàm temperamento sicco iuuentur. Tum in caluaria, sic nata sunt ossa, vt qua eorum parte est diploë, inflammatio & empyema locum inueniat, omniáque carnis ipsius mala suscipiant. Sed tamen inter ipsa hoc interest, quòd cætera quidem omnia, inflammationem suscipiant à rheumate consistente; nulla verò à rheumate concitato quod sola frons excipit, & inflammatione tentatur.

tentatur. Hæc enim sola omnium continetur propagatione, productione vasorum, & situ. Ac proinde huic soli lenientia sunt in vsu, non repellentia, dum in metu est inflammatio: quo tandem sublato, lenientibus abstinendum, priuilegio nudati ossis ferramento aut telo. In cæteris, dum rheuma consistens adest, à ferramento quod secuit carnem, amplificandi causa vlceris, vel ossis nudandi, cataplasma superponitur ex farina hordei torrefacti, exactè cocta in oxymelite. Reliquum curationis tempus exigendum siccando & detergendo puluisculis quos inde vocant cephalicos. Et quoniam sectio ipsa modiolo viam munit, qui principatum obtinet in curando: tum autem ad alia quoque necessaria est, quæ facienda sunt necessariò ad bene conuenientérque curandum.

Hic prima quæstio est de ferramenti vsu; locóne omnibus adhibetur caluariæ capitis partibus: vt iure adhibendum suadet ipsa tromatis inflicti conditio. Ac super ea quæstione, hæc visa est præcepto ratio indicandi, quam posuit in hac prognosi. Est igitur cardo libri de capitis perfusionibus. Quòd hominum capita similiter non sunt affecta κατὰ ταῦτα, i. *eadem compagine* quæ ἐν τῇ κράσει [illegible]. i. *temperamento & complexione* consistit: nec verò suturæ omnium eodem sunt loco; vnde varia est capitum conformatio. Atque illa propositio [illegible] planè continet διαγνώσεως, προγνώσεως, καὶ θεραπείας.

Quibuscunque tempora præciduntur.] Quod est eiusmodi ac si diceret. Partium dissimilitudo inter se, non eandem omnium curationem admittit: propterea non vbiuis partium, sectioni est locus, quoties eam iure troma ipsum requirit. Vt enim excidendi causa ossis pertusi, vel in conspectum adducendi; quantum ipsius læsum est, tuto aperitur cutis & caro, vbicunque telum insederit: tamen ea sectio inter musculos qui tempora continent, metum adfert eorum symptomatum quæ proferentur mox.

Ergo. Quibuscunque.] Omnis naturæ, sexus, ætatis: vt catholicum sit quod docetur.

Tempora.] i. Musculi temporales qui tempora ipsa continent, quæ ossium tenuitate, vasorum amplitudine, subiacentis cerebri vbertate, neruorum & musculorum virtute, grauissimis malis obiecta sunt, tam intrà, quàm extrinsecus, præter cæteras partes capitis & caluariæ. Ibi enim crudelissima est cephalalgia. Ibi facillima omnium cerebri sympathia. Hic minori ictui non tam resistitur, quàm alibi telo ingenti quod validæ vires contorquent. Hic troma est insanabile, cuius quidem alibi sperabilis foret sanatio. Denique nulla sunt grauiora mala quàm quæ temporibus à tromate inferuntur. Nam de anatome temporum suprà iam diximus.

Præciduntur.] Ferramento chirurgi, vel inimico telo. Ac ferramento quidem, vt læsum os in conspectu sit, quod latebat: tum vt excitæ cutis angustia, latiùs aperiatur. Quod etiam sinuoso vlceri, rotundo atque prætumido faciundum: idque audacter vbiuis partium sauciatarum capitis: non tamen in musculis quæ tempora continent. Illic enim sectio metum adfert symptomatis quod ponitur in hac prognosi, aliorúmque quæ mox dicentur. Est autem

Convulsio.] i. Iniussa collectio musculorum, maxillam huc illuc mouentium, quæ ἄκυρος conuulsio est: quia non fit impetio causæ conuulsificæ quam induit pars conuulsa, videlicet tensionis ob vacuitatem vel nimiam abundantiam: sed insita quadam mouendi potentia partis collectæ, non quidem inuitæ, sed tamen iniussæ: quoniam sua sponte illæsa mouetur, non nostra, vt olim. Firmissima enim securitas est, quòd, vt iam dixi aliàs, ea conditio est naturaliter insita musculorum congenerum vel antagonistarum qui ex æquo certant magnitudine, virtute & numero; vt si alterutrâ laxentur, sinistrâ aut dextrâ; è diuerso iniussi, & nobis inuitis, colligantur. Ea collectio quæ firmiter fixa est atque immota, maxillam prohibet omni officio. Præcisio autem partis, contractionem adfert, non quidem articuli quem mouebat, cui non præest ampliùs, ab eo excisa: sed ipsius ortui & musculi qui proximè abest à cerebro. Hinc veniunt sæua magis & citæ mortis funestiora mala, quàm quæ luxatâ maxillâ, ex oris hiatu accidere narrat Hippocrates, ob temporalis musculi tensionem, quæ inflammationem, ex eo cruciatu doloris conceptam, cerebro vicino impertit: vnde ipsum dementiæ metum adfert à febre assidua. Tum inde nascitur fera bilis; ipsàque adeo tenera & recèns pressa cum adipe caro liquitur: quod certè liquamen cum bile prorepit ad eam partem quæ, societate cum cerebro, cæteris antecellit. Est autem stomachus [illegible], proptereáque seorsus acerrimi. Ex quo euenit, vt merè biliosis & paucis soleat ferri aluus: & si vomitio fortè cietur, merum est quod euomitur. Tales vitam finiunt ad circiter decimum morbi diem. Quæ cùm ita sint à tensione musculorum crotaphitarum; quidni eorum præcisio; nemique ipsius, cerebrum contingentis, & sua contractione dolorifica, & inflammatione oborta, maiorem in cerebro febrem accendet, quæ consecutionem adferat symptomatum grauiorum, quàm ipsa tensio inferre solet? Nam si ea veniunt alteratis musculis vel distentis, vt visum est præceptori; quæ major tensio esse potest, vel acrior alteratio, quàm ea quæ nobilissimi omnium, fortissimique musculi sectione infertur, proximè ipsum cerebrum & meningem?

Sed conuulsionem è diuerso partis præcisæ, ideo scribit accidere: quoniam eò peruersio est maxillæ, à musculorum ipsam mouentium, iniussa quidem nobis, non tamen inuita sibi collectione, conuulsifica omni causa vacantium. Sed præcisorum contractio est, cerebrum versus, tum læsione ipsa, tum societate & vicinia principatus æquè afflicti & inflammati. Est enim principatuum & subiectarum partium, imprimísque vicinarum & sociarum, facillima omnium sympathia & syntimoria. Nam mutuò se afficiunt, mutuásque tradunt operas in ægri perniciem, vt suprà ostendimus.

Ex quibus efficitur verum esse, quòd hominum capita similiter non sunt affecta κατὰ ταῦτα, i. eorum quæ ossa constituunt, & quæ ipsa continent pari & simili complexione: vt si ferramento sit opus ad secandum, vel ossis, quod læsum est & in occulto latet, nudandi causa, quò in conspectu sit; vel cutim & carnem latiùs aperiendi, securus periculi, tutò id faciat medicus in omni caluaria, quod in temporibus tentare non ausit.

2 Ὁκόσοισιν δὲ ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ καὶ πονέσῃ πληγεῖσιν, ἢ ἄλλως πίπτουσι· παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ οὔτε ὁρῶσιν, οὔτε ἀκούουσι, καὶ τὰ πολλὰ θνήσκουσι.

Quibus concussum est cerebrum, doluitque percussis aut lapsis; continuò non vident, nec audiunt, ac ferè moriuntur.

VT OSSIVM capitis inter se dissimilitudo κατὰ ταῦτα in iis quæ ipsa constituunt & in iis quæ continent atque connectunt, sanationis viam illi demum præmonstrat qui tenet eorum notitiam, nec ipsum aberrare sinit a scopo: sic leges prudentiæ ipsi præscribit in opere faciundo, quod cætera, quæ adhibentur, virtute curandi præcedit. Est autem ratio excidendi ossis modiolo siue serra rotunda, quæ tantum ossis adimit, quantum circumactu suo complectitur, vacuandi causa humorem qui ad membranam destillat; exitum verò non habet nisi per illud foramen, quod fecit modiolus: quod nisi esset, funesta inflammatione, membrana & cerebrum occuparentur. Ex quo euenit vt ampliores fracturæ, minùs periculosæ sint quàm exiles atque minùs angustæ: tum quia subitò in conspectu sunt, nec accuratam requirunt industriam medici inquirendo, vnde non rarò fallitur: tum quia hic non est operæpretium excidendi modiolo quod in minimis esse solet, non absque salutis periculo, si is qui serram adhibet, secandi non sit peritus. Quale autem periculum sit in promptu; hoc loco docetur his verbis.

QVIBVS CONCVSSVM EST CEREBRVM.] Percusso capite, graui telo atque obtuso quod validæ vires contorserint; vel etiam læso capite quod præcipiti lapsu in saxum ex alto conciderit: vel etiam si excidentis modioli repentino & graui appulsu cerebrum opprimatur ab imperito chirurgo qui continenter circumagendi finem non fecit, donec ipse modiolus apprimendo, repentè violentérque ad membranam cerebri penetrarit. Hoc enim pertinet ad cerebri concussionem quam ipsa facit violenta oppressio: sicut & cæterorum casuum qui cerebrum ipsum commouent, quod Galli vocant *esbranler & choquer.* Non enim concutitur cerebrum nisi lapsu, inimico telo, aut ferramento chirurgi, perperam & inconsideratè secantis: nec alia est ratio concutiendi extrinsecus, vnde mala veniant quæ ponuntur in hac prognosi. Nam ea concussio quæ infertur manibus capite apprehenso, nihil habet eiusmodi, nec cerebrum concutit, alliditque caluariæ: nisi fortè id priscam amiserit vbertatem quæ totam caluariam occupabat. Talis concussio locum habet in exploranda puris copia, quod empyema pulmonis in thoracem effudit. Ergo in cerebri vbertate nulla est eius ad galeam suam allisio, dum ipsa manibus apprehensa concutitur. Sed alia cerebri concussio est ab iis quæ intrà sunt & intus lædunt, vt cæterarum partium quæ communi officio dicatæ sunt atque quodammodo consecratæ, quibus id studium est concutiendi pro se cuique, vt ea excutiant à quibus læduntur. Pertinet enim ad cerebri concussionem sternutatio: thoracis atque pulmonum, tussis: ventriculi autem, singultus. Atque illa concussio, victricis naturæ est proritatæ, si concutiendo excutiat quod sibi molestum est. Sin autem naturæ potens est causa morbifica quæ intus lædit, exempli causa in cerebro, concussionis irritæ symptoma erit conuulsio epileptica, quam mox excipiet apoplexia. Sed satis iam de concussione, cuius hic nomen impropriè video vsurpari pro cerebri contusione quæ semper est symptomatica: vt vera concussio cerebri, est quidem eius proritati, sed tamen potentis molestiæ proritantis. Ac sanè illa contusio cerebri, contusi capitis non semper est socia neque comes: multùm enim refert, sitne contusum caput, an cerebrum; vt partes illæ multùm inter se differunt. Nec verò liber ille Hippocratis quo pertusi capitis causæ omnes, signa, differentiæ continentur, vllam proponit pertusionem cerebri, sanationis ergo: vt in pertuso capite. Est enim funesta omnis pertusio cerebri, nec vllam requirit industriam medici. Atque vt paucis dicam quid inter capitis & cerebri læsiones intersit: est quidem cephalalgia, capitis; catoche ac delirium, cerebri; tremor autem, neruorum principij. Ergo non quoties caput contunditur, vnà etiam cerebri contusio est, quin ea veniant mala quæ hîc ponuntur. Sunt autem in promptu, paténtque omnibus ad visendum, quoties fortis percussio est, aut lapsus ex alto ad perpendiculum; vel etiam temeritate chirurgi modiolus magna vi apprimitur cerebro ipsumque contundit.

prot. 56. lib. 2.

DOLVITQVE.] Græcum illud, πονέσῃ sensionem ostendit concussionis quæ potens est cerebri, multùm propterea in officio laborantis, vel potiùs eo carentis: idque ad tempus, vel in perpetuum; vt causæ morbificæ, & offensionis est magnitudo. Id ipsum declarant quæ sequuntur.

PERCVSSIS.] Fortiter telo graui desuper ad perpendiculum, siue κατ' ἴξιν de industria: tum ea parte capitis quæ facilè pertundatur.

AVT LAPSIS.] Casu vel iactu, qui vel ex alto rectà ceciderunt in caput ad saxum, vel qui pari iactu in caput; similiter vt Pirrhus & Æschylus conciderunt.

CONTINVO.] Ad punctum temporis: non vt in corde auulso, quod etsi principium est vitæ: tamen principatum non habet sensus & motus, vt cerebrum. Itaque contuso cerebro, cessat continuò animalitas; quæ auulso corde, aliquanosper manet.

VOCE CAPTI.] Græcè est ἄφωνοι: quorum ἀφωνία, i. *vocis amissio* venit διὰ τὴν ἔκλυσιν νεύρων καὶ μυῶν φωνητικῶν, i. *exoluta omni virtute neruorum & musculorum vocalium,* partim mouentium in thorace, ad ἐκφύσησιν, i. *ad efflationem:* partim modulantium in larynge & epiglottide. Sunt quidem aliæ causæ τῆς

ἀφωνίας,

ἀφωνίας alibi iam explicatæ, de quibus nihil appositè ad hunc locum. Quæ autem propria est huius loci, eò certè fuit, quòd ibi, collapso imperio voluntatis à cerebri concussione, motus & sensus vacatio est, inopia τῶν ὁρμωμένων, quæ non mittuntur amplius, vt solebant: sed retrahuntur ad cerebrum, vbi conclusa manent, atque non rarò pereunt. Est enim cerebrum, sedes ac domicilium voluntatis καθ' ὁρμὴν ἢ κατὰ προαίρεσιν, i. ab instinctu & electione, cui morem gerunt τὰ ὁρμῶντα, mouendo & sentiendo.

Non vident] Sensu amisso, cum vitio τοῦ αἰσθητηρίου i. sensorij Ac sensus quidem amittitur, collapsa parte illa cerebri vnde videndi vis manat: tum etiam viuifico spiritu intercluso. In vitio est ipsum sensorium, turbato nitore omnium membranarum, imprimisque autem pupillæ, & conspurcato splendore trium humorum, maximè verò crystallini, & lumine oculorum proprio caliginoso. Ex quibus efficitur vt ipsa τὰ ὁρατὰ, i. sensilia quæ sunt aspectabilia, neque à sensorio excipiantur, neque a sensu videndi percipiantur.

Nec audiunt] Quoniam ab eadem causa obsurdescunt, qua occæcantur. Est autem auditus priuatio, non impedito quidem appulsu τῶν ἀκουστῶν i. audibilium: sed non excepto, culpa auditorij, quod est insitus aër, nunc impurus & crassus; neque percepta ab audiendi sensu: ob vitium partis illius pertusæ, vbi est ipsa facultas atque potentia audiendi.

Ac fere moriuntur] Si quod subsidit cerebrum, à concussione non statim consurgat. Tum enim transitus est de aphonia in apnœam quæ est priuatio spirationis, vnde vitalis caloris suffocatio est atque extinctio, proptereàque mors ipsa. Nec verò spirandi necessitas, neruorum vim excitat ad functionem spirabilem: quoniam pariter illi sunt exoluti cum cerebro: tum spiritus animalis omnino exitu prohibetur, cuius vbertas exhausta est, vt nihil reliquiarum supersit. Itaque omni animalitate collapsa in virtute, facultate, & spiritu, moritur apoplecticus, cui concussum cerebrum ita subsidit, vt non inde consurgat. Nam si consurgeret, maneret sperabilis vitæ salus: & homo voce captus: occæcatus & surdus, ad se rediret. Hæc autem scripta sunt περὶ τῶν ἀναγκαίων apud Hippocratem. lib. 1. [illegible]

3 Οἷσιν ὁ ἐγκέφαλος τιτρώσκεται· πυρετὸς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ χολῆς ἔμετος ἐπιγίνεται, καὶ ἀποπληξίη σώματος· καὶ ὀλέθριοι οἱ τοιοῦτοι.

Quibus cerebrum vulneratur; iis vt plurimùm febris, & bilis vomitio incidit, & corporis apoplexia: tales autem sunt desperati.

Superiore prognosi argumenta sunt ἀναγκαῖα, i. necessaria cerebri concussi, videlicet vocis amissio, cæcitas atque surditas: ἐνδεχόμενα verò, i. posita incerto, cùm scilicet proposito metu, & in spe angusta, nondum tamen ad vltima ventum est. Vt enim cerebrum ictu lapsuve concussum, mox eò consurgit vnde subsidit, aut manet collapsum: ita vocem recipit sauciatus quam ex eo casu amiserat, aut in perpetuum voce captus iacebit. Quæ ratio præceptorem adduxit vt scripserit. Ac fere moriuntur. Vt igitur signa illa sunt ἀχώριστα καὶ ἀναγκαῖα: sic è diuerso, χωριστὰ καὶ ἐνδεχόμενα. Hic autem contrà, ponuntur ea quæ sunt κατὰ ἀχώριστον ad id de quo dicuntur ἐνδεχόμενα, nec semper ἐπιγινόμενα κατὰ τὸ ἀχώριστον, ἀναγκαῖα. Nam vulnerato cerebro, nec semper, nec solius vulneris propria sunt, neque ἀχώριστα, bilis vomitio, febris, & corporis apoplexia, quæ ceterarum etiam pertusionum capitis communia sunt. At quoties ea cerebro vulnerato inciderint, desperationem salutis ostendunt. Sic enim preceptor ait. Tales autem sunt desperati. Prognoseos autem veritas ostendetur in eius examine quod sic aggredimur.

Quibus cerebrum vulneratur] Hic verbum τιτρώσκεται, non eam ponit διακοπὴν quæ sic expressa legitur à Galeno in aphorismis. Διακοπὴ δὲ ἐπὶ μεγάλη τρῶσις ἢ μέχρι βάθους, i. prægrandis sectio & vulneratio ad fundum vsque. Et, Τὰ διακεκομμένα, ὡς τὸ πέρας ἔχοντα διακοπῆς αὐτῶν [illegible], i. Dissecta sunt ea quorum diuisio ad extremum perducta est. Hic enim veritas lucet illius sententiæ. *Quibuscunque dissectum est cerebrum, his necessariò febris superuenit, & bilis vomitio.* Hæc enim cerebro inflammato superueniunt, vt mox dicetur. Inflammatio autem vitari non potest, cùm secando ventum est ad extrema. Nec solùm illa duo symptomata, dissecti cerebri sunt ἐπιγινόμενα: sed illud etiam de quo ita scripsit præceptor. Ἀποθνήσκει δὲ ἢν περὶ ἐγκέφαλον τρωθῇ, i. *Moritur autem si cuius cerebrum sit præcisum.* Quò spectat etiam Galeni distinctio ad illam sententiam præceptoris, vbi docemur vesica dissecta, aut cerebro, aut corde, aut diaphragmate; moriendum esse. Est autem Galeni iudicium; quòd neque omnis vulneratio, neque omnium quæ illic narrantur partium, est citæ mortis funestæ, ne cerebri quidem: nisi prægrandis, quam ipse διακοπὴν nominauit. Quæ ratio me adduxit vt posita hîc cerebri vulneratio siue τρῶσις, non eò perducta esse videatur, quò ipsa διακοπὴ. Nam in diacope, necessaria est bilis vomitio, atque febris, vt scriptum est in aphorismis. Quæ duo symptomata, non ἐξ ἀνάγκης: verùm ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, i. vt plurimùm scribit accidere in hac prognosi. Ergo non est prorsus, nec semper eadem, quæ scripta est τρῶσις in hac prognosi, & illa quæ legitur in aphorismis διακοπὴ. Ex quo efficitur, quòd bilis vomitio atque febris, non sunt ἀναγκαῖα διαγνωστικὰ cerebri vulnerati. Quamobtem. Quibus cerebrum vulneratur] Similiter vt caluaria, in qua teli acuti sedes apparet, qua parte insederit. Vulneratur autem, diuisa vtraque meninge ictu valido teli acuti: nec vlla suspicio est fissuræ, contusionis, nec effracturæ; nisi telum fortassis illapsum

aph. 19. & 20. 6. aph. 50. 6.

aph. eod.

est in suturam, vbi sedes ipsa vel ἕδρα, perpetuò coniunctam habet fissuram, & vnà contusionem. Verùm hic proponuntur symptomata cerebri solo vulnere sauciati, vt suprà, cõcussi atque concussi. Nam ῥωγμὴ caluariæ qua exhibetur sedes & ἕδρα, tantùm substillo in membranam periculosa est; nec aliud quippiam ei periculo adiicitur, præter ipsius carnis vnà diuisæ corruptionem, si quid peccatum est ab imperito chirurgo, vel etiam cœli morbo. Sed illa vtriusque membranæ διαίρεσις, sine qua cerebrum vulnerari nequit, symptomatis fœta est longè grauissimis quæ infrà ponentur. Hic loco dicendum de iis quæ vulnerato cerebro tribuuntur. Eorum quædam reapse videntur [illegible] membranæ dissectæ & cerebri vulnerati. Sunt autem bilis vomitio atque febris. Alia verò, cerebri quouis modo grauiter sauciati; quæ tamen hic propria esse dicuntur cerebri vulnerati. Ex iis in promptu est illud quod vnicum posuit, nempe ipsa corporis apoplexia. Dicendũ de singulis in suo cuiusq; examine, quod sic instituimus.

aph. 50. 6.

VT PLVRIMVM] Ergo non semper, nec solùm à cerebro vulnerato: nam & dissecta membrana eueniunt; idque continuò, per sympathiam quæ cum ventriculo intercedit, in vomitu: non autem per διάχυσιν, oborta febre ab inflammatione. Sed tamen ea fuit opinio præceptoris, vt necessariò eueniant illa symptomata, quæ sunt ἀχώριστα signa cerebri vulnerati. Sic enim scripsit in aphorismis. Ἀναγκαῖον πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι, i. *Necesse est dissecto cerebro, febrem & bilis vomitum superuenire.* Sed eam διαίρεσιν non expressit in primo de morbis cùm ait. Ἢν δὲ τρωθῇ, πυρετόν τε ἐπιγίνεσθαι, καὶ χολῆς ἔμετον, καὶ ἀποπληκτικόν τι τοῦ σώματος γίνεσθαι, καὶ ἀπόλλυσθαι, i. *Sin autem secando, cerebrum sit pertusum; necesse est febrem superuenisse, ac bilis vomitum, vnà quippiam apoplecticum fuisse, & interiisse.* Nam cui cerebrum sectione pertunditur; non potis est ipsum sentari, vt mox dicetur.

FEBRIS] Non ea quidem fracturæ symptomatica, cùm facta est insanibilis ex euentu, negligentia medici vel imperitia. Tum enim febris accidit, æstate quidem, septimo, hyeme autem, decimoquarto; nata ex humore qui ad membranam delapsus, vnde non exiit, lethales ibi excitat inflammationes; vel ex pertusæ carnis atque ossis corruptione. Sed alia quædam febris, pathognomonica cerebri sauciati telo acuto: similiter vt concussi aphonia, cæcitas, atque surditas. Sic enim cerebri vtroque modo pertusi propria & necessaria statuuntur à præceptore primo de morbis, vnde adducta sunt hæc præcepta. Nascitur autem hæc febris cerebri vulnerati, similiter vt principum cæterarum, quoties inflammantur. Semper enim febris est socia inflammatæ partis cuiuslibet quæ principatum habet, & cuius potentia corporis vniuersitas administratur. Atque hæc febris, tyrannidem suam exercet in corpus, vt sua virtute ipsi benignè faciebat, dum rectè valeret pars occupata. Itaque maleficientiam nunc experitur eius, cuius quidem olim beneficentia fruebatur. Sunt enim hæc febris ab inflammato cerebro maleficia.

BILIS VOMITIO INCIDIT] Est enim hoc maleficium inter cætera febris acutæ, à cerebro inflammato, vt noua indebilis continenter succrescat, & teneræ carnes liquantur. Tum primus omnium stomachus bilis appulsum percipit, & ichoris carnium liquefactarum: quia est νευρωδέστατος proptereaq; sensus acerrimi: cuius præstantia sympathiam habet cum cerebro, & syntimoriam rerum omnium fugiendarum & expetendarum. Itaque factus particeps eorum malorum quæ inferuntur ab inflammatione & febre acuta, fœturam habet symptomatum quæ sunt ipsius propria. Sunt autem, cardialgia, bilis vomitio, singultus, & nausea. Qualia exoriri iam vidimus, cùm alteratio atque tensio musculorum qui tempora continent, inflammatione, cerebrum malè habent. Sic in phreniticis annotauit præceptor. Φρενιτικοῖσι μὲν ἀνασπασμοὶ, ἐν οἷσι καὶ ἰώδεα ἐμέουσι, καὶ ταχυθάνατοι τούτων, i. *Phreniticorum conuulsio est: tum æruginosæ bilis vomitio, vnde quibusdam eorum cita mors venit.* Ac de phrenitico cuius historia est apud Hippocratem, ita scriptum reperio. Ὁ φρενιτικὸς τῇ πρώτῃ κατεκλίθη, ἤμεσεν ἰώδεα, i. *Phreniticus quo die primùm decubuit, æruginosa vomuit.*

lib. 1. περὶ [illegible]. Coac. 1. huius tract. 2. Epid. hist. 4. part. 3. 3. Epid.

ET CORPORIS APOPLEXIA] Quæ est reapse totius corporis exolutio, animalitate omni collapsa, in priuatione sensus & motus. Sed tamen in lib. de morbis, apoplexiæ nomen contraxit ad paraplegiam, quæ est quarundam partiũ resolutio, vt suprà ostendimus. Sic enim ait. Ἀνάγκη ἀποπληκτικόν τι γίνεσθαι, καὶ ἀπόλλυσθαι, i. *necesse est apoplecticum quid, mortémque ipsam aduenire.* Siue autem κυρίως, siue καταχρηστικῶς nomen sit positum apoplexiæ; certum est eam non euenire similiter vt iis qui longa iam fracti pertusione capitis, non autem primùm cerebri, signa edunt mortis futuræ. Inter quæ numeratur apoplexia, sicut & conuulsio huic contraria quam de historiis narratè diuerso pertusi ossis accidere; vt in ancilla: quemadmodum & parte vtraque corporis, cùm in propinquo mors est; vt in Autonomo. Sed vulnerati cerebri exorta continuò est apoplexia, læso neruorum principio, & intercepto spiritu qui ciet intus & foris motum & sensum. Vt igitur apoplexia verè dicta; est cita morte funesta, quam ipsa per se infert: sic paraplegia, ex euentu mortem denunciat, ob vitium insanabile cerebri vulnerati. Qualem fuisse narrat Hippocrates illam epidemicam quæ multis exitio fuit: non quidem ipsa per se, quia spirationem non admittit, vt apoplexia: sed à prægrandi frigida intemperie principatus, planè mortifera.

lib 1. περὶ νούσων. Coac. 1. cap 25. libr. 2. lib. de c. vulner.

TALES AVTEM SVNT DESPERATI] Morbo insanabili, qui est vulnus cerebri, membrana dissecta, & amissione vitalis officij, quo vita ipsa penè ad punctum temporis carere nequit. Est autem respiratio intercepta, cum febre assidua, vnde bilis succrescit & carnes liquuntur, quæ cient crebras vomitiones, ob societatem alui cum cerebro. Quòd videns Hippocrates, ita scripsit. Ἀπέθανεν ὅτι ἐγκέφαλον τέτρωτο, i. *Periit is cui cerebrum est vulneratum.*

lib 1. περὶ νούσων.

4 Τῶν ῥηγνυμένων τῆς κεφαλῆς ὀστέων, χαλεπώτατον γνῶναι τὰ κατὰ τὰς ῥαφὰς ῥηγνύμενα.

Oſsium quæ finduntur in capite, difficillima eſt cognitu eorum fiſſura quæ adiacent ipſi ſuturæ.

Hæc sane ponitur operæ precium medici quod maximum eſſe poſſit ἔργῳ καὶ λόγῳ ipſius, in quærenda, inuenienda, & iudicanda ſpecie & idea illius fracturæ, quæ vt minima eſt amplitudine, ſic abundat ſymptomatis atque ſignis vnde ipſa mors venit. Eſt autem, fiſſura quæ vel in ſuturam incidit, vel proximè ipſam ſuturam. Eius inuentio difficillima, difficultatem adfert curãdi: niſi fortè ſerò inuenta ſpem adimat curationis. Eſt autem inuentio difficillima ἔργῳ καὶ λόγῳ, *i. experientia & iudicio.* Quæ duo ſunt inueniendi iudicandíque propria inſtrumenta. Omnis enim cognitio atque ſcientia comparatur duce » iudicio & comite experientia. Sed experientia quæ huc aduocatur τῷ ἔργῳ, incerta eſt atque fallax: » quoniam ſimillima eſt rimæ ſutura, & rima ſuturæ. Sunt enim αἱ ῥαφαὶ ῥωγμώδεες, inquit præceptor, *i. ſuturæ ſpeciem gerunt fiſſurarum.* Ex quo euenit, vt percepta ſpicillo aſperitas, vbi ſutura eſt, nec ſedis, nec fiſſuræ vllum iudicio adferat documentum, ſicut adferre ſolet cùm alibi quàm in ſuturá percipitur oſſis aſperitas. Nec viſu etiam, vel oculorum acie, ſecando, abradendo, fiſſuræ idea & ſpecies è ſutura emerget. Non etiam atramenti quod explorandi cauſa immittitur, firmiter fixa nigricies quæ abradendo non tollitur, fiſſuram oſtendit: quoniam æquè ſutura, nigriciem continet, atque fiſſura.

Iudicium verò laborat & fallitur in diorismo ſignorum quæ non niſi oſſe fracto eueniunt, ſi fortè acutiſſimum telum ſuturam in longum ſecuerit, ibíque veſtigium ſui & ſedem poſuerit, ἕδραν, ἢ ἐγκοπὴν vocat Hippocrates. Nam cùm ea ſectio ipſius ſuturæ, perpetuò habeat coniunctam fiſſuram, proptereáque contuſionem: ſigna ſyllogiſtica fracti oſſis quæ nuper attulimus, æquo iure pertineant ad ipſam diacopen & ad fiſſuram, ſi nulla cerebri læſio ſit à diacope, nec duræ membranæ. Tum ſedis idea ſi fortè percipitur, in occulto latebit ea quæ eſt ipſius fiſſuræ: quamuis eodem ictu parique ſimul incidat cum teli veſtigio, quod tam longè patet, quàm fuit teli ſedes. Secus eſt de fiſſura quæ longiùs ſolet excurrere, quàm vbi telum inſederit. Quinetiam non minori periculo locus eſt ab oſſis corruptione quam infert occulta contuſio, fiſſuræ comes, quàm ab humore qui, oſſe diuiſo, ad membranam deſcendit, vnde non exit; proptereáque cunctando & putreſcendo, inflammationes illic mouet grauiſſimas atque funeſtas. Quæ cùm ita ſint, tempus eſt examen aggredi huius prognoſeωs quæ ſic habet.

Ossium] Syncipitis, frontis, occipitis, quæ ſunt duplicia, diploë intertexta: quorum exterior ſuperficies adiacet pericranio, capillata cute obtecto: interior verò meningi, quæ omnium membranarum eſt parens atque origo. Vtraque autem læuis & perpolita, quæ τὴν ὁμοιοχροίαν exhibet veterum Pythagoreorum qui ſuperficiem cuiuſque corporis χροιὰν vocabant. Iraque tota caluaria ex illis contexta oſſibus, quæ per medium caput excurrit, i. inter vtramque membranam, nulla ſui parte in ſuperficie percipitur aſpera, cùm rectè habet, niſi ad ſuturas quæ oſſa connectunt. Arist. lib. de ſenſu.

Quæ finduntur] Obtuſo telo & graui, quod validæ vires in caput contorſerint, aut lapſu ex alto, vnde finditur os contuſum. Nam quicquid finditur, idem contunditur. Ac ſanè contuſio quidem » cernitur in depreſſa planicie: fiſſura autem in rima quæ longiùs excurrit quàm vbi telum inſederit. Itaque fiſſura omnis illud periculo contuſionis adiicit; quòd præter huius corruptionem, materiam & occaſionem ſuppeditet inflammationis ab humore qui ſtillat in duram meningem, vnde non exit, niſi oſſe exciſo.

In capite] Io caluaria quam prædicta oſſa conſtituunt, ſuturis veris connexa. Nam oſſium lapidoſorum ſquamoſa connexio eſt vtrinque ad ſynciput, ſiue bregma.

Difficillima est cognitu eorum fissura quæ ad suturam est] In ſuturis veris difficillima quidem eſt cognitu quę illic fiſſura eſt, quia συγκλέπτουσι τὴν γνώμην καὶ τὴν αἴσθησιν τοῦ ἰητροῦ, αἱ ῥαφαὶ ῥωγμώδεες φαινόμεναι. i. *Senſum & iudicium medici fallunt ſuturæ, ſpeciem gerentes fiſſurarum,* vt ſcripſit præceptor. In ſuturis autem ſquamoſis, non eſt copia explorandi viſu & tactu: quia illic ſunt muſculi qui tempora continent, quos nefas eſt ferramento attingere, metu eorum ſymptomatum quæ ſcripta ſunt in prima prognoſi huius tractatus. Ac fiſſurarum quæ ſunt in veris ſuturis, telo acuto diſſectis, ex æquo erant pericula inflammatæ membranæ, & oſſis corrupti à contuſione ſocia ipſius fiſſuræ. Quæ res adduxit Hippocratem, vt in pari caſu poſuerit fiſſuram ſectæ ſuturæ, quo cerebri concuſſionem & vulnus. Itaque patefactis ſymptomatis quæ infert concuſſio cerebri atque vulnus, difficultatem poſuit inueniendæ fiſſuræ quæ incidit in ſuturam; maximè autem cùm ſecta eſt telo quantumuis acuto. Atque illa difficultas inueniendi, non rarò interitus cauſa eſt, oſſe corrupto, & inflammata meninge, priuſquam inuenta ſit: quoniam loco, vt debuit, non eſt prouiſum, oſſe exciſo. Tum excidendi ratio periculoſa eſt in ſutura, cui prope ipſam periculo locus eſt. Quamobrem, vt difficillima eſt fiſſuræ inuentio ad ſuturam: ſic temeraria eius curatio, non rarò eſt αὐτὸ τὸ κτεῖνον, *i. illud ipſum quod perimit.*

5 Ῥήγνυται δὲ ἐκ τῶν βαρέων μάλιστα, καὶ τῶν ἐξ ὑπεναντίης φερομένων, καὶ μὴ ἐξ ἰσοπέδου.

Rumpuntur autem potiſsimùm obtuſis telis & grauibus, tum ex aduerſo illatis, non æquo è ſolo.

Coac. 2. huius tract. Coac. 3. eiusd. tract.

EXPOSITÆ sunt omnes differentiæ fracturarum caluariæ, cum idea cuiusque, vnde sunt grauiores, & in spe angusta sanationis. Ac primùm cerebri à contusione vel effractura concussi, ratio est adducta cum iis quæ inde nascuntur symptomatis atque incommodis. Sunt autem, aphonia, cæcitas, atque surditas: vnde mors venit, si quod subsidit cerebrum, non statim consurgat. Huc venit ad examen, ossis διακοπὴ qua teli sedes ostenditur in osse pertuso, ἕδρην vocat Hippocrates, in cuius idea dissectio summa est qua vtroque osse diuiso, atque membrana; cerebrum vulneratur: vnde symptomata hæc necessariò enascuntur, bilis vomitio, febris, & corporis apoplexia, quæ sunt mortifera. Inde subit illa iudicij omnis & sensus multùm secura & negligēs, vel, si mauis, contemptrix, quæ in occulto latet fissura, suturæ impressa, quæ nisi à sciente animaduerti non potest, ab ictu, telo, & partis natura cui telum insederit. Nam vt concedam credibile esse suturam fissilem findi ex facili obtuso telo & graui, ab ictu non æquè valido atque in aliis caluariæ partibus quæ ictui magis resistunt: tamen quæ ratio esse potest fissæ suturæ, ob eámque causam contusæ, quoties telo quantumuis acuto inciditur? Est quidem intolerabilis imperitia cùm teli obtusi & grauis validiore ictu non creditur fissa esse futura: quia fissuram non exhibet aspectabilem, quia est ipsa ῥωγμώδης, si homo prædicta signa ediderit quæ non nisi osse fracto eueniunt. Sed, penè dixerim, summa est inhumanitas, cùm excusatio medici non accipitur de non inuenta nec credita suturæ fissura & cōtusione, cùm secta est. Et tamen huc mentis aciem cōuertendū præceptū est, ad indicandū quòd sine fissura secari non potest ipsa sutura. Quæ cùm ita sint, admirabile est quantū hæc doctrina cæteris antecellat, qua leges ponuntur cum differentiis omnium caluariæ fracturarum, in quibus summa sunt omnia rerum illarum (ideas vocat præceptor) quæ primùm & per se, ipsas fracturas denunciant esse perniciosas ac sæpè funestas. Positis ergo differentiis omnium caluariæ fractura- rum, & magnis ipsarum ideis ac signis quæ cernuntur in fissura, diacope, contusione & effractura: sequitur vt exponantur causæ à quibus illæ omnes fracturæ extrinsecus inferuntur.

RVMPVNTVR] Ea specie ruptionis quæ cernitur in fissura, non in teli vestigio. Hic enim sedes est sola teli acuti. Sed in fissura longiùs excurrit rima, quam vbi telum insederit.

POTISSIMVM] i. Vt plurimùm, ac ferè semper vbiuis caluariæ ossium, si tantùm suturam exceperis, quæ semper incisa telo quantumuis acuto, fissuram habet coniunctam & vnà contusionem.

OBTVSIS TELIS ET GRAVIBVS] Sic enim præceptor alibi, vnde hæc prognosis adducta est. Τῶν δὲ βελέων ῥήγνυσι μάλιστα τὸ ὀστέον τὰ στρογγύλα, αἱ ῥωγμαὶ καὶ ἀφανέας καὶ φλάσιας, καὶ ἐσφλᾷ ἔσω ἐκ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ τὸ ὀστέον τὰ στρογγύλα τε, καὶ περιφερέα, καὶ ὁμαλὰ ἐόντα, καὶ βαρέα, καὶ σκληρά, i. *Sanè telorum illa demum ossibus fissuras inferunt tam aspectabiles, quàm occultas ipsáque contundunt, ac suo quæque loco effringunt; ea quæ sunt rotunda, orbiculata, atque suis oris globosa Tum ea quæ sunt obtusa, grauia, atque dura.* Ergo telis obtusis & grauibus, forti dextera contortis, ossa finduntur quæ primo appulsu contusa sunt, similiter vt ipsæ carnes: quoniam telis talibus nulla secandi vis inest, maxima contundendi & vltrà findendi. Sed vltra fissuram incidit effractura, si ponderoso telo & graui adiiciatur vis effringendi à viribus validis eius qui telum contorserit, sicut poëta cecinit de Laocoonte in equum Troianum.

2. Æneid.

Sic fatus, validis ingentem viribus hastam — *Contorsit.* — Nam tali telo, tantísque viribus credibile non est caluariæ ossa posse resistere, quin contundantur, findantur, & effringantur καθ' ἧττον ἢ μᾶλλον pro ratione ictus ac teli quod contorquetur.

TVM EX ADVERSO ILLATIS.] i. Vt alibi loquitur, è directo, ad amussim, vel ad perpendiculum, κατ' ἴξιν, vtraque ratione τῆς ἴξιος quæ cernitur in linea recta. Nam ictus obliqui, sunt ferè in- ualidi.

„ NON ÆQVO E SOLO] Sunt enim telorum grauium ingentiores ictus & iactus, si eò contorta sint „ atque illata, quo sua sponte ipsa feruntur, hoc est supernè deorsum, non sublime. Sic enim par est conspiratio ad ictum & iactum ingentem, videlicet teli grauis, & virium validarum, quæ aliter infringuntur & eluduntur.

6 Τὰ δ' ἀπορεύμενα πότερον ἔρρωγεν, ἢ οὔ, κελεύειν δεῖ, διαμασᾶσθαι διδόντα ἐφ' ἑκατέρην τὴν σιαγόνα, ἀσφόδελον, ἢ νάρθηκα, καὶ προσέχειν κελεύειν εἴ τι ψοφεῖν αὐτῷ δοκέει τὸ ὀστέον. τὰ γὰρ κατεηγότα δοκέει ψοφεῖν.

Sed cùm in dubio est an sit os fissum, necnon sic iudicare oportet, exhibendo mandendum vtraque bucca caulem asphodeli vel ferulam; ac præcipiendo vt eò attendat, num ipsi os aliquod strepere videatur. Est enim credibile quòd strepunt ea quæ fracta sunt.

NVLLA excusatio est medici accipienda in errore τῶν ἔργων, vnde ignoratio peperit ignorantiam. Sola ignoratio tolerabilis & excusanda, cùm in scientia fracti ossis quæ signis syllogisticis comparatur, fissura τῷ ἔργῳ inueniri non potest, cùm alibi sedem habet quàm vbi telum insederit. Sic enim ratio est præceptoris. ταύτην τὴν ξυμφορὴν ὅταν γένηται, οὐκ ἂν ἔχοις ἀφελέσθαι οὐδέν, i. *Tantæ calamitati cùm inciderit, penes te non est vnde succurras.* Atq; hæc sola excusatio est medici accipienda in omni exercitatione medendi,

lib. de cap. vulner.

si deceptum

si deceptum fuisse se fateatur de non inuenta τῷ ἔργῳ fissura, cùm ea subest alibi quàm in osse percusso. Nam inueniendi nulla est τέκμαρσις, quam tamen hic posuit; vt intelligendi, per ipsa τεκμήρια. Est igitur intolerabilis error medici, cùm errat τῷ λόγῳ. Intolerabilis quoque ignauia, cùm ignoratio non aufertur τῷ ἔργῳ rerum earum quas ratio ipsa subesse ostendit: si tantùm exceperis calamitatem hic positam ossis pertusi, non vbi percussum est. Errauit quidem Hippocrates in quærenda & inuenienda τῷ ἔργῳ fissura, quam tamen subesse, animo complexus erat τῷ λόγῳ. Nec eum fefellit ratio, sed experientia, quòd à suturis deceptus fuerit, quæ sunt ῥωγμοειδεῖς. Sed ita posteris omnem errandi præripuit occasionem, de certo & stabili positu suturarum ex figura caluariæ: vt nemo, nisi amens, deinceps possit decipi eadem ratione qua summus vir olim deceptus fuit in exploranda fissura, etiam si secando inciderit in suturam. Quæ cùm ita sint, examinare tempus est artificium à præceptore hic positum inueniendi fissuram cùm in occulto latet, quam tamen subesse, in promptu sunt argumenta quæ ducuntur ex telo & ictu, tum è symptomatis quæ apparent & fiunt, nec nisi osse fracto eueniunt. Omnia autem prædicta sunt. Atque hoc singulare artificium, nisi me fallit animus, eò potissimùm accommodari debet, cùm ibi non est fissura, vbi percussio. Nam si os fissum est vbi telum graue obtusum, forti dextra insederit rima quantumvis angusta veniet in conspectum, si manet nigricies atramenti affusi quæ abradendo, è rima deleri non potest, sicut è partibus circumpositis. Nigriciem enim continet quod fissum est. Nam in fissura suturæ, cùm illa secando diuiditur, tametsi attamento frustra explorandi ratio adhibetur: at certè iam pridem constat ipsam esse comitem sectionis illius. Nec verò suturæ incisæ qui fortè mandendo strepitus exauditur ab eo qui maxillas fortiter inter se committit, potius ad fissuram referri debet, quàm ad suturæ ipsius διαίρεσιν. Sed forsitan quis obiiciet, eò spectare hoc artificium, vt intelligatur vtrum sectio & fissura sit membranæ tenuis, vtroque osse diuiso. Nam experientiæ locus non est è strepitu, superiore tantùm osse diuiso. Non enim strepit, illæso inferiore. Quod vt concedam, tamen distinctio adhibenda est ossis nudi & circumtecti. Nam ossis nudi perfractio, vel abradendo, vel cohibendo spiritum, innotescit è bullis, in rima velut crepitantibus. In circumtecto autem κρίσιον est auditus, cùm mandendo fortiter, strepitus exauditur vtraque ossis parte diuisa. His ita constitutis.

Sed cvm in dvbio est.] Græcè est, τὸ δ' ἀμφιλογον: quod idem est ac si diceret. Si quis ex incerto certus compósque consilij non euadat, cùm dubitatio est de fissura vbi sit; quam ratio ipsa subesse ostendit atque denunciat ex iis quæ dicta sunt. Tum si nullum superest artificium inquirendi quod in occulto latet, vt quærendi artifex, oleum & operam perdidisse videatur. Et tamen firmissima securitas est illud ipsum esse quod quæritur, nempe fissuram: vnum illud superest documentum quærendi & inueniendi quod positum est in hac prognosi, omnémque locum adimit dubitandi de loco vbi latebat ipsa fissura. Sic enim præceptor ait.

An sit os fissvm, necne.] Quod eò non dicitur, vt aliqua dubitatio sit fissi ossis, quæ profectò nulla est quin ita sit: vt palam faciunt argumenta syllogistica, quæ vt communia sunt omnium fracturarum caluariæ, ita sunt fissuræ propria, coniuncta cum ictu & telo ad findendum accommodatis. Sed quia difficultas & impotentia inueniendi, suspicionem mouet fissuræ, non existentis, quam tamen existere ratio ipsa docet. Ergo si aliqua dubitatio est fissuræ, non aspectabilis, neque tractabilis, quòd alibi lateat quàm vbi percussum est.

Ivdicare oportet.] Id scilicet quod in dubio est cum ἀπορίᾳ, i. *penuria* instrumentorũ quibus inuẽtio cõparatur: cùm scilicet nihil profectũ fuerit sectione, rasura, & attamẽto quia ibi nõ est fissura.

Exhibendo mandendam vtraqve bvcca fervlam.] Quia frutex ille caulem habet leuissimum & plenum medulla fungosa, dum recens est: proptereáque cum oris hiatu, intra molares immissus manditur sine strepitu, quia non molitur: cedit enim ferula medullosa firmiter compressa molaribus, à forti contentione atq; conatu temporalium musculorum. Ex quo efficitur vt maxilla superior inferioris firmo appulsu multùm appressa in manso silẽti ac sine stridore, fractà caluariæ, penitúsq; diuisà, cui contigua est, manétq; immota, collisione ossium perfractorũ diuisorum mandendo firmiter, vbi est vicissitudo abducendi & adducẽdi maxillà inferiorem; strepitũ ibi excitet, vbi fractura est. Atque strepitus exauditur facilè ab eo qui mandit, si eò attẽdat in mãso silenti, vt audiat. Ergo diuisum os, mãdendo strepit quia colliditur: colliditur autem, quia mandendo crebra est vicissitudo adducendi & abducendi maxillã inferiorem, quando committitur cum superiore quæ cõtigua est ossi diuiso. Exauditur strepitus in manso silenti, cuiusmodi est ferulæ medullosæ, si eò attenderit is qui mandit, vt ipsum exaudiat. Mandendum est plena vtraque bucca, tum vt firmior sit mandendi contentio, tum vt percipiatur qua parte os fissum est. cùm sedes fissuræ vbi sit, dextráne an sinistra, non potis est mente complecti.

Est enim credibile qvod strepvnt ea qvæ fracta svnt.] Enimvero strepitu, fractura caluariæ innotescit quæ in occulto erat: nec tamen in dubio quin ita esset, nisi quatenus transeundum est à mente certa, ad sensus incertos; vel à constanti iudicio, ad fallacem experientiam. Agitur autem de inuenienda sede fissuræ, quam ratio ipsa subesse ostendit, vbiuis partium illa sit: quia medicandum est manu. Sed ratione duce, certa comparatur experientia, quæ hic præscribitur, inueniendi locum vbi latet fissura, vt ei apposite chirurgia fiat. Ergo si explorando, visu & tactu, nihil profeceris; adhibenda est machina quæ aduocet vim audiendi, qua, sono extraordinario, rima quæ fuerat inspectabilis & intractabilis, percipiatur. Est autem hic posita & explicata, cuius huiusmodi attulit epilogismum. Credibile est qvod strepvnt ea qvæ fracta svnt.] Sanè quidem, si causa & occasio strependi adiiciatur quæ hic præscripta est. Omnis enim strepitus qui tum in aluo, tum in pectore, ab excrementis illic stagnantibus exauditur: tum etiam in solidis partibus, rerum illarum inter se diuisarum, ac veluti fluctuantium, opinionem facit. Sic in thoracis em-

pyemate quò minor est puris copia, eò maior strepitus exauditur, concussis empyici humeris. Contrà quò maior est puris abundantia, eò minor strepitus esse solet, aut certè nullus: quoniam nulla est fluctuatio. Sic in osse diuiso cùm cietur collisio, strepitus excitatur: in continuo autem nullus; quia collisio nulla est. Ergo credibile est vt ea strepant ossa quæ fracta sunt, quando cietur collisio, vt certè hîc mandendo cietur in fracta caluaria.

7 Προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου τὰ ἐρρωγότα μὲν ζ΄. τὰ δὲ ιδ΄. τὰ δὲ καὶ ἄλλως διασημαίνει. τῆς τε σαρκὸς ἀπόστασις ἀπὸ τοῦ ὀστέου γίνεται, καὶ τὸ ὀστέον πέλιον, καὶ πόνοι ἰχώρων ὑπορρεόντων. γίνεται δὲ ταῦτα ἤδη δυσβοήθητα.

Sed procedente tempore ossium rima occulta, tum septimo, tum decimoquarto, tum aliàs quoque se prodit. Nam & caro abscedit ab osse; ac tum apparet os liuidum. Dolores item ichorum diffluentium excitantur. Atque iam pridem hæc difficulter cedunt auxiliis.

ENIMVERO medicus defatigari non debet quærendo, donec inueniat vbi caluaria in vitio est fracturę illatę, nec tamen tractabilis, nec aspectabilis. Qui secus facit, opinionem meritò subit occisi, quem sors ipsius non tam peremit, quàm vel ignauia, vel imperitia medicantis. Nam rima detecta, foret sanabilis, quæ abdita & occulta, redditur insanabilis. Est enim consentaneum vt omnis caluariæ grauis pertusio, vicinarum partium, ac primùm sui corruptione & inflammatione, ad interitum sit fatalis; nisi remedia loco adhibeantur, quibus corruptio & inflammatio arceantur. Sed ea remedia loco adhiberi non possunt, nisi etiam loco in conspectu sit ipsa rima quæ in occultò latebat. Id autem est loco, si non primo die, saltè postridie, aut ad summum perendie: quibus exactis, vana est omnis industria quærendi atque curandi, præsertim æstate, qua inflammationis & corruptionis causæ atque symptomata magis in promptu sunt, quàm in cæteris anni partibus. Loquor autem de trœmatis ipsius caluariæ, de quibus hæc sancita lex est à præceptore; non autē de aliis, vt brachiorum & crurum. Scire autem licet quòd omnis corruptio fissæ in occulto caluariæ, sua fundit symptomata suo quæque loco pestifera, in falsò credita integritate: nec priùs apparet fissura neglecta, aut perfunctoriè ac negligenter quæsita, quàm signa ediderit eius quæ in propinquo est mortis. Signa autem ponuntur in hac prognosi quæ sic conscripta est.

SED PROCEDENTE TEMPORE.] Cùm scilicet illud exactū est tempus quo erat occasio quęrendi & inueniendi ἔργῳ καὶ λόγῳ fissuram, dum esset sanabilis, nec dum funestæ causæ inciderāt ex euentu, omissa loco idonea curatione. Sunt autem causæ funestæ, corruptio & inflammatio, quæ solent accidere labentibus inde diebus a pertusa caluaria, nec tamen inuenta loco pertusione, nec loco adhibita prouisione. Nam illud quod scriptum est, προϊόντος τοῦ χρόνου, eò certè pertinet vt intelligamus, paroxysmis morborum atq; periodis quę sunt in tempore, motus omnes cieri quibus mutatio ipsa fit, tum ad pepasmū & excretionem, duce natura, vel ad corruptionem & interitum, imperio morbi & magisterio. Scitū est illud. Οἱ παροξυσμοὶ ἐν τῷ χρόνῳ. & quæ sunt eiusmodi. Tempora autem præcedentia mox dicentur.

lib. περὶ χυμῶν.

OSSIVM RIMA OCCVLTA] Græcè est, τὰ ἐρρωγότα, i. omnis fissura, vel illa quæ fissa sunt. Non tamen consultò, ex perspicientia τῆς διανοίας nostri authoris *rimam occultam* vertimus; quæ scilicet in conspectu cùm non esset, tamen non adducta est in conspectum, per imperitiam medici, vel eius ignauiam. Est autem occulta, sede ipsa; vel rimæ idea. Ac sede quidem; vel in sutura, telo quantumvis acuto præcisa; vel cùm perrupta est alibi quàm vbi telum insederit. Idea autem; si angustissima est, nec abradendo exactè quæsita, vt iam præceptum est. Nam effracturæ quæ cum fissura est, difficilis non est inuentio. In promptu autem prouisio est, qua & corruptio, & inflammatio vitari debet.

TVM SEPTIMO DIE.] Vbi celeritas, assiduitas, & vehementia motus, celeritatem quoque adfert mutationis ad inflammationem & corruptionem ossis pertusi, & partium vicinarum. Id locum habet in vtroque syncipite præsertim vbi est prope suturam, maximè verò æstate quam pluuiæ occuparint. Nam primis periodis cita mutatio esse solet ad interitum vel ad salutem, vt eò conspirat celeritas motus naturæ, morbi, ac temporis. Sic morbi acuti, celeriter quidem omnes, ac celeriùs æstate quàm hyeme iudicantur. Nam & quartanæ æstate sunt breues, & autumnales longæ. Est autem syncipitis violati atque pertusi motus celerior atque mutatio, quàm cæterarum capitis partium; præsertim autem quà ipsam suturam attingit.

libr. 1. aph.

TVM DECIMO QVARTO.] Cùm scilicet non tam cita venit corruptio, nec inflammatio, vt certè nondu venit, si longiùs abest pertusio à sutura; si os pertusum durius atque solidius, si leuiùs item percussum, quamvis alta rima diuisum; vt cùm eo telo quod rimam fecit, illæsa manet membrana quæ subiacet ossi percusso, indéque pertuso. Nam quod obiicitur de Autonomo, quem scripsit Hippocrates, à trœmate capitis interiisse decimo sexto die, cùm ei lapidis iactu, æstate media, pertusa esse sutura quæ per medium bregma excurrit, ex qua præceptor deceptus est tanquam rimosa, vnde peccatum est in commoda sauciati, quòd ea ignoratio commodandi locum omiserit; non admota scilicet loco serra rotunda.

rotunda siue modiolo in vicinio suturæ: ac tandem præterita occasione, cùm iam ad vltima ventum esset serò diuisum ferramento quod fuit 15. die, membranam ostendisse pauco perfusam pure, ac cætera corruptionis expertem: postridie autem suum obiisse diem Autonomum, quem æquum fuerat intra septimum obiisse, nec vltrà. Vt illa concedam, quæ vera sunt omnia: tamen non efficitur, falsam esse regulam quæ posita est de septimo die in pertuso bregmate ad suturam; idque æstiuo tempore, quo maior esse solet moriendi celeritas, quàm hyberno. Nam serioris interitus excusationem habet historiæ clausula in verbis concepta. Καὶ ὑπῆν ὑπόπυον ὀλίγον, ἡ δὲ μῆνιγξ ἀσαπὴς ἐφαίνετο. i. *Subierat paucum pus: ipsa verò membrana visa est incorrupta.* Ergo nec læsa fuit ab ictu, nec inflammata est ab humore qui ad ipsam descendit: quo non exeunte, inflammationes mouentur lethales. At citæ mortis causa est, cita membranæ inflammatio atque corruptio, quæ nulla hîc visa est ab osse corrupto.

Tvm alias qvoqve se prodit.] i. Celerius, seriúsve quatuor illis periodis quæ absoluuntur 14. die, de quibus homines intereunt aut conualescunt à morbis acutis; vt scilicet tarda aut cita est ossis, membranæ, & carnis inflammatio atque corruptio. Distinctio autem petenda ex telo & ictu: tum verò ex osse cui telum insederit: quibus accedunt regio, tempus, & ætas.

Nam caro abscedit ab osse.] Quia: vt omne viuens, consortis mortui impatiens esse solet: sic mortuarum partium nulla est consociatio, sicut viuentium. Est enim cariosi ossis atque corrupti caro inde nata emortua: tum pericranij caluariam vestientis, eadem planè conditio quæ ipsius membranæ cerebrum inuoluentis, vnde illa producitur. Atque vt membrana putris abscedit à cerebro: sic pericranium ab ipsa caluaria quam suo complexu fouebat. Membranæ corruptæ causa est inflammatio: inflammatur à sanguine & ichore, quem excipit partim à carne pertusa, partim à diploë fissi ossis. Inflammationis illius particeps pericranium, cephalalgiam febri adiungit, quam edit membrana cum signis coniunctam funestis, vt mox dicetur; præsertim cùm ei inflammationi succedit corruptio. Sic igitur membrana putris abscedit à cerebro, & à caluaria pericranium; quod hic vocatur caro, sicut in libro de capitis pertusionibus. Nota est illa descriptio capitis posita eo libro his verbis. *Duplici constat osse caluaria, quæ per medium caput excurrit, cuius id quod supremum est, carníque subiacet, durissimum est atque densissimum.* Vbi, ne longum faciam, certum est carnem vocari tunicam pericranij.

Et lividvm os apparet.] Est autem eiusmodi: quia emortuum, extincta viuacitate vitalis principij quod erat in parte solida; tum intercluso nectare ipso viuifico quod venit è corde. Adeo vt liuor ille qui nunc apparet in osse quod erat priùs album dum viueret, causam non habeat τὴν ναυτίασιν ἢ τὴν ἔκχυσιν, i. *nauseam vel effusionem,* sicut in sugillatis: sed νέκρωσιν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, i. *emortuum vitæ innatum calidum atque viuificum* Est autem extincta ἡ ἀρχὴ ζωτική, & exhausta ὁ θυμός.

Incommoda item veniunt ab ichoribus subterlabentibus.] Quod certè perinde est ac diceret. Exorta febre in rima occulta, post septimum diem, æstate; & paulò infra decimumquartum, hyeme; caro abscedit ab osse, velut sale condita, colore fulua, inde subliuidam os autem non incipit occupari sphacelo, & fieri cariosum, quod erat læue & perpolitum; postremò subflauum & cinericium. Sed præter ea quæ cernuntur in carne & osse multùm à se mutatis colore, charactere, & mole: ichorum quoque subterlabentium symptomata excitantur. Sunt autem sic à præceptore tradita. *Si purulentum os fuerit, aut pustulæ assurgunt in lingua, aut ipse percussus & saucius cum delirio vitam finit. Tum ab ichore qui ad membranam descendit, nec exitum inde habet, inflammatio grauis mouetur. Postremò, cùm in propinquo mors est, conuulsio partes occupat quæ sunt è diuerso pertusæ.* Ac de symptomatis quemadmodum illa veniant ab ichoribus in pertusa caluaria; dictum est alibi. Tunc illud tantùm attingam, quod à quibusdam visum est miraculo potiùs apponendum, quàm super eo cur ita sit, accuratè disputandum. Est autem, conuulsio partium quæ sunt è diuerso pertusæ.

Sanè conuulsionis illius quam, sicut dixi, narrat præceptor inferri à trœmate capitis, sola, vt paucis absoluam, causa est inflammatio. Sic enim Galenus ait. Καὶ γὰρ τοῖς τραύμασιν οἱ σπασμοὶ γίγνονται τῷ λόγῳ τῆς ἐπιγιγνομένης αὐτοῖς φλεγμονῆς, ὅταν ἅψηται τῶν νευρωδῶν μορίων. i. *Reapse vulneribus conuulsio incidit merito eius quæ ipsa consequitur inflammationis cum scilicet ipsa neruosas partes attigerit.* Non enim conuulsio ibi est, neruis à frigido & glutinoso humore distentis: nec verò ipsam facit humidum primigenium nerui absumptum, ac multò minùs resolutio partis pertusæ, vt in præcisis musculis qui tempora continent, vbi conuulsio incidit è diuerso partis præcisæ. Verùm, dicet aliquis, posita inflammatio hæc conuulsifica, causam non aperit cur ipsa conuulsio sit potiùs è diuerso, quàm è directo partis pertusæ. Instat Galeni authoritas inscribentis ad idem quod iam adduximus. Καὶ πρῶτα μὲν ταῦτα σπώμενα τὰ μὲν κατ' εὐθὺ τῶν φλεγμαινόντων. i. *Ac prima cernuntur conuulsa, quæ sunt è directo partium inflammatarum.* Ex quo apparet, quod inflammatio conuulsifica conuulsionem non mouet in partibus quæ sunt è diuerso ipsius, sed è directo. Quod sanè concedo. Sed audiamus quod sequitur. Εἶθ' ὕστερον ὅταν τῆς ἀρχῆς αὐτῆς ἅψηται τὸ πάθος, ἐπὶ πᾶν ἐκτείνεται τὸ σῶμα. i. *Deinde verò cùm principatum attigerit inflammatio, in vniuersum corpus excurrit affectio siue conuulsio.* Ex quibus efficitur, conuulsionem natam à trœmate inflammato, primùm è directo esse partis percussæ, mox autem pariter è diuerso, vt è directo, i. æquè dextrâ atque sinistra principio inflammato. Talis conuulsio visa est ipsi Autonomo, lapidis ictu percusso atque pertuso ad medium sinciput, in ipsius sutura quæ rectà excurrit à fronte ad occiput. Huic enim conuulsæ sunt ambæ manus; quòd in medio bregmate vlcus esset. Secus autem fuit puellæ cuidam Omeliæ quę conuulsionem experta est partium sinistrarum, cùm in dextris esset pertusio. Hic sanè quærendū cur è diuerso conuulsa est, non è directo. In promptu causa est, quam sic præceptor posuit. Ἐν γὰρ τῷ δεξιῷ μᾶλλον εἶχε τὸ ἕλκος, i. *Quoniam dextra potiùs pertusionem habebat.* Quæ ratio pugnat cum iis quæ ex Galeno adduximus. Sed symperasma est præceptoris, cuius tanta fuit benignitas, vt nihil sciuerit quod nos nescire voluerit: tanta autem solertia & sapiētia,

vt nemo post eum sciuerit quod ipse ignorauerit. Itaque turpis erit quærendi defatigatio cur ita summus dictator sanciuerit. Quæramus igitur, & Galenum ducem sequamur. Ergo non vbi pertusio est ossis caluariæ, nec è directo eius conuulsio accidit, sed è diuerso: quoniam eò migrat inflammatio conuulsionis causa, quæ tollitur è vicinia directa partis pertusæ, ope modioli, si conuenienter & loco adhibeatur. Migrat autem, illuc transmissa & propagata, vnde non habet exitum: sicut è membrana quæ subiacet ossi pertuso. Itaque si loco vitetur inflammatio, detracto ichore per foramen ossis diuisi, nulla superit conuulsionis causa. Sin autem seriùs os diuidatur, vitari quidem poterit conuulsio è directo ossis diuisi: sed è diuerso minimè: quia ichor non erit, quem illa pars è sauciata excepit. Hinc veniet inflammatio partium neruosarum, propterEáque ipsa conuulsio. Quòd si prætermissa ossis diuisio, viam ichori ad liberum exitum, non vt par erat, muniuerit, tum nascitur inflammatio dextra, similiter vt sinistra, quæ proculdubio ibi conuulsionem mouebit, vbi occupabit genus neruosum: ac primùm quidem è directo, mox è diuerso, si eò fuerit propagata. Est autem æqualis propagatio, & inde pariter conuulsifica, parte vtraque, si telum suturæ insederit quæ per medium bregma excurrit. Quod legimus contigisse Autonomu, cui conuulsæ sunt ambæ manus, quòd in medio bregmate ad suturam, lapidis ictu esset percussus atque pertusus: ipse autem modinli beneficio caruisset cùm eo mximè opus esset. Nam pridie quàm interiit (interiit autem 16. die) curari cœpit modiolo, cùm iam funesta essent omnia. Tum osse diuiso, pus visum est non ita multum, membrana autem corruptionis expers. At verò puella Omelia, duodecim annos nata, æstate media conuulsionem habuit è diuerso pertusæ caluariæ, i. sinistra parte, cùm in dextra esset pertusio ad suturam. Sic autem res fuit. Accepto ictu de ianua; præuisum est quidem prudenter, opus esse mediolo: sed eo tamen conuenienter non est prouisum, quòd antè substiterit de circumactu, quàm sanies in membranam illapsa, exitum inde habuerit. Hinc nata est inflammatio putulenta, quæ mouit rigorem & febrem die octauo. Quæ res adduxit medicum vt postridie, i. nono, rursus modiolum adhibuerit, ac tum os illud ademerit quod circumactu modioli continetur. Tum in conspectu fuit membrana, quæ incorrupta pauco stagnabat pure & sanguine. Ipsa verò puella, quam febris assidua occupabat, somno sepulta, cum prædicta conuulsione interiit decimoquarto die.

Quæ cùm ita sint, primum super eo quærendum quod instar fuit omnium rationum summo Hippocrati. Est autem id positum in historia. Quòd ideo sinistrarum partium fuit conuulsio: quoniam in dextris erat pertusio. Sed illa ratio vlterius resoluenda. Non enim conuulsa est illa puella, neruis ab eo pure distentis; quod incorrupta membrana exhibuit nono die, quo in conspectu primùm fuit osse diuiso. Nec verò inflammatæ illius membranæ per foramen conspectæ, symptoma fuit illa conuulsio. Nam incorrupta erat membrana pure stagnata & sanguine: quibus exhaustis, nullæ illic restabant reliquiæ conuulsificæ. Quid superest igitur quod faciat conuulsionem è diuerso partis pertusæ? In promptu sunt; ichor eò transmissus & propagatus, nec exitum inde habens, sicut vbi pertusum est & terebratum; sed serò: tum febris ipsa, & rigor. Enimvero bilis continenter à febre succrescit, cuius amplificatio, partium vicinarum & sociarum cerebri contagionem mouet siue sympathiam. Sunt autem nerui vicini & socij: propterEáque primi omnium vitiantur, quotiescunque in vitio est principatus eorum. Rigor autem symptomaticus empyematis, ab ichore stagnante frustra exortus, nouam adducit μετάστασιν atque phlegmonem vbi cietur. Ex quibus efficitur, vt inflammatio ab ichore, tum bilis à febre amplificatio, cum occasione rigoris frustra oborti, prorepat è membrana ad cerebrum, indéque ad genus neruosum, vbi conuulsio excitatur. At enim fortasse obiicietur, quòd sympathia omnis per διάφυσιν sursum deorsúmque mouetur κατ' ἴξιν, non autem ἀνάπαλιν; nisi cùm est orgasmus. Sanè illud ipsum quòd hîc cernitur τὸ ἀνάπαλιν partis pertusæ; reuera est κατ' ἴξιν partis à telo quidem illæsæ: sed vitiatæ à principatu offenso. Est autem eius offensio ab ichore stagnante & à febre ibi concepta: tum à rigoris concussione, cum succrescentis bilis perennitate. Sed quoniam illa perennitas non habet exitum è diuerso, vti nec ichor; sicut è directo, vt dictum est: mirum videri non debet si faciat illic symptomata quæ inflammati nerui sunt propria, cuiusmodi est ipsa conuulsio: non autem vbi telum insedit; vnde si exeat loco sanies, vitatur corruptio & inflammatio, atque adeo febris ipsa, vnde cita mors venit. Quamobrem verè, sapienter, & appositè dictum est a præceptore; quòd ideo venit conuulsio è diuerso, non è directo pertusæ caluariæ: quoniam huic parti prouisio adhibetur, qua vitatur ipsa conuulsio. Est autem, sanguinis & saniei vacuatio. Sed ea ratio his inclusa literis continetur. Ἐν γὰρ τοῖσι δεξιοῖσιν εἶχε τὸ ἕλκος .i. *Quoniam in dextris potiùs erat pertusio.* Atque hoc symperasmate, conuulsionis prædictæ ratio continetur. Plurimùm autem facit vt ita esse persuasum habeam; quòd in occulta rima hîc posita, quæ scilicet non est vbi telum insederit, sed è diuerso, propterEáque caret ope modioli, symptomatum omnium funestorum illinc è directo principia causæque primùm ducuntur, & illic apparent.

Atqve hæc difficvltar sam pridem cedvnt avxsliis.] Quoniam inueteratio causæ morbificæ, principatum naturæ sic occupat, vt eo collapso, à priuatione habitus denuo comparari non possit. Atque illa vis occupandi, ostenditur vacuitate officiorum quibus vita carere non potest: tum verò symptomatum grauitate, quibus ipsa opprimitur. Atqui morborum omnium, principatus naturæ sic occupantium, vt inde ipsorum officia peruertantur & collabantur; omnis medicatio irrita esse solet.

DE VVL-

DE VVLNERIBVS ET FISTVLIS.

ΟΚΟΣΟΙΣΙΝ ἐπίπλοον ἐκπίπτει· ἀνάγκη ἀποσαπῆναι. Cap. II.

1 *Quibus omentum excidit; necessariò hinc putrescit.*

HACTENVS de capitis percussionibus, quarum corruptio & inflammatio mortifera est contagione cerebri & membranæ. Nunc de incommodis vulnerum quæ vel à parte saucia enascuntur, vel à vicinis & sociis inferuntur, læso ipsarum propugnaculo, vnde potissimùm conseruantur. Sunt enim grauiora ventris, thoracis, & capitis vulnera, non tam merito illarum partium sauciarum, quàm earum nobilium atque vitalium quæ intra eas viuunt & sunt viuificæ. Ac primùm vulnerati abdominis symptomata hic ponuntur quæ veniunt ab omento, cùm sua sede mouetur, & excidit per vulnus illatum.

QVIBVS.] Abdomine vulnerato sauciis, omento tenus diuiso peritonæo, nec vltrà.

OMENTVM EXCIDIT.] Foras exit per vulneris amplitudinem, quam fortè intulit venabulum lato ferro, vel etiam latus ensis aut pugio. Non enim hìc verbum *excidendi* pertinet ad prolapsum omenti, quem sæpe habet in scrotum, à laxitate quam attulit fortis contentio in gerendo, vel attollendo grauiore & impari viribus onere, vbi diu manet ad vitæ finem. Nec verò in præpingui abdomine si claudit os vteri, vnde sterilitas, eò prolapsum excidisse dicitur, vt scriptum est in hac prognosi: cuius ἀφόρμια tantùm spectat vulnus abdominis, vt Galenus author est in aphorismis. Huc spectat etiam ea sententia iisdem verbis hac de re concepta 1. lib. de morbis, vnde τὰ ἀναγκαῖα tantum atque vulnerum huc transcripserunt Scholæ Coæ magistri. Excidit autem omentum, per vulnus abdominis, quia non ampliùs inuolucro peritonæi complexum, suo continetur loco, vt olim, cùm esset fomentum ventriculi & intestinorum. Excidit verò facilè: quia supernat, vnde nomen habet epiploi, nullo constrictum vinculo quo exitu prohibeatur. Sed cum exciderit. (aph. 58. 6.)

NECESSARIO HINC PVTRESCIT.] i. Quia excidit, inde putrescit, τῷ λόγῳ τοῦ ἐπιδέχεσθαι i. *emerito suscipientis causa* ambientis appulsum, quem nunquam experta est. Quæ ratio sicut communis est, aliarum quoque partium abditarum, simulatque contactu & qualitate aeris offenduntur, quo nunquam vsque sunt familiariter: tum verò epiploi siue omenti consentanea, penèque dixerim propria esse videtur: tum quia excidit; tum quia putredini obnoxium est præter cæteras. Nam calidum eius innatum corrumpitur facilè in proprio humido, simulatque contactu & qualitate ambientis offenditur. Tum illa pars venis obsita, causam putredinis τὴν ἐπιδεκτικήν, secum portat in ambientem, corruptionis authorem, videlicet sanguinem qui non habet φυλακὴν in vena detecta. Sic enim comparata est ratio seminis τῆς ζωτικῆς, vt facilè corrumpatur, si aliò effundatur quàm in matricem fœminæ consocialis: quia non habet φυλακήν. Sanguinis autem sic ratio est atque conditio, vt ne intrà quidem maneat incorruptus, vel ad punctum temporis, si fortè sit extra venas, vbi non alibi conseruatur. Ac ne in venis etiam diu retinet suum calorem, corruptionis expertem, si aliquantisper sub dio sint expositæ ambienti, detectæ sua carne, & suo, vt ita dicam, eiectæ propugnaculo. Ergo sic res eunt omenti, vt partim suo egressum domicilio, partim venarum, quibus abundat, propagine, à communi causa putredinis, propriam citò habeat corruptionis differentiam, præter cæteras partes in graui odore. Quamobrem non antè manibus reponi debet in aluum, quàm excisum fuerit illud quod excidit, sicut præceptum est à Galeno. (3. Epid.)

2 Ἢν ἔντερον διακοπῇ τῶν λεπτῶν, οὐ συμφύεται.

Si quod præcisum fuerit tenuium intestinorum; non coalescit.

QVÆ IN medendo sunt omnia, scopum habent τὸ κατὰ φύσιν, id scilicet quod est naturaliter constitutum. Ex cuius perspicientia, partium è natura egressarum redintegratio comparatur, aut ne tentatur quidem, nisi ab imperio medendi. Enimvero nullius partis è natura egressæ redintegratio prius tentari debet, quàm ea cuiusmodi sit, & quanta eius egressio, cognoscatur. Huius rei notitia est in hac prognosi, qua ponitur sectio tenuis intestini, vnde spes omnis adimitur coalescendi, videlicet ex vulneris amplitudine, & vulneratæ partis natura. Quorum examen & comparatio, impotentiam planè ostendet ipsius symphyseos, quò spectat potissimùm omnis medicina vulnerum & fracturarum. Omnis enim diuisio redintegratur per symphysin.

Ergo. SI QVOD.] De tribus intestinis quæ transponendo chylo, digerendo, & segregando, sunt comparata, propterea'que ipsis tributum est vitale officium quo vitam carere diu non potis est. Atque hæc secundas tenent inter partes nutritias, quarum aliæ quidem coquendo, aliæ dirigendo, aliæ excernendo suam dicarunt operam.

TENVIVM INTESTINORVM.] Quæ sunt ecphysis, transponendo chylo; ieiunum, distri-

natura, si nulla sit ex consuetudine. Sic dentium stridor atque collisio, quæ dormiendo auditur à medico, ipsum metu non exterret, si ea sit ægro dormiendi consuetudo.

DELIRIVM INDICAT.] Sicut omnis compositio indecora, quam facit dissimilitudo institutorum meorum.

ET CIRCA VENTREM DOLORAS.] Ac tum indecora compositio in eo iacendi habitu iussa est & inuita, tensionis amoliendæ causa, & dolorificæ suspensionis vitandæ. Ac talis habitus decumbendi quo se componit æger, dolori sedando, signum est diligentis sui naturæ, potiùs quàm dementiæ: nisi fortè is dolor aluinus consecutionem adferat mentis perculsæ, ipsiúsque delitij de quo sunt positæ illæ prognoses. *Palpitatio ventris in febre; facit insaniam.* Et, *Vmbilici dolores cum pulsu coniuncti; nonnihil paraphoricum præ se ferunt, nec suæ mentis ægrotum esse testantur.*

Coac. 28. & 30. capit. 11. lib. 2.

Sic in prognostico, vbi meliùs quàm in Coacis.

14 Εἰ δ' καὶ γυμνοὺς τοὺς πόδας εὑρίσκοιτο ἔχων, μὴ θερμοὺς κάρτα ἐόντας, καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὸν τράχηλον, καὶ τὰ σκέλεα ἀνωμάλως διερριμμένα, καὶ γυμνά· κακόν· ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει.

Sin autem nudis pedibus, nec ita calentibus deprehendatur iacens: tum manibus, & ceruice, cruribus item disiectis inæqualiter, atque nudis; pestiferum. Anxitudinem enim denunciat.

OMNIA QVÆ apparent & fiunt contra naturam morbi & ægri; pestifera sunt atque sinistri iudicij: præsertim si nulla sit critica perturbatio, cuius excusatio accipienda est etiam in alba vrina, delirioque ipso, dum itur ad crisin morbi acuti. Ergo si contra naturam febris acutæ, qua foris pariter atque intus calescunt eximiè quos occupauit; & contra ægri consuetudinem qui sapienter vitam instituit; pedes non ita calentes vti par erat, nudi appareant, sic deprehensi à medico; nec vlla suspicio sit commoti humoris ad crisin: talis iacendi habitus, graue intus malum subesse testatur, quod pessimè & periculosè habet ægrotum. Cuiusmodi autem sit malum, docebit recensio huius prognoseos quæ sic habet.

SIN AVTAM NVDIS PADIBVS.] Quos, reuoluta stragula, foras exponit, frigoris capiendi causa.

NEC ITA CALENTIBVS.] i. Non dignè satis pro æstu febrili quo incandescit æger, quem æquum fuerat toto diffundi corpore, omnibúsque artubus; vt sanè diffundi solet in omni febre acuta bene morata. Secus fit in lipyria & causo, vbi non est æqualis perceptio ardoris febrilis tam foris quàm intus: sed inæqualitas magna, vbi ardent viscera cum artubus alsiosis.

DEPRAHENDITVR IACENS.] Priusquam medicus ad spondam lecti accesserit, nec eius præsentia vrgeat ipsos velare, donec id faciundum præceperit ex dictatoris edicto. Ὕπνος ἐμψύχει ἐπιβεβλημένος. i. *Somnos intre opertum, & frigus captantem.* Talis est illa distinctio quam initio posuit in deprehenso habitu decumbendi de more sani iacentis. Sic enim ait. Κατακείμενον δὲ χρὴ καταλαμβάνεσθαι τὸν νοσοῦντα ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ. i. *Decumbentem ægrum oportet deprehendi à medico.*

6. Epid. part. 4. lib. 1. progn.

TVM MANIBVS ET CARVICE, CRVRIBVS ITEM DESIFCTIS INÆQVALITER, ATQVE NVDIS.] Vt ipsum tædeat omnis loci & omnis figuræ, cum falsi caloris in artubus tædio intolerabili: vnde illa veniunt, disiectorum artuum & sine causa nudorum, fastidia. Sic enim apparent negligenter dispersa & inæqualiter, vt omni ratione sint omnium minimè sibi placentis ægri, & sua sorte, vt ita dicam, contenti: sed contrà sibi maximè displicentis, & sua tædia ostentantis per impatientiam vel intolerantiam cuiusque figuræ & loci, quam ipsa declarat crebra mutatio.

ALYSMVM ANIM OANVNCIAT.] Hic nomen Græcum retinui, quo vtraque causa ægri iactati & anxij continetur. Ac neque anxitudo, neque iactatio, satis apposite, ipsa per se, naturam alysmi ponit ob oculos: cuius vtraque subest ratio in hac prognosi. Est enim iactatio & anxitudo, vnius alysmi, qui suo complectitur ambitu τὴν ἄσην καὶ τὴν δυσφορίαν, quarum illa est anxij, hæc verò ægri iactati. Causæ in promptu sunt. Nam cùm alysmi nomen veniat à verbo ἀλύειν, quod est multarum rerum satagere, studiáque sua subinde ad res nouas conuertere, earum fastidio quæ priùs placuerant: hinc nomen alysmi translatum ad ægros qui, ad punctum temporis, quæsuos fastidiunt nouos iacendi habitus. Eius fastidij duplex omnino causa est: vna quidem, stomachi proritatio atque morsus, à feritate humoris, cum æstu: altera autem, virtutis oppressio à corporis grauitate, vt nulla collocatio ei fastidio sit gratiosa. Causæ vtriusque signa sunt syllogistica. Prioris quidem, nauseabunda proritatio: alterius autem crebra iactatio, moræ impatiens, sine nausea. Itaque duplex alysmus, distinctione causatum, nominari solet à Græcis; ille quidem ναυσιώδης; hic verò ἀδήμονος. Vtraque alysmi causa, fastidiosum parit habitum decumbendi, qui cernitur in artubus quoquouersum subinde iactatis atque nudatis: tametsi præcipua iactandi causa, est virtus languida & oppressa: nudandi autem febris ardens & lipyria. Sed plura de alysmo scripsimus primo libro huius operis.

aph. 54. 7. prorrh. 44. lib. 2.

15 Ἀνακαθίζειν δὲ βούλεσθαι τὸν νοσέοντα, τῆς νόσου ἀκμαζούσης, πονηρὸν μὲν ἐν πᾶσι τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι· κάκιστον δὲ ἐν τοῖσι περιπνευμονικοῖσι.

Sed residendi cupidum esse iacentem, dum viget morbus; pestiferum quidem est in omnibus morbis acutis: pessimum verò in peripneumonicis.

ÆGRORVM signa quæ in iacendo sunt indecora, siue illa morbi dominatu edantur inuita, siue iniussa, virtute omni collapsa; quàm sint terrifica, metu interitus vel discrisiæ, suprà iam diximus. Hic ponitur vnum quod vel inuitum est, vel affectatum. Inuitum quidem, est indecorum, quod valet ad morbi atque doloris leuationem, & ad comparandam dulcedinem. Affectatum verò est, quod sponte fit ægri, nullo vsu vitæ quæsito, nec vlla dulcedine; sed incitante alysmo, vel etiam dementia præeunte qua tollitur omnis decori honestas. Sed tamen inuiti, quàm affectati, conditio grauior esse solet. Est autem cupiditas crebrò residendi vel in peripneumonia, vel in acutis febribus quæ celeriter, vehementer, & continenter mouentur. In peripneumonia, quidem inuita est illa cupiditas residendi, ad vitæ vsum & ad dulcedinem, quæsita sic libertate spirandi. In acutis febribus affectata fortè quidem, vt mos geratur incandescenti cordi: certiùs autem, delirio & alysmo. Quænam autem sit ratio in eo iacendi habitu, indecoræ voluntatis aut necessitatis, & vtra ægrotum habeat periculosius; iam ad docendum aggredior.

SED RESIDENDI CVPIDVM ESSE IACENTEM.] Quem vel necessitas, vel indecora voluntas eò adducit. Ac necessitas quidem in peripneumonia & cordis æstu, dum viget febris acuta. Indecora autem voluntas, quando non suæ est mentis, aut etiam deliciarum ergo, vbi collocatio indecora, nihil præ se fert mali, nec signo nec causa.

DVM VIGET MORBVS.) Quando symptomatum summa sunt omnia, ac tum natura pepasmo dat operam, si bene res eunt: sin minùs, accessio est cruditatis, ardoris, orgasmi, ac retro sublapsa refertur spes medici.

PESTIFERVM QVIDEM IN MORBIS ACVTIS.] Tum enim si crebrò studeat residere, nec tamen sit alacer in assurgendo, nec residendi potens; signum dat cordis incendio conflagrantis, & virium languidarum, quarum virtute est opus in morbi vigore, tam ad pepasmom humoris morbifici, quàm ad salutarem habitum decumbendi. Aut si orgasmo humoris ad cerebrum, dementia quædam sit ægri tam indecorè iacentis, nec vlla spes crisis affulgeat pepasmo; id sanè pestiferum est, ac periculosè habet ipsum ægrotum. Nam deliciarum signa susque deque habentur, nisi fortè mutatio sit consuetudinis atque morum.

PESSIMVM VERO IN PERIPNEVMONICIS.] Quorum cognitio atque notitia sic comparatur. Nam febris acuta ipsos exercet, ac spiritum crebrò ducunt, calidúmque expirant, multùm iactati & anxij. Ac dolor est sub omoplata, qui prorepit ad iugulum & ad mammam, cum pectoris grauitate. Ipsum verò adest non rarò delirium. Est autem pessimus ille iacendi habitus in residendo, quem vrget peripneumonia, potiùs quàm febris acuta: quoniam in spiratione difficili parua & crebra, quæ vitio accidit partium spirabilium, systrophica phlegmone obsessarum, grauiora sunt multò incommoda, maioráque tædia, & signa peiora; quàm in difficultate spirandi, crebra & magna. Hæc enim, duce tantùm fit vsu adaucto, qui est in corde ab æstu febrili. Ac periculosior est ipsa difficilis spiratio à phlegmone partium spirabilium, quàm à crescente vsu. Tum autem cùm eò ventum est difficultatis à phlegmone in pulmonibus quæ facit peripneumonicos, vt non nisi residendo & ægrè spiritum possint ducere: tum in angusto spes est: quia spiritus, locum non habet introeundi, nec vapor fumidus exeundi. Hinc suffocatio est in propinquo.

16 Καθεύδειν δὲ χρὴ τὴν νύκτα, τὴν δὲ ἡμέρην ἐγρηγορέναι· τὸ δὲ ἐναντίον, πονηρόν. ἥκιστα δ' ἂν λυπέοιτο τὸ πρωῒ κοιμώμενος ἕως τοῦ τρίτου τῆς ἡμέρης· τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ὕπνοι, πονηρότεροι.

Dormire autem noctu oportet, vigilare interdiu. Contrarium autem malo fit ægri. Sed tamen is minimùm offendetur dormiens manè ad tertiam partem diei: qua exacta, somni omnes inde peiores.

HACTENVS de omni habitu decumbendi atque iacendi. Quoniam autem potissimùm eò se

compatat æget decumbendo atque iaceno, vt quiescat, si potis est, vitæque afflictæ dulcedinem, laborúmque suorum aliquam leuationem percipiat: leges hic positæ sunt vigiliatum & somni, ad ineundam prognosin de natura & consitudine dotmiendi & vigilandi, vt illæ seruantur aut inmutantur in ea vicissitudine actionum. Est enim consuetudinis natutalitet institutæ ratio, conseruatrix naturæ: mutatio autem egressæ naturæ de sua præscriptione, ipsius vera labefactatio. Itaque prima lex illa de somno sancita est à dictatore, vt idem sit eodémque modo, ὥσπερ κ κατὰ φύσιν ξυνήθης ἡμῖν ἐστι. i. *quemadmodum naturaliter consuetum est nobis.* Vbi Galenus hæc scripsit. ἐπὶ τῆς Ἱπποκράτους ἡλικίας οὐκ ἄλλο μέν ἦν τὸ κατὰ φύσιν ἄλλο δὲ τὰ ἔθη. *Hippocratis seculo, non aliud erat quod è natura est, aliud verò quod est de more institutóque hominum.* Erat igitut consuetudo, lege naturæ, dormiendi noctu, & vigilandi interdiu. Quæ causa est cur ita scripten sit in hac prognosi. DORMIENDVM NOCTV, VIGILANDVM INTERDIV: velut Latinè vertimus, Græcum secuti.

[prog. 11. lib. 2.]

DORMIRE.] Somnum inire vel in somnum solui: exhausto spiritu vigilando, cùm animi contentio est ad res gerendas, corporísque labor in motu & sensu: cui spiritui reficiendo & instaurando, placida est opus quiete, quæ dono diuûm gratissima serpit, subítque in vicem vigiliarum. Ac somnus ille qui animalitatis quiete absoluitur, cessante motu & sensu, virtuti adiicit partium nutritiarum atque vitalium. Inde ciborum & sanguinis coctio, tum copia viuifici nectaris corde repleto, veluti cornucopiæ: vnde caloris & spiritus propagatio est ad cerebri τὰ ὁρμῶντα, quorum amplificatio comparata, hominem somno excutit, facitque alacrem in omni opere faciundo, qui ante somnum stare vix poterat, aut certè stando habebat conniuentiam veternosam, iuxta illud Hippocratis. Ὕπνος ἰσχυρὸς ὀρθὸν νευστάζει. i. *Somnus profundus stantem nutare cogit.*

[6. Epid. part. 4.]

NOCTV OPORTET.] Quoniam consuetudo est naturaliter institota dormiendi de nocte. Ac talis consuetudo, vt naturam indicat bene moratam: sic ipsam reficit, recreat, & conseruat. Denique omnis præscriptio atque norma naturæ, spectatur in consuetudine illa, quæ in secunda valetudine κατὰ φύσιν, i. *naturaliter* adhibetur: quod noster præceptor vocat τὸ ξυνήθες κατὰ φύσιν, vbi de somno agit. Est autem naturalis, vel naturali iure fundata consuetudo dormiendi noctu; idque tum per se, tum ex euentu. Ac per se quidem: quia in nocte præcipua est somni causa. Vt enim natiuus calor, foras vel intrò viam affectat: sic inclinatio esse solet vigiliarum aut somni. At noctu calor intrò recurrit, hostilium tenebrarum appulsu. Contrà idem calor interdiu, foras excurrit cum spiritu, excipiendæ causa lucis amicæ, familiaris, atque, vt ita dicam, congeneris. Est enim res quælibet, suo quæque simili consocialis. Ex euentu autem naturalis est etiam consuetudo dormiendi noctu: quoniam impetrata quiete laborum, per noctem ignauam exhausti fontes replentur suo vitali nectare: vnde somniferis epulis cerebrum recreatur atque reficitur, suáque fundit ad vitæ vsus τὰ ὁρμῶντα.

[aph. 2. 2.]

VIGILARE INTERDIV.] Somno soluto, sensus acerrimos integerrimósque habere, sensilibus quemque suis excipiendis: idque interdiu, quo tempore copia est τῶν ὁρμώντων in cerebro, ad mouendum & sentiendum. Ipsa verò tum sponte sua, non minùs quam nostra, præstò sunt negociis obeundis quæ absoluuntur dianœa, motu, & sensu.

CONTRARIVM AVTEM MALO FIT.] Quoniam magna est è natura egressio, tum ipsius adeo naturæ peruersio in nocturnis vigiliis & somno diurno. Non enim par est ratio diurnæ quietis atque nocturnæ tam in necessario dormiendi vsu, quàm in causis somniferis. Est autem contra naturam, calorem cum spiritu intrò cogi ad somnum diurnum; qui naturaliter horis diurnis foras excurrit, vigilandi causa. Quinetiam tum bilis feruescit, ac viscera incandescunt æstu caloris, in cibi vacuitate. Scitum est illud Hippocratis. Πόνος σιτίον ἄρθροισι, καὶ σαρξὶ σῖτος, καὶ ὕπνος σπλάγχνοισι. i. *Exercitatio est artuum, atque carnium cibus, & somnus viscerum.* Atqui naturalis consuetudo exercendi corpus & artus, interdiu; quod propriè est vigilare: dormiendi autem noctu, à cibo. Nam cibi & somni societas, concordia est ad salutem: alterutrius autem, sine altero; maleficentia. Ergo diurni somni maleficentia est, etiam in dormiendi necessitate illius qui vigilauit noctu: quoniam ad dormiendum interdiu, non suppetunt naturales causæ somniferæ, quas habet in promptu is cui de nocte ipsas suppeditat calidus venter cum cibo & potu. Sic ventres hyeme, natura sunt calidissimi, & somni longissimi; amborum naturali quadam syntimoria. Vbi Galenus longinquitatem somni nocturni statuit in longa nocte hyberna.

[4. Epid. part. 5.] [aph. 15. 1.]

SED TAMEN IS MINIMVM OFFENDETVR DORMIENDO AD TERTIAM PARTEM DIEI.] i. Quòd si contentio animi, fortisve cura, aut sæua quædam molestia somnum ademerit; nec placidam membris dederit noctu quietem; & iam exacta nocte, vel mentis tranquillitas, vel ipsa doloris leuatio, aut febris remissio, albescente iam die, partem aliquam diurnæ quietis impertiat, loco nocturnæ; minimùm offendetur, minimúmque in commoda sua peccabit, si beneficio somni fruatur, donec dormiendo exegerit tertiam partem diei quæ est horarum quatuor lucis diurnæ, ab hora sexta matutina vsque ad decimam. Hæc enim pars diei qui absoluitur horis duodecim, præ se fert analogiam veris; quo tempore somni sunt longi: quemadmodum meridiana, æstatis; & vespertina, autumni. Ac sanè illis diei partibus, humorum dominatu homines pro se quisque tenentur; manè quidem, sanguinis; meridie, bilis; vesperi autem, nigri humoris. Nam tenebrarum est pituita. Sic in humoribus animalium, mutua quædam inest mouendi & quiescendi vicissitudo. Hinc veniunt paroxysmi morborum. Quoniam autem prima diei parte, sanguis in motu est, nec dum etiam lucis tantus est splendor, tantaque, vt sic dicam, fulgetra, vt ad se magna vi rapiat calorem & spiritum; propterea leuis offensio est, si tum intus maneat & intrò cogatur, cum sanguine gratioso qui somnum suauem conciliet. Vt maiori beneficio sit apponendum in necessario somni vsu, matutinis

[2. Epid. part. 1.]

horis

horis dormire; quàm maleficio, sanguinem & calorem, contra naturæ consuetudinem, denuo ad viscera cursum reflectere. Est illud quidem positum in more institutóque naturæ; vt quis expletus somno eóque solutus, ipsum denuo manè instauret, dormiátque ad multam lucem; ea profectò incommoda experiatur quæ à diurno diuturnóque somno importari scripsit præceptor his verbis. *Vt fortis vigilia, cruditatem parit potionis & cibi: sic diuturnior somnus & arctior*, ἀργαλέον τὸ σῶμα, καὶ ἑψόμενα, καὶ καρηβαρίας ἐμποιεῖ. *i. corpus resoluit, elixat, capitis grauitatem parit.* Sed tamen peccatur grauiùs vigilando in cruditate, quàm dormiendo interdiu. Quæ res adduxit Hippocratem, vt somnum diurnum, tanquam nocturnum, iis præscripserit incundum qui contra consuetudinem se prandij epulis inuitarunt. (In lib. 4. acut. — ibidem)

QVA EXACTA, SOMNI OMNES INDE PEIORES.] Sunt quidem peiores & grauiores quàm matutini, vel, vt verbo absoluam, omnino mali suot meridiani & vespertini somni: quia tum elanguescit corpus velut elixum atque turgidulum simul cum capitis grauitate; ob eam sanè causam quòd calor & spiritus, inuita luce, abripiantur intrò, vbi cum visceribus incandescunt æstu: cui quidem malo, grauius illud adiicitur quod subest intus à bile coacta, vel à nigro humore. Vt verè videar illud dicturus de somno meridiano & vespertino, quod scripsit Virgilius de autumno pestifero,

Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

Est enim mira vis corrumpendi & inficiendi corpora, humores & spiritus, in somno diurno.

17 Κάκιστον δὲ μὴ καθεύδειν μήτε ἡμέρης, μήτε νυκτός. ἢ γὰρ ὑπ' ὀδύνης τε καὶ πόνου ἀγρυπνοίη ἄν, παραφρονήσει ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου.

Pestiferum autem est non dormire nec interdiu, nec noctu. Aut enim à dolore atque labore sic vigilauerit; aut, de hoc signo, sua non erit mentis.

QVEMADMODVM vita hominum, vigilando & dormiendo ad vltimum vsque diem inoffenso cursu exigitur: sic magna vitæ offensio esse solet, quando vigiliarum & somni vicissitudo nulla est in morbis acutis. Vt igitur nihil æquè facit ad salutem & nihil apparet in morbis acutis, atque somni benignitas, & vigiliarum vicissitudo: sic vigiliarum aut somni vacuitas pessimè, si quid aliud, habet ægrotum. Ac somni assidui non ita pridem incommoda sunt adducta. Sed vigilandi assiduitas vt signo & causa medicum exterret metu, in hac prognosi docetur his verbis.

PESTIFERVM AVTEM EST.] Græcè est κάκιστον, i. *pessimum*, quod scilicet maleficentia cæteris omnibus antecellit, nec cæterorum signorum bonitate vinci se patitur, neque adducitur ad bene merendum; nisi dum instat crisis: propretereaque illud κάκιστον, vertendum duxi *pestiferum*: quoniam illa somni vacuitas non rarò mihi visa est mortiferè ipsos habere quorum signa cætera videbantur ἀμφίδοξα.

NON DORMIRE NOCTV, NEC INTERDIV.] i. Nullam partem neque nocturnæ, neque diurnæ quietis habere, nec posse oculis aut pectore noctem accipere in summa dormiendi necessitate.

AVT ENIM A DOLORE.] Vt nulla sit curarum & studiorum excusatio quæ adimant membris quietem in morbis acutis: sed ipse dolor in causa sit cur somnus iniri non possit: quoniam in doloris cruciatu fiat actior phantasia, vnde omnia sensoria excitantur ad vigilandum, denegata ipsis quiete.

ATQVE LABORE SIC VIGILAVERIT.] Occupata natura causis morbificis acutorum morborum qui perpetuam habent ἔφοδον, viréſque acquirunt eundo, remissionis expertes. Inde vtrumque genus alysmi, cum intemperie sicca & calida cerebri, tetroque vapore somnifero, sine vlla tranquillitate mentis. Nam vapor ille fumidus, non est conciliando somno idoneus: sed potiùs excutiendo. Itaque sic à labore vigilat qui dormire non potest. Cernitur autem labor in perturbatione, intemperie, & fumido illo vapore qui certè vigiliarum feracior esse solet quàm somni. (prorr. 43 Et 1.)

AVT, DE HOC SIGNO, SVÆ NON ERIT MENTIS.] Nam perturbati animi facilis transitus est ad ipsam phrenitidem, quam facilè concipit cerebrum siccum & calidum: sicut infertur facilè ab anathymiasi tetra & effera. Positis autem magnis his tribus, vt orianda quoque sint magna, necesse est.

TRACTATVS SECVNDVS, DE TRΩMATIS.

AC PRIMVM DE PERTVSIONIBVS CAPITIS.

Cap. I. ΟΚΟΣΟΙΣΙ κρόταφος τέμνεται· σπασμὸς ἐκ τῶν ἐναντίων τῆς τομῆς ἐπιγίνεται. 10

1 *Quibuscunque tempora præciduntur; conuulsio incidit è diuerso partis præcisæ.*

Fvit illvo institutum præceptoris in eo libello quem aureis dignum literis accuratè scripsit, ad lauream, de capitis pertusionibus siue trωmatis; primùm naturam explicare capitis pertundendi, ac demonstrare, quòd hominum capita, similiter non sunt affecta, nec constituta siue coagmentata: vt ex perspicientia singularum capitis partium, in suo cuiusque temperamento, complexione, connexione, & situ; omnium pertusarum dignotio, præuisio, atque curatio cuique propria compararetur in specie & idea. Sunt enim alia, specie & idea, suturarum trωmata, quàm cæterorum capitis ossium. Sunt item alia temporum, alia frontis, alia syncipitis, alia quoque occipitis. Atque inter ipsa, vt magna est dissimilitudo: sic etiam magna in singulis; vt scilicet propiùs longiúsve absunt à sua quæque sutura. Ergo nec eadem, nec similia, nec æqualia sunt ossis cuiusque trωmata, quæ vel pari iactu, ictúve pari aut lapsu inferuntur, secando, findendo, collidendo, & effringendo: quia non idem est τῷ θεραπευτῇ cuilibet trωmati pariter atque similiter excipiendo. Non enim secari potest sutura telo, quantumlibet exacuto, quin ei sectioni adjuncta sit comes fissura, proptereáque contusio. Nam quicquid finditur, idem vnà contunditur. Ex quo euenit vt sauciatus homo in pari periculo sit corrupti ossis à contusione, atque humoris qui ad membranam descendit, exitum verò non habet. Ergo magna vis est τοῦ θεραπευτοῦ ad ineundam τεκμαίρειν cognoscendi; præuidendi, atque curandi. Sic puerorum ossa, eiusmodi sunt temperamento, vt pertusa putrescant faciliùs quàm iuuenum atque hominum constantis ætatis. Sic etiam synciput sauciatum, periculosiùs habet ægrum, quàm occiput: idque tam osse corrupto, quàm humore qui ad membranam descendit, eámque irritat, & inflammationes mouet lethales. Vt igitur ossa tenuiora, minùs resistunt ictui mitiori, quàm crassiora validiori: sic eorum fracturæ, faciliùs & celeriùs mortem inferunt, quàm crassiorum. Est quidem fatalis ad interitum, vtraque causa interitus, fractura syncipitis, pari specie & idea, quæ in occipite curationem recipit. Tum si moriendum sit ægro ab omni parte capitis fissa, incisa, contusa, effracta; vitam is finiet die septimo, cui læsum est synciput: qui eam protrahet ad decimumquartum, fronte pertusa, sicut idem ad vigesimum, occipite violato. 40

Connexionis autem varietas & suturarum positus, magno Hippocrati mentis errorem non attulit in iudicanda τῷ λόγῳ fractura, ex ictu & telo: tum ex iis signis quæ non nisi osse fracto eueniunt. Sunt autem; oculos caligare, obmutescere, soporari, concidere, bilem vomere; tum sanguinem per nares auréſve exire. At certè sensum ipsius decepit in exploranda τῷ ἔργῳ. Inde cauit sedulò ne quis deinceps eadem ratione deciperetur, qua ipse fuit deceptus. Sic enim statuit de suturarum positu ex capitis proiectura vtraque; antica, postica; vel neutra, vel altera: vt facillimum sit iudicare cuiuis ipso specillo, quod explorandi causa demittitur; sitne fractura, an verò sutura vbi asperitas ossis percipitur, quod natura est læue ac perpolitum, ἐμαχεῖν Græci vocant. Est autem sutura omnis, rimosa & aspera: proptereáque sensum & mentem fallit similitudo eius cum rima, quando incisa finditur, vnáque contunditur. Ac sensum quidem, in artificio explorandi, visu & tactu. Ipsam verò mentem in iis quæ tantùm ratione nituntur. Sunt enim signa fracti ossis prædicta, æquè sectionis atque fissuræ. Vt admirabile sit præceptoris iudicium, quod ille non ἔργῳ nec λόγῳ etiam de signis & causis morbificis comparauit: sed tantùm ex proprietate partis ipsius secando contusæ. Nec verò suturæ modiolum admouendum suasit, quo excidatur os ipsum quod suo circumactu complectitur, vt vacuetur humor qui ad membranam descendit, alitérque inde non exit: periculosum enim propter inflammationem & cerebri concussionem; vnde non rarò humi procumbunt apoplectici, qui ea parte secantur. In vicino id faciundum præcepit, ne sauciatus pereat qui curationem admittit. Omnis enim pertusio non insanabilis, euadit mortifera vel osse corrupto, vel inflammata meninge. Inflammationem arcet vacuatus humor osse exciso primis diebus, nec vltra triduum; præsertim æstate. Ossium verò quæ vel pertundendo denudantur, vel ope chirurgica; sic comparata est ratio, vt nullum ferant liquorem, vnde corruptio in motu est: ne vinum quidem vlceribus valde propitium; quòd eius complexione liquida grauiùs offendantur, quàm temperamento sicco iuuentur. Tum in caluaria, sic nata sunt ossa, vt qua eorum parte est diploë, inflammatio & empyema locum inueniat, omniáque carnis ipsius mala suscipiant. Sed tamen inter ipsa hoc interest, quòd cætera quidem omnia, inflammationem suscipiant à rheumate consistente; nulla verò à rheumate concitato quod sola frons excipit, & inflammatione tentatur.

tentatur. Hæc enim sola omnium continetur propagatione, productione vasorum, & situ. Ac proinde huic soli lenientia sunt in vsu, non repellentia, dum in metu est inflammatio : quo tandem sublato, lenientibus abstinendum, priuilegio nudati ossis ferramento aut telo. In cæteris, dum rheuma consistens adest, à ferramento quod secuit carnem, amplificandi causa vlceris, vel ossis nudandi, cataplasma superponitur ex farina hordei torrefacti, exactè cocta in oxymelite. Reliquum curationis tempus exigendum siccando & detergendo puluisculis quos inde vocant cephalicos. Et quoniam sectio ipsa modiolo viam munit, qui principatum obtinet in curando : tum autem ad alia quoque necessaria est, quæ facienda sunt necessariò ad bene conuenientérque curandum.

Hic prima quæstio est de ferramenti vsu; locóne omnibus adhibetur caluariæ capitis partibus: vt 10 iure adhibendum suadet ipsa trœmatis inflicti conditio. Ac super ea quæstione, hæc visa est præcepto ratio iudicandi, quam posuit in hac prognosi. Est igitur cardo libri de capitis perrusionibus. Quòd hominum capita similiter non sunt affecta κατὰ πάντα, i. *eadem compagine* quæ ἐν τῇ κράσει ἢ φύσει, i. *temperamento & complexione* consistit : nec verò suturæ omnium eodem sunt loco; vnde varia est capitum conformatio. Atque illa propositio πάντα plané continet ἀδιαγνώστως, συγγνώμως, ἢ διαγνώσεως.

Qvibvscvnqve tempora praecidvntvr.] Quod est eiusmodi ac si diceret. Partium dissimilitudo inter se, non eandem omnium curationem admittit : propterea non vbiuis partium, sectioni est locus, quoties eam iure trœma ipsum requirit. Vt enim excidendi causa ossis pertusi, vel in conspectum adducendi, quantum ipsius læsum est, tuto aperitur cutis & caro, vbicunque telum insederit : tamen ea sectio inter musculos qui tempora continent, metum adfert eorum symptoma-20 tum quæ proferentur mox.

Ergo. Qvibvscvnqve.] Omnis naturæ, sexus, ætatis : vt catholicum sit quod docetur.

Tempora.] i. Musculi temporales qui tempora ipsa continent, quæ ossium tenuitate, vasorum amplitudine, subiacentis cerebri vbertate, neruorum & musculorum virtute, grauissimis malis objecta sunt, tam intrà, quàm extrinsecus, præter cæteras partes capitis & caluariæ. Ibi enim crudelissima est cephalalgia. Ibi facillima omnium cerebri sympathia. Hic mitiori ictui non tam resistitur, quàm alibi telo ingenti quod validæ vires contorquent. Hic trœma est insanabile, cuius quidem alibi separabilis foret sanatio. Denique nulla sunt grauiora mala quàm quæ temporibus à trœmate inferuntur. Nam de anatome temporum suprà iam diximus.

Praecidvntvr.] Ferramento chirurgi, vel inimico telo. Ac ferramento quidem, vt læsum os 30 in conspectu sit, quod latebat : tum vt excitæ cutis angustia, latiùs aperiantur. Quod etiam sinuoso vlceri, rotundo atque prætumido faciundum : idque audacter vbiuis partium sauciatarum capitis : non tamen in musculis quæ tempora continent. Illic enim sectio metum adfert symptomatis quod ponitur in hac prognosi, aliorúmque quæ mox dicentur. Est autem

Convvlsio.] i. Iniussa collectio musculorum, maxillam huc illuc mouentium, quæ ἀκούσιος conuulsio est : quia non fit imperio causæ conuulsificæ quam induit pars conuulsa, videlicet tensionis ob vacuitatem vel nimiam abundantiam : sed insita quadam mouendi potentia partis collectæ, non quidem inuitæ, sed tamen iniussæ : quoniam sua sponte illæsa mouetur, non nostra, vt olim. Firmissima enim securitas est, quòd, vt iam dixi aliàs, ea conditio est naturaliter insita musculorum congenerum vel antagonistarum qui ex æquo certant magnitudine, virtute & numero; vt si alterutrà 40 laxentur, sinistra aut dextra; è diuerso iniussi, & nobis inuitis, colligantur. Ea collectio quæ firmiter fixa est atque immota, maxillam prohibet omni officio. Præcisio autem partis, contractionem adfert, non quidem articuli quem mouebat, cui non præest ampliùs, ab eo excisa: sed ipsius nerui & musculi qui proximè abest à cerebro. Hinc veniunt sæua magis & citæ mortis funestiora mala, quàm quæ luxatà maxillà, ex oris hiatu accidere narrat Hippocrates, ob temporalis musculi tensionem, quæ inflammationem, ex eo cruciatu doloris conceptam, cerebro vicino impertit : vnde ipsum dementiæ metum adfert à febre assidua. Tum inde nascitur fera bilis; ipsáque adeo tenera & recens pressa cum adipe caro liquitur: quod certè liquamen cum bile prorepit ad eam partem quæ, societate cum cerebro, cæteris antecellit. Est autem stomachus συμπαθέστατος, proptereáque sensus acerrimi. Ex quo euenit, vt merè biliosis & paucis soleat ferri aluus: & si vomitio forte cietur, merum est quod euomitur.

50 Tales vitam finiunt ad circiter decimum morbi diem. Quæ cùm ita sint à tensione musculorum crotaphitarum; quidni eorum præcisio; neruique ipsius, cerebrum contingentis, & sua contractione dolorifica, & inflammatione oborta, maiorem in cerebro febrem accendet, quæ consecutionem adferat symptomatum grauiorum, quàm ipsa tensio inferre solet? Nam si ea veniunt alteratis musculis vel distentis, vt visum est præceptori; quæ maior tensio esse potest, vel acrior alteratio, quàm ea quæ nobilissimi omnium, fortissimique musculi sectione infertur, proximè ipsum cerebrum & meningem?

Sed conuulsionem è diuerso partis præcisæ, ideo scribit accidere: quoniam eò peruersio est maxillæ, à musculorum ipsam mouentium, iniussa quidem nobis, non tamen inuita sibi collectione, conuulsifica omni causa vacantium. Sed præcisorum contractio est, cerebrum versus, tum læsione ipsa, tum societate & vicinia principatus æquè afflicti & inflammati. Est enim principatuum & subiecta- lib. 60 rum partium, imprimísque vicinarum & sociarum, facillima omnium sympathia & syntimoria. Nam mutuò se afficiunt, mutuásque traduut operas in ægri perniciem, vt suprà ostendimus.

Ex quibus efficitur verum esse, quòd hominum capita similiter non sunt affecta κατὰ ταῦτα, i. eorum quæ ossa constituunt, & quæ ipsa continent pari & simili complexione: vt si ferramento sit opus ad secandum, vel ossis, quod læsum est & in occulto latet, nudandi causa, quò in conspectu sit; vel cutim & carnem latiùs aperiendi, securus periculi, tutò id faciat medicus in omni caluaria, quod in temporibus tentare non ausit.

2 Ὅσοισιν δ᾽ ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ καὶ πονέσῃ πληγεῖσιν, ἢ ἄλλως πίπτουσι· παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ οὔτε ὁρῶσιν, οὔτε ἀκούουσι, καὶ τὰ πολλὰ θνήσκουσι.

Quibus concussum est cerebrum, doluitque percussis aut lapsis; continuò non vident, nec audiunt, ac ferè moriuntur.

VT OSSIVM capitis inter se dissimilitudo κατὰ ταῦτα in iis quæ ipsa constituunt & in iis quæ continent atque connectunt, sanationis viam illi demum præmonstrat qui tenet eorum notitiam, nec ipsum aberrare sinit à scopo: sic leges prudentiæ ipsi præscribit in opere faciundo, quod cætera, quæ adhibentur, virtute curandi præcedit. Est autem ratio excidendi ossis modiolo siue serra rotunda, quæ tantum ossis adimit, quantum circumactu suo complectitur, vacuandi causa humorem qui ad membranam destillat; exitum verò non habet nisi per illud foramen, quod fecit modiolus: quod nisi esset, funesta inflammatione, membrana & cerebrum occuparentur. Ex quo euenit vt ampliores fracturæ, minùs periculosæ sint quàm exiles atque minùs angustæ: tum quia subitò in conspectu sunt, nec accuratam requirunt industriam medici anquirendo, vnde non rarò fallitur: tum quia hic non est operæpretium excidendi modiolo quod in minutulis esse solet, non absque salutis periculo, si is qui serram adhibet, secandi non sit peritus. Quale autem periculum sit in promptu; hoc loco docetur his verbis.

QVIBVS CONCVSSVM EST CEREBRVM.] Percusso capite, graui telo atque obtuso quod validæ vires contorserint; vel etiam læso capite quod præcipiti lapsu in saxum ex alto conciderit: vel etiam si excidentis modioli repentino & graui appulsu cerebrum opprimatur ab imperito chirurgo qui continenter circumagendi finem non fecit, donec ipse modiolus apprimendo, repentè violentérque ad membranam cerebri penetrarit. Hoc enim pertinet ad cerebri concussionem quam ipsa facit violenta oppressio: sicut & cæterorum casuum qui cerebrum ipsum commouent, quod Galli vocant *esbranler & choquer*. Non enim concutitur cerebrum nisi lapsu, inimico telo, aut ferramento chirurgi, perperam & inconsideratè secantis: nec alia est ratio concutiendi extrinsecus, vnde mala veniant quæ ponuntur in hac prognosi. Nam ea concussio quæ infertur manibus capite apprehenso, nihil habet eiusmodi, nec cerebrum concutit, alliditque caluariæ: nisi fortè id priscam amiserit vbertatem quæ totam caluariam occupabat. Talis concussio locum habet in exploranda puris copia, quod empyema pulmonis in thoracem effudit. Ergo in cerebri vbertate nulla est eius ad galeam suam allisio, dum ipsa manibus apprehensa concutitur. Sed alia cerebri concussio est ab iis quæ intrà sunt & intus lædunt, vt cæterarum partium quæ communi officio dicatæ sunt atque quodammodo consecratæ, quibus id studium est concutiendi pro se cuique, vt ea excutiant à quibus læduntur. Pertinet enim ad cerebri concussionem sternutatio: thoracis atque pulmonum, tussis: ventriculi autem, singultus. Atque illa concussio, victricis naturæ est proritatæ, si concutiendo excutiat quod sibi molestum est. Sin autem naturæ potens est causa morbifica quæ intus lædit, exempli causa in cerebro, concussionis irritæ symptoma erit conuulsio epileptica, quam mox excipiet apoplexia. Sed satis iam de concussione, cuius hic nomen impropriè video vsurpari pro cerebri contusione quæ semper est symptomatica: vt vera concussio cerebri, est quidem eius proritati, sed tamen potentis molestiæ proritantis. Ac sanè illa contusio cerebri, contusi capitis non semper est socia neque comes: multùm enim refert, sitne contusum caput, an cerebrum; vt partes illæ multùm inter se differunt. Nec verò liber ille Hippocratis quo pertusi capitis causæ omnes, signa, differentiæ continentur, vllam proponit pertusionem cerebri, sanationis ergo: vt in pertuso capite. Est enim funesta omnis pertusio cerebri, nec vllam requirit industriam medici. Atque vt paucis dicam quid inter capitis & cerebri læsiones intersit: est quidem cephalalgia, capitis; catoche ac delirium, cerebri; tremor autem, neruorum principij. Ergo non quoties caput contunditur, vnà etiam cerebri contusio est, quin ea veniant mala quæ hic ponuntur. Sunt autem in promptu, paténtque omnibus ad visendum, quoties fortis percussio est, aut lapsus ex alto ad perpendiculum, vel etiam temeritate chirurgi modiolus magna vi apprimitur cerebro ipsumque contundit.

prog. 56. lib. 2.

DOLVITQVE.] Græcum illud, πονέειν sensionem ostendit concussionis quæ potens est cerebri, multùm propterea in officio laborantis, vel potiùs eo carentis: idque ad tempus, vel in perpetuum; vt causæ morbificæ, & offensionis est magnitudo. Id ipsum declarant quæ sequuntur.

PERCVSSIS.] Fortiter telo graui desuper ad perpendiculum, siue κατ᾽ ἴξιν de industria: tum ca parte capitis quæ facilè pertundatur.

AVT LAPSIS.] Casu vel iactu, qui vel ex alto rectà ceciderunt in caput ad saxum, vel qui pari iactu in caput; similiter vt Pirrhus & Æschylus conciderunt.

CONTINVO.] Ad punctum temporis: non vt in corde auulso, quod etsi principium est vitæ: tamen principatum non habet sensus & motus, vt cerebrum. Itaque contuso cerebro, cessat continuò animalitas; quæ auulso corde, aliquantisper manet.

VOCE CAPTI.] Græcè est ἄφωνοι: quorum ἀφωνία, i. *vocis amissio* venit διὰ τὴν ἔκλυσιν νεύρων καὶ μυῶν φωνητικῶν, i. *exoluta omni virtute neruorum & musculorum vocalium*, partim mouentium in thorace, ad ἐκφύσησιν, i. *ad efflationem*. partim modulantium in larynge & epiglottide. Sunt quidem aliæ causæ τῆς

ἀφωνίας,

ἀναγκαῖα alibi iam explicatæ, de quibus nihil appositè ad hunc locum. Quæ autem propria est huius loci, eò certè fuit, quòd ibi, collapso imperio voluntatis à cerebri concussione, motus & sensus vacatio est, inopia τῶν ὁρμώντων, quæ non mittuntur amplius, vt solebant: sed retrahuntur ad cerebrum, vbi conclusa manent, atque non rarò pereunt. Est enim cerebrum, sedes ac domicilium voluntatis καθ' ὁρμὴν καὶ κατὰ προαίρεσιν, i. *ab instinctu & electione*, cui morem gerunt τὰ ὁρμῶντα, mouendo & sentiendo.

NON VIDENT] Sensu amisso, cum vitio τοῦ αἰσθητηρίου i. *sensorij* Ac sensus quidem amittitur, collapsa parte illa cerebri vnde videndi vis manat: tum etiam viuifico spiritu intercluso. In vitio est ipsum sensorium, turbato nitore omnium membranarum, imprimisque autem pupillæ, & conspurcato splendore trium humorum, maximè verò crystallini, & lumine oculorum proprio caliginoso. Ex quibus efficitur vt ipsa τὰ αἰσθητά, i. *sensilia* quæ sunt aspectabilia, neque à sensorio excipiantur, neque à sensu videndi percipiantur.

NEC AVDIVNT] Quoniam ab eadem causa obsurdescunt, qua occæcantur. Est autem auditus priuatio, non impedito quidem appulsu τοῦ ἀκουστοῦ i. *audibilium*: sed non excepto, culpa auditorij, quod est insitus aër, nunc impurus & crassus; neque percepru ab audiendi sensu: ob vitium partis illius pertusæ, vbi est ipsa facultas atque potentia audiendi.

AC FERE MORIVNTVR] Si quod subsidit cerebrum, à concussione non statim consurgat. Tum enim transitus est de aphonia in apnœam quæ est priuatio spirationis, vnde vitalis caloris suffocatio est atque extinctio, proptereàque mors ipsa. Nec verò spirandi necessitas, neruorum vim excitat ad functionem spirabilem: quoniam pariter illi sunt exoluti cum cerebro: tum spiritus animalis omnino exitu prohibetur, cuius vbertas exhausta est, vt nihil reliquiarum supersit. Itaque omni animalitate collapsa in virtute, facultate, & spiritu, moritur apoplecticus, cui concussum cerebrum ita subsidit, vt non inde consurgat. Nam si consurgeret, maneret sperabilis vitæ salus: & homo voce captus: occæcatus & surdus, ad se rediret. Hæc autem scripta sunt περὶ τῶν ἀναγκαίων apud Hippocratem. lib. 1. περὶ νούσων.

3 Οἷσιν ὁ ἐγκέφαλος τιτρώσκεται, πυρετὸς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ χολῆς ἔμετος ἐπιγίνεται, καὶ ἀποπληξίη σώματος· καὶ ὀλέθριοι οὗτοι.

Quibus cerebrum vulneratur; iis vt plurimùm febris, & bilis vomitio incidit, & corporis apoplexia: tales autem sunt desperati.

SVPERIORE prognosi argumenta sunt ἀναγκαῖα, i. *necessaria* cerebri concussi, videlicet vocis amissio, cæcitas atque surditas: ὡς ἐπὶ πολύ verò, i. *posita incerto*, cùm scilicet proposito metu, & in spe angusta, nondum tamen ad vltima ventum est. Vt enim cerebrum ictu lapsuve concussum, mox eò consurgit vnde subsidit, aut manet collapsum: ita vocem recipit sauciatus quam ex eo casu amiserat, aut in perpetuum voce captus iacebit. Quæ ratio præceptorem adduxit vt scripserit. AC FERE MORIVNTVR. Vt igitur signa illa sunt ἀχώριστα καὶ ἀναγκαῖα: sic è diuerso, χωριστὰ ὡς ἐπὶ πολύ. Hic autem contrà, ponuntur ea quæ sunt καὶ ἀχώριστα ad id de quo dicuntur ὡς ἐπὶ πολύ, nec semper συμβαίνοντα· καὶ οὐ χωριστά, ἀναγκαῖα. Nam vulnerato cerebro, nec semper, nec solius vulneris propria sunt, neque ἀεὶ ἕπεται. bilis vomitio, febris, & corporis apoplexia, quæ ceterarum etiam percussionum capitis communia sunt. At quoties ea cerebro vulnerato inciderint, desperationem salutis ostendunt. Sic enim præceptor ait. TALES AVTEM SVNT DESPERATI. Prognoseos autem veritas ostendetur in eius examine quod sic aggredimur.

QVIBVS CEREBRVM VVLNERATVR] Hic verbum τιτρώσκεται, non eam ponit διακοπὴν quæ sic expressa legitur à Galeno in aphorismis. Διακοπὴ δὲ ἐστὶ μεγάλη τρῶσις ἢ μέχρι βάθους, i. *prægrandis sectio & vulneratio ad fundum vsque*. Et, τὰ διακεκομμένα, ἐς τὸ πέρας ἔχοντα τὴν διαίρεσιν, i. *Dissecta sunt ea quorum diuisio ad extremum perducta est*. Hic enim veritas lucet illius sententiæ. *Quibuscunque dissectum est cerebrum, his necessariò febris superueniunt, & bilis vomitio*. Hæc enim cerebro inflammato superueniunt, vt mox dicetur. Inflammatio autem vitari non potest, cùm secando ventum est ad extrema. Nec solùm illa duo symptomata, dissecti cerebri sunt συμβαίνοντα: sed illud etiam de quo ita scripsit præceptor. Ἀποθνήσκει δὲ ὅτῳ ἂν ὁ ἐγκέφαλος τρωθῇ, i. *Moritur autem si cui cerebrum sit præcisum*. Quò spectat etiam Galeni distinctio ad illam sententiam præceptoris, vbi docemur vesica dissecta, aut cerebro, aut corde, aut diaphragmate; moriendum esse. Est autem Galeni iudicium; quòd neque omnis vulneratio, neque omnium quæ illic narrantur partium, est citæ mortis funestæ, ne cerebri quidem: nisi prægrandis, quam ipse διακοπὴν nominauit. Quæ ratio me adduxit vt posita hic cerebri vulneratio siue τρῶσις, non eò perducta esse videatur, quò ipsa διακοπή. Nam in diacope, necessaria est bilis vomitio, atque febris, vt scriptum est in aphorismis. Quæ duo symptomata, non ἐξ ἀνάγκης: verùm ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, i. *vt plurimùm* scribit accidere in hac prognosi. Ergo non est prorsus, nec semper eadem, quæ scripta est τρῶσις in hac prognosi, & illa quæ legitur in aphorismis διακοπή. Ea quo efficitur, quòd bilis vomitio atque febris, non sunt ἀναγκαῖα συμπτώματα cerebri vulnerati. Quamobrem. QVIBVS CEREBRVM VVLNERATVR] Similiter vt caluaria, in qua teli acuti sedes apparet, qua parte insederit. Vulneratur autem, diuisa vtraque meninge ictu valido teli acuti: nec vlla suspicio est fissuræ, contusionis, nec effracturæ; nisi telum fortassis illapsum

aph. 19. & 10. 6. aph. 50. 6.

aph. eod.

est in suturam, vbi sedes ipsa vel ἕδρα, perpetuò coniunctam habet fissuram, & vnà contusionem. Verùm hic proponuntur symptomata cerebri solo vulnere sauciati, vt suprà, cõcussi atque concussi. Nam πρῶτος caluariæ qua exhibetur sedes & ἕδρα, tantùm substillo in membranam periculosa est; nec aliud quippiam ei periculo adiicitur, præter ipsius carnis vnà diuisæ corruptionem, siquid peccatum est ab imperito chirurgo, vel etiam cœli morbo. Sed illa vtriusque membranæ διακοπὴ, sine qua cerebrum vulnerari nequit, symptomatis fœta est longè grauissimis quæ infrà ponentur. Hîc loco dicendum de iis quæ vulnerato cerebro tribuuntur. Eorum quædam reapse videntur ἀμφίδοξα membranæ dissectæ & cerebri vulnerati. Sunt autem bilis vomitio atque febris. Alia verò, cerebri quouis modo grauiter sauciati; quæ tamen hîc propria esse dicuntur cerebri vulnerati. Ex iis in promptu est illud quod vnicum posuit, nempe ipsa corporis apoplexia. Dicendũ de singulis in suo cuiusq; examine, quod sic instituimus.

Vt plvrimvm] Ergo non semper, nec solùm à cerebro vulnerato: nam & dissecta membrana eueniunt; idque continuò, per sympathiam quæ cum ventriculo intercedit, in vomitu: non autem per ἐπιγένεσιν, oborta febre ab inflammatione. Sed tamen ea fuit opinio præceptoris, vt necessariò eueniant illa symptomata, quæ sunt ἀχώριστα signa cerebri vulnerati. Sic enim scripsit in aphorismis. Ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγενέσθαι, i. *Necesse est dissecto cerebro, febrem & bilis vomitum superuenire.* Sed eam διακοπὴν non expressit in primo de morbis cùm ait. Ἢν δὲ τρωθῇ, πυρετόν τε ἐπιγίνεσθαι, καὶ χολῆς ἔμετον, καὶ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος γίνεσθαι, καὶ ἀπόλλυσθαι, i. *Sin autem secando, cerebrum sit pertusum; necesse est febrem superuenisse; ac bilis vomitum, vnà quippiam apoplecticum fuisse, & interisse.* Nam cui cerebrum sectione pertunditur; non potis est ipsum seruari, vt mox dicetur.

aph. 50. 6.

Febris] Non ea quidem fracturæ symptomatica, cùm facta est insanibilis ex euentu, negligentia medici vel imperitia. Tum enim febris accidit, æstate quidem, septimo, hyeme autem, decimoquarto; nata ex humore qui ad membranam delapsus, vnde non exiit, lethales ibi excitat inflammationes; vel ex pertusæ carnis atque ossis corruptione. Sed alia quædam febris, pathognomonica cerebri sauciati telo acuto: similiter vt concussi aphonia, cæcitas, atque surditas. Sic enim cerebri vtroque modo pertusi propria & necessaria statuuntur à præceptore primo de morbis, vnde adducta sunt hæc præcepta. Nascitur autem hæc febris cerebri vulnerati, similiter vt principum cæterarum, quoties inflammantur. Semper enim febris est socia inflammatæ partis cuiuslibet quæ principatum habet, & cuius potentia corporis vniuersitas administratur. Atque hæc febris, tyrannidem suam exercet in corpus, vt sua virtute ipsi benignè faciebat, dum rectè valeret pars occupata. Itaque maleficientiam nunc experitur eius, cuius quidem olim beneficentia fruebatur. Sunt enim hæc febris ab inflammato cerebro maleficia.

Bilis vomitio incidit] Est enim hoc maleficium inter cætera febris acutæ, à cerebro inflammato, vt noua inde bilis continenter succrescat, & teneræ carnes liquantur. Tum primus omnium stomachus bilis appulsum percipit, & ichoris carnium liquefactarum: quia est νευρώδης proptereàq; sensus acerrimi: cuius præstantia sympathiam habet cum cerebro, & synrimoriam rerum omnium fugiendarum & expetendarum. Itaque factus particeps eorum malorum quæ inferuntur ab inflammatione & febre acuta, fœturam habet symptomatum quæ sunt ipsius propria. Sunt autem, cardialgia, bilis vomitio, singultus, & nausea. Qualia exoriri iam vidimus, cùm alteratio atque tensio musculorum qui tempora continent, inflammatione, cerebrum malè habent. Sic in phreniticis annotauit præceptor. Φρενιτικοῖσι μὲν σπασμοὶ, ἂν καὶ ἰώδη ἐμέωσι, καὶ ταχὺ διαφθείρονται, i. *Phreniticorum conuulsio est: tum æruginosa bilis vomitio, vnde quibusdam eorum cita mors venit.* Ac de phrenitico cuius historia est apud Hippocratem, ita scriptum reperio. Ὁ φρενιτικὸς τῇ πρώτῃ κατακλιθεὶς, ἤμεσεν ἰώδεα, i. *Phreniticus quo die primùm decubuit, æruginosa vomuit.*

lib. 1. περὶ νούσων & Coac. 1. huius tract. 2. Epid. hist. 4. part. 3. 3. Epid.

Et corporis apoplexia] Quæ est reapse totius corporis exolutio, animalitate omni collapsa, in priuatione sensus & motus. Sed tamen in lib. de morbis, apoplexiæ nomen contraxit ad paraplegiam, quæ est quarundam partiũ resolutio, vt suprà ostendimus. Sic enim ait. Ἀνάγκη ἀπόπληκτόν τι γίνεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι, i. *necesse est apoplecticum quid, mortémque ipsam aduenire.* Siue autem παρέσιος, siue κατὰ τὸ χρῶμα nomen sit positum apoplexiæ; certum est eam non euenire similiter vt iis qui longa iam fracti pertusione capitis, non autem primùm cerebri, signa edunt mortis futuræ. Inter quæ numeratur apoplexia, sicut & conuulsio huic contraria quam de historiis narratè diuerso pertusi ossis accidere; vt in ancilla: quemadmodum & parte vtraque corporis, cùm in propinquo mors est; vt in Autonomo. Sed vulnerati cerebri exorta continuò est apoplexia, læso neruorum principio, & intercepto spiritu qui ciet intus & foris motum & sensum. Vt igitur apoplexia verè dicta; est cita morte funesta, quam ipsa per se infert: sic paraplegia, ex euentu mortem denunciat, ob vitium insanabile cerebri vulnerati. Qualem fuisse narrat Hippocrates illam epidemicam quæ multis exitio fuit: non quidem ipsa per se, quia spirationem non admittit, vt apoplexia sed à prægrandi frigida intemperie principatus, planè mortifera.

lib. 1. περὶ νούσων. Coac. 1. cap. 23. libr. 2. lib. de c. tram.

Tales avtem svnt desperati] Morbo insanabili, qui est vulnus cerebri, membrana dissecta, & amissione vitalis officij, quo vita ipsa penè ad punctum temporis carere nequit. Est autem respiratio intercepta, cum febre assidua, vnde bilis succrescit & carnes liquuntur, quæ cient crebras vomitiones, ob societatem alui cum cerebro. Quòd videns Hippocrates, ita scripsit. Ἀποθνήσκουσιν οἷς ἂν ὁ ἐγκέφαλος τρωθῇ, i. *Pereunt cui cerebrum est vulneratum.*

lib. 1. περὶ νούσων.

4 Τῶν ῥηγνυμένων τῆς κεφαλῆς ὀστέων, χαλεπώτατον γνῶναι τὰ κατὰ τὰς ῥαφὰς ῥηγνύμενα.

Ossium quæ finduntur in capite, difficillima est cognitu eorum fissura quæ adiacent ipsi suturæ.

Hic sane ponitur operæ precium medici quod maximum esse possit ἔργῳ καὶ λόγῳ ipsius, in quærenda, inuenienda, & iudicanda specie & idea illius fracturæ, quæ vt minima est amplitudine, sic abundat symptomatis atque signis vnde ipsa mors venit. Est autem, fissura quæ vel in suturam incidit, vel proximè ipsam suturam. Eius inuentio difficillima, difficultatem affert curādi: nisi fortè serò inuenta spem adimat curationis. Est autem inuentio difficillima ἔργῳ καὶ λόγῳ, i. *experientia & iudicio.* Quæ duo sunt inueniendi iudicandique propria instrumenta. Omnis enim cognitio atque scientia comparatur duce iudicio & comite experientia. Sed experientia quæ huc aduocatur τῷ ἔργῳ, incerta est atque fallax: quoniam simillima est rimæ sutura, & rima suturæ. Sunt enim αἱ ῥαφαὶ ῥωγμοειδέες, inquit præceptor, i. *suturæ speciem gerunt fissurarum.* Ex quo euenit, vt percepta specillo asperitas, vbi sutura est, nec sedis, nec fissuræ vllum iudicio adferat documentum, sicut adferre solet cùm alibi quàm in suturá percipitur ossis asperitas. Nec visu etiam, vel oculorum acie, secando, abradendo, fissuræ idea & species è sutura emerget. Non etiam atramenti quod explorandi causa immittitur, firmiter fixa nigricies quæ abradendo non tollitur, fissuram ostendit: quoniam æquè sutura, nigriciem continet, atque fissura.

Iudicium verò laborat & fallitur in diorismo signorum quæ non nisi osse fracto eueniunt, si fortè acutissimum telum suturam in longum secuerit, ibique vestigium sui & sedem posuerit, ἕδρην καὶ ἐγκοπὴν vocat Hippocrates. Nam cùm ea sectio ipsius suturæ, perpetuò habeat coniunctam fissuram, propterea que contusionem: signa syllogistica fracti ossis quæ nuper attulimus, æquo iure pertineant ad ipsam diacopen & ad fissuram, si nulla cerebri læsio sit à diacope, nec duræ membranæ. Tum sedis idea si fortè percipitur, in occulto latebit ea quæ est ipsius fissuræ: quamuis eodem ictu parique simul incidat cum teli vestigio, quod tam longè patet, quàm fuit teli sedes. Secus est de fissura quæ longiùs solet excurrere, quàm vbi telum insederit. Quinetiam non minori periculo locus est ab ossis corruptione quam infert occulta contusio, fissuræ comes, quàm ab humore qui, osse diuiso, ad membranam descendit, vnde non exit; proptereáque cunctando & putrescendo, inflammationes illic mouet grauissimas atque funestas. Quæ cùm ita sint, tempus est examen aggredi huius prognoseως quæ sic habet.

Ossium] Syncipitis, frontis, occipitis, quæ sunt duplicia, diploë intertexta: quorum exterior superficies adiacet pericranio, capillata cute obtecto: interior verò meningi, quæ omnium membranarum est parens atque origo. Vtraque autem læuis & perpolita, quæ τὴν ὁμοιοχροίαν exhibet veterum Pythagoreorum qui superficiem cuiusque corporis χροιὰν vocabant. Itaque tota caluaria ex illis contexta ossibus, quæ per medium caput excurrit, i. inter vtramque membranam, nulla sui parte in superficie percipitur aspera, cùm rectè habet, nisi ad suturas quæ ossa connectunt.

Arist. lib. de sensu.

Quæ finduntur] Obtuso telo & graui, quod validæ vires in caput contorserint, aut lapsu ex alto, vnde finditur os contusum. Nam quicquid finditur, idem contunditur. Ac sanè contusio quidem cernitur in depressa planicie: fissura autem in rima quæ longiùs excurrit quàm vbi telum insederit. Itaque fissura omnis illud periculo contusionis adiicit; quòd præter huius corruptionem, materiam & occasionem suppeditet inflammationis ab humore qui stillat in duram meningem, vnde non exit, nisi osse exciso.

In capite] In caluaria quam prædicta ossa constituunt, suturis veris connexa. Nam ossium lapidosorum squamosa connexio est vtrinque ad syncipυt, siue bregma.

Difficillima est cognitu eorum fissura quæ ad suturam est] In suturis veris difficillima quidem est cognitu quę illic fissura est, quia συγκλέπτουσι τὴν γνώμην καὶ τὴν αἴσθησιν τοῦ ἰητροῦ, αἱ ῥαφαὶ ῥωγμοειδέες φαινόμεναι. i. *Sensum & iudicium medici fallunt suturæ, speciem gerentes fissurarum,* vt scripsit præceptor. In suturis autem squamosis, non est copia explorandi visu & tactu: quia illic sunt musculi qui tempora continent, quos nefas est ferramento attingere, metu eorum symptomatum quæ scripta sunt in prima prognosi huius tractatus. Ac fissurarum quæ sunt in veris suturis, telo acuto dissectis, ex æquo erant pericula inflammatæ membranæ, & ossis corrupti à contusione socia ipsius fissuræ. Quæ res adduxit Hippocratem, vt in pari casu posuerit fissuram sectæ suturæ, quo cerebri concussionem & vulnus. Itaque patefactis symptomatis quæ infert concussio cerebri atque vulnus, difficultatem posuit inueniendæ fissuræ quæ incidit in suturam; maximè autem cùm secta est telo quantumuis acuto. Atque illa difficultas inueniendi, non rarò interitus causa est, osse corrupto, & inflammata meninge, priusquam inuenta sit: quoniam loco, vt debuit, non est prouisum, osse exciso. Tùm excidendi ratio periculosa est in sutura, cui prope ipsam periculo locus est. Quamobrem, vt difficillima est fissuræ inuentio ad suturam: sic temeraria eius curatio, non rarò est αὐτὸ τὸ κτεῖνον, i. *illud ipsum quod perimit.*

5 Ῥήγνυται δὲ ἐκ τῶν βαρέων μάλιστα, καὶ τῶν ἐξ ὑπεναντίης φερομένων, καὶ μὴ ἐξ ἰσοπέδου.

Rumpuntur autem potissimùm obtusis telis & grauibus, tum ex aduerso illatis, non æquo è solo.

Coac. 2. huius tract. Coac. 3. eiusd. tract.

EXPOSITAE sunt omnes differentiæ fracturarum caluariæ, cum idea cuiusque, vnde sunt grauiores, & in spe angusta sanationis. Ac primùm cerebri à contusione vel effractura concussi, ratio est adducta cum iis quæ inde nascuntur symptomatis atque incommodis. Sunt autem, aphonia, cæcitas, atque surditas: vnde mors venit, si quod subsidit cerebrum, non statim consurgat. Hinc venit ad examen, ossis διακοπὴ qua teli sedes ostenditur in osse pertuso, ἕδραν vocat Hippocrates, in cuius idea dissectio summa est qua vtroque osse diuiso, atque membrana; cerebrum vulneratur: vnde symptomata hæc necessariò enascuntur, bilis vomitio, febris, & corporis apoplexia, quæ sunt mortifera. Inde subit illa iudicij omnis & sensus multùm secura & negligẽs, vel, si mauis, contemptrix, quæ in occulto latet fissura, suturæ impressa, quæ nisi à sciente animaduerti non potest, ab ictu, telo, & partis natura cui telum insederit. Nam vt concedam credibile esse suturam fissilem findi ex facili obtuso telo & graui, ab ictu non æquè validido atque in aliis caluariæ partibus quæ ictui magis resistunt: tamen quæ ratio esse potest fissæ suturæ, ob eámque causam contusæ, quoties telo quantumuis acuto inciditur? Est quidem intolerabilis imperitia cùm teli obtusi & grauis validiore ictu non creditur fissa esse sutura: quia fissuram non exhibet aspectabilem, quia est ipsa ῥωγμώδης, si homo prædicta signa ediderit quæ non nisi osse fracto eueniunt. Sed, penè dixerim, summa est inhumanitas, cùm excusatio medici non accipitur de non inuenta nec credita suturæ fissura & cõtusione, cùm secta est. Et tamen huc mentis aciem cõuertendõ præceptũ est, ad iudicandũ quòd sine fissura secari non potest ipsa sutura. Quæ cùm ita sint, admirabile est quantũ hæc doctrina cæteris antecellat, qua leges ponuntur cum differentiis omnium caluariæ fracturarum, in quibus summa sunt omnia rerum illarum (ideas vocat præceptor) quæ primùm & per se, ipsas fracturas denunciant esse perniciosas ac sæpè funestas. Positis ergo differentiis omnium caluariæ fracturarum, & magnis ipsarum ideis ac signis quæ cernuntur in fissura, diacope, contusione & effractura: sequitur vt exponantur causæ à quibus illæ omnes fracturæ extrinsecus inferuntur.

RVMPVNTVR] Ea specie ruptionis quæ cernitur in fissura, non in teli vestigio. Hic enim sedes est sola teli acuti. Sed in fissura longiùs excurrit rima, quàm vbi telum insederit.

POTISSIMVM] i. Vt plurimùm, ac ferè semper vbiuis caluariæ ossium, si tantùm suturam exceperis, quæ semper incisa telo quantumuis acuto, fissuram habet coniunctam & vnà contusionem.

OBTVSIS TELIS ET GRAVIBVS] Sic enim præceptor alibi, vnde hæc prognosis adducta est. τῶν δὲ βελέων ῥήγνυσι μάλιστα τὸ ὀστέον τάς τε ῥωγμὰς τὰς ἀφανέας καὶ φλᾶται, καὶ ἐσφλᾶται ἐν τῇ ἕδρῃ ἕκαστον τὰ στρογγύλα τε καὶ περιφερέα καὶ ἀμβλέα ὁμαλὰ ἐόντα καὶ βαρέα, καὶ σκληρά, i. *Sanè telorum illa demum ossibus fissuras inferunt tam aspectabiles, quàm occultas ipsáque contundunt, ac suo quaque loco effringunt; ea quæ sunt rotunda, orbiculata, atque suis oris globosa. Tum ea quæ sunt obtusa, grauia, atque dura.* Ergo telis obtusis & grauibus, forti dextera contortis, ossa finduntur quæ primo appulsu contusa sunt, similiter vt ipsæ carnes: quoniam telis talibus nulla secandi vis inest, maxima contundendi & vltrà findendi. Sed vltra fissuram incidit effractura, si ponderoso telo & graui adiiciatur vis effringendi à viribus validis eius qui telum contorserit, sicut poëta cecinit de Laocoonte in equum Troianum.

2. Ænei.

Sic fatus, validis ingentem viribus hastam *Contorsit.*—— Nam tali telo, tantísque viribus credibile non est caluariæ ossa posse resistere, quin contundantur, findantur, & effringantur κατ' ἄλλον καὶ μᾶλλον proratione ictus ac teli quod contorquetur.

TVM EX ADVERSO ILLATIS.] i. Vt alibi loquitur, è directo, ad amussim, vel ad perpendiculum, κατ' ἴξιν, vtraque ratione τῆς ἴξιος quæ cernitur in linea recta. Nam ictus obliqui, sunt ferè inualidi.

NON ÆQVO E SOLO] Sunt enim telorum grauium ingentiores ictus & iactus, si eò contorta sint atque illata, quo sua sponte ipsa feruntur, hoc est supernè deorsum, non sublime. Sic enim par est conspiratio ad ictum & iactum ingentem, videlicet teli grauis, & virium validarum, quæ aliter infringuntur & eluduntur.

6 Τὰ δὲ ἀπορούμενα πότερον ἔρρωγεν, ἢ οὔ, κελεύειν δεῖ, διαμασᾶσθαι διδόντα ἐφ' ἑκατέρην τὴν σιαγόνα, ἀνθέρικον, ἢ νάρθηκα, καὶ προσέχειν κελεύειν εἴ τι ψοφεῖν αὐτῷ δοκέει τὸ ὀστέον. τὰ γὰρ κατεηγότα δοκέει ψοφεῖν.

Sed cùm in dubio est an sit os fissum, necnon sic iudicare oportet, exhibendo mandendum vtraque bucca caulem asphodeli vel ferulam; ac præcipiendo vt eò attendat, num ipsi os aliquod strepere videatur. Est enim credibile quòd strepunt ea quæ fracta sunt.

lib. de cap. tromat.

NVLLA excusatio est medici accipienda in errore τῷ ἔργῳ, vnde ignoratio peperit ignorantiam. Sola ignoratio tolerabilis & excusanda, cùm in scientia fracti ossis quæ signis syllogisticis comparatur, fissura τῷ ἔργῳ inueniri non potest, cùm alibi sedem habet quàm vbi telum insederit. Sic enim tario est præcepturis. ταύτην τὴν ξυμφορὴν ὅταν ξυμβῇ, οὐκ ἂν ἔχοις ὠφελῆσαι οὐδὲν, i. *Tanta calamitati cùm inciderit, penes te non est vnde succurras.* Atq; hæc sola excusatio est medici accipienda in omni exercitatione medendi, si deceptum

ti deceptum fuisse se fateatur de non inuenta τῷ ἔργῳ fissura, cùm ea subest alibi quàm in osse percusso. Nam inueniendi nulla est τέκμαρσις, quam tamen hîc posuit, vt intelligendi, per ipsa τεκμήρια. Est igitur intolerabilis error medici, cùm errat τῷ λόγῳ. Intolerabilis quoque ignauia, cùm ignoratio non aufertur τῷ ἔργῳ rerum earum quas ratio ipsa subesse ostendit: si tantùm caceperis calamitatem hîc positam ossis pertusi, non vbi percussum est. Errauit quidem Hippocrates in quærenda & inuenienda τῷ ἔργῳ fissura, quam tamen subesse, animo complexus erat τῷ λόγῳ. Nec eum fefellit ratio, sed experientia, quòd à suturis deceptus fuerit, quæ sunt ῥαφαί. Sed ita posteris omnem errandi præripuit occasionem, de certo & stabili positu suturarum ex figura caluariæ: vt nemo, nisi amens, deinceps possit decipi eadem ratione qua summus vir olim deceptus fuit in exploranda fissura, etiam si secando inciderit in suturam. Quæ cùm ita sint, examinare tempus est artificium à præceptore hîc positum inueniendi fissuram cùm in occulto latet, quam tamen subesse, in promptu sunt argumenta quæ ducuntur ex telo & ictu, tum è symptomatis quæ apparent & fiunt, nec nisi osse fracto eueniunt. Omnia autem prædicta sunt. Atque hoc singulare artificium, nisi me fallit animus, eò potissimùm accommodari debet, cùm ibi non est fissura, vbi percussio. Nam si os fissum est vbi telum graue obtusum, forti dextra insederit rima quantumuis angusta veniet in conspectum, si manet nigricies atramenti affusi quæ abradendo, è rima deleri non potest, sicut è partibus circumpositis. Nigriciem enim continet quod fissum est. Nam in fissura suturæ, cùm illa secando diuiditur, tametsi atramento frustra explorandi ratio adhibetur: at certè iampridem constat ipsam esse comitem sectionis illius. Nec verò sutura incisa qui fortè mandendo strepitus exauditur ab eo qui maxillas fortiter inter se committit, potiùs ad fissuram referri debet, quàm ad suturæ ipsius διαφυήν. Sed forsitan quis obiiciet, eò spectare hoc artificium, vt intelligatur vtrum sectio & fissura sit membranæ tenuis, vtroque osse diuiso. Nam experientiæ locus non est è strepitu, superiore tantùm osse diuiso. Non enim strepit, illæso inferiore. Quod vt concedam, tamen distinctio adhibenda est ossis nudi & circumtecti. Nam ossis nudi perfractio, vel abradendo, vel cohibendo spiritum, innotescit è bullis, in rima velut crepitantibus. In circumtecto autem κατ᾽ ἔσω est auditus, cùm mandendo fortiter, strepitus exauditur vtraque ossis parte diuisa. His ita constitutis.

Sed cvm in dvbio est.] Græcè est, τὸ δ᾽ ἀμφινοούμενον: quod idem est ac si diceret. Si quis ex incerto certus compósque consilij non euadat, cùm dubitatio est de fissura vbi sit; quam ratio ipsa subesse ostendit atque denunciat ea iis quæ dicta sunt. Tum si nullum superest artificium inquirendi quod in occulto latet, vt quærendi artifex, oleum & operam perdidisse videatur. Et tamen firmissima securitas est illud ipsum esse quod quæritur, nempe fissuram: vnum illud superest documentum quærendi & inueniendi quod positum est in hac prognosi, omnémque locum adimit dubitandi de loco vbi latebat ipsa fissura. Sic enim præceptor ait.

An sit os fissvm, necne.] Quod eò non dicitur, vt aliqua dubitatio sit fissi ossis, quæ profectò nulla est quin ita sit: vt palam faciunt argumenta syllogistica, quæ vt communia sunt omnium fracturarum caluariæ, ita sunt fissuræ propria, coniuncta cum ictu & telo ad findendum accommodatis. Sed quia difficultas & impotentia inueniendi, suspicionem mouet fissuræ, non existentis, quam tamen existere ratio ipsa docet. Ergo si aliqua dubitatio est fissuræ, non aspectabilis, neque tractabilis, quòd alibi lateat quàm vbi percussum est.

Ivdicare oportet.] Id scilicet quod in dubio est cum ἀπορίᾳ, i. penuria instrumentorũ quibus inuẽtio cõparatur: cùm scilicet nihil profectũ fuerit sectione, rasura, & atramẽto. quia ibi nõ est fissura.

Exhibendo mandendam vtraqve bvcca ferulam.] Quia frutex ille caulem habet rectissimum & plenum medulla fungosa, dum recens est: proptereáque cum oris hiatu, intra molares immissus manditur sine strepitu, quia non molitur: cedit enim ferula medullosa firmiter compressa molaribus, à forti contentione atq; conatu temporalium musculorum. Ex quo efficitur vt maxilla superior inferioris firmo appulsu multùm appressa in manso silêti ac sine stridore, fractâ caluaria, penitúsq; diuisâ, cui contigua est, manétq; immota, collisione ossium perfractorũ diuisorum mandendo firmiter, vbi est vicissitudo abducendi & adducẽdi maxillã inferiorem; strepitũ ibi excitet, vbi fractura est. Atque strepitus exauditur facilè ab eo qui mandit, si eò attẽdat in mãso silenti, vt audiat. Ergo diuisum os, mãdendo strepit quia colliditur: colliditur autem, quia mandendo crebra est vicissitudo adducendi & abducendi maxillã inferiorem, quando committitur cum superiore quæ cõtigua est ossi diuiso. Exauditur strepitus in manso silenti, cuiusmodi est ferulæ medullosæ, si eò attenderit is qui mandit, vt ipsum exaudiat. Mandendum est plena vtraque bucca, tum vt firmior sit mandendi contentio, tum vt percipiatur qua parte os fissum est, cùm sedes fissuræ vbi sit, dextráne an sinistra, non potis est mente complecti.

Est enim credibile qvod strepvnt ea qvæ fracta svnt.] Enimuero strepitu, fractura caluariæ innotescit quæ in occulto erat: nec tamen in dubio quin ita esset, nisi quatenus transeundum est à mente certa, ad sensus incertos; vel à constanti iudicio, ad fallacem experientiam. Agitur autem de inuenienda sede fissuræ, quam ratio ipsa subesse ostendit, vbiuis partium illa sit: quia medicandum est manu. Sed ratione duce, certa comparatur experientia, quæ hîc præscribitur, inueniendi locum vbi latet fissura, vt ei appositè chirurgia fiat. Ergo si explorando, visu & tactu, nihil profeceris, adhibenda est machina quæ aduocet vim audiendi, qua, sono extraordinario, rima quæ fuerat inspectabilis & intractabilis, percipiatur. Est autem hîc posita & explicata, cuius huiusmodi attulit epilogismum. Credibile est qvod strepvnt ea qvæ fracta svnt.] Sanè quidem, si causa & occasio strependi adiiciatur quæ hîc præscripta est. Omnis enim strepitus qui tum in aluo, tum in pectore, ab excrementis illic stagnantibus exauditur: tum etiam in solidis partibus, rerum illarum inter se diuisarum, ac veluti fluctuantium, opinionem facit. Sic in thoracis em-

pyemate quò minor est puris copia, eò maior strepitus exauditur, concussis empyici humeris. Contrà quò maior est puris abundantia, eò minor strepitus esse solet, aut certè nullus: quoniam nulla est fluctuatio. Sic in osse diuiso cùm cietur collisio, strepitus excitatur: in continuo autem nullus; quia collisio nulla est. Ergo credibile est vt ea strepant ossa quæ fracta sunt, quando cietur collisio, vt certè hîc mandendo cietur in fracta caluaria.

7 Προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου τὰ ἐῤῥωγότα μὲν ζ΄. τὰ δὲ ιδ΄. τὰ δὲ καὶ ἄλλως διασημαίνει. τῆς τε σαρκὸς ἀπόστασις ἀπὸ τοῦ ὀστέου γίνεται, καὶ τὸ ὀστέον πέλιον, καὶ πόνοι ἰχώρων ὑποῤῥεόντων. γίνεται δὲ ταῦτα ἤδη δυσβοήθητα.

Sed procedente tempore oßium rima occulta, tum septimo, tum decimoquarto, tum aliàs quoque se prodit. Nam & caro abscedit ab osse; ac tum apparet os liuidum. Dolores item ichorum diffluentium excitantur. Atque iam pridem hæc difficulter cedunt auxiliis.

ENIMVERO medicus defatigari non debet quærendo, donec inueniat vbi caluaria in vitio est fracturę illatę, nec tamen tractabilis, nec aspectabilis. Qui secus facit, opinionem meritò subit occisi, quem sors ipsius non tam peremit, quàm vel ignauia, vel imperitia medicantis. Nam rima detecta, foret sanabilis, quæ abdita & occulta, redditur insanabilis. Est enim consentaneum vt omnis caluariæ grauis pertusio, vicinarum partium, ac primùm sui corruptione & inflammatione, ad interitum sit fatalis; nisi remedia loco adhibeantur, quibus corruptio & inflammatio arceantur. Sed ea remedia loco adhiberi non possunt, nisi etiam loco in conspectu sit ipsa rima quæ in occultò latebat. Id autem est loco, si non primo die, saltê postridie, aut ad summum perendie: quibus exactis, vana est omnis industria quærendi atque curandi, præsertim æstate, qua inflammationis & corruptionis causæ atque symptomata magis in promptu sunt, quàm in cæteris anni partibus. Loquor autem de trœmatis ipsius caluariæ, de quibus hæc sancita lex est à præceptore; non autê de aliis, vt brachiorum & crurum. Scire autem licet quòd omnis corruptio fissæ in occulto caluariæ, sua fundit symptomata suo quæque loco pestifera, in falsò credita integritate: nec priùs apparet fissura neglecta, aut perfunctoriè ac negligenter quæsita, quàm signa ediderit eius quæ in propinquo est mortis. Signa autem ponuntur in hac prognosi quæ sic conscripta est.

SED PROCEDENTE TEMPORE.] Cùm scilicet illud exactū est tempus quo erat occasio quętendi & inueniendi ἔργῳ καὶ λόγῳ fissuram, dum esset sanabilis, nec dum funestæ causæ inciderãt ex euentu, omissa loco idonea curatione. Sunt autem causæ funestæ, corruptio & inflammatio, quæ solent accidere labentibus inde diebus a pertusa caluaria, nec tamen inuenta loco pertusione, nec loco adhibita prouisione. Nam illud quod scriptum est, περὶ τοῦ χρόνου, eò certè pertinet vt intelligamus, paroxysmis morborum atq; periodis quę sunt in tempore, motus omnes cieri quibus mutatio ipsa fit, tum ad pepasmū & excretionem, duce natura, vel ad corruptionem & interitum, imperio morbi & magisterio. Scitū est illud. Οἱ παροξυσμοὶ ἐν τῷ χρόνῳ. & quæ sunt eiusmodi. Tempora autem præcedentia mox dicentur.

lib. περὶ χυμῶν.

OSSIVM RIMA OCCVLTA] Græcè est, τὰ ἐῤῥωγότα, i. omnis fissura, vel illa quæ fissa sunt. Non tamen consultò, ex perspicientia τῆς διανοίας nostri authoris *rimam occultam* vertimus; quæ scilicet in conspectu cùm non esset, tamen non adducta est in conspectum, per imperitiam medici, vel eius ignauiam. Est autem occulta, sede ipsa; vel rimæ idea. Ac sede quidem; vel in sutura, telo quantumvis acuto præcisa; vel cùm perrupta est alibi quàm vbi telum insederit. Idea autem; si angustissima est, nec abradendo exactè quæsita, vt iam præceptum est. Nam effractutæ quæ cum fissura est, difficilis non est inuentio. In promptu autem prouisio est, qua & corruptio, & inflammatio vitari debet.

TVM SEPTIMO DIE.] Vbi celeritas, assiduitas, & vehementia motus, celeritatem quoque adfert mutationis ad inflammationem & corruptionem ossis pertusi, & partium vicinarum. Id locum habet in vtroque syncipite præsertim vbi est prope suturam, maximè verò æstate quam pluuiæ occuparint. Nam primis periodis cita mutatio esse solet ad interitum vel ad salutem, vt eò conspirat celeritas motus naturæ, morbi, ac temporis. Sic morbi acuti, celeriter quidem omnes, ac celeriùs æstate quàm hyeme iudicantur. Nam & quartanæ æstate sunt breues, & autumnales longæ. Est autem syncipitis violati atque pertusi motus celerior atque mutatio, quàm cæterarum capitis partium; præsertim autem quà ipsam suturam attingit.

libr. 1. aph.

TVM DECIMO QVARTO.] Cùm scilicet non tam cita venit corruptio, nec inflammatio, vt certè non venit, si longiùs abest pertusio à sutura; si os pertusum durius atque solidius, si leuiùs item percussum, quamvis alta rima diuisum; vt cùm eo telo quod rimam fecit, illæsa manet membrana quæ subiacet ossi percusso, indéque pertuso. Nam quod obiicitur de Autonomo, quem scripsit Hippocrates, a trœmate capitis interiisse decimo sexto die, cùm ei lapidis iactu, æstate media, pertusa esse sutura quæ per medium bregma excurrit, ex qua præceptor deceptus est tanquam rimosa, vnde peccatum est in commoda sauciati, quòd ea ignoratio commodandi locum omiserit; non admota scilicet loco serra rotunda.

rotunda sine modiolo in vicinio suturæ : ac tandem præterita occasione, cùm iam ad vltima ventum esset serò diuisum fetramento quod fuit 15. die, membranam ostendisse pauco perfusam pure, ac cætera corruptionis expertem: postridie autem suum obiisse diem Autonomum, quem æquum fuerat intra septimum obiisse, nec vltrà. Vt illa concedam, quæ vera sunt omnia : tamen non efficitur, falsam esse regulam quæ posita est de septimo die in pertuso bregmate ad futuram; idque æstiuo tempore, quo maior esse solet moriendi celeritas, quàm hyberno. Nam serioris interitus excusationem habet historiæ clausula in verbis concepta. Καὶ [illegible] i. *Suberat paucum pus : ipsa verò membrana visa est incorrupta.* Ergo nec læsa fuit ab ictu, nec inflammata est ab humore qui ad ipsam descendit: quo non exeunte, inflammationes mouentur lethales. At citæ mortis causa est, cita membranæ inflammatio atque corruptio, quæ nulla hic visa est ab osse corrupto.

Tvm alias qvoqve se prodit.] i. Celeriùs, seriúsve quatuor illis periodis quæ absoluuntur 14. die, de quibus homines intereunt aut conualescunt à morbis acutis; vt scilicet tarda aut cita est ossis, membranæ, & carnis inflammatio atque corruptio. Distinctio autem petenda ex telo & ictu: tum verò ex osse cui telum insederit: quibus accedunt regio, tempus, & ætas.

Nam caro abscedit ab osse.] Quia: vt omne viuens, consortis mortui impatiens esse solet: sic mortuarum partium nulla est consociatio, sicut viuentium. Est enim cariosi ossis atque corrupti caro inde nata emortua: tum pericranij caluariam vestientis, eadem planè conditio quæ ipsius membranæ cerebrum inuoluentis, vnde illa producitur. Atque vt membrana putris abscedit à cerebro: sic pericranium ab ipsa caluaria quam suo complexu fouebat. Membranæ corruptæ causa est inflammatio : inflammatur à sanguine & ichore, quem excipit partim à carne pertusa, partim à diploë fissi ossis. Inflammationis illius particeps pericranium, cephalalgiam febri adiungit, quam edit membrana cum signis coniunctam funestis, vt mox dicetur; præsertim cum ei inflammationi succedit corruptio. Sic igitur membrana putris abscedit à cerebro, & à caluaria pericranium; quod hic vocatur caro, sicut in libro de capitis pertusionibus. Nota est illa descriptio capitis posita eo libro his verbis. *Duplici constat osse caluaria, quæ per medium caput excurrit, cuius id quod supremum est, carníque subiacet, durissimum est atque densissimum.* Vbi, ne longum faciam, certum est carnem vocari tunicam pericranij.

Et lividvm os apparet.] Est autem eiusmodi: quia emortuum, extincta viuacitate vitalis principij quod erat in parte solida; tum intercluso nectare ipso viuifico quod venit è corde. Adeo vt liuor ille qui nunc apparet in osse quod erat priùs album dum viueret, causam non habeat [illegible] i. *nauseam vel effusionem,* sicut in sugillatis: sed [illegible] i. *emortuum vitæ innatum calidum atque viuificum.* Est autem extincta [illegible], & exhausta [illegible].

Incommoda item veniunt ab ichoribvs svbterlabentibvs.] Quod certè perinde est ac diceret. Exorta febre in rima occulta, post septimum diem, æstate, & paulò infra decimumquartum, hyeme; caro abscedit ab osse, velut sale condita, colore sulua, inde subliuida; os autem non incipit occupari sphacelo, & fieri cariosum, quod erat læue & perpolitum; postremò subflauum & cinericium. Sed præter ea quæ cernuntur in carne & osse multùm à se mutatis colore, charactere, & mole: ichorum quoque subterlabentium symptomata excitantur. Sunt autem sic à præceptore tradita. *Si purulentum os fuerit, aut pustulæ assurgunt in lingua, aut ipse percussus & saucius cum delirio vitam finit. Tum ab ichore qui ad membranam descendit, nec exitum inde habet, inflammatio grauis mouetur. Postremò, cùm in propinquo mors est, conuulsio partes occupat quæ sunt è diuerso pertusæ.* Ac de symptomatis quemadmodum illa veniant ab ichoribus in pertusa caluaria; dictum est alibi. Tunc illud tantùm attingam, quod à quibusdam visum est miraculo potiùs apponendum, quàm super eo cur ita sit, accuratè disputandum. Est autem, conuulsio partium quæ sunt è diuerso pertusæ.

Sanè conuulsionis illius quam, sicut dixi, narrat præceptor inferri à trømate capitis, sola, vt paucis absoluam, causa est inflammatio. Sic enim Galenus ait. [illegible] i. *Reapse vulneribus conuulsio incidit, merito eam quæ ipsa consequitur inflammationis cum scilicet ipsa neruosas partes attigerit.* Non enim conuulsio ibi est, neruis à frigido & glutinoso humore distentis: nec verò ipsam facit humidum primigenium nerui absumptum; ac multò minùs resolutio partis pertusæ, vt in præcisis musculis qui tempora continent, vbi conuulsio incidit è diuerso partis præcisæ. Verùm, dicet aliquis, posita inflammatio hæc conuulsifica, causam non aperit cur ipsa conuulsio fit potiùs è diuerso, quàm è directo partis pertusæ. Instat Galeni authoritas inscribentis ad idē quod iam adduximus. Καὶ [illegible] i. *Ac prima cernuntur conuulsa, quæ sunt è directo partium inflammatarum.* Ex quo apparet, quod inflammatio conuulsifica conuulsionem non mouet in partibus quæ sunt è diuerso ipsius, sed è directo. Quod sanè concedo. Sed audiamus quod sequitur. [illegible] i. *Deinde verò cùm principatum attigerit inflammatio, in vniuersum corpus excurrit affectio siue conuulsio.* Ex quibus efficitur, conuulsionem natam à trømate inflammato, primùm è directo esse partis percussæ, mox autem pariter è diuerso, vt è directo, i. æquè dextrà atque sinistra principio inflammato. Talis conuulsio visa est ipsi Autonomo, lapidis ictu percusso atque pertuso ad medium syncipur, in ipsius sutura quæ rectà excurrit à fronte ad occiput. Huic enim conuulsæ sunt ambæ manus; quòd in medio bregmate vlcus esset. Secus autem fuit puellæ cuidam Omeliæ quę conuulsionem experta est partium sinistrarum, cùm in dextris esset pertusio. Hic sanè quærendū cur è diuerso conuulsa est, non è directo. In promptu causa est, quam sic præceptor posuit. [illegible] i. *Quoniam dextra potiùs pertusionem habebat.* Quæ ratio pugnat cum iis quæ ex Galeno adduximus. Sed symperasma est præceptoris, cuius tanta fuit benignitas, vt nihil sciuerit quod nos nescire voluerit: tanta autem solertia & sapiētia,

vt nemo post eum sciuerit quod ipse ignorauerit. Itaque turpis erit quærendi defatigatio cur ita summus dictator sanciuerit. Quæramus igitur, & Galenum ducem sequamur. Ergo non vbi pertusio est ossis caluariæ, nec è directo eius conuulsio accidit, sed è diuerso: quoniam eò migrat inflammatio conuulsionis causa, quæ tollitur è vicinia directa partis pertusæ, ope modioli, si conuenienter & loco adhibeatur. Migrat autem, illuc transmissa & propagata, vnde non habet exitum: sicut è membrana quæ subiacet ossi pertuso. Itaque si loco vitetur inflammatio, detracto ichore per foramen ossis diuisi, nulla suberit conuulsionis causa. Sin autem serius os diuidatur, vitari quidem poterit conuulsio è directo ossis diuisi: sed è diuerso minimè: quia ichor non erit, quem illa pars è sauciata excepit. Hinc veniet inflammatio partium neruosarum, proptereàque ipsa conuulsio. Quòd si prætermissa ossis diuisio, viam ichori ad liberum exitum, non vt par erat, muniuerit: tum nascitur inflammatio dextra, similiter vt sinistra, quæ proculdubio ibi conuulsionem mouebit, vbi occupabit genus neruosum: ac primùm quidem è directo, mox è diuerso, si eò fuerit propagata. Est autem æqualis propagatio, & inde pariter conuulsifica, parte vtraque, si telum suturæ insederit quæ per medium bregma excurrit. Quod legimus contigisse Autonomo, cui conuulsæ sunt ambæ manus, quòd in medio bregmate ad suturam, lapidis ictu esset percussus atque pertusus: ipse autem modioli beneficio caruisset cùm eo maximè opus esset. Nam pridie quàm interiit (interiit autem 16. die) curari cœpit modiolo, cùm iam funesta essent omnia. Tum osse diuiso, pus visum est non ita multum; membrana autem corruptionis expers. At verò puella Omelia, duodecim annos nata, æstate media conuulsionem habuit è diuerso pertusæ caluariæ, i. sinistra parte, cùm in dextra esset pertusio ad suturam. Sic autem res fuit. Accepto ictu de ianua, præuisum est quidem prudenter, opus esse modiolo: sed eo tamen conuenienter non est prouisum, quòd antè substiterit de circumactu, quàm sanies in membranam illapsa, exitum inde habuerit. Hinc nata est inflammatio putulenta, quæ mouit rigorem & febrem die octauo. Quæ res adduxit medicum vt postridie, i. nono, rursus modiolum adhibuerit, ac tum os illud ademerit quod circumactu modioli continetur. Tum in conspectu fuit membrana, quæ incorrupta pauco stagnabat pure & sanguine. Ipsa verò puella, quam febris assidua occupabat, somno sepulta, cum prædicta conuulsione interiit decimoquarto die.

Quæ cùm ita sint, primùm super eo quærendum quod instar fuit omnium rationum summo Hippocrati. Est autem id positum in historia. Quòd ideo sinistrarum partium fuit conuulsio: quoniam in dextris erat pertusio. Sed illa ratio vlterius resoluenda. Non enim conuulsa est illa puella, neruis ab eo pure distentis; quod incorrupta membrana exhibuit nono die, quo in conspectu primùm fuit osse diuiso. Nec verò inflammatæ illius membranæ per forameo conspectæ, symptoma fuit illa conuulsio. Nam incorrupta erat membrana pure stagnata & sanguine: quibus exhaustis, nullæ illic restabant reliquiæ conuulsificæ. Quid superest igitur quod faciat conuulsionem è diuerso partis pertusæ? In promptu sunt; ichor eò transmissus & propagatus, nec exitum inde babens, sicut vbi pertusum est & terebratum; sed serò: tum febris ipsa, & rigor. Enimvero bilis continenter à febre succrescit, cuius amplificatio, partium vicinarum & sociarum cerebri contagionem mouet siue sympathiam. Sunt autem nerui vicini & socij: proptereàque primi omnium vitiantur, quotiescunque in vitio est principatus eorum. Rigor autem symptomaticus empyematis, ab ichore stagnante frustra exortus, nouam adducit μετάστασιν atque phlegmonem vbi cietur. Ex quibus efficitur, vt inflammatio ab ichore, tum bilis à febre amplificatio, cum occasione rigoris frustra oborti, prorepat è membrana ad cerebrum, indéque ad genus neruosum, vbi conuulsio excitatur. At enim fortasse obiicietur, quòd sympathia omnis per [illegible] sursum deorsùmque mouetur κατ' ἴξιν, non autem ἀνάπαλιν; nisi cùm est orgasmus. Sanè illud ipsum quòd hîc cernitur τὸ ἀνάπαλιν partis pertusæ; reuera est κατ' ἴξιν partis à telo quidem illæsæ: sed vitiatæ à principatu offenso. Est autem eius offensio ab ichore stagnante & à febre ibi concepta: tum à rigoris concussione, cum succrescentis bilis perennitate. Sed quoniam illa perennitas non habet exitum è diuerso, vti nec ichor; sicut è directo, vt dictum est: mirum videri non debet si faciat illic symptomata quæ inflammati nerui sunt propria, cuiusmodi est ipsa conuulsio: non autem vbi telum insedit; vnde si exeat loco sanies, vitatur corruptio & inflammatio, atque adeo febris ipsa, vnde cita mors venit. Quamobrem verè, sapienter, & appositè dictum est a præceptore, quòd ideo venit conuulsio è diuerso, non è directo pertusæ caluariæ: quoniam huic parti prouisio adhibetur, qua vitatur ipsa conuulsio. Est autem, sanguinis & saniei vacuatio. Sed ea ratio his inclusa literis continetur. Ἐν γὰρ τοῖσι δεξιοῖσιν εἶχε τὸ ἕλκος. i. *Quoniam in dextris potiùs erat pertusio.* Atque hoc symperasmate, conuulsionis prædictæ ratio continetur. Plurimùm autem facit vt ita esse persuasum habeam; quòd in occulta rima hîc posita, quæ scilicet non est vbi telum insederit, sed è diuerso, proptereáque caret ope modioli; symptomatum omnium funestorum illinc è directo principia causæque primùm ducuntur, & illic apparent.

Atqve hæc difficvlter iam pridem cedvnt avxiliis.] Quoniam inueteratio causæ morbificæ, principatum naturæ sic occupat, vt eo collapso, à priuatione habitus denuo comparari non possit. Atque illa vis occupandi, ostenditur vacuitate officiorum quibus vita carere non potest: tum verò symptomatum grauitate, quibus ipsa opprimitur. Atqui morborum omnium, principatus naturæ sic occupantium, vt inde ipsorum officia peruertantur & collabantur, omnis medicatio irrita esse solet.

DE VVL-

DE VVLNERIBVS ET FISTVLIS.

Cap. II.

ΣΟΙΣΙΝ ἐπίπλοον ἐκπίπτει· ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

1 *Quibus omentum excidit; necessariò hinc putrescit.*

Hactenvs de capitis pertusionibus, quarum corruptio & inflammatio mortifera est contagione cerebri & membranæ. Nunc de incommodis vulnerum quæ vel à parte saucia enascuntur, vel à vicinis & sociis inferuntur, læso ipsarum propugnaculo, vnde potissimùm conseruantur. Sunt enim grauiora ventris, thoracis, & capitis vulnera, nun tam merito illarum partium sauciarum, quàm earum nobilium atque vitalium quæ intra eas viuunt & sunt viuificæ. Ac primùm vulnerati abdominis symptomata hic ponuntur quæ veniunt ab omento, cùm sua sede mouetur, & excidit per vulnus illatum.

Qvibvs.] Abdomine vulnerato sauciis, omento tenus diuiso peritonæo; nec vltrà.

Omentvm excidit.] Foras exit per vulneris amplitudinem, quàm fortè intulit venabulum lato ferro, vel etiam latus ensis aut pugio. Non enim hîc verbum *excidendi* pertinet ad prolapsum omenti, quem sæpe habet in scrotum, à laxitate quam attulit fortis contentio in gerendo, vel attollendo grauiore & impari viribus onere, vbi diu manet ad vitæ finem. Nec verò in præpingui abdomine si claudit os vteri, vnde sterilitas, eò prolapsum excidisse dicitur, vt scriptum est in hac prognosi: cuius ἀσφύξια tantùm spectat vulnus abdominis, vt Galenus author est in aphorismis. Huc spectat etiam ea sententia iisdem verbis hac de re concepta 1. lib. de morbis, vnde τὰ διαγνῶσ traumatum atque vulnerum huc transcripserunt Scholæ Coæ magistri. Excidit autem omentum, per vulnus abdominis, quia non ampliùs inuolucro peritonæi complexum, suo continetur loco, vt olim, cùm esset fomentum ventriculi & intestinorum. Excidit verò facilè: quia supernat, vnde nomen habet epiploi, nullo constrictum vinculo quo exitu prohibeatur. Sed cum exciderit. aph. 58. 6.

Necessario hinc pvtrescit.] i. Quia excidit, inde putrescit, τῷ λόγῳ τῶ ὑποδεχομένου i. *emerito suscipientis causæ* ambientis appulsum, quem nunquam experta est. Quæ ratio sicut communis est, aliarum quoque partium abditarum, simulatque contactu & qualitate aeris offenduntur, quo nunquam vsque sunt familiariter: tum verò epiploi siue omenti consentanea, penéque dixerim propria esse videtur: tum quia excidit; tum quia putredini obnoxium est præter cæteras. Nam calidum eius innatum corrumpitur facilè in proprio humido, simulatque contactu & qualitate ambientis offenditur. Tum illa pars venis obsita, causam putredinis τὴν ὑποδεκτικὴν, secum portat in ambientem, corruptionis authorem, videlicet sanguinem qui non habet φυλακὴν in vena detecta. Sic enim comparata est ratio seminis τῆς ζωοποιοῦ, vt facilè corrumpatur, si aliò effundatur quàm in matricem fœminæ consocialis: quia non habet φυλακὴν. Sanguinis autem sic ratio est atque conditio, vt ne intrà quidem maneat incorruptus, vel ad punctum temporis, si fortè sit extra venas, vbi non alibi conseruatur. Ac ne in venis etiam diu retinet suum calorem, corruptionis expertem, si aliquantisper sub dio sint expositæ ambienti, detectæ sua carne, & suo, vt ita dicam, eiectæ propugnaculo. Ergo sic res eunt omenti, vt partim suo egressum domicilio, partim venarum, quibus abundat, propagine, à communi causa putredinis, propriam citò habeat corruptionis differentiam, præter cæteras partes in graui odore. Quamobrem non antè manibus reponi debet in alueum, quàm excisum fuerit illud quod excidit, sicut præceptum est à Galeno. 3. Epid.

2 Ην ἔντερον διακοπῇ τῶν λεπτῶν, οὐ συμφύεται.

Si quod præcisum fuerit tenuium intestinorum; non coalescit.

Qvæ in medendo sunt omnia, scopum habent τὸ κατὰ φύσιν, id scilicet quod est naturaliter constitutum. Ex cuius perspicientia, partium è natura egressarum redintegratio comparatur, aut ne tentatur quidem, nisi ab imperio medendi. Enimvero nullius partis è natura egressæ redintegratio prius tentari debet, quàm ea cuiusmodi sit, & quanta eius egressio, cognoscatur. Huius rei notitia est in hac prognosi, qua ponitur sectio tenuis intestini, vnde spes omnis adimitur coalescendi, videlicet ex vulneris amplitudine, & vulneratæ partis natura. Quorum examen & comparatio, impotentiam planè ostendet ipsius symphyseos, quò spectat potissimùm omnis medicinæ vulnerum & fracturarum. Omnis enim diuisio redintegratur per symphysin.

Ergo. Si qvod.] De tribus intestinis quæ transponendo chylo, digerendo, & segregando, sunt comparata, proptereáque ipsis tributum est vitale officium quo vitam carere diu non potis est. Atque hæc secundas tenent inter partes nutritias, quarum aliæ quidem coquendo, aliæ dirigendo, aliæ excernendo suam dicarunt operam.

Tenvivm intestinorvm.] Quæ sunt ecphysis, transponendo chylo; ieiunum, distri-

buendo ad hepar per mesaraicas portæ venas; ileum, segreganda fæce à chylo, transmittenda ad colum indéque ad rectum, vnde per sedem transmittitur. Eorum duplex tunica, est membrana solida quam ipsis dura meninx impertiit.

aph. 24. 6. DISSECTVM FVERIT.] Μέχρι δ' ὅσης εὐρυχωρίας, i. *ad intimam vsque diuisum amplitudinem, non tamen excisum, vel amputatum penitus.* Qualis eorum diuisio est, dum vulnerantur, quæ posita sunt hoc aphorismo. Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ θανατῶδες i. *Vesicam dissecari, aut cerebrum, aut cor, aut diaphragma, aut intestinum tenue, aut ventriculum, aut iecur; mortiferum.* aph. 18. 6.

NON COALESCIT.] Tum quia est ipsum natura ἀσύμφυτον. i. *incoibile.* Est enim ἄσαρκον, i. *carnis expers*, cuius interuentu membranæ carnea coalescit, nempe cutis obducta cicatrice, cuius materialis causa est caro succrescens, versa in vinculum præ siccitate. At nulla est caro tenuis intestini quæ, ipso diuiso, idem faciat quod in cute. Tametsi enim venis abundat tenue intestinum: tamen eas sibi non haber, sed hepati, quibus vtitur attrahendo chylo quem aluus expleta deposuit, & eò transmisit. At nulla est amplificatio rei quæ antè non fuit. Enimvero simplex caro diuisa, coit in vnum sub forma priore, quæ vera est simphysis. At cæterarum partium quas vocant spermaticas, nulla coitio esse potest, cum semel diuisæ fuerint, nisi per cicatricem aut callum. Cicatrix cuti obducitur sauciatæ: quia ibi caro succrescit neruo intexta. Ferruminaturos fractum, callo nodoso. Hîc vtriusque perit vetus figura, nisi fortè sit excusatio cereorum infantiæ ossium, quæ fracta, in vnum coire dicuntur; non quidem ferruminata callo: sed φυσικῶς ἑνωθέντα: quæ vera est symphysis, authore Galeno. In cæteris quænam coitio sperabilis esse potest, vbi nullum est fundamentum cicatricis aut calli? In cute fundamentum est cicatricis: quoniam hîc caro subest quæ amplificatur facilè. In osse perfracto fundamentum est calli, ab eo quod intus exudat & circumponitur, ac firmiter adhærescit parti firmissimæ. Sed nulla est membranæ amplificatio in forma priore, vnde fit redintegratio continuitatis amissæ. Nec video quid apponi possit vnde coalescat membrana diuisa; cuius accretio dum naturaliter esset continua, gaudebat succo alibi propagato & assimilato parti continuæ. Nunc ei distractæ propagatio nulla erit, nec alimenti ad ἕνωσιν, nec excrementi ad ὄλωσιν. Tum nulla est basis in parte quæ subiacet fistulata, vnde succrescat aliquid, cuius interuentu oræ ipsæ coëant intestini diuisi. Igitur neutra symphysis expetenda continuatione amissa tenuis intestini. Atque hæc de natura quæ intestinum facit ἀσύμφυτον. i. *incoibile*, cum eius diuisio est, vt semicylindri, qua oræ distractæ, ampliùs coire non possunt, neque propterea coalescere, inopia cicatricis. Nam si tantùm altera tenuis tunica sectum esset, non autem dissectum; & si non ita esset ampla dissectio quæ oras dissecti multùm à se distraheret: sanè illa fundendo, hæc autem apponendo reliquias alimenti, symphysin ederet ferruminatam. Sed intestino altè dissecto ad semicirculum vel semicylindrum, manu est opus quæ oras multùm à se distractas adducat, vt coeant & coalescant. Quæ faciendi ratio non est inpromptu, nec facilis in vulnere intestini, sicut in fractis artubus, quæ vinculis continentur & coercentur, exprimendo & reprimendo, vnde nodosi calli generatio comparatur. Nec verò in tanta difficultate medendi per chirurgiam, intestino vacat, nec satis est otij coalescere, non faciundo vitale officium nutricatus quod ei demandatum est, quo diu vacare non potest, vita superstite. Propterea sic læsi homines, celeriùs moriuntur quàm iuuari possint: tum vacuitate officij, tum ipsa symptomatum crudelitate quam intestini concitat inflammatio. Nam cibus & potio per vulnus exeunt; præcordia indurescunt, nonnunquam bilis per os redditur. Quamobrem verè & appositè scriptum est à præceptore, quòd intestini vulnus mortiferum est: tum quia ἀσύμφυτον, vacuitatem habet vitalis officij quo vita diu carere non potest: tum quia ipsum vulnus in membrana quam occupat, inflammationes mouet lethales.

lib. περὶ ὀστ. — Cels. lib. 5.

3 Νεῦρον διακοπὲν, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη οὐ συμφύεται.

Neruus resectus, aut quod in gena est tenue, aut præputium; non coalescit.

ECCE ITERVM noua symphyseos impotentia, quæ est in partibus omni fundamento & occasione carentibus coalescendi, quoties præciduntur, quatenus ipsæ vnius modi sunt in suo quæque instrumento cui dicatæ sunt. Nam artus præcisi & amputati nulla sperabilis coitio est. Nec mirum cur ita sit. Sed nerui præcisi & cæterarum partium quæ hic ponuntur, quamobrem nulla sit redintegratio; id verò nos exercebit in hac prognosi.

NERVVS.] 1. Pars omnis quæ nomen habet nerui; qualis est νεῦρον à cerebro vel à spinali medulla, per quem facultas animalis, & ea quæ intus cient, videlicet τὰ ὁρμῶντα in officio esse dicuntur actionum suarum ὁρμητικῶν & αἰσθητικῶν. Qualis est tendo etiam vel ἀπονεύρωσις in fine cuiusque musculi, orta è fibris ligamenti & nerui, sparsis per villos carnium, indéque in chordam coëuntibus, qua omnes ducuntur articuli, vt voluntati visum est κατὰ ὁρμήν, ὃ τῶν νεύρων. Tum συνδεσμοὶ & ligamenta, quæ omnem συνάρθρωσιν atque διάρθρωσιν continent expeditam & elabi mouentem in ἀρθρώδει, γιγγλυμοειδεῖ, & ἐναρθρώσει. Neruus igitur νεῦρον, τόνος, & συνδεσμός, i. *tonus vel ipsum robur, tendo, & ligamentum.* Ac sanè τόνος qui verus est neruus, propago est siue ἀποφυσις cerebri & spinalis medullæ. Ligamentum, soboles & origo earum quæ sunt in ossibus epiphyseon. Tendo autem quædam est velut ἕνωσις fibrarum ligamenti & nerui, quæ sunt in villis carnium & in ipsarum exitu coeunt in vnam chordam quæ ipsa est tendo.

RESE-

Resectus.]i. Toto suo corpore cylindraceo obtruncatus, vt ea obtruncatio, sublata omni continuitate, partes ipsius non sinat esse contiguas: sed multùm à se inuicem reddat distractas.

Avt qvod in gena est tenve.] Quicquid interiectum est inter vtramque maxillam, quod ipsum per se in omnem partem mouetur, immotis articulis, ope lati musculi, cuius origo est à membrana cuti subnata. Est autem pars illa buccarum sub malis quodammodo suspensarum, quarum refectio nullum habet fundamentum crescendi à carne subiecta quæ nulla est, nec apponendi reliquias alimenti in vulnere alto & amplo, vnde partes diuisæ valde sunt dissitæ à se inuicem, quo sua sponte in membrana & cute ex quibus ipsæ constant, huc illuc trahuntur. Itaque sutura & hamo est opus, vt dissitæ vi adducantur, & ibi coalescant ferrumine cicatricis cuius materiam, vt cuiusdam glutinis, suppeditabunt reliquiæ alimenti. Ac sanè ibi locorum omnium fœdissima est cicatrix quæ faciei veterem & genuinum turpificat characterem. Itaque illud videor verè dicturus cum Galeno, quòd dissita glutinantur, non autem verè coalescunt dissecta. aph. 20. 6.

Avt præpvtivm.]i. Extrema cutis qua tegitur glans pudendi, nec ei tamen adhærescit: sed circumuoluitur, suámque habet ἰδίαν συγκρισιν, ex membrana & cute. Atque pars illa circumciditur verbis Iudæis, infantibus octo dierum in signum Iudaismi: quia est regenerandi & accrescendi expers.

Non coalescit.] Quoniam non denuo gignitur neque augetur. Est enim pars orta è spermate, cuius ἰδία συγκρισις ἐσπερματωμένη ἔχει παραγωγήν, quæ semel amissa nunquam reponitur, nec vlla esse potest illius amplificatio. Itaque nulla spectabilis est σύμφυσις in neruo, arteria, vena, membrana, & cute dissectis. Nulla item χόνδρωσις in cartilagine rupta, exesa, auulsa, dissecta. Nulla denique ἔνωσις in osse perfracto. Expetenda symphysis per cicatricem aut callum, cuius materia sunt exudantes reliquiæ alimenti, aut caro succrescens in cute. Nam carnosarum partium perennis generatio est à sanguinis perennitate vnde primùm enatæ sunt. Inde fit σάρκωσις, qua sola cauorum vlcerum curatio atque sanatio comparatur. Nam si quis obiiciat, materiam gigni spermaticam quæ idem faciat in spermaticis partibus, quod in carnosis de sanguine dictum est: obiectio facilè diluetur, cùm intellexerit eam materiam esse quidem ὁμογενοῦς, i. consortialem spermaticis: non tamen iis restituendis à quibus excernitur, indéque pellicitur à testibus ad faciundum semen, procreandi causa. Itaque materia illa non mutatur in partem spermaticam, sicut sanguis in carnem. Sit igitur ratum & persuasum omnibus, quòd nerui solidi, & membranæ, imprimísque tenues & suspensæ, nec vlla basi firmatæ, cùm dissecando multùm distractæ fuerint à se inuicem; vt ipsas in vnum coire non potis est per symphysin naturalem: ita nec posse ferruminari, nisi ope chirurgi, ac difficulter admodum & indecorè. Nam excisarum nulla spes regenerandi & accrescendi, vt in præputio.

4 Ὅτε ἐν σώματι ὀστέον ἀποκοπῇ ἢ χόνδρος, οὐκ αὔξεται.

Si quando in corpore, vel os exectum fuerit, vel cartilago, nunquam augetur.

Exposita est difficultas & ratio coalescendi per symphysin ferruminatam in osse, membrana, & neruo diuisis, facta diacope cui debetur symphysis, vt partes illæ in officio sint vel instrumenti, vel vniuersitatis: vt similares, illi; organicæ autem huic suam dicarent operam. Nunc de apocope cui debetur αὔξησις vel accretio reponendi causa & restituendi quod mancam partem reddidit vnde abscedit. Hoc enim video interesse inter apocopen & diacopen, vt illa iacturam adferat substantiæ in parte organica aut similari: hæc verò continuitatem exoluat. Vtramque affectionem coniunxit in aphorismis cum ait. οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται, i. *neque augentur, nec coalescunt.* Tametsi diuersa illic ratio est accretionis, vt mox dicetur. In summa; coitio pertinet ad solutionem continui: accretio, ad iacturam substantiæ. aph. 19. 6. Est autem accretio necessaria coalescendi partibus quæ vel minimam sui iacturam fecerunt. Id cernitur in vlcere cauo quod non antè coalescet, quàm fundum repleuerit. Sed tamen in osse, membrana, præputio, cartilagine, atque palpebra, non est par necessitati commoditas: quia hæc non augentur, nec coalescunt, vt caro. Ac sanè difficultas iam patefacta est coalescendi. Nunc autem quænam sit impeditio accrescendi, superest vt quæramus.

Si qvando.] i. Quotiescunque, vel ab iis quæ intrà sunt & intus lædunt, vel ab iis quæ foris incidunt & extrinsecus.

In corpore.] In quo est partium inter se optima conspiratio, & cum lepore quodam conuenientia πρὸς ὁλομέλειαν. i. *ad vniuersitatem*, quæ suis expleta numeris, animo morem gerit: vt scilicet quæ hîc recensetur exclusio, excisio iacturam ostendat viuentium partium, non autem sphacelismi detractionem & partium mortuarum. Nam sphacelismi & gangrænæ cùm amputantur, nulla restat basis nec fundamentum accretionis; quia denuo gigni non possunt. Sed in viuo corpore, si partis iactura sit violenter illata, vel etiam portiunculæ aut fragmenti; non est æqua omnium succrescendi & accrescendi conditio, vt hîc docetur.

Vel os.] Cuiusmodi tandem id fuerit, solidúmne, adnatum; enatum. Atque inter solida, quæ scilicet suo quæque muneri & officio apposité sunt descripta, (nam enata, sunt apophyses; vt adnata, epiphyses) siue illa sint fulciendo, vt ossa tibiarum & crurum: siue propugnando, vt ossa caluariæ & thoracis: siue iuuando ad efficiendum, vt manuum ossa: siue ipsa per se faciendo, vt dentes. Omne os

denique quod ſiccitate induruit ad ſummum, & duritate cæteras partes præcidit: ídq; e tam ſenſus expers, quàm particeps.

lib. 4. περὶ νούσων.

Exectvm fverit.] Ferramento chirurgi, telo aduerſarij, fractura, effractura, contuſione: quæ omnia τῶν βιαίων nomine continentur apud Hippocratem. Omne os denique ab oſſe detractum, vel amica manu, vel inimica; vel etiam ſponte ſua eiectum.

1 b. 1. diſt. animal.

Vel cartilago.] Pars vniuſmodi, quæ omnium proximè abeſt ab oſſe, duritate quam ſiccitas attulit in terreſtri ſubſtantia, quæ ipſi cum oſſe communis eſt: dura minùs dum cartilago eſt initiis oſſium, quorum naturam ſuſcipit vetuſtate. Nam cartilaginem quæ ſic manet, os duritate præcedit. Sic autem manet quæ connata oſſibus ipſa connectit inuicem, vt ſterni oſſa & pubis: vel ipſis tantùm appenſa eſt, vt cartilago xiphoides, cartilago coſtarum, & naſi: tum illa ſolius hominis quæ colligat iugulum cum omoplatæ ſpina, vt cæteras non recenſeam. Sic etiam manet cartilago quæ ipſa per ſe partem conſtituit, cuiuſmodi eſt in tarſo vtriuſque cilij in quo ſunt palpebræ: tum in epiglottide, in larynge, in vocali arteria, &c. Itaque omnes illæ cartilagines exectæ vel eiectæ, quovis modo abſcedetint, vel earum portiuncula.

aph. 19. 6.

Nvnqvam avgentvr.] i. Oſſis execti vel eiecti, tum etiam cartilaginis nulla ſperabilis reſtitutio, ſufficiendo ac reponendo id quod deeſt, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι γενέσθαι πάλιν ἑτέραν οὐσίαν τοιαύτην, i. *quia non potis eſt denuo generari ſubſtantiam quandam eiuſmodi qualis amiſſa eſt*. Nam circumciſum præputium infantibus octo dierum, mancum eſt in perpetuum: quia deinceps non accreſcit, manétque in ſignum aſpectabile Iudaiſmi. Quòd ſi fatale illud eſt membranæ & cuti, moltò magis oſſi & cartilagini. Sic empyemata in arthrodia brachij, μινυθώδεα reddunt infantes. Sic os ferramento exectum, nunquam idē reponitur: ſed fungus pro eo. Tum quibus è palato eiectum eſt oſſiculum maxillæ ſuperioris, reſimus fit naſus in medio. Quibus autem id vnde ſunt dentes, in imo naſo apparet σιμόν. Quod certè non fieret, ſi cartilago naſi, quæ ipſi eſt ſeptum rectum ac veluti paries quidam intergerinus, amborum meatuum, ſuo innixa fulcro maneret. Sic vlcerum vetuſtorum cauas neceſſe eſt cicatrices obduci, quantū ſubiecti oſſis carie abſumptum fuerit: quia nunquam reponitur carioſum idem quod antè fuit. Ipſa autem caro creſcit ad oſſis amuſſim. Ex quibus apparet, oſſium exectorum vel eiectorum ſubſtantiam ibi non poſſe reſtitui ad amuſſim, vnde abſcedit. Nam cartilago ſui iacturam reſarcire non poteſt in epiglottide, in larynge, in vocali arteria, in narium pinnis, in ſepto naſi, nec vſquam alibi. In promptu Galeni eſt ratio: quia non potis eſt denuo generari ſubſtantiam quandam eiuſmodi qualis amiſſa eſt. Quæramus ergo, ſi placet, quænam & vnde illa ſit ἀδυναμία vel impotentia regenerādi. Enimvero nulla eſt alia, nec aliunde petenda quam ἐκ τῆς ἀφορμῆς, quæ non facit denuo quod ſemel abſoluit atque perfecit: nec maiorem vim habet reſtituendi & reponendi quicquid os vel cartilago ſui perdiderit; quàm reficiendi quod mancum eſt, vel minùs appoſitè conformatum. Nam σικυώδεες φύσιες τῶν κεφαλέων eiuſmodi ſunt atque manent, διὰ τὴν ἀδυναμίαν τῆς ἀφορμῆς. Cucurbitatum caput idem manet ſimiliter vt eformatum fuit ab eadem natura quæ ipſius eſt conſeruatrix, vt conformatrix. Ipſa verò natura σύζευξιν habet aquæ & ignis, quæ eſt fatalis portio vitæ & necis, partiúmque omnium conformandarū & augendarum. In partium conformatione atque figura, tum incremento & ſtatu, vis ea lucet naturæ quam temperatio comitatur ignis & aquæ ad motum & nutricatum, quibus omnia coagmentantur atque conſiſtunt. Eſt autem naturæ artificium, ſui domicilij architectæ, omnia formare ſimul ac ſimul augere. Nihil enim natura particulatim facit, ſed omnia ſimul iacit fundamenta perficiendæ rei. Vt autem natura ſuum abſoluit penſum in vtero per animati ſeminis ignem & aquam, in quibus eſt fatalis portio corporis effingendi & procreandi: ſic extra vterum nihil deinceps adiicit præter augmentum & nutricatum fœtus perfecti. Ac nutricatum quidem, ipſa omni fundit ætate. Quò ſpectat illud Hippocratis. Ἀνθρώπου ψυχὴ ἀεὶ φύεται ἄχρι θανάτου. i. *Hominis anima ſemper fundit vſque ad mortem*. Vbi certum eſt animam dici pro natiuo calore, in quo eſt ἀρχὴ ζωτικὴ ἢ ὁ εὐφρῶν, i. *vitale principium*, ſiue *ipſa viuacitas & nectar in corde viuificum*. Sequitur enim, Ἢν δὲ ἐκπυρωθῇ ἅμα τῇ νούσῳ ἡ ψυχὴ, τὸ σῶμα φθείρει. i. *Si verò inflammatur vnà cum morbo anima, corpus abſumit*. Nam præceptori ſolenne eſt, cœleſtem animam, vel diuinam potius, vbiuis dicere ἀναλοίωτον.

9. Epid. part. 3.

lib. 1. περὶ διαίτης. Theoph 2. de cauſ. plant.

6. Epid. part. 5.

Sed accreſcendi alia quædam ratio eſt quàm nutriendi. Non enim perpetua eſt ad interitum vſque accretio, ſicut nutritio. Nec verò extra vterum, ſed ne in vtero quidem locus eſt adiiciendi, ſiquid fortè maneat inchoatum, ex impotentia τῆς ἀφορμῆς; aut redintegrandi, ſi quid exectum fuerit vel eiectum ex aliqua parte corporis vniuerſi, ob eam quæ dicta eſt μοῖραν πεπρωμένην: cuius nulla eſſe poteſt acceſſio, nec inſtauratio vt neque in ſemine; ſic neque in partibus quas edidit ſemen ipſum. Nam ſemen fit actu animal, perficiendo, non autem per corruptionem. Et animal factum ex ſemine, eſt ens quod erat; ſed non quomodo erat: quia ſeminis eſſentia eſt eſſe quod eſt, vt aliud ſit, nempe animal. Vt igitur ex imperfecto ſemine quod inchoatum eſt, idem manet: ſic quod ex eo perfectum eſt, ſi aliquid ſui perdiderit, expers eſt redintegrandi. Eſt enim ſeminis partiúmque inde natarum eadem planè conditio: inter quas & ſemen ipſum, hoc vnum intereſt, quòd reapſe cernuntur illinc emerſæ actu ad ſuum quæque opus faciendum, quæ antea illic latebant; ſicut in glande quercus, & pullus in ouo.

Tum illa materia quæ adiicitur accreſcendo, dum animal capax eſt accretionis, non ſufficit redintegrandæ parti; reſtaurando ſcilicet id quod exectum eſt vel eiectum. Tametſi enim dum corpus eſt αὔξιμον, i. *incrementi capax*, abundat calore natiuo; vt certè quicquid augetur, natura calidiſſimum eſt: tum eius caloris virtute atque potentia fit cita προσθέσει i. *appoſitio* ſucci alibilis, qui tam citò efficitur, quale eſt ipſum corpus, quam ipſa creſcendi capacitas exigit: vt capacitati accretionis omnino par ſit opportunitas accreſcendi ex copia nutricatus: tamen non opis eſt natiui caloris, corpori reſtituere ex alimento, ſi quid de

quid de suo perdiderit, quod ei de semine olim calor ipse impertiit. Itaque sperabilis non est regeneratio partium spermaticarum, quam noster præceptor, *incrementi* nomine intellexit. Nec verò minora sunt adiumenta crescendi à corpore τῷ αὐξίμῳ quàm à motu ipsius caloris, cuius ea promotio esse non potest, vt is qui forma est, generet nouam formam, quod facto est opus, vt os excisum reponat, i. viuum pro mortuo. Est autem os mortuum ὅ,τι μὴ ἀφίσταται ἀπὸ τῶ ἄλλω ὀστέω ἐναίμω καὶ ζῶντος, i. *quod abscedit à reliquo osse sanguineo & viuo.* Et cùm in viuente vna sit forma, qua vnum est, efficitur planè vt cùm abierit forma, ex non viuente noua gignatur, si pro eo, quod abscedit, mortuo, viuum reponitur. Quod si verum esset, vt certè non est, à priuatione habitus denuo compareretur. Id autem ἀδύνατον.

lib. de ca trauma.

Existunt quidem mutuæ ad incrementum operæ, primùm caloris, mox corporis, tum alimenti, si calor viuax atque viuificus, si corpus αὔξιμον; si alimentum εὐαφόμενον. Sic enim præceptor ait. Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμὸν, πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς. i. *Quæ crescunt corpora, plurimum habent caloris natiui, multo igitur indigent alimento.* Nam eo aphorismo tria illa ponuntur quibus nutritio & augmentum absoluitur. Primùm enim quod nutrit & auget, calor natiuus est: inde corpus ipsum quod capax est incrementi; proptereàque nutriendo augetur: postremò id quod virtute caloris efficitur tale quippiam, quale est ipsum alimentum. Et cùm sit eadem nutrix & auctrix facultas; idémque adueniens connaturale: tamen alimenti ratio est diuersa, vt nutrit, & quatenus auget. Nam alimentum, quantum est quoddam, auget: vt verò est hoc aliquid & substantia, nutrit. Atque augmentum nihil aliud est quàm perfectio actionis nutrimenti: nutritio autem, generatio talis quale est ipsum quod nutritur, corpus videlicet animatum. Sed tamen nutritio tantùm est vacuati repletio, non autem partis emortuæ restitutio. Et cùm se forma extendit ad materiam quæ applicatur, promouet quidem ἰδίαν ὑπεροχὴν ad vlterius vbi, corpúsque auget: non tamen de suo adiicit nouæ parti. Nec verò illa promotio præscriptionis editur κατὰ λόγον partium reliquarum, ne in pueris quidem atque infantibus qui tantum habent caloris, quantum postea nunquam, si pars aliqua latum vnguem suo loco excesserit. Declarant illud infantes & pueri γαλιάγκωνες.

aph. 14. 1.

6. Epid. & 3. περὶ ἄρθρων.

5 Ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος. κακόν.

Conuulsio trauma te superueniens, graue malum.

Hic mihi scribendum est de iisdem idem, si quis exigat commentarium in hanc prognosin, qui iam pridem scriptus est in ea parte huius operis vbi leges traditæ sunt & explicatæ super omni conuulsione. Sufficiet igitur scopum indicare authoris, cur cùm sententiam repetierit, ac denuò hîc posuerit: tum ἀνακεφαλαίωσιν recensere cogitationum nostrarum quas literis illic mandauimus. Ergo fuit olim scopus ille authoris, illud consilium, vt conuulsionem à traumate nasci ostenderet, vbi causarum omnium conuulsificarum, & criseon quoque ipsius conuulsionis, historia est. Hic autem vbi vulnerum omniúmque pertusionum catalogus recensetur: tum autem symptomatum quæ ipsis meritò superueniunt; conuulsionem cæteris anteposuit vt signo pestiferam, sic offensione partium sauciarum totiúsq; corporis intolerabilem. Nulla enim vis maior naturæ αὐτομάτως, quàm conuulsione potest inferri. Commentarij autem nostri iam pridem conscripti hæc erit ἀνακεφαλαίωσις.

Coac. 5. c. 14. lia.

Conuulsio.] i. Iniussa contractio artuum violenta, vel eorum simplex collectio: sed tamen iniussa, quam ἀπροαίρετον Græci vocant, quæ olim naturaliter erat κατὰ προαίρεσιν. Ac violenta quidem artuum distentio est, neruis exhausto rigidis, aut iisdem crasso & glutinoso humore distentis, vel etiam inflammatis. Simplex autem καθ' ὁρμὴν collectio est iniussa, vitio musculorum, exempli causa, temporalium & maxillarium seu masseterum, dextra aut sinistra exolutorum. Hic enim pars quæ conuellitur, culpa vacat in causa, non in officio quod iussa obire nequit. Sic enim comparatum est, vt sana pars trahat ægram, vbi sunt pares musculi è diuerso, magnitudine, numero, & virtute.

aph. 66. 5.

Trωmati superueniens.] Distentione nerui aut chordæ, vt in fractura calcis: in vulnere musculorum qua parte nerui ἐμφύονται, aut iidem ἐκφύονται, si nullus tumor assurgat aut euanescat parte postica corporis. Tum ab hæmorrhagia quæ cietur à vulnere, conuulsio est, quando exhaustæ venæ succum è neruis attrahunt, ipsosque faciunt rigidos ab exhausto. Nam attrahendi potentia, venæ carnes ipsas præcedunt. Quinetiam in pertusa caluaria, si exitum ichor non habet qui ad membranam descendit, sed inde ad neruos transmittitur; inflammationem mouebit conuulsificam, tum è directo, tum è diuerso partis pertusæ; vt eius ichoris transmissio est siue κατ' ἴξιν, siue ἀντικρύ: sicut Hippocrates annotauit in Autonomo, & pedissequa Omilia. Sunt autem mortifera illa conuulsionum genera: quoniam illa demum symptomata, citæ mortis ac iamiam venturæ sunt argumenta, & causæ, quæ cum significatione fatiscentis naturæ, offensionem quoque ipsi adferunt intolerabilem. Huc accedit quod partium ab exhausto conuulsarum redintegratio nulla sperabilis. Nam cæterarum causarum quæ inferunt conuulsionem, tanta est ἀκμὴ symptomatis, vt curationis tempus expectare non possit. Ipsa verò doloris acerbitas & actio intercepta nobilium partium κατάλυσιν μὲν ἐν τάχει τῶν δυνάμεων, ἄξειν τὸ θάνατον ἐπιφέρει. comment. ad aph. 25. 2.

6 Ἐπὶ τρώματι, χολῆς ἔμετος ἐπιγινόμενος· κακόν. καὶ μάλιστα ἐπὶ τῷ κεφαλικῷ.

Si cui à trωmate, bilis vomitio est ; malè est : idque potißimùm à cephalico.

ILLA DEMVM bilis vomitio, periculosè habet eum qui vomit, vnde nulla leuatio est morbi fundentis continenter bilem ad aluum: sed grauiorum malorum accessio, & grauis offensio partis ægræ, vomendo multùm afflictæ. Scitum est illud. τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, ἃ δ' ὀλέθρια, ἃ δυσκρίτα, i. *Critica sine crisi, aut sunt dyscrita, aut certè mortifera.* Est quidem critica sine crisi, crebra vomitio quam trωmatis infert propagatio, ventriculum in sui sympathiam adducentis, & continenter eò bilem fundentis, quam gignit sæui doloris acerbitas, vigiliæ, & inflammatio. Hic trωmatis nulla leuatio est à bile propagata in aluū, quæ inde crebra est vomitionibus. Nulla enim sympathia, nec propagatio, quam ἐπιγένημα Græci vocant, leuationem adfert primigenij morbi à quo enascitur. Ac si vomitio illa symptomatica, dilutam bilem effundit, periculosè quidem habet ægrotum, sed non pro certo mortiferè: vt illa quæ difficulter & crebrò exprimit bilem meram & paucam. Nota est illa sententia præceptoris. τὰ σμικρὰ ἐμέσματα χολώδεα κακὸν, i. *Exigua vomitio biliosa, malè habet eum qui vomit.* Vbi Galenus annotauit, nihil criticum esse paucum. Ergo vomitio biliosa quæ cietur à trωmate cum ipsa sympathia quæ tantùm cadit in eos morbos qui inter magnos eximij sunt, mala est: tum verò pessima, humoris qualitate & euomendi modo. Quemadmodum autem vomitio trωmati superueniat, sic aggredior ad docendum.

[2. Epid. part. 2. — lib. 1. περὶ κρισίμων. — prorrh. 47. f. 2. 1.]

SI CVI A TRΩMATE, BILIS VOMITIO EST] Quam eiet ventriculus bile lacessitus, vnde venit etiam cardialgia siue καρδιωγμὸς, singultus, & proritatio nauseabunda: vt scilicet illa bilis occupat fundum alui qua ipse natat, aut ea firmiter ipsi affixa est, vel prorepit ad stomachum sensus acerrimi. Nam fundo natante vomitio est: bile affixa, singultus & nausea: quemadmodum ea prorepente ad stomachum, cardialgia siue καρδιωγμὸς. Tot enim symptωmatis alui & stomachi, fœta cietipsa bilis cùm eò affluxit, ibique fluitat aut stabulatur. Nam irrita proritatio nauseabunda, non tarò inflammationes mouet lethales. Affluit autem bilis à trωmate, non quidem ossis pertusi, cuius nulla cum aluo sympathia est, nec gentilitia in generis similitudine, nec iure vicinitatis aut societatis. Sed vitio partium affixatū ossi pertuso, tum etiam vicinarum & sociarum, bilis est generatio, & in aluum affluxus, vnde prædicta symptomata enascuntur. Sic calcaneo perfracto, veniunt πυρετοὶ ὑπεροξέες ξυνεχέες, τρομώδεες, λυγγώδεες, γνώμης ἅπτονται, ὀλιγήμεροι, κτείνοντες τε, i. *peracutæ febres, assiduæ, tremorifera, singultuosa, mentis perculsa, breues, mortifera.* In causa hæc sunt. Nam pars affixa calci, quæ chorda est trium musculorum suræ insignium, cùm inflammari cœperit, conuulsionem eiet, doloris cruciatu intolerabilem. Sic autem inflammatur. Etenim ab insultura calcis ex alto ad saxum, circumtusio est carnis quæ circumponitur ipsi calci. Tum venulæ nauseabundæ ab ictu. ἐκχυμώματα, i. ecchymωsin edunt in cutim cui affixæ sunt, vnde sanguis non exit, neque expirat, sed intrà corrumpitur atque putrescit. Hinc tumor assurgit, ac dolor prægrandis est. Ibi tum sympathia est venarum insignium, sociorum item neruorum, & chordæ calci affixæ. Ac venarum quidem insignium, vel αἱμοῤῥόων παλμῶν, σφυγμῶν... ; vitia illa transmittunt ad cor & hepar, quæ ipsis causa sunt febricitandi, ac bilem vomendi, & singultiendi: nonsecus atque bilis vomitio est à nephritide; singultus, hepate inflammato; cardialgia, in dolore lumborum, suppressis mēstruis vel hemorrhoide: sicut iam suprà sæpe ostendimus. Nam de symptωmatis paraphoricis quæ infert maligni humoris è calce ad cerebrum transmissio διὰ τῶν ἐπικαίρων νεύρων, i. *per neruos eximios*, dictum est alibi. Notabilis autem est bilis & febris mutua generatio, à cruciatu sæui doloris quem edit chordæ contractio & inflammatio.

[lib. 1. περὶ ἀγμῶν.]

MALE EST] Causa & signo. Ac signo quidem: quoniam sympathia illa partis vomendo afflictæ, i. ventriculi, non excitatur nisi à magnis morbis, atque iis quidem qui magnitudine & vehementia sunt inter magnos eximij atque prægrandes. Tum propagatio illa bilis ad aluum, cacochymiæ est malignæ; primùm quidem à trωmate ad magnas venas transmissæ, indéque ad iecur; vnde prorepit, partim ad fundum alui, partim ad stomachū. Vt causa autem, bilis vomitio malè habet ægrotū: quia ægrè cietur & crebrò, nec tamen quiescit proritatio nauseabunda, propter perennem bilis affluxū quam eò transmittit nausea, liuor, gangræna venarū insignium quæ adiacent parti pertusæ. Tum eo tamen crebro, támq; difficili motu ventriculi, naturæ contrario, eius præsidia labefactantur, cum offensione partium omnium nutritiarum atque vitalium: sed maximè animalium, ex capite multùm repleto & proritato. Quin etiam illa contentio vomendi, & ægrè, inflammationem mouet in stomacho & aluo lethalem.

IDQVE POTISSIMVM A CEPHALICO] Nam trωmatis eius grauiora sunt ἐπιγινόμενα, quam cæterarum partium pertusarum: idque cùm aliàs, tum verò cùm ab eo trωmate bilis vomitio est, quæ & idea vomitus, & vomendi ægra contentione, tum assiduitate ipsa, cum perenni nausea, omnium molestissima & grauissima esse solet. Superuenit autem cephalico trωmati, bilis vomitio; vel inflammata membrana, vel cerebro à diacope. Membranę ac cerebri inflammatio, mutuò bilem gignit & febrem. Nam bilis & febris mutua generatio esse solet. Vt igitur inflammatio cerebri, stomachum habet ὁμοιοπαθοῦντα...: vnde sympathia est non solùm gentilitia, sed etiā societate contracta: sic febris inde nata, bilem quam gignit, continenter eò transmittit, vbi est conspiratio atque consensus, nempe ad

ad stomachum, cuius ille impatiens, côcuriendo ciet vomitum, ad eam excutiendam. Est enim partium gentilium & sociarum mutua [illegible] boni aut mali, mutuáque syntimoria, vt bene est illis aut malè. Ac super his plura iam suprà. Quemadmodum autem grauissima sit atque mortifera, bilis vomitio à traumate ipso cephalico, demonstratum est capite superiore huius tractatus.

7 Νεῦρα ὅσα παχέα τιτρώσκεται· ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ χωλοῦνται καὶ λοξὰ τιτρωσκόμενα μάλιστα· καὶ τῶν μυῶν αἱ κεφαλαὶ, μάλιστα τῶν ἐν μηροῖσι.

Qui sauciantur neruis insignibus: hinc ferè illi claudicant: maximéque si vulnus obliquè acceperint. Idem accidit cæsis capitibus musculorum, & maximè in femoribus.

IAM VERE illud est positum ac demonstratum. Quòd actio omnis læsa, est partis afflictæ: sicut ipsa " læsionis species & idea, est afflictionis ipsius. Sic enim phrenitis est cerebri atque bilis: sicut lethargus " eiusdem cerebri & pituitæ partis. Denique morbi omnes naturam sequuntur caussarum, tam efficientium, quàm excipientium. Symptomata autem fixorum morborum, sunt partim ipsius caussæ morbificæ, partim etiam partis afflictæ propria. Quæ cùm ita sint, hic loco quærendum an χωλεῖαι necessariò consectaria sit vulnerati nerui prægrandis, vt visum est præceptoris cum ait. [illegible] *Necesse autem huiusmodi sunt affecta, vt scilicet ita sint, quotiescunque hi casus inciderint. Nam inter traumata, qui neruis sauciati sunt crassis ipsos necesse est claudicare: vt etiam cæsis capitibus musculorum, & maximè in femoribus.* Sed ratio eius symptomatis, cur necessariò ita sit, ostendetur in examine ipsius prognoseus.

lib. 1. [illegible]

QVI SAVCIANTVR] Sic enim visum est, afflictionem hic positam nerui transferre ad hominem ipsum parte illa saucium, de quo etiam symptoma dici reperio: est autem claudicatio, quam idem scribit accidere sauciatis hominibus, lib. 2. prorrh. cuius verba hæc sunt. [illegible] *Vulnera autem quæ in artubus magna sunt, quæque neruos exactè dissecant, qui continent artus ipsos palam est quòd homines claudos efficient.* Ergo. QVI SAVCIANTVR] Qui acuto telo, validis inflicto viribus, vulnerantur artubus, ossium tenus: proptereáque.

NERVIS INSIGNIBVS] Quos alibi vocat præceptor νεῦρα [illegible], i. authore Galeno, μεγάλα: cuiusmodi sunt nerui quos hic vocauit crassos: cuiusmodi etiam venæ crassæ, quas alibi vocat [illegible] μεγάλας. Sunt autem nerui crassi & magni, omnes qui artus continent, quos idem vocat [illegible] συνέχοντα. Continent autem, tum qui sunt motus & sensus authores, nati è cerebro & eius propagine, spinali medulla: tum qui è musculis enascuntur, & in articulos inseruntur, τένοντας Græci vocant: tum qui articulos ipsos connectunt, faciúntque illam συμφύσεως differentiam quæ est συνεύρωσις; in brachij arthrodia, in eiusdem ginglymo, in femoris enarthrosi cum ischio. Ac certè illa tria neruorum genera continent ipsos artus: primum quidem, impertiendo mouendi vim & sentiendi: alterum, adducendis & abducendis membrorum articulis: tertium, connectendo artuum τὰς ἀρθρώδεις, καὶ τὰς γιγγλυμώδεις, καὶ τὰς ἐναρθρώδεις.

lib. 6. [illegible] libr. 2. prorrh.

HINC FERE ILLI CLAVDICANT] In officio partis illius quæ nerui præcisi magisterio non ampliùs continetur nec regitur: ipsa verò laborat vitio facultatis, actionis, aut connexionis. Ex æquo enim certant vitia quæ cernuntur in ἐξαρθρήσει artuum, & in sublata ipsorum συμφύσει. Ac sanè impotentia est æqualis mouendi, ab exoluta virtute posita in neruorum symphysi, quàm à luxato articulo. Nisi quis fortasse obiiciat [illegible] artus luxati, [illegible] autem à neruo præciso; vt scilicet flectendi vis adimatur, non extendendi, aut contrà; ex positu & officio nerui præcisi, quatenus ille præerat flectendo vel extendendo. Nam connectentis nerui præcisio comitem ferè habet artus ἐξάρθρησιν, proptereáque [illegible]. Sed tamen nerui mouentis præcisio partis illius adimit obedientiam, vbi telum insederit, qua olim morem gerebat antagonistæ, dum ageret adducendo vel abducendo, flectendo vel extendendo. Atqui non minor est virtus obediendi quam imperandi, cùm agitur de artuum motu in omnem partem ciendo. Est enim irrita contentio nerui flectentis, nisi sit obedientia extendentis; & contrà. Itaque homines claudicant in officio artuum, neruis præcisis à quibus mouentur. Est autem claudicatio, motus amissio vel deprauatio: quia scilicet difficultet admodum, vel indecenter, motus cientur: atque id necesse est euenire quando hæc fiunt, vt cætera omnia, quorum [illegible] ostendit hoc familiari exemplo. Vt sanè illa claudicatio non sit ambigua, sicut hic ponitur, sed ἐξ ἀνάγκης. Planum id facit quod sequitur.

MAXIMEQVE SI VVLNVS OBLIQVE ACCEPERINT] Quod idem est planè vt legitur in prorrhetico. *Artuum magna vulnera, quæque neruos dissecant perfectè à quibus reguntur, palam est quòd claudos efficiunt.* Talis enim neruorum præcisio, continuitatem adimit, quadum se colligunt, articulos quibus inseruntur, adducunt: ipsamque virtutem intercipit cientium intus spirituum, vel, si mauis,

lib. 1. [illegible] & libr. 2. prorrh.

τῶν ἐνσημαινόντων. Quod certè non eueniret, sauciatis in longum: vbi neque insertio violatur, neque vis intercipitur τῶν ἐνσημαινόντων.

IDEM ACCIDIT CÆSIS CAPITIBVS MVSCVLORVM] Tum enim similiter vis tollitur efficiendi, vt obediendi. Ac sanè quidem efficiendi, diuisa continuitate musculi: vnde non se colligit nostra sponte, partémque ipsam, caput versus adducit, in quam inseritur. Obediendi autem, parta ipsius capitis, telo diuisi, contractione, qua contumacius est mori gerendo antagonistæ flectenti vel extendenti. Nam cæsis capitibus musculorum, nulla sunt commoda colligendi & adducendi, labefactata eorum virtute: maxima verò incommoda iniussæ contractionis & spasmi quem inflammatio solet inferre. Est enim maior afflictio solidorum neruorum ἐμφυομένων, quàm confusarum chordarum è musculis ἐκφυομένων. Nota est illa sententia præceptoris. Ἢν τραυμάτων ἰσχυρῶν καὶ πονηρῶν ἐόντων, οἴδημα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν. i. *Si circum vulnus magnum & vehemens, tumor non exurgit; ingens malum.* Vbi Galenus scribi ait de musculorum capitibus atque finibus, διὰ τὰς ἐμφύσεις τῶν νεύρων. Sed illud, μέγα κακόν, i. *ingens malum*, partim est conuulsæ partis præcisæ, partim, ipsius principatus τῷ συμπαθεῖν.

aph.66. 5.

ET MAXIME IN FEMORIBVS] Quia sunt ibi crassiores nerui, quàm alibi: tum propter artuum cruris & tibiæ magnitudinem, tum propter motuum qui per ipsorum cientur articulos, difficultatem; femoris quidem per enarthrosin cum ischio, & eiusdem ginglymum cum tibia: ne interim taceam chordæ amplitudinem, quæ tribus enata musculis qui sunt in sura, in calcem inseritur. Ac de neruorum quidem cruralium & chordæ ipsius crassitudine, hæc scripta sunt à præceptore, vbi recenset incommoda læsi calcanei, de quo sic posuit. Κοινωνίη δ' ὀλέθρῳ καὶ φλέβες ἐπίσημοι ... ὁ τένων ... *i. Calcaneum societatem habet cum venis & neruis insignibus: tum autem posterior chorda huic innectitur.* Femoris autem nerui prægrandes nati ex tribus infernis partibus lumborum, & supernis quatuor sacri ossis; ab ortu statim miscentur, mox in neruos quatuor præcipuos exeunt. Atque inter eos, qui numeratur quartus, omnium corporis neruorum crassissimus, siccissimus, durissimus, validissimus, inter os sacrum & ilium elapsus, in musculorum capita implantatur.

lib. 2. de ἀγμῶν.

8 Ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα ἐκ τῶν τρωμάτων ἤν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ, ἢ ῥαχίτην μυελὸν, ἢ ἧπαρ, ἢ φρένας, ἢ καρδίην, ἢ κύστιν, ἢ φλέβα τῶν παχειῶν.

Interit autem potissimùm è vulneribus: si cui sit vulneratum cerebrum, aut spinalis medulla, aut iecur, aut diaphragma, aut cor, aut vesica, aut aliqua venarum crassarum.

VT PARTIVM quæ vniusmodi sunt, è natura egressio, incommodis atque symptomatis fœta est propriis, quæ cernuntur in actione læsa instrumentorum quibus illæ inseruiunt: sic vitia principatuum atque propaginum, quibus vitale cuiusque officium planè collabitur, mortifera esse solent. Atque illa vitia nobilissimis partibus inferuntur, earúmque viuificam adimunt facultatem, ὁ πρώτως καὶ καθ' ἑαυτὸ, ὁ δευτέρως καὶ κατὰ συμπάθειαν, ὁ καὶ συμβεβηκός, i. *primùm & per se, tum etiam per sympathiam, vel ex euentu.* Ac primùm quidem & per se, collapso repentè principatu, cum amissione vitalis officij. Collabitur autem, cùm amplitudo est vulneris in cerebro & in corde. Nam vulnera cæterarum partium quæ hic ponuntur, per sympathiam cordis & cerebri mortifera sunt: cùm vel inflammatione partes illæ tentantur, vnde mouetur propagatio causæ morbificæ: vel etiam ex euentu in vacuitate sui officij, quo vitam carere diu non potis est: aut vacuitate succi alibilis, per hæmorrhagiam. Sed causæ omnes ad mortem fatales, positæ in vulneribus partium, quarum catalogus recensetur in hac prognosi, cur ita sint, & quemadmodum inde mors veniat; operæpretium fuerit examinare in singulis.

INTERIT AVTEM] Quod est eiusmodi ac si diceret. Patefactis incommodis atque symptomatis quæ inferuntur à vulnere partium, in vitio tum ipsarum proprio, tum etiam instrumentorum quibus illæ inseruiunt: sequitur vt loco scribantur mortifera vulnera, quæ sunt eiusmodi, tum ipsa per se, tum per sympathiam propagatam atque μετάστασιν, tum ex euentu. Ergo. INTERIT] Vel extincto calore vitali per syncopen; vel eo suffocato per apoplexiam: tametsi enim reuera nemo est omnium qui absque syncope moriatur; tamen alia est consideratio extincti caloris, alia suffocati: vel potiùs, vt ita dicam vtraque pariter αὐτὸ τὸ κτεῖνον, i. *illud ipsum quod perimit*: sed ne illud quidem appositè, cùm vtraque sit mors ipsa.

POTISSIMVM] Græcè est μάλιστα, quo significatur causa ipsa mortifera quam intulit vulneris amplitudo in partes quarum officia sunt planè vitalia efficiendo vel inseruiendo. Significatur etiam celeritas moriendi τὸ τάχος καὶ μᾶλλον: vt annotauit Galenus ex Thucydide, ad illud vbi agitur de maxilla luxata. Οἱ τοιοῦτοι θνήσκουσι ... μάλιστα. Sunt enim celeriùs ad mortem fatalia partium efficientium vulnera, vt cordis & cerebri, quam cæterarum inseruientium, vt mox dicetur.

SI CVI SIT VVLNERATVM CEREBRVM] Ἤν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ: quæ sauciandi cerebri ratio atque causa, euentu apoplexiæ, funesta est atque insanabilis, vt suprà demonstratum est vbi tractatio

Coac. ca. superioris.

tio est pertusionum capitis. Ac ratio quidem illa cerebri sauciandi, perficitur telo acuto quod acie sua valido ictu traiicit ad cerebri penetralia, dissectis primùm caluaria & membranis, antequam eò ventum sit. Quæ sanè dissectio, febre ac bilis vomitu, tum impotentia ipsa curandi, mortifera esse solet. Est enim membranæ multùm distractæ diuisio incoibilis, ἀσύμφυτον Græci vocant: proptereáque incurabilis. Tum inde nata inflammatio, quæ & febrem accendit continuam & acutam, vnaque cier crebros vomitus biliosos, ipsa per se satis est ei necando cui pertusum est caput. Scitum est illud. *Si cui à trœmate, bilis vomitio est, pessimè ipsum habet: idque potissimum à cephalico.* Nam cerebri altè diuisi est apoplexia, quæ citò venit ab ictu cuius desperata est omnis curatio: tam ratione cerebri sic pertusi, quàm ipsa causa pertusionis. Non enim quibusdam exemplis commoueor quæ adducuntur ex falsò credita eorum curatione
10 qui sic pertusi falsò putantur. Sufficiat mihi vetus illud edictum quod à dictatore scriptum est περὶ τῶν ἀναγκαίων, i. *de iis quæ incidunt necessariò.* ἀποθνήσκει δ' ἤν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ i. *Moritur si cui cerebrum sit præcisum.* Sed omnis ratio atque causa mortiferæ calamitatis quæ infertur à trœmate capitis, non ita pridem adducta est ad prognoses περὶ τῶν κεφαλῆς τρωμάτων. lib. 1. τῶν ...

Avt spinalis medvlla.] Ἡ ῥαχίτης μυελὸς, quæ non habet ἀπὸ τῆς ῥάχεως, i. *à dorso:* vnde & ipse dicitur νωτιαῖος, ἀπὸ τοῦ νώτου: cuius tamen non est medulla, vt sua est ossibus excrementitia. Hæc enim ius habet τῆς παραφυάδος, i. *propago est cerebri,* & origo neruorum, eius vicaria. Quæ causa est cur sauciata eo genere sauciandi quod supra διακοπὴν nominauimus ex Hippocrate & Galeno: quoniam sic desperabilis est eius redintegratio; & quia est incoibilis; & quia non reparabilis: & quia ipsa symptomatum grauissimorum fœtura, & vitalis eius officij vacuitas, omnem industriam respuit medici atque so-
20 lertiam, proptereáque interitus consecutionem adfert, vt visum est præceptori. Ac primùm desperationem eius redintegrandæ ostendit impotentia coëundi cùm semel diuisa est τῇ διακοπῇ. Impotentia coëundi, fundamentum habet naturam ἀσύμφυτον. i. *incoibilem* trium illarum tunicarum ἀναίμων τε καὶ ἀσάρκων, i. *sanguinis & carnis expertium* quibus illa vestitur ac propugnatur. Sed coëundi occasionem præripit ipsa διακοπὴ quæ inflammationes & conuulsiones mouet lethales, quarum correctio solertiam eò reuocat medici: quia tum magis necessaria est quam ipsa coitio, magisque periculo vitæ adiicit quàm inflicta diacope: ceruicem tantùm excipio, vt mox dicetur. Nam illa quæ à diacope infertur vitalium officiorum vacatio, est omni exceptione maior in statuenda medullæ dorsalis calamitate mortifera. Enimverò de hac medulla, neruorum est omnis origo & propagatio, quorum potentia cernitur in respitando, brachia promouendo & capiendo, corpus flectendo & extendendo, progrediendo & stando.
30 Quinetiam à medulla vis magna est partium naturalium & genitalium; vt mesocoli, vteri, didymorum, & pudendorum.

Atque vt prædicta officia, sunt vitæ tuendæ magis aut minùs necessaria: sic eorum amissio quam inferunt vitia dorsalis medullæ, pessimè vitam habet, nec rarò mortifera esse solet. Nam vertebræ magnæ ceruicis luxatio, celeriùs hominem quàm apoplexia fortis interimit. Idem facit secundæ, sed non tam citò, dentiformis quædam apophysis; cùm rupto primæ vinculo quod ipsam firmiter connectebat ex antica parte cui conuexa erat, posticam versus retrahitur, medullamque illac transmissam comprimit: vnde est impeditio, & interceptio spiritus animalis, qua respiratio ipsa vertitur in apnœam. Sic enim comparata est ratio dorsalis medullæ, vt quò abest propiùs à sua origine, eò sit eius offensio perniciosior. Nam vbi abest longiùs, incommoda viriatæ rhacheos sic experitur, vt si vna luxetur vertebra pòst
40 vel antè, inferarum partium sit maior offensio, sin autem plures, minor: quòd vnius luxatio, arctiùs medullam constringat & comprimat, quàm plurium simul & loco eodem. At quæ luxatio est vertebrarum vnius aut plurium in latus alterutrum, facitque σκολίωσιν, paraplegia inde nascitur illis in partibus quò nerui constricti, cum spiritus animalis vacuitate, feruntur, maximè in ceruicibus, vbi duarum vertebrarum inter se connexarum duo semicirculi laterales rotundum foramen efficiunt, quà exitus patet neruis qui brachiis exempli causa, suam dicarunt operam. Itaque sic brachiorum erit paraplegia e scoliosi vertebræ quæ illic κατ' ἴξιν, i. *è directo alterutrius lateris,* medullam comprimit ceruicalem, spiritúmque aditu ad brachium prohibet, vnde ipsius est ἀκινησία, i. *motus amissio paraplectica.* Sed illa incommoda luxationum, extrinsecus veniunt ab ictu, iactu, aut casu. Nam quæ nascuntur à phymate partium quæ intra vertebras continentur, grauiores ostentant casus atque incommoda causæ luxantis, quàm
50 partis luxatæ. Ab eo phymate peruersio est spinæ ἰθυσκολίης, i. *naturaliter atque decenter sinuosæ, ad rectam lineam exporrectæ.* Tum spinæ partes quæ sunt natura ἰθυλορδοί, vt ceruix & lumbi, à phymate foras assurgunt ἐκκυφοῦσαι, ac suum gibberum siue τὸ κύφωμα, indecorè ostendunt. Contrà quæ partes natura sunt ἰθυκυφεῖς, vt carina thoracis, trahuntur in λόρδωσιν, iis luxatis in partem anticam. Tametsi crebra thoracis à phymate luxatio est in partem posticam, vbi apparet τὸ κύφωμα, quod præ costarum & sterni angustia, molestissimam ac difficillimam parit dyspnœam in qua cernuntur eximiæ differentiæ paruitatis, ac repetitæ crebro spirationis. Atque illi plurimùm difficultati adiicitur ex euentu, ab inflexione ceruicis in partem anticam, quæ ipsam, alioqui natura ἰθύλορδον, indecenter facit κυφόλορδον, ex nimia cauitate foris conspicua, vnde sic fiunt homines ἐξεχόβρογχοι, i. *prominentioris laryngis,* quà cum stertore inducitur spiritus, vt dormientium spiratio esse solet eo iacendi habitu quo reclinata multùm ceruice iacent.
60 Quemadmodum igitur magnæ ceruicis, i. secundæ, inflammatio orthopnoicam facit anginam, sic vertebrarum dorsi luxatio nata ex phymate ipsius pulmonis, spirationem auget difficilem sequentia & paruitate: sicut & gutturis eminentia, ipsam facit κερχνώδη: quoniam spirabilium omnium partium conspiratio est ad illam dyspnœam asthmaticam; gutturis, deducendo; pulmonis, excipiendo; & thoracis, mouendo. Plurimùm autem facit ad spirationis angustiam, aucta in corde spirandi necessitas, ab inflammatione pulmonis, cui morem non gerit spirabilium partium contumacia.

Sed præter symptomata impediri officij partium spirabilium afflictarum, multa quoque alia circumueniunt incommoda vicinarum, & sociarum partium, in earum sympathiam adductarum. Gibberum autem lumborum à phymate illic enato symptomata sunt pariter in renibus; in vesica, in genitalibus, in mesocolo. Nam partes illæ, in lumborum sympathiam facillimè adducuntur: tum quia vicinæ, tum quia ὁμοφυεῖς. Est autem vetus illud positum à præceptore, ὅτι συμμίσγει τὰ ὁμόφυλα καὶ τὰ πλησίον. Est rursum τὰ σπονδυλιὰ καὶ τὰ κοινά, ὥσπερ καὶ ἄλλα τινά. Sed tamen hoc interest inter κυφώματα quę à phymatis enascuntur, in spina: quòd ea quæ sunt infra φρένας diaphragmatis, nempe in lumbis, possunt exolui per dysenteriam aut varices: illinc, beneficio mesocoli nati è neruis lumborum; hinc verò, per μετάστασιν humoris morbifici ad vasa insignia quæ adiacent lumbis, & illac excurrunt ad crura. Cæterarum autem partium, diaphragmate superiorum, vt ceruicis & dorsi, talia non sunt perfugia, ob eámque causam ἀδύνατα λύεσθαι, i. *non potis est illa ratione ad æqualitatem siue* ὁμαλισμὸν *reuocari* earum κυφώματα, i. *gibbera*. Verùm, dicet aliquis, hæc omnia sunt violatæ medullæ, vertebrarum vitio luxatarum, aut etiam phlegmonarum. Sanè quidem: sed ea cùm sint grauissima, credibile est multò grauiora fore incommoda quę per medullæ diacopen inferuntur; tum ipsa singularis officij amotione, tum verò symptomatum acerbitate & summa difficultate curandi, ne dicam ἀδυναμίᾳ i. *impotentia*, vt suprà iam diximus.

lib. 3. περὶ ἄρθρων. ex lib. περὶ χυμῶν.

Avt iecvr] Ἧπαρ, quod principatum obtinet œconomiæ naturalis, partiúmque nutritiarum, penes quod est ipsa nutritio incommoda eius valetudine: sicut ἀτροφία & nutricatus deprauatio, in aduersa. Quinetiam in εὐτραφίᾳ hepatis, fundamentum est principatuum ac facultatum vitalium & animalium: sicut in eius κακοτροφίᾳ, illarum destructio. Malè res eunt, vitámque habent pessimè animalem, quam βίον Græci vocant, cùm ab hepatis κακοτροφίᾳ, frustratio est vel deprauatio sanguificandi. Sed hepatis commoda & incommoda sunt alibi explicata in hepatite, hydrope, dysenteria, & inflammatione illius systrophica. Superest hîc quærendum ac iudicandum; sitne ipsius diacope cita morte funesta, an verò sensim mortifera, vitalis officij, & αἱματώσεως κακοτροφίᾳ ἢ ἀπορίᾳ, qualis est eius ἀτονία ἢ καὶ μαρασμὸς ἀπορίᾳ in hydrope vel hepatite, cum impotentia ipsa curandi. Enimvero vulnus illatum hepati quà diaphragmati adiacet, & vbi truncus est venæ insignis, quam vocat Hippocrates ἡπατῖτιν, profusione sanguinis implacabili, est omnium maximè præceps ad mortem. Quæ ratio sapientem eò mouebat Vlyssem, vt ea parte Cyclopi necando telum acutum conderet, ὅτι φρένες ἧπαρ ἔχουσι, i. *vbi diaphragma hepar complectitur*. Atque hæc citæ mortis à vulnere ratio, primùm Iudæis cognita & scripta in sacris libris, cognitionem eam comparauit Homero. Sic enim legimus Abnerum Azaëli, & Ioabum Abnero vitam continuò ademisse, ferro ad viscus vitale immisso & abdito: quod sapientes viri de iecore scriptum existimant: tametsi ius idem necandi est in sauciato corde, vt mox dicetur. Cauarum hepatis partium sauciatum vis eadem cernitur ad interitum præcipitandi hominem qui eo telum hostis acutum excepit: ob eam causam quæ dicta est in hepatitis hæmorrhagia. Est enim ratum illud persuasúmque piis omnibus Christianis; quòd ab exhausto sanguine animalitas ipsa perit, ac tum humanæ actiones quiescunt, olim coniunctæ cum animali: quo pereunte, illinc discedunt, & cum parente sua mente diuina migrant ad Dominum Deum creatorem suum. Nam alta vulnera cæterarum hepatis partium, inflammationes mouent lethales, quæ vel ad interitum citò præcipitant sauciatos, vel transeunt in empyema, vnde pus exit ἀμοργῶδες καὶ βορβορῶδες, i. *cœnosum & amurcosum*, quod insanabilem visceris corruptionem ostendit.

Odyss. 9. & 4. vsus part. cap. 2. & 3. lib. 2. Regũ.

Avt diaphragma.] Septum transuersum, cui ius liberæ spirationis à Deo tributum est, præterea commoda quibus natura vtitur vt intergerino quodam muro superi ventris & inferi, separandæ causa œconomiæ spiritus & nutricatus: ne illa prætercam quibus iter est sursum venæ insigni, deorsum verò arteriæ, per foramina diaphragmatis, cuius in centro caput est nerueum, neruis adiutum quatuor ad motus ciendos liberæ spirationis : περίμετρον verò nactum est carneam, qua circum adhæret ductu obliquo, dextrà quidem atque sinistrà costis quas vocant spurias, pòst, metaphreno; antè, xiphoidi cartilagini. Eius quidem vitia & inde incommoda enascuntur, tum ab iis quæ intrà sunt inutilia, tum verò extrinsecus; qualia hîc sunt posita κατ᾽ ἐξαίρεσιν hostilis teli eò transmissi. Ac sanè diaphragmatis vulnerati cæsim aut punctim, mortiferam inde causam agnosco: vel quia est insanabile ipsum vulnus, vt incoibile: vel quia symptomatis fœtum est planè funestis; vnde vel cita mors venit, vel paulò seriùs vita sauciati excedunt. Cita mors venit, cæsa insigni vena quæ sursum per diaphragma viam affectat, de qua iam diximus: vel cordis arteria quæ illac cursum inflectit deorsum. Seriùs autem sauciati; vita excedunt, quibus diaphragmatis nerueum caput est saucium, venis illæsis. Hîc enim, tum quia vulnus ipsum est incoibile, partim natura partis afflictæ, partim mouendi perennitate; tum quia ibi fœtura est symptomatum exitialium; nulla salus vitæ sperabilis esse potest. Fœtura symptomatum exitialium cernitur in prægrandi phlegmone ac peracuta, in thoracis angustia, & summa difficultate spirandi, cum febre ardente, tum verò in cerebro sic occupato, vt exeant homines è potestate mentis, qualiter solent phrenitici atque fanatici. Quinetiam illud periculo adiicit, quòd cerebri sympathia tantùm abest vt aliquam morbo diaphragmatis leuationem adferat, quæ nulla expectari debet: vt per syntimoriam, grauiorum symptomatum accessionem adiungat. Denique hîc desperata salus ab omni causa mortifera, quæ triplex omnino est; inflammatio, viuifici nectaris dissipatio; & occupatio partis nobilissimæ, i. cerebri, κατὰ τὴν συμπάθειαν: cuius officium sic est vitale, vt eo collapso pereat animalitas ipsa, proptereáque spiratio amittatur, vnde mors venit. Declarant illud phrenitici, sputatores, phanatici, & ad extremum tremuli à diaphragmate inflammato, sicut à cerebro: de quibus abundè suprà iam diximus. Sed à περιφερείᾳ non ita est, per quam diaphragma vndique thoraci annexum est. Non enim cùm cæsa est, tot eam, nec tanta, nec tam cita etiam circumstant incommoda.

lib. 1.

Avt

AVT COR.] Ἡ καρδίη: quod nomen hoc loco, visceris est nobilissimi quod ipsum per se micat, & in quo principium & fons est vitæ, ac principatus vitalium facultatum. Quò fit vt eo penitus vulnerato, si quidem implacabilis est hæmorrhagia, fonte exhausto, vitæ principium ipsum vanescat, & vnà funditus facultatum abeat principatus. Idem quoque accidit villis dissectis, per quos micandi potentia est, cùm scilicet eorum dissectio, micandi adimit facultatem, in necessario adhuc vsu diastoles atque systoles: quarum officia sunt eò comparata, illius quidem, ad spiritum foris intrò ducendum, & sanguinem hauriendum è vena; huius verò, ad eos vitæ commeatus, per totam compaginem effundendos, & vaporem fumidum expirandum. Quæ interceptio, siue officiorum vacatio, diu vitam subesse non sinit. Sed tamen non cita est eius inde amissio, quàm à contuso cerebro, aut capite obtruncato. Hic enim continuò cessat animalitas, in absoluta priuatione sensus & motus; quæ, auulso corde, aliquantisper manet. Nulla sunt igitur mortis effugia, corde penitiùs, ac nè quidem leuiter sauciato. Nam si vasorum quæ sunt in corde sectio est; hepaticæ quidem venæ, cuius est illac transitus, & vnde sanguis per diastolem cordis haurirur ad nectar viuificum, hæmorrhagia præcipitem adfert interitum. Idem quoque facit, ac multò celeriùs, arteriæ magnæ viuificæ vulneratio. Atque illa duo sauciati cordis incommoda, extinctione caloris natiui sunt cita morte funesta. Cæterarum autem venarum quæ sunt in corde, sectio, suffocationem adfert mortiferam eiusdem caloris; videlicet cùm sanguis refunditur ad dextrum, & inde ad sinum sinistrum, ex vena arteriosa: tum autem cùm sectio venosæ arteriæ, viam præcludit inspirando spiritui, & vapori fumido expirando. Sed alia cordis vulnera quæ ipsius excipit coagmentatio tribus intexta villorum generibus, quibus diastoles atque systoles officia continentur, existere ibi nequeunt quin ipsa villorum offensio, prædicta vitæ officia tollat ex corde. Quo vitio intercipitur nutritio, temperatio & expurgatio caloris natiui: vnde suffocatio vel extinctio est in promptu, quæ ipsa mors est.

AVT VESICAM.] In cuius alueo transmissum illud serum è venis, renum attractu, ac veluti quadam mulctra, nomen tum habet vrinæ, nec antè: & vbi fit crassi & glutinosi humoris coagmentatio lapidosa κατ' οὖρον: tum facta in renibus coagmentatio calculosa eò translata περὶ τὸ οὔρημα, corticatim augetur & in maiorem molem assurgit, quando non habet exitum per aquæductum vesicæ. Est autem mortifera eius vesicæ dissectio: tum quia inde nata corruptio & inflammatio, satis est homini per se ipsa necando: tum quia eius natura neruea, sanguinis & carnis expers, multùm à se distracta secando, est planè ἀσύμφυτος, i. incoibilis: proptereàque officij vitæ tuendæ necessarij vacuitate, non solùm insanabilis, sed etiam ex euentu lethalis. Hîc ego vesicæ collum excipio, quod scinditur ac laceratur scienter atque fœliciter amica manu chirurgi, calculo extrahendo. Ac de vesicæ malis atque incommodis, plurima suo loco sunt à nobis conscripta.

AVT VENAM DE CRASSIORIBVS.] In promptu causa est calamitatis mortiferæ quam venæ crassioris infert præcisio: quoniam ea tum incoibilis, hæmorrhagiam ciet irrequietam, quam ἄπαυστον Græci vocant, donec ad vltima ventum sit animalitatis & vitæ, cùm scilicet membra frigore exoluuntur, vitáque ipsa fugit è corpore. De crassioribus autem venis, quæ vel quiescunt, vel micant, quas vocat eodem sensu αἱμόῤῥους ἢ τὰς μεγάλας, dictum est sæpe alibi, vt hæc sufficere videantur.

9 Ἀποθνήσκουσιν ἔτι κἢν ἐς ἀρτηρίην καὶ πλεύμονα μεγάλαι σφόδρα αἱ πληγαὶ γένωνται· ὥστε τοῦ πλεύμονος πληγέντος ἔλασσον προερχόμενον πνεῦμα κατὰ στόμα γίνεσθαι, ἢ τὸ ἐκπῖπτον ἐκ τοῦ τρώματος.

Quinetiam moriuntur si vel in arteriam, vel in pulmonem vulnera magna illata sint; adeò vt pulmone saucio, minor sit expiratio per os, quàm illac excidit vbi est ipsa pertusio.

EXPOSITÆ sunt causæ omnes mortiferæ partium sauciarum, quæ vel absumunt hominem insanabiles, vel ad exitium citò præcipitant: vbi vel cerebrum in vitio est, vnde collabitur animalitas; vel cordi adimitur vis micandi; vel hæmorrhagia est implacabilis quæ sanguinem totum exhaurit. Nam illa vulnera sauciatos absumunt, quæ inflammationes mouent lethales in partibus quarum officia sunt planè vitalia; cuiusmodi sunt hepar, diaphragma, tenue intestinum, vesica. Sequuntur nunc vulnera partium spirabilium, quarum offensio spirationem adimit, indiuiduam vitæ sociam: idque prægrandi vitio vel mouendi, vel excipiendi, vel deducendi spiritum inspirando, & vaporem fumidum expirando. Sic igitur visum est præceptori super incommodis respirandi, à vulnere partium spirabilium.

QVINETIAM MORIVNTVR.] Quod est eiusmodi ac si diceret. Non solùm mortifera sunt illa vulnera partium prædictarum, quæ sua sponte, non nostra, sunt in vitali officio: sed etiam illa earum quæ iussu nostro mouentur, præstandis vitæ officiis, & quarum motus animali virtute profecti, animalitatem quoque ipsam tuentur, ac rationi inseruiunt. Sunt autem partes illæ spirabiles quæ cordis, vsui morem gerunt, inspirando spiritum, & expirando vaporem.

SI VVLNERA VALDE MAGNA.] Quæ sunt eiusmodi, amplitudine diuisionis. Consideratè autem

posuit vulnera valde magna: quia paruorum aut mediocrium non est ea soboles expirationis terrificæ, vnde prognosis hæc scripta iniri possit. Est autem, expiratio maior qua parte vulnus illatum est, quàm per os ipsum naturaliter consueta. Hîc scilicet cardo est ipsius prognoseωs, quòd expiratio è vulnere maior est quàm ex ore, qualis esse non potest si paruum est vulnus; ac ne simpliciter magnum quidem, sed valde. Sed vulneris valde magni hæc mea sic ratio est in singulis explicanda.

Inflicta vel in arteriam.] Quæ comparata est ducendo spiritui ad pulmones, & inde ad cor, temperandi causa, & faciendi cum sanguine dextrà cordis hausto è vena caua, nectar viuificum: tum expirandæ fuligini, seu vapori fumido expirando. Proptereáque huic spiritus ductui maiores nostri, arteriæ nomen dederunt ἀπὸ τοῦ ἀέρα τηρεῖν; non tamen ei soli. Nam & venas micantes sic vocari reperio à præceptore, i. *arterias*. Est autem vulnus prædictæ arteriæ valde magnum, quod non in suprema est parte, sed intrò penitiùs penetrauit ad centrum vsque cylindri, cuius edit speciem arteria fistulata, vel ipsa potiùs arteriæ fistula. Itaque sic diuisa dehiscit, multùm à se distracta, vt vix coire possit, nec sutura, nec hamo: quia vinculo non est locus, vnde strangulatio est in motu. Quæ causa est cur moriantur homines eo prægrandi vulnere sauciati: quia non minor spiritus inspirandi, per illud vulnus portio euanescit, quàm illac excidit vaporis fumidi per os naturaliter expirandi. Quicquid autem materiam tollit spirabilem, vitam tollit.

Vel in pulmonem.] In alterutram partem ambarum quibus expletur pulmo, totúsque absoluitur, dextra scilicet atque sinistra, quæ linea mediana sunt interseptæ, duabúsque fibris, velut alis, instructæ; ac tribus intertextæ vasis: antè quidem, arteria venosa; pòst, vena arteriosa: inter quas media decurrit prædicta arteria, toti pulmoni ramosè distributa. Ex quibus efficitur, vt alia pulmonis vulneratio, vel hæmorrhagia venæ arteriosę, vel intercepto spiritu inspirando, sectis arterię surculis, vel expirando vapore è saucia vena arteriosa, mortiferam inferat calamitatem. Sed tamen hîc tantùm attigit eam mortiferæ calamitatis causam quæ violatis accidit inspirandi & expirandi meatibus: idque in libera spiratione quæ suscipitur atque absoluitur κατ᾽ ἀναπνοήν. Nam de funesto cordis vulnere quo vel micandi vsus adimitur, vel instrumenta ipsa micandi, exolutis fibris, quiescunt & cessant: tum etiam de implacabili crassarum pulmonis venarum hæmorrhagia, dictum est abundè in citima huic prognosi, & supra in causis phthisiseris & hæmoptysi, Atque hunc scopum authoris declarat illud quod sequitur.

Adeo et pulmone saucio.] Cùm scilicet capulo tenus, exempli causa, pugio intra costas pectusve, aut aduerso sub phreno est abditus.

Minor est expiratio per os.] Per quam vaporis fumidi expurgatio esse solet, cuius efflationem ἐκφύσησιν Græci vocant, vocalem materiam præbet laryngi, cùm laxæ illius fibræ mouentur ad modulandam vocem. Vaporis copia quæ expiratur per os, potissimùm cernitur in spiratione sublimi, & ea quæ hyeme libera est, cùm scilicet expiratus vapor frigore ambientis coactus, ita spissatur, vt planè sit caliginosus, qui per æstatem inaspectabilis tenues vanescit in auras. Ergo si eius vaporis minor est per os copia quàm solebat, nec vlla sit causa extincti propè caloris in corde, vnde spiratio est parua & rara; nec verò vlla sit in bronchiis valde obstructis impeditio respirandi, vnde respiratio est planè asthmatica, mirum videri non debet si aliò vapor effusus, paucitatem suam per os exhibeat, copiam verò illac quà contra consuetudinem foras transmittitur. Sic enim subiungit.

Qua illac vbi est ipsa pertusio.] Quoniam vulnere brunchiorum quæ sparsa sunt per pulmones, ac venæ item arteriosæ via expirando per os vapori est intercepta: spiritus autem ipsi per arteriam ducitur eousque vbi vulnerata sunt bronchia, denegata sui expurgatione per consuetam expirationem; nouam molitur contra consuetudinem naturaliter institutam, per amplum vulnus thoracis quà itur ad sauciam regionem pulmonis. Sed illa consuetudo contra naturam, in hoc vitali officio diu manere non poterit, quin, suffocatione vel extinctione caloris, breui funesta sit. Huc accedit, quòd irrita est omnis curatio medici atque solertia: idque cùm aliàs, tum quia, vt scribit Hippocrates, ἕλκεα κινούμενα, ἀναῤῥήγνυται, i. *agitata vlcera perenni motu, denuo lacerantur.*

lib. περὶ τόπων.

10 Θνήσκουσι δὲ καὶ ἢν ἐς τὰ ἐντὸς νεῦρα, ἤν τέ τι τῶν λεπτῶν τρωθῶσιν, ἤν τε τῶν παχέων, ἢν ἐπικάρσιος ἡ πληγὴ γένηται καὶ μεγάλη. ἢν δὲ μικρὴ καὶ ἰθεῖα· περιγίνονται ἔνιοι.

Moriuntur autem & illi, &c.

Nervorum offensiones, vnde illa sunt vitæ incommoda quæ hîc ponuntur atque pericula; tum etiam tenuis intestini & crassi: non ita pridem sunt explicatæ κατ᾽ ἀξίωσιν præceptoris. Hîc tantùm agnosco characterem scribendi quo vsus est in historia sauciorum neruorum. Nihil enim hic pertinet ad intestina, de quorum vulnere incoibili, proptereáque lethali, dictum est etiam abundè suprà: vt illa correctio quæ mutauit τὰ ἐντὸς νεῦρα, εἰς ἔντερα, modum scripturæ adferat, non autem emendet. Itaque nulla est à me versio, nec enarratio in hanc prognosin: quia non sapit Hippocratem, cuius non est varia ταυτολογία, qualis hîc cernitur, vbi mors ponitur pro claudicatione.

11 Ἠκι-

11 Ἥκιστα δὲ θνήσκουσι οἱ τιτρωσκόμενοι ἐν οἷσι ταῦτα μὴ ἔνι τῶν τοῦ σώματος μερῶν, ἢ τῶν προσωτάτω.

Sed illi perraro intereunt qui sauciantur vbi nulla est corporis partium prædictarum, vel absunt ab iis longissimè.

IAM PRIORE receptum est, contrariorum esse contraria consequentia. Itaque patefactis partibus quarum funesta est vulneratio ipsa per se, nec vlla prætermissa ex iis; facillimum est mente complecti cæteras de quibus non est verendum metu interitus, cùm sauciatæ fuerint: quia nihil habent eiusmodi vnde vel homines absumantur, vel ad exitium præcipitentur, cùm vel à vulnere in vitio sunt, vel suam vim efficiendi, iuuandi, aut conseruandi amittunt in suo quæque officio, nisi quid inde mortiferum sit κατὰ συμβεβηκὸς, i. *ex euentu.* Quæ cùm ita sint, facilis erit versio & enarratio huius prognoseωs quæ sic habet.

SED ILLI PERRARO INTEREVNT.] Græcum illud, ἥκιστα, consultò sic vertimus, ex vsu frequenti quo legitur apud Hippocratem, pro eo quod est *minimùm* in lingua Latina. Talis est illa loquendi formula in aphorismis. *Senes mediæ patientissimi sunt, mox homines constantis ætatis,* ἥκιστα μειράκια, i. *minimùm adolescentes,* &c. Vbi non est dubium quin illud, *minimùm,* facilitatem inediæ minuat, reprimátque in adolescentibus, quam senibus tribuendam putauit: non tamen in totum adimat auferatque ab iis, sicut aduerbium *minimè,* quo tollitur omnis patientia ieiunandi. Sic etiam in hac prognosi τὸ ἥκιστα, i. *minimùm,* non tollit in totum causam mortiferam à partibus vulneratis vnde non tollitur aliquod vitale officium, nec earum incommodis adiicitur quippiam præsentaneum mortis periculo, sed tamen à vulnere non sunt in tuto, nisi cautio sit eorum quæ intrà sunt inutilia, & quæ extrinsecus enascuntur: vt non ratò de illis vulneribus verendum sit, donec saucij conualuerint. Sic multos vidimus telo percussos in capite, ac ne vix quidem cute pertusa, proptereáque leuiter admodum vulneratos: tamen maiore periculo quàm ipso vulnere occupatos, præter spem interiisse à tempestate calida, pluuia, & austrina: vnde mortifera fuit capitis, eo quem dixi modo, pertusi corruptio. Nam artuum vulnera sæpe sunt ex euentu lethalia; non eò quidem quòd ibi sint magnæ venæ ac neruí; nec item quòd venenato telo inflicta sint, quamvis leuissima; cuiusmodi multa suo exitio Alexandri milites, barbarorum gladiis acceperunt: sed quoniam parum propitia cœli ac soli conditio. Sic trωmata capitis in Italia sunt δυσαλθέα; tibiarum vero εὐαλθέα: quæ sortem contrariam nacta sunt apud Celtas, Gallos, & Belgas.

VBI NVLLA EST CORPORIS PARTIVM PRÆDICTARVM.] Sauciati cerebri ad apoplexiam cita morte funestam. hepatitis & aortæ: tum item crassarum venarum quæ sunt in cruribus & pulmone, ad implacabilem hæmorrhagiam: cordis, adempta micandi facultate & vsu. pulmonis & arteriæ, intercepto spiritu ac vapore, tum etiam spirandi officio: hepatis, diaphragmatis, vesicæ, ac tenuis intestini, quorum vitalia sunt officia, & quorum symptomata lethalia. Hæc igitur non sunt in cæteris partibus, vt earum vulnera, ipsa per se, vel metu interitus nos exterreant; vel repentina morte, amicis & medicis flebilia sint. Denique cæterarum partium vbi non sunt lethales causæ prædictæ, sicut in aliis iam explicatis, vulnera non sunt mortifera, nisi κατὰ συμβεβηκὸς.

VEL ABSVNT AB IIS LONGISSIME.] Ac si diceret. Tametsi vulnus non habet mortiferè, partis vulneratæ natura tamen vicinarum merito, ἢ τῶν γειτόνων, sæpe interitus consecutionem adferre solet: quale est musculorum qui tempora continent: nec rarò ἰνώδεα τε καὶ νευρώδεα, quibus mouendi facultas & actio musculis impertitur. Ergo sympathia nulla sit principatuum, sauciata parte aliqua quæ est natura sanabilis ad certam securitatem salutis.

12 Τὴν δὲ ὄψιν ἀμαυροῦνται ἐν τοῖσι τρώμασι τοῖσιν ἐς τὴν ὀφρὺν, καὶ μικρὸν ἐπάνω· ὅσῳ δ᾽ ἂν τὸ τρῶμα νεώτερον, μάλιστα βλέπουσι χρονιζομένης δὲ τῆς οὐλῆς, ἀμαυροῦσθαι μᾶλλον συμπίπτει.

Sed visu hebescunt à trωmatis, quibus in supercilium, & paulùm suprà, trωma illatum est: quod sanè quò est recentius, eò minor est hebetudo: sed quia serior est cicatrix, hic magis hebescere ipsos contingit.

EXTREMVM illud de partibus vulneratis, déque ipsarum vulneribus, vt incommoda hic scribantur quibus homines occupantur eo vitio quòd ex ignobili parte saucia, transit in nobilem vicinam & sociam: idque per ἀνάγκην, vnde officium labefactatur, quod simul confert ad vitæ vsum & ad dulcedinem. Est autem visus obscuritas, quam inferunt sauciatæ partes oculorum vicinæ. Atque hic casus in exemplum adducitur, omnium instar quæ simili modo eueniunt. Sic enim fiunt empyici, quibus tro-

Coac. 68; c.16. li. 1.

ma thoracis foris quidem sanescit, intus verò minimè; aut certè intus sanatum, denuò laceratur. Sic etiam visu hebescunt, vel etiam occæcantur, cicatrice obducta supercilio vulnerato, cùm sanies prorepit in oculum quæ antea per vulnus exibat; non ea quidem tota è membrana caluariæ seu pericranio, vnde album oculi propagatur: sed ea quam ipsum vulnus edebat, quæ nunc iam seta cicatrice intrò refluit atque in oculi album exudat è pericranio, sicut à parte quæ continet, in eam quæ continetur.

Ergo. SED VISV HEBESCVNT.] Ὄψιν ἀμαυροῦνται. i. oculorum lumen obscuratur, vel splendor hebescit visificus, qui est in oculorum membranis, humoribus, & igne vernaculo, vt eo sensorio multùm afflicto, τὰ ὁρατά, i. *aspectabilia* non excepta, neque à sensu percepta, visionis obscuritatem planè ostendant. Sed plura nos alibi περὶ ἀμαυρώσεως, déque illius natura & caosis.

c.6.lib.2.

A TRAVMATIS.] Punctim cæsímve illatis, idque transuersum: quo vulnere palpebra semper labascit; quam tolli non potis est, nisi collecta fronte & corrugata, nec deprimi, nisi ea demissa.

QVIBVS IN SVPERCILIVM.] Quod supereminet oculo, atque ipsi loco est proiectoræ cuiusdam, arcendis iniuriis quæ inferuntur supernè ad perpendiculum. Atque hoc supercilium superam continet atque dimidiam sinus partem vbi est oculus: proptereáque in eam ius habet sympathiæ triplicis; quia ὁμόζυξ, vicinum, & socium.

ET PAVLVM SVPRA ILLATVM EST.] Cæsim atque transuersim: vnde maior est causa & importunitas hebescendi, vt dictum est. Parui autem refert, sitne illatum vulnus in supercilium, in paulùm supra: quia idem manet τὸ συνεγγυς, καὶ τὸ κοινὸν, καὶ ἴσως τὸ ὁμόζυξ, inter ea saucia, & fortè cum oculo qui inde laborat vitio alieno.

QVOD SANE QVO EST RECENTIVS.] Penéque dixerim, ἕτοιμον, nec dum sordibus vllis obsitum, vt cùm vulnera mutantur in vlcus: præterea, quæ vulnus recens illatum, amplitudinem suæ diuisionis ostentat, qua humor exit liberè ac liberaliter.

EO MINOR EST HEBETVDO.] Ipsius nempe sensorij, non facultatis visificæ. Est autem minor sensorij, i. oculi hebetudo: quia tum minor est eius læsio in leuiore causa lædendi à vulnere per quod liberaliter humor, nec iam in oculum prorepit, vnde minor est difficultas excipiendi ab oculo, & percipiendi à sensu, τὰ ὁρατά, i. *aspectabilia*.

SED QVIA SERIOR EST CICATRIX.] Cuius interuentu coit diuisa pars, alioqui natura incoibilis. Interuenit autem cicatrix, beneficio carnis quæ est in cute, & alimenti, cùm nutriri cœperit ipsa pars saucia. Quod certè citò non euenit sed admodum serò, proptereáque serior est cicatrix: quoniam inflammatio diu multúmque partem sauciam occupauit, cuius quidem reliquæ partes caluariæ non sunt capaces: sed manent expertes, etiam multùm perrusæ: ob eam sanè causam, quia illæ continent, & sola frons continetur. Oborta igitur in supercilio à vulnere inflammatio, pessimè ipsum habuit, & in perpetuum habitura per quamdam corruptionem & infirmitatem, vnde perennis generatio est cuiusdam ichoris qui vt perennitatem habet ex eo quod sera fuit cicatrix: ita perennem affluxum in oculos, quia prohibetur exitu foras à cicatrice. Itaque substillum illud ichoris in oculum, συναίρεσις eius tollit qua vti solebat excipiendo res aspectabiles societate parta cum illis, ipsásque transmittendo ad sensum, percipiendi causa.

MAGIS HEBESCERE IPSOS CONTINGIT.] Quia perenni substillo ichoris in oculum, membranarum nitor squallescit, humorum splendor caligat, & fulgor ignis oculorum proprij vna extinguitur: vnde comparatio est verè hic posita ἀμαυρώσεως.

COROLLARIVM.

De fistulis.

Αἱ σύριγγες χαλεπώταταί εἰσιν, ὅσαι ἐν τοῖσι χονδρώδεσί τε, καὶ ἀσάρκοισι τόποισι πεφύκασιν, εἰσί τε κοῖλαι, μυξοῦνταί τε, καὶ ἰχωρορροοῦσιν ἀεὶ, σαρκίον τε ἐπὶ τῷ στόματι ἔπεστιν αὐταῖς. εὐθεραπευτότεραι δὲ ὅσαι ἐν τοῖσι μαλθακοῖσι τόποισι καὶ σαρκώδεσί τε καὶ ἀνεύροισι πεφύκασι.

Illæ demum fistulæ sunt molestissimæ, quæcunque in partibus cartilagineis & carne vacuis enascuntur, ibiq; sunt caua, & cuniculosæ, ac sanie diffluunt continenter: tum verò caruncula, ipsarum adnascitur orificio. Sed illæ sanescunt faciliùs quæcunque in partibus mollibus atque carneis & neruo carentibus, oriuntur.

HACTE-

Hactenvs de natura trœmatum posita in officio & conditione partium sauciarum, deque symptomatis quæ ab iis enascuntur. Hic de vlceribus loco dicendum, in historia fistularum quæ instar omnium nobis erunt: quòd illæ sint vlcerum quæ in conspectu sunt, velut principes ac reginæ. Sed principatus earum sic ostendetur ex hac prognosi.

Illæ demvm fistvlæ.] Non illæ quidem crassa & pingui Minerua sic nominatæ in puris ductu quem edit phymatis empyema: quoniam longa est via qua pus effunditur, vt in abscessibus qui ex peripneumonia; sub auribus, vel in cruribus oriuntur atque assurgunt: quibus tum homines occupati, periculo defunguntur, ac sine metu palindromes eò vnde venerunt, si ἐκσυριγγοῦνται, i. *fistulam edunt*, vt scribit Hippocrates. Vbi fistula nominatur pro incolumi puris eductu. Talis est fistula in thorace, quæ in desiderio liberæ ac liberalis anacatharseos pleuritici aut peripneumonici empyematis, ac pure in aluum thoracis effuso; vstione fit aut sectione, qua inde pus exitum habeat. Qui sanè puris ductus, io ipse angusta sperabilem facit vitæ salutem à pure laudabili : desperationem verò planè ostendit in amurcoso & fœdi odoris. Qua de re illud præceptum. *Quibus à pure coloratur specillum, velut ab igne; omnes intereunt.* Et. *Quibus concutiendo, pus editur velut amurca & fœdi odoris, vt plurimum moriuntur.* Sed illæ demvm fistvlæ.] mox describendæ, non autem modò descriptæ quæ ἐκσυριγγοῦσαι fistulæ nominantur pro alto puris-ductu.

lib. 2. progn. & Coac. 22. c. 16. li. 2.

Coac. 47. & 48. c. 5. li. eiusd.

Svnt molestissimæ.] Χαλεπώτεραι, i. κίνδυνον φέρουσαι, *periculum inferentes*, vel partis ipsius natura vbi enatæ sunt, vel transitu & propagatione ad propinquas & socias, vel difficultate ipsa curandi atque molestia.

Gal. ad lib. 1. Aph.

Qvæcvnqve svnt in partibvs cartilagineis.] Cùm scilicet partium illarum caua sunt vlcera, in modum arundinis fistulata, angusta, callosa, & alta, vel etiam breuia: vnde ipsa fistulæ nominantur, in quibus percipitur longitudo aut breuitas, siue intus rectà ferantur, siue obliquo sinu; idque vel simplices, duplicésve, aut triplices ortæ ab vno ore quæ intus tres fiunt: quarum origo est phyma, vel aliud quodvis vlcus malè curatum: quamvis in ano fistularum causa est præter cæteras, ipsa contusio, quæ tum equitando, tum remigando infertur. Ergo si aliquam partem cartilagineam fistula occuparit, quam genuit summa humoris feritas & acrimonia, vel eo pessimè ipsam habet, quòd irrita omnis curatio est, vel inimica potiùs: quia magis exulcerat, magisque fistulam reddit efferam. Sic non in manu, sed in medicamentis præsidium est; non eò quidem quòd altiùs ipsa penetrat, vt ad vltima demitti collyrium non possit: sed quia naturam retinet carcinomatis nata ex atra bile. Ipsum verò præsidium, quod est in manu chirurgi, haud scio quid opis allaturum sit, vbi non est lene, nec facile, sicut in aliis fistulis esse solet: & vbi nulla est diuisarum partium incoibiliũ sperabilis redintegratio. Sed illud præsidiũ quod ex Hippocrate Celsus expressit, mox proferetur in fistulis, in quibus apposite ipsum præceptor dicauit. Quæ autem sint partes cartilagineæ, omnibus distinctæ numeris, nuper adductæ sunt: vbi demonstratũ est quòd earum euictio ab vlcere vel exectio, tum amica manu, tum inimica, nunquam est reparabilis.

Coac. 4. huius c.

Et carne vacvis.] Vti membranis quæ carent omni carne & sanguine, cuiusmodi sunt vesica & intestina tenuia, vbi nulla est opportunitas succrescendæ carnis, ad cicatricem, quæ tamen illis in partibus expectari nequit, vbi nulla fistulæ sectio est manu chirurgi: sed nc in palpebris quidem, nec in præputio, nec in eo quod in gena est tenue; vbi vulneris ferruminatio est potiùs per ὑπεραίρησιν, quàm per cicatricem ἀπουλήν. In vulnere autem calloso quod fistulam edit, quænam sperabilis bona coitio esse potest, cùm scinditur; vbi nec fundamentum est succrescendæ carnis, nec vllæ reliquiæ succi alibilis, quo ipsa ferruminatio comparetur?

Ibiqve svnt cavæ.] Non eò quidem quòd fistulæ aliter esse possint, nisi sint cauæ: sed quòd sint alta multúmque fistulata cauitate insignes, instar arundinum: vel quòd earum cauitas obducto veluti callo, præ duritate non subsidat, neque conniueat, cùm scilicet in vetustatem inciderit. Ac sanè tales fistulæ vix manu chirurgi, aut medicatis vnguentis ad sanitatem perueniunt: quia non cedunt vtique præsidio.

Avt cvnicvlosæ.] Quæ mouent cuniculos, longiùs excurrentes & prorepentes quoquouersum à virulenta sanie quæ ipsas continenter erodit, vnde vicinas partes inficiunt, ac sæpe tam rectà, quàm dextrà siue sinistrà eousque penetrant, vt ad pulmonem, vel ad vesicam, vel ad vterum, vel ad grandes venas, arteriásve; vel ad inania, vt stomachum, guttur, thoracem, cuniculatim perueniant. Hic certè curatio difficillima est, nec fortè sperabilis, quòd ea præsidia quæ posita esse diximus vel in manu chirurgi, vel in collyriis fistulariis, voto medici non respondeant; illa quidem, cuniculis omnibus non excisis, ac nouis subinde orientibus; hæc verò, ad vltimas vsque latebras non demissa: ne interim taceam nobilium partium offensiones, cùm eousque serpendo, altiùs fistula penetrant: tum etiam perennitatem virulenti humoris morbifici, quæ est in vitio viscerum sæpenumero insanabili.

Ac sanie diffluvnt continenter.] Quod sanè certum est δυσπαρηγόρου fistulæ contumacis, quæq; non facilem sui curationem promittit: idq; vel proprio vitio, vel alieno. Ac proprio quidẽ, cùm tãta seri vbertas aliunde venit per fistulam. Tum enim credibile est in sparsis quoquouersum cuniculis, fontem subesse ichoris quo fistula defluit continenter, quem immissa crebrò collyria exhaurire nõ possint, ac multò minùs conuertere ad pepasmum. Atq; id locum habet in omni vlcerum rheumate cõsistere, ξεινοπίδιον vocat Hippocrates, quòd fluit vberiùs quàm meritò vlceris quod in cõspectu est. Sed alieno vitio tãta est vbertas ichoris è fistula, cum eò perenne affluit τὸ ῥεῦμα ἰχωρῶδες; idq; vel ab iis quæ intra sunt inutilia, vel quæ extrinsecus enascuntur. Intrà sunt inutilia, viscerum intemperies & catarrhus, vnde vel à capite, vel ab hepate perennis io fistulam est virulenti humoris atque ichoris affluxus. Enascitur autem extrinsecus illa sanies, siue ichor, qualis regnasse narratur Cranoni, à tempestate austri-

3. Epid. part. 3.

ua, cum densis nimbis & rapido æstu coniuncta; vnde prouentus fuit carbunculorum. Sic enim præceptor scripsit. Ἰχῶρες ὑπεγίνοντο ἐν τοῖς δέρμασι. Qua duce sententia, τὸ ἀγα ἰχωροειδές, Galenus agnouit: non illud quidem simpliciter tenue & aquosum; ἀλλὰ τὸ μετὰ τινὸς ἰοῦ καὶ κακοήθους ποιότητος. i. *sed coniunctum cum venenata quadam & maligna qualitate.* Huiusmodi etiam sunt ichores quos ait Hippocrates raptos à venis, cùm à labore & siti exaruerint, in iis accendere febrem ardentem. Sed idem eos ichores paulò post, in calidorum & acrium rheumatum nomine appellauit, cùm in priorem de causis ortu sententiam, ita scripserit. Ὁκόταν ἀναξηρανθέντα φλέβια, ἕλκει καὶ δριμέα ῥεύματα ἐπὶ ἑωυτά. i. *Cùm resiccatæ venæ attraxerint ad sese acres & biliosos ichores.* Talia autem rheumata eò concitata, siue ichores; vel ibi collecta & nata, vix edunt τὸ ῥεῦμα συνεστηκὸς τῶν ἰχώρων; sicut in pestilentia narrat Hippocrates de ichorum ad partes appulsu: sed pro eo pure laudabili, quod facit pepasmus, alia quædam putredo est, cum vbertate rheumatum variorum. Sic enim fœtura esse solet eorum, à pereunitate ichoris tam concitati, quàm consistentis, cùm partem aliquam callosa fistula occupauit. Quinetiam talis materiæ seges est in tremate capitis, quod in conspectu non fuit, sed in occulto latuit è diuerso partis percussæ; nec priùs in conspectum venit, quàm sit prænuncium atque causa mox affuturæ mortis. De quo illud est positum à præceptore inter signa cætera quibus se prodit, καὶ πόνοι ἰχώρων ὑπορρεόντων, i. *incommoda item veniunt ab ichoribus subterlabentibus.* Incommoda autem sunt explicata vbi sunt posita.

TVM VERO CARVNCVLA.] Quæ est ὑπερσάρκωσις, quæ assurgit è fistula nimio ichore imbuta, & in ore suo, quà ichor effunditur, vlcerata: qualis est ὑπερσάρκωσις fistulæ vrinariæ quam abradendo facit venerea virulentia. Nam vlcerum sanie diffluentium ὑπερσάρκωσις esse solet, vbi caro solida gigni nequit.

IPSARVM ADNASCITVR ORIFICIO.] Quia ibi facilius nascitur ὑπερσάρκωσις & assurgit, quà ichor exit, vbi teneriùs & mollius est orificium, quàm vbi fistula est callosa. Est autem caruncula illa fungosa, documentum fistulæ contumacis, & saniei ferinæ.

SED ILLÆ SANESCVNT FACILIVS, QVÆCVMQVE IN PARTIBVS CARNEIS ET NERVO CARENTIBVS ORIVNTVR.] Tales enim fistulæ faciliùs cedunt remediis quæ vel chirurgi manu, vel collyriis, adhibentur. Atque inter ea quæ sunt in manu, solenne est illud quod ex Hippocrate Celsus expressit his verbis. *Propriam etiamnum animaduersionem desiderat fistula quæ est in ano. In hac demisso specillo ad vltimum eius caput, incidi cutis debet: deinde nouo foramine specillum educi lino sequente quod in altam eius partem, ob id ipsum perforati, coniectum fit. Ibi linum prehendendum ac vinciendum cum altero capite est, vt laxè cutem quæ super fistulam est, teneat. Idque linum crudum esse debet, ac duplex, triplexve, sic tortum vt vnitas facta sit. Interim autem negocia licet agere, ambulare, lauari, & cibum capere, perinde atque sanissimo. Tantummodo id linum bis die saluo nodo ducendum est, sic vt subeat fistulam pars quæ superior fuerit: neque committendum est vt id linum putrescat, sed tertio quoque die nodus resoluendus; & ad caput alterum, recens linum alligandum: educto vetere, id in fistula cum simili nodo relinquendum. Sic enim paulatim cutem quæ supra fistulam est, incidit, simúlque & adsanescit quod à lino relictum est, & in id quod mordetur, incidit. Hæc ratio curationis longa, sed sine dolore est,* &c. *Secta fistula, inicere mollem spongiam oportet, & quàm tenuissimam imponere; deinde florem æris vsti per specillum in fistulam conicere,* &c. Cætera autem medicamenta quibus & fistulæ curatio: & symptomatum eius correctio suscipitur atque absoluitur, sunt apud Hippocratem.

Hipp. li. de fistulis, & Cels. lib. 7. cap. 4.

lib. περὶ συρίγγων

APPENDIX,

QVIBVS MORBIS QVÆ ÆTATES SINT AFFECTÆ.

ΤΑ δὲ πρὸ ἥβης οὐ γίνεται νοσήματα· περιπλευμονικά, πλευριτικά, ποδαγρικά, νεφρίτις. κιρσὸς περὶ κνήμην, ῥοῦς αἱματηρός, καρκῖνος μὴ σύμφυτος, λεύκη μὴ συγγενής, κατάρρους νωταῖος, αἱμορροΐς, μὴ σύμφυτος χορδαψός. τούτων τῶν νοσημάτων πρὸ ἥβης οὐ χρὴ προσδέχεσθαι γενησόμενον οὐδέν.

1 *Sanè hi morbi ante pubertatem non enascuntur, peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix ad tibiam, cruentum profluuium, cancer nisi congenitus, leuce non innata, catarrhus dorsalis, hæmorrhoïs, neque chordapsus nisi congenitus. De quibus morbis ante pubertatem futuris, non est verendum.*

HIC SIN-

Hic singvlaris animaduersio est ætatum quibus τὰ ἐπιδεκτικὰ sunt in promptu, vel absint, morbis quibusdam arcendis vel admittendis. Sunt autem τὰ ἐπιδεκτικὰ, causæ in nobis partæ, vel insitę à natura, quæ non minorem vim adferunt morbis gignendis quorum illæ sunt capaces, & ipsos excipiunt atque fouent, quàm τὰ ποιητικὰ inferendo, tam intrà, quàm extrinsecus. Ac sanè τὰ ἐπιδεκτικὰ sunt in communi ac peculiari cuiusque natura, quæ cernitur in temperamento, complexione, compagine, & humoris morbifici dominatu. Quorum in corpore per ætates sic ratio comparatur, vt magna aut nulla eorum sit conspiratio qua morbi nascantur, incidente vi aliqua efficiendi. Maximum enim est, inquit Galenus, in corporis affectione momentum ad ea quæ cuique accidunt suscipienda. Nec minùs in vitio est τὸ ἐπιδεκτικὸν excipiendo, quàm τὸ ποιητικὸν inferendo, cùm alicuius morbi calamitas in hominum vitam inuadit. Sed ea vitia excipiendi, & commoda procul arcendi morbos, aut certè non admittendi, fugiendíque, præsidia sunt in ætatibus quarum conditio mutationem adfert complexionis, temperamenti, atque compaginis, & humorum: propterea que incommoda valetudinis, tam in generatione, quàm in paroxysmis morborum: sicut & contrà, opportunitates atque præsidia secundæ valetudinis, dum pari ratione morbos arcent cùm aduentarint, eosque cùm pridem iam venerint atque regnarint, abigunt. Sic epilepsiæ τὸ ἐπιδεκτικὸν est puerilis ætas, cuius τὸ ἀπαλλακτικὸν est pubertas, διὰ τὴν ἔκλαμψιν, i. *propter splendorem & lumen* caloris natiui qui anteà sopitus erat. Talis discessio esse solet siue ἀπαλλαγὴ multorum morborum in senectute, quorum erant fomites, ætatum vitio exactarum; ob eamque causam τῶν σωτηρίων nomine appellantur. Sed ea generatio & paroxysmi, morborum σωτηρίων, quæ vitio est ætatum; sicut earum omnia τὰ ἐπιδεκτικὰ καὶ ἀπαλλακτικὰ, quæ ipsarum merito morbos admittunt vel abigunt, accuratè sunt tradita in Epidemiis & aphorismis: tum à nobis alibi examinata, vt illa supersint examinanda quæ scripta sunt in hac prognosi.

6. Epid. part. 5.

Sane hi morbi ante pvbertatem non anascvntvr.] Quòd eorum nulla est opportunitas excipiendi, nec vlla vis efficiendi, illis ætatibus, quæ sunt infra pubertatem. Sunt autem, triplex infantia & pueritia. Nam pubertatis tempus est intra adolescentiam, cùm scilicet vox incipit edi asperior, & venus agnosci, quod vocat præceptor τραγίζειν καὶ ἀφροδισιάζειν.

Peripnevmonia.] i. Phyma pulmonis φλεγμονῶδες, cuius hæc sunt incõmoda siue symptomata; meteorismus in spirando, calida expiratio, dolor sub omoplata, qui prorepit ad iugulũ; pectoris grauitas, febris acuta, anxietas atque iactatio, delirium quoque ipsum. Ac talium quidem nec generatio est, nec paroxysmus, donec ventum sit ad pubertatem: quòd illis temporibus quæ natura & ordine pubertatem præcedunt, nulla est concitatio neq; collectio αἵματος διεφθαρμένου διὰ τὴν χολὴν, i. *sanguinis à bile corrupti*, vnde assurgat phyma quod nomen habeat occupati pulmonis, & peripneumonia nominatur: quòd illis ætatibus, i. infantia triplici & pueritia, nulla est sanguinis redundantia, qui ad incrementum simul & adnutritionem absumitur: nulla item causa orgasmi ad rheuma ὁρμώμενον, vbi sanguis non est tenuior, nec qualitate acrior atq; calidior. Quid enim sic cum faceret ἰσχυρὸν ad orgasmum in puerili corpore quod magisterio regitur caloris natiui, vel eo certè abundat, ob eamque causam est αὔξιμον καὶ αὐξανόμενον, i. *incrementi capax & particeps*? Atqui nullum φῦμα coalescit φλεγμονῶδες peripneumonicũ, vbi sanguis in vitio nõ est, μήτε κατὰ τὸ πλῆθος, μήτε κατὰ τὸ πάθος. Quinetiam illud adiicitur securitati, quòd nullum est τὸ ἐπιδεκτικὸν peripneumoniæ in natura pueri bene morata, beneq; cõstituta, cuius hoc loco securus erat Hippocrates cùm hæc scripsit, ratus οὐδὲν εἶναι τὸ σωματικὸν παρὰ φύσιν. i. *nullam esse victus ac vitæ consuetudinem contra naturam*: vt nihil aliud esset illis temporibus, more suo viuere, quàm lege instituti sique naturæ. Ergo peripneumoniæ ἀπορία in pueris & infantibus, considerari debet illis ætatibus, atque referri πρὸς ἔνδειαν τῶν ἐνόντων, i. *ad penuriam & paupertatem eorum quæ intrà sunt inutilia*, vnde nullum est τὸ ἐπιδεκτικὸν τῆς περιπνευμονίας. Penuriam autem dico ac paupertatem inutilium, non quidem omnium (nam multa sunt τὰ ἐνόντα infantiæ & pueritiæ, quibus illarum ætatum morbi succrescunt atque pullulant) sed eorum è quibus nascitur peripneumonia. Cæterarum autem causarum peripneumoniæ, extrinsecus incidentium à diæta & spiritu, quibus τὰ ποιητικὰ continentur, maleficentia non quidem in totum arcetur à pueritia, sed tamen infringitur contumacia excipiendi.

Plevritis.] Quæ ab infantia & pueritia repulsam habet, quemadmodum & peripneumonia: quòd illis ætatibus non est causa efficiendi pleuritidem ab iis quæ intrà sunt inutilia, siue incommoda: nec etiam excipiendi, quia non est rheuma ὁρμώμενον, μήτε συναγόμενον, i. *neque concitatio neque collectio humoru pleuritici*. Nam puerorum sanguis non est in vitio διὰ τὸ πλῆθος καὶ πάθος, vt inde phyma pleuriticum assurgat in tunica costis intexta; vnde spirandi angustia, tussis, & febris, ac dolor pungendo asperrimus excitetur. Causæ adductæ sunt modò in peripneumonia.

Podagra.] Quæ dolor est atque febris omnium quæ in articulos incidunt acerbissima, quam excitat membranarum quæ sunt in pedibus inflammatio, nata, vt scribit Hippocrates, ὑπὸ τοῦ αἵματος διεφθαρμένου τοῦ ἐν τοῖσι φλεβίοισιν ὑπὸ χολῆς καὶ φλέγματος, i. *corrupto sanguine qui est in venulis à pituita & bile*, propterea que talis podagra est omnium arthriticum βιαιοτάτη, πολυχρονιωτάτη, καὶ δυσαπαλλακτοτάτη. i. *vehementissima, longissima, quæque exoluitur omnium difficillimè*. Sed ea corruptio sanguinis à pituita & bile in pueritia ætatum mitissima, nunquam in mentem veniet medico sapienti, cùm viuitur conuenienter ei ætati, sicut Hippocratis sæculo viuebatur. Vt vana sit ostentatio eorum qui nunc exultant iuueniliter, ac si fabam in placenta inuenerint, certántque illudere summo Hippocrati, quòd eam podagræ ἀπορίαν & vacuitatem in pueris, solenni aphorismo ratam esse voluerit, quem ita conscripsit. Παῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιάζειν, i. *Puer non tentatur podagra, priusquam agnouerit venerem, vel exercuerit*. Itaque dignam Hippocrate, i. αὐτοῦ τοῦ λόγου, sententiam volunt explodi, vt falsam; & nostratibus pueris podagram vidisse se, prædicant arroganter. Quàm autem bene, viderint sapientes, quia mea hæc legerint.

lib. περὶ παθῶν.

NEPHRITIS.] i. Quadruplex renum morbus; quorum primus est inflammati renis & calculosi. Alter venularum ruptarum in renibus, cùm nimis repletæ fuerint, aut vim expertæ violenti laboris, vnde nascitur vlcus ἰσμενον. i. *quod pariter cutim contra se afficit,* cùm sanguis meiendo exiuit. Tertius est renum proluuiem rubram fundentium, instar cuiusdam ichoris assarum carnium bubularum. Quartus est renum dolor qui occupat lumbos & ilia, similiter vt quæ parturiunt. Atque is dolor nascitur à pituita & bile ibi collectis: tum etiam si quis immodicè venerem exercuerit. Omnium harum nephritidũ nc vna quidem in pueritia locum habet; nec vlla earum generatio est ἀπὸ τῆς ἡλικίας in pueris, nec ἀπὸ τῆς ἔξωθεν: nisi quis edacitatem causetur. Nam vt attingam primum genus nephritidis, quod esse diximus inflammati renis & calculosi; non minor hic cernitur difficultas mouendæ inflammationis in rene pueri, quàm in tunica costis intexta, vel in pulmone ipsius: quoniam nulla in puero causa subest concitandi & colligendi humorem, ad inflammationem renis mouendam. Id certè ἄνευ προφάσεως nequit accidere, vt accidit sæpe iuuenibus merito iuuentutis; sicut & renum per vrinæ ductus hæmorragia, & sine προφάσιος vel præuidentia. Sed calculosi renis materiam & occasionem in pueris præripit; ne scilicet fiat in rene coagmentatio lapidosa, meabilis humor pueri atque meatus, virtute caloris natiui, cuius officium est vitare γλισχρότητα, & glutinosum humorem coquendo mutare εἰς τὸ εὐλίσθητον, i. *in meabilem atque lubricum.* Ex quo efficitur, vt vesica pueri, & non in rene, coagmentatio fit lapidosa quam vocat præceptor τὰ συμπαγέα μετὰ τῶν οὔρων. Ideoque scribit, μετὰ τῶν οὔρων coagmentari calculum, non πρὸ οὔρησιος; quod in vesica id fiat, vbi perfecta est οὔρησις, & sero è venis illuc perducto nomen est vrinæ, non autem in renibus, vbi nondum est οὔρησις; nec dum illud serum quod ad vesicam transmittitur, nomen habet vrinæ, priusquam fuerit eò transmissum. Coagmentatur autem ex facili humor paulò antè factus meabilis: quoniam in vesica frigida, sanguinis & carnis experte, crassus fit denuo & glutinosus; propterea̒que cunctando facilè lapidescit. Sed huius exercitationis de calculo puerorum, regula est in illa sententia præceptoris, tametsi quæsita, non autem enuntia. τὰ κατ᾽ οὔρησιν συμπαγέα παιδίοισι μᾶλλον, ἆρα ὅτι θερμότερα; i. *Coagmentatio pueris magis perfecto vrinæ ductu, an quia calidiores?* Vbi calorem puerorum calidiorum, illum quidem intelligit, authore Galeno, cuius virtute omnis est actio naturalis bene morata, in coquendo, distribuendo, & excernendo. Cætera autem genera morborum renalium quæ ex Hippocrate modò adduximus, nulla est æquitas suspicari posse in pueros cadere, merito pueritiæ.

6. Epid. part. 3.

ibid.

VARIX IN TIBIA.] Quem facit in cruribus atque tibiis venæ αἰώρησις, quæ assurgit è sanguine crasso & melancholico, cuius ne vlla quidem suspicio est in pueritia.

CRVORIS PROFLVVIVM.] Quod cernitur vel in narium hæmorrhagia, vel in dysenteria cruenta ab hepate, vel vomitione sanguinis è pulmone, vel in cruore prorupto è renibus, cùm sua sponte prorumpit: quoniam in pueritia nihil eiusmodi esse potest, διὰ τὸ πλῆθος, ἢ ποιότητα, i. *qualitate aut copia sanguinis* quem illa fert ętas. Nec verò tanta est ἀτονία viscerum per id ætatis, vt sursum deorsúmve diffluant ea sanie quam vocat præceptor περίπλυσιν ἐξερυθρίην.

NEQVE CANCER.] i. Phyma quod paulatim ab atra bile assurgit, vbiuis illa exudat expressa è venis: quæ si in pueris nulla est, nulla etiam videri potest ea ætate materia, nec occasio carcinomatis effingendi, cuius idea nota est.

lib. de aërib. locis, & aquis.

NISI CONGENITVS.] Μὴ σύμφυτος, i. qui non sit vnà cum puero & cum ætate connatus; vt scilicet fomes eius sit in natura pueri, ipsum verò phyma conceptum assurgat in pueritia, vt scilicet phyma illud sit βλάστημα, i. germen ingenerati in semine vitij quod vnà cum pueri conformatione concrescit. Nota est illa sententia præceptoris, qua gentilitij omnis morbi ratio cótinetur. ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται. ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρὸς, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός. i. *Genitura enim vndecunque procedit; sana quidẽ à sanis, morbida item à morbidis.* Atque non inde solùm temperatio est atque complexio, sed etiam conformatio; vt è macrocephalis arte factis nascantur natura similes macrocephali. Sic igitur νόμος καὶ φύσις, i. *natura & instituta hominum,* mutuas tradunt operas ad ideam quæ cernitur in temperamento, complexione atque figura. Nec verò mirum videri debet si è macrocephalis arte factis nascuntur similes macrocephali: sic etiam virulenti ex iis quos veneris occupat virulentia. Scitum est illud Baptistæ Mantuani, quod ante me, præceptor Syluius vsurpauit.

Qui viret in foliis, venit ab radicibus humor:
Sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.

Sed illa morborum fœtura, non est ætatum merito, sed vitiatæ naturæ.

LEVCE.] i. Elephantiasis alba, vel vniuersi corporis, vel aliquarũ partiũ, nata ex carnis & cutis cachexia, quam vetus pituitæ putris & salsæ cacochymia induxit, ex vitio hepatis & hepatitis venę quæ illam fundunt cacochymiã per venas αἱμόῤῥους, in venulas cuti & carni affixas, nutriendi causa. Itaq; rheuma consistẽs leuces, nutritio est deprauata quæ partiũ alendarũ colorem, characterẽ & molẽ immutat, sicut iudiciũ est præceptoris cùm ait. τὴν μὲν ἰδίην ἰδέην ἐξελαύνουσι τὴν δὲ προτέρην ἐξαμαυροῦσι. i. *Propriã quidẽ edit ideam, priorẽ verò destituit atque obliterat.* Itaq; συμπαραμένουσιν ἀλλήλοις ἐς τὸ κακὸν ἡ κακοχυμίη καὶ καχεξίη, i. *mutuas tradũt operas ad pernitiem cacochymia & cachexia.* Vt enim cacochymia vetus, εὐεξίαν immutat & labefactat: sic firmiter pressa in corpore cachexia, τὴν εὐχυμίαν corrumpit, & similem sibi apponit. Ergo res eunt malè in alterutro vitio cachexiæ aut cacochymiæ, pessimè in vtroq; cùm scilicet huius perennitas est à fonte humorum; illius verò firmiter fixa impressio in complexione & statu partium solidarũ, quarum naturam in lepra & leuce omnino labefactaram scribit Galenus ad prorrheticum t 7. lib. 2.

NON INNATA.] Μὴ συγγενής: ac si diceret, Leucem illã excipio cuius in vitio genituræ seminariũ olim fuit, & quæ cum puero nata est simul, & quæ cum ætate, positis in naturæ vitio fundamentis, paulatim, vt solet, accreuit, ac tum in pueritia suæ corruptionis signa ostendit in statu mutato partium solida-

lidarum; maximè autem aspectabilium, vt carnis & cutis. Sic enim agnosco τὸ εὐσχῆμον καὶ τὸ εὐσχήμονον, in complexione & statu partium solidarum, vbi est ipsa leuce: sicut præceptor agnouit in ea corporis fabricatione, cuius à mala conformatione ἐξ ἀδυναμίης τοῦ διαπλασθῆναι, i. *ab impotentia conformandi*, inclinatio est excipiēdi, atque fouendi phthisin. Sic enim causam interitus posuit in filia Euryanactis. Ἡ δ' ἦν εὐσχήμων φθινώδης. Et *Peribant illi potissimùm*, οἷσιν ἡ φύσις ἔρρεπεν ἐπὶ τὸ φθινῶδες. Inde homines dicuntur φθινώδεες, qui capite sunt turbinato, angusto pectore, & dorso alato: quæ omnia sunt planè ἀσχήμονα, & mala inde nata ἀσχημοσύνη.

CATARRHVS DORSALIS] Quem ciet ἡ φθίσις νωτιάς, cuius hæc apud Hippocratem historia est. Ἡ φθίσις νωτιὰς ἀπὸ τοῦ μυελοῦ γίνεται. λαμβάνει δὲ μάλιστα νεογάμους καὶ φιλολάγνους. γίνονται δὲ ἄπυροι, καὶ ἐσθίουσιν ἀγαθῶς, καὶ τήκονται. καὶ ἢν ἐρωτᾷς αὐτὸν, φήσει οἱ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἄνωθεν δοκέειν καταβαίνειν παρὰ τὴν ῥάχιν ὥσπερ μύρμηκας. καὶ ἐπὴν οὐρέῃ ἢ ἀποπατέῃ, ὑπερχεῖταί οἱ θορὸς πολὺς καὶ ὑγρὸς, καὶ οὐ φύεται ἐξ αὐτοῦ γόνος. καὶ ὀνειρώσσει, κἢν συγκοιμηθῇ γυναικί, κἢν μή &c. i. *Phthisis dorsalis à medulla est. Corripit autem potissimùm noue maritos luxuriosos. Febre carēt, & cibos capiunt. Eos si interrogas, ecquid patiuntur mali, respondebunt à capite supernè deorsum secundùm rachin, decurrere videri velut formicas. vrinam autem emittendo, semen multum effluit humidum, ad gignendum ineptum; noctu denique polluuntur, siue concumbunt cum muliere, siue abstinent.* Ergo catarrhi dorsalis nunquam in puero causa erit, cùm veniat à tabe dorsali, cùm scilicet dorsi medulla exoluitur culpa eorum quos multùm exercet crebra exercitatio cocundi. Pueros autem non incessit ea libido venerea, qui venerem nondum agnoscunt. Nec verò iis inuitis semen effunditur, & ante vrinam copiosè non fluit, quod nullum est. Ex quibus efficitur, vt in dorsalis tabis vacuitate, nullus è capite per spinam excurrat catarrhus, qui sensionem exciet perertantium formicarum, quem hic præceptor nominat catarrhum dorsalem.

Libro de morbis.

HÆMORRHOIS] Quia in pueris nulla est cacochymia melancholica, per hæmorrhoïdas expurganda; nec vlla plethora venarum quæ adiacent lumbis, per hæmorrhoïdas vacuanda. Quæ duæ omnino sunt causæ cur hæmorrhoides non fiat in pueris: quoniam aliunde cieri non possint. Nec verò pueriles morbi ciusmodi sunt vt ὡς ἄν πως commoueant.

NEQVE CHORDAPSVS] i. Tractionis chordæ ab ileo cruciatus, cùm scilicet ad vltima ventum est intestini tenuis inflammari, vel nimia & contumaci cruditatum oppressione distenti, adeo vt in sensum veniat contrectantis; proptereaque nomen habet chordapsi à chorda tractabili, quæ est veteribus tenue intestinum. De natura ilei supra iam diximus.

NISI CONGENITVS] Hic sanè in incerto est mihi quid statuam de chordapso congenito. Adducor enim faciliùs vt credam in pueritia gigni chordapsum, quam edi congenitum. Nam ipsa edacitas pueri, ac cibi non præmansi ingluuies, causam & occasionem dat intestino tenui ad chordapsum: de causarum perspicientia, vnde chordapsus enascitur. Sed ipsum esse congenitum iam inde à fœtu in vtero, non hercle video quid eam oppressionem intulerit intestino, vel inflammationem mouerit, vnde chordapsus assurgat. Et verò tam crudelis ilei non ea est diuturnitas, vt fœtum comitari possit in partu; nec si cum fœtu venerit, lucis vsuram ei vel biduum ad summum concesserit. Quid igitur statuam de chordapso quem author excludit a pueritia, nisi congenitum; quod scilicet illa ætate gigni non possit, cùm tamen reuera non sit ἀγένητος, sed minimè σύμφυτος, vt ipsa rei natura planè ostendit? Enimuero tanta hìc fuit animi mei contentio, vt abstrusa veritas in nominis chordapsi aucupio, tandem in lucem prodierit. Itaque reuocaui animum ad cogitationem chordapsi quem facit latus vermis, qui tum in fœtu enascitur dum vtero geritur; non autem ætatibus infantiæ & pueritiæ, postquam in lucem venit ex vtero. Eius chordapsi talis recensio est apud Hippocratem. *De vermibus autem latis mea sic ratio est. Aio enim ipsos nasci in puero dum est in vtero. Non enim postquam è locis exiit, tantum est temporis faci in aluo, vt ea cunctante ac putrescente animal tantæ magnitudinis ibi concrescat. Nam homo quotidie pridianam fæcem excernit, vt secunda gaudeat valetudine. Sin autem diu multùmque fæx in aluo non ducta subsisterit, tale animal gigni poterit. Itaque multa in fœtu gignuntur hoc modo, dum vtero continetur. Nam cùm in fœtu accensum pus fuerit à lacte & sanguine computrescente ac redundante, quia id dulce est, animal ibi consurgit, &c.* Ex quibus efficitur, commemorata puerorum mala, non quidem nata vitio pueritiæ, sed ipsis connata iam inde à fœtu; in vtero talia exoriri, quatenus ipsa edit vel seminis fabricatio, vel nutricatus, quem fœtui fœta ipsa de suo impertit.

DE QVIBVS MORBIS ANTE PVBERTATEM FVTVRIS, NON EST VERENDVM] Infantiæ quidem merito & pueritiæ: sed vitio concepti fœtus de semine alterutrius parentis, vel vtriusque: tum etiam ἀπὸ τῶν βιαίων extrinsecus incidentium, & si conuenienter non viuitur illis ætatum naturis.

2 Ἀπὸ δὲ ιδ΄. μέχρι μβ΄. ἐτέων παμφόρος ἡ φύσις νοσημάτων ἤδη τοῦ σώματος γίνεται. πάλιν δὲ ἀπὸ ταύτης τῆς ἡλικίης μέχρι ξγ΄. ἐτέων. οὐ γίνονται χοιράδες, οὐδὲ λίθος ἐν κύστει, ἢν μὴ τύχῃ πρότερον ὑπάρχων, οὐδὲ κατάρροοι νωτιαῖοι, οὐδὲ νεφρῖτις, ἢν μὴ παρακολουθῶσιν ἐξ ἄλλης ἡλικίης. οὐδὲ αἱμορροΐδες, οὐδὲ ῥοῦς αἱματηρὸς, ἢν μὴ πρότερον τύχῃ γεγενημένος. ταῦτα μέχρι γήρως ἀπέχεται νοσήματα.

Sed à decimoquarto ad quadragesimum secundum annum; natura iam morborum corporis feracissima est. Rursum ab ætate hac vsque ad sexagesimum tertium vitæ annum, strumæ non enascuntur; nec in vesica lapis, nisi priùs extiterit; neque dorsalis catarrhus; neque nephritis, nisi ex alia ætate huc deducta fuerit; tum nec hæmorrhoides; nec etiam cruoris profluuium, ni priùs natum fuerit. Denique tales morbi non veniunt, donec ventum sit ad senectutem.

QVEMADMODVM pueritia & triplex infantia, suo merito sunt expertes morborum quos modò recensui; quia non sunt eorum capaces; id verò ex mente ac scopo authoris demonstrasse me arbitror. Nunc ventum est ad pubertatem, vbi τὰ ἄκρα αἰτιατὰ terminantur priorum ætatum, & τὰ ἐπιδεκτικὰ prædictorum morborum ac cæterorum omnium continentur. Quænam autem sit ratio in pubertate excipiendi, sicut in pueritia propulsandi morbos prædictos, iam aggredior ad demonstrandum.

SED A DECIMOQVARTO AD QVADRAGESIMVM SECVNDVM VITÆ ANNVM] Quo vitæ cursu adolescentia, pubertas, iuuentus, ad summum exactæ, successionem habent constantis ætatis. Dixi autem, *ad summum*: quia iuuentus eo anno 42. vlteriùs non excurrit, quæ in plerisque finitur 35. anno. Testis est illa sententia de phthisi ab hæmorrhagia & hæmoptysi pulmonis, cuius capacitas καὶ τὸ ἐπιδεκτικὸν est illis ætatibus quæ sunt à 18. ad 35. annum, i. in pubertate ac iuuentute. Testis & illa de crisi quæ illis ætatibus per excretionem suscipitur: quia tum maximæ sunt opportunitates excernendi; naturæ robur, humor meabilis, & libertas meatuum. Testis & illa hæmorrhagia ephebonũ quæ finem habet 35. anno, vel ad summum, 40. Ac pubertatis quidem patens est adolescentia, quam incoari scribit exacto 14. vitæ anno; cùm scilicet venus agnosci, & vox mutari incipit ex acuta in asperam, ob inæqualitatem crescentis arteriæ: quod vocat præceptor τραγίζειν καὶ ἀναδιπλάζειν: sicut ipsam finiri voce aspera, graui facta. Ergo. A XIV. AD XLII. VITÆ ANNVM] Quo tempore homini valedicit iuuentus, ac tum regnare incipit constans ætas, comite sapientia, per quam tum homo vitam instituit.

NATVRA IAM MORBORVM FERACISSIMA EST] Non eorum modò quos non excipit pueritia, sed à se propulsat; idque suo merito: sed omnium etiam quos in vitam hominum causæ immittunt morbificæ ἀπὸ τῶν ἐνόντων, ἀπὸ τῶν ἔξωθεν. Atque ab iis quæ intrà sunt inutilia, non minor vis est efficiendi, quam excipiendi morbos qui regnant merito pubertatis & iuuentutis: & verè illarum ætatum sporadici nominantur, vt sui sunt etiam pueritiæ atque infantiæ, quæ tamen propulsant prædictos, sicut eos admittunt & cæteros omnes adolescentia & iuuentus. Ratio quidem efficiendi morbos ab iis quæ intrà sunt incommoda pubertatis & iuuentutis, cernitur primùm κατὰ τὸ πλῆθος καὶ πάθος, in copia & affectione sanguinis qui regnat illis ætatibus. Copia in vitio est, quæ ampliùs non absumitur incremento, si exitum foras non habet liberalem & liberum. Hinc mulieribus atque viris fetura est illorum symptomatum quorum vindices esse solent muliebria mulieribus, & viris hæmorrhagia; tum eius loco, hæmorrhoïdes. Sed variæ sunt ideæ sanguinis, qualitate malè affecti, cùm scilicet eiusmodi est ichorosum ὁ ἰχωροειδὴς, ἀπὸ τοῦ φλέγματος καὶ τῆς χολῆς, i. *corruptum à pituita & bile*: tum etiam quando est ἄκρατος, i. *merum*. Sed corrupti sanguinis vitio atque incommodis multùm adiicitur, cùm efferus mouet orgasmum ad eas partes quarum potentia est in ὁλομέλειαν, i. *vniuersitatem* aut quarum officio vitam carere non potis est. Inde nascuntur symptomata capitis, cerebríque repleti, cephalalgica, paraphorica, cataphorica, & catarrhoica. Hinc venit angina, pleuritis, peripneumonia, empyema, & phthisis. Hinc febrium genus omne, periodi, paroxysmi, atque symptomata: tum abscessus tã critici, quàm symptomatici, tam intus, quàm foris. Nam cæterorum humorum qui segregati à sanguine, morbos edunt, tam intus, quàm foris, in omni œconomia partium nutritiarum, spirabilium, & animalium, infinita esset recensio. Ponite vobis ob oculos symptomata omnia tam vniuersi corporis, quàm partium singularum; in his profectò nullum videbitis quod non principia causásque duxerit ἀπὸ τῶν ἐνόντων iuuentutis & pubertatis. Quæ autem symptomata extrinsecus enascuntur; sporadica quidem, à diæta; epidemica verò, à spiritu: ne longum faciam, omnia illis ætatibus locum habent, quas esse diximus à pubertate ad quadragesimum secundum vitæ annum. Sed tamen quorumdam sua sunt ἐπιδεκτικά τι καὶ μειωτικά, magis & minùs in hac aut illa ætate.

RVRSVM AB ÆTATE HAC] Quæ est humanæ vitæ συνεστηκυῖα, & quam ingressi homines, dicuntur συνεστηκότες, i. *constantis ætatis & vitæ*, vbi cessat ὀργασμὸς humorum, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ τὸ θυμοειδὲς, i. *concupiscentia & animositas*, feritate domita, mansuescunt in viris; ac tum in corpore summa est æquabilitas atque proportio τῶν τε εἰσιόντων καὶ τῶν ἐξιόντων, i. *affluentiæ & effluentiæ*, ne quid nimis. Tum, eâ exactâ, principium est senectutis, cum iam labascit illa quam modò posui, analogia, τῶν ἐξιόντων καὶ τῶν εἰσιόντων: sicut apertè ostendit illa sententia præceptoris. Γέροντες εὐφορώτατα νηστείαν φέρουσι· δεύτερον οἱ καθεστηκότες. i. *Senes media patientissimi sunt; mox homines constantis ætatis.*

VSQVE AD SEXAGESIMVMTERTIVM VITÆ ANNVM] Quo cæterarum ætatum iam exactarum conspiratio est ad ea vitæ incommoda quæ hìc nascuntur, cùm primùm senectus est, ingrauescitque corpus, non ita meabile, vt solebat, nec perspirabile in cruditate, putredine, & concretione humorum qui pessimè habent senes in pepasmo difficili. Nota est illa sententia præceptoris. Βράγχοι καὶ κορύζαι.

βράγχοι· κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται, i. *Raucedines & coryzæ, decrepitis non maturescunt.* Quod certè, vt affecto vitæ curriculo locum habet cùm ad vltima ventũ est senectutis: ita pepasmi difficilis principia sunt eius initio, & inde paulatim itur ad cruditatem extremam. Initium senectutis hîc posuit 63. vitæ annum, quod alibi retulit ad 60. sicut ætatis maturæ carceres primùm ait solutos 42. anno, quos alibi aperit 40. Scitum est illud, ἀποπληκτικοὶ δὲ μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρι ἑξήκοντα. i. *Apoplectici maximè fiunt ea ætate quæ est à quadragesimo anno ad sexagesimum.* Qui locus est de apoplexia melancholica, vbi maturam ætatem scribit absoluere cursum suum à carceribus ad calcem, exacta ætate quæ est à quadragesimo ad sexagesimum vitę annum quo tempore ipsam senectus excipit. Quemadmodum igitur pueritia morbos non excipit nec admittit suo merito, quos facit ὀργασμὸς humorum corruptio, & conspurcatio sanguinis biliosi ἐκ [illegible] in pubertate & iuuentute, ipsúmq; etiam τὸ ἐπιθυμητικὸν & τὸ θυμοειδὲς quod illis regnat ætatibus: ita constans ætas siue matura modò descripta, rerũ illarũ morbificarum dominatu atque imperio liberata: siquidem illi conuenienter viuitur, vt est ipsa priorũ ętatum, recto & inoffenso cursu, bene morata; non est obnoxia morbis illis quorum his verbis recensio est.

(aph. 39. 2. — aph. 56. 6.)

Strumæ non enascuntur.] Quia tum firmæ sunt partes ac validæ, quibus naturæ commoda comparentur, atque incommoda propulsentur, ob eámque causam non est collectio, neque corruptio; non item appulsus humoris morbifici, nec opportunitas glandularum vnde assurgant strumæ illa ætate, si regitur natura duce, & comite sapientia. Sunt autem strumæ, tubercula, vel, vt præceptor ait, phymata glandularum, quæ in eam molem assurgunt imbutæ prouentu pituitæ putris & falsæ, quęque sua feritate maligna inflammationem mouet acerbam, cum accessione tumoris, ac tensione cuiusdam pelliculæ qua inuolutæ sunt illæ strumæ, intra quam ipsæ augentur & crescunt, vt viua quædam mola, securæ omnium cataplasmatum & emplastrorum quæ vulgò adhibentur chirurgorum audacia quorum temeraria medicina est. Tantùm præsidia sunt in manu, si nulla sit inflammatio, quæ omni ratione primùm debet arceri & abigi, ne circum radicibus illæ cancriscant, more arborum quas Theophrastus narrat sparsis huc illuc radicibus, καρκινώδη. Sed de strumarum origine, quas rectè Galenus censet [illegible] i. *cacochyma redundantia fluente in cutem:* solennis est illa philosophia præceptoris quam sic Latinè expressit. *Quod verò attinet ad ætates, phymata in pus mutantur, atque hæc quidem strumosa quamplurimos occupant pueros, vnde discedunt ex facili. Sed tamen & pueris prouectioribus, & ipsis iuuenibus, vt rarius illa nascuntur, sic abeunt difficilius. Verùm in viris perfectis, huiusmodi sanè phymata non admodum oriuntur.* Ergo in matura ætate, rara est certè nulla huiusmodi phymatum generatio, eorúmque tum præsidia sunt in manu Regis Christianissimi.

(aph. 26. 3. & lib. 1. prorrh. — sph. eiusto.)

Nec in vesica lapis.] Cuius quidem generatio est, crassi & glutinosi humoris lapidosa coagmentatio in vesica, vnde sunt homines propriè λιθιῶντες, ex illo Hippocratis sacramento. Οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας. Nam sectio est lapidis in vesica, non autem in rene. Lapidis autem vesicæ propulsatio est in matura ætate: quia tum gignendi eius nulla est causa efficiens nec materialis. Est enim vis firma expultrix vesicæ, & glutinosi humoris vacuitas. Ac generatio lapidis in vesica, suo loco scripta est conuenienter ad mentem authoris.

Nisi prius extiterit.] Ἢν μὴ τύχῃ πρότερον ὑπάρχων, i. *si res ita non tulerit, vt priùs extiterit,* quod vocat præceptor συνάγμα προϋπάρχον. Quod est eiusmodi ac si diceret. Si antequam ventum sit ad vesicam, lapis non fuerit; primigenia eius coagmentatio in vesica non erit: sin autem sit προϋπάρχον, i. in rene calculus, atque is in vesicam prolapsus non exeat; dubium non est quin corticatim crescat, vnde assurgit lapis vesicæ. Ergo si iuuenis fuerit calculosus in rene, idem esse poterit in vesica, constanti ætate, quæ, suo merito, illius calculi capax non est, sicut alieni est particeps.

Neque dorsalis catarrhus.] Qui est φθίσις νωτιάς, de qua nupet diximus: quia tum homines deferuescentibus cupiditatibus valedixerunt vitæ voluptuariæ, nec sunt deinceps φιλαφροδίσιοι, i. *cultores veneris,* sed virtutis.

Neque nephritis.] Quam excitat inflammatio siue calculus: nam vtriusque propulsio est ab ætate; illius quidem, quia non est tum sanguinis πλῆθος & πάθος, nec vllum eius rheuma ὑπομένον: huius verò, quia non est causa efficiens in renis ardore, nec materialis in [illegible] crudi & crassi humoris, vnde sit coagmentatio lapidosa in rene.

Nisi ex alia ætate huc deducta fuerit.] i. Vitio iuuentutis parta in rene, ibi mansionem habeat constanti ætate.

Nec hæmorrhoides.] Quia tum causa non est hæmorrhoidũ à cacochymia vel à plethora; nec vlla occasio hæmorrhoidum ciendarum ab insania, vel à nephritide.

Nec etiam cruoris profluuium.] In promptu causa est; sanguinis mediocritas & moderatio.

Nisi res tulerit ipsum prius fuisse.] A causis quæ non quiescunt in constanti ætate, nisi deducta parte aliqua quotidianæ diætæ: vt in iis qui altero crure sunt mutili.

Denique tales morbi, ad senectutem vsque absistunt.] Quoniam tales morbi non enascuntur, sed inde absistunt, vbi non adsunt causæ illorum morbificæ; aut certè sunt inchoatæ, non autem ad vmbilicum vsque perductæ. Quarum duo genera statuuntur: vnum, quod efficiendi vim habet: alterum excipiendi; τὸ ποιητικὸν & τὸ δεκτικὸν Græci vocant. Qualia certè non sunt in constanti ætate, sicut iam diximus: sed in senectute, iam inde ab vltimo septenario constantis ætatis qui eam attingit, causarum generatio diuturna subitam adfert impressionem eorum morborum qui antè non erant dum viueretur matura ætate. Est enim ratum illud; quòd subita non est ac velut improuisa causarum generatio, sicut morborum qui ab iis nascuntur. Solenne est illud Galeni.

Οὐ γὰρ δὴ ὥσπερ ἐξαιφνίδιος ἡ φθίσις νοσημάτων ἐστὶν, οὕτω καὶ ἡ τῆς φθίσεως αἰτία. i. *Sanè, non vt morborum est repentina generatio: sic & generationis causa.*

comment. ad hist. 4. part. 3. 3. Epid.

Quæ ratio si nota esset illis magistris qui profitentur scientiam climacterici anni, quem exigit atque excurrit sexagesimus tertius; non tam ridicula essent illorum triscurria quibus vanitatem suam, impia superstitione fucatam, pro veritate ostentant. Sic enim conficerent atque concluderent, ideo fatalem videri sexagesimum tertium vitæ annum, quia tum homines morbis quamplurimis occupantur, à quibus longè aberant in ætate virili. Quod vt concedam verum esse: tamen non efficitur, vt occupati absumantur ab iis morbis cùm regnare cœperint ea senili ætate, quos modò diximus absistere à virili. Nec verò si ab iis obeant suum diem; obitus causa erit numerus sexaginta trium annorum: quia tum septies nouem anni complentur. Non enim ipsi numero, cuius nulla vis est, ferri debet accepta illa necessitas moriendi; sed morbi ἐφόδῳ, i. *insultui*: nec ea quæ cadit in senectutem; sed ipsi fato quod est ἡ μοῖρα πεπρωμένη, iussu Dei posita in vitæ commodis, quorum perennis iactura est, effluxus naturæ triplicis perennitate, & exhausto humidi primigenij, quæ corporis fabricatio intra se habet à semine vtriusque parentis. Sunt autem illa vitæ commoda, partium solidarum viuacitas, & nectar à corde viuificum, quibus operam suam dicarunt spiratio & nutricatus, per spiritum & diætam.

de anno climacterico.

Quinetiam similis est obeundi causa & ratio quinquagesimosexto & sexagesimo, quibus id fato concessum est, vt senes tum esse incipiant; illi quidem, exacta virili ætate à 36. ad 56. hi verò à 40. ad 60. Nam ætas virilis, omnium excurrit longissimè, ac tres annorum continet septenarios, quorum tertius, cùm propè abest à senectute, viam munit quodammodo morbis senilibus qui ab ætate virili absistunt ad senectutem vsque: quod idem est ac si diceret, ad 56. 60. & 63. Vt enim sunt carceres ætatis maturæ: sic & illius metæ, cùm scilicet illa viginti annos exegerit. Itaque nostri sophistæ, fundamentum hîc suæ vanitatis nullum inuenient, nec seriò ex Hippocrate triumphabunt de numero sexaginta trium annorum, quem hîc recensuit, non eò quidem vt sit fatalis & climactericus, vt isti vocant: sed vt statuatur principium senectutis, omnium serò maximè venientis, inchoata etiam serò ætate virili, 42. vitæ anno. Sed cùm tria illa senilis ætatis principia idem ius habeant climactericum necis ac vitæ, ob ea incommoda quæ tum pullulare dicuntur, quorum fuere steriles anni viriles; nulla est æquitas huc aduocare numerum septies nouem annorum, qui non est idem in annis idem potentibus, cuiusmodi sunt ij qui finiunt maturitatem & inchoant senectutem, videlicet 56. 60. & 63. vt serius aut celerius est principium senectutis, quod edit annis viginti absoluta descriptio virilis ætatis, seriùs aut celeriùs inchoatæ.

Iam verò climacterici anni vanitas, ad examẽ adducta, eò me cogit vt fatear, toto vitæ cursu, tametsi ad obitum fatales esse videntur omnes omnium ætatum anni, ob ea incommoda quorum fœtura est illis ætatibus: tamen non ideo climactericos iure dici, nec esse, quòd nondum perfecerint suas climacas quæ per septenarios cursus annorum, velut quibusdam gradibus ad 63. vsque conscendunt, exactis tum nouies septem annis. Atque hic status est climacterici anni: de quo hæc vulgò feruntur. Obseruatum in multa hominum memoria, expertúmque esse, senioribus plerisque omnibus 63. vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. Verumenimuero quis malus genius hanc illis mentem immisit, vt credant homines ex hac vita migrare, numerorum imperio, non fato & casu; ita volente Deo, aut certè illius permissu, qui solus & necis & vitæ summum ius habet, & cuius nutu res eunt diuinæ pariter atque humanæ; & quo præeunte vel ipsa decidunt folia ex arboribus, nec fluunt capilli ex capite, nec vnus quidem perit sine illius numine? Furor est profectò, furor; omnipotentis Dei prouidentiam, momentis temporum & serie numerorum atque complexu distringere, aut velle ipsam notis quibusdam ac numeris, tum syderali scientia præuidere, cuius est illa prædictio; ipsum furtiuè ad nos venturum, nec sui aduentus, vllam scientiam posse à nobis teneri.

Sed vanitatem examinemus nouies septem annorum, vel nouem climacum quarum ascensu itur ad regnum climacterici anni, cui suam nimium credulitatem superstitiosi homines addixere. Hîc certè faciam, Deo duce, vt si quid apud vos in hoc fuit studio admirationis, id planè contemptum sit atque abiectum. Principio; numeri nullum ius & imperium est in naturam corporis, cuius origo & conseruatio suprà est posita. Et verò vita hominum vt numeris non subsistit; sic etiam non sustentatur. Ac sanè subsistit in vitali principio partium solidarum quod est ἀρχὴ ζωτική, vnde ipsa viuacitas, & in viuifico nectare, cuius perennitas est à corde. Sustentatur autem à diæta & spiritu. Ergo per Dei clementiam, vitæ hominum custos est & conseruatrix natura, quæ sustentatur atque reficitur spiritu & diæta. Ac certè vita hominum fato concedit, primùm τῇ φύσει i. *natura*, τῷ ἀπορρεῖν ἀεὶ, i. *effluxus perennitate*, & consumptione humidi primigenij: mox τῇ ἀνάγκῃ, i. *necessitate*, cui suppetit spiritus & diæta, τῷ συμμιγῆναι, i. *commixtione* cibi ac spiritus, omniúmque quæ assumuntur; quæ tam conuenienter naturæ non adiunguntur, quàm illa erant quæ continenter effluunt. Hinc semper aliquid naturæ decedit, & semper aliquid excrementi accedit, vnde morborum prouentus, & infirmitatis accessio. Quæ duæ sunt causæ fatales interitus, vt visum est præceptori, cuius indiuidua comes est ratio. Nam ea quæ extrinsecus inferuntur, & vim naturæ adferunt, diæta φαύλη καὶ φλαύρα, cœli aduersæ tempestates, καὶ πάντα τὰ βίαια; quæ sanè non fato, sed casu mortifera sunt ante diem.

lib. περὶ φύσιος γυναικ.

Ergo non numeris vita conficit cursum suum; sicut in numeris fundamentum non habet: sed vt præclarè Hippocrates, ἐν τῷ θείῳ καὶ φύσει, vt testantur hæc verba aureis digna literis. Μάλιστα μὲν τὸ θεῖον ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισιν αἴτιον εἶναι, ἔπειτα αἱ φύσιες τῶν γυναικῶν. i. *Prima vis in homines exsistit, Dei, deinde naturæ muliebris.* At verò illud τὸ θεῖον numeris non absoluitur, sed verbo Dei: sicut nec ipsa natura numeris comparatur in fundo mulieris; verùm à semine vtriusq; parentis, vt suprà iam diximus. Erit igitur causa interitus, quæ

anteà

anteà fuit ortus, nempe τὸ θεῖον καὶ αὐτὸ ἡ φύσις, quam scribit Hippocrates ἀεὶ φύεσθαι μέχρι θανάτου. Loquitur autem de natiuo calore in humido primigenio, vnde principium est vitæ ac finis. Ergo fatalis intemerandi subtilitate, nec vllo numerorum complexu comprehendi potest: sicut nec μοῖρα πεπρωμένη quam Deus posuit in fundamento vitæ, i. in semine animato vtriusque parentis. Est enim pia & vera persuasio Christianorum; omnes homines eò conditos esse à Deo, vt pro se quisque authori suo tandiu inseruiant, quoad ipsi visum est, & quantùm naturæ viuacitatis concessit ad obeunda iustitiæ & pietatis officia, quorsum in illis est Dei imago cum excellentia præstantiáque animantium reliquarum.

Iam constat, opinor, quòd recto cursu inoffensæ naturæ non est vitæ obitus ante diem, nisi Deus ipse suo nomine fatum præuerterit, vt in Rege Iosia pietate insigni, quem Deus ante diem ad patres suos collegit; ne oculi eius viderent omne malum quod breui venturum erat Iudæis. Est igitur monstri simile, fata naturæ à Deo immissa, ipsúmque regem fatorum, cuius dominatu seriùs aut celeriùs illa veniunt, vanissimis numerorum calculis velle complecti. Vanissimi autem numerorum calculi nunc proferuntur in malè subducto climacterico vitæ anno.

lib. 2. paralip. cap. 35.

Hic primùm magna est vanitas in climacterico; sed maior, in numeris, climacum imperitia. Non enim si nouies septem monadibus, sexagintatria complentur & absoluuntur; ob id ætates nouem sexagesimotertio continentur. Nam triplex infantia septem finitur, totidem pueritia, vndecim adolescentia, decem iuuentus aut quindecim, constans ætas viginti. Nec verò septimus quisque annus ætati notam imprimit septenarij ratione: quia celeriùs aut seriùs nota imprimitur vt suos habet progressus natura, quam diximus ἀεὶ φύεσθαι i. de suo aliquid semper fundere, vel sensim amittere, donec ad vltima ventum sit vitæ, vbi cum morte mutatur. Ergo septem nouies nihil adferunt sexaginta tribus, vnde tum alia mutatio esse possit, quam à natura fluxa quæ ἀεὶ φύεται, & à victus necessitate.

Quòd si tum de natura multum decesserit, & excrementi multum accesserit, vnde in promptu sint causæ morbificæ, cum pari coniunctæ vitium infirmitate; sanè non est dubium quin ea ætate causa & occasio sit magnæ ad obitum mutationis. Sed cur in causa sint numeri septenarij nouies illuc assumpti, non hercle inuenio. Pugnat hoc cum verbo Dei. Pugnat etiam cum natura, fundamento vitæ illustri, adiuta spiritu & diæta. Nihil autem in veris ducendum quod verbo Dei & naturæ, quæ ipsa vis Dei est, dissentaneum esse videatur. Nam quòd obiicitur; febrium septenarios esse criticos: vt illud concedam, quis tamen ius adferet septenarij ad eam crisin quæ per naturæ ἔφοδον septimo die incidit; significata pepasmo quem exhibet quartus dies? Omnes enim febrium crises suscipiuntur naturæ & morbi ἐφόδῳ, i. *insultu*, illius quidem, à pepasmo secundæ; huic verò, cum cruditate ac feritate maligna humorum, sinistræ. Cernitur illa ἔφοδος certis quibusdam quaternariis ante vigesimum, septenariis ante quadragesimum à vigesimo, vicenariis ante centesimum à quadragesimo. Atque dierum criticorum quorundam, & aliorum διέξοδος. Quam distinctionem non agnouerunt in iis quas ponunt climacis ad climactericum. Verum illius ἐφόδου quartanæ septimanæ vicinæ causam non adferunt periodi quaternariæ, septenariæ, & vicenariæ: sed morbi & naturæ certamen quod illis periodis est in procinctu, à motu, putredine, & collectiono humoris morbifici; cùm scilicet natura freta pepasmo quem ipsa per se fecit, virtute partium solidarum, ad mitificati humoris excretionem vel abscessum aggreditur, atque ita morbo defungitur. Vt enim pepasmus siue concoctio, est opus naturæ per solidas partes diffusæ, quæ est ipsarum virtus: sic ἔφοδος omnis critica inde à natura procedit, quam scribit Hippocrates ἀνευρίσκειν τὰς ἐφόδους ἑαυτῇ. i. *inuenire insultus*, velut aggressorem quendam, quibus expellit morbos, eosdémque quantum potest, à se propulsat. Nam superstitio vana periodi septenariæ ad crisin morborum, ibi se prodit maximè, quòd febrium tertianarum crisis est 13. continuarum verò & acutarum, 14. Tum etiam quòd parium dierum paroxysmi non cadunt in criticas periodos septenarias, nisi malè. Scitum est. τὰ παροξυνόμενα ἐν ἀρτίῃσι, κρίνεται ἐν ἀρτίῃσι. i. *Quæ paribus exacerbantur, paribus iudicantur.* Sed huic disputationi colophonem imponet diuina illa vox præceptoris. Νούσων φύσιες ἰητροί, ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους, οὐκ ἐκ διανοίης. i. *Morborum naturæ medicæ: vias enim sine consilio natura inuenit.* Et paulò pòst. Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιεῖ. i. *Natura non docta, quod non didicit: tamen id rectum facit.*

6. Epid. part. 5.

Superest vanitatem risu potiùs quàm oratione graui explodamus eorum qui suam superstitionem natam ex faucibus Orci, non ex verbo Dei cuius est vna veritas, nec ex naturæ perspicientia quæ nunquam aberrare nos sinit; ita fundare & confirmare nituntur. Adferunt enim gratulationem Augusti, quod inoffenso cursu annum 63. exegisset. Hoc dignum est superstitioso Augusto; idque in regno superstitionis quod erat tum Romæ. Non enim Augustus imperio illustrissimus, tam erat naturæ ac Dei cognitione illustris, quàm optimus nuper Imperator Maximilianus II. à quo princeps Aulæ, quem vocant Magnum magistrum, cùm ei per literas gratulatus esset de anno climacterico secundis tabus exacto, responsum tulit; omnes vitæ annos sibi esse climactericos, ac sui conseruationem referre ad vnicam Dei prouidentiam, quam celebrare solebat illo solenni dicto Abrahami ad filium Isaacum; Dominus prouidebit.

TRACTATVS TERTIVS.

De morbis mulierum.

ΕΝ ΓΥΝΑΙΚΕΙΟΙΣΙ τὰ πρὸ τῶν τόκων ὑδάτια ὑδατώδεα κακόν.

10

1 *In mulieribus, quæ ante partus vterinæ aquæ fluxerunt; grauidas malè habent.*

HIC LOCO & iure scribendum περὶ τῶν γυναικείων, *i. de morbis mulierum*, postquam de iis dictum est, qui sunt communes vtriusque sexus. Sunt autem muliebria aluina, omniáque continentur in aluo tam naturalia, quàm quæ ipsis adueniunt. Sic enim iudicium est præceptoris, τὸ ἱερὸν ὀστοῦν ossis sacri vsque ad lumbos, comparatum esse vt excipiat commodè τὰ γυναικεῖα, *i. mulierum naturalia*. Tum grauidas fœtu mulieres idem scribit ἔχειν ἐν γαστρὶ, *i. gestare in aluo*, aut etiam *ferre aluum*. Sed inter ea quæ sunt aloina, siue illa sint naturaliter constituta, siue multùm è suo egressa catorthomate; τὰ γυναικεῖα, *i. muliebria*, principatum obtinent dignitatis. Est enim fœminarum vterus, omnium quæ in aluo continentur nobilissimus: vt non sine causa ipsum diuinus Plato ζῶον ἐπιθυμητικὸν oominasse videatur. Tum vteri concupiscentia maius bonum affectat quàm hepatis. Ipsum verò ἔργον, *i. opus* vteri admirabile est quantum hepatis ἔργον dignitate præcedat. Est enim τὸ ἔργον hepatis, tantùm αἱμάτωσις, nutriendo: vteri autem τὸ ἔργον est γένεσις καὶ τελείωσις, *i. generatio atque perfectio animalis*. Nam ipsa virtute vteri semen animatum promouetur atque perficitur ab eo quod erat ad id quod actu esse debebat. Atqui nobilior est promotio atque perfectio seminis ad animal, quàm panis ad sanguinem. Quid verò nonne huc spectat diuina illa vox præceptoris. Περὶ δὲ γυναικείων φύσιος καὶ νοσημάτων τάδε λέγω· μάλιστα μὲν τὸ θεῖον ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισιν αἴτιον εἶναι, ἔπειτα αἱ φύσιες τῶν γυναικῶν *i. Numen in homines magnam vim habet: inde naturæ mulierum.*

Ergo τὰ γυναικεῖα, *i. muliebria*, communi voce dicuntur, τὰ τῶν γυναικῶν ἴδια παθήματα, ἢ καὶ ἐθίσιες, *i. mulierum affectiones propriæ*, quæ tantùm in eas merito sexus incidunt, non autem in viros. Tametsi enim communia sunt æquè mala virorum atque mulierum quæ vitio accidunt œconomiæ cuiusque, hoc est, nutritiæ, vitalis, & animalis: tamen in fœminis alia est naturalium & genitalium ratio atque conditio quàm in viris; proptereàque similiter non sunt affecta, vt illis. Itaque muliebria illa, vel, si mauis, τὰ γυναικεῖα, tantùm ad fœminas pertinent, purgatio menstrua, conceptio, grauiditas, partus, puerperia, siue τὰ λόχια & quæ sunt eiusmodi. Atque illa sunt κατὰ φύσιν, *i. natura merito naturaliter constituta*, cùm bene res eunt qualitate, copia, tempore; tum etiam excipiendi, continendi, & vacuandi modo. Sed tamen κυρίως καὶ κατ' ἐξοχὴν dici reperio τὰ γυναικεῖα pro iis quibus fœminæ ipsæ purgantur per naturalia, & καθάρσεις nominantur: siue illa sunt menstrua; siue puerperia. Testis est illa sententia præceptoris. Γυναικείων ἐχομένων ὁ ἐν αἵματι πυρετός: vbi Galenus hæc posuit quæ annotaui.

40

Et verò γυναικωθῆναι verbum planè huc spectare videtur, vbi narrat præceptor extitisse illis temporibus quandam mulierem nomine Phaëtusam, quæ cùm restibilis olim fuisset fœcunditatis, ac menstrua illi quàm optimè respondissent: præ summo mœrore quem ex mariti concepit exilio, ante diem desiit esse menstrualis. Et cùm benè illi ciendis menstruis medicatum fuisset; nunquàm potuisse tamen γυναικωθῆναι, *i. mulierescere*, vel ad muliebrem naturã redire quæ est in menstrua purgatione. Quinetiã ipsum profluuium quod prorumpit per naturalia, vocatur à præceptore ῥοῦς γυναικεῖος, vt in illo. Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν. *i. Muliebris fluxus conuulsio aut deliquium si superueniat, malũ.* Sed huius propositi veritas planè lucet in hac prognosi quæ est de incommodis proruptarum aquarũ ex vtero ante partũ, quas inter γυναικεῖα recenset, vt æquum est, sicut & cætera λόχια *i. puerperia.* Omnia autẽ quæ vterina sunt, tã commoda, quàm incõmoda, quæ cernuntur in excremẽtis hystericis, in actionibus κατὰ λόγον ἢ παρὰ λόγον, *i. natura merito vel immerito*, tum in qualitate ipsius matricis, i. in complexione, temperamento, habitu, colore, charactere, & mole; omnia, inquam, nomine τῶν γυναικείων cõtinentur apud Hippocratem in libris illis auteo dignis calamo & scriptura, περὶ τῶν γυναικείων, *i. de rebus & morbis mulierum propriis.* Ac libro quidem priore traditur primùm egressio purgationis menstruæ à suo catorthomate, i à norma & præscriptione naturæ, in suppressione ipsius ad septimum vsque mensem, cùm ex toto perit non reditura hæc muliebritas. Atque illius absolutæ suppressionis causæ & symptomata explicantur; tum ratio ipsa curandi præscribitur. Idem fit cùm solerti examine in paucitate purgationis, in periodis quoque non statis; in eiusdem nimia abundantia, periodis quoque non statis, & in puritate ipsius. Tum ponitur ipsa naturæ præscriptio in qualitate sanguinis, quantitate vtraque, periodo, & vacuandi modo. Sed admirabilis est norma, præscriptio, egressio, redintegratio conceptionis, grauiditatis, partus & puerperiorum, cùm scilicet pro fœcunditate regnat sterilitas, pro fœtu concepto, mola; pro facili grauiditate, summa difficultas gerendi & nutriendi fœtum, pro partu, abortio vel δυστοκία; pro exitu lochiorum, suppressio aut præceps exclusio. Tum vitia quæ sunt in vtero & ex vtero, ab illis incommodis, & causis eorũ quorũ fœtura cernitur in omni genere τῶν ὑστερικῶν παθημάτων; eorum videlicet quæ tum in vtero fixa sunt, tum inde prorepunt ad partes nutritias, vitales, & animales

lib. 3. περὶ ἀφορ. — li. 5. aph. — li. de nat. muliebri. — aph. 28. 5. — 6. Epid. part. 8. — aph. 56. 5. — Partitio lib. 2. de mulierũ morbis.

20 30 50 60

les earúmque officia labefactant. In summa; purgationum, qualitatum, substantiarum, & actionum hystericarum è suo naturæ statu & norma egressarum causæ, symptomata, & ἀναπλήρωσις, i. redintegratio, priore libro de morbis mulierum continentur. Nam libro secundo nulla est proscriptio rerum hystericarum bene actarum; nec vlla simplex ab ea norma egressio: sed summa sunt omnia vitiorum toto genere contra naturam, quæ partim ex vtero vel in eo, partim etiam per ipsum apparent & fiunt. Huiusmodi sunt fœda profluuia diuersorum generum, peruersiones hystericæ, vlcera, scirrhi, carcinomata, erysipelata, prolapsus, mola, &c. Quæ cùm ita sint, aquarum muliebrium in vtero stabulantium, donec ponatur fœtus; examen hic nobis proponitur, vt quale sit earum περίθωμα: tum autem quænam ab ipsa norma sit earumdem egressio, & quorsum appareat, puerperarum studio intelligamus.

10 In mvliebribvs.] Græcè est ἐν γυναικείοισι, i. inter ea quæ naturæ merito sunt muliebria: cuiusmodi sunt menstrua, puerperia, quorum in genere sunt aquæ illæ puerperiales, iamiam futuri partus prænunciæ. Talia enim verè γυναικεῖα dicuntur vt certè sunt. Nam illa veniant κατὰ λόγον, i. merito naturę muliebris, ἢ κατὰ φύσιν, i. lege naturæ à qua gignuntur & cui dicatæ sunt procreandi & pariendi causa. Tum ipsa muliebritas potissimùm in illis apparet, sicut in conceptione, grauiditate, & partu. Quæ sunt actiones & opera verè muliebria; proptereáque nomen ipsum merentur τῶν γυναικείων, similiter vt purgationes menstruæ & puerperales. Nam vitia quæ tum in vtero, tum ab eo contingunt, ... muliebria & τὰ γυναικεῖα dicuntur; si tantùm exceperis molam & suffocationem hystericam. Cætera autem vitia, quæ vel intrà sunt ... τῆς ὑστέρης, vel extrinsecus enascuntur; ob id muliebria dici possunt, quòd illis in partibus fixa sint aut per eas ferantur quæ muliebritatem ipsam constituunt: non tamen

20 iure ipsius, vt vera muliebria, sed ex euentu.

Vterinæ aqvæ.] Τὰ ὑδατώδεα, non quidem hydropici vteri, cuiusmodi sunt illæ quæ incuntem sanant ascitem per diarrhœam aquosam cruditatis expertem: sed quæ funduntur à fœtu in allantoiden, & vnà cum fœtu crescente amplificantur donec effundantur cùm in propinquo est partus, cuitum viam muniunt ad facilem exitum, quandò is pari contentione suscipitur vteri atq; fœtus. Sunt autem aquæ collectæ à sero humorum quos habet sanguis maternus qui per vmbilicum purus ad fœtum transmittitur, nutriendi & accrescendi causa: suúmque excrementum per aquæ ductus tenuem in fœtus vesicam deponit, indéque factam τὸ οὖρον non quidē meiendo per colem, sed refundendo per οὐραχὸν, transponit in allantoiden, vbi seruatur donec parturiat grauida fœtu mulier. Hìc certè attentio medici esse debet, cùm audit è puro sanguine quo fœtus vtitur, perennitatē esse τὸ οὔρημα, tenui ductu ad ipsam vesicam. Posita enim materni sanguinis puritas, serum naturale nō... tollit: quo si careret, in vitio esset,

30 vt esse solet αἷμα τὸ ὄρρωδες, cæteriq; humores qui sunt eiusmodi quando sunt ἄμικτοι ὕδατι ὁκόσοι ὑγρότητος, vt refert Galenus. Ac super ἀκρίτῳ sanguine, vetus est illud Hippocratis de Philisco. Πιέζειν δὲ ... ὀλίγας ... ἀπὸ ῥινῶν ... ἕκτης ... i. *Quanto die paucus stillauit ei sanguis è naribus atque ... sextum agens diem emoriit.* Ergo non est natū in fœtu esse τὸ οὖρον; nullam verò τὴν ὑποχώρησιν, quia ne micam quidem alimenti capescit ex aluo, vnde est ipsa deiectio, & fæce aluus transmittitur, etiā ex mulctra lactis nutricij, simulatque fœtus venit in lucem, ac spiritum ducit. Nam quòd purissimi sanguinis portionem attrahat sibi fœtus dum manet in vtero: vnde supersunt reliquiæ ad futuram purgationem à partu, quæ est λοχεία κάθαρσις; planum illud faciet quòd vnum præter cætera multa, ex Galeno adduximus; cuius hæc sunt verba. Ἡ γὰρ λοχεία κάθαρσις ἐστὶ μὲν ... κένωμα, κάθαρσις τῶν ἀλλοτρίων ...

40 ... *i. Est enim lochia purgatio: sed tamen, vt ipsum nomen declarat rerum alienarum purgatio, quæ per tempus grauiditatis collecta sunt. apposito quidem fœtus sanguine puro, & valdè qui erat in venis; superflue autem mulis qui solebat menstruus per vterum expurgari.* Sed tamen hoc interest inter purgamenta eorum quæ stabulantur in muliebribus locis dum fœmina gerit vterum; quòd aquæ sunt partus prænunciæ, sanguis autem ipsum sequatur, secundis exclusis.

Ante partvm flvxere.] Non quidem cùm partus est in procinctu, ex pari contentione vteri atque fœtus, vnde partus ipse, puerperæ votis respondet: sed multò antequam grauida enitatur, diebus aliquot ante partum, sine vllo enixu: quo tempore, ruptis à fœtu membranis, iniussæ prorumpunt, neque à grauida sisti possunt: secus ac vesicæ vrina, ope sphincteris & ianitoris musculi qui volun-

50 tatis imperio morem gerit. Ergo naturaliter fluunt vrinæ aquæ πρὸς ὠδῖνας, i. ab enixu coactæ, vt scilicet illæ sunt parturientium: sicut purgamenta cætera puerperarum. Quòd autem nullo enixu prorumpant, in causa hæc sunt: reuera earum nimia abundantia quam allantoides capere & continere nequit, quin distenta nimiùm disrumpatur. Est autem nimia abundantia, tum ab iis quæ intrà sunt inutilia, tum ab iis quæ extrinsecus enascuntur. Intrà sunt inutilia, sanguis serosior, tum serior fœtus conformatio, serior quoque motus à semine imbecillo; proptereáque decimestris aut etiam serior parturitio. Extrinsecus, amplificatio est aquarum, quam edit edacitas, bibacitas, fructuum vsus, tum anni tempestas austrina quam pluuiæ occupauerint. Quæ omnia certè inferunt copiosam οὖρον, quæ à vesica fœtus, transmissa in allantoideo, nimirùm ipsam replet, distendit atque disrumpit, antequam fœmina enitatur.

Grave malvm.] Quia tum peccatur grauida in commoda fœtus & fœtæ. Ac fœtus quidem,

60 mutatione situs: quia suspenditur proruptis iam aquis, & allantoide prorsus collapsa, qua olim repleta sustinebatur, nec erat tam grauis iis vinculis per quæ vtero coalescit. Nunc ea suspensio permolesta matrici & matri, fœtum grauitate abruptum è vinculis, ad exitum planè præcipitat; quem habet ideo difficilem, quòd eo viam non sua virtute ac sponte affectet; sed impotentia continendi. qualem præceptor agnouit in grauidis, succi plenis, qui trimestres fœtus abortiunt, cum scilicet moueri incipiunt, præ laxitate cotyledonum, mucoribus obsitorum. Vt enim suspensio fractarum costarum ex aluo ieiu-

c.19.l.1.

aph.6.& 25.7. hist. 1.1. Epid.

lib.14. de vsu partium.

aph.45.5. lib.3. ...

na, facit dolorem: sic fœtus suspensio ex allantoide vacua, vtoculorum vteri ruptionem, vnde mise llu ad exitum, nec rarò ad exitium præcipitatur. Sed fœtæ incommoda sunt in enitendi acerbissima contentione, & pariendi summa difficultate, quam parit peruersa fœtus collocatio qui non in caput procedit: tum ipsa locorum siccitas, & meatus, quà exit, angustia & contumacia.

2 Στόματα ἀφθώδεα τῇσιν ἐπιφόροισιν, οὐ χρηστόν. ἆρα καὶ κοιλίαι καθυγραίνονται;

Ora aphthosa grauidis, nil præ se ferunt boni. Etiámne alui feruntur liquidis excrementis?

PONVNTVR.] incommoda quæ circumueniunt fœminas ἐπιφόροι, i. *fœcunditate*, vt ita dicam *restibiles atque grauidas*; idque vel circa initia grauiditatis, vel ea affecta, quando propinquant partui quò peruenire non possunt. Hæc enim est ratio τῶν ἐπιφόρων, vt nomen ipsum ostendit. Eorum incommodorum finis est ἡ ἀτοκία, *partus vacatio*, non illa quidem soboles ἡ ἀφορία ἡ στειρώσις, *i. sterilitatis*: sed ea quæ accidit occasione prærepta τοῦ τόκου i. *perfecto partus* qui velut tempestiua maturitate ponitur suo tempore ac definito. Occasionem τοῦ τόκου præripuit, fœtus ante diem exclusio, quæ est ἡ ἀποφθορά siue ὁ ἐκτρωσμός, i. *abortio*. Abortionis causæ omnes, tam intrà natæ, extrinsecus incidentes, reuocantur ad duplicem impotentiam, vnam gerendi fœtum, alteram nutriendi. Ex quibus efficitur, ibi demum in promptu esse abortionem; cùm impotentia nutriendi ex æquo certat cum ea quæ est gerendi. Impotentiam infert vtramque, symptoma positum in hac prognosi. Est autem huiusmodi.

ORA APHTHOSA.] i. Aphthis obsita: non qualia esse solent ora infantium nuper natorum, ex acriore lacte nutricis; non enim malignæ sunt illæ aphthæ: sed qualia edit sæui catarrhi ferinas prolabentis in fauces, & inde prorepentis partim ad aluum, partim ad ipsos pulmones. Hinc venit tussis ferina tabifica: illinc perturbatio alui aphthosæ. Ac sanè illius catarrhi ferini generatio est, aut ab iis quæ intra sunt inutilia, aut ab iis quæ extrinsecus enascuntur. Intrà sunt inutilia catarrhifera, viscerũ calida intéperies, & vitiosa complexio. feri perennis ad caput infirmum excursus, vbi subsistit cum accessione τῆς κακοηθείας. Inde symptoma est catarrhoicum, perpetua scilicet distillatio: quæ huc illuc trãsmissa, morbos infert, partium obsessarum, & humoris morbifici proprios. Atque illa ratio, primas obtinet in generatione morborum ab iis quæ intrà sunt inutilia. Sic enim hausimus ex Hippocrate & Galeno, quòd illæ demum naturæ sunt valetudinariæ, in quibus est principatuum atque propaginum, & humorum vitiosa temperatio atque complexio. Extrinsecus enascuntur catarrhi, diætæ vitio, & spiritus inclementia. Nam tempestatis aquiloniæ pituita est acida: sicut austrinæ ac pluuiæ salsa & putris, quæ ora fecit aphthosa, de quibus hæc scripta sunt à præceptore in pestilentia. Στόματα ἀφθώδεα, &c. Vbi Galenus ait; quòd ea pathemata gigni solent ἄνευ κακοηθείας, similiter vt erysipelata quæ non sunt pestifera. Sed tamen in regno pestilentiæ, κακοήθως exoriuntur, διὰ σηπεδονώδεα εἶναι ὁ πλεονάζων χυμός, i. *quia putridus erat qui redundabat humor*. Causa autem putredinis posita fuit in tempestate anni totius austrina, ventorum flatu placida, quam pluuiæ occuparunt. Sed tamen ab ea tempestate austrina, putris humor gignitur qui ora facit aphthosa, non tamen pestifera: quia non semper habent τὸ θηριῶδες καὶ λοιμῶδες, καὶ κτήνος σηπεδονῶδες, in quo est regnum pestilentiæ. Ergo sic ora aphthosa.

prorrh. 21.f.3.2. GRAVIDIS] Græcè est, ἐπιφόροισιν, quæ opponuntur ἀφόροις, i. *sterilibus* per impotentiam excipiendi & concipiendi semen virile. Sunt autem ἐπίφοροι, quæ vel proximè absunt à partu grauidæ; vel quæ, vt agri restibiles, sunt fructuosæ, vel etiam quibus est crebra vicissitudo concipiendi & abortiendi, vt quibus mucore sunt obsiti cotyledones, alioqui solidæ ac succi plenæ. Nam illæ, trimestres fœtus abortiuot, nouos subinde concepturæ. Ergo si grauidis in omni grauiditate, quoties fœtus gerunt, sint ora aphthosa: erunt illæ quidem ἐπίφοροι: sed vix euadent puerperæ, vt mox dicetur.

NIHIL HABENT VTILITATIS.] Græcè, οὐ χρηστόν, i. *non vtile*: quod est eiusmodi ac si diceret; nullam edunt speciem boni futuri: sed contrà ostendunt causam abortionis futuræ, vel vnde a discitur consuetudo periculo abortiendi. Sed abortiendi causa noua est consuetũ periculũ declaratur his verbis.

ETIAMNE IIS ALVI FERVNTVR LIQVIDIS EXCREMENTIS?] Sanè quidem, si verè scriptum est infrà. *Ora aphthosa, grauidis perliquidas reddunt aluos.* Vbi enuntiatur id ἁπλῶς, quod hîc dubitanter in quæstionem vocatur. Sed illud καθυγραίνειν & καθυγραίνεσθαι, idem est quod πονηρεύειν & πονηρεύεσθαι i. *inferre vitium & esse in vitio*, vt supra ostendimus collatione prorrhetici & aphorismi de alui profluuio quod ex liberaliore qualibet hæmorrhagia, morbo acuto defunctis superuenit cùm refici cœperint.

aph.27. 4. prorr. 41.f.31. Nam aphorismi τὸ καθυγραίνεσθαι legitur in prorrhetico, πονηρεύεσθαι, i. *cum aluus maleficentia nata ex eius vitio*. Sed illa πονηρία, siue maleficentia, vitium habet impotentiam coquendi & continendi ea quæ assumuntur. Ex impotentia coquendi, est cruditas: sicut ex impotentia continendi, præceps egestio. Vtramque adferunt impotentiam, catarrhi prolapsus in aluum, & ipsa quoque aluus aphthosa. Quæ res adduxit Hippocratem, vt postquam scripsisset, ora quibusdam fuisse aphthosa, subiecerit; κοιλίαι ταραχώδεες, i. *alui turbatæ*: quòd scilicet illæ cum morsu ferrentur liberaliter liquidis excrementis. Quem locum enarrans Galenus hæc scripsit.

3. Epid. part.3. *Prolabentis in fauces è capite, praui humoris, id quod in pulmones delabitur, tabificas infert affectiones; quod verò in aluum defertur, postquam in fundum subierit, perturbationem mouet cum morsu*

morsu prægrandem: quod sanè ostendit illud ipsum, alui turbatæ. *Nam idem humor transitu, appetendi vim labefactat, vnde ipsa venit ἀποσιτία, i. cibi fastidium.* Protepit autem catarrhus per continuitatem interioris tunicæ quæ communis est ipsi aluo cum faucibus. Sed aluus aphthosa, impotentiam habet continendi ea quæ assumuntur: proritationem verò transmittendi ea quæ prolabuntur ferina è capite. Iam verò profusioris alui in grauidis, præcipuum symptoma est abortio, quam edit impotentia gerendi & nutriendi fœtum. Impotentiam infert vtramque laxitas vinculorum grauiditatis, ac defraudatio nutricatus. Quicquid autem gerendi & nutriendi opportunitatem adimit, abortionem facit. Ex quibus efficitur; oragruidarum aphthosa, nihil habere securitatis, ne dum vtilitatis: sicut author posuit πονηρότερον in hac prognosi.

aph. 34. 5.

lib. 2. περὶ γυναικείων.

3 Ἐκ κενεώνων μεθιστάμενα ἀλγήματα, ἐς τὸ λεπτὸν, ἐν μακροῖσιν, ἐκ διαφθορῆς, ἢ μὴ λίην καθαρθείσης, ὀλέθρια.

Dolorifica mala, cùm relictis ilibus, ad tenue transeunt, in longis morbis, ex aborsu non ita multùm pugato; mortifera.

ABORTIONIS] Causam posuit superiore prognosi, quam edunt laxitas vinculorum grauiditatus, & defraudatio nutricatus, cum tetri vaporis molestia, ex alui profluuio, & eorum quæ assumuntur præcipiti egestione, ob impotentiã continendi, à ferini catarrhi prolapsu qui & aluum facit aphthosam, & inde prorumpit ad intestina. Nunc transit ad ea incommoda quæ infert abortio, de puerperiis non ita multùm purgatis: vt rarò bene purgantur cùm ea calamitas incidit abortiendi. Nihil enim votis respondet parentum & medicorum in abortiuo fœtu, non partus, non partio, non expurgatio: quemadmodum in partu perfecto qui magisterio fortis naturæ suscipitur atque absoluitur in omnibus puerperiis, quorum prima sunt vterinæ aquæ, mox puer, dein secundæ, tum purgamenta ipsa reliquiarum sanguinis, qui olim menstruus, nunc stabulatur in locis grauidæ muliebribus, donec fœtus exierit. Ergo in aborsu, quem edit par impotentia gerendi, & nutriendi, summa sunt omnia infirmitatis, ex defraudato pariter æqualiter genio, tam matris, quàm fœtus; tum ex vi locis illata, quibus ipse puer & puerperia continentur & connectuntur. Ac imbecillitate malè res eunt, & perperam, vt sæpe accidat τὸ ὕστερον πρότερον ante partum, sanguinis purgandi à partu. Sed purgamenta ipsa, liberaliter non eunt ex abortiuo fœtu, quorum incommoda hìc ponuntur his verbis.

DOLORIFICA MALA] Græcè ἀλγήματα: quo nomine non ipse dolor tantùm; sed eius causa & ratio indicatur, vt suprà ostendimus: proptereáque consultò vertimus *dolorifica mala*, quæ proferentur mox.

CVM RELICTIS ILIBVS] Ἐκ κενεώνων. i. ex ea amplitudine ossibus ilium circumscripta, vbi sunt loci muliebres quos primùm amplificatio reliquiarum non bene purgatarum, diuriùs malè habuit, iuxta illud. *In vtero morbi nascuntur.* Sunt autem; lumborum grauitas, dolor hypogastrij, suffocatio quædam hysteria, rigor, febris erratica, tum verò incommoda partium circumiacentium à tensione vteri quam edit inflatio vel inflammatio, cum sympathia per [illegible]. Itaque cùm dolorifica illa mala relictis ilibus.

aph. 57. 5.

AD TENVE TRANSEVNT] Græcè est, μεθιστάμενα ἐς τὸ λεπτὸν. i. *quæ habent translationem*; non quidem propagata per ἐπίδοσιν è loco vbi sedem primùm habebant, nempe in vtero & naturalibus locis (nam propagatio est fixi morbi, nec sede mutati: sed κατὰ μετάστασιν è loco priore ac domicilio in alium locum transmissa. Est enim ἡ μετάστασις, ὅταν, τοῦ προτέρου παυομένου, ἕτερον γένηται, i. *cùm à quiete prioris morbi alter enascitur.* Atqui μετάστασις, differentia est τῆς μεταπτώσεως. Ergo dolorifica mala, relictis ilibus, vbi sunt loci muliebres, transmittuntur & migrant orgasmo quem ciet reliquiarum calor, tenuitas, & amplificatio: vnde fieri solet excursus per quandam palindromen ad sanguinis promptuaria, vnde primùm ille migrauit ad locos muliebres. Nam μεταστάσεων & [illegible] crebra est vicissitudo. Et omnia quæ aliò certis è locis commigrant, cò sæpe remigrant, vnde abierint. Sic abscessus crurales peripneumoniæ, nisi fistulentur, palindromen sæpe inflectunt ad ipsos pulmones.

AD TENVE] Græcum illud, τὸ λεπτὸν, absolutè vsurpatum hìc video: sicut & alibi, vt in illo. Τὰ περὶ ὀσφὺν καὶ τὰ λεπτὰ χρόνια ἀλγήματα, καὶ ἐς ὑποχόνδριον χωρέοντα, ἀποσιτίῃ, ἅμα πυρετῷ, τούτοισιν ἐς κεφαλὴν ἄλγημα ἰσχυρὸν ἐλθὸν κτείνει ὀξέως, σπασμώδεα τρόπῳ, i. *Diuturni circa lumbos & ilia, tum qui ad hypochondria prorepunt dolores, ipsáque vellicant velut vncis, cum febre & cibi fastidio, si inde transierint, fortis dolor ad caput, crudeliter conuulsifico modo necat.* Enimuero dici reperio intestinum tenue: sed non eiusmodi absolutè, similiter atque illud quod in maxilla est tenue, i. bucca. Sunt enim tria ἔντερα λεπτὰ i. *intestina tenuia*, de quibus non ita pridem fuit examinata prognosis. Sed illud τὸ λεπτὸν hìc positum absolutè, cur cò tantùm pertineat, non hercle inuenio. Est quidem τὸ λεπτὸν σῶμα, i. *minutulum corpus* eorum infantium & adultorum qui nascuntur vere à tempestate hyberna tepida & austrina, quam verna excepit sicca & aquilonia. Sed nihil apposité ad hunc locum. Forsan autem fuerit analogia τοῦ λεπτοῦ τῆς γνάθου, i. *eius quod in maxilla est tenue*, nempe bucca, ad id quod in carina corporis apparet esse τὸ λεπτὸν, i. *tenue*, cuiusmodi est regio hypochondriorũ; & per metonymiã, viscerum partiúmque nutritiarum quæ intrà sunt. Nullis enim firmata sunt ossibus hypochondria, diaphragmate intercepta, quibus ipsum quoque annectitur. Atque hæc be-

lib. 2. progn. Coac. 13. c. 11. li. 2. & prorr. s. c. 3. 1.

aph. 11. 3.

Coac. 3. cap. 2. tract. 2. libr. 3.

ne constituta, nominantur λαπαρά, cùm neque distenta sunt, neque à diaphragmate inflammato sursum intrò retracta, de quibus est illa prognosis. *Quibus acuta vox est, quæ fuerat antè grauis; hypochondria sursum intrò reuulsa sunt.* Inde infertur phrenitis à phlegmone diaphragmatis, vnde hypochondria sursum intrò reuulsa sunt. Atque hęc significatio τοῦ λαπαροῦ, expressa est in eo prorrhetico quod iam adduximus, Est autem sic. Τὰ ὀσφὺν ὀδυνώδεα καὶ τὸ λαπαρὸν χρόνια ἀλγήματα, &c. Vbi nulla est æquitas, τὸ λαπαρὸν, referre ad intestinum, quod non antè affligitur, quàm hypochondrium cœperit esse χολώδες, i. hepar, ex quo exudat fęrus humor ad tenue intestinum, qui prorepit ad aluum, & inde ad stomachum sensus acerrimi; atque in aluo quidem excitat τὰς ἀποσιτίας, i. cibi fastidium, in stomacho autem, καρδιωγμοὺς ἢ καρδιαλγίας: quæ duo symptomata sunt ferè consectaria dolorum lumbarium, quando relictis lumbis, transeunt ad hypochondria. Sic enim sancita lex est à præceptore. Τὰ ἐκ ὀσφύος ἀλγήματα καρδιαλγικὰ καὶ αἱμοῤῥοϊκὰ, &c.

Coac. 55. 1. l. & prorrh. 10. f. 2. 1.

IN LONGIS MORBIS] Ἐν μακρῇσιν i. *in diuturnis* absolutè, pro morbis qui sunt eiusmodi: sicut ἐν ὀξέσιν, absolutè, pro morbis acutis, sine substantiuo νοσήμασι. Sunt autem ob eam causam vetusta, quòd eorum vetustas consistit in vitio partium lumbis adiacentium, quarum plethora & cacochymia maligna, propria vacuatione discessionem non habet, vt in hæmorrhoicis per hæmorrhoidas; in mulieribus autem vacuis aut puerperis, per menstrua aut puerperia. Nam scripsi κοιλίας in hac prognosi, quamuis ostendant τὸ λαπαρὸν corporis vbi est ipsa vacuitas, vulgò dicta vacuum ipsum corporis: tamen, si rectè iudico, muliebrium est locorum; vbi, similiter vt in lumbis, sunt χρόνια ἀλγήματα; non autem in tenui intestino.

Coac. 2. c. 12. li. 2. 10

EX ABORSV] Cuius occasio & causa, est tempestas hyberna tepida, pluuia, & austrina, quam hinc citimi veris excepit frigida sicca & aquilonia. Sic enim repletum caput pituita putri & salsa per hyemem, ipsam vere frigido & aquilonio, vt spongia quædam madefacta, manu compressa, exprimit in eas partes quæ nutriendo fœtui continendóque dicatæ sunt. Hinc duæ illæ iam positæ abortionis causæ, videlicet impotentia continendi & nutriendi fœtum. Nam cæteræ omnes causæ, tam intrà natæ, quàm extrinsecus incidentes, quarum recensio est apud Hippocratem; eò conspirant, vt commeatus vacuitate, & vinculorum grauiditatis laxitate, fœtum ante diem excludant; similiter vt ea quam cæterarum instar adduximus. Nam quod obiicitur, fœtum sibi viam moliri calcitrando, si febrem conceperit, si fœta liberaliter se ingurgitarit cibo & potu, vel si quid acre biberit, vnde fœtus ipse turbetur; tum si vel ita fluctuauerit, vel mœrori se dederit; vt illa concedam non esse vacuitatis, nec antegressæ laxitatis ligamentorum grauiditatis; sed fœtus quem sui tædet loci, quia sibi est malè: tamen eò spectant quæ dixi omnia, nempe ad impotentiam continendi, quæ nihil interest, præcesseritne, an verò secuta sit tædium ipsum fœtus. 20 30

NON ITA MVLTVM PVRGATO] Vnde purgamentorum superest abundantia, quòd ea cohibeantur in vasis & muliebribus locis, nec liberum liberalémque exitum habent: tum propter fatiscentia naturæ infirmitatem, materiæ contumaciam, vasorum angustiam; tum propter vterini oris, ex violento abortu, conniuentiam, aut ceruicis peruersionem. Atque illa dum manent in locis, neque in empyema mutantur (vt sæpe mutantur cohibita menstrua; hæc autem vix ac ne vix quidem, quòd ea sint mortui sanguinis omni pepasmo carentis) ibi diutiùs & longis morbis malè habent purpuras. Sed cùm, relictis locis & lumbis, ad tenue sursum transierint; vti iam demonstrauimus.

MORTIFARA SVNT] Feritate humoris indomiti, partiúmque vitalium officiis interceptis: Idque cùm alias, tum si oborta febre, μετάστασιν nouam ad caput habuerint, vbi crudeliter conuulsifico modo necant. 40

prorrh. 8. f. 3. 1. & Coac. 4. c. 12. li. 2.

4 Τὰ ἐκ τόκου καὶ διαφθορῆς πολλὰ ὀξέως ὁρμήσαντα, ἐπισχεθέντα δύσκολα· ῥῖγος ταύτῃσι πολέμιον, καὶ κοιλίης ταραχή. ἄλλως τε καὶ ὑποχονδρίοις ὀδυνώδεες.

Quæ tum è partu, tum ex aborsu aliquantisper cumulatè prorupta sunt, & suppressa immeritò difficilia. His rigor hostilis, & alui turbatio: idque cùm aliàs, tum si laborent ex hypochondrio. 50

ECCE NOVA ratio incommodorum quæ purgamenta inferunt puerperia, cùm ante diem sistuntur, quamuis dies aliquot prorupta fuerint liberaliter. Sic enim comparatum est, vt pari dierum numero, continenter ferantur à partu puerperia purgamenta; quo periodicè menstrua semel tantùm à fœtu concepto. Non enim profusio copiosa, primis orta diebus, repentè suppressa, in vicem subit, quātitaris analogia, purgationi debitæ, quamuis minori, ad puerperij tempus actum. Est enim consentaneum vt si fœta mulięr fuerit menstrualis 35 die à fœtu concepto, atque id semel tantùm, integris rebus pueri, eadem fœtum enixa, pari dierum numero sit puerperialis, i. inoffenso cursu exigat 35. dies in puerperiis purgamentis, quæ sunt reliquiæ menstruorum in venis maioribus & circa locos muliebres stabulantium. Nato perfecto partu vel abortiuo, nisi emortuæ illæ reliquiæ excludantur (quas per grauiditatem incorruptas seruauit amplificatio caloris natiui à fœtu concepto) suppressæ puerperam malè habent; 60

De tempore expurgādi lochia.

bent; idque ad exitium, intra quadragesimumquintum partus diem. Celerius enim mortiferæ sunt aliis atque aliis: numquam autem serius, prout periodus menstruæ purgationis breuior aut longior esse solet. Nam quæ sunt biduo menstruales, vt sunt viragines; dies octodecim exigunt in puerperiis; quæ triduo, vigintiseptem; quæ quatriduo, triginta sex: at menstruales quinque dierum, ferè sunt puerperiales ad quadragesimumquintum diem à partu. Itaque lochiorum suppressorum vitia sunt intra diem illum mortifera; serius autem nunquam: quòd vltra quintum diem non agnouerit menstruales author Hippocrates. At verò sanctissimus Moses, edicto Dei, sanciuit vt mulier menstrualis contineat se in menstruis septem dies: propterea autem, quadraginta in puerperiis. Continuò has leges menstruorum & puerperiorum mulieri Deus imposuit, quo tempore ipsam sui sexus triplici distinctione formauit, ex dominatu alterutrius seminis vtriusque parentis, videlicet virilis, fœminei, aut fœminæ ipsius, muliebris, virile fœmineum superantis, vnde nascuntur viragines mediocres, atque mollissimæ. Certissima enim securitas est, quòd vt in viro, sic muliere semen virile muliebreque inest.

Ergo, ne longiùs excurrat mea oratio super triplici distinctione vtriusque sexus ab vtroque semine vtriusque parentis, ac tantùm ea scribam verè & appositè quæ propria sunt huius loci. Si quidem viri semen fœmineum vincit virile mulieris; inde nascuntur viragines, biduo menstruales, & diebus octodecim puerperiales. Sin autem complexo fœminei seminis ab vtroque parente, viri fœmineum vincat ipsum mulieris; mulier inde nata, erit boni habitus, solida & succi plena, tridui menstrualis, & 27. puerperialis. Quòd si fœmineum semen mulieris, jus habeat in viri fœmineum; inde nata mulier, erit mollissima, quam vocat Hippocrates ὑδατοειδέα. de qua illud scriptum reperio: Γυναικεῖα τῇσιν ὑδατοειδέσιν ἐπὶ πολὺ ἀφ' [illegible]. i. *Muliebria pallida mulieribus, diuturna.* Ergo, τὰ γυναικεῖα. i. *muliebria*, æquè puerperis atque vacuis, pro rata portione sanguinis vacuandi, cursu quæque suo κατὰ λόγον i. *lege naturæ*, vel ea duce, præscriptas periodos debent absoluere, nec eas transcendere, nec anteuertere, nec etiam inhibere. Secus autem mulieres malè habent, præsertim verò puerperas, quarum puerperia purgamenta numquam reguntur naturæ imperio & dominatu: nisi exitum citò habeant liberalem & liberum; vt nihil reliquatum supersit, quarum incommoda hîc ponuntur. [6. Epid. part. 1.]

QVÆ.] Scilicet puerperia purgamenta, quæ sunt reliquiæ menstruorum per totam grauiditatem in muliebribus locis & venis repositorum, quibus repleri consueuerunt grauidæ. Atque illa replendi consuetudo facit vt mulieres, grauiditati & puerperio assuetas, minus molestè ac periculosè habeat menstruorum cohibitio atque suppressio, si fortè in eas inciderit vacuas; quàm eas quæ numquam expertæ sunt grauiditatis & partus labores. [lib. 1. περὶ γυναικείων.]

TVM, EX PARTV.] Ἐκ τόκου: quod nomen est partus perfecti, qui pari contentione suscipitur vteri atque fœtus. Vteri quidem, nimiùm grauidati; proptereáque saginam studentis deponere. Fœtus autem, nutricatu & spiritu defraudati, ob molem corpoream, & cordis calorem; proptereáque viam ad exitum affectantis, vbi est respiratio quæ non erat in vtero, & lactis ad nutricatum vbertas. Atque illa contentio, partim vteri, partim fœtus, partum edit perfectum, fœtu sua sponte in caput progresso; quæ pariendi ratio est omnium optima, quæque, parentum & obstetricum votis respondet. Est autem hæc tempestiua, nec ante diem: cui præire solent, inoffenso cursu, periodi conceptionis, τυπώσιος, i. *conformationis*, & motus. Nam concepti fœtus à virili semine vtriusque parentis, proptereáque suam adepti τύπωσιν die trigesimoquinto; bis tanto mouentur, hoc est septuagesimo. Ex quo ter tanto, i. bis tanto etiam, vel, postquam exegerunt bis septuaginta dies à primo septuagesimo, & compleuerunt ter septuaginta dies grauiditatis; perfecti ac vitales eduntur in lucem. Vetus est illud Hippocratis: Οἱ πόνοι ἐν τῇσι ἀριθμῷ [illegible] ἑβδομήκοντα [illegible], ἐν τριπλασίῃ τελοῦνται i. *Labores partuum, certis quibusdam periodis absoluuntur: quicquid enim mouetur septuagesimo, triplicatione perficitur.* i. 210. diebus, qui conficiunt septem menses ad septimestrem partum, cuius commendatio est illa Iurisconsulti: *Septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est, propter authoritatem doctissimi viri Hippocratis.* Nam quòd leguntur alibi pro septuaginta, septem; nihil sanè interest, si ei numero septenario denarij totidem adiunguntur, quia septies decem, aut septem denarij, efficiunt septuaginta. Sin autem ita comparata sit ratio seminis vtriusque prolifici, vt non ante 45. diem descripta sit τύπωσις, & expressa; non antè puer mouebitur quàm eius, temporis duplicatio, nonagesimum diem absoluerit: ex quo inita triplicatio & absoluta, partum edet perfectum, mensibus nouem exactis, qui continent, suo velut ambitu, 270. dies. Ex quibus efficitur; duplici tantùm periodo grauiditatis, perfectum partum absolui: quarum vna est mensium septem; altera verò, nouem. Quò spectat illa sententia præceptoris: Ἧσιν οὐδὲν ἐν τῷ [illegible] χρόνῳ συμβαίνει [illegible] τὰ παιδία [illegible] γίνεται. i. *Quibus nihil accidit intra præscriptum pariendi tempus; quicquid omnes pepererint, erit vitale.* Ergo perfecti partus, qui verus est τόκος, hæc erit descriptio: cuius inoffensa fuit gestatio, & qui exacto tempore grauiditati præscripto, sua sponte, foras affectat viam vitalis, materna & vteri virtute adjutus. [De partus tempore.] [2. Epid. part. 3.]

TVM EX ABORSV.] Ἐκ διαφθορῆς, siue ἀποφθορῆς, nihil interest; nisi quòd illa est fœtus iam incipientis corrumpi, aut certè corrupti: hæc verò, fœtus ab intempestiua exclusione corruptionem habentis. Vtraque tamen appositè: quoniam neutra fœtum edit vitalem, nec vita in abortiuo fœtu sperabilis esse potest. Cernitur autem aborsus, cùm editur ante diem legitimum pariendi; cùm iam moueri cœperit, i. post septuagesimum in quibusdam; in aliis, post nonagesimum. Sed abortiui sunt etiam fœtus qui post ipsam τύπωσιν excluduntur, antequam duplicatis diebus [illegible] moueantur, cùm scilicet defraudantur commeatu materno. De quibus est illa decisio: Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι, ἐν γαστρὶ ἔχουσι, ἐκτιτρώσκουσι διμήνου, πρὶν ἢ παχυνθῆναι. i. *Quæcumque supra modum extenuatæ sunt, grauidæ bimestres abortiunt, priusquam ipsæ habitiores euaserint.* Nam de abortione a motu, quam impotentia edit gerendi, [aph. 44. 5.]

aph. 5.

simulatque motus à fœtu cietur; scitum est illud: Ὁκόσαι δὲ μέτριον τὸ σῶμα ἔχουσαι, ἐκτιτρώσκουσι τρίμηνα, ἄνευ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι, καὶ οὐ δύνανται κρατέειν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀπορρήγνυνται. i. *Quæ autem naturaliter constitutæ sunt corpore ac trimestres abortiunt; iis cotyledones mucore sunt obsitæ, nec fœtus ipsa possunt esse potentes, quin foras prorumpant.* Planum est igitur, abortionem fieri, cùm fœtus excluditur ante perfectum partum. Atque illa exclusio nomen habet abortus, ab socunte nutricatu post κίνησιν; vel motu, post duplicatum tempus κινήσεως. Nam seminis concepti, nec dum descripti, excretio, vera est ἔκρυσις ac vulgò dictum *faux-germe*. Certissima autem securitas est ἐκτρωσμὸς appositè dici pro abortione descripta; nec tantum eò referri quod intra fit quadragesimum. Declarat illud modò scriptum, τρίμηνα ἐκτιτρώσκουσι i. *trimestres abortiunt*; quòd sanè pertinet ad fœtus nonaginta dierum. Sed ne longum faciam. Iam constat, opinor, nihil edi à fœta vitale, ante perfectum partum. Est autem perfectus, septimo vel nono mense; exactis quidem illic 210. diebus; hic verò 270. Nam octimestris fœtus exclusus, ob eam certè causam non est vitalis: quia venit post diem partus qui septimestris esse debebat: ante diem verò illius qui nouimestris erat futurus. Ex quibus efficitur, sinistri aliquid contigisse tum fœtæ, tum fœtui; quod vel septimestrem partum tardarit, vel anteuerterit nouimestrem. Septimestris partus futuri remora fuit imbecillitas fœtæ ac fœtus, postquam moueri cœpit septuagesimo, cùm bene res irent à conceptione ad κίνησιν. & inde ad κίνησιν; quæ obseruatio opinionem fecerat septimestris partus perfecti, quem fortè animi diuturna ægritudo, ex opinionis errore, posita in mœrore & metu, parta, imbecillitate matris & pueri, protraxit ad octimestrem. Atque vt ἀκρισία morborum ab irrito eretismo, malam adducit [illegible], vel ad sinistram crisin, vel ad interitum: sic irrita fœtæ ac fœtus contentio, vel imbecilla nimiùm in enitendo, pro septimestri partu vitali, abortionem excitat octimestrem miseri ac moribundi fœtus, quem vltra septimum mensem, omnibus vitæ incommodis malè habuit protracta grauiditas ad mensem octauum, cuius calamitas non aliò referenda mihi videtur quàm ad incommoda fœtus ac matris, quæ vel ab iis quæ intrà sunt inutilia, vel extrinsecus enascuntur. Sed illa τὰ ἔξωθεν, non alia sunt quàm spiritus & diæta. Ac spiritus quidem vitia inferuntur à temporum tempestatibus præsentium & exactorum, de quibus sancitæ sunt leges à præceptore, tum in Epidemiis, tum lib. 3. aphorismorum. Et suprà iam quasdam attigimus. Nam illa quæ vulgò feruntur de cœlis atque planetis, penes quos vicissim & ordine quodam jus esse volunt grauiditatis & partus; iam pridem explosa sunt à bonis philosophis & Christianis, qui tam fœlicis sunt animi, tam generosi, vt iis turpissima sit quærendi defatigatio ex verbo Dei atque præceptis & institutis philosophiæ; neque committant, studio vanitatis pro veritate, vt aliquid esse videantur indoctis: sed potiùs ingenuè fateantur si quid nesciuerint, quàm velint suam ignorantiam, superstitionis fuco velare, vel eiusdem veneno fucare. De octimestri partu qui præuenit nouimestrem, expedita & facilis ratio est cur non sit vitalis, nec etiam septimestris: quia non expectauit diem legitimum pariendi, quem nono mense futurum ostendit κινήσεως duplicatio ad nonagesimum, quo fœtus ciere motum incepit; cuius, vt dictum est, triplicatio, diem perfecti partus denunciat. Ergo si verè illud positum est, quòd si nihil fiat & nihil appareat grauiditatis malo intra præscriptum diem, vitalia erunt quæ sata sunt: planè efficitur sperabilem non esse vitam eorum quibus est mora vel antegressio pariendi ab iis incommodis quæ incidere dum esset grauiditas. Nec verò septimestri potiùs quam octimestri partu vitalis est fœtus, si partio nouimestris ipsum manebat. Exitium enim manet ab omni exitu ante diem, atque post diem etiam, si propter infirmitatem ex aliquo natam incommodo grauiditatis, irrita fuit contentio fœtus & fœtæ in enitendo ad tempestiuum partum.

De fœtu octimestri.

ALIQVANTISPER CVMVLATE PRORVPTA SVNT PVERPERIA.] Enimuero cumulatè prorumpunt, edito in lucem fœtu, & secundis exclusis: meatuum amplitudine, sanguinis ipsius copiosè dudum collecti gargalismo, viam ad exitum affectante, & forti contentione naturæ studentis excludere omnes reliquias, ipsam malè habentes.

ET SVPPRESSA IMMERITO.] i. Ante ipsum tempus ei debitum purgationi, quod non est idem, nec iisdem definitum diebus. Nam tempus viraginum puerperarum expurgandarum, est dierum sedecim; mediocrium, vigintiquatuor; mollissimarum, quadraginta. Sic enim multiplicatio esse debet dierum quibus octimestres reliquiæ expurgantur, ineundo rationem eorum iuxta periodos menstruales duorum dierum, trium, & quinque: vt scilicet bis octo, sedecim; ter octo, vigintiquatuor; quinquies octo compleant quadraginta. Nam puerperia purgamenta sunt octimestrium reliquiarum materiæ menstrualis, per id tempus, nec vltra illud, cohibitæ: quoniam primo mense vacuitas est earum, facto conceptu à menstruorum purgatione. Iam verò sistuntur quæ aliquantisper cumulatè prorupta sunt, vel intus cohibita, vel sursum transmissa, vel intrò retracta, velut à fugitiuo cursu, intus cohibentur, vteri conniuentia, vel osculi peruersione: tum etiam contumacia excrementi crassioris, & cotyledonum angustia, quos fortè occupat inflammatio. Sursum transmittuntur suppressa per quandam palindromen eò vnde confluxerunt. Intrò retrahuntur, viscerum accenso foco, quia suam inflectunt anadromen.

DIFFICILIA.] i. Contumacia, quæque difficulter admodum exoluuntur, & quorum suppressio cohibitorum, transmissorum, aut retractorum, fœta esse solet sæuis symptomatis, partim circa vterum atq; locos, partim ex vtero atq; locis. [illegible] autem vocauit δύσκολα, quæ sunt χαλεπώτατα, καὶ ἐπικίνδυνα, i. quæ admodum grauiter & periculosè habent puerperas, quibus illa quouis modo sistuntur.

HIS RIGOR HOSTILIS.] Causa & signo. Ac signo quidem: quia cohibiti sanguinis ostendit motu illo [illegible] vel [illegible]. Nam rigor omnis, motu cietus qui cernitur in concussione. Atq; vt illa concussio menstrualibus est amica & critica, vnde cientur menstrua: sic ipsis puerperis, quibus cohibita

cohibita sunt puerperis, est planè hostilis; quia cùm frustra fit, proptereàque facit μετάστασιν vel ἐπίσχεσιν ad diaphragma & caput, atque ob eam causam mortifera est. Sic enim de rigore præceptum est, quòd ille mulieribus quidem exortus à lumbis, inde prorepit per dorsum ad caput, cùm scilicet cacochymia è venis exprimitur. Nam rigoris ab vlcere vel empyemate, hic nulla suspicio est. Et verò ille rigor exortus puerperis, febrium est symptomaticus, non autem criticus nec periodicus. Declarat illud assiduitas febriendi, atque mutatio in prauam διάθεσιν. Αἰτία δὲ τῆς prauæ causa est μετάστασις atque translatio è locis ad viscera & ad caput. Transmissionis autem signa hæc posuit syllogistica in vxore Philini, de cuius historia hæc sanè prognosis expressa est. Historia sic est: Ἐν Θάσῳ, Φιλίνου γυναῖκα, θυγατέρα τεκοῦσαν, καὶ κατὰ φύσιν καθάρσιος γενομένης, καὶ τὰ ἄλλα κούφως διαγούσης, τεσσαρεσκαιδεκάτην ἐοῦσαν μετὰ τὸν τόκον πῦρ ἔλαβε μετὰ ῥίγεος· ἤλγει δὲ ἀρχομένη καρδίην καὶ ὑποχόνδριον δεξιόν. γυναικεῖα πόνος, ἡ κάθαρσις ἐπαύσατο. i. *In Thaso vxorem Philini puerperam filia, cùm et purgatio naturaliter processisset, ac cetera bellè haberet, decimumquartum diem partus agentem, febris cum rigore inuasit: qua ineunte cœpit vexari cordis dolore & hypochondrij. Tum aderant incommoda muliebria, quia cessarat purgatio.* Ex quo apparet, vel eam historiam, huius prognoseos testimonio, vel ipsam prognosin, historiæ breuiario scriptam esse. Ac sanè parui refert vtra vis ponatur ad faciendam fidem eorum quæ scripta sunt. Non enim minora sunt argumenta veri assumpta de illis historiis, quam infita theoremata catholicorum; sicut Galeni iudicium est, cuius hæc verba sunt ad prorrhetica, quorumdam hominum exemplis firmata, ob eamque causam, veriùs ἐπιστάμενα, quàm certa τεκμήρια, vt ille ait: mox inde subiicit. *Enimuero nec in prognostico, nec etiam in aphorismis, tum neque in libris fracturarum & articulorum, nec verò in iis qui de diæta sunt acutorum morborum, ac minus in doctrina traumatum cephalicorum, apparet Hippocratem cuiusquam hominis meminisse, causa exempli: vt neque vsquam alibi; si tantùm exceperis epidemiarum historias, in quibus id vnum habet propositi vt illa examinet quæ vniuersè docuit, per ea quæ particulatim apparent in singulis morbis.* Quò fit vt bona spe ducar, æquiores fore censores prognoseωn Coacarum eos qui de illis tam fastidiosè hactenus iudicarunt, cùm hæc mea legerint quæ sine fastidio religiosè ad eas conscripsi. Iam verò patefacta rigoris, qui cum febre incidit, hostilitate; pergamus ad reliqua.

ET ALVI TVRBATIO.] Quæ liquidis excrementis profusè fluit, nec tamen dolorificum malum foras transmittit, sed eius profusionis perennitatem subesse testatur cum accessione symptomatum grauiorum & virium infirmarum. Perennitatis causa est serum quod è locis & lumbis transmissum ad hepar, inde prorepit ad cor, vbi facit cardialgiam; & ad intestina, vnde est alui turbatio.

IOQVE CVM ALIAS.] Ac si diceret. Cùm rigor & alui turbatio, pessimè habent puerperas: quoniam illa veniunt ab inexhausto fonte locorum atque lumborum, sicut annotauit præceptor in vxore Philini, cùm ait, ῥοῦς πολὺς παρέδωκεν.

TVM VERO SI DOLORIFICVM SIT HYPOCHONDRIVM.] Concepta inflammatione quadam systrophica, cuius phyma crudum spem in angusto ponit; coctum etiam nihil habet securitatis. Nec tamen inde sperabilis est hæmorrhagia liberalis & libera, qua periculo defungantur, sicut sæpe accidit cohibitis menstruis: sed potiùs in metu noua quædam ex hypochondrio ad caput anadrome, cuius maleficentia, primùm quidem ceruicis dolor, mox capitis, atque in cerebro sæua deliria excitantur. Quod legimus contigisse prædictæ vxori quæ vigesimum diem morbi agens interiit.

5 Τῇσι ἐπιφόρῳσι κεφαλαλγικὰ καρώδεα, μετὰ βάρεος γινόμενα καὶ σπασμὸν φλαῦρα ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Sic infrà meliùs & in prorrhetico.

Τῇσιν ἐπιφόροισι κεφαλαλγικὰ καρώδεα, μετὰ βάρεος γινόμενα· φλαῦρα ἴσως δὲ ταύτῃσι, καὶ αἷμα σπασμῶδές τι ὠφελέει.

Grauidas periculosè habent cephalalgia soporata, cum torpore graui coniuncta. Sed fortasse tamen ipsis conuulsio quædam adiuncta prodest.

DE GRAVIDIS mulieribus illud edictum est dictatoris: *Mirum videri non debet cùm audimus mulieres abortire. Nam studio & industria opus est non vulgari, ad bene fœliciterque gerendum vsque ad partum perfectum, & ad commeatum fœtui subministrandum, quandiu in vtero est; tum verò ad omne in partu periculum defugiendum.* Multa enim grauidas circumueniunt incommoda, quæ tam ipsis, quàm fœtui exitio sunt. Atque inter pericula quæ intrà & extrinsecus enascuntur, vnde non rarò fœta & fœtus ad exitium præcipitantur; hic ponitur cephalalgia cum sopore & grauitate conjuncta: tum ratiò non vulgaris defungendi eo periculo.

GRAVIDAS.] Ἐμβρύους, quæ cuiusmodi sint cùm sic vocantur, suprà ostendimus.

Ergo. GRAVIDAS.] i. Similiter vt restibiles agri, fœcundas; & quæ simulatque sunt vacuæ, primo ferè congressu concipiant: tam in menstruis, nec dum purgatæ, quàm vbi menstrua instat purgatio. Quod hîc apposité scribendum putaui.

PERICVLOSE HABENT.] φλαύρως ἢ κακοήθως; ad verbum *praua consuetudine*, vel etiam *periculosè*; non autem φαύλως, quod est εὐηθῶς i. *familiariter*, quamuis non bene: sicut diæta φαύλη. i. *non exacta nec exquisita*, quam veteres ἀκριβῆ nominarunt.

Ergo. PERICVLOSE HABENT.] i. Apparent & fiunt periculo grauidarum & fœtus; vel ipso nomine grauiditatis, vnde non rarò veniunt, vel ei facilè superueniunt. Est enim fastidiosum dicere, hoc nihil noui esse quod commune est omnium æquè virorum atque mulierum. Sic fastidiosè iudicandum esset de illo solemni edicto. Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπὸ τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι θανατῶδες. i. *Mulieri grauidæ mortiferum est si eam morbus aliquis inuadat acutus.* Certissimum enim est, quòd morbi acuti sunt ad mortem sæpe fatales præ cæteris, si pestem exceperis; vt visum est præceptori, duce iudicio, & comite experientia. Ergo symptomata quæ hîc ponuntur, periculosè habent mulieres grauidas: idque tum per se, tum ex euentu. Per se quidem, συντονίᾳ doloris, & occupatione omnium principatuum & actionum; imprimisque autem vitalium & animalium, vt mox dicetur: tum μεταστάσει ad locos, humoris morbifici, vnde abortio. Ex euentu autem periculosè habent: quia diæta ἀκριβὴς. i. *exacta & exquisita*, ἢ λεπτὴ. i. *tenuis*, præscribi nequit, sine incommodo fœtæ & fœtus. Nam si ægrotæ vires sunt validæ, ob eamque causam potiùs incumbendum videatur in curationem morbi, nouando & vacuando: quàm refectioni studendum: nec ipsa præsidia curationi dicata, tutò & commodè adhibebuntur: nec verò fœta mulier à fœtu exhausta, diu carebit diæta quotidiana: nec ipse fœtus commeatu materno, cuius intra biduum summa erit paupertas, à tenui & exacta diæta, quæ ineunte morbo, si validæ sunt vires, tenuissima esse debet. Ac certè neutra diætæ lex, vix esse potest commodo grauidarum. Nam tenuis quidem, oppugnando morbo dicata, breui faciet corpus infirmum: proptereàque breui mutanda in pleniorem, cùm in procinctu erit certamen naturæ & morbi ad crisin, vnde veniet ἀκρισία ἢ ἐπικίνδυνος ἢ θανατώδης. i. *sinistri iudicij, aut certè mortifera.* Plenior autem præscripta infirmitatis metu, damnis augebit grauidam. Duplex autem sancita lex est diætæ in morbis acutis. Prior quidem est, vt si vires ægri sint validæ cum securitate: quia tum curationi est potiùs incumbendum, quàm refectioni studendum, diæta sit tenuis καθ' ὅλου ἢ μᾶλλον, quoad morbus ipse mitificari cœperit atque humescere. Sin autem infirmæ sint vires, aut certè in metu infirmitatis; ita se comparet medicus, atque ita diætam præscribat, vt opportunitatem habeat cibum deducendi potiùs, cùm in propinquo est crisis, quàm necessitatem adiungendi. Ab vtraque diæta bene non erit grauidæ, vti iam diximus. Nam quæ nouando vacuandoque remedia præscribuntur, quibus fit redintegratio corporis è natura egressi; omnia ferè peccant in commoda grauiditatis. Nisi quis forsitan excusationem adferat illius trimestris aut quadrimestris, quam scribit Galenus omnium esse δυσανασφαλίην, quo loco narrat Hippocrates, fuisse quandam mulierem quæ in trimestri grauiditate, acuta febre correpta, εὐπόρως ἐξανεσώθη conualuit, omni defuncta periculo abortionis & vitæ. Atque id penè miraculo apponendum duxit Galenus. Grauidas ergo periculosè habent.

Galenus ad pror. 12. f. 3. 1. aph. 30. 5. — *Scopus lib. de diæta in acutis.* — *hist. 13. 3. Epid.*

CEPHALALGIÆ SOPORATÆ.] Non quidem eo caro sepultæ qui principatum habet veterni atque soporis, inter symptomata cataphorica. Atque is planè symptoma est phantasiæ exolutæ, vbi nulla est sensio rei molestæ, proptereàque capitis nullus dolor. Nec tamen eo sensu hîc positum est τὸ καρῶδες, sicut in illo. Τὸ καρῶδες. ἆρά γε πανταχοῦ κακόν; i. *An soporari vbiuis est malum?* Sed καταφορὰ καρῶδες vsurpatur pro comate illo mixto ἀγρύπνῳ. i. *vigili*, nato ex pari magisterio pituitæ & bilis in cerebro, vbi est καταφορά τις ὑπνώδης. i. *inclinatio quædam somnolenta & veternosa*, quæ cernitur in palpebris ægri commissis, vt neque oculis, neque cerebro lucem accipiat, quamuis non dormiat. Qua de re alibi multa scripsimus accuratè. Atque hîc cephalalgiæ sunt καρώδεις, i. *soporatæ*, in adiectiuo; vt scilicet τὸ καρῶδες, non per se subsistat: similiterque vt neque in illo quod pertinet ad hanc prognosin. Κεφαλαλγία καρώδης μετὰ βάρους σπασμῶδές τι σημαίνει. i. *Cephalalgia veternosa; ostendat aliquid conuulsiuum.* Ergo cephalalgia est veternosa, concepta in arce, duplici repletione; vna quidem capitis, vnde nascitur cephalalgia; altera verò cerebri, vnde ipsum καρῶδες, vel ἐγγύτερον κώματι: sicut & musculi qui tempora continent, dicuntur esse καρώδεις, διατεινόμενοι ἢ ἀλλοιούμενοι, i. *distenti vel alterati*. Non enim distentio musculorum vel alteratio, carum inducit quem resoluta edit phantasia; sed κῶμα ex debili, cum turbatione mentis attonitæ. Sic enim præceptor ait: Κινδυνῶδες αἱ ψύξιες, ἀπὸ πυρετοῦ ξυνεχέος καὶ νωθρὸς καρώσιες. i. *Periculum est perculsæ mentis à febre continua*, &c. Erit igitur cephalalgia καρώδης, quæ coniunctam habet τὸ κῶμα τὸ νωθρὸν, vbi non est ὁ σπασμὸς τῶν κροτάφων. [illegible] hîc principium: sed quædam [illegible] esse videtur Galenus ad eum locum de maxilla luxata. Sed illa repletio capitis quæ parit cephalalgiam, proritando ac distendendo, similiter habet cerebrum vt caput ipsum. Hinc venit illa νωθρότης καρώδης, ἢ καρώδης νωθρή i. *veternosa quædam segnities*. Ac sanè idem est, posita hîc κεφαλαλγία καρώδης, quod illud prorrheticum. Ἐν κεφαλαλγίῃ κῶμα καὶ κώφωσις, παρωτίδων τι σημαίνει. i. *In cephalalgia coma & surditas, aliquid ad aures spectant.* Vbi Galenus author est, quòd eorum qui sursum ad caput feruntur humorum, calidi quidem ac tenues, deliria edunt vel hæmorrhagias; crassi verò & frigidi, comata & parotidas. Cephalalgia autem, amborum est soboles, sicut & surditas; sed calidorum tamen potiùs cephalalgia; frigidorum autem surditas. Nam si quis obiiciat hîc prognosin esse conuulsionis, vt illic parotidum: in promptu depulsio est; quòd in prorrhetico prænuntio est certa parotidum, vbi speratur abscessus; hîc autem conuulsionis, vbi est causæ morbificæ propagatio à cephalalgia καρώδει. Iam verò cephalalgia hæc veternosa enascitur ab iis quæ intrà sunt in grauidis inutilia; similiter vt euenire solet ab intercepta vesica. De qua iam illud examina-

Coac. 1. c. 2. lib. 2. & in prorrh. cap. 2. lib. 2. huius operis. — *Coac. 16. cap. 1. lib. 2.* — *lib. 2. περὶ ἄρθρων.* — *eodem lib. 2. περὶ ἄρθρων.* — *pror. 75. f. 3. 1.*

examinauimus. Κύστιος ἀπολειφθείσης ἐν τῇσι ἰξώδεσι, κεφαλαλγίῃσι, ἢ τῇσι καρώδεσι μετὰ βάρεος· ἰδεῖν σπασμῶδές τι ἐλπίζω i. *Vesica intercepta in pragrandi cephalalgia, aut stupor fera cum grauitate; conuulsione studet finiri.* Enimuero tanta est feritas vrinæ cohibitæ, siue illa cohibitio sit primigenia exolutæ vesicæ, sensu in ea amissi; vel etiam morbi acuti consectaria, vt facilem habeat ad caput anadromen, & inde conuulsionis euentum. Sic menstrualis materiæ nimia abundantia, iam inde ab ineunte conceptu circa locos suppressa, cùm eius instaret purgatio; indéque ad caput transmissa, edit symptomata cephalalgica veternosa. (Coac. 11. cap. 1. lib. 2.)

CVM GRAVITATE.] Quæ est in corpore plumbeo, cuius illa νωθρότης vel ἀδυναμία accidit madefacto neruorum principio, similiter vt à tempestate austrina quam vocat præceptor νωθρὴ μελδαλέη ἢ τῷ γυίῳ. Est autem hæc etiam καρηβαρική (3. Epid. & aph. 5. 3.)

FORTASSE AVTEM PROFVERIT CONVVLSIONIS ALIQVID VNA ESSE.] Exoritur hic quæstio duplex atque difficilis. Ac prior quidem est; vtrùm adsit conuulsionis aliquid in cephalalgia, sicut hic legitur, & suprà in Coacis, tum in prorrhetico de vrina suppressa, & suprà in hoc opere. Altera verò; an prosit conuulsionem cieri cùm adest cephalalgia veternosa, qualem præceptor posuit in hac prognosi. Quæstionis vtriusque dubitatio sic tolletur. Prioris quidem, vtrum accidat τὸ σπασμῶδες, confirmatio est affirmantis: vbi Galenus ait vrinam suppressam contagione cerebri, neruos inde natos, ad conuulsionem adducere, si grauis adfuerit cephalalgia. Sunt autem hæc ipsius verba. ἀπόληψιν οὔρων εἴωθεν αὐτὶ τῆς ἐπισχέσεως ὀνομάζειν. ἔχειν οὖν φησὶ σπασμῶδές αὐτὴν, ὅπερ ἐστὶ δυνάμενον σπασμὸν ποιῆσαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἄλγημα κεφαλῆς ᾖ· πολλάκις γὰρ ἐν συμπαθείᾳ τῆς κύστεως, ἡ κεφαλὴ γίνεται, i. *Interceptionem vrinarum, pro earumdem suppressione, vsurpare consueuit. Ait igitur illam conuulsionis aliquid habere: quod est idem ac si dicat conuulsionem efficere, præsertim si dolor adfuerit capitis. Hinc enim patet caput cum vesica pati.* Et verò iam receptum est suprà, cephalalgiam καρώδεα, habere τι σπασμῶδες, i. *quippiam conuulsificum.* Quod sanè perinde est ac si dixisset, ipsam nonnumquam efficere conuulsionem, vt modo audiuimus ex Galeno. Nam illud, σπασμῶδες ἐσδείκνυται σμικρὸν, ἢ σπανίως γινόμενον τὸ λεγόμενον, i. *exiguum esse ostendit, aut rarò euenire quod dicitur,* vt paulò antè ad locum illum modò adductum scripsit Galenus; quàm bene sui memor, viderint sapientes qui totum illius attentè legerint commentarium. De conuulsionis autem natura & causis, non ita pridem scripsimus. (Coac. 16. cap. 1. lib. 2. pror. 28. l. 3. 1. Coac. 12. cap. & lib. eiusdem. comm. ad pror. 28. l. 3. 1. pror. 14. l. 3. 1.)

Sed quæstionis alterius, vtrùm profuerit conuulsionis aliquid vnà esse, difficilis admodum decisio est ad faciendam fidem conclusionis enunciatæ. Non enim credibile est commodam esse conuulsionem quæ nihil habet vtilitatis, nec securitatis, plurimum autem periculi quotiescumque inciderit. Nisi fortè sit excusatio eius quæ finem febris adfert, exorta primo ipsius die, aut postridie, aut ad summum perendie: & huius quæ cadit in segnitiem veternosam; non quidem ab emortua facultate, sed à virium oppressione natam. De qua est illud Hippocratis & Galeni iudicium; quod accidit bonis ægroti rebus. Atque Hippocratis quidem sententia est infrà & in prorrhetico, iisdem concepta verbis, quibus hic ponitur, quamuis non sapiat palato Galeni: quem ego leuitatis nomine valde commoueor, vel eo iudice, condemnari. Negat enim hic τὸ σπασμῶδες prodesse, quod vtilissimum esse ad idem aut simile, alibi iudicauit. Locus est in prorrhetico, vbi quærit Hippocrates: ἆρα γε καὶ λύεται τὰ τοιαῦτα σπασμῷ; i. *An verò talia sanat conuulsio?* Sunt autem τὰ τοιαῦτα, quæ author posuerat antequam super iis quæstionem illam moueret, videlicet quæ transmissa è lumbis ad ceruicem & caput, paralysin primùm paraplecticam intulerunt; pòst autem facta σπασμώδη, paraplegiam excussserunt. Quam sanè μετάστασιν ibi Galenus, inconstanter quidem, sed verè tamen affirmat locum habere curationis; vel eo nomine, quòd ipsa conuulsio motu quem ciet, maximè sit ei affectioni contraria, vbi est motus amissio. Sic enim violento motu conuulsionis concutitur, atque vi summa excutitur omnis materia paraplectica. Præstat igitur conuulsionem superuenire paralysi, quàm paralysin conuulsioni. Nam epilepsia sperabilem adhuc vitæ salutem ostendit in apoplexia, quæ superueniens epilepsiæ, sanari non potest, ac cita morte funesta est. (Gal. lib. de symptomat. causis. Coac. 16. 1. lib. pror. 18. l. 3. 1. pror. 46. l. 3. 1.)

6 Ἢν ἐκ γυναικείων περὶ τὰ ἄνω καὶ τὸ λεπτὸν πόνοι σύντονοι, κοιλίας καθυγραίνουσι, ὑποσπασμώδεες· ταύτῃσι περὶ κρίσιν καταφοραὶ καὶ ἀδυναμίαι, κενεαγγικῶς ἐφιδροῦσι, καὶ περιψύχουσιν αἱ τοιαῦται ὑποστροφαὶ τῇσι πλείστῃσι γινόμεναι, μετὰ τὴν ἄφεσιν ταχέως κτείνουσι. (al. [illegible])

Ex muliebrium suppressione, quibus dolorum est cruciatus supernè & circa tenue; iis aluos ciet profusè. Atque his circa crisin veterni subanxij, & cum impotentia, ex vacuitate, sudatiuncula & perfrigeratio. Ac recidiuæ huiusmodi plurimæ, cùm cessarint, obortæ, citò ipsas interimunt.

MVLIEBRIVM suppressorum symptomata hîc sunt mortifera;& inde signa funesta citò venturæ mortis. Atque symptomata quidem cernuntur in cruciatu dolorum quos infert anadrome muliebrium, vbi subsistit, videlicet circa tenue & hypochondria; tum palindrome, non eò quidem vnde migrarunt, sed ad partes inferas quæ adiacent lumbis, vnde sunt alui præhumidæ cum offensione summa œconomiæ nutricatus. Signa autem funesta citò venturæ mortis, sunt in veterno subanxio cum impotentia, sudatiuncula, & fugaci frigore partium extimarum. Quæ omnia cuiusmodi sint natura & causis; tum autem quorsum appareant atque fiant; iam aggredior ad docendum.

EX VITIO MVLIEBRIVM.] Ἐκ γυναικείων, ad verbum *ex muliebribus* cùm scilicet in vitio sunt, non tam circa locos vbi subsistunt, quàm circa supera & id quod est tenue, quò refluunt, exitu denegato, nec transmissa per vterum. Cùm autem muliebria multis modis in vitio sint; hîc illud vitium agnosco quod cernitur à refluxu eorum, quo partes superæ occupantur. Sunt autem muliebria, purgationes menstruæ & puerperiæ; quibus non ritè purgatis, morbi nascuntur in vtero & ab vtero, vt suprà ostendimus: maximè verò à puerperiis, quæ maleficio menstruas ipsas præcedunt, cohibitæ.

QVIBVS DOLORVM EST CRVCIATVS.] Græcè est, πόνοι συντόνοι. i. *pregrandes & continuates dolores*, qui eodem planè sensu nominantur ἰσχυροὶ, vt suprà ostendimus in cephalalgia. Est autem hîc posita συντονία τῶν πόνων. i. *dolorum acerbitas* in specie & idea, in magnitudine & assiduitate, per summam distentionem & proritationem partium exquisiti sensus quas inuasit anadrome muliebrium. Ac partium quidem illarum notatio est in iis quæ sequuntur.

Coac. 1, capit. 1 lib. 2. & lib. 3. progn.

CIRCA SVPERA.] Περὶ τὰ ἄνω, quod est, in capite sublimi. Quæ ratio sic vertendi & explicandi, primùm ex illo adducta est. Τὸ ἐπ' ὀλίγον ἐξίαν δεγματα ἐν κενῷ ἐὰν εἰς τὰ ἄνω πίπτοντα ὀλέθρια. i. *Doloris acerbitas paulisper in angulo fixa, si ad supera transeat; mortiferum adfert malum.* Vbi non est dubium quin τὰ ἄνω i. *supera*, pro capite vsurpentur. Quod ipsum ostendet consecutio symptomatum atque signorum. Nam quæ scribuntur ἀπὸ τ' ἄνω καὶ κάτω κοιλίας. i. *de aluo supera & infera*; ciuismodi sunt relatiue, non absolute: vt supera quidem sit pulmonum atque thoracis; infera verò eius quæ abdomine continetur: quamuis hæc rursum dicatur purgari per supera, vomendo; sicut per infera, deiiciendo. Ergo circa supera, dolorem est cruciatus. i. in capite, per anadromen muliebrium, quæ illuc transcendit; de qua iam multa scripsimus huc pertinentia.

Coac. 75. lib. 1. aph. 38. 7. lib. 4. aph.

ET CIRCA TENVE.] Περὶ τὸ λεπτὸν, i. quod in corpore, nullis firmatum ossibus, molle est, siue λαπαρὸν, quales inter vtramque maxillam sunt buccæ, propterea que dicuntur τὰ λεπτὰ τῆς γνάθου. Sic in trunco corporis τὸ λεπτὸν id dicunt, quicquid abdomine circumscribitur, videlicet ilia, vmbilicus, & hypochondria; vt suprà ostendimus. Atque id, circa tenue, pertinet ad viscera hypochondriaca, præsertim ad hepar γειτνιῶν, & ad tenuia intestina. Est autem notabile τὸ ἰσχυρῶς ἀκτίνεσθαι prius tentato capite, quàm hypochondriis. Nam prior μετάστασις fit ad hypochondria, & inde ad caput: nisi quis fortè agnoscat τὴν ἀναδρομὴν De cruciatu autem sæui doloris circa illud tenue à vitio muliebrium, satis iam multa nuper.

ALVOS REDDVNT PRAEHVMIDAS.] Κοιλίας καθυγραίνουσι i. faciunt vt vitiatæ alui, liquidis excrementis profusè ferantur. Nam καθυγραίνειν & καθυγραίνεσθαι, vt suprà dictum est, in aphorismis idem est quod πονηρεύειν καὶ πονηρεύεσθαι τὰς κοιλίας. i. *vitiare & vitiari* aluos in prorrhetico. Ergo vitiatæ alui, profusè feruntur liquidis excrementis; non quidem excretione critica dolorifici mali: sed potius symptomatica feri candantis ab hepate in tenue intestinum, quo ipsum fæuis torminibus excruciatum proritatur ad excernendum. Aut intestinum idem, suo vitio & alieno, chylum intercipit, quem à ventriculo excipit, ac digestionem siue ἀνάδοσιν ad hepar frustratur, indéque diu valdéque oppressum ac stimulatum fatiscit cum egestione profusa, editque diarrhœam chylosam καὶ πλαδαρὴν.

lib. 2. progn.

ATQVE HIS.] Quæ à perenni anadrome muliebrium, malis tam grauibus occupantur & circa supera, & circa tenue, cum diarrhœa symptomatica quæ est αὐτὸ τὸ κτεῖνον, vt ait Hippocrates, i. *illud ipsum quod perimit.*

CIRCA CRISIN.] Qua defunguntur vita non morbo: iuxta illud prognosticum, quòd febres, iisdem planè diebus crisin habent, quibus omnes intereunt aut conualescunt. Nam crisis nomen pro interitu nouum non est in hac prognosi, quod suprà sæpius est vsurpatum. Quòd autem hîc tali sensu ponatur; palam ostendunt omnia quæ sequuntur funesta, & nihil viuificum ac vitale.

VETERNI SVBANXII.] Κατάφοροι ὑπασώδεες, quæ sunt ciusmodi vel ex indigena oppressione cerebri, vel item ex aduena, quam facit afflictio partium inferiorum, quæ & μετάστασιν, & sympathia, cerebrum in societatem adducit laboris atque molestiæ. Sunt autem illi veterni siue καταφοραὶ, cum viribus multùm infirmis à diarrhœa & sæui doloris acerbitate, ob eamque causam subanxiæ; non quidem à leui anxietatis causa, quæ certè hîc magna est: sed prægrandi virium infirmitate qua edi non potest fortis iactatio quæ summam ostentet impatientiam omnis figuræ ac loci ex alysmo concepto. Tales præceptor in spe angusta salutis, alibi nominauit ἀπαδυσφόρους, quibus non est potentia ostentandi sua fastidia cùm iis efferrentur maximè, si per vires ipsis liceret; vel si tam virium satis esset, quàm satis est animi. Huc spectat illud prognosticum præceptoris. Αἱ τρομώδεες, ἀλυώδεες, ψηλαφώδεες παραφροσύναι, πάνυ φρενιτικαί. i. *Deliria cum tremore & palpo coniuncta, valde phrenitica.* Vide Galeni doctissimum commentarium.

protr. 33. f. 1. 1. lib. 3. περὶ ἀφ.

ET IMPOTENTIA OB VACVITATEM.] Sic enim visum est emendare vulgatam lectionem, ἀδύνατοι κενεαγγικοί. i. *impotentes dolorifica vacuitate.* Non enim dolorifica vacuitas est, nisi ex euentu suspensionis; vt exempli causa, in costarum fractura, vbi vacuitas ventriculi, quem necessario repleri oportuit ad costarum ἀνάδομα, suspensionem adfert ipsarum: suspensio autem dolorem. Sed hic vacuitas impotentiæ, causa est ipsa per se, quàm suo edit merito, secus ab illa quæ fit immerito vacuitatis,

prorr. 5. f. 2. 1. & suprà in Coac.

quæ

aut nulla est, aut certè indigna, quæ tantam pariat impotentiam. De qua illud iam vidimus positum ab authore. αἱ παρὰ λόγον κατατρυχόμεναι ἀδυναμίαι, ἢ ἐγγὺς τοῦ μὴ εἶναι κένωσιν, κάκισται. i. *Quæ immeritò vacuitatis, aut certè si nulla sit, accidunt impotentiæ, sunt pessimæ.* Ergo impotentia ob vacuitatem quam peperit symptomatica diarrhœa; genij defraudatio, commeatu absumpto; sæui doloris acerbitas, tum ipsæ vigiliæ, & principatuum summa offensio, signum est citæ mortis venturæ: sicut omnis infirmitas & impotentia quam edunt collapsa naturæ præsidia, ingrauescente morbo. Sed impotentiæ ab exhausto, hæc signa sunt.

SVDATIVNCVLA ET PERFRIGERATIO.] Atque hæc duo signa sunt planè symptomatica; illud quidem, exolutarum partium solidarum, è quibus exudat succus alibilis: hoc verò emortui caloris natiui. Nam sudatiuncula quam edit expressio à virium oppressione nata, longi est morbi: hæc autem, vitæ breuissimæ. Refrigeratio autem non critica, nec periodica, nec vero symptomatica retracti caloris à phlegmone; sed iam emortui in partium viuacitate, ac dissipati in corde viuifico; περίψυξιν edit ναρκώδη. i. *frigus torpidum*, ex quo ægri redduntur ἀκρατεῖς καὶ ἀδύναμοι, vel vt rectè scriptum est, quos tenent καταφορὰ καὶ ἀπονοίαι. i. *languores*, siue ἐκλύσεις, i. *infractiones subanxiæ*, dum magna vis est anxietatis.

AC RECIDIVÆ HVIVSMODI CVM CESSARINT.] i. Vicissitudo frigoris & sudatiunculæ cùm euanuerit: frigoris quidem, appulsu hostilis caloris qui tanquam è fimo diffunditur ad imos pedes, extremas manus, & frontem vbi mouet sudatiunculam, quæ statim est frigida cùm exudarit, dissipato putri vapore, superstite autem frigore à viuacitate emortua, nec amplius recreata a cordis calore viuifico. Notabile verò hic nomen est τὸ ὑποστροφῆς, vnde significatur vicissitudo frigoris & sudatiunculæ: tum etiam recursus ambotum, vt in illo prorrhetico. ἄκρεα ἐπ' ἀμφότερα ταχὺ μεταπίπτοντα κακόν. i. *Extremarum partium cita in vtrumque mutatio; graue malum.*

prorr. 8. f. 2. 3. & suprà in Coac.

RVRSVM OBORTÆ.] Ab insultu caloris febrilis, non ab ἐπ' ἴσης naturæ & morbi.

CITO IPSAS INTERIMVNT.] Quia certamen est intolerabile, fractis iam viribus, & effœto calore ac spiritu; quorum cita extinctio ac dissipatio, citum quoque affert vitæ exitium. Sic moribundis oborti singultus, cùm paulisper cessarint, ab irrita contentione virium effœtarum & languidarum; rursum, velut quodam certamine instaurato; qui venit nouissimé, vitam finit: quoniam quicquid in nobis fit sua ciet, periculo adiicit, facitque vt, cum ad vltima ventum est, celerius opinione moriamur.

7 Τὰ μετὰ μυχθισμοῦ ἔξω διαφερόμενα πνεύματα, καὶ τῆξις παραλόγως· τῇσιν ἐπιφόροισιν ἐκτιτρώσκει.

Quæ cum suspirio foras effertur spiratio, & vnà immeritò est colliquatio; grauidis abortionem denunciant.

DVO ΤΕΚΜΗΡΙΑ. i. *signa syllogistica* hic ponuntur abortionis, cùm scilicet fœtus, penuria & paupertate commeatus materni, ante diem ad exitum viam affectat, liberè spirationi & nutricatus causa, quibus in vtero defraudatur. Atque hæc prior est ratio abortiendi. Nam altera in difficultate, vel potiùs impotentia gerendi consistit. Defraudati fœtus vtroque commeatu materno, spiritus & nutricatus, signa sunt; angustia spirationis, & quæ immeritò est colliquatio. Eorum signorum, cur ita sint, & quorsum appareant, sic visa est ratio apponenda.

QVÆ CVM SVSPIRIO FORAS EFFERTVR SPIRATIO.] Vel, vt infrà legitur, τὰ μυχθώδεα πνεύματα. i. *spiratio suspiriosa*, cuius difficultas posita est in necessitate spirandi, & contumacia partium spirabilium; proptereàque est parua & frequens. Necessitatem spirandi febris adducit, dum æstu cor incandescit: quæ quia non expletur magnitudine spirationis quæ parua est, instrumentorum vitio, frequentiam habet vicariam; cui suspirium tandem adiicitur, ob nimiam vaporis fumidi abundantiam, quæ libero exitu non cordi respondet, vt neque spiritus aditu: proptereáque tarda est inspiratio, expiratio autem velox. Quæ sanè dyspnœa, dicitur πνεῦμα ἀνάπνοον καὶ καταπνῖγον. Quemadmodum autem spiratio libera quæ cordis voto respondet, vim eius viuificam multùm auget, vnde micant fortiter venæ maternæ per quas fœtus ipse respirat ex animi, vt ita dicam, sententia: sic parua & frequens materna dyspnœa, qualem descripsit, pejùs habet fœtum quàm matrem; quod in febrili æstu & aucto micandi vsu, per venas maternas imbecillo pulsu micantes, spiritum ille ducat exiguum, quem mater ore inspirat, & fumidum vaporem expirat.

ET VNA IMMERITO EST COLLIQVATIO.] Græcum illud nomen verbale, τῆξις, non vsurpandum arbitrur pro eo habitu cadauerosu quem febris tabifica exprimit, per quam & solidæ partes liquuntur, non solùm caro tenera & veluti recèns pressa, quod acutarum febrium est commune, qualem infrà posuit noster author in hanc prognosin. Sed meo quidem iudicio, idem est planè τῆξις hoc loco, quod in aphorismo ἰσχνότης: nec ea quidem vniuersalis, sed tantùm mammarum, vbi sic fœtus abortio denunciatur: Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ἢν οἱ μαζοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει. i. *Mulieri grauida si vltrò mammæ subitò extenuatæ fuerint; fœtum abortit.* Vbi τὸ ἐξαίφνης, i. *vltrò celeriter*, idem est quod παραλόγως. i. *immeritò & sine præeuidentia* extenuandi, quod Græci dicunt οὐδ. προφανέως. Hæc autem colliquatio, quæ est mammarum ἰσχνότης (non autem vniuersi σώματος ὅλου) prænuncia est abortionis, cùm incidit ante diem legitimum pariendi: sicut etiam partus perfecti, & ipsa quoque dyspnœa parua & frequens in tempestiua fœtus maturitate. Sic enim præceptor ait: Μάλιστα δὲ ἀσθμαίνουσιν, ὅταν ἐγγὺς ᾖ τόκου. i. *Maximè autem spiritum crebrò ducit, cùm est propinqua partus.* Nam de mammis grauidæ

aph. 37. 5.
aph. 44. 5.
lib. 1. περὶ γυναικ.

aph. 37. 5.

quæ vltrò celeriter gracilescunt, hæc fuit Galeni sententia in aphorismis. *Hic sanè aphorismus*, inquit, *de illorum est numero quos diximus denunciare alimenti penuriam ipsi fœtui.* Sunt enim quædam venæ communes vteri & mammarum, quæ quidem cùm laborant ex paupertate sanguinis, graciles edunt mammas. Ac tum ἀτροφία fœtum extinguit, vel ipsum promouet ad exeundum foras: ob eam certè causam quam ipse author conscripsit libro de pueri natura his verbis: *Alimentum, incrementumque quod à matre puerulus accipit, elapsis iam decem mensibus, fœtúque aucto, nequit sufficere: si quidem quod in sanguine dulcissimum est, id ad se pertrahit, simulque lactis aliqua portione fruitur. Quæ si pauciora sint quàm conueniat, ipséque puerulus auctior factus, plusquam adsit alimenti desideret, sese iactat, & abrumpendo membranas, causam & occasionem matri exhibet exonerandæ alui.* Sed colliquatio hæc mammarum gracilium, defraudati fœtus auiditatem vel eò denunciat, quòd ἀφθαλέως appareat vel αὐτομάτως quod est sine προφάσει eorum quæ vel intrà vel extrinsecus vim adferunt extenuandi; vt scilicet nulla sit excusatio febris tabificæ, vigiliarum, inediæ, hæmorrhagiæ, profluuij ventris, nec vllius denique vacuationis: appareat autem ἐξαίφνης, quod est *vltrò repentè*, vt scriptum est in aphorismis. Ac sanè illud ἀφθαλέως, consultò & appositè vertimus *immeritò*, sicut in illo: Δίψα ἀφθαλέως λυθεῖσα κακόν. i. *Sedata sitis immeritò; graue malum.* Quod idem est ac sic diceret. Falsò credita sitis leuatio, manente causa sitifera, quam neque sustulit liberalis potio aquæ frigidæ, nec inspiratio auræ eiusmodi, nec biliosi humoris purgatio, nec epithema, nec somnus, nec balneum; pessimè habet ægrotum, qui vel dementia, vel emortua potionis appetentia, non sitire se putat.

lib. de natura fœtus.

Gravidis abortionem denunciant.] Quoniam, vt suprà demonstratum est, dyspnœa materna, vnde micandi vis languida, & nutricij commeatus penuria, fœtum & spiritu & nutricatu defraudant; proptereáque ipsum præcipitant vel ad exitum, vel ad exitium: sicut Hippocrates annotauit, cùm ait: Ἡ αἰώρησις, ἢ πρὸς ἰσχὺν παρ᾽ ὑμῶν, lib. de natura pueri.

8 Οἷσιν ὀδύνη κοιλίης μετὰ τόκον ἐπὶ ταύτῃσιν πυώδεα καθαίρει.

His autem à partu qui venit dolor aluinus, purulenta expurgat.

Nondvm periculo defuncta est mulier ex abortiuo puerulo, vt vetus opinio est eorum qui pharmacia fœtus excludunt, ad curationem febrium acutarum quæ grauidas periculosè habent. Hoc certè qui faciunt, periculo fœtæ adiiciunt pariter atque fœtus, quem isti carnifices miserè perdunt immisericorditer. Temerariam huiusmodi medicinam procul arcet dictatoris illud edictum. Οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. i. *Nec mulieri pessarium abortiuum dabo.* Non enim violenta fœtus ante diem exclusio, dolorificum malum excludit quod nullum erat in fœtu. Ac sæpe sistuntur puerperia purgamenta quorum corruptio est ex abortu, quæ incorrupta seruabat amplificatio caloris natiui à fœtu dum esset in vtero: sistuntur autem à febre & vteri peruersione & violento enixu.

Ergo. His avtem.] Quibus respiratio suspitiosa & colliquatio, abortionem denunciant, à paupertate spiritus & nutricatus, quæ, vt iam dixi, fœtum præcipitat vel ad exitum, vel ad exitium.

A partv.] Μετὰ τόκον: quod nomen καταχρηστικῶς vsurpatur pro abortione, quam ἐκτρωσμὸν ἢ διαφθορὰν Græci vocant. Est autem hîc tolerabile nomen τοῦ τόκου, quod propriè est perfecti partus, ἀντὶ τοῦ ἐκτρωσμοῦ cuius vsurpatio nusquam legitur ἀντὶ τοῦ τόκου. Quod nihil necesse est multis probare exemplis è schola Græcorum & Latinorum adductis.

Qvi venit dolor alvinvs.] A lochiorum systrophe circa locos, vnde non habet exitum: sed ibi manet sine anadrome ad superas partes, ac tandem cunctando, & noua febre oborta, suppurabilem facit humorem.

Pvrvlenta expvrgat.] Ab empyemate circa locos concepto: cuius empyematis mox venturi & exituri hæc signa sunt à præceptore tradita. *Dolor pragnandis hypogastrij, venarum micantium pulsus molesti; tactus cuiuslibet, etiam suspensi, molestia in hypogastrio. Atque si meliùs illi futurum sit, prorumpunt muliebria per sinum pudoris, exitque purulentus sanguis & graueolentior, per septem, octove, aut etiam nouem dies. Antea verò laborat doloribus atque incommodis circa locos & partes vicinas. Cæterùm cui muliebria purulenta conuenienter feruntur, profuerit sanè nullum restare vlcus. Nam si fortè supersit, maiorem industriam, cum pari coniunctam diligentia requiret à medico, ne putrescat, quemadmodum fœdi odoris.* Animaduertet autem studiosus, hîc de morbis agi quæ a lochiis sunt in vtero: sicut suprà de morbis inde ab vtero sursum.

lib. 1. περὶ γυναικ.

9 Αἱ ναρκώδεες καὶ μάλιστα ἐν τῇσι κινήσεσι μετὰ ἀδυναμίης κατακεκλασμέναι, περὶ κρίσιν ἐνοχληθεῖσαι, ἀσώδεες· ἐφιδροῦσι πολλῷ. κοιλίαι καθυγρανθεῖσαι ταύτῃσι κακόν.

Quæ potissimùm in mouendo sunt pigræ ac torpidæ, & cum impotentia sunt incuruæ; circa crisin vexatæ, anxiæ, crebrò exudant. His vitiatæ alui perliquidæ: ingens malum.

IN DVBIA SPE & angustia salutis à phlegmonica systrophe, partem aliquam nobilem occupante; recreatio est ægri & medici ab empyemate, quod est eiusmodi vt æquè sit positum inter crisin perfectam, & certam desperationem vitæ ipsius. Tales euentus ipsi iam vidimus ab hepatis empyemate & pulmonum. Sic in symptomatis quorum futura est à lochiorum systrophe circa locos; bene res eunt, si empyema fiat quod citò exeat, exitumque habeat liberalem & liberum, nullo superstite vlcere circa locos. Hic tum natura triumphat de morbo, secura omnis periculi: quemadmodum in empyemate principatuum, naturaliter excunte, ac sine ipsorum corruptione quem pus ostendit fœdi odoris atque coloris. At verò si lochiorum systrophe non exoluatur, foras profusa, nec in pus vacuandum mutetur; inde mortifera venient symptomata [illegible], & inde signa funesta mox affuturæ mortis, qualia recensentur in hac prognosi.

QVÆ.] Abortiuum fœtum enixæ, nec tamen conuenienter purgatæ puerperiis purgamentis, ac sine fiducia empyematis: quod nullum ostendit nec edidit lochiorum systrophe circa locos.

SVNT PIGRÆ AC TORPIDÆ POTISSIMVM IN MOVENDO.] Ναρκώδεις, qua voce, vt dictum est alibi, partium omnium velut segnicies quædam ostenditur in officio faciundo, vel in appulsu τῶν αἰσθητῶν excipiendo, stupor & hebetudo: quamuis hic potiùs ad κινητικὰς referatur, quàm ad αἰσθητικὰς ἐνεργείας, cum ait:

POTISSIMVM IN MOVENDO.] Quod sanè symptoma hinc natum Hippocrates sic expressit lib. de rebus mulierum. Ἐς τὰ ἄρθρα τῶν χειρῶν, καὶ τῶν σκελέων, καὶ τῆς ὀσφύος ἡ ὀδύνη φοιτᾷ. i. *Ad manuum, & crurum, & lumborum articulos dolor procedit.* Et paulò pòst: Καὶ ἀκρατέα ἄττα τοῦ μέλεος τοῦ σώματος γίγνονται. i. *Tum artus quidam corporis impotentes euadunt.* Id autem est quod post segniciem & torporem hic legitur, ac disertis verbis, cuiusmodi sit, propalam explicatur.

ET CVM IMPOTENTIA SVNT INCVRVÆ.] Quæ incuruum corpus ac veluti arcuatum ostentant, more decrepitarum. Est enim κατάκλασις idem quod καμπυλότης, vt annotauit Galenus in curuatura palpebrarum, quæ vt κατάκλασις dicitur lib.6. Epid. sic καμπυλότης, lib.1. progn. Qua de re aliàs multa scripsimus ad eum locum vbi noster author agit de voce in faucibus elisa, quam vocat φωνὴν κατακεκλασμένην, eodem planè sensu, quo lib.3. Epid. posuit φωναὶ κατακλῶνται. ἢ κατακλώμεναι in tabidis, à prolapsu catarrhi ferini v[illegible]cali materiæ occurrentis in tempestate pestifera. Sunt igitur commemoratæ mulieres, μετ' ἀδυναμίας κατακεκλασμέναι. i. *incuruæ,* ab impotentia τοῦ φέροντος. i. *portantis,* & pondere τοῦ φερομένου. i. *corporis quod portatur.* Atque hæc impotentia facultatis, cum pari grauitate coniuncta corporis quod facultatis imperio regi debet, mulieres hic descriptas facit ναρκώδεας καὶ νωθρώδεας. i. *in mouendo pigras,* quod facit corporis lentitudo nata ex causis prædictis, videlicet ex facultate infirma, & corporis grauitate. Hinc venit κατάκλασις. i. *curuatura* mulieris incuruatæ, qua ostentatur ceruicis inclinatio ad pectus κατωνοὶς, quæ naturaliter esse solet [illegible], dorsum versus reflexa. Nisi quis fortè τὴν κατάκλασιν hic tantùm agnoscat in oculis atque palpebris, quorum diastrophe nominatur; illorum quidem ἴλλωσις, harum verò καμπυλότης. Amborum autem peruersiorum, ac veluti à distorsione curuatorum, commune nomen est ἡ κατάκλασις. i. *peruersio & curuatura.* Quò aduocari potest illud prorrheticum, suprà iam explicatum. Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομαὶ, ὀφθαλμοῦ ἴλλωσις κακόν. i. *Ex lumbis in anadrome, oculi peruersio; malè habet ægrotum.* Certissima enim securitas est, lochiorum à lumbis anadromen cieri ad caput, indéque affligi neruorum originem, cuius afflictæ symptoma est oculorum peruersio. Quæ ratio est Galeni hoc theoremate confirmata. *Nam illæ partes quæ à cerebro habent neruorum propaginem, vel à spinali medulla, cùm tale aliquid patiuntur, affectiones denunciant quæ sunt in ipsis.* Erit igitur curuatura ceruicis, à spina; palpebrarum verò & oculorum, à cerebro. Ac cerebri quidem afflictiones ostendunt hæc quæ sequuntur.

SVB CRISIN PERTVRBATÆ.] Quod est eiusmodi ac si diceret, ταραχώδεες, i. animo perturbatæ: id enim significat ταραχὴ. & eius nominis deriuatiuum τὸ ταραχῶδες, cùm absolutè scribitur. Est autem hæc perturbatio, dementiæ omnis prænuncia: quamuis hoc loco certam ostendat dementiam ex lochiorum natam anadrome quæ cerebrum occupauit, vnde apparet illa κατάκλασις palpebrarum, quam siccitas intulit, indéque conuulsio musculorum exilium, ac penè dixerim, inaspectabilium, ipsas mouentium.

ANXIÆ.] Quas nauseabunda tenet anxietas, quam excitat propagata bilis à cerebro inflammato, in partem omnium sensus acerrimi, nempe in stomachum [illegible], proptereàque cerebro [illegible].

CREBRO EXVDANT.] Quæ vox hic non est copiosi sudoris toto corpore profluentis: sed miliaris cuiusdam exigui, vel sudatiunculæ exudantis; vt suprà sæpe ostendimus. Atque hic sudatiuncula multa eò planè dicitur, quò pluuiæ multæ, vel ὕδατα πολλὰ in Epidemiis, quæ sunt eiusmodi, quantumuis minutulæ, quia crebræ aut diuturnæ. Quò me adducit illud SVB CRISIN: quod est morbis venturæ; natura fatiscente, diu multúmque oppressa. Est autem fatalis ad exitium sudorifica exolutio, quam peperit ingens oppressio, vt in substillo sanguinis nato à comate.

HIS VITIATÆ ALVI PERLIQVIDÆ.] Quæ liquidis excrementis, multùm & sæpe feruntur vitiatæ atque quodammodo exolutæ, cum paupertate summa caloris natiui, vt iam eas tædeat sui officij, quarum est illa [illegible].

INGENS MALVM.] Vel potiùs, illud ipsum quod perimit: sicut præceptor scripsit de phthisica diarrhœa, quæ, simulatque incidit, citæ est mortis: quoniam, authore Galeno, γίνεται ἐν ἀρρωστίᾳ τῆς [illegible], καὶ [illegible] *i. nata ex affata, vel admodum imbecilla virtute, ipsam naturam facit imbecillem,* [illegible]

10\. Τὰ γυναικεῖα μὴ ἐπίσχεσθαι χρήσιμον. ἐπιληπτικὰ ἐκ τῶν τοιούτων γίνεται. ἐνίοισι δὲ ὑποφοραὶ μακραί, ἐνίοισι δὲ αἱμορροΐδες.

Salutare est, muliebria non cohiberi. Nam inde veniunt epilepsiæ: quibusdam autem profluuia longa ventris, vt arbitror; nonnullis etiam hæmorrhoides.

IAM illud suprà est positum ac demonstratum; quòd omnia quæ apponuntur ac deducuntur apposité, jus habent naturæ, ipsamque tuentur atque conseruant naturaliter instituta & consueta. Inter ea quæ deducuntur, naturaliter instituta & consueta; purgatio est muliebrium. Ac menstruorum quidem in menstrualibus: lochiorum verò, in ipsis puerperis. Puerperia purgamenta, nuper ad examen adducta sont. De menstruis & menstrualibus nunc dicendum. Enimuero menstruales sunt virgines, viro maturæ: item mulieres vacuæ à puerperio: tum steriles & infructuosæ. Huiusmodi autem sunt, vacuo semper vtero; at menstruales dicuntur, quòd menstrua sit earum purgatio naturaliter instituta & consueta; si nulla sit excusatio morbi, mœroris, vnde sic emacruerint, vt nihil in iis vacuandum supersit, nulla item lactis nutritij. Nam grauidarum nulla est purgatio menstrua κατὰ φύσιν, præsertim post τόκον. Iam verò illud quærendum, cur eam purgandi legem mulieri Deus indixerit κατὰ λόγον, i. *merito* naturæ muliebris, vnde illa purgatio, muliebrium nomen habet: ac forté est ipsa muliebritas, vt placuisse video præceptori, cùm ait: Phaëtusam, olim naturaliter menstrualem, non potuisse γυναικίζεσθαι, i. *mulierescere*, vel *muliebritatem rursus habere*, quam priùs amiserat ex viri exulantis prægrandi mœrore atque tristitia, cum ei sedulò medicatum fuisset ad menstruorum suppressionem. Ergo menstruorum causa est ἡ γυναικείη φύσις καὶ χροιὴ. i. *natura muliebris & color*, vel potiùs, superficies perpolita & leuis. Nam veteres Pythagorei, vt suprà diximus, omnem cuiusque corporis superficiem, χροιὰν vocabant. Coloris autem atque naturæ summum jus habet τὸ θεῖον, proptereáque principatum obtinet causarum omnium, tam efficientium, quàm excipientium. Et quoniam τοῦ θείου potentia in natura potissimùm elucescit, quæ est ipsa vis Dei, ac nefas est illam ad examen vocare, nulli subjectam categoriæ, sed omnium potentissimam; examinandi ratio nobis erit super colore tantùm atque natura. Ergo fundamentum naturæ muliebris ac muliebrium purgamentorum, est vterus, cui omnino respondet corporis vniuersitas similiter constituta vt ille. Sic enim Galeni iudicium est, vbi ait; καὶ γὰρ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα τῇ μήτρᾳ ὁμοιοπαθεῖ ... In vtero summus opifex ingenerauit amorem gignendi, proptereáque fundus est concupiscentiæ, per quam expleri cupit genitura virili, vt amplexatur; cuius oblectamento vicina genitalia sunt in promptu, eique de suo impertiunt; principio semen ipsum muliebre, continuò dum coit libidinosè: vt id quod à viro excepit, nutriendo contineat, & continendo concipiat, sobolis procreandæ causa. Etenim ad fœturam συναποπίπτει τῷ γονῷ ἡ τροφή. i. *vnà funditur cum semine alimentum*. Inde succedit sanguis per venas hystericas, vnde coagmentatio est, siue παρέγχυμα viscerum, & intertexta fibris neruorum caro, vnde assurgunt musculi & ipsa cutis. Nam jecur λεχμάλιον, i. fons & origo gratiosi humoris, affinitate quadam, concupiscentiæ & amoris voluptuarij, vtero morem gerit, eique subsidio est, illuc transmisso sanguine quo irrigatur fundus matricis concipiendo atque gignendo, & concepto fœtui nutriendo. Affinitatem matricis cum jecore, illud declarat maximè; quòd suffocationem hystericam (quæ impeditis accidit instrumentis spirandi, à diaphragmatis oppressione) ipsum jecur excitat ex vtero sibi adjacente, qui eò cursum inflexit, tanquam ad fontem gratiosi humoris, sitim explere cupiens in muliere grandiore ac vidua, nec ampliùs menstruali, cuique profusior aluus, intestino recto collapso, cum siccitatis & leuitatis accessione occasionem dedit vtero, per locorum amplitudinem, conuertendi se & affectandi viam ad illud ἱμαλιον jecur. Sed ipsa quoque vteri concupiscentia, & rei venereæ indulgentia, sufficit ipsa per se proliciendo sanguini & ciendo ad exitum celeriùs menstrua purgatione, vt scilicet ea mulier bis mense ac sæpius, menstrualis esse videatur, ἢν χαυνότερα ᾖ, ἢ λαγνεύουσα, ἢ σπαταλῶσα ... Hac igitur parta consuetudine ac natura excipiendi & effundendi sanguinem eò transmissum & inuitatum, vix vlla suscipitur hæmorrhagia, quin ea per vterum viam affectet. Hæmorrhagiæ hystericæ ac periodicæ in causa hæc sunt: primùm repletio carnium & venarum in corpore quod est δυσδιαπνευστον. i. *vix perspirabile*; inde nauseabunda illarum partium repletarum ac toto corpore turgidarum expressiorum rigor obortus, vnde concussionis ad excutiendum occasio. Repletionem parit vtramque, humoris vbertas quam edit primùm edacitas, parem vim nacta in hepate caloris sanguifici; exigua distributio; perennis ebrietas molliorum carnium quæ instar cuiusdam lanæ depexæ madescunt διὰ τὸ ἱκμάδα quam continenter excipiunt otiosa vita, & penè nulla corporis perspiratio; vacuitas vteri, ad cuius grauiditatem futura est tam copiosi humoris, cuius nimia abundantia venæ distentæ, ac nimiùm carnes oppressæ; quia non est ἀνάλογον τὸ πλῆθος τῆς τροφῆς ... leuationem ac libertatem anquirunt & parant liberali sanguinis excretione. At primùm quidem è mammarum ac ventris vicinia, quæ affinis est vteri, sanguis eò prorumpit, quò suam dicauit operam olim nutriendo fœtui; continuò vt partibus illis eam legem Deus imposuit & natura. Hæmorrhagiam cœptam è mammis ac ventre, perficit & absoluit vniuersi corporis eò conspirans euacuatio. Itaque naturalis est conspiratio vacuandi sanguinis per locos & vterum, hepate primùm duce affini concupiscentiæ, mox ipsis mammis, quarum est sympathia iure societatis atque

lib. de natura muliebri. Aff. libro de sen u.

Parecbasis de periodo mẽstrua.

Theoph. lib. 1 de causis plant.

Gal. comm. ad 1. apo. 1.

atque vasorum: tum comite tum corpore, cuius venæ & carnes purgationem cœptam sequuntur, & corporis voto absoluunt, superuacanei sanguinis nauseabundam plethoram ad vterum transmittentis. Atque illa transmissio memoriam mihi renouat eius hydropis quem ἀνασαρκίδα Græci vocant: cuius quidem aqua toto diffusa corpore ἀνὰ τὰς φλέβας, in aluum prorupta, ipsum exoluit. Hic enim, vt illic, menstrua cietur purgatio è tumido atque turgido corporis vniuersi habitu, per quandam ἀναστόμωσιν venarum & carnium expletarum, quæ sanguinem refundunt in venas majores, quem ipsæ priùs in carnes effuderant. Atque hæc vacuandi ratio per menstruam purgationem, est veluti quædam palindrome, sicut in illo hydrope, quam facit ἀναστόμωσις carnium oppressarum κατ' ἄσιν. & fortis naturæ contentio, vnde compaginis tollitur molesta & plumbea grauitas, atque, vt ita dicam, ἀχθηδών, quam facit potiùs portari ponderosa moles, quàm portantis infirmitas. Est igitur mulieribus naturaliter insita necessitas, & instituta consuetudo purgandi sanguinem superuacaneum per muliebria: sicut & viris altero crure mutilis, per dysenteriam αἱματώδη, si nullam quotidiani victus partem deduxerint è corpore mutilo, & eius quiete. Nam vacua mulier est imperfecta, nec suis absoluta partibus, vt ζῷον πεπηρωμένον, sicut placere video Aristoteli. Atque illa consuetudo purgandi per vterum, occasionem dedit naturæ, inflectendi cursum per muliebria ad criticam vacuationem acutorum morborum. Vetus est illud Hippocratis. *Perculsum caput, aurium echo, hæmorrhagiam cient, aut mulieribus muliebria: idque cùm aliàs, tum si ardoris sensio sit à rhachi.* Etenim naturæ muliebris vnicum esse solet perfugium atque præsidium ad bonam valetudinem aut conquirendam, aut conseruandam, per muliebria, in omni affectione plethorica, tam vniuersali, quam particulari: tum in omni sanguinis gargalismo siue orgasmo: quoniam sic natura mulierum est comparata, vt earum sanguis ad locos & naturalia cursum inflectat; proptereáque si rectè valent τῇ φύσει καὶ τῷ ὑγιαίνειν, i. *natura & valetudinis cura*, non nisi menstruorum & lochiorum cruentam purgationem experiuntur; nec vnquam varicibus, nec hæmorrhoide, nec etiam hæmorrhagia per os & nares tentantur. Itaque tanta est beneficentia hystericarum illarum purgationum, vt lochia puerperis, menstrua mulieribus vacuis atque adeo virginibus vix adhuc menstrualibus, ea secum adferant incommoda, vt morbis mortiferis defungantur.

Coac. capit. 19. lib. 2.

Coac. 8. capit. 1. lib. 2.

Arist. lib. 3. cap. 19. de hist.

Hic superstitio esset vel ostentatio exemplis ac legibus lectorem obruere quæ super hac re passim leguntur apud Hippocratem. Sufficiet igitur quod omnium instar adducendum putaui. Locus est de crisi acutorum quæ septimo die, nono, vndecimo, aut etiam decimoquarto, duce natura, suscipitur; vbi mulierum propriam atque criticam excretionem annotauit his verbis: ἐν γυναιξὶ δὲ καὶ ἐπιμηνίων ῥύσις, i. *Mulieri profluuium menstruale morbum exoluit.* Nec verò tam peccatur in commoda nobilissimæ partis menstruorum ad ipsam affluxu, quod totum corpus deonerat (quod alio esset grauissimum atque mortiferum, si tantùm hæmorrhagiam exceperis; quàm eius virtuti ac dignitati adiicitur, fundum irrigando ad excipiendum & concipiendum semen prolificum. Nam fœtu descripto, purissimus eò sanguis attrahitur, & à fœtu per vmbilicum excipitur, nutriendi & vegetandi causa. Itaque menstruorum ad locos officiosa deriuatio, commendabilis est priuilegio legis illius quæ sic à dictatore sancita est. *Si quando in ventrem sanguis, contra naturam, effunditur, ipsum corrumpi necesse est*; videlicet putrescendo & grumescendo, quoties incapacitatem amplam illabitur, qualis est vterus. Quod profectò fieret, si vel ad punctum temporis affusus maneret qui statim effunditur. Sunt enim grauissima sanguinis in vtero grumescentis incommoda. Iam verò illa repletio πληθωρικὴ, quam diximus venarum & carnium, occasionem habet vomendi ac refundendi sanguinem superuacaneum, ab horrore quem ciet seri expressio è venis lumborum ad cutim; eáque concussio carnes proritat siue sollicitat ad excutiendum sanguinem quo imbutæ madescunt, nec dum illius facta est ἐξαιμάτωσις. Nam καταμηνία quam ipsa facit, mulieres vindicat ab omni molestia muliebrium suppressorum. Sequitur vt dicamus cur menstrua sint muliebria.

Coac. 158. lib. 2.

Enimuero illa purgandi frequentia & consuetudo per singulos anni menses, vnde ipsa purgatio nomen habet muliebrium menstruorum, subinde occasionem renouat ipsi vtero concipiendi semen prolificum ad sobolem procreandam semel in anno. Sic enim subinde irrigatur atque tepescit fundus à sanguine, cum hiatu cotyledonum, qui antea conniuebant. Notum est illud: Ὅτι μετὰ γυναικεῖα τὰ δεξιά, τὰ δ' ἀριστερὰ χάσκει. i. *Quod à partu modò dextra, modò sinistra hiant.* Quæ ratio clariùs explicatur à præceptore, his verbis. *Postquam mulieres fuerint expurgatæ, potissimùm aluo, concipiunt, viri complexu gauisæ. Tum enim semen earum valet, si rem cum viro, vt decet, habuerint. Ipsumque viri faciliùs cum eo miscetur; cuius si potens fuerit, ius habet fraternum. Quinetiam eo tempore hiat os vteri atque protenditur, exacta purgatione menstrua. Nam vena repleta, similiter semen non attrahunt.* Ergo menstruorum consuetudo, accensa libidine coeundi, cuius explendæ causa, mulier viam ad virum affectat; tum ab vtroque semine solidiore; tum excipiendi & concipiendi opportunitate, mirificos adfert sobolescendi fructus.

Sent. 24. part 7. 6. Epid. lib. 1. περὶ γυναικ. nam.

Sed patefacto naturæ scopo & fine in menstruis, hîc iure & loco quærendum, quænam sit causa illius periodi menstruæ, per quam suscipitur atque absoluitur ipsa purgatio. Hic venit in mentem ἡ πλημμυρὶς καὶ ἀμπωτις: quæ duo cernuntur in mulieribus, sicut in mari. Est enim affluxus atque refluxus muliebrium menstruorum. Ac πλημμυρίδα quidem hæc faciunt. Nam hepatis vena, quam accepit ab hepate crudioris sanguinis abundantiam, hæmorrhoibus venis impertit, per totam compaginem distribuitis: quemadmodum hæ rursum expletæ per quandam ἀναστόμωσιν, eundem quodammodo euomunt in venas minores, carnibus & cuti affixas, nutriendi causa. Et quoniam tali appulsu κατ' ἄσιν carnes non gaudent, nec eius fruuntur ἐξομοιώσει, similiter vt cùm fit καθ' ὁλκήν. Sunt enim σήραγγες, ὅλαι καὶ φλέβες, vt ait præceptor: ideo multæ supersunt reliquiæ superuacanei sanguinis tota compagine carnium molliorum atque venarum. Hinc venit duplex illa plethora, quæ tum ad vasa dicitur, tum ad vires; maximè verò cùm cessat accretio corporis, penè omni perspiratione carentis, & otiosa est vita, somno & ni-

mia edacitate, fortassis etiam bibacitate, sepulta. Vtraque illa repletio, perenni sanguinis accessione fit σαρκώδεσι carnibus atque venis, in quibus ipsa residet. Hinc diligentis sui naturæ insultus & ἔφοδοι, quam ipsa per se inuenit; nec ratione duce, & qua vna, certis quibusdam periodis, criticas mouet excretiones atque abscessus, quoties proritata, in sui leuationem incumbit contra omnem molestiam. Itaque natura potens causæ molestæ per ἔφοδον siue insultum, τὴν παμμυελώδεα ἐς τὴν ἄμπωτιν conuertit: non eò quidem vnde ipsa venit; sed ad fundum amoris voluptuarij, i. ad vterum, qui eã veluti ad se rapit, cupiditate nimia incitatus. At ἄμπωτις primùm lucet in æstu & grauitate lumborum, ex particulari repletione venarum & arteriarum quæ adjacent lumbis, & illac excurrunt ad inferas partes. Inde obortus horror, vel etiam rigor, concutiendo excutit illam molestiam grauitatis per venas hystericas; ad fundum prædictum.

Sed παμμυελώδεα ad summum perductæ, non est tam cita repletio, nec inundatio in mulieribus, quàm in terra è mari. Illa ferè tribus, vel ad summum, quatuor absoluitur septenariis. Ac tribus quidem, in iis quæ sunt mollissimæ & otiosæ: quatuor verò in aliis quæ sunt viragines, atque in labore corpus conficiunt. Nam solidæ ac succi plenæ, quarum est habitus mediocritas, inter prædictas medium tenent locum replendi & expurgandi sui. Vt enim mollissimæ replentur celeriùs; viragines autem seriùs: ita purgantur illæ quidem diutiùs, hæ verò celeriùs: harum enim purgatio tantùm est bidui: sed illarum est quinque aut etiam septem dierum. Quem omnium, ne errarent, terminum expurgandi communem esse voluit sanctissimus Moses Dei edicto, cùm ait: *Mulier menstrualis, septem dies in menstruis esto.* Est igitur menstruorum causa, ἡ παμμυελώδης ἄμπωτις siue palindrome κατὰ λόγον, i. merito instituta & consueta, duce natura; cuius proritatio, ac veluti quædam σαγήνευσις, ipsam ad ἔφοδον, i. *insultum* valde sollicitat, contra humorem superuacaneum quo partes madescunt imbutæ, non autem nutritæ. Non enim minus humoris affluit mulieribus κατ' ἄλλον ad carnes inutilis; quàm ipsis apponitur καθ' ὅλον vtiles, ad ἐξομοίωσιν, nutriendi ac vegetandi causa. Hîc finem scribendi faciam de menstruorum natura & causis. Nam cætera quæ sunt in iis κατὰ τὸ πλῆθος καὶ πάθος, suo quæque loco scribentur.

SALVARE EST.] i. Salubritati mulieris accommodatum; quod æquè valet ad conquirendam eius valetudinem, atque ad conseruandam. Menstrua enim multis beant commodis ipsam mulierem, quibus vita carere non potis est, ac sine iis secunda frui & commoda valetudine. Nam corpus vindicant ab excrementis quæ ipsi sunt ægrotandi causæ. Tum nutricatus ac spiritus œconomiam, vitæ custodem, efficiunt bene moratam & constitutam. Actiones humanas quæ sunt mentis diuinæ, non sinunt aberrare à scopo ipsius atque imperio. Vigiliarum & somni est certa & constans vicissitudo. Cibi, potiones, & excrementa, votis naturæ respondent. Quibus accedit fœcunditas, velut ægrorum, testibilis. Morbi congeneres & qui cum ætate simul accrescunt, ac συγγενεῖς nominantur, menstruorum libera & liberali purgatione quiescunt. Denique quæ intrà sunt inutilia siue incommoda, transeunt in naturæ commoda, beneficio menstruorum. Quinetiam morbi omnes qui extrinsecus enascuntur, siue diæta, siue spiritus quem ducendo viuimus, in vitio sit; non rarò spe certa salutis consolantur medicos à menstruorum ope, quos metu exterrent in viris. Bene res eunt igitur mulierum menstrualium, quibus menstrua bene respondent τῇ φύσει, καὶ τῷ ὑγιαίνειν. i. *natura, & valetudinis cura.* Non enim sunt varicosæ, non hæmorrhoicæ, non item podagricæ, nec hæmorrhagicæ. Denique, vna spes medicandi atque curandi mulieres, & sanitatis eorum tuendæ fiducia, in liberali & libera menstruorum purgatione consistit.

MVLIEBRIA NON CESSARE.] Seruata periodo menstruæ purgationis, naturaliter instituta & consueta, vt dictum est: donec ad tempus ventum sit tempestiuæ suppressionis, quo in perpetuum cessat illa mulierum muliebritas. Vbi etiam suadet Hippocrates, mulieribus olim fœcundis ac cæteris quibus erat menstruorum vbertas, bis anno sanguinem detrahendum per triennium aut quadriennium. Ac tempus illud quo tempestiuè menstrua supprimuntur, varium est pro natura cuiusque mulieris varia, complexione item atque compagine. Sed tamen illius obseruatio est ferè a quadragesimoquinto, ad circiter quinquagesimum ætatis annum. Nam quæ mulieres, mœrore aut morbo confectæ sunt; tum quibus est genij defraudatio, per abstinentiam; aut quæ in copia lactis nutritij, sæpe ad mulctram veniunt: hic nulla est æquitas iis menstrua expectare; vel temeraria medicina, velle ciere, vbi vacuitas est materiæ menstrualis.

NAM IN OE VENIVNT EPILEPSIÆ.] i. Summa omnia conuulsionum, qualia esse solent earum quarum in cerebro causa est conuulsifica, vt epilepsiæ quæ principatum obtinet conuulsionum. Est enim objectionis illius depulsio facilis, qua infertur ex præceptore, hystericarum, febre carentium faciles esse conuulsiones. Est autem obiectionis formula his verbis concepta. Οἱ ἐν ὑστερικοῖς ἄπυροι σπασμοὶ εὐχερεῖς. Quod vt concedam verum esse: tamen non minuit authoritatem huius prognoseos de graui epilepsia quam infert muliebrium menstruorum suppressio. Non enim τὰ ὑστερικὰ, hic sunt hysterica; sed menstruorum anadromes symptomatica, qualia recensentur in illa prognosi. Τὰ γινόμενα ἐν τοῖσι χρόνοισι αἱμοῤῥοΐδεα, μὴ αἱμοῤῥαγέοντα ἐπιληπτικῶς θνήσκει. i. *Sanguiflua statis temporibus consueta, si de more non fluxerint; epileptico modo interimunt.* Ac stata quidem atque quodammodo periodica hæmorrhagia, cernitur muliebribus per Lunæ periodos; in mutilis per easdē; in hæmorrhoicis, autumno & vere; in iuuenibus, æstate & vere: tū iis quos dolorifica in lumbis mala exercent; & qui à lumborū dolore sunt cardialgici. Hæc autē stata profusio sanguinis, varia est; per vterum, per intestina, per hæmorrhoidas, & per nares. Sed vt ad stata redeam muliebria; certū est, eorum suppressorum anadrome ibi morbos enasci, vbi subsistit; quæ si ad caput cursum inflexerit, & exitum moliatur, hæmorrhagiam ciet per nares: sin autem ibi subsistat, vel eius hæmorrhagia inhibeatur; epileptica primùm edit symptomata, mox apoplectica, vnde cita mors venit; vt ipsi vidimus in Comitissa Maulevrier. Sed inter symptomata quæ menstruorum, statis olim temporibus naturaliter consuetorum, parit suppressio, instar omnium posuit epilepsiam,

Coac. 13. capit. 14. lib. 2. & prot. 27. l. 3. 1.

cum scilicet

cùm scilicet ad vltima ventum est perniciosæ anadromes eorum, de more non exeuntium, sed exitu naturali carentium: idque vel culpa non expellentis naturæ, vel contumacis materiæ vitio, meatuumve non meabilium, vel vteri peruersione aut conniuentia. Nam cætera suppressionis huius incommoda, sic ordine recensetur à præceptore. Primùm quidem est tensio grauis lumborum. Ex hac tensionis causa, quæ est menstruorum suppressio, mulieres tertio mense perhorrescunt; incertis febrium paroxysmis exercentur; tum suffocatione laborant hysterica, & lumborum dolore vexantur. Sed quarto mense, nisi exitum liberalem habeant τὰ καταμήνια, grauioribus malis augentur; ac præter illa trimestria, crassas vrinas reddunt, venter est illis durus, ac maior solito: est quoque stridor dentium, sunt item vigiliæ & cibi fastidia. Et verò mala omnia ingrauescunt prædicta, cùm ventum ad ipsum tempus menstruum periodi. Quinto mense, malorum omnium prædictorum calamitosa vis, penè redditur intolerabilis. Sexto mense summa sunt omnia symptomatum prædictorum, & grauiorum accessio: qualis est quam hîc posuit epilepsia, quæ numquam sic incidit per sanguinis ad caput anadromen, quin eam statim funesta excipiat apoplexia. Nam cæteras epilepsias narrat Hippocrates post 25. annum συναποθνῄσκειν, i. commori suis epilepticis. Est quoque horum symptomatum sexto mense accessio. Tum enim iactantur mulieres, ac torquent seipsas: crebrò vnà concidunt & consternantur; pituitam difficulter vomunt, inexplebilem sitim habent, incendio conflagrante aluo, ex repletis sanguine naturalibus. Vrinam vix reddunt, allabente vtero ad stomachum ipsius vesicæ. Quinetiam lumbis dolent, ceruice ac dorso. Lingua velut frænо compescitur, ac sæpenumero captæ sunt voce. Stomachus vellicatur atque mordetur: spiratio elisa, in faucibus, toto corpore peruruntur. Ac tum vrinæ redduntur cruentæ, cùm vesica ferum sanguinis ex vtero absorbuerit: venter & crura cum pedibus intumescunt. Mors inde venit, latentibus in occulto menstruis per illud tempus semestre. Nam sexto mense curatio non est sperabilis. Omnium autem symptomatum quæ menstruorum infert suppressio, maior est grauitas; maior item ad eam suppressionem propensio in sterilibus, quàm in fœcundis. Est enim fœcundis amplitudo maior venarum, quæ & sunt magis meabiles ad effundendum, & capaciores ad excipiendum, & continendum minore molestia: quoniam nouimestri grauiditate consueuerunt repleri, ob eamque causam minùs iis molesta est illa repletio quæ transiit in consuetudinem. Quinetiam iis multò faciliùs atque ampliùs panduntur claustra locorum & vteri, quò liberalius atque liberiùs menstrua effundantur. Vt enim fœcundæ mulieres consueuerunt diu multumque repleri: sic etiam liberè ac liberaliter vacuari. Quamobrem nec tam molesta est illis repletio, si fortè inciderit; nec tam difficilis vacuatio.

Coac. 4. huius tract.

Qvibvsdam avtem profluvia longa ventris] Cùm scilicet diu multumque aluus fertur liquidis excrementis, non quidem mulieris commodo: quia sic dolorificum malũ foras non exit; sed intus ad hypochondria velot γαγγραίνωμα subesse ostenditur, vbi substitit humoris anadrome. Adiicit autem periculo longum illud alui profluuium, eique ipsum sæpe τὸ ἀγαθὸν, vt suprà ostendimus.

Nonnvllis etiam hæmorrhoides] Non quidem præsenti periculo, vt longum alui profluuium: sed fortasse subsidio. Vt enim mulieri nihil optabilius quàm menstrua hæmorrhagia: sic nihil est illi expectandum magis, cùm ea deest, quàm hæmorrhoides conuenienter ductæ. Atque vt hæmorrhagia vere dicta, superiorum partium est vnica salutaris: sic hæmorrhoides inferarum, quibus tum cacochymia melancholica, ex menstruorum suppressione nata expurgatur: tum etiam repletio venarũ lumbis adiacentium, in desiderio menstruorum depletur. Est autem hæc dianœa magistri, vt doceat menstruales quibus menstrua non respondent, non aliter vindicari posse ab illis symptomatis atque periculis quæ infert eorum suppressio, quàm per hæmorrhagiam, varices, & hæmorrhoidas: quamuis illa perfugia, mulieribus non sint naturaliter instituta, nec consueta, ob eamque causam suspecta. Nisi fortè ad vindicandum sufficiat ὁ παλινδρομία, vt iam diximus.

11 Τῇσιν ἐπιφόρῃσιν ὑποχονδρίου ἄλγημα· κακόν. καὶ κοιλίαι ταύτῃσι φερόμεναι· κακόν. καὶ τὸ ἐπιῤῥιγοῦν ταύτῃσι· κακόν.

Grauidas malè habet hypochondrij dolor: tum alui quæ his feruntur: quinetiam ipsas superrigere; pestiferum.

De gravidis illud sancitum est à præceptore, vt careant iis incommodis atque symptomatis, quibus tum fœtæ & fœtui vis infertur; tum verò gerendi nutriendique fœtum adempta commoditas, periculo adiicit abortionis. Fœtæ ac fœtui vim magnam infert hypochondrij dextri dolor. Abortionis periculo adiicit aluus profusior & rigor obortus, vnde adimitur omnis commoditas nutriendi atque gerendi fœtum. An verò illa tria hic posita huc simul aduocentur, singulàne ipsa per se sufficiant ad eam calamitatem abortiendi; mea sic erit ratio in examine huius prognoseos.

Gravidas] Græcè est, τῇσιν ἐπιφόρῃσιν, quæ vox cuiusmodi sit apud Hippocratem, dictum est non ita pridem.

Male habet] Quod scilicet multùm peccat in commoda fœtæ ac fœtus. Est enim τὸ κακόν, nomen commune malorum omnium quæ fiunt quæque apparent eorum periculo quos occuparunt. Atque hoc nomine continentur magna morborũ pathognomonica: quæ sunt eiusmodi magnitudine & idea; quibus accedit æqualitas vel intensio, tum assiduitas. Continentur etiam τὰ ἐπιγινόμενα, quæ tantùm in morbos cadunt qui sunt inter magnos eximij, vt hepatis inflammati, singultus. Postremò, terrifica

[illegible] sputorum, vrinarum, deiectionum, & empyematum, omnia nominantur [illegible], sicut prædicta: quòd scilicet malè habeant periculosè: adde, si placet, mortiferè omnes ægrotos, vt scilicet illa morbi cuiusque merito, non autem naturæ, magis aut minùs apparent & fiunt. Ergo grauidas malè habet.

HYPOCHONDRII DOLOR] Dextri præsertim, cuius est ea nominis prærogatiua cùm hypochondrij nomen scriptum legitur absolutè apud Hippocratem. Est autem hypochondrij dextri dolor, quem vel inflatio, vel inflammatio excitauit. Inflationis causa est spiritus flatulentus, atque obstructio, quam inde rara febris exoluit. Nam sectio venæ non confert vbi nulla est phlegmone. Difficilis autem purgatio est in contumaci obstructione, vbi corpus non est meabile. Sed obstructionis incommoda sunt impedita chyli digestio, intestini oppressio, & proritatio, vnde diarrhœa chylosa, quam paulò pòst dicet malè habere grauidam, dolore hypochondrij occupatam. Inflationis autem symptomata sunt; diaphragmatis inde oppressi offensio, vnde spiratio difficilis esse solet: cuius libertas potissimùm grauidis, & sibi & fœtui, expetenda. Sed inflammati hepatis, quando systrophica est inflammatio, sæua symptomata esse solent, quæ cernuntur in prægrandi dolore, cum hypochondrij duritate, ac tum in promptu sunt, cauarum quidem inflammatarum, tormina intestini, stomachi cardiogmos, singultus ventriculi atque nausea, sitis inexplebilis, linguæ scabricies & nigredo: connexarum autem, phrenitis à diaphragmate, sicca tussis, difficultas magna spirandi; ac tum hypochondrij duri dolor prægrandis qui prorepit ad iugulum: ambarum partium commune symptoma est febris, sed conuexarum maior. Quæ omnia cum dignitate partis afflictæ, officiique præstantia, & ipsa symptomatum vehementia & calamitate, omnibus æquè naturis, omnique sexui periculosa sunt: tum verò illud adiiciunt periculo fœtus, quòd ibi non est par necessitati commoditas, vbi non est ratio redintegrandi, sicut in cæteris, vacuatione, cocterismo, atque diæta; quemadmodum rectè Galenus annotauit ad illam sententiam. [illegible] (aph. 52.5.) [illegible] *i. Mulierem grauidam acuto morbo corripi, lethale.*

TVM ALVI QVÆ HIS PARVNTVR] Quæ scribendi ratio, tametsi pertinet ad ventris profluuia, quæ omnes grauidas periculosè habent, periculo abortiendi: tamen non æquè ad alias atque ad illas de quibus apposuit ea profluuia doloribus hypochondrij. Enimuero ferri aluum grauidis frequenti profluuio, infert periculum abortionis; non eò solùm quòd vacuatio est genij defraudatrix, sicut à sanguinis detractione, vt placet Galeno (aph. 34.5.): sed quòd ipsa vincula grauiditatis laxantur. Sed ea calamitas abortiendi ex alui profluuio, potissimùm in iis apparet quas ante illud profluuium, hypochondrij dolor exercuit. Nam si dolorem inflatio excitauit, vnaque obstructio symptomatica; erit quæ inde nascitur diarrhœa, chylosa. Sin autem cauarum hepatis partium inflammatio mouerit dysenteriam; tum certè eueniet vt quæ sic fertur aluus, non solùm impotentia fœtum gerendi ac nutriendi, sed etiam summa eius molestia ipsum ante diem excludat. Ex quibus efficitur, nullum alui profluuium, quantumuis criticum, rebus integris grauidarum posse cieri; si tantùm exceperis quod mox infrà ponetur.

QVIN ETIAM IPSAS SVPERRIGESRE, PESTIFERVM] Etenim rigor omnis, eò grauidas malè habet, quia cieri non debet, cùm in grauiditate suppressio est menstruorum, sicut in fœtus vacuitate. Quò fit vt obortus rigor in grauidis, periodicè quidem à febribus, aut etiam criticè, fœtus incommodo cieatur, concutiendo: symptomaticè autem; ab empyemate securitatem vitæ adimat puerulo atque matri. Ac talem rigorem ostendit [illegible].

12 Ὀδύνη κοιλίης ἐν τῇσι τοιαύτῃσιν ἧσσον κακὸν, ἢν ἰλυώδεα χωρέῃ.

In talibus dolor alui non ita est malus, si expurget limosa.

EST QVIDEM concitatio alui molesta puerulo qui & fœtore deiectionum offenditur, & inde loci impatiens, præcipitem habet exitum, prolapsu grauiditatis, quam vinculorum ipsius exolutio continere non potest. Sed tamen si concitatio alui talis omnino sit, vt eam sic esse profuerit, quia dolorificum malum citò expurgat; de illa verendum nihil est, ob impotentiam gerendi & nutriendi fœtum, quam aluos profusior inferre solet.

IN TALIBVS] Modò descriptis, quarum grauiditas in metu est abortionis, ex alui dolore atque fluore.

DOLOR ALVI] [illegible], non quidem fixa firmiter & prægrandis, sed pressa leuiter atque fugax, quam alibi vocat (aph. 2.1.) [illegible], *i. perturbationem alui,* quam excitat illud ipsum quod infrà transmittitur: non autem sursum reuoluitur, nempe humor & flatus.

NON ITA EST MALVS] id est, Minùs grauidam malè habet, quàm is quem ciet crebrò aluus profusior.

SI EXPVRGET LIMOSA] i. Si à tormine fugaci & leui, aluus ducatur multùm & raro, quod signû est ducis naturæ, ac purgationi aluinæ quodam imperio præeuntis: ducatur autem crassiusculis excrementis, atq; quodammodo figuratis, exquisitè permixtis, non liquidis atque stridulis; non item spumantibus atque meris; nec sæpe & multùm, nec multùm & sæpe. Sunt enim hęc toto genere symptomatica, quæque molestia damnisque pariter ægros augent: sicut illa leuationem adferunt, cû pari alacritate, ac tolerantia egerendi coniunctam; idque cùm aliàs, tum si venter maneat solidus & succi plenus, quem [illegible] vocat Hippocrates. Vetus est illud pręceptoris: [illegible] *i. Si qualia decet purgari, purgantur, confert & leuiter ferunt.*

Sunt

Sunt autem τὰ ἰλυώδεα, excrementa limosa: non quidem amurcosa & nigra, velut sanguinis fæcem ipsius referentia: hæc enim semper sunt praua; sed qualia modò dixi, crassiuscula, exquisitè permixta, multùm & raro ducta, cum abdominis ἰσχύϊ. Nam si quis fortè, aucupio dictionis, pertinaciter contendat, τὰ ἰλυώδεα pertinere ad sanguinis ἰλὺν, quam agnouit Galenus in nigris deiectionibus, οἷον αἷμα; sciat is velim, multùm interesse inter ἰλυώδεις & ἰλύν. Non enim deiectiones illæ nigræ, sunt ἰλυώδεις: sed ipsa ἰλὺς τοῦ αἵματος. Deinde nihil eiusmodi potest infrà transmitti per aluum, nisi pessimis ægri rebus. Nam illa quæ leguntur apud Hippocratem μέλανα ὑποχωρέοντα bene infrà transmitti, pertinent ad hæmorrhoidas.

aph. 21. & 25. 4.

10 13 Ἤσι τῶν τοιούτων ῥηϊδίως τίκτεται· μετὰ τόκον δύσφορα σφόδρα.

Inter prædictas quæ pariunt facilè, ijs à partu reliqua difficillima.

Ænigmatica esset prognosis ex antithesi contrariorum, per consecutionem mali ex bono: cùm scilicet ἡ εὐτοκία, i. *partus facilis*, difficultatem adfert eorum quæ consequuntur à partu. Sed eam obscuritatem rerum ἐναντίων, minimèque consentientium, planè adimet diancea elegans & subtilissima præceptoris; vbi cernitur falsa & insidiosa leuatio grauidarum, fœtus ex facili deponentium. Sic igitur hæc diancea, obscuritatis nodum dissoluet.

20 Inter prædictas] Quæ rigent affecta iam grauiditate, quarum rigorem dixit esse pestiferum: vt ipsas etiam malè habet hypochondrij dolor, & alui profluuium.

Quæ pariunt facilè] i. Quibus ex facili partus est: non quidem propria sponte pueri & locorum, quorum enixu partus est fœlix, cùm pari amborum contentione suscipitur; sed à rigoris concussione qua fœtus excutitur, non secus atque in δυστοκίᾳ sternutamento fori aborto. Sed multùm interest, rigeatne aliquis, an verò sternutet. Nam sternutando, non raro defungimur magnis periculis quæ à rigore frustra citato & symptomatico inferuntur.

Iis] Quæ ita pepererint facilè; vel potiùs vt author posuit, quibus ex facili fœtus excidit, à concussione rigoris exclusus: vt facilis exclusio sit à concussione, quando est grauitas grauiditatis affectæ.

A partu] Editio in lucem fœtu vitali, propediem exituro; tum sua sponte, tum vteri quem tædet 30 grauiditatis.

Reliqua difficillima] Non eò quidem quòd pariendi facilitas, causam adferat τῆς δυσφορίας, i. *molestia ac laboris*; est enim absurdum, εὐτοκίαν facere τὴν δυσφορίαν; sed quòd occasio pariendi à concussione rigoris, difficultatem attulit purgamentorum quæ sursum habent μετάστασιν, nec liberè ac liberaliter expurgantur; sed inde ab vtero & in vtero morbi contingunt. Nam à rigore frustra oborto, materia rigorifera, metastasin habet ad diaphragma & caput.

14 Τῇσι κυούσῃσι φθινώδεσιν, ᾗσιν ἔρευθος ἐπὶ προσώπου γίνεται· αἱ ἀπὸ ῥινῶν ἀποστάξιες, τοῦτο ἀποτρέπουσι γινόμεναι.

40

Grauidis tabe implicitis, quibus est rubor in facie: illum substilla delent è naribus.

Enimvero symptoma phthisis natum à phthoë, non minùs fœtui quàm fœtæ ipsi calamitosum est: si quidem commeatus paupertas in fœta, genium defraudat fœtus. In vtroque par est conditio atque causa exitij: quoniam in vtroque par est infectio viuifici nectaris atque consumptio. Sed præter eas emaciandi causas quæ sunt in phthoë, i. pulmonis vlcere, proptereáque phthiseos nomen habet; perniciosa eius est sympathia & syntimoria cum capite: perniciosa item cum corde & iecore. Et sanè capitis 50 quod in sympathiam à phthisi adducitur, signum est in hac prognosi, cuius examen sic erit.

Grauidis] Quæ iam processerunt grauiditate vltra pueruli κίνησιν, ad motum vsque. Nam vix procedunt vlterius, cùm emacruerint multùm à phthoë tabifica. Vetus est illud: *Quæ supra modum emacruere mulieres grauidæ, bimestres abortiunt priusquam habitiores factæ sint.* Tametsi non est credibile, illam concipere quæ multùm emacruit, præsertim à tabe; cùm scilicet eò marcoris ventum est, vt adunci vngues liuescant. Sed à conceptu adiicitur tribus illis emaciandi causis quæ sunt in phthoë, vnde per summam corporis extenuationem abortiunt.

aph. 44. 5.

Tabe correptis] Φθινώδεσι: qua voce intelliguntur æquè phthisis capaces, atque participes. Hìc tamen consultò de phthisi fundata in phthoë, i. pulmonum vlcere, intelligendum putauimus. Id enim declarat quod sequitur. Nam de natura phthisis, suprà in promptu sunt prognoses tredecim, fide-60 liter explicatæ.

c. 17. li. 2.

Quibus est rubor in facie] Quod sanè videtur ἀσύστατον in macie phthisis, vbi sunt tres emaciandi causæ. Nam omnis maciei signum σύγχρονον est, cutis pallida & intenta, si absoluta est macies; pallida autem, si inchoata. Sed inchoatæ & absolutæ maciei, pallor est cutis, qui cum rubore eximio qui ponitur in hac prognosi, nequit consistere. Itaque rubor & macies sunt planè ἀσύστατα: quoniam vt in secunda valetudine pars omnis vnde capit τὴν εὐεξίαν, inde suauerubet; sic in aduersa inde pallescit, vnde

contrahit τὴν ὀρεξίν. Et tamen hîc scribuntur in eodem subiecto: quoniam illud secus fit in morbis acutis atque tabificis, in quibus per propagationem causæ morbificæ, partes quædam rubent, quæ paupertate alimenti sunt pallidæ, sicut nonnullæ calent, quæ per νέκρωσιν caloris natiui sunt glacie frigidiores. Iam verò malæ rubent in phthisicis: quoniam pulmonum anathymiasis tussiendo expressa, ibi subsistit, propter angustiam venularum, maiorum τασσόντων excipientium quæ non expirat.

ILLVM SVBSTILLA DELENT E NARIBVS] Quod est eiusmodi ac si diceret. Maciei absolutæ signum ὀχρότης, quod est in pallore cutis intentæ, rubro veneno fucatæ signum, inquam, firmiter fixum, palam ostendet fuci deletio facilis à substillo è naribus, quod infert sanguinis ἀκρισίαν, & partis exolutio vnde stillat, virtute omni collapsa.

15 Ἦσιν ἐκ τόκου γε λευκὰ, ἐπιστῇ δὲ ἅμα πυρετῷ, κώφωσις, καὶ ἐς πλευρὴν ὀδύνη ὀξείη· ἐξίστανται ὀλεθρίως.

Quibus è partu, alba quidem cum febre substiterint; tum surditas & vis acerba doloris in latus irrepserit; insaniunt desperanter.

DE LOCHIORVM symptomatis, cùm illa nec iure, nec loco sistuntur; dictum est abundè suprà. Hîc certè sufficiet explicare prognosin de scripto Galeni ad illud prorrheticum, vbi est iis expressa literis quæ hîc leguntur. Est autem scriptum Galeni, sic à nobis Latinè conuersum. *Atque ad certè scriptum hoc loco & huic cætimo sicut & alia multa prorrhetica huius libri, subiecta sunt catholica theoremata. Non enim solùm in albis quæ purgantur à partu si eorum suppressio fit, praua est ipsa signo & causa: sed etiam in biliosis, atque adeo sanguine ipso. Nam ipsa lochia, purgatio est; quæ, vel ipso nomine, rerum est alienarum, quæ tempore grauiditatis collecta sunt in venis: tùm scilicet quicquid in ipsis est boni sanguinis, in nutricatum fœtus absumitur, inutile autem manet, quod singulis mensibus antè per vterum excernebatur. Ergo si reliqua quæ supersunt in venis, vacuata non sint à partu, certè vel in phlegmonem magnam locos attollunt, vel etiam ad superas partes translata, morbos inferunt proprios partium obsessarum, cum pari periculo. Sed in quam partem irrepserint, id verò de signis quæ inde apparent, intelliges; sicut hoc loco caput & thorax praui sanguinis quem ab vtero exceperunt, signa ostendunt.* Sed pensum hîc meum absoluisse non videor, donec prognosin examinauero, similiter vt cæteras omnes quæ suprà sunt, ad examen adduxi.

Ergo QVIBVS E PARTV] Naturaliter edito, pari contentione vteri atque fœtus; idque post tempus exactum grauiditatis.

ALBA QVIDEM CVM FEBRE SVBSTITERINT] Quorum antè fuit libera & liberalis purgatio, vt in Philini vxore; quasi rerum in venis alienarum quæ stabulantur ibi dum manet grauiditas, absumpto frugi sanguine ad nutricatum fœtus. Ex quo efficitur, non eam solùm videri conspurcationem rerum albarum quę intempestiuè sistantur: sed etiam biliosarum, ipsiusque adeo sanguinis illic cunctando corrupti. Sed puerperialis illa purgatio, cuiusmodi ea fuerit, intempestiuè sistitur ante diem 18. si purgatio menstrualis erat duorum dierum, vel ante 27. si trium; 35. si quatuor; 45. si quinque, vt suprà posuimus. Sistitur autem à febre oborta, raptu bilis in venas, vbi collectione, motu, putredine, febrem accendit.

Coac. 3. c. 3. lib. 2.

TVM SVRDITAS] Quę occupato accidit auditorio & audiendi sensu: idque cita in caput anadrome biliosi humoris. De qua illud præceptum est. *In febre surditas aluum sistit.* Ac tum impedito appulsu τῶν ἀκουστῶν, nec iis exceptis in auditorio, neque perceptis in audiendi sensu, fœminæ obsurdescunt, simulatque purgatio sistitur lochiorum quæ sursum ad caput biliosa feruntur, febre oborta.

ET VIS ACERBA DOLORIS IN LATVS IRREPSERIT] Vbi anadrome lochiorum primùm subsistit, proptereáque dolorem ciet acerbum in tunica costis intexta, sensus acerrimi. Est enim verus illud, quòd omnis anadrome ibi dolorem facit, vbi subsistit. Hîc autem paulisper subsistit, & sursum ad caput inde cursum inflectit, vnde doloris qui occupabat latus, insidiosa leuatio est. Sequitur enim quod est grauissimum.

INSANIVNT DESPERATÆ] Proritato primùm cerebro ab effera bile flaua, cuius in atram facilis mutatio est. Eius autem sunt acriores morsus quàm flauæ. Tum illæ cœptis immanibus sunt efferæ magis; ac tum alteratio cerebri vertitur in alienationem & μαρασμὸν insanabilem. Ac de surditate prænuncia iamiam futuræ insaniæ, illud est positum à præceptore. Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσι [illegible], καὶ κωφώσει ἀγρυπνώδεα ταχὺ ἐκμαίνει, i. *Cum cephalalgia, biliosi vomitus, surditas & vigilia, insaniam adducunt.* De lateris autem dolore, scitum est quoque illud: *Lateris dolor à bile, qui vanescit immeritò; insaniam facit.* Est enim ratum illud; quòd *perniciosa mala, quorum sine signis leuatio est; mortem subesse ostendunt.*

prorrh. 10. s. 1. 1.
Coac. 56. c. 16. li. 2.
prorrh. 17. s. 2. p.

16 Τὰ ἐν τῇσι ἐφόρῃσι ἁλμυρώδεα, σημαίνει μετὰ τόκον δύσκολα, λευκοῖσι δακνώδεσιν αἱ τοιαῦται καθάρσιες ἀποσκληρύνουσι. λύγξ ἐπὶ τούτοισι φλαῦρον, καὶ λύσις ὑστερῶν, καὶ συντείνει.

Quæ

Quæ sunt in grauidis salsilaginosa, difficultatem à partu fore ostendunt ex albis mordacibus. Ac tales purgationes indurant, locosque corrugant. Hinc pessimè ipsas habet singultus, atque interimit.

VETVS præceptum est, quòd omnia tenere oportet grauidarum τὰ ἐπιφαινόμενα cuiusmodi sint, & quò quæque fiant atque appareant tempore grauiditatis, vt inde certa præsensio comparetur futuri partus, omniumque adeo puerperiorum. Primumque tenenda est illa regula præceptoris. τὰ ἐπιφαινόμενα ἐν τῷ μηνὶ γίνεται σκεπτέον. i. *Epiphanomena quibus mensibus appareant videndum.* Nam multùm interest, fueritne grauida menstrualis περὶ τὸ τριμήνιον, an verò μετὰ τὸ τετράμηνον: quoniam illic non ita periculo locus est abortionis, sicut hic esse solet, i. post τὸ τετράμηνον. Tum grauidæ pica in stomacho, non tam malè habet fœtam & fœtum circa initia grauiditatis, quàm ea trimestri aut quadrimestri, cùm fœtus in motu est. Atque ita de aliis quæ sunt eiusmodi. Sed illa demum futura est fœlix puerpera, & cuius voto puerperia respondebunt, quæ inoffenso cursu, ac sine molestia, omne tempus exegit grauiditatis. of qua scriptum illud repetio: i. Ἧισιν ἐν τῷ προγεγραμμένῳ χρόνῳ οὐδὲν ἐπιγίνεται, ζώσιμα γίνεται. i. *Quibus intra præscriptum tempus nihil accidit, vitalia iis fiunt quæ fiunt omnia.* Vt igitur secundo cursu exacta grauiditas, fœlici deponitur puerperio: sic ea sinistri est ominis, quæ signis abundat malè habiti fœtus in vtero, ac fœtæ ipsius. Atque fidem faciet huius rei, positum in hac prognosi τὸ ἁλμυρώδεα, quod est huiusmodi.

QVÆ SVNT GRAVIDIS.] i. Quæ grauidas malè habent toto decursu grauiditatis.

SALSILAGINOSA.] Non ea quidem quæ cutis pruritu, aut intestinorum, vterive, & sinus pudoris morsu molesta sunt, quæque partibus illis κνησμώδεα & δακνώδεα esse solent, de quibus iam supra, multa audiuimus: sed ea quorum perceptio est gustatu palati & linguæ, qualem ibi exhibet salsilaginem salium & sputum pituitæ putris & salsæ, quam vocat præceptor σαπρὰ φλέγματα ἁλμυρά. Nam salsilago illa cuti κνησμώδης, vel intestino locisve δακνώδης, abortionem infert, nec pariendi tempus expectat. Est enim salsilago illa toti corpori pruriginosa, inueteratæ cacochymiæ quam excipit cachexia & macies. De qua illud scriptum est. *Pruriginosa corpora post alui suppressionem, pessimè habent phthisici.* Tum sputi salsi quod antea tussiendo expurgabatur, fatalis ad mortem suppressio est, de qua iam illud sancitum est a præceptore. *Si cui sputa salsa, vnaque tussis quiescunt, huic rubet corpus obsitum exanthematis, quod ante interitum exasperatur.* Sed ea salsilaginosa quæ hic ponuntur, futuræ calamitatis à tempestiuo partu prænuncia sunt, non autem abortionis. Est igitur consentaneum, vt sapore huiusmodi sint, non autem prurigine vel asperitate cutis, quæ comes est cachexiæ; cùm scilicet ventum est ad vltima maciei: quamuis hic author attigerit σκληρυσμόν, in verbo σκληρύνει, de quo dicetur mox.

CALAMITATEM A PARTV FORE OSTENDVNT.] Cùm scilicet edito in lucem fœtu, ac sanguine frugi absumpto in commeatum eius dum esset in vtero, quæ supersunt reliquiæ sanguinis, olim menstrui, cum salsilagine foras prorumpunt, nec tamen secundo cursu: quia difficilis & permolesta earum purgatio est, & grauis locorum offensio.

EX ALBIS MORDACIBVS.] Quæ abradendo & exasperando, summam exhibent locis molestiam, similiter vt pituita putris & salsa, intestinis dysenterica esse solet tenacitate & acrimonia, vnde locum habet mordendi, & abradendo exasperandi.

AC TALES PVRGATIONES.] Alborum mordacium, quæ à partu feruntur per vterum, nec ante diem suppressæ, cursum ad caput reflectunt, vbi mouent insaniam, vt scriptum est superiore prognosi.

INDVRANT.] Non quòd inferant duritatem alui suppressæ, quæ sic expressa legitur in aduersariis lib. 6. Epid. ἀπὸ τοῦ χ. τὰς κοιλίας σκληρύνει: sicut in aphorismis dicuntur κοιλίαι σκληραί, ex aquilonia tempestate. Nec verò purgationes illæ alborum mordacium, cutim reddunt intentam, faciuntque δέρμα περιτεταμένον, quod est in summa macie: cuius diagnosticum signum, σκληρυσμὸς nominatur. Sed ideo σκληρύνειν dicuntur, quia τρηχύνουσι, i. *exasperant*, sicut & verbum ipsum τρηχύνει, vsurpatum legitur αὐτοῦ ἐν τῇ σκληρυσμῷ prognosi iam adducta lib. 2. Sequitur enim.

LOCOSQVE CORRVGANT.] i. Abradendo exasperant: atque illa duo, ξύσις & τρηχυσμὸς alborum mordacium, pessimè habent vterum: sicut eorum αἱ δριμύτητες, infert symptomata quarumlibet partium occupatarum propria.

HINC PESSIMA IPSAS HABET SINGVLTVS.] Adducto in vteri contagionem stomacho, διὰ τὴν ὁμοιοπάθειαν, vel eo facta humoris ἀναχωρήσει ab vtero. Nam de singultus natura & caussis dictum est alibi.

ATQVE INTERIMIT.] Quia vel inflammationem mouet lethalem, cùm frustra suscipitur ab exhausto, vel ab humore nimium glutinoso & effero, vnde concussio irrita vertitur in phlegmonem conuulsificam.

17 Ἐς ὀσφῦν καὶ ἐς πόδας σύνθλασιες ἐκ γυναικείων πλῆθος, ἐκπυητικόν. καὶ τὰ ποικίλως ἀπὸ κοιλίης ἰόντα γλισχρὰ, δυσώδεα, ἐπιπόνως πνιγώδεα, ἐπὶ τοῖσι προειρημένοισιν ἐκπυητικόν, οἶμαι δὲ καὶ παρακρούειν τὰς τοιαύτας.

Lumborum tensio atque pedum, ex muliebrium abundantia; in suppurationem abit. Tum quæ aluo variè pigro lapsu exeunt ægrè, viscida, fædi odoris, strangulatoria, præter illa iam dicta suppurationem inducunt. Tales autem arbitror nonnihil delirare.

LOCHIORVM albis mordacibus conspurcatorum incommoda quæ sunt in vtero, quæque ab vtero per anadromen, quocumque appulerint, inferuntur; duæ prognoses, huic supra citimæ, aperuerunt. Sequitur eorumdem in empyema mutatio, cùm vel illa subsistunt, vel admodum ægrè pigro lapsu feruntur, glutinosa, graueolentia, quæque opinionem faciunt strangulatus. Et quoniam in osphyalgiæ tractatu, iam pridem hæc prognosis ad examen adducta est, & cogitationum nostrarum literis explicata; sufficiet ea scribere quæ huius loci propria videbuntur, quæque aliquid lucis adferant obscuritati huius prognoseos. Est enim multis obstructa difficultatibus, quas tamen conuertere ad facilitatem posse videmur atque speramus hoc modo.

sent. 30. par. 1. 6. Epid.

LVMBORVM TENSIO ATQVE PEDVM.] Cùm scilicet earum partium, ex affectione propria, tensio est, vel etiam aliunde contractio.

EX MVLIEBRIVM ABVNDANTIA.] Quam facit ipsorũ suppressio vel inhibitio, vnde lumborum tensio est, tum proprio vitio, tum alieno. Primùm enim repletio particularis venarum lumbariũ à sanguine ibi collecto, ipsos distendit: tum verò muliebrium circa locos amplificatio, sui quoque vitij participes facit lumbos, atq; ipsos contrahendo distẽdit. Sic etiam pedum tensio est affectione propria quam ipsis infert muliebrium propagatio, vel ipsa contractio ex vitio alieno quod est in locis & partibus vbi mulierum naturalia continentur. Sic enim comparatur lumborum συντονος atq; pedum, ex muliebrium abundantia: non quidem eorum quæ foras exeunt, sed quæ subsistunt; vt supra docuimus, vbi legitur in hanc sententiam, ἐκ γυναικείων παίδων: quod abundantiæ nomen hic non expressum est, sed subauditur in illo ἐκ γυναικείων. Ac supprimendi & inhibendi causæ sunt eo loco à nobis adductæ.

Coac. penul. c. 12. lib. 2.

PROMOVET SVPPVRATVM.] Quod est eiusmodi, vt in spe angusta desperationem non adferat, statuaturque medium inter eam & salutarem crisin, vt erit ipsius conditio, & in expurgando libertas ac liberalitas, atque copia, nullo superstite vlcere maligno in locis. Est autem difficilis ratio statuendi, pus effici è materia non est capax pepasmi, qualis est lochiorum, vt Galeno visum est ad historiam de Philini vxore, quam sustulit lochiorum suppressio cum sæuis symptomatis: sicut vxorem Epicratis ab interitu vindicauit liberalis eorum & libera expurgatio. Iraque adducor facilè vt hic muliebrium nomen, pro menstruis positum esse putem; de quibus in empyema mutatis, hæc philosophia est præceptoris. *Existunt mulieres quibus menstrua cunctando purulenta fiunt, exactis duobus aut tribus à suppressione mensibus. Atque id potissimum accidit, si æstu febrili menstrua incanduerint. At signa hac opinionem faciunt suppurati iamiam futuri; dolor prægrandis hypogastrij; venarum micantium pulsus molestus, tactus cuiuslibet, etiam suspensi, offensio in hypogastrio. Et si melius illi futurum est, prorumpunt menstrua per sinum pudoris, exitque purulentus sanguis & graueolentior per septem, octoue, aut etiam nouem dies. Antea verò laborat & exercetur, vt dictum est. Porrò autem cùi menstrua purulenta conuenienter fuerint expurgata, profuerit nullum restare vlcus. Nam si fortè superfit, longiorem & accuratam magis curationem requirit à medico, ne ipsum putrescat, fiatque admodum fædi odoris.*

hist. 4. & 5. 1. Epid.

TVM QVÆ EX ALVO VARIEGATA, ÆGRE PIGRO LAPSV DESCENDVNT VISCIDA, FOEDI ODORIS, CVM STRANGVLATV.] Quorum scilicet è lumbis in aluum refluxus, cùm ibi paulisper hæserint, excretio est dysenterica, quam facit ipsorum tenacitas & acrimonia, vnde vis noua locis infertur, & inde opinio strangulatus; cuiusmodi esse solet hystericarum quæ fauces laqueo sibi præcludi putant.

PRÆTER ILLA IAM DICTA, SVPPVRATIONEM INDVCVNT.] Quod est eiusmodi ac si diceret. Præter illa muliebria purulenta, quorum è locis excretio est per sinum pudoris, idque cum vlcere, vel etiam nullo superstite ibi vnde manaruot; est quoque alia purulenti humoris per aluum purgatio, de qua illud iam pridem est positum à præceptore: *Quibus è dysenteria sana itur ad puriformia, qui superstat humor, multùm albus erit & multus.* Nam pituita pepasmo fit puriformis; ipsa verò bilis πῶς φλεγματοῦται. *i. quodammodo pituitescit.* Igitur ab egestione cruenta quæ difficulter, crebrò, & parum egeritur; transitus fit ad puriformem, virtute caloris natiui, & integritate partium solidarum, quibus materia effera mitificatur, & omnem exuit feritatem, vt iam dominatu rogatur ipsius naturæ, nec ampliùs ipsi vim adferat. Secus est in egestione opima, læui & pauca, partim alba, partim subflaua. Hic liquitur adeps & seuum; quorum seuosa & adiposa egestio, febris ardore liquata, difficilis est ac fœdi odoris, nec vllum adfert dysenterico adiumentum, sicut hæc puriformis.

Coac. 3. c. 20. l. 2.

TALES AVTEM ARBITROR NONNIHIL DELIRARE.] Propter sympathiam cerebri ab vtero inflammato, quæ ipsi cum eo intercedit, διὰ τὸ κοινὸν εἶναι καὶ ὁμογενές. id est, *propter communionem & generis similitudinem.* Appositè autem sapienterque posuit, παρακρούειν. id est, *vix esse apud se*, ac nonnihil, siue parumper, è potestate sui exire, præsertim cùm hypogastrij dolor est cum venis micantibus, dum puris pepasmo natura incumbit: quoniam nullum delirium potest esse ἀκίνδυνον, quando in cæteris partibus pituitæ & bilis offensiones cerebrum in sympathiam & contagionem adducunt.

Galen. cõment. ad prorr. 2. f. 1. r.

18 Ta

18 Τὰ ὑστερικὰ ἐν κοιλίῃσι σκληρύσματα ἐπώδυνα· ὀξέως ὀλέθρια.

Hysterica duritates in aluo admodum dolorifica; crudeliter atque citò perniciosa.

Hoc primum symptoma est vteri, quod ipsum proprio vitio malè habet, non alieno. Est autem systrophica inflammatio, cuius hoc signum est, hysterica duritas in aluo admodum dolorifica: sicut he-
10 patis inflammati, tumor durus ac dolorificus hypochondrij. Sed ratio atque causa eorum quæ scripta sunt in hac prognosi, similiter explicabuntur, vt pridem fecimus in dolorifica hypochondrij duritate ab hepate inflammato.

Ergo. Hystericæ duritates.] Quas edit prægrandis vteri tensio, quam facit rheuma consistens à concitato sanguine: idque ἰγχύσει siue impulsu, vel etiam illinc expulsu vnde non erit, sed ibi consistit. Impellitur autem, per venas αἱμόῤῥους, in venulas quæ ipsi affixæ sunt, nutriendi causa. Itaque in tumorem assurgit, de quo dicetur mox. Nam duritas illa, communis est inflammationis & scirrhi. Vtriusque autem distinctio est in promptu.

Admodum dolorificæ.] Distento multùm vtero, sensus acerrimi, ac prorirato sanguinis glutinosi, firmiter illic infarcti, nimia abundantia. Sic enim sensio est peracerba doloris magnitudine,
20 idea, æqualitate & assiduitate proprij humoris morbifici & partis obsessæ; cùm scilicet proprio dolet vitio, non alieno. Nam σκλήρυσμα hic, expressum, non est scirrhosi vteri, sed inflammati, quia ἐπώδυνον: quod nequit esse in scirrho, quantumvis durissimo, propter scirrhosæ partis æqualiter intemperatæ τὴν ναρκώδη ἀναισθησίαν, quam infert consistens rheuma, humoris torpifici: idque tum per se, tum ex euentu, quod est à phlegmone perfrigerando nimium stupefacta. Et verò conniuentia vteri, non quidem grauidarum cum mollitudine, sed vacuatum à duritate vtriusque tumoris, commune symptoma est; inflammationis quidem, cum sæuo dolore; scirrhi autem, cum sensu torporis. Est enim τὸ σκλήρυσμα, vtriusque morbi commune, vt annotauit Galenus ad illum aphorismum: Ὁκόσῃσι τὸ στόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ξυμμύειν. i. *Quibuscumque os vteri durum est, iis necesse est vt conniueat.* aph. 44. 5.

30 In alvo.] i. In omni partium regione quas occupat amplitudo ventris. Sunt autem illic positæ vbi symptomata recensentur vteri inflammati, quæ sunt huiusmodi. *Vtero inflammato, menstrua reuoluuntur, aut inde apparent praua & pauca: ipsaque ceruix vteri, venulis intertexta, fit araneosa. Tum febris acuta mentem inuadens. Et quoties ieiuna est mulier, vomitio quædam ipsi procedit, & omnia reuomit quæ assumpserit. Quinetiam dolor occupat imum ventrem & lumbos: tum examinatur, ac toto corpore perfrigescit. Venter nunc durus, nunc mollis percipitur, conflagratque incendio, atque in eam molem assurgit, vt fœtum gerere videatur.* Itaque non minus verè quàm appositè scriptum est, ἐν κοιλίῃσιν, vt ostendantur vitia & incommoda variarum in aluo partium, inflammati vteri sociarum & vicinarum, propterea que in eius afflictionis, quæ inter magnas eximia est, sympathiam adductarum. Quod in omni sympathia, omnibusque symptomatis quæ per ἐπιγένεσιν inferuntur, obseruandum præcepit Hippocrates. Hîc enim nomen, τῆς κοιλίας, non est alui cibariæ, non item spi- lib. 1. γυναικείων.
40 rabilis; quam esse dixit κάτω ἢ ἄνω κοιλίαν, sed eius capacitatis & aluei quæ ab imo sterno describitur ad pubem vsque: vnde ventrosi homines προγάστορες, & fœminæ grauidæ, ἐν γαστρὶ ἔχειν. i. *in aluo gestare* dicuntur. Sic enim Galenus τὴν κοιλίαν interpretatur. Est autem in aluis duritas, ab inflammato vtero, per oppressionem partium circumiacentium, similiter vt hypochondrij, ab hepate inflammato multùm oppressi atque distenti, vt suprà dictum est de tensione quam propria edit affectio distentæ partis, aut vicinarum sociarumve contractio. comment. ad aph. 53. 7.

Crudeliter atque cito perniciosæ.] Crudeliter quidem, vt planè ostendunt prædicta symptomata pathognomonica, epigenomena, & epiphænomena: citò autem, menstruorum refluxu ad principatus vitæ: substillo vrinæ, ab inflammata vesica cum vtero, & nimis oppressa; vnde est crebra & ægra vrinæ expressio, cum sæui doloris toto corpore cruciatu; delirio, & febre acuta, &c. Ac
50 sanè crudelis citæ perniciei, similiter hîc ratio apponi potest, sicut expressa est in conuulsione, his verbis: Οὐκ ἀναμένει χρόνον πολὺν ἡ συντονία τοῦ νοσήματος· ἀλλ' ἐν τάχει καταλύει μετὰ τῶν δυνάμεων, ἐξάγει τὸ ζῶον πρὸς θάνατον. i. *Tempus non expectat doloris contentio, sed citò vires exoluit, citamque mortem adducit.* Nam phlegmone vteri, doloris ac febris perniciosa vi, erysipelas ipsum præcedit: nec minus funesta est mulieri grauidæ atque vacuæ, quàm fœtui erysipelas. De quo hæc sententia est præceptoris: Ἢν γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες. i. *Si grauidæ mulieri erysipelas nascatur in vtero, mortiferum est.* comment. 5 ad aph. 25. 2. aph. 43. 5.

19 Τῇσιν ἐπιφόρῃσιν ἤδη, ἀφθώδεα ῥεύματα ἐπώδυνα· πονηρά. αἱμοῤῥοΐς
60 ταύτῃσι κάκιστον.

Mulieribus nota grauiditatis, fluxiones aphthifera dolorifica: praua. Has pessimè habet hæmorrhois.

EXERCITATIO hîc noua est super mutata eo osuetudine bene gerendi fœtum, pariendique partu fecundo ac tempestiuo, ad insuetam abortionem; vnde restibilis olim fœcunditas, mutationem nunc habet sterilitatis. Ac certè hîc philologia ex æquo certat cum philosophia. Vtramque autem sic explicare consilium est.

MVLIERIBVS NOTÆ GRAVIDITATIS] Sic enim consultò vertimus, vt inde significetur vel ipsa restibilis olim fœcunditas, quæ cuique nota est, vel iam prouecta grauiditas, cuius in aluo grauidæ cernitur meteorismus prægrandis. Nam suprà dictum est ἀεὶ τὸ ἐπίφορον. Tum etiam alibi sæpe patefacta emphasis notæ illius, τοῦ. apud Hippocratem.

FLVXIONES APHTHIFERÆ] Non ipsæ quidem aphthosæ, sed ora ipsa quibus à rheumate vlcuscula inferuntur. Sunt autem rheumata feritate ἀφθώδεα, i. *feta vlcusculis*, quocumque illa inciderint διὰ τὸ ξύειν ἢ τρηχυνομένως διαβρωτικά, i. *abradendo & exasperando erodentia*, quorum malefica vis est à pituita putri & salsa, è capite ibi collecta; vel à viscerum & hepatis impuritate, cum vitio capitis, vel à diuturna tempestate austrina & pluuia, quam excipit aquilonia. De qua tempestate aphthifera sic visum est præceptori Galeno, ad illam sententiam dictatoris. Στόματα ἀφθώδεα, κοιλίαι ταραχώδεες, &c. *Earum*, inquit, *omnium, quæ hîc ponuntur, affectionum, singula oriuntur ἐπιδημίως; nulla prædita qualitate maligna.* Deinde subiungit: *Igitur aphthæ gignuntur puerulis continenter in ore. sunt autem vlcuscula pressa leuiter in superficie, quæ sanescunt facilè, malignitatis expertia.* Et paulò pòst: *Sed cùm influit prauus humor omni ætate, semper existunt maligna: sicut omnia è malis orta semper sunt mala. Secus est de puerilibus aphthis quæ mulctra nutricis pullulant in ore tenerrimo, si lac paulò sit acrius donec ipsum, mulgere & sugere consueuerint.*

DOLORIFICÆ] Quoniam aphthæ ἐπιδημίως obortæ, & soboles putris & maligni humoris, vbiuis partium illæ fuerint, ibi putredinem secum habent coniunctam partis obsessæ: sicut & alia quæuis pathemata aquæ sub dispersorū, i. σποράδην, specie, à tempestate pestifera inferūtur. Exempla sunt in erysipelate, aliisque morbis quorum historia recensetur lib. 3. Epid. part. 3. Sunt igitur hę dolorificæ: quia partes quas occupant, malè habent abradendo & erodendo.

PRAVÆ] Cur ita sint, dictum est suprà in hoc tractatu. Sed ei facili enarrationi multum lucis adiicietur ex Galeni comment. ad illum locum Hippocratis, vbi narrat, aluos turbatas & cibi fastidium, proximè sequi aphthas malignas. Verba Galeni hæc sunt, Latinè conuersa: *Eius qui è capite fluxit ad fauces praui humoris quæ portio abijt in pulmonem, tabifica mala effecit: quæ autem secessit ad aluum, ducta deorsum suo morsu prægrandem concitat turbationem, quod apertè ostendunt κοιλίαι ταραχώδεες. Sed ea portio in aluum delapsa, non antè infrà transmittitur, quàm appetendi vim labefactarit, vnde nascuntur αἱ ἀνορεξίαι.* Ergo prauæ sunt grauidis illæ aphthæ, sic natæ vt dictum est: tum quia inducunt cibi fastidia, vnde macrescunt inedia: tum quia gerendi ac nutriendi fœtum, commoditatem adimunt. Gerendi quidem, vinculorum vteri laxitate; nu- „triendi verò, commeatus penuria, ex alui profluuio. Quicquid autem gerendi ac nutriendi puerum „commoditatem adimit, abortionem facit.

HAS AVTEM PESSIMA HABET HÆMORRHOIS] i. Sanguis anagoge, quam edit pulmonum vena excisa, feritate catarrhi eò prolapsi. Nam inde phthisis venit, cuius quidem primigeniæ duas tantùm causas ponit Hippocrates vbi ait Ibi demum phthises in metu sunt maximo: tum à ruptione crassiorum venarum; tum à catarrho è capite. Quòd autem hæmorrhois pro hæmorrhagia pulmonum appositè scripta sit; declarat illud quo efferis aphthis è catarrho subiunxit in grauidis: *Has autem pessimè habet hæmorrhois.* Quòd certè nomen hîc nequit apponi quàm venis pulmonum, & ipsis pulmonibus, vbi non minora sunt incommoda catarrhi ferini è capite prolabentis, quàm in stomacho & intestinis. Quinetiam non minùs verè quàm appositè, nomen *hæmorrhois* illuc referri potest, quod Aristoteles vsurpauit pro hæmorrhagia, vndecumque illa cietur. Sic enim scripsit de menstruis. Ὥσπερ γὰρ ἐν τῇ κοιλίᾳ διὰ τὴν ἀπεψίαν γίνεται διάρροια, οὕτως ἐν ταῖς φλεψὶν, αἵ τε ἄλλαι αἱμορροΐδες, καὶ αἱ τῶν καταμηνίων· καὶ γὰρ αὕτη αἱμορροΐς ἐστιν. *Vt igitur in aluo diarrhœa ex cruditate est: sic in venis aliæ hæmorrhoides, ipsaque in primis menstruorum.*

cap. 17. libr. 1. huius oper.

Arist. de generat. anim. ca. 19. lib. 1.

20 Ἧσι κοιλίης ἐπεξηρθείσης, ἐς αἰδοῖον ἔρευθος ἦλθε· γυναικείων λευκῶν ὑγρῶν κατελθόντων ἐξαπίνης, ἐν μακροῖσι πυρετοῖσι τελευτῶσι.

Quibus in aluo prætumida, rubor naturalia occuparit eò productus, cùm muliebria alba liquida inde processerint repentè; in longis febribus vitam finiunt.

ECCE ITERVM nona exercitatio super euentu muliebrium quæ fundit empyema in locis conceptum, cuius origo fuit inflammatio nata è menstruis illic collectis, cùm eò confluxerint, nec exitum vnde habuerint. Ratio exercitandi sic erit, de verbis in hac prognosi conceptis. , ac

QVIBVS] De nulla purgatione menstrua, aut puerperia, multùm è sua norma & consuetudine naturaliter constituta egressis. Est enim mulierum omnium fœcundarum consuetudo purgandi naturaliter constituta; vel, vt præceptor loquitur, ἡ συνήθεια κατὰ φύσιν, purgandi menstrua & puerperia. Neque hoc beneficio carere possunt sine incommodo valetudinis, & vitæ discrimine.

IN ALVO PRÆTVMIDA] Non quidem cibaria, neque spirabili, quæ est ἡ ἄνω ἢ κάτω κοιλία, sicut iam

iam diximus:ſed in parte ima totius abdominis, quod hypogaſtrium nominatur, ſiue κοιλία νειαίρη, tum in lumbis & ilibus, vbi mulierum genitalia continentur. Eſt autem pars illa prætumida, editque meteoriſmum;non quidem aluinum ſimpliciter,à vitio epigaſtrij;nec hypochondriacum, ab vtrouis viſcere inflammato, nec item hydropicum, abdomine vtriformi, cùm vel aqua repletum eſt, vel ſpiritu flatulento diſtentum: ſed vterinum, ſiue hyſtericum; cum ſcilicet tumore vteri ſubiacentis oppreſſum diſtenditur. Nam grauiditatis,quæ totam occupat amplitudinem epigaſtrij, nulla hîc mentio. Eſt igitur hypogaſtrium in hac prognoſi prætumidum:quia diſtentum ab vtero inflammato,cuius inflammatio eſt in culpa & vitio communis officij; cùm ſcilicet menſtruorum illic hærentium nimia obruitur abundantia, & in molem aſſurgit. Fuit enim iudicium præceptoris, quòd menſtruorum trimeſtris aut etiam bimeſtris ſuppreſſio,quibuſdam mulieribus inducit empyema, fieri que ἔμμηνα ἐμπυώδεα.i. *menſtrua purulenta*; cùm videlicet incandeſcunt æſtu febrili. Ac tum illius purulentiæ hæc ſigna oſtendi. Nam hypogaſtrij dolor prægrandis eſt, cum pulſu moleſto venarum ibi micantium: ſicut eſſe ſolet in omni phlegmone magna ſyſtrophica, quæ tractu omni, quantumvis leui, oſtenditur, ſimiliter vt hæc hyſterica inflammatio,quæ hypogaſtrij tactu ægreſcit.

Rvbor natvralia occvltarit, eo prodvctvs.] Atque hoc ſignum eſt συνεδρεῦον vteri ſic occupati vt diximus, nempe ſyſtrophica phlegmone. Eſt enim rubor,ſymptoma partis cuiuſque quam occupat inflammatio,ſequiturque potiſſimùm naturam humoris morbifici,hoc eſt,ſanguinis, inflammationem mouentis. Atque hic rubor non eſt partis ſuauerubentis, ſed rubore ſaturo coloratæ:quia non rubet ſanguine ſibi naturaliter attracto,nutritionis ergo;ſed eo vi concitato ad inflammandum. Eſt autem hic rubor eò productus, hoc eſt, ab vtero ad naturalia, ſiue ad ſinum pudoris κατ' ἴξιν.i.*è directo*,continuitate partis vicinæ & ſociæ. Ac certè illa propagatio ruboris ab vtero ad ſinum pudoris,illac futuri exitus materiæ purulentæ ſignum oſtendit: ſi quidem ſperabile ſit empyema in ſpe anguſta phymatis crudi, partem nobiliſſimam occupantis, & omni corporis principatui, ſocietate & affinitate coniunctam. Ibi enim ſpes quædam ſalutis affulget, quæ in anguſto erat, cum φλεγμονῶδες phyma, cruditate ſæuiſſimum, coctione miteſcit, &, domita feritate, vertitur in empyema puris albi, æqualis,& nihil olentis,aut certè minimùm graueolentis,quod exitum inde habet liberè & liberaliter. Sic enim empyema, defunctam reddit mulierem eo periculo citæ mortis, à crudeliſſimo & inſanabili morbo venturæ,ſi nullum ſuperſit vlcus in vtero. Scitum eſt illud Galeni, ὅτι τὸ ἐμπύημα, μέσον πῶς ἐστι τῶν ἐν τάχει λυομένων, καὶ τῶν ἀνιάτων.i.*quòd empyema,quodammodo medium eſt inter ea quæ citò ſoluuntur,& ea quæ ſunt inſanabilia.* Atque id locum habet in empyemate mali puris,& curſum aliò inflectentis quàm decet. Nam ſi res ita tulerit vt menſtrua purulenta prorumpant ſuper inguina , ſine phymate,ad mollitudinem alui, & illac ferantur fœdi odoris; mulier non erit ſuperſtes, aut ſemper manebit ſterilis, nec amplius fructuoſa;quoniam eò concidit ipſum os vteri,quod ἔμμοτον ibi facit. Vetus eſt illa ſententia præceptoris. Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη ὀδυνᾶται, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι. i. *Si vterus iſchio incumbens doleat; neceſſe eſt fieri vlcus quod pariter cutem contra ſe afficiat.*

Cvm mvliebria alba liqvida inde processerint.] i. Cùm menſtrua glutinoſa, locis infarcta, & inde inflammationem mouentia, nunc pepaſmo in pus conuerſa, ob eamque cauſam meabilia,vt eſſe ſolet conditio puris infarcti,ſanguinis pepaſmo confecti. Sunt autem hîc muliebria alba, quæ vocat Hippocrates ἔμμηνα ἐμπυώδεα. i. *menſtrua purulenta*, quæ puris mixtione albeſcunt. Eſt enim genus aliud τῶν γυναικείων λευκῶν.i.*alborum muliebrium*, quod vtrùm verè huc,& appoſitè adduci poſſit;mox loco ſcribetur.

Repente.] ἐξαπίνης ἢ ἐξαίφνης. Quod idem eſt propriè atque ἄνευ προνοίας.i. *ſine prouidentia*, vel *inopinato*,quamquam hîc fortè non deeſt prouidentia, vbi febris adeſt,tametſi longa,quæ mortem ſubeſſe nonnumquam oſtendit,non tamen ita citò venturam , vt ægrotum opprimat velut incautum nec opinantem, ſicut eſt in aduerbio ἐξαπίνης: quod cum verbo hîc poſito,τελευτῶσι. planè oſtendit eas vitam finire, οὐδενὶ προηγησαμένῳ συμπτώματι.i. *nullo ſymptomate antegreſſo*, vel cauſa tam citæ mortis. Erit igitur τὸ ἐξαπίνης, idem quod alibi ſcripſit , λαθραίως, vbi eſt illud prorrheticum. Τὰ αἱμορραγέοντα ἐφιδροῦντα τρόματι κακόηθες. ἄφωνοι, λαθραίως τελευτῶσι. i. *Quibus effuſo ſanguine , ſudatiuncula eſt cum tremore; grauiſſimum habent malum. Atque hi vitam finiunt, voce capti,nec opinantes.*

In longis febribvs.] Quæ non continenter, celeriter, nec vehementer mouentur:ſed νωθρῷ καὶ γλισχρῷ ἢ χλιαρῷ.i.*in calore lento ac tepido.* Sic autem ſunt illæ febres: quia ἐρεθισμὸν naturæ non inferunt quo ſe concutiat,adhibeatque τὸν ἱδρῶ ad eas excutiendas. Eſt enim partium exolutarum,& inde humoris morbifici, febris lenta & longa. Qualis apparet in dyſenteria quam edit hepatis ἀτονία.i. *exolutio*. Atque hic menſtruorum alborum non eadem ratio eſt,atque illorum quæ tranſmiſſa in locos è capite facilemque habentia exitum,nec μωλυνθέντα,corpora ſeruant mulierum integra, vindicata ſcilicet ab excrementis quæ ſunt ipſis ægrotandi cauſæ. Sed hic ſimiliter, vt catarrhi è capite prolabentis,in pus mutatio eſſe ſolet,vnde perennis & irrita mortiferáque,labentibus inde diebus,ſputi purulenti expurgatio eſt,ſic excrementorum vteri propriorum,atque communium, meritò vel immeritò eò fluentium & collectorum,puriformis & alba eſt idea;tum mixtione puris ab vtero exulcerato;tum eius coloris impreſſione a parte corrupta,quæ in officio tam communi,quàm proprio,continenter ſimile fundit excrementum ſubiectæ ſubſtantiæ. Inde mulieri tabes venit: quia corpus multùm emacruit à fluxu perenni,quod etiam liquitur à febre lenta quam inflammatio verſa in empyema reliquit in vlcere quod ab empyemate manet ſuperſtes. Non enim pus inde natum,breui affluxit,ſeptem diebus,vel nouem ad ſummum,nec effluendo finem attulit febriendi:quia vlcus reliquit κακόηθες, quod, perenni humorum affluxu, magis ac magis fit efferum,partiſque ipſius corruptione multùm in dies inde adiicitur ei

periculo quod hic subesse docetur his verbis.

VITAM FINIVNT.] Quidam postridie quàm aluus ducta fuerit tabo nigro, λαθραίως διαλυθέντες, i. *differendo nec opinantes*: quoniam moriendi sensum adimit viuifici nectaris vacuatio atque vacuitas, & partium solidarum exolutio cum vitali principio.

21 Σπασμῷ, γυναικείων ἐν ἀρχῇσι φανέντων, πυρετοῦ μὴ ἐπιγινομένου, λύσις.

Conuulsionis finem adferunt muliebria quæ primùm, aut statim apparent: atque id sine febre.

DE COMMODIS muliebrium, illud perceptum est; quòd ea mulierum sanant incommoda, quæ in viris non raro sunt insanabilia. Et quæ in viris non sine incommodo valetudinis abiguntur, eorum tutissima sunt in mulieribus, alexiteria, hoc est muliebria, quorum aduentu non minus adiicitur sanitati tuendæ, quam ei redintegrandæ. Muliebrium auxiliares manus, ac veluti θεῶν χεῖρες, cernuntur aduersus conuulsionem, illæque mulierum commodo quæ in viris non nisi oborta febre acuta quiescit, nec sine incommodo: sicut planum faciet examen huius prognoseos.

CONVVLSIONIS.] i. Iniussæ contractionis earum partium quæ, naturaliter, iussu nostra mouentur. Atque illius quidem iniussæ contractionis causa est, nerui distentio, vel humore crudo & crasso imbuti, vel inflammati. Nerui enim distenti, cùm exaruerit febris ardore, nullum est alexiterium.

FINEM ADFERVNT.] Σπασμοῦ λύσις. Eodem planè sensu, quo suprà dixit, σπασμὸν λύει πυρετὸς ἐπιγινόμενος, i. *conuulsionem sanat exorta febris acuta*, &c. Nam, λύειν, sanare est, &, λύσις, sanatio: vt illic annotauimus. Ergo si mauis; conuulsionem sanant, i. adferunt redintegrationem partibus è natura egressis, faciuntque vt dominatu nostro per voluntatem iam moueantur partes, quæ ἀπροαιρέτως, vi causæ morbificæ manebant contractæ.

MVLIEBRIA.] Γυναικεῖα. Quæ apposite pro menstruis vsurpanda sicut & verè, aliàs, pro omnibus mulierum purgamentis, in quibus sunt menstrua: quæ κατ' ἐξοχὴν alibi, sicut hoc loco apposite, γυναικεῖα. i. *muliebria* nominantur. Ac sanè κατ' ἐξοχὴν pro menstruis vsurpara reperio in historia Phaetusæ; quæ, cùm ex mœrore ob mariti exilium menstrualis non esset, nulla ope, nec vlla industria potuit γυναικωθῆναι i. *ad eam muliebritatem redire quæ est in menstruis*. Hic autem apposite, sicut iam dixi, ponuntur pro menstruis: quoniam menstruorum est proprium, sanare conuulsionem, non autem muliebrium cæterorum. Sic enim puerilis epilepsiæ finem adfert ἡ τῶν καταμηνίων ῥῆξις. i. *menstruorum purgatio*: sicut & viris τὸ ἐκλάμψαι. i. *lumen ac splendor caloris natiui*, simulatque ventum est ad pubertatem. Sic legimus, mulierem illam Φαέθουσαν Thasiam, cui oborta febris à menstruorum suppressione, conuulsionibus crebra erat, cum nigris vrinis, graui periculo defunctam fuisse, ac restitutam, liberali exitu menstruorum. Cætera autem commoda muliebrium, quibus vtuntur mulieres aduersus pericula febrium acutarum, cum sæuis symptomatis coniunctarum, ponuntur ob oculos in Larissæa virgine, quam prima eruptio menstruorum ab interitu vindicauit. Eius historia, proxime est prædictæ, apud Hippocratem.

QVÆ PRIMVM AVT STATIM APPARENT.] Ἐν ἀρχῇσι. i. *cùm primùm, aut quàm primùm*; vt inde significetur vel prima muliebritas menstrualis, vel statim à conuulsione oborta, de more, purgatio menstruorum. Vtrumque hîc verè & apposite dici potest. Nam puerilis epilepsiæ sanatio est in pubertate, cùm primùm virgo est menstrualis, ac menstrua illi bene respondent. Thasia illa finem habuit conuulsionū, quod ei quamprimùm à febre, conuulsionibus illis crebra, liberalis incidit purgatio menstruorum: incidit autem tertio die. Ratio autem sanandi conuulsionem merito menstruorum, in vacuatione consistit humoris conuulsifici, quo expediti nerui, non ampliùs contrahuntur nobis inuitis, nec cerebrum etiam quod olim ciebat epilepticam conuulsionem; dum eius contractio seipsum versus, abripiebat suas spinalis medullæ, & inde neruorum propagines. Sed ea contractio cerebri epileptica quæ cadit in pueros, non est vaporis tetri, aut qualitatis malignæ, sicut in grandioribus esse solet: verùm humoris crassi & frigidi, proptereáque huius præsidia sunt in vacuatione propria humoris morbifici, & conuulsarum partium neoterismo. At vacuatio quidem humoris, perficitur menstrua purgatione, tum albumineis quoque vrinis, & aluo prorupta. Neoterismus autem cùm primùm calor natiuus lumen suum ostendit in lanugine, voce mutata, & veneris appetitu. In cæteris autem, cœli ac soli mutatione, somno, diæta, & febre. De quibus hæc pridem sunt posita. *Conuulsionem sanat exorta febris acuta quæ priùs non fuit, aut si prius fuerit, exacerbata. Quinetiam prodest vrinam fluere albumineam, aluos ferri, ac somnum inire.* Sed illa præsidia quæ adferunt vacuatio propria & neoterismus; eiusmodi esse debent, vt continuò adsint cùm primùm conuulsio est, neruis à phlegmone, vel ab humore crudo distentis. Est enim conuulsio insanabilis atque mortifera cuius exolutio cita non est. Atque vt febris à conuulsione, statim exorta quiescit; qua seriùs incidente, mors in propinquo esse ostenditur: sic vacuatio & neoterismus, frustra vetustam conuulsionem oppugnant. Quod spectat illud quod posuit, ἐν ἀρχῇσι, idest, *circa initia*, cùm locus est curationi à febre, aut menstruis, priusquam conuulsio in vetustatem inciderit; si modò ibi verendum est de vetustate, vbi doloris grauissimi συντονία, vires exoluit, & citam mortem adducit.

ATQVE

ATQVE ID SINE FEBRE.] Quod idem est ac si diceret. Ex tribus rationibus exoluendi conuulsionem quæ fit distentis à phlegmone, aut crasso & viscido humore neruis; vna quidem consumptio est quam facit febris acuta quæ prius non fuit: sed hæc inflammatis neruis non est propria, sicut purgatio menstruorum; vt tantùm bona spe, non tam secura tamen, medicum consolatur, quàm muliebria, aut perirrhœa vrinæ crassæ & albumineæ, vbi distentio est neruorum, & inde contractio ab humore crasso & frigido. Nam vt concedam febrem acutam beneficium adferre neruis, humore frigido & glutinoso distentis atque contractis; ipsam tensionem exoluendo, & intemperiem frigidam corrigendo; tamen eorum naturæ bellum indicit, quando, iis redintegratis, & sublata conuulsione, vis eius calefaciendi atque siccandi, neruorum substantiam labefactat. Secus est conuulsioni ab aliis quæ ipsam
10 exoluunt coquendo aut vacuando: de quibus nihil verendum, sicut de ipsa febre acuta. Coquunt humorem crassum, glutinosum ac frigidum, somnus, fomenta, & kapsi. Vacuant autem, muliebria, diarrhœa, & perirrhœa vrinarum crassarum. Inde conuulsio exoluitur, sine febre, quam nihil necesse est hìc adesse, ac fortè ipsam commodo ęgri prodest abesse; præsertim cùm ætatis merito regnat conuulsio. Vt enim suaue calidum, foris admotum, siue ipsum σύμφυτον, est tetanorum, rigorum, conuulsionum παρηγορικόν: sic etiam splendor caloris natiui, ac lumen cùm micare cœperit in pubertate, cruditatem exoluit conuulsificam, & epilepticam, vnde primis annis obruebatur. Idem quoque faciunt prima virginum muliebria, & consueta virginum cæterarum, si quando ipsorum suppressio causam attulit conuulsionis. Nam diarrhœa & perirrhœa crassi & glutinosi humoris conuulsionem mouentis, idem facit in omni vtriusque sexus ætate. At ratio quidem exoluendæ conuulsionis per diarrhœam, ita suscipi-
20 tur: cùm scilicet fortis naturæ contentio, mitificatum humorem per lumborum neruos exprimit ad mesocolum, & inde ad intestina, similiter vt in lumborum gibbero quod assurgit à phymate, cuius præsidium est dysenteria aut varix. Nam perirrhœa quæ sanat conuulsionem, humore illo cietur, qui μετάστασιν habet è neruis ad venas: sicut ad neruos crebra est, ducta è venis quæ ciet tremorem in febribus, cui delirium inde succedit.

22 Οὖρα λεπτὰ ὑπονεφελα, ἐν μέσῳ ἐναιωρήματα· ῥῖγος σημαίνει.

30

Vrinæ tenues subnebulosæ, quarum in medio est enæorema; rigorem denunciant.

VT NON appositè ad hunc locum de rebus mulierum posita est hæc prognosis: ita nec verè ad id de quo scripta est. Non enim vrina descripta, rigoris prænuncia est, siue ad symptomaticum referatur, siue ad periodicum, siue ad criticum.

40 23 Ἢν ἀπὸ τῆς τεταρταίου αἱματος ῥύσις γίνηται, χρόνια σημαίνει· καὶ κοιλίη καταρρήγνυται, καὶ σκελέων οἰδήματα.

Si cui quartana est hæmorrhagia, diuturnitatem ostendit: ac tum prorumpit aluus, & crura intumescunt.

AC NEQVE hæc loco scripta est, neque appositè ad muliebria. Veritas autem prognoseos lucet
50 in eo; quòd nulla crisis bona est quæ indicata non fuerit ad speciem & ad tempus: tum autem, quæ diem paroxysmi non occuparit. Neutrum est in quartana hæmorrhagia. Nam quartus dies, ante se indicem nullum habet. Idem verò criticus esse nequit in paroxysmi vacuitate. Nisi quis excusationem adferat sanguinis, pigro lapsu atque stillatim è nare quarto die fluentis: atque id cum pepasmo vrinæ. Nam tale substillum, sperabilem crisin ostendit per liberam & liberalem hæmorrhagiam, septimo die venturam. Vbi pepasmus vrinæ index est diei critici: vt stillicidium crisis ipsius. Secus est à quartana hæmorrhagia.

DIVTVRNITATEM OSTENDIT.] Quoniam omnis quæ frustra est proritatio, vertitur in malos abscessus, omniáque secum adfert incommoda diuturnitatis, laborum, ac sæpe interitus.

AC TVM PRORVMPIT ALVVS.] Propter impotentiam coquendi aut continendi, quam in-
60 tulit quartana hæmorrhagia sinistri iudicij, vt sanè sunt omnia ἐπίσημα ὅ ἂν μὴ κρίνῃ, θανατώδεα τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα. Atque hæc sunt incommoda quartanæ hæmorrhagiæ non criticæ, vt aluus profusior sit suo vitio atque damno.

ET CRVRA TVMESCVNT.] Vel abscessu materiæ, eò mutata excretione critica, vel paupertate caloris natiui, cuius in causa est tum hæmorrhagia, tum alui profluuium. Ergo hic nulla est muliebritas. Est enim hoc perinde virorum atque mulierum.

24 Τῇσιν ἐπιφόρῳσι κεφαλαλγικὰ καρώδεα, μετὰ βάρεος γινόμενα· ἴσως δὲ ταύτῃσι, καὶ ἅμα σπασμῶδές τι ὠφελέει.

Quæ cum sopore & grauitate incidunt cephalalgiæ grauidis, pessimè ipsas habent. His autem fortasse profuerit, quippiam conuulsionis adesse.

SCRIPSIMVS in hanc prognosin suprà in hoc tractatu de morbis mulierum: atque ita scripsimus, vt non occorrant nouæ cogitationes quas litteris mandare oporteat. Non est autem animus denuo scribere quod iam scriptum est accuratè: esset enim abuti ocio, charta, & litteris.

25 Αἱ πρωαλγήσασαι τρόπον χολερώδεα πρὸ τῶν τόκων τίκτουσι μὲν ῥηιδίως· πυρέξασαι δὲ κακοηθέες, ἄλλως τε κἢν τι καὶ φάρυγγα ὀχλέῃ ἤ τι τῶν ἐν πυρετῷ κακοήθων ἐπιφανῇ σημείων.

Quas dolorificum malum, in choleræ modum ante partum exercuit; pariunt quidem: sed ipsas pessimè habent febres; idque cùm aliàs, tum si quid fauces proritet, aut si quod aliud prauum in febre signum appareat.

VT PARTV secundo leuantur puerperæ quibus est naturaliter constituta pariendi causa & ratio ex pari contentione vteri atque fœtus: sic infœliciter eo munere defunguntur, ac sæpe in medio subsistunt cursu puerperiorum, symptomatis pessimis occupatæ, quamvis ex facili partum ediderint; quibus ab eo superfuint reliquiæ mali grauissimi quod ipsis causa fuit atque occasio facilè pariendi. Non enim semper id malum partu excluditur, nec puerperiis, quod sua vi fœtum exclusit. Quod si verum est in facili quantumvis partu, multò minùs sperabilis videri debet leuatio ex abortu quem ægrè ciet pharmacum abortiuum, leuandi causa mulierem grauidam, cùm pessimè ipsam habet morbus acutus: & tamen id vulgo factitant, nec sine fastu & contumelia in pios medicos, ac medendi peritos. Sed ad rem.

QVAS.] Mulieres in affecta grauiditate, & partu propinquo, non tamen rebus secundo cursu exactis, vel in spiritu, vel in diæta, vnde magna vis est eorum quæ intrà sunt, inutilium.

DOLORIFICVM MALVM.] Aluina symptomata quæ proritatio excitat humoris morbifici in aluo collecti, & illac proruptiturum illinc transmissi vel attracti.

IN CHOLERÆ MODVM EXERCVIT.] Τρόπον χολερώδεα i. *quæ speciem referebat choleræ*: quæ morbus est inter acutos eximius, & peracutus dicitur, ac citra morte funestus, διὰ τὴν συνοχήν, nisi cùm lipyriam febrem exoluit, virtute suscepta stomachi, vbi focus erat lipyriæ ac domicilium, vt alibi demonstrauimus. Est autem hic posita χολέρα ἡ ἁπλῶς ὀνομαζομένη. i. *simpliciter nominata*, quæ in prægrandi & citra perturbatione alui, sursum deorsumque pariter prauos humores cientis consistit. Atque hæc quidem, cum altera, quam vocat Hippocrates χολέρην ξηρήν, communem habet excretionis modum, hoc vno excepto, quòd in sicca cholera, flatulenti spiritus acerrimique proritatio est: in priore autem, humoris indomiti efferique sursum deorsumque excretio. Hic ego tamen nolim videri existimare, τὸν χολερώδεα τρόπον, idem esse quod est reapse ἡ χολέρα ὀνομαζομένη ἁπλῶς, quam veteres omnino mortiferam censuerunt; quòd feritate & magisterio nata indomitorum humorum, vacuandi finem non faciat sursum vnà pariter atque deorsum, donec ad vltima ventum sit, vbi & naturam citò exoluit, & citam mortem infert atque crudelem διὰ τὴν συνοχήν. Hæc enim citò grauidam absumeret, nec ei daret spatium expectandi cætera quæ ipsam manere ait à partu. Scimus autem, quod ipsi iam sæpe suprà ostendimus, quid inter ea intersit quæ modo & specie quarumpdam rerum apparent & fiunt, & ea quæ sunt res ipsæ. Et verò hîc ponitur alui perturbatio χολερώδης, quæ aluo proritata cietur, potiùs quàm exolutà, sicut fit in vera cholera, vbi aluus diu multumque oppressa, humorum congerie tandem fatiscit. Atque hunc τρόπον χολερώδεα, non minùs inducit alui proritatæ contentio, quàm ipsam αὐτὴν χολέραν exolutio fatiscentis. Exemplum est in illa prognosi. *Lipyria febris, nonnisi cholera superueniente, quiescit.*

ANTE PARTVM.] Mox aditurum affecta iam grauiditate, ac tempore præstituto gerendi fœtum penè exacto, tum eorum partus est siue τόκος, id quod à fœta editur, nec ante id tempus.

PARIVNT QVIDEM FACILE.] Excusso fœtu à cholera, quam fortius mouet naturæ contentio, atque id pari concussione qua sternutatio ipsa fœtum excutit, cùm piger est in exeundo. Solemne est illud: *[illegible]* i. *Mulieri à secundis malè habitæ & difficulter parienti, sternutatio superueniens, bono est.* Sed beneficio conuulsionis ad excutiendum, à cholera illud adiicitur, quòd hic, fluente aluo, vincula grauiditatis laxantur.

Sed

Sed ipsas pessime habet febris] Quoniam orta è malis, grauissima infert mala, quæ sunt velut ἔκγονα & soboles quædam, tum phlegmones, tum qualitatis malignæ, & partium oppressarum. Nascitur autem febris è malis, quando superuenit choleræ, ab indomita feritate humorum cholera illam cientium, qui, ea tum quiescente, trahuntur à venis arefactis ac sitientibus. Est enim rarum illud, quòd alui excretio, non merito quidem naturæ suscepta, sed vt symptoma, qualis est cholera, dolorificum malum radicitus non extirpat, quod est τὸ πλεῖστον ἐκκενοῦν, ac neque inflammationem tollit nobilium partium, vt annotauit Galenus ad historiam de Larissæa virgine. In cholera fertur aluus κατάρρους ταραχώδης, vt verbis vtar Hippocratis, vbi sic ferri aluos, commemorat inter symptomata febrium tritæophyarum. Certissima autem securitas est, pessimam esse febrem natam ex aluo liquida, intempestiuè cohibita: idque cum aliàs; tum quando prorupta est χολερώδης ταραχή, vbi malignus humor coniunctam habet vitium infirmitatem.

Inqva cvm alias, tvm si qvid fauces pvoritet] i. Cùm id locum habet in omni febre sic nata vt diximus; tum verò maximè si manet in febre adhuc proritatio nauseabunda quæ tantùm screatu finitur è faucibus, non autem vomitu è ventriculo, quam vocat Hippocrates ἐξερυγμὸν, suprà in Coacis, i. τὸ ἐκκρέμψαι ἐμετώδως, in prorrheticis. Hic stomachus inflammatur, ex irrita contentione vomendi, & vnà fauces, ἐπειδὴ ὀδύνας ἐκκαυθέντες μετὰ φλεγμονῆς, *i. queruntur ex acri dolore, ipsasque rubor occupat & inflammatio.* Sed tamen hæc faucium symptomata, hic non sunt phthisifera, sicut illic vbi narrantur à præceptore. Nec verò illa hic mouet catarrhi vis effera prolabentis in fauces: non enim sic essent ὁμογενῆ, aut συγγενῆ, febris merito, & causæ ipsius: sed propagata ex aluo, per continuitatem interioris tunicæ quæ ipsi cum faucibus est communis. Atque hæc proritatio, memoriam renouat exactæ iam choleræ. Est autem hoc symptoma in febre grauissimum, vt suprà ostendimus in tractatu de febribus. Nam faucium occupatarum symptomata, iampridem sunt alibi explicata. 1. libr.

Avt, si qvod alivd pravvm in febre signvm appareat] τὶ τῶν κακοήθων. Est autem signum illud, quod vel non apparet συνήθως, vel cuius tanta est è natura egressio, vt inde significetur difficilis admodum redintegratio. Ac prauum quidem huiusmodi signum ostenditur in qualitate corporis, actionibus, & excrementis: cùm scilicet longè ab iis absunt quæ fiunt, quæque apparent συνήθως κατὰ λόγον, *i. vt solent, merito morbi & ægri.* Fuerit autem sic febris τρομώδης, λυγγώδης, γνώμης ἁπτόμενος, *i. tremorifera, singultuosa, mentem attingens*, &c. Nam propriæ qualitates prauorum signorum quæ κακοήθως eueniunt, scriptæ sunt passim toto volumine prognoseωn Coacarum.

26 Τὰ πρὸ τῶν τόκων ῥηγνύμενα ὑδατώδεα· φλαῦρα.

Grauidas malè habent quæ ante partus aquæ prorumpunt.

Vide commentarium ad primam huius tractatus.

27 Τῇσι ἐπιφόροισι κατὰ φάρυγγα ἁλμυρώδεες ῥύσιες· πονηρόν.

Grauidis in fauces fluxio salsilaginosa: pestifera.

Enimuerò nullus hic restat scribendi locus: quia omnis materia & occasio, non ita pridem, nobis præcepta est in eius examine cuius hæc verba sunt: *Quæ sunt in grauidis salsilaginosa, incommoda fore à partu multa ostendunt ex albis mordacibus*, &c. Huc pertinent quoque illa quæ antè sunt posita de grauidarum aphthis. Sed quoniam theoremata, iisdem ferè verbis concepta, non semper eodem scopo examinanda; neque id sciendum in hac prognosi quæ aliò spectat, aut certè vlteriùs quàm quæ adducta est. Illa enim tantùm ea proponit incommoda quæ à partu ventura sunt ex albis mordacibus, quorum materiam abundè suppeditant quæ sunt in grauidis salsilaginosa. Hæc verò præter ea quæ illic sunt posita, fœturam continet symptomatum omnium ex acri fluxione nascentium. Coac. 16. huius tractat.

Ergo. Gravidis] Inter omnes quibus idem accidit quod hic proponitur, quòd earum conditio est omnium vtriusque sexus ἐπισφαλεστάτη, ac periculosiùs ipsam habet omnis è natura egressio, cuius etiam difficillima redintegratio, vt mox dicetur. Latissimè quidem hîc patet quod scripsit Hippocrates: Γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἐχούσαν, ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανατώδες. *i. Mulierem grauidam aliquo acuto morbo tentari, mortiferum* Causæ sunt explicatæ.

Flvxio salsilaginosa] Non illa quidem fugax, nec pressa leuiter; sed quæ ipsam diu occupat, maléque habet: quòd ea fluxio perennitatem habet in grauidis plusquam in cæteris, siue illius origo sit ab iis quæ intrà sunt inutilia, tam in visceribus, quàm in vasorum impuritate, ac cerebri capitisque vitio; siue illius principia causæque ducantur à tempestate austrina & pluuia; siue ab ipsa diæta vnde succrescat illa cacochymia putris & salsa. Est enim grauidarum, multùm à se mutata spiritus & nutricatus œconomia, multùm item complexio corporis iam minimùm perspirabilis, tum excrementi copia est, præsertim muliebris, quod exitum habere nequit, donec mulier grauiditatem sustulerit partu secundo. Et cùm salsilago illa multis in locis percipitur, vt nuper attigimus; vbi nunc se ostentet, planè ostendit quod sequitur.

In fauces] Κατὰ φάρυγγα, i. *secundum fauces*, ad verbum, quà itur partim ad gulam, partim ad guttur; & illac quidem, ad inferum ventrem, hac verò, ad superum. Atque inferi quidem symptomata

sunt diarrhœæ,lienteriæ,dysenteriæ,tenesmi & ilei. Superi autem, tussis ferina,raucitas,peripneumonia,phthisis. Sed vtriusque ventris offensi symptomata sunt, abortio, partus difficilis,& grauis offensio puerperæ,ex lochiis albis mordacibus.

PESTIFERA] i. Fœtæ & fœtui calamitosa.Fœtæ quidem,in grauiditate,in partu & puerperiis, vt suprà iam demonstratum est. Fœtui autem,quoniam leui de causa,eius abortio esse solet;aut certè partus infœlix , quo & minutulus nascitur, & in valetudine viuit aduersa, aut breui vitam finit,quem tantùm tertiis ostentant fata,nec vltrà esse sinunt.

28 Τὸ πρὸ τῶν τόκων ἐπιρριγοῦν , καὶ τὰ ἀνωδύνως τικτόμενα κινδυνώδεα.

Crebrò ante partum rigere, & indolenter partu leuari; periculum subesse testantur.

RIGORES crebrò cientur omnes ὀξεῖαι; proptereáq; illi μετάστασιν faciunt materiæ rigoriferæ, ad diaphragma & caput. Atque vt crebra rigorum concussione, facilè partus excutitur, cùm incipit esse grauis ipsa grauiditas: sic opinionis errore,quem frustra citari rigores crebrò induxerunt: falsò est credita partus leuatio. Ex quibus efficitur, quòd huius rigoris & partus descripti,conspiratio est ad periculum ipsius puerperæ, non quidem fœtus merito à rigore exclusi : sed causa falsò creditæ indolentiæ in enixu,& lochiorum culpa & vitio: vnde tam in vtero,quàm ab vtero morbi contingunt.

CREBRO RIGORE]Quod Græcè est ἐπιρριγοῦν, *i.subinde rigores cieri*,vt sæpe alias annotauimus. Subinde autem,vel crebrò & iteratò cientur, ac si vnus alteri superueniat, quod propriè est ἐπιρριγοῦν, i. *superrigere* : quod verbum ostendit etiam τὴν ἐπικρίσιν,non autem τὴν ἔκκρισιν, i. *purgationem non excretionem* materiæ rigoriferæ;idque morbi merito,non naturæ. Cientur,inquam,subinde, ἢ ἀφ' ἑλκέων, ἢ ἀπὸ τῶν ἀγγείων, i. *ab empyematis vlcerificis,vel à vasis*. Ac sanè ab empyematis crebrò cientur,& ob id semper symptomatices, proritata pure acri membrana quæ est acerrimi sensus : similiter vt perhorrescunt exulceratæ partes,appulsu mordacium pharmacorum. Atque hic primùm rigor cietur vbi est causa rigorifera,videlicet empyema. Nam in rigore à vasis,distinctio est causæ ipsum cientis & excitantis: vt scilicet ἐκ φύσεως, ἢ ὡς σύμπτωμα, i. *naturæ merito vel vt symptoma suscipitur*. Naturæ quidem merito excitatur criticus & periodicus. De critico scitum est illud: Τὸν καύσῳ ἐχόμενον, ῥῖγος ἐπιγενόμενον λύει, i. *Qui occupatur à causo, rigore superueniente,liberatur*. Tum illud etiam: Πρὸ ῥίγεος αἱ ἐπισχέσιες τῶν οὔρων, &c. i. *Ante rigorem sistuntur vrinæ*. De periodico, qualis est febris tertianæ, quartanæ,&c. edictum illud est dictatoris. Ὁκόσοισιν ἐν τῇσιν νούσοισι ῥῖγος γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται, i. *Quotiescumque dum febris adest,rigor cietur,in eum diem febris exoluitur*. Quod est eiusmodi ac si diceret. Quando emota bile in habitum corporis,rigor superuenit,ob eamque causam expurgatur & vacuatur singulis paroxysmis,iure optimo desinit in febris vacuitatem huiusmodi febrium intermissio. Sed ibi demum rigoris à vasis ratio symptomatica est, cùm frustra cietur, nec vlla est vacuatio materiæ rigoriferæ. Id autem accidit motu proprio causæ morbificæ, cùm eius dominatu natura tenetur,non ipsa naturæ. Tum cernitur illa, quam modò dixi, symptomatica propagatio , quæ & rigoris crebra est atque insolens concussio, & eius frustra citati μετάστασις ad diaphragma & caput, vbi symptomata excitantur paraphorica , bilis rigoriferæ & partis obsessæ propria. Vetus est illud præceptoris. Ἐπίρριγος ἐμπίπτων, πυρετοῦ μὴ διαλείποντος, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι θανάσιμον, i. *Crebrò exortus rigor in nulla febris discessione,& ægro pridem infirmo; periculum mortis infert.* Eum rigorem hîc positum, subinde mouet biliosa cacochymia è vasis expressa,quæ toto corporis habitu commouetur,quam fundit assiduè,concepta in locis & lumbis nimia muliebrium abundantia per totum id tempus grauiditatis. Atque hic rigor subinde coortus proterpit ἐξ ὀσφύος διὰ νώτου ἐς κεφαλήν, i. *è lumbis per dorsum ad caput*, vbi symptomata excitat paraphorica, denegato exitu materiæ rigoriferæ per hæmorrhagiam aut sudorem.

ET INDOLENTER PARTV LEVARI] Quod certè miraculo apponendum videtur, si non est falsò credita indolentia,& insidiosa leuatio. Sed falsò credita est indolentia, aut malè parta , ἢ διὰ τὸ τὴν γνώμην νοσεῖν, ἢ δι' ἀναισθησίαν τῶν μερῶν δι' ὧν ἡ ἔκκρισις γίνεται, i. *aut quia res molestæ sensio non excitatur in occupata mente; aut quia nullus est sensus partium per quas excretio ipsa fit*. De sensus extinctione partium,solemne est illud prorrheticum. *Quæ non sentienti tenuia,siue liquida,ex aluo ducuntur,cùm sit apud se,pessimè ipsum habent:, vt vidimus in hepatico*. De sensionis autem vacuitate ab occupata mente,certum est in aphorismis testimonium. *Quibus quid corporis in labore est,atque eius laboris sæpe nulla perceptio est,iis mens laborat. Et situs sedata immeritò,in morbis acutis,graue malum subesse ostendit : & magna & rara spiratio in acutis,delirij est.*

PERICVLVM SVBESSE TESTANTVR]Quia est indolentia malè parta;vel sensus amissione,vel sensionis vacuitate:proptereáque insidiosa hæc ratio pariendi. Ac struit quidem insidias ipsa priuatio sensionis à delirio,quod transmissa in cerebrum materia rigorifera excitauit. Ei periculo multùm adiicit propagata eò muliebrium à partu suppressorum anadrome, cuius incommoda sunt in promptu,patentque omnibus ad legendum in prognosibus hac de re conscriptis & explicatis. Itaque ab hoc puerperio similiter in periculo est ipsa puerpera, vt illi de quibus legitur hæc prognosis : Τὰ οὐρεόμενα μὴ ὑπομνησθεῖσιν ὀλέθρια, i. *Quæ immemoribus vrina redduntur,perniciosa.*

29 Τῇσιν ἐπιφόροισι τὰ ἀφθώδεα ῥεύματα πονηρόν. σπασθεῖσαι, ἐκλυθεῖσαι, μετὰ καταψυχθεῖσαι ἐκθερμαίνονται ὀξέως.

Grauidas periculosè habent fluxiones aphthiferæ: tum item conuulsæ, vel exolutæ: postquam perfrixerint, acriter incalescunt.

Fluxionum grauidis ἐπιφόροις aphthiferarum, pericula sunt pridem exposita, quatenus fluxu alui quem inferunt per impotentiam continendi ea quæ assumuntur, fœtum ante diem ad exitum & ad exitium præcipitant: idque adempta commoditate grauidis ipsum gerendi & nutriendi, cum offensione summa excrementorum fœdi odoris, subterlabentium per loca locis vicina & adiacentia. Hic autem sunt alia fluxionum incommoda, quæ non minus grauidas periculosè habent, quàm fœtus. Eorum incommodorum siue symptomatum mortiferorum natura & ratio adducetur in examine huius prognoseos.

Gravidas.] Ἐπιφόρους. i. Quarum fœcunditas planè restibilis, antea secundi partus esse solebat.

Periculose habent.] Ne dicam mortifere, dominato morbi, ac triumphata natura. Græcè est, πονηρὸν quo significatur magna vis naturæ illata, & eius multùm egressæ de suo catorthomate, difficilis redintegratio.

Fluxiones aphthiferæ.] Quarum aphthæ siue vlcuscula, non sunt in ore στοματώδεις: sicut in lactentibus à lacte nutricum: sed καυσώδεις à ferino catarrho quem genuit tempestas austrina, pluuia, λοιμώδεις atque pestifera: vel cuius origo est ab iis quæ intrà sunt vitiosa, tam in visceribus, quàm in vasorum impuritate, quàm in cerebri capitisque vitio: præsertim cùm ei generationi multum adiicitur à mala diæta, in edacitate ciborum prauorum, & meri bibacitate.

Tum enim convulsæ.] Non quidem contractis ab inflammatione neruis, vel siccitate aridis; nec item frigido & contumaci humore distentis: sed fluxionis acerrimæ morsu lacessitis: vt ea conuulsio non firmiter fixa sit, vt esse solet in cæteris; sed pressa leuiter, atque quodammodo σπασμοειδῶς. Ac talis conuulsio sæpe accidit in singultu, & alui torminibus, quibus quidem crebræ sunt conuulsiones καυσώδεις.

Vel exolutæ.] Ἐκλυθεῖσαι. Cardiogmo scilicet, aut cardialgia quam stomacho infert acris fluxio, suo appulsu & morsu, cum cibi fastidio. Sed huius ἐκλύσεως causa esse potest, multum & sæpe aluus transmissa liquidis excrementis καυσώδων ῥευμάτων. Nam paralyseos aut paraplegiæ opinionem faceret conuulsio ei contraria in eodem subiecto: non quidem simul, sed vicissim. De quarum vicissitudine inter se, dictum est supra in proprio earum tractatu. Sed nulla est æquitas sic opinari τῆς ἐκλύσεως, neque hic, neque alibi vsquam apud Hippocratem.

Postquam perfrixerint.] Toto corporis habitu, vel extimis artubus: idq; morbi merito, vel naturæ: sic enim significatio est ἡ καταψύξεως. Nam frigoris critici aut periodici alia ratio est, vt alibi demonstrauimus. Sed ea κατάψυξις, vt semper symptoma est ἀεὶ τῇ ἀσθενείᾳ, ἢ νεκρώσει τῆς ἐμφύτου θερμασίας. i. *à debili vel emortuo calore innato*; sic eodem statu semper non manet. Nam vna quidem fixa est firmiter, de qua illud solemne est præceptoris. Αἱ δὲ ῥίγεος καταψύξιες μὴ ἀναθερμαινόμεναι, κακαί. i. *Quæ à rigore perfrigeratio non recalescit: malo est loco.* Altera verò fugax, de qua illud scriptum est: Οἱ δὲ καταψυχθέντες ἱδρώδεες, ἀναθερμαινόμενοι κακόν. i. *Qui, cum perfrixerint sudabundi, æstu incandescunt; malè habent.* Et, Ἄκρεα δὲ ἀμφότερα ταχὺ μεταπίπτοντα κακόν. i. *Extimarum partium cita in vtrumque mutatio; pessimè habet ægrum.* Vbi Galenus author est, ideo citam esse mutationem caloris & frigoris in extimis artubus; quòd extinctus eorum calor, ipsos primùm reddit marmore frigidiores, qui tamen denuò incandescunt æstu, adueniente flamma fugaci è partibus intimis; quæ cùm euanuerit, ipsos, vti erant, glacie frigidiores relinquit. Atque illud est quod hic scribitur.

Acriter incalescunt.] Appulsu caloris febrilis, vt flammæ cuiusdam, è visceribus incendio conflagrantibus. Talis est ratio falsò creditæ febris extinctæ, cùm extimæ partes perfrixerint: de qua illud scriptum reperio apud Hippocratem: Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα καύματα ἐν ὑποχονδρίῳ, πυρετοῦ περιψυχθέντος, κακόν. i. *Quæ superfunt incendia in hypochondrio, febre, partium tenus quæ circumstant, perfrigerata; malum subesse ostendit.*

30 Καὶ μέντοι καὶ δύσκολα ἀποβαίνει τῇσιν ἐπιφόροισι τὰ περὶ τὸ λεπτὸν οἰδήματα, οἷα περὶ τὰς ὀχείας γίνεται, ἀπολαμβανόμενα ὀρθοπνοίην. ἆρα τὰ τοιαῦτα οἰδήματα διδυμοτοκεῖ; ἆρα καὶ σπασμώδεις τὰ τοιαῦτα οἰδήματα ποιέει;

Quinetiam grauidis eueniunt graues circa tenue ipsum tumores, cuiusmodi accidunt circa scrotum. Atque illi multùm difficili spiritu occupati. An tales tumores edunt gemellos? An verò quid inferunt conuulsionis?

ENIMVERO non est dubium quin à fluxione aphthifera tumores assurgant in tenui intestino, qui gratidas faciant ileosas. Nam inter causas reuolnti sursum intestini, commemorabilis illa est quam ponit Galenus, cùm scilicet exulceratio læuis est intestini, si à ciborum transitu proritetur, nec exitum citò habeant; tum euenire vt intestinum hac noua proritatione afflictum, transmittat sursum ea quæ ipsum læsura erant, ac mutata velificatione, cursum deinceps inflectat sursum contra naturam, quem olim naturaliter deorsum tenebat. Hoc facit intestinum sui diligens, ac sibi metuens à dolore ex rerum molestarum appulsu. Quemadmodum igitur fluxiones aphthiferæ faciunt lienteriam per impotentiam continendi ea quæ assumuntur: sic aphthosæ lienteriæ transitus esse potest in ileum, cùm scilicet causæ lientericæ propagatio est ex aluo ad tenue intestinum. Cætera autem quæ ponuntur in hac prognosi, eiusmodi sunt vt omni careant fundamento quo extrui possit aliqua demonstratio veritatis. Omnia enim sunt [illegible], nec aliquid habent [illegible], nihil catholicum, nihil verum, nihil etiam συνακολουθεῖν. Itaque superstitio hæc demonstrandi vel ostentatio, caliginem studiosis pro Sole offunderet, Orcum pro luce adferret, ac denique summam vanitatem pro veritate.

31 Τὰ μυχθώδεα ἐξαναφέροντα πνεύματα ἐν πυρετοῖσιν ἐκπτεύσκονται.

HÆC DVÆ sunt causæ quibus ne aliquid scribam, impedior. Vna solœcismus prognoseos, cui emendando plus operæ mihi ponendum esset, quàm ipsi sententiæ enarrandæ. Altera summum fastidium ἡ ταυτολογία, quando non ita pridem adduximus quidquid ad eam prognosin pertinere maximè videatur. Est autem sic Latinè versa è Græco.

Quæ cum suspirio foras effertur spiratio, & vnà immeritò est colliquatio; grauidis abortionem denunciat.

32 Φρικώδεα, κοπιώδεα, καρηβαρικοῖσι γυναικεῖα καταῤῥήγνυται.

Quæ in horrore sunt, laßitudine, & capitis grauitate; muliebria iis prorumpunt.

QVI MEDICINAM faciunt religiosè, permagni faciunt, intelligere, cùm ex toto suppressa est purgatio muliebrium; sitne illa suppressio culpa & vitio rei, aut fœminæ expurgandæ; an contra merito grauiditatis, & fœtus in vtero stabulantis. Nam si mulieris culpa aut vitio, muliebrium muliebritas non est in stata & menstrua purgatione, hîc subeundæ vices naturæ in vacuando. Sin autem merito grauiditatis ita sit, periculosa erit molitio vacuandi. Ergo ponuntur hîc signa de quibus expectanda est purgatio expetenda muliebrium suppressorum, cùm ea suppressio excusationem non habet grauiditatis.

QVÆ IN HORRORE SVNT.] Φρικώδεα. i. quæ perhorrescunt subinde; non quidem ὑφ' ἥπατος, vt nuper diximus ab empyemate quod ciet horrores qua parte ipsum subest: sed ἀπὸ τῶν ἀγγείων. i. è vasis, vnde cacochymia exprimitur crebra horroribus à lumbis per dorsum ad caput. Atq; hæc cacochymia foras inflectit cursum horrificum, cuius perennitatem edit perennis menstruorum suppressio; cùm scilicet illa nihil habet vtilitatis. Nam fœtu concepto prodest ipsam sic esse ad commeatum fœtus qui vtilissimam partem muliebriũ sibi assumit, reliquias autem relinquit in venis, vbi supersunt donec partus adueniat, ibique stabulantur sine horrifica cacochymia; quam gigni non sinit caloris natiui amplificatio quæ est à fœtu; nec foras efferri ad ciendum horrorẽ, perennis ad locos attractio, nutriendi causa, quo sic introrsum mouetur, relictis in via reliquis quæ supersunt à nutricatu fœtus. Sed eius horroris quem ciet inutilis suppressio muliebrium, & inde, caloris febrilis crebra est vicissitudo quam inutilis mouet in grauiditate. Sic enim iudicium est præceptoris cùm ait: Ἢν γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου· ἄσαι δὲ προσπίπτωσιν· λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν. i. *Si purgationes non eant mulieri, nec horror febriue superueniat, tibi autem fastidium incidat; cogita ipsam in vtero habere.* Quem aphorismum de iis mulieribus scriptum narrat Galenus, quarum inculpata purgatio, repentè sistitur sine cau-

ne causa extrinsecus incidente. Est autem inculpata purgatio in qualitate, copia, vtraque periodo, & expurgandi modo; est, inquam, mulierum fœcundarum. Nam vitiosa non est, foeturæ capacium, vt nulla suspicio esse possit grauiditatis in ea muliere, cuius purgatio repentè suppressa est, quæ in vitio esse solebat. Itaque sapienter scripsit Galenus ad Hippocratis aphorismum prædictum, cùm ait, positum esse ἐπὶ τῶν ἀμέμπτως καθαιρομένων, &c. Quod sanè iudicium est præceptoris, vbi causas persequitur sterilitatis. Verba eius apponam. ἀλλ' ὅτι χρὴ ἐν τοῖσιν ἐπιμηνίοισιν ὅσα [illegible] ἀφαιρέειν χρὴ, ὅταν φλεγματώδεά τε, καὶ ὑμενώδεα, καὶ ἰχωροειδέα, καὶ λεπτὰ, ἢ λευκὰ, ἢ θρομβοειδέα, ἢ ὅταν μέλανά τε, καὶ αἱ θρομβώδεα, ἢ ζωμοειδέα, ἢ δριμέα, ἁλμυρὰ, θολερὰ, πυώδεα. αὐτοὶ μόνοι αἱ [illegible] ὑποξανθεῖσαι κωλύουσι γὰρ λαμβάνειν ἐν γαστρὶ. i. *Sed quicquid in menstruis inest vitij, totum ad auferendum, cum scilicet ea sunt pituitosa, aut pelliculosa, serosa, tenuia, vel etiã alba, grumosa, tum autem si nigra sunt & carbunculosa, fusca, aut acria, salsa, turbida, purulenta. Denique omnes huiusmodi notæ malorum radicitus sunt extirpanda: quæ impediunt conceptionem in aluo.*

Lassitvdine.] Non quidem à labore nimio, vel desueto, vel insueto; quæ lassitudo κόπος dicitur ἁπλῶς. Sed quæ oborta est vltro, & κόπος αὐτόματος nominatur, τονώδης, ἑλκώδης, ἢ φλεγμονώδης. i. *quam sensio comitatur tensionis, vlceris, inflammationis.* Ac primam quidem edit repletio, alteram cacochymia, tertiam vtraquecausa. Hic certè sensio est vlcerosa in posita lassitudine, cuius eadem causa est quæ horroris, nempe cacochymia è venis expressa per totam compaginem. Atque hæc lassitudo vlcerosa cum horrore frustra citato in febre, non rarò est paraphorica, aut cephalalgia, vt ante demonstrauimus ex quodam prorrhetico.

Ex capitis gravitate.] Quam facit horriferæ cacochymiæ ad caput metastasis, vnde non habet exitum, ibique sua edit incommoda, prouitando, ac distendendo; videlicet τὴν καρηβαρίαν, quæ vox est dolorifici mali à rheumate consistente quod per ἐπίστασιν caput afficit continenter. Vbi enim grauitas, ibi & firmiter fixum est rheuma consistens, quod inde sui detractionem moliendam ostendit.

Mvliebria iis prorvmpvnt.] Quoniam expletæ carnes & venæ continuo sanguinis ad eas appulsu κατ' ἄνω; eius quidem appulsus, atque, vt ita dicam, τὸ παλιμρροείδος χρήματι. i. *refluxum* experiuntur ad locos, vnde primum transmissa est ad ipsam compaginem, siue corporis habitum, sanguinis abundantia; vbi sensionem excitat lassitudinis vlcerosæ, quam tollit exorta subinde horroris concussio, quæ ἀγωγὸς esse solet τῶν γυναικείων, ipsisque ciendis prodest ac præest. Nam, parta grauiditate, nullus est à menstruorum suppressione horror, nec febris, vti iam diximus.

33 Αἱ πρὸς χεῖρα νωθραὶ, καταξηροὶ, ἄδιψοι, γυναικεῖα πολλὰ χαλῶσαι ἐκπυητικαί.

Quæ ad manum torpidæ sunt, aridæ, sitis expertes: cùm muliebria multa laxarint, pus edunt.

Pontvntvr hic signa quorum τὸ κατηγορούμενον est empyema, quæ tamen illius verè non sunt παθογνωμονικά. Non enim sunt ἴδια, neque ἀκριβῶς prognostica empyematis, vt eò spectare videantur, incerta etiam diagnostica, vt iis cùm subest empyema, certo cognosci possit ac percipi. Si quæ autem sit ratio ineundi τεκμαρσιν è signis hic positis ad πρόγνωσιν ἢ διάγνωσιν empyematis, planum faciet ipsum examen prognoseos quod sic aggredior.

Qvæ ad manvm langvent effoetæ.] i. Quæ contactu medici manent immotæ, atq; quodammodo exolutæ. Nam illud πρὸς χεῖρα. i. *ad manum*, propriè ad eum pertinet qui manũ admouet, vel erigendi causa ægrotũ, vel explorandi corporis, artuumq; qualitatem, & venæ micantis appulsum. Talis oratio est in illa prognosi, οἱ πρὸς χεῖρα ἀναπηδῶντες κακόν. i. *qui ad manum exiliunt, malo sunt loco.* Et, πυρετῶν οἱ μὲν δακνώδεες τῇ χειρὶ, οἱ δὲ πρηέες. i. *febrium alia quidem sunt ad manus mordaces, alia verò mites.* Iam verò quæ sint ad manum νωθραὶ. i. *segnes*, quæque sit illa νωθρότης, i. *segnities* manu percepta, considerandum. Enimvero quantum complector animo ex omni doctrina Hippocratis, duplex νωθρότης manu tractabilis est, vna quidem quæ in δυσκινησίᾳ consistit partim corporis in conuertendo, partim verò artuum in meteorismo. Altera verò ἐκ τῶν σφυγμῶν νωθρότης, & venarum micantium pulsu lento, paruo & raro, ac penè dixerim ἀσφυξίᾳ. De singulis hic scribendum. Ac primùm δυσκινησία corporis in conuertendo se, manu percipitur cum ægrè manu impulsum mouetur: ei contrarius est εὐστρεφής, de quo illud præceptum est. Sicut de Thasia quadam muliere vultuosa narrat Hippocrates, κῶμα ἐπέλαβε, καὶ καταφορὴ, καὶ πάλιν ἤγειρε, ἀνίστο καὶ κατέχειν ἐν ἑαυτῇ οὐκ ἠδύνατο. i. *obortum est coma & inclinatio veternosa: rursum excussa comate, & excitata, exiliit, nec loco se poterat continere.* Sed illa corporis ægra & difficilis in alterutrum latus cõuersio, causam habet, vel grauitatem portati multùm oppressi, vel infirmitatem portantis, i. facultatis effœtæ ac languidæ, vnde est ipsa ῥῖψις quæ cernitur, ac manu percipitur, cũ ægri delabuntur subinde ad pedes. Hic autem, νωθρότητα per manũ exploratio est, cum ægri sunt νωθροὶ ἐν ἐπάρσει τῶν μελῶν [illegible]. i. *pigri non alacres in exurgendo & attollendo artus*; cum scil. exempli causa, manus nõ porrigitur expeditè medico inuitanti, nec dextera ex facili iungitur amici dextræ. Sic enim proiecti artus, præ nimia grauitate, sunt verè νωθροὶ, eaq; νωθρότης est medici manu tractabilis, cum nec sua sponte, nec adiuti etiã, facile loco vbi iacent mouentur. Tum deinde est κατὰ σφυγμοὺς νωθρότης, cum scilicet deiectu corpus artusq; perfrixerint, id primo appulsu manus admotæ percipitur. De quo illud præceptum est, ai-

[illegible] ἀφαίρεσις ἐν ἀμυδρῷ [illegible] νωθροῖσι σφυγμοῖσιν. *i. Detractio sanguinis in torpida perfrigeratione mala.* Nam pulsus illi venarum micantium μέσῃ χειρὶ *i. manu media exploranti*, eaque sola, nec alio indice, duce iudicio deprehenduntur νωθροὶ, quales in lethargicis esse narrat Hippocrates. Sic enim scripsit. Οἱ ληθαργικοὶ τρομώδεες ἀπὸ χειρῶν, ὑπνώδεες, δύσχροοι, οἰδματώδεες, σφυγμοῖσι νωθροῖσι. *i. Lethargici, manibus contremiscunt, soporati, decolores, vnaque turgiduli, cum pulsu sepulto.*

PRÆARIDÆ.] Quæ nimia siccitate squalent, qualis est siccitas volæ manus ac linguæ, dum febris acuta est cruda, nec dum cœpit humescere: sicut in pleuritide & peripneumonia sicca, quæ omni caret ἀναπτύσει. Sed hic apposite, vbi agitur de muliebribus, siccitas illa referri debet ad linguam, cuius mutatio esse solet in substantia & colore, cùm malè est vtero, & malè ab vtero. Sic enim didicimus à præceptore. Γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες, τὸ δὲ χολῶδες ἀπὸ πίονος· ἐρυθραὶ δὲ, ἀφ' αἵματος. μέλαιναι δὲ ἀπὸ μελαίνης χολῆς· ξηραὶ δὲ ἀπὸ λιγνυώδεος ἐγκαύσιος καὶ μητρώου μορίου. *i. Linguæ virides, biliosæ, id autem biliosum est à pingui: sed rubræ sunt à sanguine, nigræ verò à nigra bile, sicut aridæ à fuliginoso ardore, & à matrice.* Vbi Galenus auctor est, τὸ μητρῷον μόριον *i. maternam partem*, poni pro vtero, cuius inflammatio calidissimam secum habet febrem coniunctam, vnde lingua siccitate & fuliginoso ardore squalescit, cùm scilicet febris adest qualem descripsit, cuius non rarò immunis est hysterica inflammatio. Ex quo efficitur, signum linguæ aridæ, tum inflammato vtero συνεδρεῦον, quando apparet: sed non necessariò apparere, nec semper, quoties ipse vterus inflammatur. Verba Galeni hæc sunt: τοῖς μὲν οὖν εἰρημένοις σημείοις ὑπάρχειν [illegible] τὸ δηλούμενα· τοῖς δὲ πράγμασιν οὐκ ἐξ ἀνάγκης τὸ σημεῖον. *i. Prædicta quidem signa semper subesse ostendunt ea quæ indicantur: non tamen res ipsæ, necessariò signa edunt.* Ergo lingua arida, signum quidem erit primum & per se, quod παθογνωμονικὸν Græci vocant, fuliginosi ardoris: quem si transmittit vteri inflammatio, vt sæpe transmittit, fuerit quoque inflammati vteri συνεδρεῦον.

SITIS EXPERTES.] Idque immeritò: quod est Hippocrati ἀδίψως, vt in illo. Δίψα ἀδίψως ἐν λύσεσιν ἐν ὀξέσι, κακόν. *i. Sitis sedata immeritò in acutis, malum.* Est autem sedata immeritò, cùm sine aqua & spiritu, sitibundus homo a febre, non putat sitire se; vel quòd nulla sensio excitatur causæ sitiferæ; vel quòd resoluta vis est cupida potionis. Adeo vt falsò putetur sitis abesse, de non excepto, vel non percepto appulsu causæ sitiferæ. Nisi quis forsitan excusationem adferat leuis tussiculæ, ac leuiter prorientis, vnde sitiendi causa, vel in ipso causæ, infringitur. Sed eius obiectionis, facilis depulsio est; quòd ibi tum lingua non est perusta, vt causi merito esse solet. Sic enim præceptor ait, καὶ αἱ γλῶσσαι κατακεκαυμέναι. Hic autem posuit linguas præaridas.

CVM MVLIEBRIA MVLTA LAXARINT.] Vel potiùs cohibendo collegerint, vnde causa fuit vteri inflammati, cuius inflammatio, linguæ substantiam & colorem immutat, vt iam posuimus ex præceptore; nec tamen ea mutatio, sitibundi est hominis, vt esse solet, cùm lingua est συμπαθὴς τῶν [illegible], cùm scilicet æstu incandescunt vicinæ partes ac sociæ, cuiusmodi sunt pulmones, hepar, & hypoglottides venæ. Itaque sitis vacuitas cum squalida lingua, distinctionis ergo posita est; quòd talis ab vtero sit, non autem ab aliis.

PVS EDVNT.] Quia menstruorum cohibitorum intus, nec aliò transmissorum, aut retractorum, phyma in vtero sæpe nascitur, quod in empyema mutatum, saluis rebus exitum habet per sinum pudoris, si nullum manet vlcus superstes. Qua de re satis iam multa.

34 Τὰ ἐξαίφνης λευκὰ καταῤῥέοντα ἐπὶ τρωσμῷ, ἤν τι ῥιγῇ, καὶ ἐς μηρὸν ὁρμαὶ, τρόμος δύσκολον.

Cùm ex aborsu alba repentè percurrunt, si quid riguerit, & in femur excursio est; malè fit à tremore.

HIC de aborsu contemplatio est causarum eius cohibitarum, & aliò transmissarum, de suo cursu quem prius tenebant. Symptomatum autem fœtura est, cùm vel earum causarum cohibitarum propagatio est, vel abscessus. Atque illa symptomatum vtrinque manantium fœtura hîc ponitur.

CVM EX ABORSV.] i. Fœtu excluso ante diem legitimum pariendi, qua de re aliàs multa.

ALBA REPENTE PERCVRRVNT.] i. Cùm abortionis causa quæ intus latebat, exitum foras habet. Est autem abortionis causa, purgatio alba quæ rubra esse debebat, vt omnis esse solet naturaliter instituta & consueta puerperarum, perfectos partus edentium: sed ex aborsu alba est meritò, quæ fuit eius causa: quoniam illud album quod cernitur in puerperio purgamento, impotentiam attulit continendi fœtum: Est autem duplex ratio atque causa puerperiorum alborum, vna quidem mucoris; altera verò puris. Ac de mucore quidem, illud præceptum est. *Quæ boni sunt habitus grauidæ, cum trimestres abortiunt sua sponte; iis cotyledones sunt mucore obsitæ.* De pure autem legimus nuper, quòd, oborta febre, materia quæ cohibetur, &, qua cohibita, hypogastrij tumor assurgit cum renixu & pulsu, in empyema mutatur: cuius libero exitu, si nullum superest vlcus in locis, mulier confestim sanatur.

SI QVID RIGVERIT.] Quod vel tantillum sit, nec fortè tantisper: quia rigoris crebra concussio est in empyematis velut ergastulo, vbi conclusum est. Atque hîc rigor frustra obortus, transmissionem facit, non solùm pituitæ falsæ aut puris, sed etiam biliosi humoris, & sanguinis, primùm ad latus, mox autem ad caput. Sed tamen hîc nihil de bile aut sanguine potest dici apposite. Solùm de albis

loco

loco dicendum, quibus vis magna locis infertur, tam intus cohibitis, quàm exeuntibus. Nam sursum transmissa, nihil habent securitatis. Ac de alborum incommodis notæ sunt illæ prognoses iam explicatæ supra in hoc tractatu. *Quibus ex abortu, alba quidem cum febre substiterint, tum surditas, & vis acerba doloris in latus irrepserit, insaniunt desperata.* Et, *Quæ sunt in grauidis salsilaginosa, difficultatem à partu fore ostendunt ex albis mordacibus, ac tales purgationes exulcerant, locosque corrugant,* &c.

ET IN FEMVR RECVRRERIT.] Quod ibi dolorificum sit, vt sæpe accidit cum menstrua inhibentur. Ac tum ille dolor obortus in femore, grauissima infert mala, non solum menstrualibus à menstruorum suppressione: sed etiam viris quos occupat febris acuta: sicut Heropytho contigisse legimus, cui crebra erat vicissitudo surditatis & doloris in femore. Idem Caluo etiam mortiferè accidisse

10 narrat Hippocrates, qui crudelissima morte à femoris dolore interiit, cum is, relicta parte, ad supera transiisset. Atque doloris in femore oborti, percepta sunt posita, quæ nihil necesse est hic denuo recensere. Sufficiet vnum quod iam attigimus. Est autem sic expressum: Κακοῆθες, ἢ ἐκ μηρῶν ὁρμὴ ἀλγήματος. i. *Malignus est etiam doloris à femore excursus.* Et, Ἢν ἐναιωρηθῇ τι τῷ οὔρῳ, τῆς κνήμης τὸν μηρὸν ἀλγήματος ἀφανισθέντος· παραφρονέειν. i. *Si quid in vrina sit pendulum, vanescente cruris dolore, dementiam præsagit.*

MALE EST A TREMORE.] Est enim rigoris, lochia cohibentis, mala mutatio in tremorem, cuius origo est cacochymia è venis ad neruos expressa, indéque ad cerebrum ipsum transmissa, vbi delirium excitatur. Scitum est: Οἷσιν ἐν καύσῳ τρόμοι γίνονται, παραφροσύνῃ λύει. i. *Quibus in causo tremor est, finiunt cum delirio.* Est enim facilis atque mutua principatuum & propaginum sympathia, & syncimoria.

20

35 Τὰ ἀφθώδεα στόματα τῇσιν ἐπιφόροισι, κοιλίας καθυγραίνει.

Ora aphthosa grauidis, perliquidas reddunt aluos.

HVIVS prognoseos ratio repetenda ex commentariis nostris ad secundam & decimamnonam huius tractatus.

30 36 Αἱ δὲ τῶν κυουσέων προνοσέουσαι πρὸ τῶν τόκων ἐπιῤῥιγοῦσι.

Quæ autem grauidæ prius ægrotant quàm enitantur; iis subinde ante partum rigor cietur.

CLARA & facilis est philologia huius prognoseos: sed ratio eius philosophica, multis est obstructa difficultatibus. Nec vero adduci potest ad demonstrandum, nisi perspectum sit prius, catholicane, an hypothetica hic posita esse videatur: tametsi catholica est enunciatio. Quæ verum vera sit, planum

40 faciet eius examen quod sic aggredior.

QVÆ AVTEM GRAVIDÆ.] Quæ inter grauidas ita sunt constitutæ, vt secundo cursu non exigant suam grauiditatem, nec sine molestia; idque suo merito, non autem culpa ipsius grauiditatis.

PRIVS ÆGROTANT QVAM ENITANTVR.] Non quidem omni morborum genere laborantes; sed fortè doloribus hypochondrij occupatæ. Nam vxor Epicratis, ante partum ægrotauit, febre correpta, tertio die puellam fœliciter peperit, cum ante febrem obortam riguisset. Ac morbo defuncta est graui & periculoso, quod ei purgatio puerperia bene iuisset. De hypochondrij autem doloribus huc pertinentibus; non ita pridem adducta est illa prognosis. *Grauidas malè habet hypochondrij dolor. Tum alui quæ his feruntur. Quinetiam ipsas crebrò rigere, pestiferum.* Tametsi enim verbo ægrotandi, cætera morborum

50 genera complexus esse videatur: tamen ab illis non æqua est rigendi necessitas ante partum, sicut ab hypochondrij dextri dolore quem fortè intulit systrophica inflammatio, quæ ante non abstulit grauidam, quàm, peracto cursu grauiditatis, ad enitendi pariendique tempus peruenerit. Tum enim si validarum grauidæ virium beneficio, phyma crudum hepatis expectarit pepasmum, & empyema mutetur; non antè partus erit, quàm pariendi tempus euenerit. Nam periodicus rigor febrium intermittentium, nihil aliud nisi paroxysmum denunciat, nec facit grauidam ἐπιῤῥιγοῦν. i. *crebro rigere.* Symptomaticus tamen hic est, de quo scriptum est à præceptore. Ἢ ῥῖγος ἐμπίπτει. i. *crebrò incidit,* vt annotauit Galenus in commentario ad illum aphorismum. Criticus autem rigor, semel tantum in febre acuta cietur ad crisin, per hæmorrhagiam, aut per sudorem, nec recipit τὸ ἐπιῤῥιγοῦν: sicut expressum hîc legitur ita Latinè conuersum.

60 IIS SVBINDE ANTE PARTVM RIGOR CIETVR.] Nec ante pariunt, quàm subinde riguerint, affecta iam grauiditate, cum in propinquo est partus, quem rigor quidem accelerat: sed reliqua puerperij efficit difficillima, vt visum est præceptori, cùm ait: *Inter prædictas,* quibus subinde rigor cietur, *quæ pariunt facilè, iis reliqua difficillima.* Sed eam prognosin, penè dixerim, ænigmaticam, supra explicauimus, quo reuocanda est, vt omnis difficultas tollatur huius prognoseos.

37 Αἱ καρώδεες ἐκλύσιες δύσκολοι μὲν ἐκ τῶν τόκων ἀποβαίνουσι, καὶ παρακρουστικαὶ οὐ μέντοι ὀλέθριοι· ἀτὰρ καὶ πλῆθος γυναικείων προσημαίνουσι.

Exolutio cum torpore; difficilis quidem à partu contingit, delirium que infert: sed tamen non est mortifera. Pranunciat autem copiam muliebrium. 10

Lochiorum incommoda quæ vitio purgationis in qualitate aut copia, puerperas circumueniunt; supra sunt à nobis exposita. Vnum hîc ponitur quod etiam attigisse videmur ad illam prognosin. *Quæ ad manum torpida sunt, aride, situ expertes; cùm muliebria multa laxarint, pus edunt.* Sed quoniam eius & huius non idem est τὸ κατηγορούμενον quamvis idem τὸ ὑποκείμενον esse videatur; examinandi studium similiter erit à nobis in hac prognosi, sicut in illa.

Exolutio.] Non ea quidem quæ cernitur in lapsu præcipiti omnium facultatum, collapsis omnibus naturæ præsidiis, atque imprimis corde, cum ei nihil sufficit ad instaurandum nectar viuificum, cuius exhausto laborat; aut cum illis nectaris crebra est dissipatio atque corruptio ab aura pestifera, 20 vel à fœdissima tabe pulmonis. Atque hæc vera est ἔκλυσις, quæ vera dicitur syncope cardiaca. De qua est illud positum à præceptore. Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος ἐξαπίνης τελευτῶσι, id est, *Qui crebro & fortiter exoluuntur sine causa manifesta; vitam repente finiunt.* Sed illa demum est exolutio hîc audienda, quam supra nominauit λειποθυμίαν, nec ea quidem quam peperit vacuatio atque consumptio triplicis nostræ substantiæ, & frigus habet coniunctum: sed ea quæ cernitur ἐν τῇ δυσκινησίᾳ i. *in difficultate mouendi* & conuertendi se in alterutrum latus. Quod certè vitio accidit oppressionis, cui præiuit successio excrementi.

Cum torpore.] Est autem ὁ νάρκη siue torpor, segnicies quarumlibet partium in suo cuiusque officio, vel hebetudo earum in percipiendo appulsu τῶν αἰσθητῶν i. *sensilium.* Vtriusque hîc ratio est quam infert vtraque plethora, videlicet ad vires & ad vasa. Plethora autem sic est. 30

Difficilis quidem a partu contingit.] Quoniam eius in causa est, lochiorum suppressio, vbi est sanguinis τὸ πλῆθος καὶ πάθος. vnde malorum fœtura & ilias esse solet quam supra ostendimus. Sed exolutio hîc descripta, particularem infert ἀναισθησίαν ad instrumenta motus & sensus quæ sunt in toto corpore & omnibus artubus: proptereáque illi familiare symptoma adiunxit.

Deliriumque infert.] Quæ vox delirij est, non quidem perpetui, qualis esse solet phrenitis, & inde nata insania: sed pressi leuiter atque fugacis. Exoritur enim κατὰ τὴν συμπάθειαν vitiorum quæ cerebrum in sympathiam adducunt. Atqui iampridem illud receptum est quod in primo prorrhetico scribit Galenus. Αἱ ἐν ἑτέροις τισὶ μέρεσι διαθέσεις αἱ εἰς συμπάθειαν ἄγουσαι τὸν ἐγκέφαλον, ἐκ χολῆς ἢ φλέγματος ἀθροιζόμεναι, τὸ διηνεκὲς οὐκ ἔχουσι. i. *Quæ ex pituita bile in cæteris partibus natæ offensiones, cerebrum in sympathiam possunt adducere, nihil habent perpetuum.* Nam demonstratum est supra quid intersit inter φρενιτικὸν, & παρακρουστικόν. 40

Sed tamen non est mortifera.] Nec suo vitio, nec alieno. Ac suo quidem: quia oppressio tantùm occupat corpus tractabile, facitque ibi segniciem & hebetudinem. Alieno autem: quia delirium quod inde infertur, non eam parit in cerebro alterationem, vnde ventura sit alienatio mortifera & funesta: sicut à phrenitide & insania venire solet, quòd illæ in cerebro firmiter fixæ sint.

Præ nunciat autem copiam mulierium.] Quam toto corpore artubusque omnibus nauseabunda vomit in vterum, venarum repletio. Atque ita πληθωρικὸς transibit in αἱμορραγίαν.

38 Αἱ ἐν τόκῳ, καρδίην προαλγήσασαι ὀλίγῳ ὕστερον ἀποβάλλουσι. 50

Quæ parturiendo, priùs cor dolent, paulò pòst illa pariunt.

Ibi demum sperabilis est fœlix partus, & citò venturus à graui enixu; cum mulier diu multumque parturiendo fracta, incipit laborare cordis dolore. Quod certè vt medicos imperitos metu exterret: ita peritos recreat ac reficit bona spe secundi partus, & iamiam adfuturi. Sic autem ratio est huius 60 prognoseos, quam præceptor scribit his verbis: *Quinetiam mulieri parturiendo cor dolet, quod accidit ventre circumuoluente fœtum, & opem ferente ad partum; maximè autem vtero.* Sed quare à graui enixu partum in propinquo esse denunciet cordis hic dolor qui ante fuit, In causa hæc sunt. Non enim hæc cardialgia vel cardiogmus, ab aura incidit venenata; nec verò à bilis morsu: sed à fœtu ipso qui tota grauiditate, velut sedendo, in aluo delituit; nunc autem in partu, cum foras viam affectet,

sese

ſeſe extendit atque in caput procedens, matris cor. i. os ventriculi, impetit, quod eſt acerrimi ſenſus. Eſt autem hoc loco, cordis nomen, pro ſtomacho: ſicut Hippocrates vſurpauit multis in locis.

39 Τὰ φρικώδεα, κοπιώδεα, καρηβαρικά, τραχήλου ὀδυνώδεα. γυναικεῖα καταῤῥήγνυσι· περὶ κρίσιν τὸ τοιοῦτον γινόμενον μετὰ βηχίων ἐπιῤῥιγεῖ.

10

Crebri horrores cum laßitudine, capitis grauitate, & colli dolore: mulicbria cient profuſè. Atque id ſub criſin obortum, mouet tußiculam, cum rigore.

Hvivs prognoſeos nuper adducta ratio eſt ad 32. huius tractatus. Itaque tantùm hic noſtræ ſunt partes, vt attingamus ea quæ ſuprà oſtendimus ad illam prognoſin. *Perculſum caput, aurium echo; hemorrhagiam cient, aut mulieribus muliebria deorſum effundunt: idque cum aliàs, tum ſi rhachus inde fuerit ardere accenſa. Fortaſsis etiam dyſenterica ſunt hæc.* Oſtendimus autem quòd ab eadem concuſſione cientur variæ excretiones; tam pro humoris motu, naturæ impulſu, & meatuum conditione, quàm pro natura & propria inclinatione illorum quibus ad criſin eadem perturbatio incidit. Quemadmodum enim ſigna prædicta iuuenibus, ad hæmorrhagiam; ſenibus, ad dyſenteriam, in morbis acutis: ſic mulieribus ad muliebria, priuilegio quodam naturæ apparent, ſicut etiam ſuprà demonſtratum eſt in hiſtoria menſtruorum. Quod enim ſequitur, de tuſſicula cum rigore, non eſt diſciplinabile, ſed ἀμαθὲς: quia demonſtrari non poteſt nec verè, nec appoſitè.

Coac. 8. c. 1. lib. 2.

20

Coac. 10. huius tract.

40 Ἧσι κόρῃσιν ὀρθοπνοϊκὰ συμβαίνει· ἐν τῇσιν ἐπιφόροισι, τιτθοὺς ἐκπυοῦνται. γυναικεῖα ἐπιφαίνεσθαι ἐν ἀρχῇ κακόν.

30

Quibus puellis orthopnoica ſunt in promptu, ÿs dum vtero gerunt, mammæ ſuppurant In cauſa ſunt muliebria quæ non apparent loco, vel, Malum eſt muliebria non apparere loco.

Operæ precivm eſt diſcere ac tenere quemadmodum mala virginum orta ex vitiis muliebriũ, tranſeant in magna incommoda, ſiue ſymptomata grauidarum. Atque hic locum habet illa ſententia præceptoris quæ docet ibi demum morbos enaſci atque manere, vbi antea fuit dolor aut laſſitudo. Sic orthopnœa virginum quam ſera peperit muliebritas menſtruorum; iiſdem pòſt grauidis mammas adducit in empyema. Hoc autem cuiuſmodi ſit, tum verò quemadmodum iis eueniat, ſic aggredior ad docendum.

40

Qvibvs pvellis] Quæ viris maturæ, nondum expertæ ſunt muliebritatem à menſtruis.

Orthopnoïca svnt in promptv] Quæ orthopnœa tentantur, vbi non niſi recta ceruice reſpirant. Atque id quidem, non inflammata larynge, cuius inflammatio præceps eſt ad interitum: ſed pulmone multùm oppreſſo, atque diſtentis ſanguine illuc affuſo, mammis. Nec verò hîc vera eſt orthopnœa, quæ principatum obtinet difficultatis in omni dyſpnœa: ſed potiùs quædam ſublimis reſpiratio, quam dicunt πνεῦμα μετέωρον, ὀρθοπνοϊκόν, vbi, non niſi reſidendo, ægri reſpirant: quod apud Hippocratem eſt, εἴσω ἕλκειν ἢ ἀφιέναι. i. *ſpiritum trahere verius quàm ducere.* Ac talem orthopnœam ſuprà iam attigit, vbi ait: *Orthopnœam faciunt hydropiformia dura*: ibi nos hydropiformia dura ſpectauimus in thorace, cuius diſtentio eſt magna ex nimia humoris abundantia quæ latitudinem tollit thoracis in dorſo & pectore, ipſumque totum facit rotundum ac teretem, vtris modo, diſtentum. Atque huius diſtentionis cauſa eſt πλήρωμα πλεῦμονος, de quo hæc leguntur apud Hippocratem. Ἢν πλησθῇ ὁ πνεύμων· βῆχ' ἔχει, καὶ ὀρθοπνοίη, καὶ ἆσθμα. i. *Si repleatur pulmo, tuſſis habet, recta ſpiratio, & anhelitus.*

50

lib. 1. progn.

Coac 62. c. 16. l. 2.

lib. 3 περὶ νούσων.

Iis dvm vtero gervnt] Trimeſtrem, quadrimeſtrem, aut eo maiorem fœtum: cùm ſcilicet copia eſt reliquiarum materię menſtrualis, de commeatu fœtus putiſſimo circa locos collectæ.

Mammæ svppvrant] Quia cùm olim virginalia mala mammæ exceperint, quorũ muliebria, quamuis ſera, leuationem afferre ſolebant, nunc deneganto, propter grauiditatem, exitu muliebrium, procliuis eorum eſt illuc tranſmiſſio, & ibi collectio, vbi ἡ συμπάθεια καὶ ὁμοφυΐα, ſocietatis iam partæ memoriam renouat. Sed empyema illud mammarum concipitur, tum per earum idiopathiam, tum per ſympathiam à pulmone, cuius eſt facilis ad mammas μετάστασις. Atque tum empyema in promptu eſt, ſi ea collectio ſanguinis, neque in lac mutatur, neque furorem inducit. De quibus hoc fuit iudicium præceptoris. Γυνὴ μὴ κυοῦσα, μηδὲ τετοκυῖα, γάλα ἔχει τὰ καταμήνια αὐτῆς ἐκλέλοιπεν, i. *Mulier non pregnans, nec*

60

aph. 39. & 40. 5.

puerpera lac habet, menstrua illam deficiunt. Et, Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει, i. *Quibuscumque mulieribus lac in mammis concrescit, insaniam facit.*

MALVM EST MVLIEBRIA QVAM PRIMVM NON EXIRE] Epiphonema est, quo sanè ostendit quòd virginalia mala, muliebrium orta vitio, quàm primùm loco non exeuntium, id enim sonat, ἐν ἀρχῇ, vt nuper ostendimus; vbicumque insederint, quamuis abierint, memoriam tamen sui renouant in grauiditate, vbi naturalis & iusta est muliebrium cohibitio.

41 Τὰ μανικὰ· πυρετοὺς ὀξεῖς, ταραχώδεας, ἀχόλῳ καρδιαλγικῷ λύουσι.

10

Fanatica; febres acutas, turbulentas, cardialgico non bilioso exoluunt.

HOC CERTE appositè non est positum ad historiam de rebus mulierum. An verò verè ad id de quo dicitur, hæc prima occurrit quæstio in examine huius prognoseως. Veritas autem sic lucebit.

FANATICA] i. Insaniæ in quibus dementiæ summa sunt omnia, cuiusmodi sunt eorum qui ad fana excurrunt, cœptis immanibus efferi.

FEBRES ACVTAS] Quæ continenter, celeriter & vehementer mouentur. 20

TVRBVLENTAS] i. Quæ inferunt τὴν ταραχὴν ἁπλῶς ὀνομαζομένην, i. *turbationem simpliciter absolutéque dictam*, quæ mentis & consilij est, non vrinarum, nec ventris, vt annotauit Galen. ad illud prorrh. Τὰ ἐπὶ ταραχώδεσιν ἀγρυπνίῃσιν οὖρα ἄχροα, μέλανα, ἐναιωρεύμενα ἐφ' ἱδρῶσι φρενιτικά, i. *Vrinæ turbulentis vigilijs decolores, vel nigræ, enæoremate præditæ; cum sudatiunculis notant insaniam.* Hæc autem turbatio, phrenitidis prænuncia est atque insaniæ grauioris. Ac talis turbatio à febre acuta, sic expressa legitur in illa prognosi. *Surditas, morbi acuti turbulentique consectaria; graue malum.* Sed illic turbatio pro insania, scripta est τὸ παρακρούειν. Non enim surditas, turbationis est ἔκγονος: sed insaniæ ab exhausto qua exoluta est pars illa cerebri vnde vis audiendi manat.

prorrh. 4 f.1.1.

Coac. 2. c.3 lib.2.

CARDIALGICO] i. Cordis dolore implicito. Est autem positum hîc nomen cordis, pro stomacho, seu ventriculi orificio quod est acerrimi sensus, vt sæpe ostendimus. Ac nihil interest, dixerisne cardialgiam, an cardiogmum, i. morsum partis prædictæ. 30

NON BILIOSO] Vt esse solet in multis: sicut in illa muliere, cuius cardialgiam contumacem exoluit ptissanarium conditum succo mali punici. Nam bilis affluxu, tale symptoma excitari solet in stomacho, cùm eò vsque prorepit; sicut affixæ bilis in fundo alui, nausea est & singultus: similiter vt eius natantis, vomitio esse solet. Hic autem cardialgiæ causam agnoscit, non hypochondriacam biliosam: sed eam quæ à cerebro, vbi mania est, transfertur in stomachum κεφαλικῶς, proptereàque cerebro συμπαθῶς ἔχοντι: sicut annotauit Galenus in luxata maxilla.

2. Epid. part. 2.

lib. 2. ἀρθ.

EXOLVVNT] i. Sanant. Sanè quidem: sed eam sanationem non adfert redintegratio corporis è natura egressi; vt verbum illud quod est sanandi, sit planè ironicum, sicut in illo: Οἷσιν ἐν καύσῳ τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει, i. *Quibus in causo tremores accidunt, eos delirium perimit.* Ibi enim delirio tremor sanatur; sed ægri periculo, siue interitu. Ergo fanatica exoluunt turbulentas febres acutas: quia tum ad vltima ventum est, cùm turbationi phrenitis, & inde huic succedit extrema dementia. His gradibus itur in requiem sempiternam. 40

42 Τοῖσιν ἀτόκοισιν αἵματος ἔμετος, πρὸς τὸ συλλαβεῖν ὠφελέει.

Sterilibus vomitio sanguinis, ad concipiendum prodest.

50

EST quidem in promptu perceptio huius prognoseως, quę cuiusmodi sit, philologia eius prima fronte ostendit. Nihil enim clarius, nihil ad percipiendum facilius, quàm legere vel audire; quòd iis quæ non concipiunt, vomitio sanguinis ad concipiendum prodest. Sed vtrùm verè id positum, aduocanda est omnis ratio sterilitatis ad ineundum examen, quo veritas elucescat. Quot enim causarum sterilitatis ideæ; tot etiam remediorum genera esse debent. Quæramus ergo, si placet; an cuiuis & semper, an verò tantùm cuidam sterilitati, sanguinem prosit vomere, ad concipiendum: Enimuero quantùm complector animo, ea omni doctrina Hippocratis; mulieres omnino sunt ἄτοκοι, id est, *partus expertes:* quia sunt ἄφοροι, i. *vacuæ*, nec prægnantes. Non enim admitto mulieres quæ molam gerunt, ac sæpe manent ἄτοκοι ad vltimum vitæ diem, si tandiu mola vixerit, donec mulier animam exhalarit, & in eam mola ipsa molem accreuerit, vt iam exire non possit; nec eius mortuæ adhuc paruæ exclusio fuerit à viuente matrice & matre, quæ consortis mortui impatiens esse solet. Vidimus enim molam molis annorum quindecim. Erat autem rotunda pedes tres cum dodrante. Eam gestabat mulier abdomine vtriformi, quale est hydropicorum. Ea mortua & dissecta, prodiit mola viuens & incorrupta, cuius conceptæ & gestatæ in vtero per quindecim annos, hoc argumento adducor; quòd mulier esset vitæ integræ, & notæ comprimis pudicitiæ. Exegerat autem 15. annos vidua. Nam sine coitu, coagmentatio non est molæ, quic- 60

De mola.

quicquid nugentur sophistæ, linguarum & naturæ ignari. Hoc fuit iudicium præceptorum Hippocratis, Aristotelis, & Galeni, quorum authoritas vna me frangeret, nisi eorum ratio plus valeret ad comparandam docilitatem & fidem. Sic enim de mola censuerunt; quòd mola est rudis indigestáque moles, quam cruditas edit seminis atque corruptio, vnde est impedita corporis partiumque discretio & accretio. Nam ea moles in quam assurgit, quæque illi vulgò peperit nomen molæ; accretio quædam est physica, sed informis. Viuit enim & crescit, more tuberum, quæ ὕδνα Græci vocant: non autem stirpium suis partibus, conuenienter cuiusque naturæ discretis, absolutarum.

Discretionis & accretionis veræ in mola, impeditio est à seminis cruditate quod in matrice conceptum est, nec foras elapsum. Cruditati seminis ab inchoata eius confectione in testibus, multùm adiicitur ab oppressione quam facit muliebrium instans purgatio ab intempestiua conceptione suppressa. Tum enim semen conceptum obruitur sanguinis abundantia, quo antè non eget, quàm absoluta fuerit fœtus descriptio. Non enim à sanguine semen nutritur, dum informatur fœtus: sed à suo consociali, quod est semen alterum, siue alterutrum quod dominatu regitur informantis, tum maris, tum fœminæ. Est igitur mola, velut quædam μύκωσις, vt placuisse video Aristoteli, quod illa sit crudor quidam, quo vis exoleuit gignendi ac discernendi à semine. similiter vt in grossis à cruditate impeditur accretio atque maturitas. Nam & μολυνώδης verbum, maribus nuper natis appositum legimus apud Hippocratem: quòd scilicet ipsos puellæ crescendi celeritate præcedant, quas tamen præcesserant dum essent in vtero. Hippocratis verba hæc sunt literis digna aureis: Συνεστάθη, πήγνυται, θᾶσσον κινηθὲν ἐμολυνώθη, καὶ βραδύτερον αὔξεται, καὶ ἐπὶ πλεῖον χρόνον. i. *Articulatum est, constitit, celerius motum comprimitur, tardiusque augetur & diutius.* [6. Epid. part. 2.] Quinetiam idem verbum præceptor apposuit abscessibus immaturis qui paulatim subsidunt atque vanescunt. Locus est in prorrheticis & in Epidemiis. Atque in prorrheticis verba hæc sunt: τὰ ἐπώδυνα ἀνεὶ τοῦ καταμολυνθῆναι φλαῦρα. i. *Dolorifici tumores sine ... repressi, mali.* [1. 2. prorrh.] Vbi Galenus docet, inter καταμολυνώδης & ἀφανίζειν hoc interesse, quòd illic paulatim, hic verò repentè ac subitò vanescant tumores, retractis intro humoribus vnde assurgunt. In Epidemiis autem sic est: ἀριστερὸν παρ' οὖς οἴδημα, τῇ δ' ὑστεραίῃ τὸ δεξιὸν ἔλασσον δὲ τοῦτο ἐμολύνθη ταῦτα καὶ ἐμολύνθη. i. *Sinistra fuit parotis, postridie autem dextra: sed tamen hæc minor. Vtraque simul leuigabatur, atque ita subsidit.* [2. Epid.] Loquitur autem de fratre coniugis Aristæi. Atque hic locus à Galeno citatur ad illum quem modò attigi lib. 6. epid. vbi legitur συνεμολύνθη, quod est in textu lib. 2. ἐμολύνθη. Quæ Galeni correctio melior mihi videtur. Illic sane Galenus appositè & eleganter quid sit καταμολυνώδης, sic enarrat. Τὸ γὰρ ἐξ ὀξείας κινήσεως καὶ μεταβολῆς ἀναπαυόμενον καὶ ὥσπερ ψυχθὲν, οὕτως αὐτὸ ὠνόμασε. i. *Quod enim à celeri motu & mutatione quiescit refrigeratum, sic nominauit.* Hactenus hæc de mola. Iam reuertamur ad examen sterilitatis.

Ergo iam constat, opinor, quòd illæ demum fœminæ sunt ἄτοκοι. i. *partus expertes ac nesciæ*, quæ non sunt καρποφόροι. i. *quæ fructum non ferunt in vtero*; vt omnis tollatur molæ opinio, quæ diu gestata, ferè ἀτοκίαν inducit. [De sterilitate.] Sunt autem mulieres ἄγονοι, quia semen virile vel non excipiunt, vel non concipiunt. Nam quæ ab imperfecto sæpe partu, ob impotentiam nutriendi atque gerendi fœtum, infructuosæ manent, causas non habent sterilitatis, quas hic persequimur. Atque illa vitia, suprà sunt à nobis exposita. Huc igitur primùm nostra esse debet attentio atque contentio, vt intelligamus vnde sit impeditio excipiendi semen virile, vt eius complexu fruatur muliebre ad generandum, quod ipsum per se nihil gignit, præter pathema hystericum, ne molam quidem: cuius, vt dixi, coagmentatio sine coitu esse non potest.

Est igitur varia impeditio excipiendi semen virile, qua impeditur conceptio, vnde mulieres in perpetuum manent steriles. Ac prima quidem impeditio cernitur in iis quæ statim à coitu semen excernunt vel effundunt, quale iniectum est. Talibus enim τὸ στόμα οὐκ ὀρθόν ἐστι τῶν μητρέων, ἀλλ' ἰδρύνται καὶ ὑπολέλειπται τῆς γονῆς. i. *os vteri non est rectum, sed planè distortum, aut etiam collapsum: propterea que viri semen nequit excipere.* Sed vtrùm ea peruersio vteri vel conniuentia, menstrua exitum sinat habere, aut non; imprimis quærendum. Nam si fatetur mulier se menstrualem non esse, vt decet; multùm adiicitur illi vitio quo semen illapsum, ab vtero non excipitur, à menstruorum illic stabulantium suppressione. Hîc sanè profuerit, quò ea conniuentia explicetur, vel oris peruersio in directum mutetur; profuerit, inquam, vomendo sanguinem vacuare. Sic enim restituetur amissa commoditas excipiendi semen. Quò spectat illa sententia præceptoris. Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλειπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι ἀγαθόν. i. *Mulieri menstruis deficientibus, sanguis è naribus fluens, bonus.* Vel illa potiùs: Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις. i. *Mulieri sanguinem euomenti, menstruis profluentibus, sanatio est.* [aph. 32. & 33. 5.] Nam si prodest vomere sanguinem ad detrahendum menstrua profluentia; profuerit quoque illac. i. per vomitum, naturam dare operam purgationi eorum quæ circa locos subsistunt. Quòd si euenerit, vt rectum os vteri conniueat, aut peruertatur, quasi de more institutóque suæ naturæ, simulatque menstrua illac transierint; vnum illud restat perfugium excipiendi semen, vt liberis detur opera, veneri operando, pridie quàm quiescat purgatio menstrua. Hic nihil profuerit, sanguinem per os vomendo effundere. Sed præter illam vteri conniuentiam, cuius præsidia modo attulimus, vna existit, eaque fixa tam firmiter, vt penè respuat omnem industriam. Est autem illa quam peperit oris duritas atque scirrhus: de qua sic positum est à præceptore. Ὁκόσῃσι τὸ στόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ξυμμύειν. i. *Quibuscunque os vteri durum est ipsum necesse est conniuere.* [aph. 45. 5.] Non enim consuetudo est conniuendi vtero naturaliter instituta; nisi cùm semen concepit, fouetque suo complexu. Nam conniuentiæ naturalis commoda iam attigimus. Eius autem quæ non fit συμμύει, sed καμμύει à scirrho; difficilis admodum curatio est.

Quinetiam subit alia impeditio excipiendi semen, posita in præpingui abdomine mulieris quæ initur. Quæ causa & ratio impediendi sic expressa legitur apud Hippocratem. *Quæ multùm è crassitudine* [aph. 46. 5.]

naturæ egressa, vtero non concipiunt; iis omentum, os vteri comprimit: neque prius concipiunt, quàm fuerint attenuatæ. Hîc sanè videndum, an, vomitu sanguinis, attenuatio comparetur, quam ad concipiendum necessariam esse dixit. Sed patefacta est omnis impeditio excipiendi semen virile. Nunc de impotentia idem concipiendi, cùm semel illapsum fuerit, & exceptum ab vtero. Primom occurrit iudicium præceptoris de signis excepti seminis, sed non concepti. Est autem huiusmodi. *Ergo si mulier fateatur postridie, aut perendie, aut etiam quartò pòst die quàm rem cum viro habuerit, semen ex vtero elapsum fuisse; huic natat vterus nimia humoris abundantia, ipsumque semen diluitur. Sin autem sextum aut septimum diem agens à coitu, exceptum semen effundat, certum est ipsum putrescere, & cùm putruerit, elabi.* Sed tamen effluuia illa, seminis recto cursu, in vteri sinum illapsi, non tamen ad generandum concepti; æquè viri accidunt malo satu, atque mulieris vitioso conceptu.

Enimvero satus eorum in vitio est, quorum spermaticus humor, semenque ipsum, temperamento & complexione non sunt naturaliter constituta. Huiusmodi ferè cernuntur in iis quibus est sanguis natura serosior, aut qui à diæta serescit: quod Aristoteli est ἱδρὼς, vbi de sudore agit cruento. Natura serosior est in lentiginosis quorum vlcera ægrè sanescunt: tum in minutulis, quos Græci λεπτοὺς vocant; & catarrhosis, à perennitate catarrhi, quam fundit repletio capitis, quæ à visceribus malè moratis maléque constitutis, continenter infertur; cui de proprio capitis vitio multum adiicitur. Talis enim complexio eius materiæ quæ ope testium, transit in semen, ipsum vix edet prolificum. Sic enim naturæ comparata est ratio, vt coctionis vitium quod præcessit, non emendetur ab ea quæ illi succedit. Scitum est illud: *Segnities ventris, est omnium confusio, & vasorum impuritas.* Diætæ vitio sanguis serescit, ibique humor spermaticus testium coctione non transit in semen prolificum lientericis, leucophlegmaticis, omnibusque adeo quos occupauit hydrops tum ebriosis atque cachecticis. Nam quibus adepta vis est subeundi vel irrigandi fundum hystericum; notæ sunt illi sterilitatis: similiter vt castrati & thlibiæ, quos vocant eunuchos. Ac subeundi quidem fundum hystericum adempta vis erat illis œdmaticis apud Scythas quibus ad œdmatis curationem, sanguis detractus fuerat, venis pone aures incisis. Quod etiam, ex instituto gentis, faciundum præcepit Hippocrates in Epidemiis. Impotentiam subeundi facit collapsa facultas arrigendi, à seminis paupertate; vel exolutio musculorum pudendi. Nam irrigandi vterum recto cursu, libertas spadoni adimitur: vel potius nec vlla quidem conceditur: vt mirum videri non debeat, si pro fœcunditate regnet sterilitas in mulieribus quæ viris nupserunt in quibus prædictæ sterilitatis causæ apparent. Sunt enim aliæ multæ à viris profectæ, quæ in occulto latent, nec nisi à peritis medicis animaduerti possunt: cùm scilicet viri satu hystericus fundus non gaudet, quia non est illi ἐναρμόνιον. i. *consonantia*, temperamento, vel etiam complexione: vnde sunt illa vitia densi aut rari seminis, tum frigidi atque calidi, quæ ponuntur à præceptore in aphorismis. Itaque malo satu semen virile non minùs elabitur postridie quam illapsum est, perendie, quarto die, aut quinto, & sexto; quàm culpa hysterici fundi, tum proprio, tum alieno vitio laborantis. Vidimus enim quasdam primis nuptiis diu steriles, quas tamen secundæ beatunt prole pulcherrima.

[2. Epid. par. 2.] [lib. de aërib. locis & aquis.] [6. Epid. par 5.] [aph 63. 5.]

Ergo tenebit is primùm notitiam sterilitatis vnde profecta sit, qui suis præsidiis volet pro ea fœcũditatem inducere, neque committet vt medicina quam adhibet, temeraria esse videatur. Nouerit autem præsicia sterilitatis in medici manu non esse, nisi permissu auxilióque Dei; cuius ea voluntas est precibus impetrata, vt summa benignitas eius appareat in regno sterilitatis, cui reginam præficit fœcunditatem: quemadmodum cecinit diuinus & regius poëta his verbis, quibus ora sua in Dei laudes resoluit.

Qui maternos sterili fructus Exortatus donat, & orbos Læta renouat prole penates.

Sed quoniam vt præclarè scripsit Hippocrates. Omnia quidem diuina sunt; ac nihil est aliud diuinius alio neque humanius: nihil tamen fit sine natura, quæ est ipsa vis Dei: ac tametsi omnium redintegratio est, vnde ipsa naturæ præscriptio atque norma, nempe à Deo; tamen cognitio & scientia egressionis quæ infert sterilitatem, manat à Deo in medicum; & inde ratio comparandæ fœcunditatis quam secum adfert redintegratio rerum genitalium, priùs è statu naturæ optimo egressarum.

Ergo tenenda est primùm causa omnis & ratio sterilitatis in fœmina quæ suo vitio, non alieno, semen recto cursu immissum, non retinet, neque concipit. Nam de impotentia excipiendi, nihil dicendum ampliùs. Omnis autem causa & ratio sterilitatis ab impotentia continendi & concipiendi semen virile, sic expressa legitur in aphorismo libri quem scripsit Hippocrates ἐν τῷ περὶ ἀφόρων. id est, *sterilibus vtero non gerentibus. Quæ frigidos habent vteros, quæque densos; non concipiunt. Quæ item prahumidos habent vteros; non concipiunt: nam genitura in iis extinguitur. Tum quæ siccos nimis, quæque perustos: quia defectu alimenti semen corrumpitur. At verò quæ vtriusque contrarietatis temperiem nactæ sunt; prolem talem euadunt.* Enimvero sterilitatis causæ omnes in hoc aphorismo sunt positæ ab impotentia concipiendi semen virile. Ibi autem seminis non est conceptio, vbi vis eius prolifica non fouetur, nec excitatur ad κύησιν. id est, *ad fœtus descriptionem*: sed corruptione seminis in quo inest, labefactatur atque vanescit. At verò semen corrumpitur perfrigeratum, vel nimia humoris obrutum abundantia, vel alimenti defectu exhaustum à siccitate, vel cùm ardore matricis consumptum est. Sed patefacta omni ratione causarum sterilitatis in aphorismo, cùm ea tantùm explicanda supersit quæ est in frigore ac densitate vteri, operæprecium fuerit super hac re verba audire Galeni. *Vbi tam frigus immoderatum potens est, vt densum efficiat vterum; angustissima quoque fiunt mulieribus ora eorum quæ illuc ad vterum feruntur vasorum. Itaque vel hoc nomine, steriles manent mulieres; quòd venularum osculis secundinæ adnasci non possunt. Quod vt euenerit; tamen non potis est conuenienter fœtum nutriri. Aut enim ne minimùm quidem purgationes eunt: aut certè admodum paucæ, & illæ quidem prauæ; quòd scilicet illac tenuior sanguis & aquosior transsudatur. Etenim vbi facilè oppilantur venularum oscula: tum propter*

nativam

natiuam eorum angustiam; tum quia huiusmodi fœminæ, prouentu ferè abundant pituitosi humoris. Nam vniuersum corpus omnino similiter est constitutum vt matrix. Huc accedit, quòd semen virile, in locis huiusmodi perfrigerari potest; nisi id fortè sit natura calidius. Ergo mulieres quæ frigidos habent vteros, ad concipiendum ineptæ sunt: propter eorum substantiæ densitatem. Quæ cùm ita sint, planè efficitur verum esse quod scripsit Hippocrates; quod scilicet illæ demum mulieres nihil opis, nihil industriæ requirunt à medico ad comparandam fœcunditatem, quibus menstrua bene respondent in qualitate, copia, expurgandi modo, & vtraque periodo naturaliter instituta, hoc vno excepto. Si enim consuetudo est ori matricis conniuendi, exacta purgatione menstrua; vt genituram vterus coëundo non possit excipere: tum imperanda coitio est pridie quàm cessarit purgatio. Nam quibus impuræ sunt purgationes menstruæ, quæque non eunt κατ' τα [illegible], i. iure & loco; iis adhibere oportet cultum proli habendæ. Intelligo autem cultum, ab illis præsidiis quæ contra sterilitatem ab impotentia concipiendi, sic à præceptore sunt posita. Τὰς ἀτόκους πυριᾶν καὶ φαρμακεύειν, i. *Steriles partim fouere, partim purgare oportet.* [2. Epid. part. 5.] Etenim omnis curandi ratio suscipitur atque absoluitur vacuatione alieni humoris, & neoterismo corporis è natura egressi: quoniam omnis affectio sterilitatis, egressione vteri de sua præscriptione, & impuritate consistit alieni humoris; vt modò diximus in aphorismo. Vt autem sunt causæ singularum affectionum à quibus infertur sterilitas per impotentiam concipiendi, de qua hic loquimur: sic etiam remediorum genera esse debent. Egressioni corporis debetur neoterismus, impuritati purgatio: vt scilicet illis præsidiis, contrarietatum frigoris & ardoris, item siccitatis & humoris, temperies ad concipiendum idonea comparetur. Qualem natura & valetudinis cura diximus esse in iis quibus iure & loco conuenienter menstrua expurgantur: proptereàque tantùm à viro, non autem à medico, cultum habendæ proli requirunt. Igitur qualis egressio est vteri, talis erit neoterismus, fouendo & alterando: qualis impuritatis, talis item purgatio. Ac primùm eximiè frigida intemperies vteri, quæ densitatem infert, vnde sterilitas ipsa venit, æquali contrariorum excessu, ad iustam temperiem redintegranda: idque fouendo intus & foris. Huc valent fomenta siue θυμιάματα calidarum rerum hystericarum, καὶ ὁ ἐν ἀφύμασι πυρία διὰ τῶν μαλαχθέντων [illegible], vt loquitur Theophrastus. Atque ita cùm frigido & denso vtero medicatum fuerit intus & foris, tum explorare oportet num illis artibus comparata sit redintegratio, qua seminis concipiendi collatur fixa olim firmiter impeditio. Ratio quidem explorandi sic est à præceptore tradita. *Si mulier quæ in aluo non concipit, scire velit num tandem aliquando sit conceptura, circumtectam optimè vestimentis, infernè suffito aromatis. Et si quidem odor suffimenti ipsi per interiora corporis, prorepere videatur ad os & nares; velim existimes quòd ipsa non suapte vitio est infœcunda.* [aph. 59. 5.] Huiusmodi ratio explorandi suscipitur quoque alliis atque pessariis, quæ in sinum pudoris immissa, odorem suum expirant ad caput, vnde fucantur nocturni pileoli. Sed ea periclitatio, tantùm iis accommodatur, quarum vterus frigore ac densitate causam habet sterilitatis, vt Galenus author est ad aphorismum. Sic enim scripsit: Μόναις ἐκείναις οὐ διαδίδοται πρὸς ὅλον τὸ σῶμα τοῦ θυμιάματος ἡ ποιότης, ὅσαις σκληρόν, ὅ πυκνόν ἐστι τὸ τῆς ὑστέρας σῶμα, i. *Illis duntaxat in corpus vniuersum non diffunditur suffitus qualitas; quibus durum & densum est matricis corpus.* Nam cæterarum causarum sterilitatis, vacationem non arguit odoris perceptio à suffitu per sinum pudoris in fœmina circumtecta. Non enim cæteræ causæ odorem impediunt quò minùs ad nares perueniat, quem suffitus expirat aromatum per naturalia: tametsi aliter video placuisse Galeno ad aphorismum vbi de causis agitur sterilium fœminarum ab impotentia concipiendi. Eius hæc sunt verba: Δυσκρασίας πάσας τὰς ἀμέμπτως κατὰ τὴν ὑστέραν [illegible] [illegible] ἀρκεῖν ὁ Ἱπποκράτης διὰ τῆς ἀσαμάτου πυρίας. i. *Omnis vterina intemperies commemorabilis demonstrata est, quæ paulò antè Hippocrates posuit, per suffitum.* [commēt. ad aph. 62. 5.] Hic lectores viderint quàm constanter sibi vir summus consentiat. At verò caloris eximij & siccitatis in vtero mediocritas comparatur ad concipiendum idonea neoterismo, lactis asinini; balneo aquæ dulcis egelidæ fumo & odore carentis, diæta ciborum meabilium, omnis alienæ qualitatis expertium, minimèque suffertorum. Humidioris vteri ac multa proluuie diffluentis redintegratio est procuranda catharticis: quò spectat illud Hippocratis. Τὰς ἀτόκους φαρμακεύειν. Superuacanei autem humoris in vtero extinguentis semen virile, signa sunt τὰ ἀπιόντα, i. *quæ illinc vel illuc discedunt.* Sic enim præceptor ait. Ὑγρότης διὰ τῶν ἀπιόντων. i. *Humiditas ex iis quæ abeunt.* Sed ἀπιόντα sunt tam muliebria, quàm fluxus muliebres. De muliebrium impuritate, quorum est consuetudo purgandi naturaliter instituta, hæc fuit sententia præceptoris: *Si velis mulierem diu sterilem, materno fructu beare, ac renouare orbos penates prole gratissima; primùm attentio esse debet ad menstrua, num pituitosa, an verò biliosa. Nam tales impuritas conceptionem impediet, donec purgando fuerit expurgata. Fluxus muliebres quorum perennis fluxio est per naturalia; sterilitatis causa, præcedunt impura muliebria.* [lib. [illegible]] Ergo consilium est præceptoris, impura purgare muliebria. Testatur id primùm aphorismus hac de re conscriptus. Γυναικὸς καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει. i. *Mulieris menses decolores nec eadem fluentes periodo; purgatione opus esse indicant.* Species autem catharticorum, pituitam aut bilem ducentium, vt alterutro humore menstrua conspurcantur, tam signa vtriusque humoris; nihil necesse est huc aduocare: sunt enim in promptu, patentque omnibus ad visendum apud Hippocratem. Quinetiam idem author accuratissimè scripsit omnium muliebrium fluxuum differentias & ideas, eorumque præsidia. Sed inter præsidia humidioris vteri & impuri, principem locum obtinent fontes Spadenses aquarum medicatarum. Diæta siccissima præscribitur ab Hippocrate. Profuerit itaque vti decocto radicum chinarum in epulis, loco vini: caput fouere decocto cephalico; suffire vterum suaueolentibus aromatis, vt Galenus posuit in aphorismis, quod est πυριᾶν τῇ πυρὶ [illegible] [2. Epid. part. 5.]

Hæ sunt profectò artes fugandæ sterilitatis ab impotentia continendi & concipiendi semen virile, in causa sanabili affectionis perspectæ & cognitæ κατὰ τὴν [illegible]. His ita constitutis; ad eam præscriptio-

men & normam, instituendum examen huius prognoseωs, quod erit huiusmodi.

STERILIS VS] Quæ sunt eiusmodi suo vitio, non alieno, per impotentiam vel excipiendi, vel continendi, vel concipiendi semen virile. Atque distinctio hæc causarum omnium sterilitatis, versatur in vtero & circa vterum, qui, vt fœcundus ager, fructu materno testibilis esse debet: nunc autem manet infructuosus iis de causis quæ modò à nobis sunt positæ.

VOMITIO SANGVINIS] Quam ciet anadrome sanguinis è locis ad ventrem, vel ad pulmonem. Est enim vtrinque vomitio sanguinis apud Hippocratem, vt suprà ostendimus. Etenim menstruorum suppressio vnde sunt dolorifica mala lumborum, sæpenumero sui seri expressionem mouet in fundum ventriculi, & inde ad stomachum, vnde hæc veniunt, illinc quidem, vomitio atque nausea; hinc verò, cardialgia. Similiter etiam secundum pulmones, eiusdem sanguinis apparet vomitio, vnde symptomatum leuatio est quæ inferebat suppressio. Et verò iampridem constat quòd menstruorum & hæmorrhoidum cohibitarum anadrome si fit ad hepar, nec inde habet ἀναγωγὴν, ibi facit hydropem: sin verò ad pulmonem, ibique subsistat, & careat anagωge; peripneumoniam, empyema, & phthisin mortiferam excitat.

AD CONCIPIENDVM PRODEST] Appositè dictum est, *ad concipiendum*, non *ad gerendum, aut nutriendum*; nisi fortè nimia sanguinis abundantia, seu grauidarum repletio, quæ cernitur in difficultate spirandi, ac duris mammis & turgidis, vnde abortio sæpe incidit; vomitione sanguinis periculum ampliùs grauidæ non inducat abortiendi: sed eam deducat ad puerperium, exacto tempore grauiditatis. Nam difficultas & impotentia omnis excipiendi aut concipiendi semen à repletione locorum, vnde sterilitas, cuius in vomitu sanguinis est præsidium; nuper adducta est. Ex quibus efficitur; non ad omnem causam sterilitatis prodesse hîc positam vomitionem sanguinis: sed tantùm ad eam quæ dicta est, neque id sine incommodo partium, nec sine periculo ægrotantis. Est enim periculosa omnis quæ sursum fit per os, sanguinis vacuatio, ὁκοῖον ἂν ᾖ, i. *cuiusmodi tandem fuerit*.

43 Τὰ ἀχλυώδεα, γυναικείων συχνῶν ἐπιφανέντων λύεται.

Oculorum caligo discutitur cùm muliebria multa prodierint.

aph. 22. 2.

HIPPOCRATIS illud est in aphorismis. *Qui à repletione morbi nascuntur; vacuatione sanescunt: & qui ex vacuatione gignuntur, sanat repletio. Atque sic contrarietas; aliorum sanatio est.* Vbi iudicium est Galeni; quòd eorum qui adhuc fiunt morborum oratio est instituta: proptereáque, inquit, perspicuum est quòd vnà cum amotione causarum efficientium, ipsi quoque morbi necessario amouentur. Efficientium autem causarum amotio suscipitur per contraria. Ergo si menstruorum suppressio est caliginosa; planè efficitur, quòd eorum liberalis & libera vacuatio, caliginem priùs ob oculos obuersantem discutit & exoluit: sicut est positum in hac prognosi. Quemadmodum autem caligo ac tenebræ oculis offundantur ab iis quæ intrà sunt inutilia: tum quænam sit ratio discutiendi & exoluendi eam caliginem; in promptu fidem adducet examen huius prognoseωs.

Ergo OCVLORVM CALIGO] Græcè est, τὰ ἀχλυώδεα, i. quæ sunt oculis tenebricosa & caliginosa, eo suffusa intus, non foris. Nam τὰ ἀχλυώδεα, propriè cadunt in oculos, ac de iis dicuntur; quòd eorum sint αἰσθητὰ, i. *sensilia*, intus percepta ab impuro sensorio: vnde est deprauatio sensus videndi. Sic apud Hippocratem, *Austri sunt*, ἀχλυώδεες *sicut auribus* [illegible]. Est igitur oculorum caligo, quam facit impuritas & obtenebratio, vel spiritus visifici, & oculorum luminis, vel humorum trium τὰ ὁρατὰ, i. *aspectabilia*, excipientium, vt quædam in iis videatur esse suffusio caligiosa: tum ipsis ægrotis, tum medicis atque propinquis oculos intuentibus. Atque illa caligo nebulam & nubem contingit; nebula quidem crassior, nube verò tenuior. Est autem humorum sensoriorum visus, tum luminis oculorum proprij, ac spiritus visifici, velut aëris, perturbatio, quam θόλωσιν Græci vocant, cuius symptoma est visus allucinatio & hebetudo. Sed huius caliginis varia est origo; tum à cerebro, tum à pulmone, tum à ventriculo, tum à venarum sanguine distentarum, impuritate. Vt autem sunt causæ caliginis atque foci, tum eius idea: sic etiam remediorum genera esse solent, quæ vel naturæ imperio, vel medici artificio adhibentur. Nam si quid ὀρφνῶδες videatur ob oculos obuersari cum cardiogmω; in vomitu præsidium est: siue cardiogmω, in liberali ac libera expurgatione pulmonum aut capitis. Sin autem pro tenebris atque caligine, crebri sunt marmarygis oculi, atque scintillant siue micant scintillis quæ sunt λαμπηδόνες, tum hypochondrij fugax distentio ac sine dolore apparet; omnis spes medici & cœptæ curationis fiducia stat in narium hæmorrhagia, cuius etiam prænuncia est cephalalgia, comes illorum signorum.

DISCVTITVR] i. Sanatur λύεται: vel, si mauis, fidam habet leuationem, causa firmatam criticam, non autem falsò creditam nec insidiosam. Nos autem videmur appositè, *discutiendi* verbum accommodasse caligini.

CVM MVLTA PRODIERINT MVLIEBRIA] i. Cùm ei caligini multa superuenerint, vel superapparuerint muliebria, quorum suppressio ipsam caliginem oculis offundebat. Sunt enim τὰ ἐπιφαινόμενα, quæ intus conclusa morbifica, foras exeunt atque apparent bene vel male, ad salutem, vel ad perniciem. Quale apparet sputum pleuriticis de phlegmone systrophica tunicæ costis intextæ. Sed illud ἐπιφαινόμενον, est morbi fixi qui eo sputo exoluitur. Quod autem hic ponitur in muliebrium liberali purga-

purgatione; non est de foco caliginis, vbi est ipsa: sed de materia, quæ circa locos & lumbos suppressa, in vitio est; quæ illinc mouet, ad cerebrum & ad sensoria visus, ἀναθυμίασιν ἀχλυώδη: quæ tamen, firmiter fixa non hæret in cerebro neque in oculis. Nam si perennitas esset caliginosi vaporis in qualitate mala, cerebro ἐγκατάθετος impressa: similiter vt venenum Assyrium, linis albis eo fucatis; nihil profectò valeret ad eluendam tincturam, mulicbrium suppressorum libertas: nisi quatenus à suppressione illorum, causæ illi fixæ atque symptomati adiiceretur per terram anachysmiasin, sursum ad caput elatam. Sed vt lignis accidit, quæ coniecta in ignem atque præusta, detracto igne non redintegrantur: sic morbi rheuma consistens, retracto eo quod concitatur, non tamen detrahitur: nec eam partem quam occupauit, liberam esse sinit, donec ipsum discesserit motione propria: idque superstite partis integritate, quam sæpe corrumpit. Ergo muliebrium vacuatio, caliginem discutit quam excitabat eorum cohibitorum ἀναθυμίασιν ἀχλυώδη. Ibi enim, malorum atque symptomatum subinde nascentium vocatio esse solet, vbi cessat eorum solita generatio.

44 Ὁκόσῃσι γυναιξὶν ἐκ πυρετῶν ἄλγημα τιτθῶν γίνεται· πτύσις αἵματος λωποῦ οὐ τρυγώδης γινομένη, λύει τὸν πόνον.

Quibuscumque mulieribus, oborta febre, dolor mammarum incidit; inde nata sputi cruenti non fæculenti expurgatio, molestiam omnem exoluit.

Hic scopus est alter curationis eorum symptomatum quæ in mulieres incidunt à febre ipsis aborta. Incidunt autem per ἀνάρροπον, non tantum humoris morbifici: sed eius materiæ cuius in promptu copia esse solet, vel etiam cuius vitio febris enascitur. Est autem, collectio menstruorum quæ foras non exit per vterum: sed febris ardore sursum transmissa, ibi morbum facit, vbi subsistit. Facit autem in mammis, eò transmissa, vnde nulla leuatio est primùm obortæ febri [illegible] ut morborum omnium nulla esse solet ab iis quæ incidunt κατὰ συμπάθειαν. Est autem συμπάθεια [illegible] ribus, mammarum dolor à febre, qui, vt scribit Hippocrates, ὑπομιμνήσκει ξυμπαθείας μαζῶν, φωνῆς, καὶ γονῆς. i. *memoriam renouat societatis mammarum, vocis, & genitalium.* Societatis inter se mammarum & vteri multa sunt argumenta, quæ nihil est necesse recensere. Sufficiat illud vnum, quod συμπάσχουσιν ἀλλήλοις, i. *mutuò se afficiunt*, mutuasque tradunt operas mulierum rebus tam bonis, quam malis. Non quod hic punitur argumentum, instar omnium esse debet ad faciendam fidem societatis inter se mammarum & vteri: tum peculiaris naturæ mulierum, in quibus est promptuarium materiæ redundantis ad ἀνάρροπον vel κάταρροπον. Sed huic vitio ἀναρροπίας quod est in morbo mammarum à febre mulieris, secus ab illo est quod in caligine est positum à muliebrium suppressione. Huic enim debetur propria expurgatio per anacatharsin; illi verò sufficit muliebrium suppressorum liberalis per vterum vacuatio. Atque sic, meo quidem iudicio, exempla sunt posita; vt iis veritas luceat splendeatque theorematum catholicorum nostri authoris, de curatione morborum atque symptomatum quæ inferuntur firmiter fixa, vel efferuntur fugacia: idque à rheumate concitato, mox consistente vel ab humoris, suo loco manentis ac stabulantis anathymiasi. Quæ omnia, quoniam superiore prognosi & alibi sunt à nobis distincta; superest vt institutam prognosin, cuiusmodi sit ἀπὸ τῆς κρίσεως [illegible], propalam explicemus, & ad veritatis normam examinemus.

2. Epid. part. 1.

Quibuscumque mulieribus] Cuiuscumque sint illæ conditionis, modò sint menstruales, tam viro maturæ adhuc innuptæ, quàm nuptæ aut viduæ.

Oborta febre] id est, Cùm febris eas inuaserit, maximè verò acuta, intermissionis expers, vnde cientur motus introrsum, sicut à tertiana extrorsum: qua motuum differentia, febres illæ ab eadem natæ materia distinguuntur: ob eamque causam sunt participes vel expertes quotidianæ discessionis, quam Græci nominant καθημερινὴν λύσιν ἢ ἀπυρεξίαν. Ac febrium quidem assidua crisis fit ἄνω, tum per excretionem, tum per abscessum: nisi forsan exceperis febrem ardentem quæ à rigore criticum habet sudorem, sicut hæmorrhagiam. Nam febrium biliosarum tertianarum quæ cum rigore nascuntur, excretiones criticæ fiunt ἔξω: quemadmodum ἄνω per vomitum à rigore; nec vnquam abscessus, qui fit earum merito.

Dolor mammarum incidit] i. Dolorificum malum in mammis, quod ibi facit muliebrium, quæ in muliere semper in promptu sunt, concitatio: cuius quidem causa est febris assidua, vnde materia sursum viam affectat: cursum autem eò inflectit, nempe ad mammas, propter ipsarum & vteri συμπάθειαν, tum propter societatem quæ illis partibus intercedit per vasa communia.

Excitata inde purgatio] Græcè est πτύσις, ad verbum, *exputio*, quæ apud Hippocratem sæpe legitur pro anacatharsi, quæ propria expurgatio est morborum thoracis atque pulmonum. Hic autem appositè mammis tribuitur, ad sui purgationem: quod eorum qui sunt in mammis humorum, facilis intra thoracem est transitus, propter earum partium societatem quæ cernitur in vicinitate vasorum inter se, ac mutua officiorum communicatione. Situm est illud: Ἀπὸ τῶν τόπων τόποι δέχονται, ὧν μὲν, ἢ πόνον, ἢ βάρος, ὧν δὲ, ἀλεωρήν· ἔστι δὲ καὶ κοινωνίη, i. *Quarumdam partium affectiones ab aliis excipiuntur, partim labore, partim grauitate, partim etiam quibusdam præsidiis; sunt etiam certis quibusdam societates inter se vnde hæc fiunt.*

2. Epid. sec. ultimæ oper. part. 3.

SPVTI CRVENTI] i. Concreti sanguinis: non quidem sputi pauca bile permixti, quale est bonum sputum pleuritici circa initia; nec pauco sanguine, cuiusmodi esse debet peripneumonici: sed meus cruor nulli sputo albo permixtus, vt præ se ferat idcam humoris morbifici alteratione carentis, omnique pepasmo, quo vertitur in empyema, cùm eius collectio metum adfert corruptionis atque insaniæ. Non enim tum lactis coctio esse potest, quæ vera est πέψις.

NON FÆCVLENTI] Cuiusmodi esse solet corrupti sanguinis in empyema prauum, tam suo vitio, quàm partis obsessæ mutati. Sic enim de prauo empyemate dici solet, quòd scilicet est βορβορώδης ἢ ἀμοργώδης, i. cœnosum vel amurcosum, eodem planè sensu quo hîc τρυγώδης. Quæ omnino praua, vt votis omnibus sunt auertenda: sic neque tamen optandum est, nec expectandum in mammis empyema, quamuis laudabile: vt neque in pleuritide, nec in peripneumonia, nisi cùm desperatio est anacatharseos, in spe angusta salutis. Præstat enim citò adesse liberalem ac liberam anacatharsin, quàm empyema serò venire, vbi nihil est securitatis.

aph. 44. & 45. 7.

MOLESTIAM OMNEM EXOLVIT] λύει τοὺς πόνους, i. leuationem adfert laborum quos intulit muliebrium ad mammas à febre concitatio, vbi firmiter fixa hærent. Exoluit autem vacuatione cita & propria humoris dolorem mouentis, vnde cita est etiam vera leuatio, non falsò credita, nec insidiosa. Est autem hîc necessaria rheumatis concitati & consistentis propria expurgatio, quod sola retractio per menstruorum solitam purgationem sanare non potest. Nam tenebrarum atque caliginis intus naturam ex anathymiasi tetra muliebrium quæ circa locos & lumbos subsistunt, sanatio est in vacuatione liberali eorum naturaliter instituta.

45 Οἱ ἐν ὑστερικῇσιν ἀπύρετοι σπασμοὶ, εὐχερέες· οἷον Δορκάδι.

Quæ fiunt hystericis febre vacuis conuulsiones; faciles: sicut Dorcadi.

HÆ SVNT deliciæ Hippocraticæ, quarum epulis soli fruuntur & saturantur, quibus discendi studiũ est ab vno Hippocrate, malunt[illegible]ius præceptis instituti sque, tanquam ex fonte vberrimo, medicinam haurire, quàm riuulos con[illegible]. Est autem hoc positum in more Hippocratis, vt iterum atque iterum ponat idem exemplum, nec tamen scopo eodem; Idque καθ' ἑαυτὴν, & fundamentum rei quã docere instituit. Possem hîc ergo, perinde ac idoneum nactus locum, meam de stylo Hippocratis opinionem de locis quamplurimis qui apud eum leguntur, lectoribus confirmare. Sed ne longum faciam, longiusve abeam; hoc vnum sufficiat, positum in hac prognosi: cuius lectio hîc repetita, quæ fuerat antè scripta & explicata, sicut mouet nauseam sciolis istis qui fastidiosè iudicant de scriptis quæ non intelligunt: ita discendi cupidis & studiosis qui ad scopum authoris attendunt, dianœamque ipsius callent; talibus, inquam, iucunda est, graciosa, & fructus dulcedine suauissima. Scopum igitur ac dianœam authoris, sic aperire consilium est in hac prognosi, cur ea denuo scripta sit, cùm suprà iam venerit ad examen philologiæ ac philosophiæ.

Enimuero noster author suprà cõspectauit, dum illa scriberet quæ hîc ponuntur, vt fidem faceret redintegrandæ ex facili certæ cuiusdam conuulsionis, quæ tantam in cæteris conuulsarum partium afflictionibus, è statu naturæ egressionem ostendit, vt difficillima sit redintegratio, ac ne sperabilis quidem, vbi summa est siccitas ab exhausto. Hîc autem ratio est admirabilis quorsum adducta sit denuo illa prognosis, vbi agitur de rebus mulierum. Sanè id babet propositi noster præceptor, vt eo exemplo quod excellentia vincit cætera, naturam & causas aperiat hystericæ passionis quæ apud Hippocratem nomine τῶν ὑστερικῶν appellatur: idque κατ' ἐξοχὴν, cùm multa sint vteri pathemata: sed tamen illa communia partium cæterarum, hoc verò vteri proprium, cum muliebribus & genitura, vnde muliebritas quoque est ipsa mulierum. Est autem symptoma hoc conuulsionis hystericæ quod certat ex æquo cum apnœa hysterica, vt non minùs verè & appositè illa vteri passio nominari debeat hysterica conuulsio, quàm apnœa hysterica. Sed eorum symptomatum hystericorum cur ita sint, ratio mox adducetur. Hîc permagni refert studiosorum Hippocratis, obseruare industriam dictatoris, sua edicta suo quæque loco scribentis, & ad varios viri scopos dianœamque attendere, vbi diuersis in locis repetitio est alicuius edicti, quod alibi iam ratum fuit persuasumque omnibus, ac promulgatum. Non enim temerè, sed consultò; atque vt verè, sic appositè, bis terve promulgantur hæc singularia dictatoris edicta; quæ fundamenta sunt & hypotheses verę demonstrandarum rerum quas author ipse ad veritatis examen adducit. Et cùm prognosis hęc, theorematis loco catholici, locum habeat in prorrhetico; nunc καθ' ἑαυτὴν recensetur in quæstione pathematum hystericorum: sicut iam scripta est suprà in tractatu de conuulsione. Quoniam autem scopum authoris illic attigimus, ac rei propositæ veritatem ostendimus, hîc certè sufficiet, postquam de scopo diximus, ad quem nostra omnis attentio esse debet; sufficiet, inquam, prognoseos rationem paucis docere, ac veluti ἀνακεφαλαίωσιν recensere commentationum nostrarum quas literis illic mandauimus.

Coac. 3. c. 14. li. 2.

Ergo. CONVVLSIONES] i. Iniussi partium motus quæ naturaliter iussu nostro ac nostra sponte, non sua, mouentur.

QVÆ FIANT HYSTERICIS] i. Merito passionis hystericæ, quæ sola est vteri propria inter eas quæ ipsum malè habent contra naturam. Hîc autem hysterica passio potissimùm cadit in virgines atque viduas, ætate iam grandes, quarum scilicet vteri suo, vt ita dicam, genio defraudati, suæ molestiæ sensio-

ſenſionem impertiunt partibus affinitate ſibi vel ſocietate coniunctis. Ac cernitur quidem illa ſenſio rei moleſtæ vtero, in dyſpnœa, apnœa, i. inſpiratione difficillima, vel eius amotione fugace, repentè oborta; nouiſſimè, in epileptica quadam conuulſione. Hyſterici autem genij triplex eſt omnis defraudatio: vna in menſtruis ibi cohibitis; altera in exhauſto & ſiti; tertia in genituræ orgaſmo & inexpleta libidine, coitu denegato. Vteri vacuati ac ſitientis ſymptomata ſic naſcuntur, vt viſum eſt præceptori. Primum enim apparet in ægra, ſpiratio difficillima, penéque dixerim, ſuffocatio; cùm impeditio eſt partium ſpirabilium, à diaphragmatis oppreſſione, quam facit hepar ex vtero ſibi adiacente, qui eò curſum inflexit, tanquam ad fontem gratioſi humoris, ſitim explere cupiens in muliere grandiore ac vidua, nec ampliùs menſtruali, cuique profuſior aluus, collapſo inteſtino recto cum ſiccitatis & leuitatis acceſſione, occaſionem dedit vtero, parta locorum amplitudine, conuertendi ſe & affectandi viam ad illud [Greek] hepar. Hæc ſuffocatio naturam excitat muſculorum ad ſummam contentionem inſpirandi & expirandi: quibus moleſtiam exhibet ipſa doloris à diaphragmate [Greek], vnde ſympathia eſt cerebri, & inde conuulſio, quæ vtero reſtituto in ſuam ſedem, ſiti expleta quieſcit. Sed vteri defraudatio quæ apnœam inducit, id eſt, ſpiritus inſpirati vacationem, penè miraculo apponi debet. Hic enim reſpiratio eſt intercepta, quam in pleriſque non potis eſt cernere, nec inſpirando, nec expirando. Hoc certè accidit, perfrigerato cordis calore viuifico, vnde ſpirandi eſſe ſolebat vſus atque neceſſitas; ſuperſtite tamen in corde micandi potentia & facultate, qua editur perſpiratio vniuerſi corporis, quæ tantiſper ſufficit impediendæ caloris extinctioni: ſicut in fucis & apibus cæteriſque quæ [Greek] Græci vocant: donec apnœæ cauſa, ex vtero ſit excluſa, vel eius venenata aura, relicto corde, ad cerebrum ſit tranſmiſſa, vbi & inde mouet conuulſionem. Ergo venenata aura quam ſemen corruptum è locis expirat, inſtar veneni cuiuſdam à morſu phalangij aut ſerpentis, ſuo ad cor appulſu, tollit ſpirandi vſum paulliſper, vnde apnœa hyſterica: indéque ad guttur, ſtrangulationis opinionem facit, ac ſi ad eſſet illaqueatio poſtremò ad cerebrum, melancholiæ, quæ eſt in mœrore ac metu, ab opinionis errore; tum etiam conuulſionis epilepticæ parit euentum. Itaque licet tale pathema hyſtericum nominare apnœam vel epilepſiam hyſtericam: quæ duo ſymptomata ſimul eſſe non poſſunt, ſicut omnino ſunt planéque [Greek], conuulſio & exolutio: ſed exolutioni à corde ſuccedit, ab eadem cauſa, in cerebro epilepſia, quam facit ipſius proritatio atque contractio ab aura maligna & venenata, quæ ex corrupto ſemine circa locos, ſurſum effertur. Ea conuulſio, cæterorum inſtar ſymptomatum, eò certè adducta eſt, vt [Greek] deducamur ad cognitionem atque ſcientiam hyſtericæ paſſionis quam ſeminis infert circa locos corruptio.

Febre vacvis] Vt omnis tollatur opinio conuulſionis, quam inflammatio vteri ſecum adducit: nim eius quæ venit à febre non ſymptomatica, qualis eſt ab vtero inflammato: ſed quæ ipſa per ſe exiſtit, ac vulgo dicitur eſſentialis. Nam conuulſiones ſic natæ, faciles illæ non ſunt, vt perhibentur eſſe quæ hîc ponuntur ab hyſterica paſſione. Cauſa eſt in promptu.

Faciles] i. Quæ tolerantèr feruntur, & facilè exoluuntur ab vtraque cauſa fugaci. Nam & citò vterus eò remigrat, vnde migrauit, ad hepar [Greek], ſitis explendæ cauſa: vnde cita vacatio eſt conuulſionis enatæ ab vtero, iecori adiacente, proptereáque comprimente ſeptum tranſuerſum. Tum cauſæ alterius conuulſificæ à venenata aura, quam ſemen corruptum expirat è locis ad cerebrum, facilis curatio eſt, cùm ſemen excernitur: cuius excernendi præſidia nota ſunt quæ pudet commemorare. Tales autem conuulſiones, [Greek] nominauit, ſimili ratione, qua homines dicuntur [Greek] aut [Greek], quòd eorum vlcera facile aut difficulter ſaneſcunt.

46 Ἧσιν ἐκ ῥίγεος πυρετὸς κοπιώδης γυναικεῖα καταῤῥέχει. τράχηλος ἐν τούτοις ὀδυνώδης αἱμοῤῥαγικόν.

Quibus à rigore febris eſt laborioſa; promouentur muliebria. His dolens ceruix, hæmorrhagiam ciet.

Extremvm illud erat de rebus mulierum, vt muliebrium varia inclinatio doceretur, ab iis quæ intrà quidem naſcuntur, ſed foris apparent. Tum autem quorum morborum ſanatio apponi debeat muliebrium beneficio, cùm hæc ab illis ſurſum deorſumve cientur, & quæ illius variæ inclinationis ſigna edantur.

Ergo. Qvibvs] Mulieribus fœtu vacuis, nimiáque repletis muliebrium abundantia; vt mea opinio eſt, ab iis quæ ſequuntur.

Ex rigore] Quem ciet muliebrium ſuppreſſorum [Greek], i. *redundantium biloſa cacochymia* è venis expreſſa primùm in lumbis rigorifera, & mox in dorſo ac in ceruicibus. Quæ certè rigoris concuſſio non eſt mulierum grauidarum [Greek] muliebrium cohibitorum, quòd ea vitia procul ab iis arceantur, priuilegio quodam fœtus qui creſcit in vtero: cuius nutritio & accretio, repletionem vaſorum eſſe non ſinit a menſtruis; amplificatio autem caloris natiui, arcet [Greek], omnemq; adeo rigoriferam cacochymiam. Atque huius quidem opinionis meæ ſequeſtrem habeo præceptore, cuius eſt hoc edictum: *Si purgationes non eant mulieri, nec horror febris vt ſuperueniat, cibi autem faſtidium ſit, cogita ipſam habere in vtero.* Nam de rigoris natura & cauſis, dictum eſt ſæpe alias.

aph 61. 5.

FEBRIS EST.] Quæ continenter introrsum mouetur: tametsi prænuncium habet rigorem, cuius materia intus foras prorepit, forisque suam excitat concussionem, quæ per afflictionem caloris natiui, febrem accendit in corde, ipsiusque prima est origo atque occasio. Sic enim veteribus ratum fuit; nunquam rigorem sine febre cieri.

LABORIOSA.] Κοπώδης, id est, *Quæ lassitudinem habet coniunctam*: non eam quidem natam vel à labore inmodico, vel insueto, vel desueto. Hæc enim lassitudo ἁπλῶς dicta, sæpe ardentium febrium causa est atque comes; quæ ideo nominantur febres κοπώδεις. Sed quæ lassitudinem habet coniunctam, sua sponte obortam, & κόπος αὐτόματος nominatur, τονώδης, ἑλκώδης, ἢ φλεγμονώδης: *i. quam sensio comitatur tensionis, vlceris, inflammationis*. Primam quidem edit repletio, alteram cacochymia, tertiam vtraque causa. Hic certè sensio est vtriusque rei molestæ: quia molestiam edit, humorum τὸ πλῆθος καὶ πάθος. Argumenta enim sunt; illius quidem, suppressio muliebrium, huius verò, cacochymia rigorifera è venis expressa.

MVLIEBRIA PROMOVENTVR.] i. Excurrunt ad exitum quem antea non habebant, cohibita; cùm esset natura pigrior in excernendo, & vnà contumacior materia expurganda. Promouentur autem, rigoris concussione citata, & febris ardore, ad exitum præparata in subtili substantia, qualitate acri, & calida intemperie. Ad vterum autem viam affectant, de more naturaliter instituto; & quia cohibitio est circa locos: tum quia rigoris concussio est circa lumbos, vnde muliebrium ductus ad vterum producuntur.

HIS DOLENS CERVIX.] Ac si diceret. Quòd si à rigore frustra oborto, sursum ad caput menstrua cursum inflectant, vt sæpe fit, indéque ceruicis venæ distentæ sint, ei parti dolorificæ: vt sæpe alibi demonstratum est.

HÆMORRHAGIAM CIET.] Αἱμοῤῥαγικόν, alioqui cephalalgicum & paraphoricum: sicut conditio esse solet eorum qui sursum ad caput feruntur calidorum humorum. Hæc autem hæmorrhagia in vicem subit muliebrium suppressorum, facitque vt mulieres periculo defungantur suppressionis illius. Atque vt lumborum astu significatio fit purgationis menstruæ per naturalia: sic etiam ceruicis dolore, hæmorrhagiæ, idest, profluuij sanguinis è naribus, vt hæmorrhagiæ nomen apud Hippocratem vsurpatur.

TRAC-

TRACTATVS QVARTVS,
DE EXCREMENTIS.
DE VOMITV.

ΕΜΕΤΟΣ δὲ ὠφελιμώτατος καὶ ἀλυπότατος, ὁ φλέγματος καὶ χολῆς ξυμμεμιγμένος ὡς μάλιστα· καὶ μὴ παχὺς κάρτα, μήτε πολὺς ἐμεέσθω. CAP. I.

1 *Vomitus autem, multum habet utilitatis ac securitatis, qui pituitam exhibet accuratè mixtam cum bile; si id quod vomitur, nec valde sit crassum, nec multum.*

FINIS ERIT laborum meorum, quos in examine prognoscen Coacarum exegi, postquam absoluero quatuor quæ supersunt disputationes de morborum omnium, quorum historiæ sunt in hoc libro, communibus excrementis. Communia sunt excrementa, vomitus, sudores, vrinæ, deiectiones, quæ in quibusque morbis communiter apparent & fiunt: sicut in quibusdam propriè & appositè, ex quibus illorum morborum cognitio, atque futuri exitus præsensio, tum ipsa curatio comparatur. Nam quæ sunt propria singulorum morborum, omnia in historiis continentur, quorum illa sunt [illegible]; cuiusmodi esse dicuntur sputa quæ in pleuritide ac peripneumonia expurgantur.

Ergo de vomitu hic scribendum. Stylus autem scribendi sic erit. Aio enim, quòd vomitus est, eorum quæ intus ventriculum malè habent, à propria ipsius concussione, per os exclusio. Non enim hîc vomitus nomen admitto, quod hæmorrhagiæ pulmonum tribuitur: sicut in illo Hippocratis: ὅσοι δ' αὖ ἀφρῶδες αἷμα ἐμέουσι, τούτοισι μὴ ἴσοντος τὸ ὑπὸ τῶν διαφραγμάτων, ἀπὸ τοῦ πνεύμονος ἐμέουσιν. i. *Qui sanguinem vomunt spumantem, omnique carent dolore sub diaphragmate, à pulmone vomunt.* Cernitur quoque illa concussio in singultu molesta & irrita, quæ est ventriculi suam molestiam non excludentis: sed frustra in excludendi conatu ac studio laborantis. Est item ventriculi proritatio nauseabunda, quæ tantùm screatu finitur, malis ægrotis rebus, in febre, quam suprà vocauit ἕλξιν ἰκτερώδη, vel in prorrhetico, [illegible]; sed nihil ad hunc locum de vomitu. Nec verò ἄσην, ἀνορεξίην, καρδιωγμὸν ἢ καρδιαλγίαν, [illegible], quæ sunt pathemata ventriculi & oris ipsius, pertinent ad naturam vomitus, quam in concussione potenti rerum ventriculo molestarum positam esse diximus: nisi quatenus prædictorum symptomatum curatio suscipitur vomitu atque perficitur. Ergo ventriculi concitatio est ad vomendum, quam facit ipsius oppressio vel proritatio à copia redundante, aut qualitate molesta rerum illarum quæ stagnant in fundo illius. Ac talem vomitum ciet sua sponte natura partis obsessæ qui est Hippocrati, ἔμετος αὐτόματος γενόμενος. Atque stagnantium quidem rerum, vel opprimentium, vel proritantium, causa est in aluo indigena, vel etiam aduena. Indigena est, domi nata, præsertim ab iis quæ assumuntur, quorum vitia sunt in qualitate, copia, vtendi modo, & occasione. Nam in picrocholis οἷον, cùm ab inedia, cuius illi sunt impatientes, amaritudo est oris, cardiogmus, alysmus; ea proritatio causam non habet indigenam, vbi est sedes eius: sed aliunde profectam, vbi regnum est bilis, quæ illinc prorepit ad fundum ventriculi, & inde ad stomachum. Quinetiam omnes ideæ proritari ventriculi atque stomachi, non rarò nascuntur tam ex catarrhi serini prolapsu è capite, quàm ex ichoris biliosi aut nigri humoris appulsu: tum ex visceribus, tum ex venis. Exemplum apponam quod erit instar omnium ex Hippocrate. τὰ ἐν ὀσφύϊ ἀλγήματα καρδιαλγικὰ καὶ αἱμορροϊκά. i. *Dolorifica in lumbis mala, cardialgica & sanguiflua.* Vbi iudicium est ex repletione particulari vasorum insignium quæ adiacent lumbis, quam facit hæmorrhoidum consuetarum vel menstruorum suppressio, tenue quoddam serum prorepit in ventriculum, & inde ad stomachum, vbi excitat cardialgiam. Atque hoc symptoma est hominum febre carentium, sicut eadem implicitorum, quibus etiam inde veniunt οἱ ἀλυσμοὶ ναυσιώδεες: cùm scilicet, vt scribit Galenus τὸ στόμα τῆς γαστρὸς, ὑπὸ μοχθηρῶν δάκνεται χυμῶν. i. *ventriculi orificium, à prauis mordetur humoribus.* Hic certè dubitari non potest, quin aduena sit causa laborum ventriculi, quos edit ipsius proritatio à prauis humoribus, qui è visceribus atque venis illuc prorepunt, vt dictum est.

Ventriculi autem vomiturientis ac vomitoris ab oppressione, par est ac similis ratio quæ dicta est in erethismo. Est enim oppressionis illius causa indigena in iis quæ assumuntur pleniore manu quàm satis est. Sed aduena cernitur in catarrhi prolapsu, cùm eius nimia abundantia natat aluus; tum in humorum toto corpore in aluum affluxu, vel è vicinis visceribus & intestinis. Nam ileosis vomitio quidem est oppressionis aduenæ, chyli occasione non permeantis vltra ieiunum, ileo inflammato; propterea̓que illinc remeantis ad aluum. Ac sanè humorum anadrome, vel etiam refluxu ad aluum, vomitiones acciduntur criticæ & symptomaticæ, quarum distinctio in hoc primo capite scribetur. Omnis autem vomitio, vel expurgandæ aluo, vel vniuersi corporis purgationi; tum vi naturæ aut morbi suscipitur; tum artificio

Coac. cap. 17. lib. 2.

aph. 2. 1.

prorrh. 38. l. 1. 1.

medici ad imitationem naturæ præscripto. Itaque vomitio quædam erit vniuersalis, quædam verò particularis. Vniuersalis est, qua vitiosus humor toto corpore, vel è visceribus atque venis, sursum per os vomendo eiicitur. Talis est primùm vomitio critica, quæ febrium finem adfert, significata signis ad tempus & ad speciem crisis illius. Talis est etiam symptomatica, quæ cernitur frequens & pauca humoris praui, ex qua leuatio nulla est: manet autem perpetua vomendi cupiditas, qua vomitori par est vomituritio. Tum libera & liberalis in cholera quæ vires exoluit, & σπασμοὺς infert lethales. Sed artificio medici perniciosa est illa vomitio quæ ab elleboro conuulsionem mouet lethalem. Illa verò salubriati est commodissima quam ciet elleborum eo die quo sibi quis perfregit calcaneum, quando in metu sunt illa symptomata quæ inferuntur ab ecchymosi fracturæ mortifera: nempe conuulsio magnæ chordæ affixæ calcaneo, febris acuta, continua, tremorifera, singultuosa, & paraphorica. ibi enim pharmacia opus est mochlica, & pharmaco vectiario, cuiusmodi est elleborismus quò vitiosus humor tanquam à machina vectis attrahitur in ventriculum, & vomendo excluditur, priusquam ipsum pharmacum ad intestinorum anfractus perueneri]. Talem præceptor machinam ad nephritidem calculosam adhibuit, tanquam ad morbum, vt ait Galenus, μοχλικὸν [illegible]. Sed hæc exempla sufficiant vniuersalis vomitus, de quo illud superest annotandum quod vniuersi corporis expurgatio tali perficitur vomitu; sicut & ipsa deiectione, vt Galenus author est in aphorismis, & mente authoris. Tum illud venit in mentem; quòd vniuersali vomitu solùm æstate, cùm opus est, vtendum præscripserit summus præceptor his verbis: φαρμακεύειν θέρεος μὲν, τὰς ἄνω μᾶλλον· χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω. i. *Purgare, æstate quidem, superiorem aluum; hyeme, inferiorem*. Et, τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας, ἄνω φαρμακεύειν ὑποστελλομένους, χειμῶνα. i. *Graciles & facilè vomentes sursum purgare, præterquam hyeme.* Sed præceptoris consilium est; vt pituitæ vomitus hyeme cicatur. Quod certè pertinet ad vomitum particularem, quod interdixit æstate: nisi cùm alui repletio est, quam πλησμονὴν nominauit. Hyeme autem ter mense vomendum edixit iis qui sunt humidiores: sicut bis aliis siccioribus. Neç verò ad πλησμονὴν, vomendi consilium est hyeme, præceptori: sed ad pituitam hybernam, cuius nimia abundátia natat aluus: tametsi ad liberum facilemque vomitum, variorum ciborum satietatem præscribit his verbis: [illegible]. i. Ex quibus efficitur; vomitum particularem esse, cùm vel pituita hyeme, vel eorum quæ assumuntur satietas per æstatem vomendo leuatur. Nam bilis porraceæ vomitus, vt ea indigenam habet causam in aluo, vel aduenam: sic erit particularis vel vniuersalis. Indigenæ autem causæ vel aduenæ distinctio sic est apud Galenum. Nascitur, inquit, bilis porracea in aluo ipsa, propter eorum quæ assumuntur cruditatem, vt olerum, brassicæ, betæ, ceparum. Certum est etiam quòd eadem bilis, tametsi nihil eiusmodi assumptum fuerit, tamen febris merito, morbiue alterius in vasis enascitur, & inde ad superam vel ad inferam aluum confluit. Erit igitur bilis porraceæ in aluo natæ, vomitus particularis; eius verò quæ in aluum confluit, vniuersalis. Ille autem vomitus quem ciet proritatio æruginosæ bilis in aluo, quam genuit sæuæ nephritidis cruciatus, cum impotentia dormiendi atque vigiliis tametsi aduenam habet causam vomendi; sicut indigenam à corruptione ciborum; tamen videtur quodammodo ἐπιμερικός. Nunc ad examen prognostici veniamus.

VOMITVS AVTEM.] i. Eorum quæ sunt in aluo inutilia & molesta, per os exclusio: siue assumpta sint pleniore manu; siue nauseabunda, siue in aluo corrupta, vel ex aluo egressa, postliminio remeantia, cùm vltra ieiunium permeare non possint. Tum si quæ vomitu excluduntur, è capite sint illapsa, vel è visceribus atque venis in aluum transmissa, aut eò attracta elleborismo. Sed tamen hic, [illegible] nomen tantùm apponitur illis humoribus, vnde nascuntur febres; cùm scilicet eorum effluxu vel critico, vel periodico, vel symptomatico, ventriculi proritati concussio est ad vomendum. Ac primùm de vomitu salutari & critico sancita lex est in hac prognosi, de more institutoque Hippocratis, vt ad illius normam, symptomatici omnis egressio reuocetur. Est autem huiusmodi.

VOMITVS MVLTVM HABET VTILITATIS.] Ὠφελιμώτατος. i. *vtilissimus*, quòd inde fit & ostendatur corporis è natura egressi redintegratio, morbique infractio; proptereáque numeros explet omnes salubritatis, cùm illi adiicitur quod in lege author apposuit.

AC MVLTVM SECVRITATIS.] Ἀλυπότατος. i. qui caret omni molestia, aut nihil omnino molestiæ & offensionis secum adfert, nec post se relinquit illis in partibus vnde, quò, & quà exitum habet humor. Sed contrà ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. i. *simul confert, & ipsum alacriter ferunt ægri.* Et verò de tali vomitu apposité hic scribendum, quod de pepasmo veré scripsit præceptor his verbis: Ταχύτητα κρίσιος καὶ ἀσφάλειαν ὑγιείης σημαίνει. i. *Celeritatem crisis & securitatem ostendit salutis.* Atque hic, de more authoris, prima vomitus commendatio est in eorum vacuitate quæ contra naturam sunt, & ἀσυμφέροντα vocantur: mox in eorum præsentia quæ sunt τὰ ὑπάρχοντα κατὰ φύσιν, i. quæ merito ac lege naturæ apparent: τὰ ἀσυμφέροντα spectantur in eo quod posuit [illegible], ἀλυπότατον i. *omnis expertem molestiæ*, vel, *cum securitate salubrem.* Tum verò in iis quæ apponuntur. SI ID QVOD VOMITVR, NON VALDE SIT CRASSVM, NEC MVLTVM. Quamvis autem hic vomitus commendatus tantùm sit in ea voce, qua omnis molestiæ vacuitas continetur, vnde summa illius vtilitas declaratur; vt certè omnino est, cùm minimè nocet corpori: tamen consultò visum est τὸ ἀλυπότατον huius, cum eo coniungere quod in prognostico legitur, ὠφελιμώτατον: vt scilicet illud conuenienter dicatur περὶ τῶν ἀσυμφερόντων, sicut hoc περὶ τῶν ὑπαρχόντων κατὰ φύσιν. Est enim diuersa ratio vtilitatis & securitatis. Nec semper in omni crisi tantum est securitatis, quantum est prima specie vtilitatis. Nam criticorum abscessuum non semper est certa crisis, vt eorum qui sub auribus vel in crure à peripneumonia enascuntur.

QVI PITVITAM EXHIBET ACCVRATE MIXTAM CVM BILE.] Hoc pertinet ad τὰ ὑπάρχοντα λόγῳ τῆς φύσεως. i. *ad ea quæ insunt quæque apparent in vomitu, lege naturæ, ac merito eius* non malefi-

cio

cõment. ad sent. 5. part. 1. lib 6. Ep.

cõment. ad aph. 2. 1. & lib. 4. aph. 4 4. aph 6. 4.

lib de diæta salubr. lib. 3. [illegible]

progn 38. lib. 2.

aph. 2. 1. 2. Epid. part. 2.

cio morbi; vt mox dicetur in cæteris. Atque hoc certum est argumentum vomitus qui cietur duce natura, cuius virtute primùm est domita feritas humoris morbifici. Est enim pepasmi parens natura: sicut & criticæ vacuationis dux eadem optima. Eorum igitur quæ ad salutem & ad securitatem vomuntur, conditio esse debet naturaliter constituta, vt dictum est, in colore, substantia, & mixtione; vt scilicet bilis ὤχρα. i. *pallida*, vel minùs flaua quàm fuit, appareat, cui totò infusa sit corpore pituita, vnde dilutior facta est. Nam bilis pepasmo τῶς φλεγματῶται. i. *quodammodo pituitescit.* Tum verò in superam aluum affusa, fit particeps eius humoris qui regnat in aluo, videlicet pituitæ, quando non ita exaruit. Exquisite autem mixtio pituitæ & bilis, integritatem partis ostendit, vbi miscentur, cum pari coniunctam virtute caloris natiui, cuius propria est coctio atque mixtio. Talem commendat ἀναγωγῆς thoracis atque pulmonum, si flauum sputo exactè permixtum sit. Nam excrementa mera, semper sunt praua. Huiusmodi autem cernuntur vel aquosi sui humoris, vel alienæ mixtionis expertia. idque vel ab incendio quo conflagrant & exarescunt, vel à frigore quo concrescunt. Ex quibus efficitur, vt signo appareant prauarum affectionum quæ sunt in ardore aut frigore, vel in locorum vitio vbi nascuntur, aut quà feruntur ad exitum. Sic enim natura comparatum est vt quacumque ad exitum ducuntur humores, non inde abeant insalutato, vt dici solet, hospite; partiumque illarum beneficio, meliores; aut maleficio, peiores reddantur.

Coac. 13. c.16.li.2. aph.6. & 23.7. progn. 44.lib.2.

SI ID QVOD VOMITVR, NEC VALDE SIT CRASSVM, NEC MVLTVM.] Vt bene res eant à vomitu, eiusmodi esse debet in iis quæ vomuntur, vt careant omni vitio: quamvis in laude sint ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, calore ac mixtione naturaliter præditorum. Nòn enim minor est commendatio vitiorum ἀσυμβεβηκότων quàm laudabilium ὑπαρχόντων. Tametsi vitia quæ hic ponuntur, quorum vacatio esse debet in vomitu naturali, non sint omnino ἀσύνετα: sicut ea quæ toto genere praua sunt; proptereàque ἔκγονα prauarum affectionum. Ergo vt vomitus omni ex parte sit, qualem esse oportet, ac nihil omnino vitij adiiciatur humori vomendo, quod exitus libertatem impediat, molestiamve parti exhibeat ipso vomendi modo: sanè id quod vomitur, valde crassum esse non debet à frigore aut calore; quia signo non bono adiicitur causa non bona in labore vomendi: nec multum etiam; quia ventriculi crebra concussio, qua sæpe & parum, aut sæpe & multum per os reiicitur, multa sibi & ægro infert incommoda, illinc molestiam & inflammationem, hinc verò infirmitatem. Ex quibus apparet, quòd ibi demum explentur numeri omnes vomendi ad sanitatem, vbi vomunt οἷα δεῖ. i. *qualia & sicut decet*: quod est, vt alibi annotauit præceptor, κεκρημένως καὶ καλῶς. Nam vt concedam, κεκρημένως quidem vomi, cùm pituita est accuratè mixta cum bile: tamen non dixerim vomi καλῶς, si id quod vomitur, sit valde crassum & multum.

aph. 2. & li.2.acut

2 Τὰ δὲ ἀκρητέστερα τῶν ἐμμεμιγμένων κακίω.

Sed ea quæ vomuntur meraciora; peiora.

OMNIS egressio quæ est in vomitu, qualis & quanta sit, intelligitur, ad examen adducta superioris prognoseos: vbi est norma & præscriptio τῶν ὑπαρχόντων λόγῳ τῆς φύσεως. i. *eorum quæ naturaliter insunt* in vomitu, bonis ægroti rebus, & longè absunt ab iis quæ maleficio morbi apparent. Quoniam autem vomitus, commendatio maior est, quando in præsentia τῶν ὑπαρχόντων, cernuntur quoque τὰ ἀσυμβεβηκότα: i. *eorum absentia* quæ in malis ducuntur, visum est præceptori singula ponere ad examinandum, vt magis aut minùs absunt ab illa norma quæ primùm præscripta est. Prima igitur ac summa vomitus commendatio est, cùm in præsentia rerum ad salutem expetendarum, quales descriptæ sunt, vacuitas est rerum alienarum. Res alienæ sunt hæ, magis aut minùs. Ac prima omnium quæ apparet cum desiderio eius quam posuit mixtionis exactæ. Est autem huiusmodi atque his verbis conscripta.

SED EA QVÆ SVNT MERACIORA.] i. Quæ à calore aut frigore sunt crassiora quàm decet, quia nimis cocta, vel nimis exhausta: vel quæ sunt impermixta partium excrementis vnde ducuntur, & quà feruntur ad exitum. Tametsi meliora sunt verba: τῶν ἀκρητεστέρων. i. *meraciorum*, quàm ἁπλῶς ἀκρήτων. i. *simpliciter meracorum.* Illa enim, quantum coniicio, respectu eorum dicuntur quæ author voluit esse permixta i. ὡς μάλιστα, i. *quantum potis est*, sive ἀκριβῶς. i. *exactè.* Vt certè minùs in vitio sint, ac minùs ægrum periculosè haberi ostendant, quàm ea quæ maleficio morbi sunt mera, vt bilis vitellina, æruginosa, nigra. Hoc igitur spectat author his verbis, vt doceat illa quæ vomitu excluduntur, non bene permixta, quamvis non ita sint sua specie aliena: tamen minus habere vtilitatis ac securitatis quàm prædicta.

IN IIS QVÆ VOMVNTVR.] Non quidem assumpta, neque intestini vitio remeantia; sed quorum est aduena causa è visceribus atque venis, quemadmodum pituitæ in aluo indigena.

PEIORA.] Comparatiuè huiusmodi sunt, partim quòd minùs integræ sint res naturæ vnde ducuntur, partim quòd ægriùs illa vomantur. Nam expetenda mixtio quæ non est in vomitu, vt illa in vitio esse ostendit vnde cietur vomitus: ita ventriculo molestiam infert maiorem in concutiendo se ad vomendum. Naturæ vitia, vnde mixtionis expertia sunt, aut minùs accuratè mixta quæ vomuntur; omnia sunt à nobis exposita superiore prognosi, ac denuo exponentur in singulis. Molestia autem ventriculi dum ægrè vomit, sic nota est omnibus, omniáque quæ secum adfert incommoda; vt nemo sit omnium quem hæc nescire persuasum habeam.

3 Πρασοειδὴς δ' ἔμετος, καὶ μέλας, καὶ πέλιος πονηρόν.

Vomitus autem porraceus, niger, ac liuidus quoque, pestiferus.

IN HAC PROGNOSI descriptio est χολῆς ἀκρήτου. i. *mera bilis*, quæ inter cætera bilis genera, hoc vitio eximia est. Prima quidem cernitur in porraceo vomitu; secunda in nigro vel atrabilario, quæ sunt eiusmodi ex ardore quo exarserunt, & vacuæ omni sero, flauum colorem mutarunt in nigrum aut viridem. Nam vomitu liuido humor apparet siccatus, partium corruptarum vitio vnde vomitur. Ratio autem cur ita sint omnes, & quorsum vomendo appareant, exponetur in examine singulorum.

Ergo. VOMITVS AVTEM.] i. Parefacta egestione vomitus ab eo qui belle sit atque bene, quod est κεκριμένον καὶ ἀμιγές, & ea quidem quæ est in desiderio mixtionis exactæ; tametsi materia non est omnino praua, sed paulò peior quàm sit ex vsu naturæ, vt dictum est, loco à nobis exigitur ille vomitus toto genere contra naturam, qui & feritate humoris qui vomitur, & vtriusque mixtionis vacuitate, vt summa ostendit morbi vnde nascitur maleficia: sic ille vomendo, multis incommodis auget ægrotum. Sic autem apparet.

PORRACEVS.] Similiter viridis vt porri color in foliis, non in capite, nec in caule. Nec verò ille humor cruditate virescat eorū quæ assumuntur in aluo, vt intyborum, betarum, & brassicarum: sed bilis vitio confluentis in aluum è visceribus atque venis. Omnium enim colorum viridium qui spectantur in vomitu, deiectionibus, atque in lingua; si nulla sit excusatio rerum viridium quæ assumuntur; omnium, inquam, materialis causa est flaua bilis, quam genuit ipsum τὸ πῖον. i. *pingue*; vt visum est præceptori, cùm ait: Γλῶσσαι χλωραὶ, χολώδεες· τὸ δὲ χολῶδες ἀπὸ πίονος. i. *Linguæ virides: biliosæ: quod autem biliosum est, venit à pingui*; quemadmodum idem scripsit his verbis: Καὶ οἷσι τὸ μὲν πῖον, χολὴ ξανθή. i. *Quibus est ipsum pingue; iis etiam bilis flaua.* Vbi Galenus author est; nomen illud, *pingue*, non solùm complecti quæ sunt reapse pinguia & adiposa, verumetiam dulcia omnia, sicut mel, sapam, & saccharum. Sed bilis porraceæ causa effectrix quænam sit, planè ostendunt hæc verba Galeni: Αὐτὸς μὲν οὖν ὁ ἰώδης χυμὸς, ἄν τε δι' ἐμέτων, ἄν τε διὰ τῆς κάτω γαστρὸς, ἄν τε διὰ πτυσμάτων, ἄν τε δι' οὔρων ἐπιφαίνηται· τό τε χυμὸν ἐξ οὗ γεννᾶται, δηλώσει, καὶ τὸ νόσημα θερμόν τι εἶναι καὶ ξηρὸν ἰσχυρῶς. i. *Humor igitur æruginosus, siue is vomitu, siue per aluum inferam, siue per sputa, siue per vrinas transmissus apparet; tùm denunciat, & eum vnde gignitur succum siue humorem, & morbum ipsum de quo excluditur, insigniter esse calidum.* Sed in re incerta foci ad domicilij eius humoris, & vbi gignitur, & vnde transmittitur; an scilicet nulla insigni parte affecta, an contrà cum alicuius offensione, quam fortè occupat inflammatio erysipelatosa; cognitio atque distinctio comparatur ex iis quæ cum ea bile symptomata sunt coniuncta. Sic hepate inflammato, nascitur ab ea bile singultus. Similiter cùm ea spumans cum tussi expuitur, nec vllus est dolor sub diaphragmate; in pulmonibus focum habet gignendi & excludendi sui. Tum quæ in sæuæ nephritidis cruciatu ad vomendum cietur; focum illa quidem denunciat vnde in aluum prorepit, causamque aperit vnde tam citò gignitur, quæ est doloris nephritici multùm adaucti continuata sine remissione acerbitas quàm vigiliæ comitantur, vnde corruptus sanguis in eam bilem mutatur, apparetque vomitus æruginosus è venis, qui antè fuerat pituitosus ex aluo. Nam in phrenitide quam genuit bilis flaua in cerebro & membranis, æruginosæ bilis vomitio est cùm in propinquo est mortifera conuulsio ab insania, in quam phrenitidis transitus esse solet: sicut flauæ bilis in viridem, quam cerebrum exprimit in partem sibi maximè consociatam atque gentilem, videlicet in os ventriculi καρδίαν, & inde ad fundum eius vnde vomendo reiicitur. Atque vt vomitu æruginosæ bilis à cerebro, denunciatur feritas humoris phrenitici, summáque afflictio partis incendio conflagrantis, conuulsionem mortiferam mox editurae: sic in acuta febre cùm circa initia vomitio est bilis æruginosæ; primùm illa phrenitidis, mox intolerabilis & summæ insaniæ prænuncia esse solet, vt in Philista, de quo sic legimus apud Hippocratem. Πρώτῃ ἤμεσε χολώδεα ὀλίγα ξανθὰ πρῶτον· μετὰ δὲ ἰώδεα πλείω. i. *Primo die vomuit biliosa primùm flaua & pauca, mox æruginosa plura.* Deinde subiunxit: Δευτέρῃ ἐξεμάνη περὶ μέσον ἡμέρης. i. *Secundo è potestate mentis exiuit, circa medium diei*; cùm eo die obsurduisset. De qua historia solemne est illud prorrheticum, ac theorema catholicum. Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσιν ἰώδεα ἐμέσματα, μετὰ κωφώσιος ἀγρυπνώδεα, ταχὺ σημαίνει. i. *In cephalalgia æruginosi vomitus, cum vigiliis & surditate; summam insaniam mox affuturam ostendunt.* In quo prorrhetico admirabilis est Galeni doctrina de prouentu bilis æruginosæ, vnde scilicet illa succrescat: tum de symptomatis quæ illius naturam sequuntur, & partium obsessarum incendio conflagrantium. Sed tamen Galeni iudicio stare non possum, qui eam bilem natam in cerebro, & inde ad ventriculum confluentem, vomitu sic excludi, vt in phreniticis arbitratur. Quod vt concedam verum esse, aucupio dictionum prorrhetici: tamen si eius relatio sit, vt esse debet, ad historiam de Philista, vnde collectum est & excerptum, de more Hippocratis sua edicta sic conscribentis; credibile est potiùs per anadromen bilis in superam aluum è venis & visceribus, vbi sunt febres acutæ, vomitionem illam cieri ὡς σύμπτωμα, tum per ἐπίγενεσιν morbi & bilis ad cerebrum, insaniam excitari. Hoc tantùm attingam, cætera non exponam quæ illam mihi opinionem fecerunt. Sed satis iam de bile porracea vel æruginosa, quæ fuerit illius causa & focus. Pergamus ad reliqua quæ supersunt examinanda in hac prognosi, de quæstione χολῆς ἀκρήτου, i. *meræ bilis.* Hæc autem supersunt.

VOMITVS NIGER.] Vbi tam mera est bilis, vt nigra euaserit: sicut de sputo scriptū est in prognosticis apud Hippocratem, cuius verba hæc sunt. Εἰ δὲ εἴη οὕτως ἄκρητον, ὥστε καὶ μέλαν φαίνεσθαι, δεινότερόν ἐστι τοῦ ἐκείνου. i. *Sputum ita merum, vt nigrum appareat, peius est multò quàm illud.* Sunt autem illa, quæ paulò antè po-

Margin notes: 6. Epid. p. 5. — sent. 5. par. 6. Epidem. — aph. 38. 5. — hist. 1. par. 2. 3. Epidem. — prorrh. 30. s. 1. 1. — lib. 2. progn.

tè posuit videlicet flauum merum, quod est periculosum; item rotundum glutinosum & album, quod nihil habet vtilitatis: prætereà quod valde est viride atque spumans. Est igitur niger vomitus, multùm merus, qui ea qualitate cæteros omnes præcedit, ac viridem etiam viriditate saturum, cuiusmodi est *ἰώδης*, qui ea saturitate admodum merus, vincit porraceum. Ac vomitus ille niger est atræ bilis, quam ex flaua genuit æruginosa, cuius in atram facilis mutatio est, teste Philista, qui è potestate mentis exiuit maleficio atræ bilis, postridie quàm *ἰώδη*, i. *æruginosam* vomuit. Nam paulò antè, paucam vomuerat flauam. Mutatio autem bilis flauæ in viridem, & huius in atram, fit à febrili ardore, quo illæ conflagrant. Sed huius quoq; origo est à nigro humore quem melancholicum vocant, nec biliosum tamen, perustũ. Hic dum melancholicus erat, nec à se mutatus, nihil habebat feritatis atrabilariæ. Non enim particeps erat, sed omnino expers qualitatum maleficarum quæ sunt in atra bile, quæ & *χολὴ μέλαινα* nominatur. Sunt autem, *τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες, & τὸ διαβρωτικόν*. i. *acre, acidum, & erodens*. Et verò atra bilis ex nigro humore nata, feritate est illi inferior quam genuit æruginosa bilis: nec tam illius sunt acres morsus, nec tam symptomata sæua quàm huius quæ dysenteriam mouet lethalem, tum insanabilem & implacabilem cancrum edit, atque *μανίαν*, i. *insaniam* excitat, ferocitate intolerabilem. Sed cùm atræ bilis duplex omnino sit materialis causa, ex Hippocrate & Galeno; ineptiæ sunt profectò eorum qui sustinent ac defendunt ipsam gigni etiam ex pituita crassa. Sufficiet autem locum adducere quo atræ bilis distinctio continetur, tam in prouentu, quam in atrocitate ipsius; vt est illius origo vel ex bile viridi & æruginosa, vel ex nigro humore qui fæx est sanguinis, & melancholicus nominatur. Verba Galeni hęc sunt. *Meminisse oportet earum quæ alibi sunt adductæ distinctionum de atra bile. Nam vna quidem gignitur bile flaua multùm assa siue perusta, quæ numeris omnibus est atrocissima. Altera verò sanguinis, vt ita dicam, fæce; quæ vt illa quidem crassior est consistentia: sic multùm ab ea recedit permiste qualitatis.* Verumenimvero vomitus niger in hac prognosi positus, non solùm est atræ bilis: sed melancholici quoque humoris nihil à sanguinis fæce mutati. Atque similiter vt deiectione, sic etiam vomitu, varietas illa cernitur atræ bilis & nigri humoris vel melancholici. Qualis est etiam sanguis ipse, qui concretus in aluo, non in pulmone, spumans vomendo eiicitur. Ac nigrarum quidem deiectionum præcepta suo quæque loco scribentur, cùm ad earum historiam ventum erit. De vomitu nunc scribendum nigri sanguinis & melancholici. De nigro sanguine qui vomendo reiicitur, illud perceptum est. *Αἷμα ἄνωθεν μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, ἐπὶ κακὸν πάντως, κάτω δὲ ἀγαθὸν, τὸ μέλαν ὑποχωρέον*. i. *Sanguis cuiusmodi tandem is fuerit, qui sursum*, per os *redditur* (nares enim excipio) *nihil habet securitatis: profuerit autem nigrum ferri deorsum*. i. per hæmorrhoidas. Quod est eiusmodi ac si diceret, Nulla est bona sanguinis per os excretio, nisi fortasse cohibitis menstruis, eius vomitio est per vasa pulmonum non per ventriculum, quæ semper mala est atque nigra: sicut eiusdem deiectio, si tantùm exceperis dysenteriam *αἱματώδη*. Nigri enim sanguinis deorsum transmissi, vnica commendatio est eius qui per hæmorrhoidas expurgatur. Nullius autem vacuatio in bonis ducenda: nisi eius qui tantùm cietur è venis per nares aut per hæmorrhoidas. Nam muliebrium salutaris est fluxus per vterum, priuilegio quodam naturæ atque coloris mulierum, ex Dei edicto. De melancholico autem vomitu, qui est ipsius fæcis, idem iudicium quod fuit Hippocratis de nigra deiectione, cùm vtriusque causa sit eadem atque idea. Sic enim Galeno visum est ad aphorismum modò adductum. Ac melancholici quidem vomitus hoc mihi exemplum sufficiet instar omnium quæ multa sunt apud Hippocratem. *Frequens è lumbis ad cor anadrome quæ causa est febrientis ægri perhorrescentis, ac tenuia & aquosa vomentis, nec suæ mentis; à vomitu nigro mortifera est.* Ibi Galenus author est, quòd vt ptyelismus in phreniticis apparet ad vomitum; perfrigeratio autem nigrum edit: sic & hoc loco, aquosa tenuia è lumbis ad fundum ventriculi confluentia, vomitibus quidem crebra sunt, quorum ad nigra est transitus, cùm perhorrescit æger voce captus, nec suæ mentis. Nam vt concedam, hunc vomitum posse cieri ab atra bile, orta ex flaua primùm, mox viridi: tamen dubitari non potest quin tanta sit hepatis exolutio, vt fæcem reponat pro sanguine, quæ sursum deorsumque per os & inferam aluum transmittitur. Nam vti iam posui, vomitus melancholici, & nigrarum deiectionum eadem planè materia est, idemque humor ab iisdem fontibus principia, causasque ducens, i. ab hepate & liene, quorum vitia in talibus excrementis cernuntur.

AC LIVIDVS QVOQVE.] Qui suo liuore liuidam quoque partem ostendit, vnde vel affluit, vel vbi excipitur. Liuet quidem pars omnis, perfrigerata; perfrigeratur autem, emortua: postremò emoritur, per extinctionem viuacitatis in vitali principio; tum per inopiam viuifici nectaris in corde exhausti. Non enim hic liuor est, quem edit *καύσωνος* *ἢ ἐκχύμωσις* in parte aliqua suggillata: sed ipsa *νεκρωσις* partium emortuarum. Est autem *ὁ διαχωρήματα*. i. *effluentia*, semper omnino similis subiectæ substantiæ.

PESTIFERVS.] i. Prauus: & ea quidem præditus prauitate, vt accessione signorum, alioqui optimorum, de suo iure, quod habet in ægri perniciem, nihil omnino, aut certè parum remittat. Fundamentum autem perniciei quam praua denunciant excrementa, sic positum legitur à Galeno; *ὅτι αἱ μοχθηραὶ κενώσεις, μοχθηρῶν διαθέσεων εἰσὶ σημεῖα*. i. *quòd vacuationes prauæ apparent de prauis affectionibus, quarum illæ certa sunt signa.*

4 Εἰ δὲ καὶ πάντα τὰ χρώματα ὁ αὐτὸς ἐμέοι, κάρτα ὀλέθριον.

Sin autem colores omnes idem vomendo exhibeat; valde id pridem pestiferum.

Vomitvvm quibus omnes prædicti colores,aut etiam plures praui veniunt in conspectum;non est obscura nec ita difficilis ratio:cùm ad exitium sint ita præcipites,vt ab authore positum est in hac prognosi, & in prognostico 41. lib. 2. Cùm enim signorum syllogisticorum ea sit insita & instituta conditio, vt ea semper subesse ostendant quæ indicantur ab illis; planè efficitur, vt cùm perspecta sit causa cuiuslibet prauitatis vomituum prædictorum, quæ in colore cuiusque apparet; quo plures in vomitu exhibentur praui colores,eò plures etiam denuncientur prauæ affectiones partium colores illos edentium.Quò autem plures partes in vitio sunt;eò res ægri peius eunt & propiùs absunt à morte. Ac talis formula prædicendi est aphorismo 21. lib. 4. Οκόσῳ αἱ χροιαὶ πονηρότεραι, τῷ μᾶλλον κακόν. i. *Quò plures colores fuerint; maius malum.*

(6.Epid. part.5.)

5 Τάχιστον δὲ θανατὸν σημαίνει ὁ πέλιος καὶ κακώδης.

Citißimam verò mortem denunciat liuidus & fœdi odoris.

Sane citissima venit & in propinquo mors est,quando putredini fœtidæ,morbo satæ atque morbificæ, adiicitur significatio partium emortuarum, quarum officio vitam carere non potis est: quemadmodum scire licet ex vomitu liuido & fœdo,de quo ita scripsit Galenus: [illegible] i. *Putredinem hic cum extinctione indicat,si antedictorum meminimus.*

6 Ἔστι δὲ θανάσιμος, ὁ ἐρυθρὸς ἔμετος, καὶ μάλιστα εἰ μετ' ἀνάγκης ἐμέοιτο.

Est autem lethalis ruber vomitus; maximéque si ægrè vomatur.

Hic primvm de vomitu rubro cuiusmodi sit:tum autem quare vomatur mortiferè,vt visum est præceptori,quæstio in iudicium sic deducenda.

Est avtem lethalis rvber vomitvs.] i. Periculosè vomitur, præter alia vomituum genera quæ maleficio morbi mera vomuntur; propterea que omnia periculosè habent ægrotos, quædam mortiferè; vt suprà ostendimus. Hic autem vomitus an sit merus,distinctione ruboris, difficultas omnis tolletur.Nam si rubor ille est bilis è flaua sic coloratæ, profectò est merus,vtraque conditione; tum ea quæ cernitur [illegible],tum ea qua omni mixtione caret alieni humoris. Atqui iam positæ & explicatæ sunt omnes meræ bilis ideæ in vomitu flauo, porraceo, atque nigro. Atque vt in porraceo nota est æruginosi;in nigro, atrabilarij & melancholici: sic rubri & vitellini, in eximiè flauo. Sin autem ruber color est sanguinis:non est cur talis vomitus, meri opinionem faciat. Sanguis enim merus est niger,ab eo quod ipsum suo naturali sero exhausit,videlicet ab incendio quo conflagrauit, vt in Philisci sanguine annotauit Galenus, quem narrat Hippocrates,merum stillasse & paucum è naribus.Et verò hic de ouo meros vomitus memorare,est ἄπειρον & indigenum Hippocratis maiestate.Ergo non est dubiũ quin ruber hic vomitus dicatur de sanguine qui vomendo excluditur.Sed cùm rubri vomitus atq; purpurei,tam de pulmonibus exclusio sit,quàm de ventriculo;sanè non aliò referri debet quàm ad ventriculum,de cuius concussione ad ea vomenda quæ ipsum malè habent instituta hæc tractatio est.Sed vtrùm indigena sit res ventriculi,sanguis ille ruber qui vomitur,an verò aduena;planũ faciet ipsa coloris distinctio atq; substantiæ. Nam ruber & liquidus, de aluo exprimitur:at niger θρομβώδης,per aluum transmittitur.Non enim vel ad punctum temporis manet in aluo,sine concretione,& rubri coloris in nigrum mutatione, sanguis qui eo confluit: quia non habet φυλακὴν, nisi vbi habet οἰκειότητα naturaliter institutam & consuetam. Scitum est illud : *Si sanguis in ventrem confluat ipsum corrumpi necesse est.* Atque idem sanguis in amplitudine alui citò concrescit atque grumescit:vnde cita substantiæ & coloris,vt modo dixi,mutatio est.Itaque ruber hic vomitus, quia est sanguinis nihil à se mutati,opinionem facit apertæ vel erosæ venæ in fundo ventriculi, vel in ore ipsius. Nam ruptionis nulla suspicio esse debet, sicut nulla fuit Hippocrati de vesica, cùm sanguis meiendo redditur ἀπὸ ταὐτομάτου.i.*de improuiso*,quem scribit rupta in renibus venula sic effundi,ea ratione adductus quam ponit Galenus appositè in commentario.quòd sanguis communi officio transmittatur per renes:in vesica autem,tantùm partis proprio excipiatur,nutritionis ergo:tum, quòd venulæ in vesica similiter non sunt nudæ atque suspensæ, vt in renibus; sed illi parti affixæ. Quæ omnis ratio ruptionis venarum in vesica non admittendæ pariter, similiterque locum habet in aluo, cuius officio tantùm proprio venæ dicatæ sunt, ibique affixæ, non autem suspensæ. Plurimùm autem facit ad opinionem delendam ex animo, ruptæ venæ in aluo, cum inde ruber est vomitus; quòd liberè non vomatur,nec liberaliter. Id enim denunciat quod adiecit calamitati vomitus rubri, Maximeqve si ægre vomatvr. Nam ægra vomitio nunquam est ruptæ venæ, quam ferè semper facit erosa, rariùs autem aperta. Et quoniam ægræ vomitionis quæ vomitum edit rubrum, causa est venularum erosio; venit in mentem illius qui nobilissimum quendam virum mortiferè habuit & ad exitium præcipitauit, ventriculo

(hist.1.1. Epid.)
(aph.28. 6.)
(aph.78. 4.)

triculo laniato à temeraria medicina bis térve exhibita ad sialismum prouocandum, curationis ergo virulentiæ venenatæ luis venereæ falsò creditæ, aut certè quo iure quaque iniuria.

MAXIMEQVE SI ÆGRE VOMATVR] Est enim vomitionis ægræ symptoma non minùs graue, quàm ipsa est causæ vnde tam ægrè cietur, vt nuper diximus, ac multò antè ad illam prognosin: *Diuturna in febre, nauseabunda prouitatio qua in screatum desinit; pessimè habet ægrum*, signo & causa. Coac. 582 lib. 4.

7. Οἱ ἀσώδεες ἀνεμέτως παροξυνόμενοι κακόν. καὶ οἱ ἀπαλγέοντες ὁμοῖοι ἀνεμέτως.

Qui cum fastidio sine nausea exacerbantur; malo sunt loco. Tum lacessit nausea sine vomitu.

DIORISMI huius prognoseωs difficilior mihi comparatio est & explicatio, quàm scopi authoris. Ac facere certè non possum quin vel a Galeno dissentiam huius prognoseωs enarratore atque interprete fidelissimo; vel Scholæ Coæ magistros accusem qui eam minùs distinctè, minùsque appositè posuerunt, quàm de sententia præceptoris qui eam conscripsit. Enimuero scopus hic fuit eorum qui hanc prognosin ex Hippocrate adduxerunt, vt patefacta omni qualitate praua merorum vomituum, calamitosa vis ægræ vel irritæ contentionis vomendi quam infert prouitatio nauseabunda praui humoris, proposito familiari exemplo de more institutóque Hippocratis, instar omnium quæ sunt huiusmodi, poneretur. Sed quàm bene illi ad scopum intenderint, vel aberrarint ab illo; planum faciet enarratio huius prognoseωs, quam sic aggredior.

QVI CVM FASTIDIO] i. Qui fastidio efferuntur omnium [illegible], i. *eorum quæ continenter adhibentur*; tum in iacendi habitu, tum in diæta. Sic enim conditio est τῆς ἄσης, ἢ ἀλύσιος, i. *fastidij*, vt qui eo laborant, fastidiosè se gerant atque iactentur, omnis figuræ ac loci impatientes, vt ij quos tædet subinde rerum illarum quæ paulò antè ipsis placuerant: quod Græci propriè vocant ἀλύειν, vnde ἀλυσμὸς nomen habet, ἢ ὁ ἀλυκός: quæ duo nomina idem sunt in natura, symptomatis, atque causis, quod ipsamet ἄση; vt planè testantur verba Galeni ad aphor. 54. 7. & ad prorrh. 44. l. 2. 1.

SINE NAVSEA EXACERBANTVR] Græcè est ἀνεμέτως, i. ad verbum, *sine vomitu*; quæ dictio tamen hic non est non vomentis, sed minime vomiturientis, vel eius qui non vomendi est cupidus. Est autem hic posita vt intelligamus eos qui cum fastidio sine nausea exacerbantur, vel quorum exacerbatio fastidiosa cum tædio omnis loci atque figuræ coniunctam non habet nauseam, vomitionis criticæ mox affuturæ prænunciam; vt nulla inde sit vacuatio quæ adferat ægro leuationem illius iactationis in paroxysmo, quæ ob eam causam est symptomatica, proptereáque pessimis ægri rebus cietur vel excitatur.

MALO SVNT LOCO] Quia morbi exacerbatio est nouis facta symptomatis, ipsius maleficio & incremento: non autem critica perturbatio quam edit naturæ contentio. Ac talis contentio sæpe cernitur in alysmo critici paroxysmi, cuius hic nulla opinio esse potest: quia sine nausea est illa iactatio siue alysmus; proptereáque cietur, [illegible], i. *quia virtus oppressa grauatur à corpore*. Est enim causa omnis duplex alysmi; vna quidem, [illegible], i. *cùm os ventriculi vellicatur morsu prauorum humorum*; vel, vt eidem placet Galeno, cùm in ore ventriculi [illegible], i. *continetur quadam proprietas humiditatis moleste, non quidem illius multa, neque stagnantis in aluo, sed in tunicas eius conuersa*. Atque hæc quidem iactatio siue alysmus, ex nausea quæ ipsum facit, dicitur ναυτιώδης, i. *nauseabundus*, sicut alter, quem ciet virtutis oppressio sine nausea, nominatur ἄναυτος, i. *expers nauseæ*. Et sanè fastidiosi ἀνέμετοι vel ἀνεμέτως, periculosiùs multò ægrotant quàm ναυτιώδεις, i. *nauseabundi*.

prorrh. 44. l. 2. — aph. 54. 7.

TVM PROVOCAT NAVSEA SINE VOMITV] i. Qui sine vomitu agitantur cum nausea. Non enim iactatio hæc vel agitatio ἀνεμέτως. eò spectat quò illa prior, ἡ ἄση, vel ὁ ἀλυσμὸς vel οἱ ἀσώδεες παροξυνόμενοι ἀνεμέτως, i. *qui cum fastidio sine nausea exacerbantur*. Nam idem esset bis dicere, quod non est Hippocraticum, in eadem prognosi, & in eundem scopum. Nec verò in omni nausea iactabunda sine vomitu, est paroxysmus: sicut nec in omni paroxysmo est iactatio nauseabunda. Sed tamen vt cum signo à febre grauis est omnis iactatio sine vomitu nauseabunda: sic etiam sine febre cum causa: quoniam omnis ægra vomitio, aut certè irrita vomituritio, inflammationem mouet lethalem stomachi & ventriculi. Ergo secunda pars huius prognoseωs, è directo intendit ad scopum authoris de calamitosa vi nauseæ quam comitatur iactatio; nulla autem sequitur vel admodum ægra vomitio. Non enim minora sunt vomitionis ægræ vel nauseæ sine vomitu iactabundæ incommoda, quàm causæ ipsius vnde illa venit iactatio sine vomitu nauseabunda, vel admodum ægra vomitio. Vt enim hæc signo editur viscerum æstu incandescentium: sic illa, vt causa inflammationem mouente in stomacho & ventriculo.

Sic ex prorrhetico, 47. f. 2. 1.

8 Τὰ σμικρὰ ἐμέσματα χολώδεα· κακόν. ἄλλως τε κ' ἢν ἐπαγρυπνῶσι.

Exigui vomitus biliosi, malè habent ægrotos: idque cùm aliàs, tum si vigilias agitauerint.

ENIMVERO prauitati vomitus multum adiicitur, cùm vitiosa qualitas rei quæ vomitur parca manu, crebrò & ægrè appatet: Nam de exigua quantitate rerum omnium quæ transmittuntur suprà & infrà, totóque corporis habitu, ἐκ ὀλίγη ὑπὸ δὲ, i. per [illegible] quam edit [illegible]; illud præceptum est ac pridem iam ratum & persuasum omnibus, ὅτι τῶν κρισίμων οὐδὲν σμικρὸν ἐστὶν ἀγαθόν i. *quòd eorum quæ critica sunt, nihil conuenit esse paucum.* Ad hoc theorema catholicum adducta prognosis de vomitu bilioso frequenti & pauco, vt ad iudicium, sic deducetur.

Lib. περὶ χυμῶν & part. 2. 6. Epidem. Gal. ad pror. 47. l. 2. 1.

EXIGVI VOMITVS] i. Qui crebrò & parcè vomuntur: neque id, nisi ægrè. Non enim hic vomitus est alui natantis, cibi & potus assumpti satietate aut catarrhi in eum prolapsu è capite, cuius est libera inde vomitio: sed proritatæ potiùs ab humore aduena è visceribus atque venis, cuiusmodi bilis est, vnde sunt vomitus.

BILIOSI] i. Qui à bile cientur, cuius perennis est in aluum affluxus ab hepate, illis distincta coloribus qui modò adducti sunt à præceptore; videlicet flauo, æruginoso, nigro. Non enim porracea bilis hic audienda, quàm olerum genuit cruditas atque corruptio assumptorum. Ac de pauco vomitu flauæ bilis, & inde mox æruginosæ, nuper adducta est obseruatio præceptoris in Philistæ historia, de quo sic ait. Πρώτῃ μὲν ἤμεσε χολώδεα ξανθὰ ὀλίγα, μετὰ δὲ ἰώδεα. i. *Primo die vomuit biliosa flaua pauca, inde æruginosa.* De nigro autem multa sunt à nobis conscripta initio huius tractatus ad secundam prognosin: ne consecter omnia quæ sunt plurima, fuit illud Galeni iudicium de iis qui statim à vomitu æruginoso de febre insaniunt, sicut Philista; quòd bilis flauæ per os vomendo redditæ, & inde mox æruginosæ, in atram facilis est μετάπτωσις & transitus, vnde symptomatico illi vomitui succedit insania. Locus est ad illud prorrheticum quod iam adduximus. Τὰ ἐμέσματα ἰώδεα ἐν κεφαλαλγίῃσι μετὰ καρώσιος ἀγρυπνίας ταχὺ ἐκμαίνει. i. *Æruginosi vomitus in cephalalgia, cum surditate ac vigiliis, citò adducunt insaniam.*

histor. 1. part. 2. 3. Epid.

MALE HABENT ÆGROTOS] Causa & signo. Signo quidem, bilis in aluum perenni affluxu, quæ affluendi atque gignendi sui perennitatem habet in æstu quo viscera incandescunt, & à febre ipsa vires acquirit. Tum quòd ipsius bilis confluentis in aluum, ideo non est liber nec liberalis exitus, ob partis quam occupat infirmitatem, & impotentiam excludendi, quam ipsi feritas bilis inducit. Omnium enim quæ parca manu, secus ac decet, foras eduntur; causa est, partis oppressio vel exolutio, vnde mouetur humoris exclusio. Sed multæ sunt calamitatis causæ à vomitu bilioso & pauco. Non enim ab eo febris mitescit: quia non est criticus nec periodicus, sed omni ex parte symptomaticus κατὰ τὴν διάθεσιν, vnde nulla leuatio esse solet; ægritudo maior: sicut à bile nata ex melle, quæ dysenteriam mouet molestam, quia non extinguitur hepar accensum, sed magis accenditur. Itaque bilis hoc vomitu symptomatico, & ipsa effeta magis redditur, & febris vires acquirit eundo. Tum ægrâ vomitio sæpe oborta, ventriculum atque stomachum labefactat, & inflammationem mouet lethalem, vt nuper ostendimus ex illa prognosi. *Diuturna in febre nauseabunda proritatio, quæ in screatum desinit; pessimè habet ægrum.*

Coac. 58. lib. 1.

IDQVE CVM ALIAS] i. Cùm semper calamitati locus est in tali vomitu bilioso & pauco.

TVM SI VIGILIAS AGITAVERINT] Quod verbum è vomitu symptomatico, vigilias inducente & adimente somnum, de causa vigiliarum oborto, transit ad ægrum qui vigilat & superuigilat, causa malefica vigilandi quæ adest, procul explosa somnifera in dormiendi necessitate. Ex quo efficitur vt vigiliarum & bilis, tum etiam febris & vomitus biliosi quædam sit, vt ita dicam, συμπάθεια in ægri perniciem: vt scilicet incremento febris hi vomitus exciteotur, & febris adaucta vomitibus crebra sit biliosis tum etiam vigiliarum & bilis vicissitudo mutuam vtriusque patiat accessionem. Vt enim vigiliæ gignunt bilem: sic illæ rursum à bile gignuntur. Ac symptomatici vomitus biliosi & febris, mutua conspiratio est in vtriusque causam & incrementum.

9 Ἐπ' μελαινῶν ἐμέτων κώφωσις οὐ βλάπτει.

In nigris vomitibus surditas non offendit.

POSTQVAM de vomitu dictum est bilioso in qualitate, copia, & modo vomendi; sequitur vt de nigro ea dicantur, quorsum ille apparet cùm de flauo redditur, & inde mox æruginoso. His enim gradibus itur de bile ad atram; nec vltra. Sed in hac prognosi non est absurda mendi suspicio, nec vana opinio, vbi legitur quòd surditas nõ offendit. Sanè huiusmodi mendũ est, vt nisi emendetur, mendax omnino sit

no sit ipsa prognosis. Ratio emendandi ponetur in eius examine, quod sic aggredior.

IN NIGRIS VOMITIBVS.] Qui sunt ab atra bile quam genuit æruginosa orta ex flaua. Non enim sunt vomitus hîc audiendi qui ab humore cientur, cuius τὸ ὑπόστημα est nigrum, cuiusmodi est melancholicus humor qui sanguinis limus est, atque quodammodo ipsa fæx nigra iam inde à prima origine. Quamuis autem sit ex hoc perusto altera bilis atræ origo: nam prior ex flaua est quam paulò post excipit æruginosa; tamen non ea mens est authoris, non etiam scopus, quo mea omnis attentio esse debet.

Gal. ad histor. de Philista, & prorr. 10. c.1.1. & 47. c.1.1.

SVRDITAS] Auditus priuatio de non excepto vel non percepto appulsu τῶν ἀκουστῶν.

NON OFFENDIT] i. Non lædit; vel nihil adfert incommodi iis qui sic obsurduerunt: quod certè falsum est; plurimum enim adfert calamitatis atque denunciat. Nam surditas de non excepto appulsu τῶν ἀκουστῶν, phrenitidi sternit viam atque insaniæ, quando exoritur à vomitu æruginoso, mox nigro, & cum vigiliis coniunctam habet cephalalgiam. Quod legimus contigisse Philistæ, quem scribit Hippocrates obsurduisse: mox autem fanaticum enatuisse postridie quàm flaua vomuerat, & inde paulò post æruginosa. Vomuerat autem quo die primùm decubuit. Atque illius historiæ breuiario & aphorismo scriptum est ab eodem prorrheticum modò adductum. Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃ ἰώδεα ἐμέσματα μετὰ κωφώσιος ἀγρυπνώδεα ταχὺ ἐκμαίνει. i. *In cephalalgia, æruginosi vomitus cum vigiliis & surditate, summa omnia breui ostendunt insaniæ.* At verò surditas de non eodem percepto appulsu, signum est citò venturæ mortis. De qua illud præceptum est. Κώφωσις ἐν ὀξέσι καὶ ταραχώδεσι νοσήμασι κακόν. i. *Surditas quæ in acutos incidit ac turbulentos morbos; pessimè habet ægrotum.* Vbi Galenus author est, talem surditatem oriri τῆς ἀκουστικῆς δυνάμεως νενεκρωμένης, i. *emortua audiendi virtute.* Ac surditate aut cæcitate sic nata, ἐγγὺς ὁ θάνατος, i. *mors in propinquo est.* Nam surditatis alterius comparata sic est natura, vt in meatu audiendi obstructo consistat, οὐδὲν ἔχουσα κακόηθες, vt ait Galenus: proptereáque nihil offendere videatur, sicut est positum in hac prognosi. Sed quia vigiliæ agitantur, vnde est ipsa surditas, nempe à nigro vomitu, de cuius materia, audiendi meatus obstruitur: sanè ipsa causa obstructi meatus primùm de sensorio transibit ad sensum; & inde vigiliatum; mox autem insaniæ parens erit. Iam verò cùm hæc surditas non fit per κατάστασιν pituitosi humoris è cerebro in audiendi meatum: sed per anadromen eò biliosi humoris, æruginosi & nigri: sanè non video quemadmodum culpa vacet, cùm simulatque orta est, aluus inde sistatur. Sic enim accepimus; quòd in febre surditas aluum sistit. Ex quibus efficitur, multa incommoda circumuenire eos quorum aures à nigro vomitu obsurduerunt. Et quòd illa surditas culpa non vacat, nihil habens securitatis; plurimum autem periculi signo & causa.

prorr. 10. c.1.1. — prorr. 32. c.1.1. — aph. 49. 4. — aph. 28. 4. & Coac. 3. c.3. lib.2.

10 Οἱ κατὰ μικρὸν ταχέως χολώδεες ἄκρητοι ἔμετοι κακόν. ἄλλως τε, καὶ ἐν ὑποφορῇ πλείονι, καὶ ὀσφύος ἀλγήματι συντόνῳ.

Qui crebrò & parcè biliosi sunt vomitus meri; malè habent ægrotos: idque cùm aliàs, tù in multa deiectione & in prægrandi lumborũ dolore.

VOMITVVM omnium qui apparent & fiunt incommodo ægrotantium, complexio hîc est in qualitate, copia, tempore, & modo vomendi. Atque vt rerum omnium vomitus symptomatici, quas hæc prognosis complectitur, singulæ malis ægri rebus apparent & fiunt: sic vniuersæ pessimis. Et quoniam singularum causæ paulò antè sunt à nobis adductæ, hîc certè sufficiet philologiam examinare ipsius prognoseos quæ est huiusmodi.

QVI CREBRO] i. Qui citò, vel iterum atque iterum citò vomuntur breuibus interuallis. Non enim τὸ ταχύ, οὐ τὸ ταχέως, i. *citum, vel citò,* ad vomitum pertinet qui fit ἀνυσίμως in actu vomendi: sed ad eum qui subinde cietur, cùm scilicet nouus exacto subinde succedit, quamuis ægrè ac difficulter vomatur. Nam τὸ ταχέως aduerbium, & nomen ipsum ταχύ, breuis est interualli: sicut exigui temporis atque spatij, tam in celeritate actionis susceptæ, quàm agendi occasione parta.

ET PARCE] i. Parum ac parum, vel parca manu, quoties illa cita venit vomitio.

BILIOSI] Flaui, porracei, æruginosi.

MERI] i. Sui seri naturalis vbi gignũtur, & alieni humoris quà feruntur, & vnde vomũtur, expertes.

MALE HABENT ÆGROTOS] Omni causa & signo vt suprà ostendimus: & eò peius habent, quò plura signa mala, causæ item plures concurrunt ad malè de iis merendum. Nam variæ effluentiæ, diuersitatem meri coloris mutuantur è variis partibus vnde manant, quarum est similis coloratio excrementi cuiusque: ob eámque causam illæ sunt prauæ; quia in iis, prauatum affectionum notæ apparent; & eò res ægri peiùs ire testantur, quò plures visuntur; quòd scilicet in vitio sint plura naturæ præsidia.

IDQVE CVM ALIAS] i. Cùm tales vomitus ipsi per se in cæteris malis vomuntur incommodo ægrotantium, pessimísque rebus ipsorum.

TVM IN MVLTA OBIECTIONE] Cùm scilicet fertur aluus liquidis excrementis crebrò & multùm, vbi vomitus præsidio esse solet diarrhœæ sistendæ: atque id λόγῳ τῆς φύσεως, i. *natura merito* retrahentis de improuiso, ἐξ ὑπογυίου. At verò hi vomitus non cientur αὐτῇ τῇ φύσει, i. *de improuiso*: sed vt symptomata grauissimorum morborum; proptereáque ab illis [illegible] suam obtinent, vt ipsi quoque illorum vim magnam ostendunt. Ac tales vomitus in diarrhœa symptomatica morborum illorum,

aph. 56. 6.

Te

men & normam, instituendum examen huius prognoseως, quod erit huiusmodi.

STERILIAVS] Quæ sunt eiusmodi suo vitio, non alieno, per impotentiam vel excipiendi, vel continendi, vel concipiendi semen virile. Atque distinctio hæc causarum omnium sterilitatis, versatur in vtero & circa vterum, qui, vt fœcundus ager, fructu materno restibilis esse debet : nunc autem manet infructuosus iis de causis quæ modò à nobis sunt positæ.

VOMITIO SANGVINIS] Quam ciet anadrome sanguinis è locis ad ventrem, vel ad pulmonem. Est enim vtrinque vomitio sanguinis apud Hippocratem, vt suprà ostendimus. Etenim menstruorum suppressio vnde sunt dolorifica mala lumborum, sæpenumero sui seri expressionem mouet in fundum ventriculi, & inde ad stomachum, vnde hæc veniunt, illinc quidem, vomitio atque nausea; hinc verò, cardialgia. Similiter etiam secundum pulmones, eiusdem sanguinis apparet vomitio, vnde symptomatum leuatio est quæ inferebat suppressio. Et verò iampridem constat quòd menstruorum & hæmorrhoidum cohibitarum anadrome si fit ad hepar, nec inde habet ἀναγωγὴν, ibi facit hydropem: sin verò ad pulmonem, ibique subsistat, & careat anagoge; peripneumoniam, empyema, & phthisin mortiferam excitat.

AD CONCIPIENDVM PRODEST] Appositè dictum est, *ad concipiendum*, non *ad gerendum, aut nutriendum* ; nisi fortè nimia sanguinis abundantia, seu grauidarum repletio, quæ cernitur in difficultate spirandi, ac duris mammis & turgidis, vnde abortio sæpe incidit ; vomitione sanguinis periculum ampliùs grauidæ non inducat abortiendi: sed eam deducat ad puerperium, exacto tempore grauiditatis. Nam difficultas & impotentia omnis excipiendi aut concipiendi semen à repletione locorum, vnde sterilitas, cuius in vomitu sanguinis est præsidium; nuper adducta est. Ex quibus efficitur, non ad omnem causam sterilitatis prodesse hîc positam vomitionem sanguinis: sed tantùm ad eam quæ dicta est, neque id sine incommodo partium, nec sine periculo ægrotantis. Est enim periculosa omnis quæ sursum fit per os, sanguinis vacuatio, ὁκοίη ἂν ᾖ, i. *cuiusmodi tandem fuerit.*

43 Τὰ ἀχλυώδεα, γυναικείων συχνῶν ἐπιφανέντων λύεται.

Oculorum caligo discutitur cùm muliebria multa prodierint.

aph.22. 2.

HIPPOCRATIS illud est in aphorismis. *Qui à repletione morbi nascuntur ; vacuatione sanescunt: & qui ex vacuatione gignuntur, sanat repletio. Atque sic contrarietas ; aliorum sanatio est.* Vbi iudicium est Galeni ; quòd eorum qui adhuc fiunt morborum oratio est instituta : proptereáque, inquit, perspicuum est quòd vnà cum amotione causarum efficientium, ipsi quoque morbi necessario amouentur. Efficientium autem causarum amotio suscipitur per contraria. Ergo si menstruorum suppressio est caliginosa; planè efficitur, quòd eorum liberalis & libera vacuatio, caliginem priùs ob oculos obuersantem discutit & exoluit: sicut est positum in hac prognosi. Quemadmodum autem caligo ac tenebræ oculis offunduntur ab iis quæ intrà sunt inutilia : tum quænam sit ratio discutiendi & exoluendi eam caliginem ; in promptu fidem adducet examen huius prognoseως.

Ergo. OCVLORVM CALIGO] Græcè est, τὰ ἀχλυώδεα, i. quæ sunt oculis tenebricosa & caliginosa, eo suffusa intus, non foris. Nam τὰ ἀχλυώδεα, propriè cadunt in oculos, ac de iis dicuntur; quòd eorum sint αἰσθητὰ, i. *sensilia*, intus percepta ab impuro sensorio: vnde est deprauatio sensus videndi. Sic apud Hippocratem, *Auditui sunt, ἀχλυώδεες sicut auribus stupidis.* Est igitur oculorum caligo, quam facit impuritas & obtenebratio, vel spiritus visifici, & oculorum luminis, vel humorum trium τὰ ὁρατὰ, i. *aspectabilia*, excipientium, vt quædam in iis videatur esse suffusio caliginosa: tum ipsis ægrotis, tum medicis atque propinquis oculos intuentibus. Atque illa caligo nebulam & nubem contingit; nebula quidem crassior, nube verò tenuior. Est autem humorum sensoriorum visus, tum luminis oculorum proprij, ac spiritus visifici, velut aëris, perturbatio, quam θόλωσιν Græci vocant, cuius symptoma est visus allucinatio & hebetudo. Sed huius caliginis varia est origo; tum à cerebro, tum à pulmone, tum à ventriculo, tum a venarum sanguine distentarum, impuritate. Vt autem sunt causæ caliginis atque foci, tum eius idea : sic etiam remediorum genera esse solent, quæ vel naturæ imperio, vel medici artificio adhibentur. Nam si quid ὀρφνῶδες videatur ob oculos obuersari cum cardiogmo; in vomitu præsidium est: sine cardiogmo, in liberali ac libera expurgatione pulmonum aut capitis. Sin autem pro tenebris atque caligine, crebri sunt marmarygis oculi, atque scintillant siue micant scintillis quæ sunt ἀμαυρώδεα, tum hypochondrij fugax distentio ac sine dolore apparet; omnis spes medici & cœptæ curationis fiducia stat in narium hæmorrhagia, cuius etiam prænuncia est cephalalgia, comes illorum signorum.

DISCVTITVR] i. Sanatur λυόμενα i vel, si mauis, fidam habet leuationem, causa firmatam critica; non autem falsò creditam nec insidiosam. Nos autem videmur appositè, *discutiendi* verbum accommodasse caligini.

CVM MVLTA PRODIERINT MVLIEBRIA] i. Cùm ei caligini multa superuenerint, vel superapparuerint muliebria, quorum suppressio ipsam caliginem oculis offundebat. Sunt enim τὰ ἐπιφαινόμενα, quæ intus conclusa morbifica, foras exeunt atque apparent bene vel male, ad salutem, vel ad perniciem. Quale apparet sputum pleuriticis de phlegmone systrophica tunicæ costis intextæ. Sed illud ἐπιφαινόμενον, est morbi fixi qui eo sputo exoluitur. Quod autem hic ponitur in muliebrium liberali

purga-

purgatione; non est de foco caliginis, vbi est ipsa: sed de materia, quæ circa locos & lumbos suppressa, in vitio est, quæ illinc mouet, ad cerebrum & ad sensoria visus, ἀναθυμίασιν ἀχλυώδη: quæ tamen, firmiter fixa non hæret in cerebro neque in oculis. Nam si perennitas esset caliginosi vaporis in qualitate mala, cerebro [illegible] impressa: similiter vt venenum Assyrium, lanis albis eo fucatis; nihil profectò valeret ad eluendam tincturam, muliebrium suppressorum libertas: nisi quatenus à suppressione illorum, causæ illi fixæ atque symptomati adiiceretur per terram anathymiasin, sursum ad caput elatam. Sed vt lignis accidit, quæ coniecta in ignem atque præusta, detracto igne non redintegrantur: sic morbi rheuma consistens, retracto eo quod concitatur, non tamen detrahitur: nec eam partem quam occupauit, liberam esse sinit, donec ipsum discesserit motione propria: idque superstite partis integritate, quam sæpe corrumpit. Ergo muliebrium vacuatio, caliginem discutit quam excitabat eorum cohibitorum ἀναθυμίασις ἀχλυώδης. Ibi enim, malorum atque symptomatum subinde nascentium vocatio esse solet, vbi cessat eorum solita generatio.

44 Οσῃσι γυναιξὶ ἐκ πυρετοῦ ἄλγημα τιτθῶν γίνεται· πτύσις αἱμαλωπὸς οὐ τρυγώδης γενομένη, λύει τοὺς πόνους·

Quibuscumque mulieribus, oborta febre, dolor mammarum incidit; inde nata sputi cruenti non fæculenti expurgatio, molestiam omnem exoluit.

Hic scopus est alter curationis eorum symptomatum quæ in mulieres incidunt à febre ipsis aborta. Incidunt autem per [illegible], non tantum humoris morbifici: sed eius materiæ cuius in promptu copia esse solet, vel etiam cuius vitio febris enascitur. Est autem, collectio menstruorum quæ foras non exit per vterum: sed febris ardore sursum transmissa, ibi morbum facit, vbi subsistit. Facit autem in mammis, eò transmissa, vnde nulla leuatio est primùm obortæ febri[illegible] morborum omnium nulla esse solet ab iis quæ incidunt [illegible]. Est autem [illegible] [illegible]ribus, mammarum dolor à febre, qui, vt scribit Hippocrates, [illegible] μαζῶν, [illegible] i. *memoriam renouat societatis mammarum, vteri, & genitalium.* Societatis inter se mammarum & vteri multa sunt argumenta, quæ nihil est necesse recensere. Sufficiat illud vnum, quod συμπάσχουσιν ἀλλήλοις, i. *mutuò se afficiunt*, mutuasque tradunt operas mulierum rebus tam bonis, quàm malis. Non quod hîc ponitur argumentum, instar omnium esse debet ad faciendam fidem societatis inter se mammarum & vteri: tum peculiaris naturæ mulierum, in quibus est promptuarium materiæ redundantis ad [illegible] vel [illegible]. Sed huic vitio [illegible] quod est in morbo mammarum à febre mulieris, secus ab illo est quod in caligine est positum à muliebrium suppressione. Huic enim debetur propria expurgatio per anacatharsin; illi verò sufficit muliebrium suppressorum liberalis per vterum vacuatio. Atque sic, meo quidem iudicio, exempla sunt posita; vt iis veritas luceat splendeatque theorematum catholicorum nostri authoris, de curatione morborum atque symptomatum quæ insequuntur firmiter fixa, vel efficiuntur fugacia: idque à rheumate concitato, mox consistente vel ab humoris, suo loco manentis ac stabulantis anathymiasi. Quæ omnia, quoniam superiore prognosi & alibi sunt à nobis distincta; superest vt institutam prognosin, cuiusmodi sit [illegible], propalam explicemus, & ad veritatis normam examinemus.

Quibuscumque mulieribus] Cuiuscumque sint illæ conditionis, modò sint menstruales, tam viro maturæ adhuc innuptæ, quàm nuptæ aut viduæ.

Oborta febre] id est, Cùm febris eas inuaserit, maximè verò acuta, intermissionis expers, vnde cientur motus introrsum, sicut à tertiana extrorsum: qua motuum differentia, febres illæ ab eadem natæ materia distinguuntur: ob eamque causam sunt participes vel expertes quotidianæ discessionis, quam Græci nominant [illegible] ἀπυρεξίαν. Ac febrium quidem assidua crisis fit ἔσω, tum per excretionem, tum per abscessum: nisi forsan exceperis febrem ardentem quæ à rigore criticum habet sudorem, sicut hæmorrhagiam. Nam febrium biliosarum tertianarum quæ cum rigore nascuntur, excretiones criticæ fiunt ἔξω: quemadmodum ἔσω per vomitum à rigore; nec vnquam abscessus, qui sit earum merito.

Dolor mammarum incidit] i. Dolorificum malum in mammis, quod ibi facit muliebrium, quæ in muliere semper in promptu sunt, concitatio: cuius quidem causa est febris assidua, vnde materia sursum viam affectat: cursum autem eò inflectit, nempe ad mammas, propter ipsarum & vteri συμπάθειαν, tum propter societatem quæ illis partibus intercedit per vasa communia.

Excitata inde purgatio] Græcè est πτύσις, ad verbum, *exputio*, quæ apud Hippocratem sæpe legitur pro anacatharsi, quæ propria expurgatio est morborum thoracis atque pulmonum. Hic autem apposuè mammis tribuitur, ad sui purgationem: quòd eorum qui sunt in mammis humorum, facilis intra thoracem est transitus, propter earum partium societatem quæ cernitur in vicinitate vasorum inter se, ac mutua officiorum communicatione. Situm est illud: [illegible] i. *Quarundam partium affectiones ab aliis excipiuntur, partim labore, partim grauitat., partim etiam quibusdam præsidiis; sunt etiam certis quibusdam societates inter se vnde hæ fiunt.*

2. Epid. part. 1.

2. Epid. sec. eius. de oper. part. 3.

Spvti crvanti] i. Concreti sanguinis: non quidem sputi pauca bile pes mixti, quale est bonum sputum pleuritici circa initia; nec pauco sanguine, cuiusmodi esse debet peripneumonici: sed merus cruor nulli sputo albo permixtus, vt præ se ferat ideam humoris morbifici alteratione carentis, omnique pepasmo, quo vertitur in empyema, cùm eius collectio metum adfert corruptionis atque insaniæ. Non enim tum lactis coctio esse potest, quæ vera est πέψις.

Non fæcvlenti] Cuiusmodi esse solet corrupti sanguinis in empyema prauum, tam suo vitio, quàm partis obsessæ mutati. Sic enim de prauo empyemate dici solet, quòd scilicet est βορβορῶδες ὑπόμορφον, i. cænosum vel amurcosum, eodem planè sensu quo hic τρυγῶδες. Quæ omnino praua, vt votis omnibus sunt auertenda: sic neque tamen optandum est, nec expectandum in mammis empyema, quamuis laudabile: vt neque in pleuritide, nec in peripneumonia, nisi cùm desperatio est anacatharseως, in spe angusta salutis. Præstat enim citò adesse liberalem ac liberam anacatharsin, quàm empyema serò venire, vbi nihil est securitatis.

aph. 44. & 45.7.

Molastiam omnem exolvit] λύει τοὺς πόνους, i. leuationem adfert laborum quos intulit muliebrium ad mammas à febre concitatio, vbi firmiter fixa hærent. Exoluit autem; vacuatione cita & propria humoris dolorem mouentis, vnde cita est etiam vera leuatio, non falsò credita, nec insidiosa. Est autem hîc necessaria rheumatis concitati & consistentis propria expurgatio, quod sola retractio per menstruorum solitam purgationem sanare non potest. Nam tenebrarum atque caliginis intus naturam ex anathymiasi tetra muliebrium quæ circa locos & lumbos subsistunt, sanatio est in vacuatione liberali eorum naturaliter instituta.

45 Οἱ ἐν ὑστερικῇσιν ἀπύρετοι σπασμοὶ, εὐχερέες· οἷον Δορκάδι.

Quæ fiunt hystericis febre vacuis conuulsiones; faciles: sicut Dorcadi.

Hæ svnt deliciæ Hippocraticæ, quarum epulis soli fruuntur & saturantur, quibus discendi studiũ est ab vno Hippocrate, malunt [illegible] ius præceptis institutisque, tanquam ex fonte vberrimo, medicinam haurire, quàm riuulos con[illegible]. Est autem hoc positum in more Hippocratis, vt iterum atque iterum ponat idem exemplum, nec tamen scopo eodem; idque καθ' ὑπόθεσιν, & fundamentum rei quã docere instituit. Possem hic ergo, perinde ac idoneum nactus locum, meam de stylo Hippocratis opinionem de locis quamplurimis qui apud eum leguntur, lectoribus confirmare. Sed ne longum faciam, longiusve abeam; hoc vnum sufficiat, positum in hac prognosi: cuius lectio hic repetita, quæ fuerat antè scripta & explicata, sicut mouet nauseam sciolis istis qui fastidiosè iudicant de scriptis quæ non intelligunt: ita discendi cupidis & studiosis qui ad scopum authoris attendunt, dianœamque ipsius callent; talibus, inquam, iucunda est, graciosa, & fructus dulcedine suauissima. Scopum igitur ac dianœam authoris, sic aperire consilium est in hac prognosi, cur ea denuo scripta sit, cùm suprà iam venerit ad examen philologiæ ac philosophiæ.

Enimuero noster author suprà eò spectauis, dum illa scriberet quæ hîc ponuntur, vt fidem faceret redintegrandæ ex facili certæ cuiusdam conuulsionis, quæ tantam in cæteris conuulsarum partium afflictionibus, è statu naturæ egressionem ostendit, vt difficillima sit redintegratio, ac ne sperabilis quidem, vbi summa est siccitas ab exhausto. Hic autem ratio est admirabilis quorsum adducta sit denuo illa prognosis, vbi agitur de rebus mulierum. Sanè id habet propositi noster præceptor, vt eo exemplo quod excellentia vincit cætera, naturam & causas aperiat hystericæ passionis quæ apud Hippocratem nomine τῆς ὑστερικῆς appellatur: idque κατ' ἐξοχὴν, cùm multa sint vteri pathemata: sed tamen illa communia partium cæterarum, hoc verò vteri proprium, cum muliebribus & genitura, vnde muliebritas quoque est ipsa mulierum. Est autem symptoma hoc conuulsionis hystericæ quod certat ex æquo cum apnœa hysterica, vt non minùs verè & appositè illa vteri passio nominari debeat hysterica conuulsio, quàm apnœa hysterica. Sed eorum symptomatum hystericorum cur ita sint, ratio mox adducetur. Hic permagni refert studiosorum Hippocratis, obseruare industriam dictatoris, sua edicta suo quæque loco scribentis, & ad varios viri scopos dianœamque attendere, vbi diuersis in locis repetitio est alicuius edicti, quod alibi iam ratum fuit persuasumque omnibus, ac promulgatum. Non enim temerè, sed consultò; atque vt verè, sic appositè, bis terve promulgantur hæc singularia dictatoris edicta; quæ fundamenta sunt & hypotheses verę demonstrandarum rerum quas author ipse ad veritatis examen adducit. Et cùm prognosis hęc, theorematis loco catholici, locum habeat in prorrhetico; nunc καθ' ὑπόθεσιν recensetur in quæstione pathematum hystericorum: sicut iam scripta est suprà in tractatu de conuulsione. Quoniam autem scopum authoris illic attigimus, ac rei propositæ veritatem ostendimus, hîc certè sufficiet, postquam de scopo diximus, ad quem nostra omnis attentio esse debet; sufficiet, inquam, prognoseως rationem paucis docere, ac veluti ἀνακεφαλαίωσιν recensere commentationum nostrarum quas literis illic mandauimus.

Coac. 3. c.14. li.2.

Ergo. Convvlsiones] i. Iniussi partium motus quæ naturaliter iussu nostro ac nostra sponte, non sua, mouentur.

Qvæ fiant hystericis] i. Merito passionis hystericæ, quæ sola est vteri propria inter eas quæ ipsum malè habent contra naturam. Hic autem hysterica passio potissimùm cadit in virgines atque viduas, ætate iam grandes, quarum scilicet vteri suo, vt ita dicam, genio defraudati, suæ molestiæ senso-

sensionem impertiunt partibus affinitate sibi vel societate coniunctis. Ac cernitur quidem illa sensio rei molestæ vtero, in dyspnœa, apnœa, i. inspiratione difficillima, vel eius amotione fugace, repentè oborta; nouissimè, in epileptica quadam conuulsione. Hysterici autem genij triplex est omnis defraudatio: vna in menstruis ibi cohibitis; altera in exhausto & siti; tertia in genituræ orgasmo & inexpleta libidine, coitu denegato. Vteri vacuati ac sitientis symptomata sic nascuntur, vt visum est præceptori. Primum enim apparet in ægra, spiratio difficillima, penèque dixerim, suffocatio; cùm impeditio est partium spirabilium, à diaphragmatis oppressione, quam facit hepar ex vtero sibi adiacente, qui eò cursum inflexit, tanquam ad fontem gratiosi humoris, sitim explere cupiens in muliere grandiore ac vidua, nec amplius menstruali, cuique profusior alvus, collapso intestino recto cum siccitatis & leuitatis accessio-
10 ne, occasionem dedit vtero, parta locorum amplitudine, conuertendi se & affectandi viam ad illud ... hepar. Hæc suffocatio naturam excitat musculorum ad summam contentionem inspirandi & expirandi, quibus molestiam exhibet ipsa doloris à diaphragmate ..., vnde sympathia est cerebri, & inde conuulsio, quæ vtero restituto in suam sedem, siti expleta quiescit. Sed vteri defraudatio quæ apnœam inducit, id est, spiritus inspirati vacationem, penè miraculo apponi debet. Hic enim respiratio est intercepta, quam in plerisque non potis est cernere, nec inspirando, nec expirando. Hoc certè accidit, perfrigerato cordis calore viuifico, vnde spirandi esse solebat vsus atque necessitas; superstite tamen in corde micandi potentia & facultate, qua editur perspiratio vniuersi corporis, quæ tantisper sufficit impediendæ caloris extinctioni: sicut in fucis & apibus cæterisque quæ ... Græci vocant: donec apnœæ causa, ex vtero sit exclusa, vel eius venenata aura, relicto corde, ad cerebrum sit transmissa, vbi
20 & inde mouet conuulsionem. Ergo venenata aura quam semen corruptum è locis expirat, instar veneni cuiusdam à morsu phalangij aut serpentis, sou ad cor appulsu, tollit spirandi vsum paulisper, vnde apnœa hysterica: indeque ad guttur, strangulationis opinionem facit, ac si adesset illaqueatio postremò ad cerebrum, melancholiæ, quæ est in mœrore ac metu, ab opinionis errore; tum etiam conuulsionis epilepticæ parit euentum. Itaque licet tale pathema hystericum nominare apnœam vel epilepsiam hystericam: quæ duo symptomata simul esse non possunt, sicut omnino sunt planèque ..., conuulsio & exolutio: sed exolutioni à corde succedit, ab eadem causa, in cerebro epilepsia, quam facit ipsius irritatio atque contractio ab aura maligna & venenata, quæ ex corrupto semine circa locos, sursum effertur. Ea conuulsio, cæterorum instar symptomatum, eò certè adducta est, vt ... dedicamur ad cognitionem atque scientiam hystericæ passionis: quam seminis infert circa locos cor-
30 ruptio.

Febre vacuis] Vt omnis tollatur opinio conuulsionis, quam inflammatio vteri secum adducit: tum eius quæ venit à febre non symptomatica, qualis est ab vtero inflammato: sed quæ ipsa per se existit, ac vulgo dicitur essentialis. Nam conuulsiones sic natæ, faciles illæ non sunt, vt perhibentur esse quæ hîc ponuntur ab hysterica passione. Causa est in promptu.

Faciles] i. Quæ toleranter feruntur, & facilè exoluuntur ab vtraque causa fugaci. Nam & citò vterus eò remigrat, vnde migrauit, ad hepar ..., sitis explendæ causa: vnde cita vacatio est conuulsionis enatæ ab vtero, iecori adiacente, proptereaque comprimente septum transuersum. Tum causæ alterius conuulsificæ à venenata aura, quam semen corruptum expirat è locis ad cerebrum, facilis curatio est, cùm semen excernitur: cuius excernendi præsidia nota sunt quæ pudet commemorare. Tales au-
40 tem conuulsiones, ... nominauit, simili ratione, qua homines dicuntur ... aut ..., quòd eorum vlcera facile aut difficulter sanescunt.

46 Ἧισιν ἐκ ῥίγεος πυρετὸς κοπιώδης· γυναικεῖα καταῤῥήγνυται. τράχηλος ἐν τούτοις ὀδυνώδης· αἱμοῤῥαγικόν.

Quibus à rigore febris est laboriosa; promouentur muliebria. His
50 *dolens ceruix, hæmorrhagiam ciet.*

Extremum illud erat de rebus mulierum, vt muliebrium varia inclinatio doceretur, ab iis quæ intrà quidem nascuntur, sed foris apparent. Tum autem quorum morborum sanatio apponi debeat muliebrium beneficio, cùm hæc ab illis sursum deorsumve eijcentur; & quæ illius variæ inclinationis signa edantur.

Ergo. Quibus] Mulieribus fœtu vacuis, nimiáque repletis muliebrium abundantia; vt mea opinio est, ab iis quæ sequuntur.

Ex rigore] Quem ciet muliebrium suppressorum ..., i. *redundantium biliosa cacochymia* è venis expressa primùm in lumbis rigorifera, & mox in dorso ac in ceruicibus. Quæ certè rigoris
60 concussio non est mulierum grauidarum ... muliebrium cohibitorum, quòd ea vitia procul ab iis arceantur, priuilegio quodam fœtus qui crescit in vtero: cuius nutritio & accretio, repletionem vasorum esse non sinit a menstruis; amplificatio autem caloris natiui, arcet ..., omnemque adeo rigoriferam cacochymiam. Atque huius quidem opinionis meæ sequestrem habeo præceptore, cuius est hoc edictum. *Si purgationes non eant mulieri, nec horror febrisve superueniat, cibi autem fastidium sit, cogita ipsam habere in vtero.* Nam de rigoris natura & causis dictum est sæpe alias. aph. 61. 5.

FEBRIS EST.] Quæ continenter introrsum mouetur: tametsi prænuncium habet rigorem, cuius materia intus foras prorepit, forisque suam excitat concussionem, quæ per afflictionem caloris natiui, febrem accendit in corde, ipsiusque prima est origo atque occasio. Sic enim veteribus ratum fuit; nunquam rigorem sine febre cieri.

LABORIOSA.] Κοπώδης, id est, *Quæ lassitudinem habet coniunctam*: non eam quidem natam vel à labore immodico, vel insucto, vel desueto. Hæc enim lassitudo ἁπλῶς dicta, sæpe ardentium febrium causa est atque comes; quæ ideo nominantur febres κοπώδεις. Sed quæ lassitudinem habet coniunctam, sua sponte obortam, & κόπος αὐτόματος nominatur, τονώδης, ἑλκώδης, ἢ φλεγμονώδης. i. *quam sensio comitatur tensionis, vlceris, inflammationis*. Primam quidem edit repletio, alteram cacochymia, tertiam vtraque causa. Hic certè sensio est vtriusque rei molestæ: quia molestiam edit, humorum τὸ πλῆθος καὶ πάθος. Argumenta enim sunt; illius quidem, suppressio muliebrium, huius verò, cacochymia rigorifera è venis expressa.

MVLIEBRIA PROMOVENTVR.] i. Excurrunt ad exitum quem antea non habebant, cohibita; cùm esset natura pigrior in excernendo, & vnà contumacior materia expurganda. Promouentur autem, rigoris concussione citata, & febris ardore, ad exitum præparata in subtili substantia, qualitate acri, & calida intemperie. Ad veterum autem viam affectant, de more naturaliter institutos; & quia cohibitio est circa locos: tum quia rigoris concussio est circa lumbos, vnde muliebrium ductus ad vterum producuntur.

HIS DOLENS CERVIX.] Ac si diceret. Quòd si à rigore frustra oborto, sursum ad caput menstrua cursum inflectant, vt sæpe fit, indéque ceruicis venæ distentæ sint, ei parti dolorificæ: vt sæpe alibi demonstratum est.

HÆMORRHAGIAM CIET.] Αἱμοῤῥαγικόν, alioqui cephalalgicum & paraphoricum: sicut conditio esse solet eorum qui sursum ad caput feruntur calidorum humorum. Hæc autem hæmorrhagia in vicem subit muliebrium suppressorum, facitque vt mulieres periculo defungantur suppressionis illius. Atque vt lumborum æstu significatio fit purgationis menstruæ per naturalia: sic etiam ceruicis dolore, hæmorrhagiæ, idest, profluuij sanguinis è naribus, vt hæmorrhagiæ nomen apud Hippocratem vsurpatur.

TRAC-

TRACTATVS QVARTVS, DE EXCREMENTIS.

DE VOMITV.

ΕΜΕΤΟΣ δ' ὠφελιμώτατος, καὶ ἀλυπότατος, ὁ φλέγματος καὶ χολῆς ξυμμεμιγμένος ὡς μάλιστα· καὶ μὴ παχὺς κάρτα, μήτε πολὺς ἐμείσθω. CAP. I.

1 *Vomitus autem, multum habet vtilitatis ac securitatis, qui pituitam exhibet accuratè mixtam cum bile; si id quod vomitur, nec valde sit crassum, nec multum.*

FINIS ERIT laborum meorum, quos in examine prognoseôn Coacarum exegi, postquam absoluero quatuor quæ supersunt disputationes de morborum omnium, quorum historiæ sunt in hoc libro, communibus excrementis. Communia sunt excrementa, vomitus, sudores, vrinæ, deiectiones, quæ in quibusque morbis communiter apparent & fiunt: sicut in quibusdam propriè & appositè, ex quibus illorum morborum cognitio, atque futuri exitus præsensio, tum ipsa curatio comparatur. Nam quæ sunt propria singulorum morborum, omnia in historiis continentur, quorum illa sunt [illegible] cuiusmodi esse dicuntur sputa quæ in pleuritide ac peripneumonia expurgantur.

Ergo de vomitu hic scribendum. Stylus autem scribendi sic erit. Aio enim, quòd vomitus est, eorum quæ intus ventriculum malè habent, à propria ipsius concussione, per os exclusio. Non enim hîc vomitus nomen admitto, quod hæmorrhagiæ pulmonum tribuitur: sicut in illo Hippocratis: Ὅσοι δ' αἷμα ἐμέουσι, [illegible] ἀπὸ τοῦ πνεύμονος ἐμέουσι. i. *Qui sanguinem vomunt spumantem, omnique carent dolore sub diaphragmate, à pulmone vomunt.* [Coac. 1. cap. 17. lib. 2.] Cernitur quoque illa concussio in singultu molesta & irrita, quæ est ventriculi suam molestiam non excludentis: sed frustra in excludendi conatu ac studio laborantis. Est item ventriculi proritatio nauseabunda, quæ tantùm screatu finitur, malis ægroti rebus, in febre, quam suprà vocauit ἄλγος [illegible], vel in prorrhetico, [illegible]: sed nihil ad hunc locum de vomitu. Nec verò [illegible], quę sunt pathemata ventriculi & oris ipsius; pertinent ad naturam vomitus, quam in concussione potenti rerum ventriculo molestarum positam esse diximus: nisi quatenus prædictorum symptomatum curatio suscipitur vomitu atque perficitur. Ergo ventriculi concitatio est ad vomendum, quam facit ipsius oppressio vel proritatio à copia redundante, aut qualitate molesta rerum illarum quæ stagnant in fundo illius. Ac talem vomitum ciet sua sponte natura partis obsessæ quæ est Hippocrati, [illegible]. Atque stagnantium quidem rerum, vel opprimentium, vel proritantium, causa est in aluo indigena, vel etiam aduena. [aph. 2. 1.] Indigena est, domi nata, præsertim ab iis quæ assumuntur, quorum vitia sunt in qualitate, copia, vtendi modo, & occasione. Nam in picrocholis [illegible]; cùm ab inedia, cuius illi sunt impatientes, amaritudo est oris, cardiogmus, alysmus; ea proritatio causam non habet indigenam, vbi est sedes eius: sed aliunde profectam, vbi regnum est bilis, quæ illinc prorepit ad fundum ventriculi, & inde ad stomachum. Quinetiam omnes ideæ proritari ventriculi atque stomachi, non rarò nascuntur tam ex catarrhi serini prolapsu è capite, quàm ex ichoris biliosi aut nigri humoris appulsu: tum ex visceribus, tum ex venis. Exemplum apponam quod erit instar omnium ex Hippocrate. [illegible] καρδιαλγικά, καὶ αἱμορροϊκά. i. *Dolorifica in lumbis mala; cardialgica & sanguinosa.* Vbi iudicium est ex repletione particulari vasorum insignium quæ adiacent lumbis, quàm facit hæmorrhoidum consuetarum vel menstruorum suppressio, tenue quoddam serum prorepit in ventriculum, & inde ad stomachum, vbi excitat cardialgiam. Atque hoc symptoma est hominum febre carentium, sicut eadem implicitorum, quibus etiam inde veniunt [illegible] cùm scilicet, vt scribit Galenus [illegible] γαστρὸς, ὑπὸ μοχθηρῶν δάκνεται χυμῶν. i. *ventriculi orificium, à prauis mordetur humoribus.* [prorrh. 38. l. 1. 2.] Hic certè dubitari non potest, quin aduena sit causa laborum ventriculi, quos edit ipsius proritatio à prauis humoribus, qui è visceribus atque venis illoc prorepunt, vt dictum est.

Ventriculi autem vomiturientis ac vomitoris ab oppressione, par est ac similis ratio quæ dicta est in erethismo. Est enim oppressionis illius causa indigena in iis quæ assumuntur pleniore manu quàm satis est. Sed aduena cernitur in catarrhi prolapsu, cùm eius nimia abundantia natat aluus; tum in humorum toto corpore in aluum affluxu, vel è vicinis visceribus & intestinis. Nam ileosis vomitio quidem est oppressionis aduenæ, chyli occasione non permeantis vltra ieiunum, ileo inflammato; proptereáque illinc remeantis ad aluum. Ac sanè humorum anadrome, vel etiam refluxu ad aluum, vomitiones accidunt criticæ & symptomaticæ, quarum distinctio in hoc primo capite scribetur. Omnis autem vomitio, vel expurgandæ aluo, vel vniuersi corporis purgationi; tum vi naturæ aut morbi suscipitur; tum artificio

medici ad imitationem naturæ præscripto. Itaque vomitio quædam erit vniuersalis, quædam verò particularis. Vniuersalis est, qua vitiosus humor toto corpore, vel è visceribus atque venis, sursum per os vomendo eiicitur. Talis est primùm vomitio critica, quæ febrium finem adfert, significata signis ad tempus & ad speciem crisis illius. Talis est etiam symptomatica, quæ cernitur frequens & pauca humoris praui, ex qua leuatio nulla est: manet autem perpetua vomendi cupiditas, qua vomitori par est vomituritio. Tum libera & liberalis in cholera quæ vires exoluit, & [illegible] infert lethales. Sed artificio medici perniciosa est illa vomitio quæ ab elleboro conuulsionem mouet lethalem. Illa verò salubritati est commodissima quam eiet elleborum eo die quo sibi quis perfregit calcaneum, quando in metu sunt illa symptomata quæ inferuntur ab ecchymosi fracturæ, mortifera nempe conuulsio magnæ chordæ affixæ calcaneo, febris acuta, continua, tremorifera, singultuosa, & paraphorica. ibi enim pharmacia opus est mochlica, & pharmaco vectiario, cuiusmodi est elleborismus quò vitiosus humor tanquam à machina vectis attrahitur in ventriculum, & vomendo excluditur, priusquam ipsum pharmacum ad intestinorum anfractus peruenerit. Talem præceptor machinam ad nephritidem calculosam adhibuit, tanquam ad morbum, vt ait Galenus, [illegible]. Sed hæc exempla sufficiant vniuersalis vomitus, de quo illud superest annotandum quod vniuersi corporis expurgatio tali perficitur vomitu; sicut & ipsa deiectione, vt Galenus author est in aphorismis, & mente authoris. Tum illud venit in mentem; quòd vniuersali vomitu solùm æstate, cum opus est, vtendum præscripserit summus præceptor his verbis: [illegible]. i. *Purgare, æstate quidem, superiorem aluum; hyeme, inferiorem*, Et, [illegible]. i. *Graciles & facilè vomentes, supra purgare, præterquam hyeme*. Sed præceptoris consilium est; vt pituitæ vomitus hyeme cieatur. Quod certè pertinet ad vomitum particularem, quo interdixit æstate: nisi cùm alui repletio est, quam [illegible] nominauit. Hyeme autem ter mense vomendum edixit iis qui sunt humidiores: sicut bis aliis siccioribus. Nec verò ad [illegible], vomendi consilium est hyeme, præceptori: sed ad pituitam hybernam, cuius nimia abundátia natat aluus: tametsi ad liberum facilemque vomitum, variorum ciborum satietatem præscribit his verbis: [illegible]. i. Ex quibus efficitur; vomitum particularem esse, cùm vel pituita hyemæ, vel eorum quæ assumuntur satietas per æstatem vomendo leuatur. Nam bilis porraceæ vomitus, vt ea indigenam habet causam in aluo vel aduenam: sic erit particularis vel vniuersalis. Indigenæ autem causæ vel aduenæ distinctio sic est apud Galenum. Nascitur, inquit, bilis porracea in aluo ipsa, propter eorum quæ assumuntur cruditatem, vt olerum, brassicæ, betæ, caparum. Certum est etiam quòd eadem bilis, tametsi nihil eiusmodi assumptum fuerit, tamen febris merito, morbive alterius in vasis enascitur, & inde ad superam vel ad inferam aluum confluit. Erit igitur bilis porraceæ in aluo natæ, vomitus particularis; eius verò quæ in aluum confluit, vniuersalis. Ille autem vomitus quem eiet proritatio æruginosæ bilis in aluo, quam genuit sæuæ nephritidis cruciatus, cum impotentia dormiendi atque vigiliis, tametsi aduenam habet causam vomendi; sicut indigenam à corruptione ciborum; tamen videtur quodammodo [illegible]. Nunc ad examen prognoseos veniamus.

Vomitvs avtem.] i. Eorum quæ sunt in aluo inutilia & molesta, per os exclusio: siue assumpta sint pleniore manu; siue nauseabunda, siue in aluo corrupta, vel ex aluo egressa, postliminio remeantia, cùm vltra ieiunum permeare non possint. Tum si quæ vomitu excluduntur, è capite sint illapsa, vel è visceribus atque venis in aluum transmissa, aut eò attracta elleborismo. Sed tamen hic, [illegible] nomen tantùm apponitur illis humoribus, vnde nascuntur febres; cùm scilicet eorum affluxu vel critico, vel periodico, vel symptomatico, ventriculi proritati concussio est ad vomendum. Ac primùm de vomitu salutari & critico sancita lex est in hac prognosi, de more institutóque Hippocratis, vt ad illius normam, symptomatici omnis egressio reuocetur. Est autem huiusmodi.

Vomitvs mvltvm habet vtilitatis.] [illegible], i. *vtilissimus*, quòd inde sit & ostendatur corporis è natura egressi redintegratio, morbique infractio; propterea que numeros explet omnes salubritatis, cùm illi adiicitur quod in lege author apposuit.

Ac mvltvm secvritatis.] [illegible], i. qui caret omni molestia, aut nihil omnino molestiæ & offensionis secum adfert, nec post se relinquit illis in partibus vnde, quò, & quà exitum habet humor. Sed contrà [illegible]. i. *simul confert, & ipsum alacriter ferunt ægri*. Et verò de tali vomitu apposite hic scribendum, quod de pepasmo verè scripsit præceptor his verbis: [illegible]. i. *Celeritatem crisis & securitatem ostendit salutis*. Atque hic, de more authoris, prima vomitus commendatio est in eorum vacuitate quæ contra naturam sunt, & [illegible] vocantur: mox in eorum præsentia quæ sunt [illegible], i. quæ merito ac lege naturæ apparent: [illegible] spectantur in eo quod posuit [illegible] i. *omnis expertem molestiæ*, vel, *cum securitate salubrem*. Tum verò in iis quæ apponuntur. Si id qvod vomitvr, non valde sit crassvm, nec mvltvm. Quamvis autem hic vomitus commendatus tantùm sit in ea voce, qua omnis molestiæ vacuitas continetur, vnde summa illius vtilitas declaratur; vt certè omnino est, cùm minimè nocet corpori: tamen consultò visum est [illegible] huius, cum eo coniungere quod in prognostico legitur, [illegible]: vt scilicet illud conuenienter dicatur [illegible], sicut hoc [illegible]. Est enim diuersa ratio vtilitatis & securitatis. Nec semper in omni crisi tantum est securitatis, quantum est prima specie vtilitatis. Nam criticorum abscessuum non semper est certa crisis, vt eorum qui sub auribus vel in crure à peripneumonia enascuntur.

Qvi pitvitam exhibet accvrate mixtam cvm bile.] Hoc pertinet ad [illegible]. i. *ad ea quæ insunt quæque apparent in vomitu, lege naturæ, ac merito eius* non malefi-

cio

comment. ad sent. 5. part. 1. lib 6. Ep. comment. ad aph. 2. 1. & lib. 4. aph. 4 4. aph 6. 4. lib de diæta salubr. lib. 3. [illegible]

progn. 36. lib. 2.

aph. 2. 1. 1. Epid. part. 2.

cio morbi; vt mox dicetur in cæteris. Atque hoc certum est argumentum vomitus qui cietur duce natura, cuius virtute primùm est domita feritas humoris morbifici. Est enim pepasmi parens natura: sicut & criticæ vacuationis dux eadem optima. Eorum igitur quæ ad salutem & ad securitatem vomuntur, conditio esse debet naturaliter constituta, vt dictum est, in colore, substantia, & mixtione; vt scilicet bilis ὠχρά. i. *pallida*, vel minùs flaua quàm fuit, appareat, cui totò infusa sit corpore pituita, vnde dilutior facta est. Nam bilis pepasmo πῶς φλεγματοῦται. i. *quodammodo pituitescit*. Tum verò in superam aluum affusa, sit particeps eius humoris qui regnat in aluo, videlicet pituitæ, quando non ita exaruit. Exquisite autem mixtio pituitæ & bilis, integritatem partis ostendit, vbi miscentur, cum pari coniunctam virtute caloris natiui, cuius propria est coctio atque mixtio. Talem commendat ἀναχρέμψιν thoracis atque pulmonum, si flauum sputo exactè permixtum sit. Nam excrementa mera, semper sunt praua. Huiusmodi autem cernuntur vel aquosi sui humoris, vel alienæ mixtionis expertia. idque vel ab incendio quo conflagrant & exarescunt, vel à frigore quo concrescunt. Ex quibus efficitur, vt signo appareant prauarum affectionum quæ sunt in ardore aut frigore, vel in locorum vitio vbi nascuntur, aut quà feruntur ad exitum. Sic enim natura comparatum est vt quacumque ad exitum ducuntur humores, non inde abeant insalutato, vt dici solet, hospite; partiumque illarum beneficio, meliores; aut maleficio, peiores reddantur.

Coac. 13. c. 16. li. 2. aph. 6. & 23. 7. progn. 44. lib. 2.

SI ID QVOD VOMITVR, NEC VALDE SIT CRASSVM, NEC MVLTVM.] Vt bene res eant à vomitu, eiusmodi esse debet in iis quæ vomuntur, vt careant omni vitio: quamvis in laude sint ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, calore ac mixtione naturaliter præditorum. Non enim minor est commendatio vitiorum συμβεβηκότων quàm laudabilium ὑπαρχόντων. Tametsi vitia quæ hìc ponuntur, quorum vacatio esse debet in vomitu naturali, non sint omnino ἀφύσικα: sicut ea quæ toto genere praua sunt; proptereàque σημεῖα prauarum affectionum. Ergo vt vomitus omni ex parte sit, qualem esse oportet, ac nihil omnino vitij adiiciatur humori vomendo, quod exitus libertatem impediat, molestiamve parti exhibeat ipso vomendi modo: sanè id quod vomitur, valde crassum esse non debet a frigore aut calore; quia signo non bono adiicitur causa non bona in labore vomendi: nec multum etiam; quia ventriculi crebra concussio, qua sæpe & parum, aut sæpe & multum per os reiicitur, multa sibi & ægro infert incommoda, illinc molestiam & inflammationem, hinc verò infirmitatem. Ex quibus apparet, quòd ibi demum explentur numeri omnes vomendi ad sanitatem, vbi vomunt οἷα δεῖ. i. *qualia & quanta decet*: quod est, vt alibi annotauit præceptor, κεκριμένα καὶ καλῶς. Nam vt concedam, κεκριμένως quidem vomi, cùm pituita est accuratè mixta cum bile: tamen non dixerim vomi καλῶς, si id quod vomitur, sit valde crassum & multum.

aph. 2. & li. 2. acut.

2 Τὰ δὲ ἀκρητέστερα τῶν ἐμεσμάτων κακίω.

Sed ea quæ vomuntur meraciora; peiora.

OMNIS egressio quæ est in vomitu, qualis & quanta sit, intelligitur, ad examen adducta superioris prognoseos: vbi est norma & præscriptio τῶν ὑπαρχόντων λόγῳ τῆς φύσεως. i. *eorum quæ naturaliter insunt* in vomitu, bonis ægroti rebus, & longè absunt ab iis quæ maleficio morbi apparent. Quoniam autem vomitus, commendatio maior est, quando in præsentia τῶν ὑπαρχόντων, cernuntur quoque τὰ συμβεβηκότα; i. *eorum absentia* quæ in malis ducuntur, visum est præceptori singula ponere ad examinandum, vt magis aut minùs absint ab illa norma quæ primùm præscripta est. Prima igitur ac summa vomitus commendatio est, cùm in præsentia rerum ad salutem expetendarum, quales descriptæ sunt, vacuitas est rerum alienarum. Res alienæ sunt hæ, magis aut minùs. Ac prima omnium quæ apparet cum desiderio eius quam posuit mixtionis exactæ. Est autem huiusmodi atque his verbis conscripta.

SED EA QVÆ SVNT MERACIORA.] i. Quæ à calore aut frigore sunt crassiora quàm decet, quia nimis cocta, vel nimis exhausta: vel quæ sunt impermixta partium excrementis vnde ducuntur, & quà feruntur ad exitum. Tametsi meliora sunt verba: τῶν ἀκρητεστέρων. i. *meraciorum*, quàm ἁπλῶς ἀκρήτων. i. *simpliciter meracorum*. Illa enim, quantum coniicio, respectu eorum dicuntur quæ author voluit esse permixta i. ὡς μάλιστα, i. *quantum potis est*, siue ἀκριβῶς. i. *exactè*. Vt certè minùs in vitio sint, ac minùs ægrum periculosè haberi ostendant, quàm ea quæ maleficio morbi sunt mera, vt bilis vitellina, æruginosa, nigra. Hoc igitur spectat author his verbis, vt doceat illa quæ vomitu excluduntur, non bene permixta, quamvis non ita sint sua specie aliena: tamen minus habere vtilitatis ac securitatis quàm prædicta.

IN IIS QVÆ VOMVNTVR.] Non quidem assumpta, neque intestini vitio remeantia; sed quorum est aduena causa è visceribus atque venis, quemadmodum pituitæ in aluo indigena.

PEIORA.] Comparatiuè huiusmodi sunt, partim quòd minùs integræ sint res naturæ vnde ducuntur, partim quòd ægriùs illa vomantur. Nam expetenda mixtio quæ non est in vomitu, vt illa in vitio esse ostendit vnde cietur vomitus: ita ventriculo molestiam infert maiorem in concutiendo se ad vomendum. Naturæ vitia, vnde mixtionis expertia sunt, aut minùs accuratè mixta quæ vomuntur; omnia sunt à nobis exposita superiore prognosi, ac denuo exponentur in singulis. Molestia autem ventriculi dum ægrè vomit, sic nota est omnibus, omniáque quæ secum adfert incommoda; vt nemo sit omnium quem hæc nescire persuasum habeam.

3 Πρασοειδὴς δ' ἔμετος, καὶ μέλας, καὶ πέλιος πονηρόν.

Vomitus autem porraceus, niger, ac liuidus quoque, pestiferus.

IN HAC PROGNOSI descriptio est χολῆς ἀκράτου. i. *meræ bilis*, quæ inter cætera bilis genera, hoc vitio eximia est. Prima quidem cernitur in porraceo vomitu; secunda in nigro vel atrabilario, quæ sunt eiusmodi ex ardore quo exaruerunt, & vacuæ omni sero, flauum colorem mutarunt in nigrum aut viridem. Nam vomitu liuido humor apparet fucatus, partium corruptarum vitio vnde vomitur. Ratio autem cur ita sint omnes, & quorsum vomendo appareant, exponetur in examine singulorum. 10

Ergo. VOMITVS AVTEM.] i. Patefacta egressione vomitus ab eo qui belle fit atque bene, quod est κείμενος ἢ καλῶς. & ea quidem quæ est in desiderio mixtionis exactæ; tametsi materia non est omnino praua, sed paulò peior quàm sit ex vsu naturæ, vt dictum est, loco à nobis exigitur ille vomitus toto genere contra naturam, qui & feritate humoris qui vomitur, & vtriusque mixtionis vacuitate, vt summa ostendit morbi vnde nascitur maleficia: sic ille vomendo, multis incommodis auget ægrotum. Sic autem apparet.

PORRACEVS.] Similiter viridis vt porri color in foliis, non in capite, nec in caule. Nec verò ille humor cruditate virescat eorū quæ assumuntur in aluo, vt intyborum, betarum, & brassicarum: sed bilis vitio confluentis in aluum è visceribus atque venis. Omnium enim colorum viridium qui spectantur in vomitu, dejectionibus, atque in lingua; si nulla sit excusatio rerum viridium quæ assumuntur; omnium, inquam, materialis causa est flaua bilis, quam genuit ipsum τὸ πῖον. i. *pingue*; vt visum est præceptori, cùm ait: Γλῶσσαι χλωραὶ, χολώδεες· τὸ δὲ χολῶδες ἀπὸ πίονος. i. *Linguæ virides, biliosæ: quod autem biliosum est, venit à pingui*; quemadmodum idem scripsit his verbis: Καὶ οἷσι τὸ μὲν πῖον, χολὴ ξανθή. i. *Quibus est ipsum pingue; in etiam bilis flaua.* Vbi Galenus author est; nomen illud, *pingue*, non solùm complecti quæ sunt reapse pinguia & adiposa, verumetiam dulcia omnia, sicut mel, sapam, & saccharum. Sed bilis porraceæ causa effectrix quænam sit, planè ostendunt hæc verba Galeni: Αὐτὸς μὲν οὖν ὁ ἰώδης χυμὸς, ἄν τε δι' ἐμέτων, ἄν τε διὰ τῆς κάτω γαστρὸς, ἄν τε διὰ πτυσμάτων, ἄν τε δι' οὔρων ἐκκενῶται· τό τε χωρίον ἐξ οὗ φέρεται, δηλώσει, καὶ τὸ νόσημα θερμὸν τι εἶναι καὶ ξηρὸν ἰσχυρῶς. i. *Humor igitur æruginosus, siue is vomitu, siue per aluum inferam, siue per sputa, siue per vrinas transmissus apparet; tùm denunciat, & eum vnde gignitur succum siue humorem, & morbum ipsum de quo excluditur, insigniter esse calidum.* Sed in re incerta foci ad domicilij eius humoris, 30 & vbi gignitur, & vnde transmittitur; an scilicet nulla insigni parte affecta, an contrà cum alicuius offensione, quam fortè occupat inflammatio erysipelatosa; cognitio atque distinctio comparatur ex iis quæ cum ea bile symptomata sunt coniuncta. Sic hepate inflammato, nascitur ab ea bile singultus. Similiter cùm ea spumans cum tussi expuitur, nec vllus est dolor sub diaphragmate; in pulmonibus focum habet gignendi & excludendi sui. Tum quæ in sæuæ nephritidis cruciatu ad vomendum cietur, focum illa quidem denunciat vnde in aluum prorepit, causamque aperit vnde tam citò gignitur, quæ est doloris nephritici multùm adaucti continuata sine remissione acerbitas quàm vigiliæ comitantur, vnde corruptus sanguis in eam bilem mutatur, appareteque vomitus æruginosus è venis, qui antè fuerat pituitosus ex aluo. Nam in phrenitide quam genuit bilis flaua in cerebro & membranis, æruginosæ bilis vomitio est cùm in propinquo est mortifera conuulsio ab insania, in quam phrenitidis 40 transitus esse solet: sicut flauæ bilis in viridem, quam cerebrum exprimit in partem sibi maximè consociatem atque gentilem, videlicet in os ventriculi συμπαθοῦσαν, & inde ad fundum eius vnde vomendo reiicitur. Atque vt vomitu æruginosæ bilis à cerebro, denunciatur feritas humoris phrenitici, summáque afflictio partis incendio conflagrantis, conuulsionem mortiferam mox edituræ: sic in acuta febre cùm circa initia vomitio est bilis æruginosæ; primùm illa phrenitidis, mox intolerabilis & summæ insaniæ prænuncia esse solet, vt in Philista, de quo sic legimus apud Hippocratem. Πρώτῃ ἤμεσε χολώδεα ὀλίγα ξανθὰ πρῶτα· μετὰ δὲ ἰώδεα πλείω. i. *Primo die vomuit biliosa primùm flaua & pauca, mox æruginosa plura.* Deinde subiunxit: Δευτέρῃ ἐξεμάνη περὶ μέσον ἡμέρης. i. *Secundo è potestate mentis exiuit, circa medium diei*; cùm eo die obsurduisset. De qua historia solemne est illud prorrheticum, ac theorema catholicum. Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσιν ἰώδεα ἐμέσματα, μετὰ κωφώσιος ἀγρυπνώδεα, ταχὺ σημαίνει. i. *In cephalalgia æruginosi vomitus, cum vigiliis & surditate; summam insaniam mox affuturam ostendunt.* In quo prorrhetico admirabilis est Galeni 50 doctrina de prouentu bilis æruginosæ, vnde scilicet illa succrescat: tum de symptomatis quæ illius naturam sequuntur, & partium obsessarum incendio conflagrantium. Sed tamen Galeni iudicio stare non possum, qui eam bilem natam in cerebro, & inde ad ventriculum confluentem, vomitu sic excludi, vt in phreniticis arbitratur. Quod vt concedam verum esse, aucupio dictionum prorrhetici: tamen si eius relatio sit, vt esse debet, ad historiam de Philista, vnde collectum est & excerptum, de more Hippocratis sua edicta sic conscribentis; credibile est potiùs per anadromen bilis in superam aluum è venis & visceribus, vbi sunt febres acutæ, vomitionem illam cieri ὡς σύμπτωμα, tum per ἐπίσχεσιν morbi & bilis ad cerebrum, insaniam excitari. Hoc tantùm attingam, cætera non exponam quæ illam mihi opinionem fecerunt. Sed satis iam de bile porracea vel æruginosa, quæ fuerit illius causa & focus. 60 Pergamus ad reliqua quæ supersunt examinanda in hac prognosi, de quæstione χολῆς ἀκράτου, i. *meræ bilis*. Hæc autem supersunt.

VOMITVS NIGER.] Vbi tam mera est bilis, vt nigra euaserit: sicut de sputo scriptū est in prognosticis apud Hippocratem, cuius verba hæc sunt. Εἰ δὲ εἴη οὕτως ἄκρητον, ὥστε καὶ μέλαν φαίνεσθαι, δεινότερόν ἐστι τοῦτο ἐκείνου. i. *Sputum ita merum, vt nigrum appareat, peius est multò quàm illa.* Sunt autem illa, quæ paulò antè po-

Margin notes: 6. Epid. p. 5. — sent. 5. par. 6. Epidem. — aph. 58. 5. — hist. 1. par. 2. 3. Epidem. — prorrh. 30. s. 1. 1. — lib. 2. progn.

tè posuit videlicet flauum merum, quod est periculosum; item rotundum glutinosum & album, quod nihil habet vtilitatis: præterea quod valde est viride atque spumans. Est igitur niger vomitus, multùm merus, qui ea qualitate cæteros omnes præcedit, ac viridem etiam viriditate saturum, cuiusmodi est *isatis*, qui ea saturitate admodum merus, vincit porraceum. Ac vomitus ille niger est atræ bilis, quam ex flaua genuit æruginosa, cuius in atram facilis mutatio est, teste Philista, qui è potestate mentis exiuit maleficio atræ bilis, postridie quàm ἰώδη, i. *æruginosam* vomuit. Nam paulò antè, paucam vomuerat flauam. Mutatio autem bilis flauæ in viridem, & huius in atram, fit à febrili ardore, quo illæ conflagrant. Sed huius quoq; origo est à nigro humore quem melancholicum vocant, nec biliosum tamen, perustò. Hic dum melancholicus erat, nec à se mutatus, nihil habebat feritatis atrabilariæ. Non enim particeps 10 erat, sed omnino expers qualitatum maleficarum quæ sunt in atra bile, quæ & χολὴ μέλαινα nominatur. aph.22. Sunt autem, τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες, & τὸ διαβρωτικόν. i. *acre, acidum, & erodens.* Et verò atra bilis ex nigro humore nata, feritate est illi inferior quam genuit æruginosa bilis: nec tam illius sunt acres morsus, nec tam symptomata sæua quàm huius quæ dysenteriam mouet lethalem, tum insanabilem & implacabilem cancrum edit, atque μανίαν, i. *insaniam* excitat, ferocitate intolerabilem. Sed cùm atræ bilis duplex omnino sit materialis causa, ex Hippocrate & Galeno; ineptiæ sunt profectò eorum qui sustinent ac defendunt ipsam gigni etiam ex pituita crassa. Sufficiet autem locum adducere quo atræ bilis distinctio continetur, tam in prouentu, quam in atrocitate ipsius; vt est illius origo vel ex bile viridi & æruginosa, vel ex nigro humore qui fæx est sanguinis, & melancholicus nominatur. Verba Galeni hęc sunt. *Meminisse oportet earum quæ alibi sunt adductæ distinctionum de atra bile. Nam vna quidem gignitur bile flaua* ad aph. 20 *multùm assa siue perusta, quæ numeris omnibus est atrocissima. Altera verò sanguinis, vt ita dicam, fæce; quæ vt illa quidem crassior est consistentia: sic multùm ab ea recedit perniciosæ qualitatis.* Verumenimvero vomitus niger in hac prognosi positus, non solùm est atræ bilis: sed melancholici quoque humoris nihil à sanguinis fæce mutati. Atque similiter vt deiectione, sic etiam vomitu, varietas illa cernitur atræ bilis & nigri humoris vel melancholici. Qualis est etiam sanguis ipse, qui concretus in aluo, non in pulmone, spumans vomendo eiicitur. Ac nigrarum quidem deiectionum præcepta suo quæque loco scribentur, cùm ad earum historiam ventum erit. De vomitu nunc scribendum nigri sanguinis & melancholici. De nigro sanguine qui vomendo reiicitur, illud perceptum est. αἷμα ἄνω ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακὸν· τὸ δὲ κάτω τὸ μέλανα ἀποχωρέον, ἀγαθόν. i. *Sanguis cuiusmodi tandem is fuerit, qui sursum,* per os *redditur* (oares enim excipio) *nihil habet securitatis: profuerit autem nigrum ferri deorsum.* i. per hæmorrhoidas. Quod est eiusmodi ac 30 si diceret, Nulla est bona sanguinis per os excretio, nisi fortasse cohibitis menstruis, eius vomitio est per vasa pulmonum non per ventriculum, quæ semper mala est atque nigra: sicut eiusdem deiectio, si tantùm exceperis dysenteriam αἱματώδη. Nigri enim sanguinis deorsum transmissi, vnica commendatio est eius qui per hæmorrhoidas expurgatur. Nullius autem vacuatio in bonis ducenda: nisi eius qui tantùm cietur è venis per nares aut per hæmorrhoidas. Nam muliebrium salutaris est fluxus per vterum, priuilegio quodam naturæ atque coloris mulierum, ex Dei edicto. De melancholico autem vomitu, qui est ipsius fæcis, idem iudicium quod fuit Hippocratis de nigra deiectione, cùm vtriusque causa sit eadem atque idea. Sic enim Galeno visum est ad aphorismum modò adductum. Ac melancholici quidem vomitus hoc mihi exemplum sufficiet instar omnium quæ multa sunt apud Hippocratem. *Frequens è lumbis ad cor anadrome quæ causa est febrientis ægri perhorrescentis, ac tenuia & aquosa vomentis,* Coac. 12. 40 *nec suæ mentis; à vomitu nigro mortifera est.* Ibi Galenus author est, quòd vt ptyelismus in phreniticis appa- c.12.li.2. ret ad vomitum; perfrigeratio autem nigrum edit: sic & hoc loco, aquosa tenuia è lumbis ad fundum ventriculi confluentia, vomitibus quidem crebra sunt, quorum ad nigra est transitus, cùm perhorrescit prorrh. æger voce captus, nec suæ mentis. Nam vt concedam, huoc vomitum posse cieri ab atra bile, orta 30.L.1.2. ex flaua primùm, mox viridi: tamen dubitari non potest quin tanta sit hepatis exolutio, vt fæcem reponat pro sanguine, quæ sursum deorsumque per os & inferam aluum transmittitur. Nam vti iam posui, vomitus melancholici, & nigrarum deiectionum eadem planè materia est, idemque humor ab iisdem fontibus principia, causasque ducens, i. ab hepate & liene, quorum vitia in talibus excrementis cernuntur.

AC LIVIDVS QVOQVE.] Qui suo liuore liuidam quoque partem ostendit, vnde vel affluit, vel 50 vbi excipitur. Liuet quidem pars omnis, perfrigerata; perfrigeratur autem, emortua: postremò emoritur, per extinctionem viuacitatis in vitali principio; tum per inopiam viuifici nectaris in corde exhausti. Non enim hic liuor est, quem edit ταλαιπωρίας ἢ ἐκχυμώσεως in parte aliqua suggillata: sed ipsa νέκρωσις partium emortuarum. Est autem ἡ ἀπόρροια. i. *effluentia*, semper omnino similis subiectæ substantiæ.

PESTIFERVS.] i. Prauus: & ea quidem præditus prauitate, vt accessione signorum, alioqui optimorum, de suo iure, quod habet in ægri perniciem, nihil omnino, aut certè parum remittat. Fundamentum autem perniciei quam praua denunciant excrementa, sic positum legitur à Galeno; ὅτι αἱ μοχθηραὶ κενώσεις μοχθηρῶν διαθέσεων εἰσὶ σημεῖα. i. *quòd vacuationes prauæ apparent de prauis affectionibus, quarum illa certa sunt signa.*

60 4 Εἰ δὲ καὶ πάντα τὰ χρώματα ὁ αὐτὸς ἐμέοι, κάρτα ὀλέθριον.

Sin autem colores omnes idem vomendo exhibeat; valde id pridem pestiferum.

VOMITVVM quibus omnes prædicti colores,aut etiam plures praui veniunt in conspectum;non est obscura nec ita difficilis ratio:cùm ad exitium sint ita præcipites,vt ab authore positum est in hac prognosi, & in prognostico 41. lib. 2. Cùm enim signorum syllogisticorum ea sit insita & instituta conditio, vt ea semper subesse ostendant quæ indicantur ab illis; planè efficitur, vt cùm perspecta sit causa cuiuslibet prauitatis vomituum prædictorum, quæ in colore cuiusque apparet; quo plures in vomitu exhibentur praui colores,eò plures etiam denuncientur prauæ affectiones partium colores illos edentium.Quò autem plures partes in vitio sunt;eò res ægri peius eunt & propiùs absunt à morte. Ac talis formula prædicendi est aphorismo 21. lib. 4. Ὁκόσῳ αἱ χρώματα πονηρότερα, τὸ μᾶλλον κακόν. i. *Quò plures colores fuerint; manus malum.*

(6.Epid. part.5.)

5 Τάχιστον δὲ θανατῶν σημαίνει ὁ πέλιος καὶ κακώδης.

Citißimam verò mortem denunciat liuidus & fœdi odoris.

SANE CITISSIMA venit & in propinquo mors est,quando putredini fœtidæ,morbo satæ atque morbificæ, adiicitur significatio partium emortuarum, quarum officio vitam carere non potis est: quemadmodum scire licet ex vomitu liuido & fœdo,de quo ita scripsit Galenus: Σηπεδόνα γὰρ ἐνδείκνυται μετὰ νεκρώσεως ὁ τοιοῦτος, εἰ γε μεμνήμεθα τῶν προειρημένων. i. *Putredinem hic cum extinctione indicat,si antedictorum meminimus.*

6 Ἐστι δὲ θανάσιμος, ὁ ἐρυθρὸς ἔμετος, καὶ μάλιστα εἰ μετ' ἀνάγκης ἐμέοιτο.

Est autem lethalis ruber vomitus; maximéque si ægrè vomatur.

HIC PRIMVM de vomitu rubro cuiusmodi sit:tum autem quare vomatur mortiferè,vt visum est præceptori,quæstio in iudicium sic deducenda.

EST AVTEM LETHALIS RVBER VOMITVS.] i. Periculosè vomitur, præter alia vomituum genera quæ maleficio morbi mera vomuntur; proptereaque omnia periculosè habent ægrotos, quædam mortiferè; vt suprà ostendimus. Hic autem vomitus an sit merus,distinctione ruboris, difficultas omnis tolletur.Nam si rubor ille est bilis è flaua sic coloratæ; profectò est merus,vtraque conditione; tum ea quæ cernitur ἰδίας ἀκμῆς ἐχόμενος ὁλοτελῶς;tum ea qua omni mixtione caret alieni humoris. Atqui iam positæ & explicatæ sunt omnes meræ bilis ideæ in vomitu flauo, porraceo, atque nigro. Atque vt in porraceo nota est æruginosi;in nigro, atrabilarij & melancholici: sic rubri & vitellini; in eximiè flauo. Sin autem rubet color est sanguinis:non est cur talis vomitus, meri opinionem faciat. Sanguis enim merus est niger,ab eo quod ipsum suo naturali sero exhausit,videlicet ab incendio quo conflagrauit, vt in Philisci sanguine annotauit Galenus, quem narrat Hippocrates,merum stillasse & paucum è naribus.Et verò hîc denuo meros vomitus memorare,est ἄτοπον & indignum Hippocratis maiestate.Ergo non est dubiũ quin ruber hic vomitus dicatur de sanguine qui vomendo excluditur.Sed cùm rubri vomitus atq; purpurei,tam de pulmonibus exclusio sit,quàm de ventriculo;sanè non aliò referri debet quàm ad ventriculum,de cuius concussione ad ea vomenda quæ ipsum malè habent instituta hæc tractatio est.Sed vtrùm indigena sit res ventriculi,sanguis ille ruber qui vomitur,an verò aduena,planũ faciet ipsa coloris distinctio atq; substantiæ. Nam ruber & liquidus, de aluo exprimitur:at niger θρομβώδης,per aluum transmittitur.Non enim vel ad punctum temporis manet in aluo,sine concretione,& rubri coloris in nigrum mutatione, sanguis qui eo confluit: quia non habet φυλακὴν, nisi vbi habet ἐμφύτην naturaliter institutam & consuetam. Scitum est illud : *Si sanguis in ventrem confluat ipsum corrumpi necesse est.*Atque idem sanguis in amplitudine alui citò concrescit atque grumescit:vnde cita substantiæ & coloris,vt modo dixi,mutatio est.Itaque ruber hic vomitus, quia est sanguinis nihil à se mutati,opinionem facit apertæ vel erosæ venæ in fundo ventriculi, vel in ore ipsius. Nam ruptionis nulla suspicio esse debet, sicut nulla fuit Hippocrati de vesica, cùm sanguis meiendo redditur ἐξαπιναίως.i.*de improuiso*,quem scribit rupta in renibus venula sic effundi,ea ratione adductus quam ponit Galenus appositè in commentario,quòd sanguis communi officio transmittatur per renes:in vesica autem,tantùm partis proprio excipiatur,nutritionis ergo:tum, quòd venulæ in vesica similiter non sunt nudæ atque suspensæ, vt in renibus; sed illi parti affixæ. Quæ omnis ratio ruptionis venarum in vesica non admittendæ pariter, similiterque locum habet in aluo, cuius officio tantùm proprio venæ dicatæ sunt, ibique affixæ, non autem suspensæ. Plurimùm autem facit ad opinionem delendam ex animo, ruptæ venæ in aluo, cum inde ruber est vomitus; quòd liberè non vomatur,nec liberaliter. Id enim denunciat quod adiecit calamitati vomitus rubri, MAXIMAQVA SI ÆGRE VOMATVR. Nam ægra vomitio nunquam est ruptæ venæ, quam ferè semper facit erosa, rariùs autem aperta. Et quoniam ægræ vomitionis quæ vomitum edit rubrum, causa est venularum erosio; venit in mentem illius qui nobilissimum quendam virum mortiferè habuit & ad exitium præcipitauit; ven-

(hist.2.2. Epid.) (aph.28. 6.) (aph.78. 4.)

triculo

triculo laniato à temeraria medicina bis térve exhibita ad sialismum prouocandum, curationis ergo virulentiæ venenatæ luis venereæ falsò creditæ, aut certè quo iure quáque iniuria.

MAXIME QVASI ÆGRE VOMATVR] Est enim vomitionis ægræ symptoma non minùs graue, quàm ipsa est causæ vnde tam ægrè cietur, vt nuper diximus, ac multò antè ad illam prognosin. *Diuturna in febre, nauseabunda prostratio quæ in screatum desinit; pessimè habet ægrum*, signo & causa. (Coac. 58. lib. 1.)

7. Οἱ ἀσώδεες ἀνεμέτως παροξυνόμενοι κακόν. καὶ ἡ ἀπαρεγκτομένοι ἀνεμέτως.

Qui cum fastidio sine nausea exacerbantur; malo sunt loco. Tum lacessit nausea sine vomitu.

DIORISMI huius prognoseos difficilior mihi comparatio est & explicatio, quàm scopi authoris. Ac facere certè non possum quin vel à Galeno dissentiam huius prognoseos enarratore atque interprete fidelissimo; vel Scholæ Coæ magistros accusem qui eam minus distinctè, minúsque apposité posuerunt, quàm de sententia præceptoris qui eam conscripsit. Enimuero scopus hic fuit eorum qui hanc prognosin ex Hippocrate adduxerunt, vt patefacta omni qualitate praua merorum vomituum, calamitosa vis ægræ vel irritæ contentionis vomendi quam infert prostratio nauseabunda praui humoris, proposito familiari exemplo de more institutóque Hippocratis, instar omnium quæ sunt huiusmodi, poneretur. Sed quàm bene illi ad scopum intenderint, vel aberrarint ab illo; planum faciet enarratio huius prognoseos, quam sic aggredior.

QVI CVM FASTIDIO] i. Qui fastidio efferuntur omnium [illegible], i. *eorum quæ continenter adhibentur*; tum in iacendi habitu, tum in diæta. Sic enim conditio est [illegible], i. *fastidij*; vt qui eo laborant, fastidiosè se gerant atque iactentur, omnis figuræ ac loci impatientes, vt ij quos tædet subinde rerum illarum quæ paulò antè ipsis placuerant: quod Græci propriè vocant [illegible], vnde [illegible] nomen habet, ἡ ἄλυσις: quæ duo nomina idem sunt in natura, symptomatis; atque causis, quod ipsamet ἄση; vt planè testantur verba Galeni ad aphor. 54. 7. & ad prorrh. 44. l. 2. [illegible]

SINE NAVSEA EXACERBANTVR] Græcè est ἀνεμέτως, i. ad verbum, *sine vomitu*; quæ dictio tamen hic non est non vomentis, sed minime vomiturientis, vel eius qui non vomendi est cupidus. Est autem hic posita vt intelligamus eos qui cum fastidio sine nausea exacerbantur, vel quorum exacerbatio fastidiosa cum tædio omnis loci atque figuræ coniunctam non habet nauseam, vomitionis criticæ mox affuturæ prænunciam; vt nulla inde in vacuatio quæ adferat ægro leuationem illius iactationis in paroxysmo, quæ ob eam causam est symptomatica, proptereáque pessimis ægri rebus cietur vel excitatur.

MALO SVNT LOCO] Quia morbi exacerbatio est nouis fera symptomatis, ipsius maleficio & incremento: non autem critica perturbatio quam edit naturæ contentio. Ac talis contentio sæpe cernitur in alysmo critici paroxysmi, cuius hic nulla opinio esse potest: quia sine nausea est illa iactatio siue alysmus; proptereáque cietur, [illegible], i. *quia virtus oppressa grauatur à corpore*. Est enim causa omnis duplex alysmi; vna quidem, [illegible], i. *cùm os ventriculi vellicatur morsu prauorum humorum*; vel, vt eidem placet Galeno, cùm in ore ventriculi [illegible], i. *continetur quædam proprietas humiditatis molestæ, non quidem illius multæ, neque stagnantis in aluo, sed in tunicis eius conuersæ*. Atque hæc quidem iactatio siue alysmus, ex nauseà quæ ipsum facit, dicitur ναυτιώδης, i. *nauseabundus*, sicut alter, quem ciet virtutis oppressio sine nausea, nominatur ἀνέμετος, i. *expers nauseæ*. Et sanè fastidiosi ἀνέμετοι vel ἀνεμέτως, periculosiùs multò ægrotant quàm ναυτιώδεις, i. *nauseabundi*.

(prorrh. 44. l. 2. — aph. 54. 7.)

TVM PROVOCATI NAVSEA SINE VOMITV] i. Qui sine vomitu agitantur cum nausea. Non enim iactatio hæc vel agitatio ἀνεμέτως. eò spectat quò illa prior, ἡ ἄση, vel ἡ ἄλυσις vel οἱ ἀσώδεες παροξυνόμενοι ἀνεμέτως. i. *qui cum fastidio sine nausea exacerbantur*. Nam idem esset bis dicere, quod non est Hippocraticum, in eadem prognosi, & in eundem scopum. Nec verò in omni nausea iactabunda sine vomitu, est paroxysmus: sicut nec in omni paroxysmo est iactatio nauseabunda. Sed tamen vt cum signo à febre grauis est omnis iactatio sine vomitu nauseabunda: sic etiam sine febre cum causa: quoniam omnis ægra vomitio, aut certè irrita vomituritio, inflammationem mouet lethalem stomachi & ventriculi. Ergo secunda pars huius prognoseos, è directo intendit ad scopum authoris de calamitosa vi nauseæ quam comitatur iactatio; nulla autem sequitur vel admodum ægra vomitio. Non enim minora sunt vomitionis ægræ vel nauseæ sine vomitu iactabundæ incommoda, quàm causæ ipsius vnde illa venit iactatio sine vomitu nauseabunda, vel admodum ægra vomitio. Vt enim hæc signo editur viscerum æstu incandescentium: sic illa, vt causâ inflammationem mouente in stomacho & ventriculo.

no fit ipsa prognosis. Ratio emendandi ponetur in eius examine, quod sic aggredior.

IN NIGRIS VOMITIBUS.] Qui fiunt ab atra bile quam genuit æruginosa orta ex flaua. Non enim sunt vomitus hîc audiendi qui ab humore cientur, cuius τὸ χρῶμα est nigrum, cuiusmodi est melancholicus humor qui sanguinis limus est, atque quodammodo ipsa fæx nigra iam inde à prima origine. Quamuis autem sit ex hoc perusto altera bilis atræ origo: nam prior ex flaua est quam paulò post excipit æruginosa; tamen non ea mens est authoris, non etiam scopus, quo mea omnis attentio esse debet.

Gal. ad histor. de Philista. & prorr. 10. f. 1. 1. & 47. f. 1. 1.

SVRDITAS] Auditus priuatio de non excepto vel non percepto appulsu τῶν ἀκουστῶν.

NON OFFENDIT] i. Non lædit; vel nihil adfert incommodi iis qui sic obsurduerunt: quod certè falsum est; plurimum enim adfert calamitatis atque denunciat. Nam surditas de non excepto appulsu τῶν ἀκουστῶν, phrenitidi sternit viam atque insaniæ, quando exoritur à vomitu æruginoso, mox nigro, & cum vigiliis coniunctam habet cephalalgiam. Quod legimus contigisse Philistæ, quem scribit Hippocrates obsurduisse: mox autem fanaticum euasisse postridie quàm flaua vomuerat, & inde paulò post æruginosa. Vomuerat autem quo die primùm decubuit. Atque illius historiæ breuiario & aphorismo scriptum est ab eodem prorrheticum modò adductum. Τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσιν ἰώδεα ἐμέσματα μετ' κωφώσιος ἀγρυπνώδεα ταχὺ ἐκμαίνει. i. *In cephalalgia, æruginosi vomitus cum vigiliis & surditate summa omnia breui ostendunt insaniæ.* At verò surditas de non eodem percepto appulsu, signum est citò venturæ mortis. De qua illud præceptum est. Κώφωσις ἐν ὀξέσι καὶ ταραχώδεσι γινομένη κακόν. i. *Surditas quæ in acutos incidit ac turbulentos morbos; pessimè habet ægrotum.* Vbi Galenus author est, talem surditatem oriri τῆς ἀκουστικῆς δυνάμεως νενεκρωμένης. i. *emortua audiendi virtute.* Ac surditate aut cæcitate sic nata, ἐγγὺς ὁ θάνατος, i. *mors in propinquo est.* Nam surditatis alterius comparata sic est natura, vt in meatu audiendi obstructo consistat, ὡς ἀπὸ ἐμφράξεως, vt ait Galenus: proptereáque nihil offendere videatur, sicut est positum in hac prognosi. Sed quia vigiliæ agitantur, vnde est ipsa surditas, nempe à nigro vomitu, de cuius materia, audiendi meatus obstruitur: sanè ipsa causa obstructi meatus primùm de sensorio transibit ad sensum; & inde vigiliarum; mox autem insaniæ parens erit. Iam verò cùm hæc surditas non fit per ἀπόθεσιν pituitosi humoris è cerebro in audiendi meatum: sed per anadromen eò biliosi humoris, æruginosi & nigri: sanè non video quemadmodum culpa vacet, cùm simulatque orta est, aluus inde sistatur. Sic enim accepimus; quòd in febre surditas aluum sistit. Ex quibus efficitur, multa incommoda circumuenire eos quorum aures à nigro vomitu obsurduerunt. Et quòd illa surditas culpa non vacat, nihil habens securitatis; plurimum autem periculi signo & causa.

prorr. 10. f. 1. 1. — prorr. 32. f. 1. 1. — aph. 49. 4. — aph. 28. 4. & Coac. 3. c. 3. lib. 2.

10 Οἱ κατὰ μικρὸν ταχέως χολώδεες ἄκρητοι ἔμετοι κακόν. ἄλλως τε, καὶ ἐν ἀποφορῇ πλείονι, καὶ ὀσφύος ἀλγήματι συντόνῳ.

Qui crebrò & parcè biliosi sunt vomitus meri; malè habent ægrotos: idque cùm aliàs, tùm in multa deiectione & in prægrandi lumborū dolore.

VOMITVVM omnium qui apparent & fiunt incommodo ægrotantium, complexio hîc est in qualitate, copia, tempore, & modo vomendi. Atque vt rerum omnium vomitus symptomatici, quas hæc prognosis complectitur, singulæ malis ægri rebus apparent & fiunt: sic vniuersæ pessimis. Et quoniam singularum causæ paulò antè sunt à nobis adductæ, hic certè sufficiet philologiam examinare ipsius prognoseos quæ est huiusmodi.

QVI CREBRO] i. Qui citò, vel iterum atque iterum citò vomuntur breuibus interuallis. Non enim τὸ ταχὺ, ἢ τὸ ταχέως, i. *citum, vel citò*, ad vomitum pertinet qui fit συντόνως in actu vomendi: sed ad eum qui subinde cietur, cùm scilicet nouus exacto subinde succedit, quamuis ægrè ac difficulter vomatur. Nam τὸ ταχέως aduerbium, & nomen ipsum ταχὺ, breuis est interualli: sicut exigui temporis atque spatij, tam in celeritate actionis susceptæ, quàm agendi occasione parta.

ET PARCE] i. Parum ac parum, vel parca manu, quoties illa cita venit vomitio.

BILIOSI] Flaui, porracei, æruginosi.

MERI] i. Sui seri naturalis vbi gignũtur, & alieni humoris quà feruntur, & vnde vomũtur, expertes.

MALE HABENT ÆGROTOS] Omni causa & signo vt suprà ostendimus: & eò peius habent, quò plura signa mala, causæ item plures concurrunt ad malè de iis merendum. Nam variæ effluentiæ, diuersitatem meri coloris mutuantur è variis partibus vnde manant, quarum est similis coloratio excrementi cuiusque: ob eámque causam illæ sunt prauæ; quia in iis, prauarum affectionum notæ apparent; & eò res ægri peiùs ire testantur, quò plures visuntur; quòd scilicet in vitio sint plura naturæ præsidia.

IDQVE CVM ALIAS] i. Cùm tales vomitus ipsi per se in cæteris malis vomuntur incommodo ægrotantium, pessimísque rebus ipsorum.

TVM IN MVLTA DEIECTIONE] Cùm scilicet fertur aluus liquidis excrementis crebrò & multùm, vbi vomitus præsidio esse solet diarrhœæ sistendæ: adque id λόγῳ τῆς φύσεως, i. *natura merito retrahentis de improuiso*, οὐκ ἀπὸ ταυτομάτου. At verò hi vomitus non cientur αὐτομάτως, i. *de improuiso*: sed vt symptomata grauissimorum morborum; proptereáque ab illis προσηγορίαν suam obtinent, vt ipsi quoque illorum vim magnam ostendunt. Ac tales vomitus in diarrhœa symptomatica morborum illorum,

aph. 16. 6.

ſymptomaticè ipſi etiam vomuntur, periculóque adiiciunt, vt πάντα τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, i. *critica ſine criſi*; proptereáque θανατώδη ἢ δύσκριτα, i. *mortifera aut ſiniſtri iudicij*, vt in cholera morbo.

Et in prægrandi lumborum dolore.] Quorum dolorifica mala, foras, vomendo non exeunt: ſed illis vomitibus ibi ſubeſſe docentur. Exempla ſunt in nauſea & cardialgia, quas è lumborum plethora ſerum expreſſum mouet in fundo ventriculi & ore ipſius; tum in lumbari medulla, cùm inflammatur, & ſuam inflammationem communicat cum meſaræo nato ex neruis lumborum. Præterea in nephritide phlegmonica & calculoſa, vnde cientur vomitus æruginoſi.

11 Τὰ δὲ ἐμέτων ἀσώδεα, κλαγγώδεα, ὄμματα ἐπίχνουν ἔχοντα. μανικά. ὀξέως μανέντες, θνήσκουσι ἄφωνοι.

Sic meliùs ex prorrhetico 17. ſ. 1. 1.

Τὰ δὲ ἐμέτου ἀσώδεα, φωνὴ κλαγγώδης, ὄμματα ἐπίχνουν ἔχοντα. μανικά. οἷον καὶ ἡ Ἑρμοζύγου ἐκμανεῖσα ὀξέως, ἄφωνος ἀπέθανε.

Quibus à vomitu faſtidia ſunt, vox clangoſa, oculi puluerulenti: furor venit: vt etiã nupta Ermoſygi, quæ ab inſania, voce capta interiit.

Quæ hic ponuntur de vomitu crebro faſtidiis nauſeabundis, communiter quidem pertinent ad τὰ κατηγορικὰ huius prognoſeos, quod eſt inſania cui ſuccedit ἡ ἀφωνία, i. *vocis amiſſio*: ſed tamen illius propriè non ſunt τὰ ὑποκείμενα, i. *ſubiecta*, niſi coniuncta cum voce clangoſa, & oculis puluerulentis. Nam vomitus illi faſtidioſi, ſunt etiam febrium malignarum: ſicut ipſius phrenitidis, quò hic ſpectare, & ad quam referri videntur in hac prognoſi. Quorſum autem, quóve authoris ſcopo, adducti huc fuerint vomitus illi faſtidioſi; operæ precium eſt intelligere, priuſquam iuris quæſtio in iudicium deducatur. Eſt igitur ſcopus authoris, vt doceat; illis demum vomitibus peſſimè agi cum ægris, vnde nulla leuatio eſt, ſed crebra incidit vomendi cupiditas, quotieſcunque vomuntur, ipſóſque faſtidia ſubinde excipiunt ναυτώδη. Sed ratio huius ſymptomatis, cæterorúmque quæ hîc leguntur; tum autem quorſum appoſitè ſcripta ſint, propalam explicabitur in examine quod ſic aggredior.

Quibus à vomitu faſtidia ſunt] i. Quorum vomitus excipiuntur ſubinde faſtidiis nauſeabundis, vt non minùs vomendi ſint cupidi, nec minùs vomituriant nauſeabundi, quàm cùm nihil anteà vomuiſſent. In cauſa hæc ſunt; humoris maligni ſuccreſcentis & affluentis perennitas. Succreſcentis quidem, à febre maligna in hypochondriis atque venis: tum à cerebro inflammato phrenitico. Affluentis autem, in aluum & ſtomachum eius, vnde ſunt crebri vomitus, & crebra inde vomendi cupiditas. Nam vt inflammati cerebri ſymptoma proprium eſt phrenitis: ita ſuperuenit illi vomitus æruginoſus à bile tranſmiſſa in ſtomachum, cerebro ſυμπαθοῦντος, quia eſt πρωτοπαθοῦν. Sic enim ſcriptum eſt à præceptore. Φρενιτικοῖσι μὲν σπασμοί· ἀτὰρ καὶ ἰώδεα ἐμέουσι, καὶ ἔνιοι ταχὺ θνήσκουσι τούτων, i. *Phrenitici quidem conuulſiones: quin etiam vomunt æruginoſa, vnde nonnulli eorum celeriter moriuntur.* Vbi Galenus hæc ſcripſit. *Demonſtratum eſt pridem à nobis, quòd omnes huiuſmodi deiectiones & vomitus manant ex bile peruſta. Quæ cauſa eſt cur poſtea dixerit, quòd nonnullis eorum cita mors venit, i. quòd ſtatim ab iis vomitibus moriuntur: quòd ſcilicet in regione cerebri & meningum ipſa phrenitis conſiſtat nata è bile.* Vt mirum videri non debeat, exoriri conuulſiones de partibus illis ſupra modum arefactis. Ac theorematis huius exemplum eſt in hiſtoria cuiuſdam phrenitici, de quo hæc narrat Hippocrates. Ὁ φρενιτικὸς τῇ πρώτῃ κατακλιθεὶς ἤμεσεν ἰώδεα. i. *Phreniticus quo die primùm decubuit, æruginoſa vomuit.*

lib. 2. περὶ ἀφῇ. — 1. Epid. part. 3. — hiſtor. 4. part. 3. — 3. Epid.

Vox clangoſa] i. Rauco & tremulo clangore horriſona, tubæ cuiuſdam modo, quem edit aſperitas inſtrumenti vocalis, i. arteriæ, non quidem catarrho imbutæ: ſed nimia ſiccitate ſqualentis & horridæ quam cerebri & meningum intulit inflammatio. Siccitatis autem illius horridulæ, proptereáque horriſonæ facilis perceptio eſt in membrana vocalis arteriæ: quòd illa inflammatam cerebri meningem contingat, vnde cum cæteris omnibus membranis enaſcitur. Cernitur quoque talis calamitas in officio deglutiendi, faucium & gulæ ipſius. De qua ſolenne eſt illud præceptoris edictum. Οἱ φρενιτικοὶ, βραχυποταὶ, ψόφου καθαπτόμενοι, τρομώδεες, ἢ σπασμώδεες. i. *Phrenitici parum & rarò bibentes idque cum ſtrepitu; contremiſcunt, aut conuelluntur.* Qualem præceptor animaduertit Theodori vxorem, de qua illud ſcriptum reliquit. Οἱ ψόφοι δὲ ποτοῦ μεγάλοι. i. *Magni ſtrepitus erant bibenti.*

Coac. 101. lib. 1. & prorr. 16. ſ. 1. 1. — 7. Epid.

Oculi puluerulenti] i. Oculi ſcatentes puluere minutiſſimo, velut polline, quales apparent iis qui cœlo æſtiuo iter faciunt per loca puluerulenta. Sed oculorum ſqualentium etſi communis ratio eſt, tum in iis quos tenet maraſmus, tum in valdè phreniticis: tamen non ita difficilis erit cognitio quibus hic propriè tribuantur. Nam rabidorum caui ſunt oculi, humiles, ac demiſſi: phreniticorum verò exerti ac truces. Puluerulenti autem ſunt, vel ab humore proprio qui exareſcit, vel ab eo qui exudat è cerebro inflammato in oculorum canthos, ibique ſigna edit ſqualoris puluerulenti: quemadmodum idem bullas mouet in lingua.

Furor venit] i. Dementiæ ſumma ſunt omnia, quæ cernuntur in cœptis immanibus efferorum

rum fanaticorum. Sic enim homines è phreniticis euadunt fanatici: quoniam æruginosæ bilis quam vomunt illapsam è cerebro in ventriculum, facilis esse solet in atram mutatio. Atque vt bilis flauæ, & inde mox æruginosæ symptoma in cerebro est phrenitis: sic atræ, mania siue insania, quòd eius actiores multò sint morsus quàm flauæ.

ET AB INSANIA VITAM FINIVNT VOCE CAPTI.] Quod legimus contigisse illi phrenitico, cuius historia est lib. 3. Epidem. sicut vxori Ermosygi, quam loco exempli posuit in prorrhetico. Capti autem voce intereunt à conuulsione nata in cerebro, de qua id modò audiuimus ex præceptore. Φρενιτικοὶ μὲν σπασμοί. i. *Phrenitici quidem incidunt conuulsiones*: quarum ipsi causas ibidem attigimus ex Galeno. Est autem conuulsio illa ἀφωνίας, i. *vocis amissæ* pareos & causa effectrix, [illegible] i. *ob tensionem neruorum & musculorum vocalium*. Nam vocis amissio, est etiam illarum partium exolutarum, vt ex Galeno animaduertimus, cùm alibi passim, tum verò ad illam prognosin. Οἱ παλμώδεες [illegible]; i. *Qui toto palpitant corpore, vitámne finiunt voce capti?* Atque hæc prognosis desumpta ex casu prædicti phrenitici, non minùs de sua quæstione sapit Hippocratem, quàm illud prorrheticum huc adductum: quod verum esse testatur Galenus in commentario; tametsi quærendo non minùs derogat Hippocraticæ maiestati, quàm illa prognosis. Vtraque autem quæstio exorta est de phrenitico. Sed hæc sufficiant. Vide commentarium ad primam prognosin capitis de conuulsione, quam modò expressimus.

prorr. 2. l. 3. 1. Coac. 1. capit. 14. lib. 2.

12 Ἐν ἐμέτῳ διψώδεα ἐόντα, ἄδιψον γενέσθαι, κακόν.

In vomitu sitibundum, sitis expertem fieri; malum.

HOC THEOREMA catholicum esse non potest, vt verum sit. Est enim falsum, nisi ponatur appositè καθ' ὑπόθεσιν. Ponetur autem appositè καθ' ὑπόθεσιν, de vomitu phreniticorum æruginoso, qui cum inexplebili siti obortus, mox habet fastidium nauseabundum atque sitiferum. Quòd si eueniat, vt in perenni causa & necessitate vomendi, vel à bilis illapsu è cerebro in ventriculum, vel eius affluxu per febrem [illegible]; sitis vacuitas esse putetur in causa sitifera. tum malè res eunt ægroti.

Ergo. IN VOMITV] Bilioso, quem subinde fastidia excipiunt nauseabunda atque sitifera.

SITIBVNDVM] A bile in aluo sitifera: cuius in aluum perenni affluxu vel à cerebro, vel à vicino iecore, sitis ac nauseæ symptomata excitantur.

SITIS EXPERTEM FIERI] De non percepta causa quæ adest sitifera.

MALVM.] Quod pessimè habet ægrotum, ne dicam mortiferè, [illegible] i. *quòd ægritudo sit mentis vel occupatio, aut quòd emortua sit facultas quæ appetens potionum esse solebat.* Omnia autem quæ in hanc sententiam ex Hippocrate possunt adduci (plurima autem possunt adduci, iam pridem adducta & explicata) continentur hoc aphorismo. *Quibus quid corporis est in labore, & eius laboris rara perceptio, iis mens laborat.*

13 Ἐν ἀσώδεσιν ἀγρύπνοις, τὰ παρ' ὦς μάλιστα.

Fastidiosis vigilibus, ferè sub aurem tumores assurgunt.

EST QVOQVE hæc prognosis examinanda scopo earum quas proximè ad examen adduximus. Qui secus faxit, caliginem habebit pro Sole. Ergo sic erit ratio examinandi & ad iudicium deducendi [illegible].

FASTIDIOSIS] i. Qui fastidio efferuntur omnis figuræ & loci, nec nisi tædio recreantur occupari à febre in qua est [illegible], vt verbis vtar Hippocratis, i. *fortis æstus ventriculi, & stomachi morsus*: idque à bile flaua quæ fluctuat æstu in tunicis alui, & feritate sua orificium mordet ipsius: vnde καρδιωγμός, & inde [illegible]. Quæ sanè fastidij ratio visa est huc aduocanda, vbi de vomitu agitur; non autem illius quod vocat præceptor [illegible], siue [illegible] obortū.

aph. 65. 4. prorr. 44. l. 2.

VIGILIBVS] Non quidem sua sponte vigilias agitantibus. Quæ causa & ratio vigilandi, cernitur in omni studio & in excubiis. Sed iis qui somnum inire non possunt in dormiendi necessitate: atque id vitio somniferarum causarum.

FERE SVB AVREM TVMORES ASSVRGVNT.] Sanè quidem, si humor vigiliarum parens ob feritatem, qui olim benignus erat somniferus, cùm eò peruenit, exitum molitur per hæmorrhagiam, quæ inchoata, sed non perfecta, sæpe conuertitur in abscessum qui assurgit sub auribus, & nomen eorum sibi adoptat, nominatúrque parotis. Est enim consuetudo naturæ, vt inchoatã excretionẽ criticam, in abscessus cõuertat; vnde fit absoluta crisis. Quod ita esse docetur illa sententia præceptoris. [illegible] i. *Si eorũ quæ excernuntur supersit pars aliqua, sũt in abscessum morbũ est facilis.* Atq; id maximè locũ habet in hæmorrhagia quæ inchoata se ad aures cõuertit, ibiq; mouet parotidas. Testis est ille aphorismus qui docet quòd febriũ laboriosarũ finẽ abscessus adferunt vel in articulis, vel in maxillis, i. sub aurib. Sed omnis parotidũ ratio iã pridẽ adducta est in tractatu ipsarũ.

6 Epid. part. 2. aph. 31. 4.

Quod superest; verè quidem apposuit noster author, τὸ μάλιστα: quia nec semper, nec necessariò ex [capit. 4. lib. 2. huius operis.] hypothesi huius prognoseωs assurgunt parωtides, nisi cum dionisμο prædicto. Nam inde nata phrenitis, parωtidas non promittit, sicut inchoata hæmorrhagia. Scitum est autem; quod eorum qui sursum ad caput feruntur humorum, calidi quidem ac tenues, vel hæmorrhagiam cient è cerebro, vel in co [pror. 75. l. 3. 2.] phrenitidem.

14 Τοῖσιν ἀσώδεσι, κοιλίης ταραχώδεος ἐπίστασις· διὰ ταχέων ἐξανθεῖ οἷα κωνώπων κεντήματα· καὶ ἐς ὄμματα δακρυώδης ἀπόστασις ἔρχεται.

Si cum fastidio, alui turbata suppreßio est; mox efflorescunt papulæ similes vibicibus culicum: ac tum lacrymosi abscessus ad oculos veniunt.

Hic ponitur altera obseruatio singularis, nec minùs fida quàm prior, ad certam prognωsin eorum symptomatum quæ circumueniunt fastidiosos, cùm alui turbatæ & concitatæ mordacibus excrementis intempestiua suppressio est. Atque illa quidem suppressio cùm ipsi fastidio multum adiicit, quod alui prægressa turbatio symptomatica non leniebat: tum verò impuritatis prouentu hepatitin venam cumulatè impertit, vnde symptomatum illa fœtura quæ scripta est in hac prognωsi.

Ergo. Si cum fastidio.] i. Qui sunt in fastidio siue alysmo nauseabundo: qualem ostendimus superiore prognωsi.

Alui turbata suppressio est.] Quod est eiusmodi ac si diceret; si aluus repentè sistatur, quæ paulò antè mordacibus excrementis liberaliter ferebatur: id enim significat κοιλίη ταραχώδης, vt alibi annotauimus. Sistitur autem repentè, vel intus cohibitis excrementis, vel intrò retractis, vel sursum transmissis. Cohibentur intus, quando, vt sæpe accidit, intestini morsu lacessiti fit ἄνω εἴλησις, i. *reuolutio sursum*, ac malè rem gerit [Greek illegible] vnde cietur motus naturali contrarius, infernè sursum. Intrò retrahuntur mordacia excrementa, siti venularum exhausta. Est enim ratum illud; quod venæ quæ attrahendi virtute carnes ipsas præcedunt, cùm exaruerint, rapiunt ad se biliosos & [Coac. 136. lib. 1.] acres ichωres. Hinc veniunt causi & febres malignæ. Vetus est illud. Ἐκ κοιλίης ὀδύνης [Greek illegible], πυρετὸς καυσώδης ὀλέθριος. i. *Pestifera est febris ardens nata ex alui dolore.* Nam sursum transmissi humoris in causa est ὀργασμός. Qua de re illud præceptum est supra. *In febre surditas aluum sistit.* Et. *Quibus alui feruntur bi-* [Coac. 4. c. 3. lib. 1. aph. 28. 4.] *liosis deiectionibus; surditate oborta sistuntur.* Sed illa turbatæ alui suppressio peiùs habet ægrotum fastidio, quàm ipsa turbatio primùm fastidij symptomatica: vnde nulla eius leuatio esse poterat, sicut nec morbi vllius ab iis quæ κατὰ συμπτώματα ipsi adueniunt. Erat autem fastidio symptomatica ventris turbatio κατὰ τὴν ἐπιφορὰν: similiter vt cùm ab vsu melicrati, hepar biliosum, æstu incandum; nec à bile satura, quam continenter effundit, quæque infrà transmittitur, intestinis & sedi ἰκανῶς ne minimum quidem percipit adiumentum: sed contrà, illius ardori atque fastidio inde nato multum adiicitur. Ac sa- [lib. 3. acut.] nè cogitanti mihi venit in mentem illa prognosis quam suprà exposui. Οἷσι χολώδεος διαχωρήματος ἰόντος, [Greek illegible] i. *Quibus cum biliosa deiectione premuntur morsu pectus, amar. sitque os; malum.* Ergo iam malè res eunt, quando fastidij nauseabundi leuationem non adfert aluus turbata & conci- [Coac. 45. lib. 1.] tata mordacibus excrementis. Est enim bilis efferæ inexhausta perennitas, quæ sursum mouetur pariter ac deorsum. De qua solenne est illud apud Hippocratem; quòd bilis deiectio damnis auget ægrotum, cùm excernitur κατακορεστέρη μᾶλλον τῷ χρώματι, καὶ ἀφρώδεσσα, i. *nimium saturata & spumans.* Nam dum excernitur, hypochondrij ardor non extinguitur, sed exardescit magis: neque alysmus inde quiescit, sed cum maiore molestia malè habet ægrotum. Quinetiam intestinorum & sedis, sua feritate, vlcerifera esse solet. Denique non minùs calamitatem arguit visceris vnde venit, quàm partibus ipsis quà fertur, molesta est. Sed multò peiùs res eunt ægroti, cùm bilis illa sistitur quæ foras transmittebatur: idque vel intus cohibita, vel intrò retracta, vel sursum translata. Nam præter fastidij & febris accessionem, quam certè adiungit, grauissima infert symptomata, cuiusmodi sunt hæc.

Mox efflorescunt papulæ.] Græcum illud, ἐξανθεῖ, actiuè scriptum, quo regitur nomen, τὰ κεντήματα, in accusandi casu; consultò expressimus in verbo neutro cui præponitur nominatiuus in hac syntaxi. Mox efflorescunt papulæ.] Sunt autem papulæ, cutis bullatæ, vel bullis obsitæ ab ichore qui circumtendit cutim, amburendo vel erodendo. Sic enim refert Hippocrates, ab ichore concepto per totam compaginem corporis, quem genuit tempestas austrina cum densis nimbis, & rapido æstu coniuncta, pullulare phlyctænas πυρακαυστῶν. Ac papularum cutis bullatæ, nec tantùm simpliciter maculatæ, ideam subiecit, cùm ait,

Similes vibicibus culicum.] Nam pro se quisque nouit, aculeo culicis cutim bullari: quemadmodum morsu pulicis ipsam tubere, qua parte culex pupugerit, aut pulex momorderit. Quæ causa est cur τὰ κεντήματα, i. *punctiones*, expresserim vibicis: cuiusmodi sanè assurgunt iis qui cæduntur verberibus, aut stimulantur viticis. Et verò punctionibus apum, vesparum, similiter cutis in bullam assurgit, vt stimulis & aculeis alatorum vermiculorum qui culices nominantur. Ex quibus apparet, patem inesse veneni vim cuti bullandæ aculeatis insectis, vt vespis, apibus, atque culicibus:

quanta

quanta infertur ab acri & venenato ichore, qui ad cutim expressus, foras non exit, sed bullas facit vbi subsistit crassior. Nam tenuis, feritate acrior, cutim exulcerat: sicut dilutior, maculis ipsam fœdat. Atque hæc cutis vitia quorum eia impressio est κατὰ τὴν διάθεσιν, ἢ κατὰ τὴν ἔκφυσιν, nominantur phlyctænæ, phlysacia, ecthymata, & exanthemata. Nam sic placere video Hippocrati & Galeno, qui eorum omnium materialem causam referunt ad ichoris collectionem. Hippocratis vetus est illud in tempestate austrina cum densis nimbis & rapido æstu. Ὑπεφύοντο δὲ ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες· ὅθεν φλυκταινίδες, ὥσπερ πυρίκαυστα ἀνίσταντο. i. *Subnascebantur in cute ichores; vnde assurgebant pustulæ, velut vstulæ.* Est autem hic positum *ichoris* nomen, loco maligni & venenati humoris serosi, authore Galeno. Sed causa efficiens papularum atque formalis, sic ab eodem Galeno traditur, vbi examinat τὰ ἐκθύματα, Πρόδηλον μὲν ὅτι τοὔνομα τὸ ἐκθύειν, ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, ὃ σημαίνει ὁρμᾶν ἔξω θέοντα κατὰ τὸ δέρμα. i. *Perspicuum quidem est quòd nomen ecthymatum venit à verbo ἐκθύειν, quod est cieri & concitari ea quæ sponte sua efflorescunt per cutim.* Nam cutis fœdatæ lichenibus, alphis, lepra, & leuce, alia ratio est quàm exanthematum siue ecthymatum. Sunt enim vitia illa inueteratæ causæ morbificæ, & corruptarum partium solidarum, non autem abscessuum qui repentè cooriuntur, sicut ecthymata vel exanthemata. Nec verò pustulæ virulentæ luis venereæ, in censu ecthymatum continentur: quia non enascuntur καθ' ὁρμήν, sed κατ' ἔκφυσιν, vt morbi sint potiùs quàm abscessus; non secus atque lichen, lepra, & leuce. Quod superest; pustularum hic vibicum & papularum, citò ex alui primùm turbatæ, mox autem cohibitæ vitio coortarum, non est dissimilis ratio atque illarum quas fundit repentina tussis vacatio atque suppressio sputi falsi: vnde conscripta est illa prognosis quæ suprà sic legitur. *Si cui sputa falsa, & vna tussis quiescant; in rubet corpus velut exanthematis obsitum, sed ante interitum exasperatur.* Pertinet quoque ad hanc prognosin illa de tabidis sic expressa. *Pruriginosa corpora post alui suppressionem in phthisicis; graue malum.* Vt igitur phthisicorum tussis ἀσήμως, & sputa falsa ἀσήμως, quieta toto fundunt corpore exanthemata. Vt alui suppressio quam diarrhœa tenebat in phthisicis, mouet pruriginem tota compagine corporis. Vt dysenteria quæ sistitur intempestiuè, abscessum facit vel in lateribus atque visceribus, vel in articulis. Sic alui turbatæ suppressio repentina, vel intus cohibitis excrementis, vel intrò retractis ad hepatitin venam, impuritatis prouentu inficit totum corpus, ipsámque cutim obsitam reddit papulis atque bullatam ab acri & crasso ichore qui per αἱμόῤῥου venas diffusus, & κατ' ἔξω ad venulas cuti affixas expressus: non autem κατ' ἔσω eò adductus, ipsam quodammodo circumtendit, & signa ponit cachexiæ incipientis. Atque hæc ratio exanthematum propagatorum κατὰ τὴν ἀπόφυσιν, non minùs periculosè habet ægrotum, quàm diarrhœa ipsa quæ cum fastidio ipsum malè habebat. Nam vt omittam cætera diarrhϾ incommoda, quam vocat Hippocrates ipsum τὸ κινεῖν, cùm ea non fertur λόγῳ τῆς φύσεως, i. *naturæ merito*, sed vt symptoma; sicut hic posita quæ finem non attulit fastidij nauseabundi: profectò id vnum periculo minimum adiicit; quòd eius, alioqui perniciosæ, quies euenerit sine crisi ἀσήμως. proptereáque symptomatis grauioribus onerarit ægrotum, tam intus cohibita, quàm intrò retracta, in perennitate ipsius à viscerum vitio. Scitum est illud Hippocratis. *Perniciosa quorum sine signis leuatio est; mortem subesse ostendunt.* Sed alui turbatæ suppressio fœta est aliis quoque symptomatis, quorum malefica vis arcem inuadit cerebri, & quæ propagantur ab eo κοινά τε ἴδια, i. *communia & rara*, quæ ab authore sunt his verbis expressa.

ACTVM LACRYMOSI ABSCESSVS AD OCVLOS VENIVNT.] Sanè abscessuum hic positorum causa & ratio non est κατὰ μετάστασιν, vnde prioris morbi leuatio esse solet: sed κατὰ τὴν ἀπόφυσιν, vnde symptomatum grauiorum accessio expectatur. Est enim iam pridem receptum; quòd eorum quæ per sympathiam oriuntur, nihil omnino leuationem adfert malorum quæ priùs fuerunt. Ac papularum quidem cum capite communicatio, vel eiusdem ichoris qui papulas fundit, sursum ad caput translatio, prognosin habet solennem his verbis conceptam. Οἷσιν ἐν συνεχέσι φλυκταίνια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκθύει, θανάσιμον, ἢν μὴ ἀπόστημα πυῶδες ἀποστῇ, μάλιστα δὲ τούτοισιν αἱ ἀποστάσιες γίνονται παρ' ὦτα. i. *Quibus in febre assidua, pustulæ toto pullulant corpore; mortiferum: nisi purulento abscessu, qui his potissimum ad aures assurgit, periculo defungantur.* Sed cur lacrymosi abscessus ad oculos veniant, & quænam sit eorum idea; quæstio ad iudicium deducenda. Ergo ne longiùs abeam; oculorum abscessus vel enascuntur vbi apparent, ibique pullulant; similiter vt reliquo corpore ab ichoris bullantis collectione: vel eò propagantur è capite quod abundat ichore, atque id κατὰ μετάστασιν humoris morbifici, vel κατὰ τὴν ἀπόφυσιν euisdem humoris in capite à tempestate austrina & calida quam pluuiæ occuparunt. Certissima enim securitas est, quòd in regno ecthymatum, prima ferè omnium in oculis pullulant, nisi rosa & croco celeriter atque fideliter arceantur. Quòd si euenerit vt efflorescant in oculorum canthis; caruneulam spongiosam prohibentis lacrymis ibi adnatam resoluunt, vt inuitatum deinceps fluentium nulla sit ampliùs impeditio. At verò lacrymosi abscessus propagantur è capite, vel illius translato ichore, vel ibi concepto in dominatu ecthymatum vel exanthematum. Locus est apud Hippocratem, vbi causa & ratio continetur abscessuum ocularium & exanthematum ab eodem fonte manantium. Hippocratis verba sunt hæc. Ὀφθαλμίαι ὑγραί, μεγάλαι, χρονίαι, μετὰ πόνων. ἐπεφύοντο βλέφαρα ἔξωθεν ἔσωθεν, πολλῶν φθείροντα τὰς ὄψιας, ἃ σῦκα ἐπονομάζουσι. i. *Ophthalmiæ aderant humidæ, magnæ, diuturnæ, ac dolorificæ. Tum excrescebant tubera verrucosa intus & foris, quæ multis aciem oculorum labefactabant, ipsáque nominabant ficus.* Σῦκα autem Galenus interpretatur ἐξοχὰς ὑπερεχούσας, i. *assurgentes verrucas.* Sed idem præceptor postquam illa recensuit, alia multa posuit quorum fœtura erat in cute partim exulcerata, partim bullata. Ac de bullata sunt hæc, ἐκθύματα τὰ μεγάλα. i. *tum magnæ pustulæ pullulabant.* Pullulantium verò ecthymatum causa & ratio sic à Galeno conscripta est in commentario quem ita Latinè vertimus. *Ecthymatum generatio est atque origo, videlicet ex humoribus superuacaneis. Sed ea generatio, qualitatem humorum na-*

2. Epid. part. 1.
6. Epid. part. 2.
Coac. 151 capit. 7. lib. 2.
Coac. 8. capit. 17. lib. 2.
3. Epid. part. 3.

re ac meritò consectatur. Nam tenues quidem humores, vlcerando magis, quàm cutim bullando idonei sunt. Crassi autem faciunt vt bullæ assurgant. Perspicuum est autem, quòd eiusdem generis sunt hæc atque prædicta; quòd scilicet verruca in palpebris & vlcera enascuntur. Omnia autem quæ tam in cute, quàm in palpebris efflorescunt; sponte ab illis humoribus concitantur.

15 Ἐπὶ ἀκρήτοις ἐμέτοις λυγμὸς κακόν. κακὸν δὲ καὶ σπασμός. ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇσιν ὑπερκαθάρσεσι τῇσιν ἐκ τῶν φαρμακείων.

In meris vomitibus, mortiferè habet singultus: mortiferè item conuulsio. Similiter & in purgationum excessu quem inferunt pharmaciæ.

VOMITVVM signo & causa mortiferorum prognosis hæc posita est ab authore; idque apposité. Signo quidem, quatenus illi sunt meri, propterea que praui, & indices prauatum affectionum. Causa autem, quia symptomata inferunt quæ citò vires exoluunt, & citam mortem adducunt atque crudelem. Ergo vomituum signo & causa mortiferorum, sic ratio explicabitur in examine huius prognoseos.

IN MERIS VOMITIBVS.] Qui sunt eiusmodi vnde cietur humor, & quà excluditur, vbi est, & inde cernitur expers humiditatis aquosæ, tam propriæ, quàm alienæ. Huiusmodi sunt bilis tria genera quæ iam recensui, flauæ, æruginosæ, & nigræ: quarum praua qualitas, metu exterret medicos signo prauarum affectionum quarum illæ soboles esse solent. De signis quidem, illud præceptum est; quòd ipsa res necessariò subesse testantur, quas indicant: vt dubitari non possit quorsum appareant. Est autem iam positum; quòd omnis praua excretio, signum est prauæ affectionis. Quemadmodum igitur prauæ affectionis idea cernitur in mera bile, quatenus illa, scilicet, partium vbi nascitur inflammationem, atque humoris vnde succrescit corruptionem ostendit: ita vomitio meræ bilis cum actione læsa, perennitatis fontem & focum denunciat, vt suprà iam diximus. Sed ea vomitio meræ bilis, vt signo mortifera est: ita mortiferam infert causam, quæ sic expressa est.

MORTIFERE HABET SINGVLTVS.] Cùm scilicet ille singultus, non tam ventriculi concussione, quàm eius incidit conuulsione quadam. Tametsi enim praua est omnis ventriculi proritati à bile concussio irrita, quæ inflammationes monet lethales, vt sæpe apparet in febribus quas vocant λυγγώδεις, & hepate inflammato: tamen hîc nondum ad vltima ventum est, nec dum singultus ille signo funesto mortiferè habet ægrum: sicut is positus in hac prognosi, quem edit conuulsio ab exhausto, non autem concussio ventriculi proritati. Est autem illa conuulsio insanabilis ac desperatæ salutis.

MORTIFERE ITEM CONVVLSIO] i. Iniussa contractio musculorum qui naturaliter κατὰ προαίρεσιν, nostra sponte, non sua, mouentur. Qualis contractio cadit in eos qui vomunt æruginem ab elleborismo, vbi conuulsio est in prompta ferocitate bilis in orificium alui quod est acerrimi sensus, ac cerebro συμπαθοῦντι, quia est νευρῶδες. Atque illa conuulsio similiter accidit sympathia cerebri, vt à phrenitide circa initia contagio stomachi: cùm cerebro inflammato crebra vomitio incidit æruginosæ bilis, quæ nata in cerebro, illuc demissa, exitum per os habet. Qua de re singularis est illa obseruatio præceptoris. Φρενιτικοὶ ἰώδη ἐμέουσι. ἀλλὰ καὶ ἰώδη ἐμέουσι Attamen scite licet idem vsuuenire iis qui purgantur elleborismo, quod ipsis choleticis quibus eueniunt σπασμοί: potissimùm verò in musculis qui tibiarum suras constituunt. Nam violentia pharmaci attrahentis, & succum neruorum exhaurientis, non est ἀδύνατον ex ea cacopathia conuulsionem incidere. Talis autem conuulsio mortiferè habet ægrum: quia seruari non potest ab exhausto conuulsus. Tum quia doloris sæuissimi ὀδύνησι, & vnà citò vires exoluit, & citam mortem adducit, vt in phreniticis bilem vomentibus & inde conuulsis, annotauit præceptor his verbis. Ἀλλὰ καὶ ταχυθάνατοι ἔνιοι τούτων. i. *Quinetiam horum nonnulli celeriter moriuntur.*

SIMILITER ET IN PVRGATIONVM EXCESSV QVEM INFERVNT PHARMACIÆ.] Cuiusmodi sunt ab elleborismo, cuius effrænem vim exhauriendi succum è neruis, modò audiuimus ex Hippocrate & Galeno. Est autem sic nata conuulsio insanabilis, & cita morte funesta. Causæ sunt explicatæ. Nec solùm ab hypercatharsi quam temeraria infert pharmacia, conuulsio est lethalis atque mortifera: sed illa etiam quæ cietur ab hypercrisi hæmorrhagica, cùm scilicet ab exolutione, vel ipsa per se mortali quando superuenit hæmorrhagiæ, ad vltima ventum est siccitatis: cùm scilicet exhaustæ venæ, arido ipsarum fonte, commeatum è neruis capessunt, ipsósque suo succo defraudant famelicæ, quæ attrahendi virtute carnes ipsas præcedunt. Solemnis est illa sententia præceptoris. *Si largo sanguinis profluuio superuenerit conuulsio aut singultus; mortiferum.*

1. Epid.

Coac. 13. capit. 13. lib. 2.

16 Οἱ μέλλοντες ἐμεῖν πτυαλίζουσιν ἔμπροσθεν.

Qui vomituri sunt; priùs illi saliuant.

VOMITVS adfuturi, vndecunque tandem cietur, prænuncia est saliua: ob eam sanè causam quòd humoris vomendi portio quædam tenuior prorepit ex aluo, vbi stagnabat, ad stomachum, & inde ad fauces, per continuitatem interioris tunicæ quæ est illius & harum communis. Atque id cernitur in omni vomitu, critico, periodico, & symptomatico. Nam vomituri omnes, vomiturìendo saliuant. Non

tamen

tamen efficitur necessariò, vt saliuando quis vomituriat: sicut vomituriendo saliuat. Vt sanè hoc theorema sit καθ' ὑπόθεσιν vomitus, cùm eò vitiosus humor viam affectat: eius quidem inclinatio, & meatus conditio, propria edit τεκμήρια, i. *syllogistica signa*, quæ in prognosticis Hippocrates annotauit. Et verò ptyelismus est quidam phreniticorum, ex quo non tam vomitus significatio est, quàm insaniæ, quàndo sputandi finem non faciunt indecorè. Tametsi & ipsa necessitas continenter sputandi, non ratò idem denunciat, cùm exudante quodam ichore à cerebro inflammato, bullæ minutulæ assurgunt in lingua & ore. Tum idem serum mouet saliuam, prolapsum in aluum, cuius è fundo prorepit ad saliuandum per tunicam eius, palato, faucibus, & linguæ intextam. Huc spectat illa prognosis. *Phrenitici sputatores, fatuati, etiámne tremuli?* Quòd si eueniat vt bilis appulsu in aluum è cerebro inflammato salina promoueatur; in propinquo est vomitus: idque cùm alias, tum si accesserit rigor, cuius concussio non minus adiicit causæ vomendi; quàm euomendæ bilis æruginosæ & atræ, signo apparet. Testis est illa prognosis. *Qui è phreniticis cum rigore sputant; vomitum illi nigrum denunciant.*

Coac. 99. lib. 1.

Coac. 107. lib. 1.

17 Ἐπὶ ἐλλεβόρῳ σπασμὸς· ὀλέθριον.

Quæ super elleboro venit conuulsio; mortifera.

NON ILLA quidem fugax conuulsio ipsa per se mortifera est, quam ciet elleborus in proritato ab effœta bile ventriculi orificio, quod est acerrimi sensus, vt νευρωδέστατον; proptereáque cerebro συμπαθέστατον: sed illa quæ à neruorum exhausto, & rigida siccitate infertur, ob [illegible] quam facit elleborus, qui admirabile est quantum purgandi & attrahendi potentia, cæteris omnibus catharticis antecellat. Quæ causa est quamobrem elleborismi veteres tantùm ad ea pathemata imperarint, quæ sunt [illegible], & febris expertia. Scire autem licet, nomen ellebori significare album, in quo vis inest toto corpore humorem ciendi & attrahendi ad vomitus violentos, priusquam is subeat tenuium intestinorum anfractus. Cur autem conuulsio nata ex neruis, ariditate rigidis, per hypercatharsin elleborismi, mortifera sit; dictum est suprà.

18 Ἐπὶ πάσῃ καθάρσει πλεοναζούσῃ, ψύξις μεθ' ἱδρῶτος· ὀλέθριον.

Si redundanti cuiuis purgationi, frigus adueniat cum sudore; funestum.

IBI DEMVM infirmitatis summa sunt omnia, postquam ad vltima ventum est purgationis, cùm inde frigus & sudor occupant compaginem artuum. Nam frigus, extinctum ostendit calorem viuificum quo vegetari solet viuacitas partium solidarum, ex quibus effœtis illa exudat frigida sudatiuncula quam nomine τοῦ ἱδρῶτος expressit, [illegible]. Vbi autem, collapsa virtute viuifica, languet effœta viuacitas ab exhausto; ibi mors ipsa subesse ostenditur. Est igitur sæpe mortifera hypercatharsis conuellend[o] & exoluendo, vt centies ipsi vidimus ex antimonio Spagyritarum, quorum est omnis pestifera medicina.

19 Καὶ οἱ ἐπανεμέοντες διψώδεες ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Tum qui subinde reuomunt sitibundi; malo sunt loco.

SIGNIS prædictis mortiferæ hypercatharseos, multum adiicitur in causa perenni; cùm scilicet finis vomendi non fit, siti oborta. Est enim ratum illud quòd *Qui purgantur, finem faciunt sui purgandi, postquam sitiuerint:* præsertim si nulla sit causa sitifera, vel in pharmaco, vel in humore, vel in ventriculo: sed tantùm à siccitate parta purgando, sitis oborta sit. Nam vnde purgandi primordia esse solent; ibi vis ipsa quiescit bene morata: cùm scilicet vacuatio inchoata ex aluo, ibi postremum desinit suctione, qua excitatur suctionis sensus io aluo. Quòd si euenerit vt qui purgando penè absumpti, signa dedere virium exolutarum, ac spiritus & caloris viuifici vanescentis in frigore & sudore; nunc sitibundi crebros instaurent vomitus: hic sanè pro metu, certa desperatio est, nec vlla vitæ spectabilis erit salus; vbi lethalibus signis ab ipsorum causa perenni continenter multum adiicitur. Est autem causa perennis, vomitus implacabilis quam sitis excipit inexplebilis; vnde nulla leuatio est viscerum incendio conflagrantium quæ bilem sitiferam cum ardore fundunt in fundum alui, & inde in stomachum eius.

20 Οἱ δὲ ἀσώδεες ὀσφυαλγέες· κοιλίην καθυγραίνονται.

At quibus fastidium est atque lumborum dolor; iis alui perliquidis excrementis feruntur.

Vt vomituri saliuant quibus vomendi spes est à cardiogmo: sic aluus infrà transmittitur iis qui, cum fastidio cardialgico, lumbis dolent. Sic enim res eunt, atque sic omnis comparata est ratio vacuandi humorem qui ad exitum viam affectat, vt inclinatio eius fiat sursum deorsum: vt est ipsius ῥοπή, naturæ contentio, & aquæductuum collocatio. Ergo quemadmodum de saliua, vomitus expectatur, cùm adest fastidium cardialgicum: sic in eodem speratur infra transmissio, de lumborum dolore. Sic autem ratio est à præceptore tradita. *Dolores, inquit, quorum curatio purgatione suscipitur, vt supra infráve diaphragma sunt: ita purgatio illic sursum; hic verò deorsum est molienda.* Vt igitur cardiogmus & oris amaritudo, per os purgandum suadent: sic alui tormina, cum dolore lumborum, infrà ducendum ac transmittendum: quoniam vt ex Hippocrate scripsit Galenus, κατὰ τὰς ῥοπὰς τῶν λυπούντων χυμῶν, χρὴ καὶ κενώσεις ποιεῖσθαι. In omni fastidio cardialgico quæ prorepit saliua, sursum τὴν ῥοπὴν denunciat vitiosi humoris: in eodem verò, lumborum dolor, deorsum. Vt igitur illic vomitio: hic autem deiectio expectanda: sic etiam sursum deorsúmve purgatio molienda medici artificio, ad imitationem naturæ comparato. Quòd si eueniret vt cardialgia excipiat τὴν ῥοπὴν ἡ ὀσφυαλγία, non hæc illius: mutanda erit velificatio, vt scilicet illa ῥοπὴ sursum ducatur, quò viam affectat. Est enim suprà iam positum quòd *Dolorifica lumborum mala cardialgica, fiunt hæmorrhagica.* Sed illa non pugnant cum hac prognosi, manétque firma sententia κατὰ ἡ ῥοπὴ ᾗ ἂν ῥέπῃ, vnde vel accidit cardialgia, vel osphyalgia.

Coac. 1. cap. 12. lib. 1.

21 Αἱ ἐξερύθρων μελαίνων ὑπ' ἐλλεβόρου καθάρσιες· πονηραί. καὶ ἔκλυσις μετὰ τούτων· κακόν.

Quæ ab elleboro prærubræ nigræ cientur purgationes; prauæ. Hinc exolutio periculosè habet.

Cvm rvber vomitus atque niger, ipsum malè habet periculosè vbi sua sponte mouetur: tum verò is maximè quem ciet elleborus, cùm temerè datur opera purgationi. Est enim elleborus catharticum vectiarium, μοχλικὸν Græci vocant, quod, attrahendo atque ciendo, vim omnem superat symptomatici omnis motus, naturam eximiè lacessentis. De rubro vomitu, quem sua sponte mouet efferus humor qui eò cursum inflectit, iam illud præceptum est. *Quinetiam ruber vomitus est lethalis; maximéque si ægrè vomatur.* Nunc autem rubri & nigri quem ciet elleborus, examen sic erit.

Coac. 6. huius tract.

Qvæ ab elleboro.] Scilicet albo: id enim significat positum absolutè, purgátque sursum mouendo, per os: quemadmodum niger transmittendo infrà, per sedem.

Prærvbræ] i. Quæ rubent eximiè, siue sit mera bilis vitellina ex flaua; siue sanguis ipse, summa vomendi contentione, ex alui fundo expressus. Tametsi adducor facilè vt eum ruborem eximium, sanguinem esse putem: aut etiam prærubræ cuiusdam proluuiei ex ἀνασίᾳ heparis, vt mox dicetur. Nam cæterorum humorum qui merè sunt flaui, æruginosi, aut nigri; vt vacuatio mala est αὐτομάτως: sic φαρμακευτικῶς ope cathartici, in bonis ducenda.

Nigræ cientvr pvrgationes] Quæ vel in nigro humore, cuiusmodi sanguis est, vel in atra bile cernuntur. De quarum natura iam dictum est ac demonstratum: quòd illæ tam signo prauarum affectionum, quàm sua vi calamitosa, pestiferæ sunt.

Hinc exolvtio pericvlosè habet ægrotvm] Quòd est eiusmodi ac si diceret. Siue is exoluatur cum syncope per hypercatharsin qui sumpsit elleborum: siue appareat vis exoluta nobilium partium; vt hepatis, in prærubra proluuie; lienis, in nigro humore, qualis est sanguis: vt partes illas ab elleboro labefactatas iam sui officij tædeat: profectò ad vltima ventum est infirmitatis. Tum ei periculo multum adiicitur, quòd partium exolutarum redintegratio comparati vix poterit, quarum officiis vita hominum diu carere non potest. Atque hic locum habet illa sententia præceptoris de nigris deiectionibus quæ sua sponte ducuntur, vbi est partium exolutio vnde manant.

22 Ἀπὸ ἐλλεβόρου ἐμέσαι ἐρυθρά, ἀφρώδεα, ὀλίγα· ὠφελέει. ποιέει μὲν τι σκληρύσματα, καὶ ἐμπυήσιας μεγάλας ἀφίστησιν. εἰσὶ δὲ οἱ τοιαῦτα ἐμέοντες, ἄλλως τε καὶ στῆθος ἐπώδυνοι, καὶ ἐν τοῖς ῥίγεσιν ἐφιδρώσαντες, καὶ ὄρχιας ἐπαίρονται· τούτου προσγινομένου, ἐπιρριγοῦσι καὶ ἰσχναίνονται.

Sic

Sic meliùs ex capite de lumborum malis. Est autem hæc Coaca prognosis 6. capitis 12. libri 2.

Ἐν ἀλγήματι ὀσφύος συντόνῳ, καὶ ὑποφορῇ πλείονι, ἀπὸ ἐλλεβόρου ἐμέσαι ἀφρώδεα συχνὰ ὠφελέει.

In dolore lumborum prægrandi, & in larga deiectione, ab elleboro vomere spumantia multa; prodest.

HACTENVS maleficia elleborismi. Nunc beneficia sunt in conspectu: quæ quoniam suprà iam pridem sunt explicata in examine huius prognoseos, ad locum vbi est posita de malis lumborum; sufficiet recensere [illegible] commentarij quem, vt videmur, accuratè illic conscripsimus.

Ergo. IN DOLORE LVMBORVM PRÆGRANDI] Qui sæui doloris cruciatu contumaciter ægrum exercet, cuiusmodi est nephritis vtraque primi generis; videlicet calculosa & [illegible]: tum phyma lumborum quod gibberes ipsos facit quos occupat, quibus assurgit τὸ κύφωμα.

ET IN LARGA DEIECTIONE] Non ea quidem quam ciet longa & fortis dysenteria, quæ phyma lumborum exoluit, gibberósque lumbos reducit ad suum ἰθύλορδον naturaliter constitutum: quemadmodum & ipsæ varices, quod penè miraculo apponi debet. Sed illa profectò diarrhœa aquosa, quæ diu iam malè habet ægrotum.

AB ELLEBORO] Scilicet albo, qui salutariter adhibetur ad ea pathemata [illegible]. & febris expertia: quorum præsidia non sunt in manu, sed in catharticis: inter quæ principem locum obtinet elleborismus retrahendo atque radicitus euellendo, & ob id à præceptore hic positus; non quidem inopia catharticorum, vt scioli arbitrantur: sed meliorum delectu.

VOMERE] Quod est opus ellebori albi: sicut nigri, deiicere, & infrà per anum transmittere. Nam ea quæ albus elleborus per os vomendo transmittit, dolorifica illa sunt mala quæ vel toto corpore; vel è longinquis partibus, illac transire oportet. Ac de vi summa purgandi quæ inest in elleboro, attrahendique suprà humorem qui in vitio est; diximus non ita pridem, & aliàs.

SPVMANTIA MVLTA] Quòniam illa [illegible] ab elleborismo apparent. Spumantia quidem, ope cientis cathartici & in purgando impigri. Atque hîc secus de spuma iudicium est, quàm de spumantibus deiectionibus cùm sua sponte ducuntur. Illa autem spumantia, multa esse oportet, vt medici votis respondeant: non quidem frequenter & parcè vomendo: sed copiosè, & tardò. Est enim ratum illud; quòd nihil paucum, fit καλῶς ἢ χρηστῶς. Tum verò damnantur à præceptore τὰ σμικρὰ ἐμέσματα, καὶ τὰ ἐγγὺς ἀλλήλων ἰόντα, *i. parua vomitus, & frequentes.*

PRODEST] ὠφελέει, non [illegible]: vt ipsum verbum sic positum, certum præsidij adiumentum denunciet, omnémque adimat dubitationem adhibendi. Itaque prodest vomere in diarrhœa longa, retrahendi causa id quod in ventrem confluit. Atque id conuenienter suscipitur medici artificio, ad imitationem naturæ; qua duce, per vomitum diarrhœa longa quiescit. Prodest autem vomere multa spumantia quæ humoris morbifici retractionem sursum restantur. Quinetiam prodest elleborismo, causam morbificam diarrhœæ vomendo excludi: quia ellebori magisterio meliùs quàm cæterorum [illegible], velificatio, tum ipsius naturæ, tum humoris morbifici sursum infernè mutatur. Ad phyma lumborum, quod vertit ipsorum ἰθύλορδον in κύφωμα; tum ad nephritidem, elleborismus vnicè commendatur, atque mirificum adfert leuationis fructum. Sunt autem rubra spumantia quæ ex lumborum phymate attrahuntur.

23 Αἱ πυκναὶ διὰ τῶν αὐτῶν ὑποστροφαὶ ἐμετώδεες. περὶ κρίσιν, μέλανα ἔμετον ποιέουσι. γίνονται καὶ τρομώδεες.

Crebri, cum vomitu, pari modo relapsus; nigrum cient vomitum circa crisin. Sunt etiam tremoriferi.

COMMENTARII nostri qu[illegible] suprà scripsimus in hanc prognosin; hæc erit [illegible].

CREBRI RELAPSVS] Cum scilicet febris, quæ visa est valedixisse ac discessisse, reuertitur, quod Græcis est ὑποστρέφειν. Reuertitur autem.

PARI MODO CVM VOMITV] i. Eadem ratione, periodo, atque causa. Ac ratione quidem, cum iisdem symptomatis atque signis; vt annotauit in Thasia illa muliere [illegible], cuius res ibant [illegible] i. cum crebra delirij & conuulsionis vicissitudine. Sic in Heropyto crebra fuit vicissitudo surditatis & doloris coxarij. Pertinet quoque ad periodos recidiuarum, quibus crebræ sunt admodum febres, vox illa [illegible], vt scilicet veniant recidiuæ: quemadmodum idem scripsit, [illegible]

[illegible]. Qui ordo & tempus in typis atque periodis recidiuarum, apparet in fratrum historia quos narrat Hippocrates vnà in febrem incidisse: qua quidem, vt videbatur, exacta; in eandem rursum, eadem horæ simul ac pariter recidisse. Nam causæ recidiuarum, ob quas tam crebrò eueniunt recidiuæ, meritò ius habebunt [illegible]: cùm intellexerit medicus ipsas accidere; si vel importuna est morbi exacerbatio, vel importuna excretio, vel etiam si quid exacti morbi reliquiarum supersit. Atque tres illas recidiuarum causas Hippocrates sic expressit, [illegible], i. *si quid ante tempus aut erumpat, aut iudicetur, tum si quid residuum supersit.*

lib. [illegible] χυμῶν.

Nigrvm erant vomitvm] Quia nigrum fit excrementum, quod priùs erat flauum; atque id tum febris ardore, tum crebro relapsu: quibus accedit crebrò irrita ventriculi proritatio. Sic in phreniticis iam pridem ostendimus, ac nuper attigimus; quòd eorum ptyelismus cum frigore aut rigore, vomitum nigrum mox adfuturum denunciat. Vbi Galenus author est, vomitum quidem, saliua; nigrum autem, rigore denunciari. 10

prorr. 30. l. 1. c.

Circa crisin] Non illam quidem saluriferam, cujus est prærogatiua nominis absoluti: sed planè mortiferam atque funestam. Non enim mutatio est salutaris, nec verè critica, vomitus nigri ex flauo. Et verò nouum non est, nomine absoluto crisis, funestam ostendi: sicut in illo. [illegible] i. *Lingua autem quæ multùm nigrescit; crisin decimoquarto die futuram ostendit.*

Coac. 1. capit. 7. lib. 2.

Svnt etiam tremoriferi] Potissimùm manibus, dum stabulatur bilis in aluo, & ad vomendum cietur, quæ illis in partibus molestiam exhibet frigoris & tremoris, per sympathiam alui concussæ & feruidæ à bilis ardore & morsu. 20

DE SVDORE.

Cap. II.

ΙΔΡΩΣ ἄριστος μὲν, ὁ λύων τὸν πυρετὸν ἐν ἡμέρῃ κρισίμῳ. χρήσιμος δὲ καὶ ὁ κουφίζων. ὁ δὲ ψυχρὸς, καὶ μοῦνον περὶ κεφαλὴν, καὶ τράχηλον γινόμενος, φλαῦρος. καὶ γὰρ χρόνον καὶ κίνδυνον σημαίνει. 30

1 *Sudor ille quidem est optimus, qui die critico febrem exoluit. Vtilis autem qui leuat. Verùm qui est frigidus, ac solùm circa caput & collum exudat; prauus. Etenim ad diuturnitatem & ad periculum talis apparet.*

Inter morborvm communia epiphænomena, tum propria febrium acutarum, sudor est instar omnium, quæ vel salutis fida spe nos consolantur, vel metu exterrent difficilis aut sinistri iudicij. Nam quis natura duce, conuenienter cietur; præclarè ad salutem suscipitur. Atque is febrem exoluit, aut certè facit vt æger alacriùs ferat morbum leuatus. Huiusmodi sudor effectricem sui causam agnoscit excretionem seri eorum qui sunt in venis humorum, per totum corpus meabilis, quódque humescit cùm fuerit antè siccum. Atque illa excretio liberalis & libera per totam compaginem, si quidem suis indicibus denunciata fuerit, qui tum ad speciem ipsam crisis, tum ad tempus apparent; morbum ex toto adimit, vt nihil omnino reliquiarum supersit, nec empyreumatis, nec humoris morbifici. Indices qui apparent ad tempus, secundi indicij sunt; vrina bellè colorata, & bona hypostasis; quorum illa est mitescentis morbi, hæc verò naturæ mox redintegrandæ: proptereáque crisin ostendunt sperabilem, die septimo, si quarto veniant in conspectum. Vrinæ suppressio, non quidem nephritica, sed rigorifera, cùm in propinquo est crisis; ipsam sudore susceptum iri testatur: vt veteres annotarunt, & in conspectu nobis est, penè dixerim, quotidiano. Ex quo efficitur, non aliam esse materiam sudoris excreti naturæ imperio, quàm vrinæ. Quòd si euenerit vt ante signa perfecti pepasmi, liberaliter sudor exeat [illegible], discessionem adferet febris diurnam, efficiétque vt æger facilius exigat paroxysmos diurnos. Atque hæc de sudoribus [illegible], quorum materia est tenuis quidam humor atque serosus qui [illegible] è venis ad cutim expellitur, & illac effluit, non autem ab ea elicitur: quod fieri solet [illegible] laconici, balnei, Solis, arenæ, &c. Nam sudor omnis qui effluit symptomaticos, non est mouentis naturæ, nec excernentis ad crisin, vel ad ægri leuationem; sed exprimentis morbi, aut solidarum partium exolutarum. Sic enim præceptor ait de omni sudore qui symptomaticos promouetur vel excidit. [illegible] i. *In vniuersum autem, sudorum sic ratio est tenenda: exeunt enim alij quidem virtute corporum exoluta; alij verò ardoris vi.* Et verò Galeni iudicium est de omni sudore symptomatico; quòd velut symptoma est [illegible], *immanem abundantiam prauorum in corpore humorum.* Sed idem illius sudoris vel expressi, vel exudantis, propterea que

40 50 60

6 Epid. part. 1. capit. 11. lib. 3. de crisib.

lib. 2. progn.

3. Epid. part. 1.

proreaque symptomatici; causas ita distinxit. ὁ ἱδρὼς ὡς σύμπτωμα, [illegible] *i. Sudor quidem qui non est criticus, sed vt symptoma, aut nimiam abundantiam, aut retentricis potentiæ infirmitatem ostendit.* Et cùm sudor omnis, causa vnde dicitur ὡς σύμπτωμα, [illegible]; malo esse loco res ægri testetur: tum verò is maximè qui non corpore, effluit, sed exudat, & ἱδρώτιον, *i. sudatiuncula* nomen habet. Cernitur autem illa ἱδρώτιον, vel in toto cùm pauco sudore tota compago est roscida; vel in thorace, capite, ac cæteris denique, vbi vis morbi firmiter fixa hæret. Tum illa sudatiuncula, vel vniuersi corporis, vel aliquarum partium, leui aut graui nascitur maleficio atque periculo, vt qualitate, copia, tempore, & exudandi modo apparet. Quæ omnia cuiusmodi sint, tum duce natura, tum magisterio morbi atq; humoris; tum autẽ singula suis quæque signis distincta, quorsum appareant planum faciet ipsum examẽ prognoseωs quod sic aggredimur.

SVDOR.] i. Effluuium tenuis ac serosi humoris per cutim totius compaginis. Qualis enim est seri collectio in vesica, eorum qui sunt in venis humorum [illegible]: talis eiusdem serosi humoris in tota compagine [illegible]. Nam & sudore sistuntur vrinæ: sicut vrinæ profluuio sudor compescitur. Ac nouum non est, omnem proluuiẽ toto diffusam corpore ad vrinæ ductus confluere, ac meiendo effluere. Nota est illa sententia præceptoris, [illegible] &c. *i. Ante rigorem vrinæ sistuntur.* Loquitur autem de critico illo rigore sudorifero qui cadit in febrem ardentem. De quo est illud præceptum. [illegible] *i. Quæ occupatur causo, rigore superueniente, exoluitur.* Vbi iudicium est Galeni quòd [illegible] *i. purgata bile causi effectrice, febris ipsa exoluitur.* Atque hæc bilis mitificata pepasmo, exitum habet per cutim, eò violenter expulsa. Nam quæ est crassior, nec ita meabilis, in cute subsistit, & icterum edit criticum, qui balneo dulcis aquæ sanatur, nec vllis eget præsidiis quæ vel in manu sunt, vel in catharticis, nec deniq; vllis potionibus medicatis. Commemorabile autem est quod scripsit Galenus de sudoris materia, quæ est [illegible], vt ipse nominat. De qua sic ait. [illegible] *i. Serosi humores, cùm eius nimia est abundantia, triplex est omnis vacuatio; vna per aluum, altera per vrinas, tertia per sudores.* Sed illa solennis est obseruatio præceptoris, ac legibus medicinæ fundata in febre tetræophya quæ illis temporibus Thasi regnabat, omnésque quos inuaserat, periculosè habebat: vbi narrat præceptor, multos periculo ac febre defunctos fuisse, quibus conuersio facta est ad stranguriosam vrinam. Ibi Galenus hic scripsit. [illegible] *i. Quemadmodum corporis vniuersitas expurgatur per aluum: sic etiam per vesicam & renes.* Atque hæc de sudoris materia, qui natura duce in morbis, velut symptoma mouetur: nisi fortè altera statuatur quæ partibus excidit resolutis, quæ est ipsarum succus alibilis, cui appositio denegatur, quando ad vltima ventum est.

ILLA QVIDEM EST OPTIMVS.] i. Salutis fidissimæ, ad quam præclarè apparet & facit: vel in quo summa sunt omnia vtilitatis & securitatis. Ac mala quidem abesse testatur doloris vacuitas. Bona verò inesse, solida molitudo, succique plena, & ipsa æqualitas. Sic de vrina iudicium est, quæ dicitur esse optima, breuis morbi, & fidæ salutis, cùm inoffenso cursu apparet bellè colorata, cum bona hypostasi. Sed vt reuertar ad summam bonitatem sudoris. Eius quidem optimi [illegible] sunt hæc.

QVI DIE CRITICO.] Cùm scilicet naturæ & morbi certamen est in procinctu: cùm nimirum editis signis pepasmi ad tempus, tum iis quæ ad speciem crisis apparent, natura protritata insurgit, & summa contentione, suas [illegible] in paroxysmo febris aduersus eam exercet. Quæ ratio critica, secundi iudicij esse solet, tum causa critica conuenienter natura & morbi suscepta, nunquam ægrotum, nec medicum spe lactat inani. Nam ibi demum excretio critica votis respondet medici, cùm ea perfectè mouetur, conuenienter morbo, ac signis perfectis pepasmi iam indicata fuit illis diebus qui sunt indices criticorum. Excretio critica conuenienter morbo & naturæ perfectè mouetur, cùm die critico denunciato ab indice victricis naturæ fit [illegible]. Tunc enim fida est crisis, & crisi leuatio. Nam die [illegible] motus omnis ad crisin, [illegible] inducit, quæ ab irrito erethismo causa est [illegible]. Notum est illud præceptoris. [illegible] *i. Quæ sunt critica sine crisi; aut sunt sinistri iudicij, aut lethalia.*

Ergo. SVDOR QVI DIE CRITICO.] Qui suum habuit prænuncium indicem cum perfecto pepasmo, & qui cadit in paroxysmum periodi quaternariæ & septenariæ; cùm scilicet irrita esse non potest ipsa naturæ [illegible]: sed triumphalis in sua virtute victrice; tum in pepasmo humoris morbifici, & meatuum libertate. Quæ tria sunt excretionis perfectæ præsidia, quæque in morbum alio die quam critica ius habere non possunt. Nihil enim bene fit neque apparet tutè & verè ad crisin, nisi diebus illis in quibus de signis mitescentis morbi & redintegrandæ certò naturæ, ipsa redintegratio per neoterismum & per amotionem causæ morbificæ comparatur. Ac ratio quidem redintegrandi, cernitur primùm diebus indicibus in signis pepasmi; post autẽ iudicibus, in liberali ac libera exclusione humoris morbifici. Quæ cùm ita sint; ne à sudore discedam, is quidem multum habet vtilitatis ac securitatis, qui paroxysmum finit quaternarij alicuius, si primum exceperis, intra vigesimum; aut septenarij a vigesimo ad quadragesimum; aut vicenarij, à quadragesimo ad centesimum vsque, & vltra. Primam excepi periodũ quaternariam in morbis imparium paroxysmorum, vel qui diebus imparibus exacerbantur; quod extra paroxysmũ nihil bene ac criticè moueatur. Sic Thasiã illam [illegible], quam exercebat crebra delirij & conuulsionis vicissitudo, illis symptomaticis ac febre ipsa defunctam fuisse narrat Hippocrates hac ratione. [illegible] *i. Sub noctem tertiæ lucis exactæ, totum illi corpus calido & multo sudore diffluxit: febris expers dormiuit; omnino respexit; ac circa tertium decim crisin habuit salutarem.* Nam Periclem Abderitã, die quarto sudorem criticũ & la-

Margin notes: 10, 20, 30, 40, 50, 60; prorrhe. 6.S.31.; 6.Epid. p.1.; hist.11.p. 3.3.Epid.; hist.6. part.3.3. Epid.

leuatem expertum fuisse, idem præceptor scriptum reliquit his verbis Τεταρτῃ περὶ [illegible] ἵδρωσε [illegible] θερμῷ δι' ὅλου τοῦ σώματος ἐκρίθη, οὐδ' ὑπέστρεψεν. i. *Quarto die sudauit toto corpore, multo sudore calido: iudicatus est febris expers, nec inde relapsus.* Antea verò scripserat, quòd δευτέρῃ πάντα παρωξύνθη. [illegible] *i. Secundo die omnia sunt exacerbata. Ac sane innumerassa quidem erant vrinæ, sed residentes: fastidio est leuatus, somnum iniuit. Tertio febris minuit. Copiosæ vrinæ ac multæ participes hypostases.* Vbi Galenus author est; quòd ex vrinis optimis quæ fluxerant plurimæ die tertio, perspicuum erat hominem morbo defunctum iri proximo die quarto qui iudicandi ius habet in morbis qui paribus exacerbantur, & sunt acuti. Scitum est illud. *Quæ paribus exacerbantur, paribus iudicantur.* Plurimùm autem facit ad fidem catholici theorematis, historia virginis Larissæ, quæ occupata febre καυσώδει cum fæuis symptomatis, vt in angusto spes esset ac triplici foco repletionis naturalium, capitis, & venarum; triplici vacuatione, discessionem febris omniúmque symptomatum est consecuta criticam die sexto, vnam per menstruorum liberalem & liberam purgationem; alteram per hæmorrhagiam è naribus, tertiam per sudorem toto fluentem corpore multum & calidum. Ratio autem critica eò fuit vtilis die sexto à summa contentione atque conatu naturæ multùm oppressæ, multúmque protritæ, cùm tamen nulla subesset maligna vis, nec inflammatio: quia, vt narrat Hippocrates, οἱ πόνοι ἐν ἀρτίῃσι, i. *molestia omnis erat & exacerbatio paribus quibusque diebus.* Sed paroxysmis dierum imparium sudor est criticus, in quo est omnis ratio τῶν ὑπαρχόντων ad crisin. Sunt autem sudoris ὑπάρχοντα κρίσιμα, tum ea quæ faciunt vacuitatem febris, tum quæ ad ipsam apparent. Ac primùm apparent diebus indicibus signa pepasmi ad tempus: tum fugax vrinæ suppressio ad speciem ipsam crisis, quando certamen est in procinctu. Discessionem adfert quæ iam sperabilis visa est, sudor quo diffluit totum corpus multo & calido, die crisis. Atque illa sudoris ὑπάρχοντα κρίσιμα, verè sunt κρίσιμα; proptereàque ἀνύσιμα. Nam cætera δύσμενα in sudore, hîc sunt ἀσύστατα. Δύσμενος est ille sudor qui fluit in nulla sperabili discessione, quod scribit Hippocrates, πυρετοῦ μὴ [illegible], nec facit vt æger alacriùs ferat morbum. Ergo sudor multus & calidus qui totam compaginem occupat die critico & iam sperabili antè crisi, solus est omnium qui febrem exoluit. Sudor huiusmodi, mulierem grauidam fœtus trimestris, decimoquarto reddidit febris expertem. De Abderita virgine scripsit præceptor, quod à sudore plurimo ad 27. diem oborto, vacationem habuit febris & surditatis, superstite tamen pedum dolore. Anaxionem sudor sanauit 34. febris die, qui septenarius est secundus à vigesimo, quo illi primùm sudor manauit, ac febrem dimisit in quam relapsus est vigesimoseptimo. Atque hæc de quaternariis criticis ante vigesimum, & septenariis post vigesimum, qui iudicandi vim suam per sudores ostentant. De vicenariis autem penes quos à quadragesimo ius criseon esse solet, solennis est illa Hippocratis obseruatio in Cleanactide, quem scribit octogesimo die sanatum fuisse, adiutum naturæ hisce præsidiis. *Octogesimo die riguit; febris acuta inuasit; multo sudore diffluxit, minxit hypostasin rubram lauem: iudicatus est perfectè.* Ergo tum demum criticus erit sudor, qui adfert finem febris, cùm eius ratio critica omnis erit in qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. Vt scilicet calidus multus die critico per totam compaginem profluat. Secus est ægris ab omni sudore in quo aliud desideratur eorum quæ posui ad faciendam crisin. Exempla sunt passim apud Hippocratem, tum in historiis, tum in aphorismis, quæ proferentur pòst, cùm ea ponentur quæ à sudore optimo iam explicato discedunt.

aph. 56. 4. hist. 13. 1. Epid. hist. 8. part. 3. 3. Epid.

Febrem exolvit.] Qui febrem sanat. Id enim tributum est verbo λύειν, vt in illo. Λύειν ἀποπληξίαν ἰσχυρὴν ἀδύνατον. i. *Sanare apoplexiam fortem non potis est.* Et verò nomen, λύσις, ab eo deductum; idem est quod sanatio, vt *Eius qui occupatur à causo, cùm rigor inciderit,* λύσις, i. *sanatio.* Ergo sudor optimus, die critico febrem exoluit; vel, vt præceptor loquitur in prognosticis, παντελῶς [illegible], i. *perfectè, siue in totum febrem excludit.* Est autem sanatio, ἡ τῶν [illegible] ἐπανόρθωσις, i. *eorum quæ sunt egressa è norma naturæ, redintegratio,* quæ à sudore critico comparatur, postquam sunt edita signa pepasmi, & nuper cœptæ redintegrari naturæ. Alioqui frustra cietur sudor, cùm manet egressio visceris in sua phlogosi, aut venenata qualitas crudi humoris morbifici. Quod annotauit Galenus in Larissæa virgine, quæ triplici vacuatione oborta de improuiso, ad triplicem focum repletionis, curationem recepit morbi grauissimi, nati ex eo quòd menstrua detinerentur tam intus in locis cohibita, quàm in maioribus venis collecta, & sursum ad caput transmissa. Ex quibus secuta est liberalis vacuatio menstruorum, sudoris, & hæmorrhagiæ, vnde conualuit sine relapsu. Quod non fecisset profectò, si aliqua inflammatio, vel humoris maligna cacochymia, & venenata qualitas resedisset. Ergo sudor criticus, in quo nihil deest, febrē exoluit, & per ἐπανόρθωσιν, suum naturæ instituit κατόρθωμα, quo ipsa deducitur ad conseruationem sui, sine molestia, fruitúrque omnibus commodis quibus vita hominum sustentatur. Tali sudore homines solent παντελῶς κρίνεσθαι, i. *iudicari perfectè* in morbis acutis, nulla superstite morbi materia, nec empyreumate. Est igitur optimus ille sudor qui febrem exoluit, atque tot commodis beat ægrotum.

aph. 58. 4.

Vtilis autem.] i. Qui multum habet vtilitatis, valétque ad ægri dulcedinem. Atque hic sudor vocatur à præceptore ἀγαθὸς, i. *bonus,* qui bene fit atque apparet, non tamen omni ex parte, nec absolutè, vt prior qui hunc sanandi virtute præcedit. Subiungit enim

Qui adfert levationem ægro] Ac si diceret. Est quidem optimus ille sudor qui febrem exoluit: sed tamen hic etiam bonitatis laude non caret, qui leuat ægrotum. Qualis autem sit illa leuatio, tum sudor ipse qui leuat, sic in prognosticis aperit Ἀγαθὸς δὲ ὁ δι' ὅλου τοῦ σώματος γενόμενος, ἀποδείξας τὸν ἄνθρωπον εὐπετέστερον φέροντα τὸ νόσημα. i. *Bonus autem & ille qui toto effusus corpore, planè ostendit ægrum alacriùs ferre morbum.* Atque hic sudor tantùm est commendabilis quantitate, copia, & excernendi modo. Nam die critico non effluxit. Quæ diei ratio præter cæteras, imprimis necessaria est ad faciēdam crisin. Huiusmodi multa sunt genera excretionum leuantium, quæ cernuntur in hæmorrhagia, deiectione,

vomitu, & vrinis: ex quibus morborum symptomata minuuntur, & ægris alacritas comparatur. Omnia autem duce natura suscipiuntur & absoluuntur; proptereáque dicuntur κτ᾽ ἀφ᾽ ἑαυτῶν: alioqui non esset fida, sed insidiosa leuatio.

VERVM QVI EST FRIGIDVS] Hæc prima defectio est sudoris à bono & optimo, à quo longissimè abest omnium: proptereáque pessimis ægri rebus, & signo, & causa. Signo quidem: quoniam excrementum in habitu corporis frigidum, contra naturam est febris acutæ, cuius insigni æstu par erat totam compaginem corporis & humores incanduisse. Ex quo apparet, viscera conflagrare, aut lipyriam febrem subesse eum habitu alsio, de quo exprimitur sudor hic frigidus, à paupertate caloris viuifici, quo partium solidarum viuacitas defraudata, excrementis fœta est frigidis, qualia in sudore exudant. Hæc ita sunt in acutis febribus quæ tamen simpliciter non sunt acutæ, vt illæ quarum prægrandis æstus toto æqualiter corpore est diffusus: atque hac vnica ratione differunt ab ardentibus & lipyriis, quæ inter acutas eximiæ sunt inæqualitate ardoris. Sed tamen quemadmodum in causo & aliis peracutis, per tempestatem pestiferam, regnabant symptomata obliuionis atque soporis, febrium quidem illatum ardori minimè conuenientia, sed consentanea cataphoricæ tempestati austrinæ sic & hoc loco sudor frigidus esse potest, non quidem merito febrium acutarum quarum incendio cita caloris natiui extinctio esse solet: sed cruditatis vitio, cuius nimia abundantia priùs vim experitur ardoris febrilis in effluentia, quàm mutationem habuerit sui frigoris in calorem Quæ res adduxit Hippocratem, vt eum sudorem κάκιστον, i. pessimum iudicarit; quòd scilicet bonorum signorum accessione, à mortis periculo, quod ipse ostendit, abduci non possit, cuius funestum indicium clariùs multò expressit his verbis. Ὁ ψυχρὸς ἱδρὼς σὺν ὀξεῖ πυρετῷ γινόμενος, θάνατον σημαίνει, i. *Sudor frigidus in febre acuta, mortem subesse testatur.* Est autem febris acuta, vnde cietur hic sudor, causa & signo mortifera Ac signo quidem: quia ostendit tantam humorum copiam frigidorum; vt à febrili ardore mutari non possint; ac priùs moriendum sit ægro, quàm incaluerint, præsertim cùm cita mors veniat, vbi cùm tanta copia cruditatis, dominatu febris acutæ vires franguntur, omniáque naturæ præsidia collabuntur. Sudoris huiusmodi, cæterarúmque causarum signa funesta leguntur in quadam puerpera, quæ cùm à partu molesto pérque difficili, in febrem grauissimam incidisset, atque die secundo febris sudasset in capite ac circum pauco & frigido; & cùm ad septimum ventum esset, toto corpore sudor manasset frigidus, decimoquarto interiit: celeriùs interitura, nisi beneficio ætatis annorum septemdecim, ad illum vsque diem spiritum produxisset. Verùm sudoris frigidi à cruditate orti conditio est secus ab ea quam modò exposui cum scilicet nactus est febrem, assiduam quidem illam, sed tamen remissiunis participem; nec vehementia & celeritate acutam. nec viscerum inflammatione ardentem; nec lipyriam, ventriculi erysipelate. Hanc febrem Hippocrates nominat ἀσθενέστερον πυρετὸν, comparatione acutæ quam priùs posuerat signo & causa frigidi sudoris funesti. Eandem simpliciter vocat βληχρὸν, quam rectè Galenus interpretatur χλιαρόν. Ergo sudor frigidus, cum tepida febre ac miti, ad morbi apparet longinquitatem, vbi sperabilis est vitæ salus, si vires ægri sint validæ, cum securitate, ac sine vllo infirmitatis metu. Nam vbi sunt vires infirmæ, non est in tuto æger, ne à mitissima quidem febre. Ratio autem longioris morbi, & vitæ sperabilis in sudore frigido cùm febris est mitior; spes est pepasmi, ope caloris natiui, atque adeo ipsius naturæ per solidas partes diffusæ, quæque ipsarum virtus est singularis. Hęc autem plus valet mitificando crudum humorem, quàm febris posita, infringendo naturæ præsidia, & absumendo calorem natiuum. Sed tamen vt læta victoria caloris natiui, periculum mortis præcedit à febre: sic difficultas pepasmi, ob copiam & contumaciam crudi humoris, facit vt morbus trahatur in vetustatem. Atque hæc, de sudoris frigidi qualitate, prognostica in febre vtraque. Nam alia quoq; huius occurrit consideratio, vbi parte aliqua tantùm exudat. Est auté sic posita.

AC SOLVM CIRCA CAPVT ET COLLVM EXVDAT] Enimuero sudor frigidus iam qualitate prauus, multum adiicit prauitati ac maleficio, excretionis modo & loco. Loco quidem; si tantùm in capite & collo exudet: modo autem; si exitu pigro velut miliaris exudet. Est quidem sudor frigidus. febris acutæ aut mitis, toto diffusæ corpore; proptereáque sudorem illum cientis per totam compaginem, qui quorsum appareat, satis supérque diximus. Hic autem sudor est frigidus, qui numeros omnes absoluit τῶν ἱδρωτίων, i. *sudatiunculæ*, omni ex parte pessimæ, & cuius vitio nihil posse adiici videatur. Nam talis sudor enascitur ἀπὸ τῆς ἐκλύσεως τῶν μορίων, καὶ νεκρώσεως τῆς ἐμφύτου θερμασίας, i. *exoluta partium ipsarum virtute, & emortuo calore natiuo*, vnde apparet tum impotentia continendi & apponendi succum alibilem; tum verò ipsius refrigeratio. Itaque talis sudor, authore Galeno, non venturam solùm, vt calida sudatiuncula partibus illis oborta; sed incipientem iam syncopen planè ostendunt. Et verò sudor omnis qui tantùm occupat caput & collum, tametsi non frigidus, semper in malis ducitur, & ad syncopẽ mox adfuturã apparet. Nota est illa prognosis prima omnium huius operis. *Qui à rigore perfrixerint, capítque & colli doluerint, hi voce capti, oborta sudatiuncula, vt se collegerint, moriuntur.* Pertinet quoque hic locus ad eum sudorem thoracis, cùm empyema subest. Tum ad lumborum sudatiunculam, de qua illud præceptum. *Crebri ex lumbis horrores, cum cita caloris vicissitudine, vt difficulter feruntur: ita denunciant vrinæ suppressionem. Ac tum pestifera est sudatiuncula.* Ne longum faciam; vbi est ephidrosis, ibi & morbus Galenus author est; ideò fieri, quòd vel oppressæ sint partes humore morbifico, vel exolutæ sua vi retentrice: proptereáque nullam ephidrosin posse videri criticam, sed toto genere symptomaticam. Vt igitur excretionis loco, sudor est bonus aut malus, in simili qualitate (nam frigidus nunquam est bonus:) sic modo excretionis, boni aut mali sudoris distinctio esse solet. Sic enim iudicium est præceptoris. Οἱ κεγχροειδέες καὶ μοῦνοι περὶ τὸν τράχηλον γινόμενοι πονηροί· οἱ δὲ μετὰ σταλαγμῶν καὶ ἀτμιζόμενοι ἀγαθοί. i. *Miliares ac solùm circa collum, pestiferi. qui autem cum stillis vaporant, boni.* Quod sequitur de sudore, qui vt symptoma,

aph. 37. 4.

aph. 38. 4.

AD DIVTVRNITATEM VEL AD PERICVLVM VITÆ APPARET] Ratio est omnis adducta cur ita sit: vt longiori disputationi nullus restare locus videatur.

2 Ἱδρὼς δὲ ψυχρὸς, ἐν ὀξεῖ μὲν πυρετῷ θανάσιμος· ἐν πρηυτέρῳ δὲ χρόνιον σημαίνει.

Sudor autem frigidus in acuta quidem ; lethalis: in tepida autem morbi est diuturni. 10

HVIVS prognoseos τὸ ὅτι καὶ τὸ διότι modo iam vidimus.

3 Ἱδρὼς ἅμα πυρετῷ γινόμενος ἐν ὀξεῖ· φλαῦρον.

Qui vnà cum febre incidit sudor, si est acuta; pestiferus.

2. Epid. part 2. VETVS illud scitum est de criticis rebus morborum. τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐκφαίνεσθαι, i. *Quæ sunt morborum critica, siue sit crisis ipsorum, siue signa eò spectantia; ne statim appareant.* Omnia enim critica, ibi sunt ἄκριτα, vbi non sunt eiusmodi qualia solent esse in crisi. At nulla quæ fiunt, quæque apparent; eiusmodi esse possunt, vt spectent ad crisin, sicut aliàs spectare solent; quando natura morbificis causis opprimitur, estque humorum cruditas. Atque vt paucis dicam de signis quæ solent spectare ad crisin, si non sint eiusmodi. Quæ signa sunt hæmorrhagiæ loco edita, si αὐτίκα apparent: ita sunt dyscrita, vt phrenitidem ipsam mox adfuturam denuncient. Nam quod ad causas attinet; sufficiet sudor hîc positus qui speciem præ se fert criticam: sed acrisiam post se relinquit, quæ dyscrisiam infert, aut certè ad vetustatem morbum adducit. Quòd si quis obiiciat; quædam existere κρίσιμα, vnde cita est crisis cùm citò apparent, vt πτύαλα in pleuritide; sciat is velim, hæc locum habere vbi systrophica est viscerum inflammatio: sicut in tunica costis intexta, vbi mortifera vis est, nisi dolorifica mala exitum citò habeant liberalem & liberum. Est enim multò melius, rheuma ὁρμώμενον citò exire, quàm nobilissimæ partis 30 quò fertur, systrophicam & lethalem, aut certè cum spe angusta, inflammationem mouere. Secus est in morbis acutis, vt febribus quæ celeriter, continenter, & vehementer mouentur, quæ à motu, collectione, & putredine humoris morbifici ortum habent, nec sunt nobilium partium inflammatarum symptomaticæ: vnde vel ipso febris nomine excluduntur. Huiusmodi febres acutæ solo curantur pepasmo, quem edit naturæ redintegratio parta neoterismo; indéque humoris morbifici vacuatio, vnde, quemadmodum, & quando, eadem natura duce, oportet. Vetus est illud Hippocratis. ἄγειν ὅκου ἂν ῥέπῃ τὰ συμφέροντα χωρίων... οἱ πεπασμοὶ ἐκ τῶν χρόνων, i. *Ducendum quò & quà humorum inchoatio est: nisi quorum pepasmi temporibus comparantur.* Tum illud quod sequitur. Οἱ πεπασμοὶ ἔξω ἢ ἔσω ῥέποντες [illegible] i. *Pepasmi aut foras aut intrò cursum inflectunt, aut aliter quò & quà oportet*, videlicet ad abscessus. Atque illa præcepta pertinent ad artificem, cuius est artificium imitando naturam. Ergo vt redeam ad sudorem, & 40 scriptis ostendam quanti naturæ intersit, ipsum loco exire; sic ad examen adducam huius prognoseos quæ sic habet.

lib. περὶ χυμῶν.

QVI VNA CVM FEBRE INCIDIT SVDOR] i. Qui statim effluit febre oborta, & cuius nulla est alia πρόφασις, i. *præsidentia* quàm ineuntis febris, ac de improuiso cum febre occupat totum corpus. Quemadmodum autem & quorsum id fiat; planum faciet eius quod sequitur explicatio. Sequitur autem.

SI EST ACVTA] Quia scilicet tum vehementer mouetur, vnde sudor exprimitur veriùs quàm excluditur: quod tamen est naturæ omnia bene rectéque administrantis. Est autem talis ἔννοια præceptoris. Quoniam ineunte febre acuta, sudor exortus qui febris leuationem non adfert; opinionem facit, vel potius certam fidem eò venisse, vt τὴν ἀκμὴν τῆς φλογμονῆς, i. *summam ardoris vim* denunciaret po- 50 tiùs, quàm excretionem duce natura susceptam humoris morbifici; dubium non est quin signo & causa pestiferus esse videatur. Ac signo quidem: quia febris ardorem testatur, quæ circa initia debuit esse mitis: proptereáque illa celeritate ac vehementia citò mortifera. Vt causa autem: quoniam citò vires exoluit, & quia febris adiicit vehementiæ, ob efferam magis cacochymiam, & sanguinem planè syncerum, sui ieri expertem. Quòd si euenerit, vt simul cum tepida febre ac miti sudor erumpat; non ita erit, vt ille, pestiferus: quia symptoma est nimiæ abundantiæ crudi humoris non æstu incandescentis, proptereáque in spe adhuc fida pepasmi longioris est.

60

DE

DE VRINIS.

ΟΥΡΟΝ ἐν πυρετῷ λευκὴν ἔχον καὶ λείην ὑπόστασιν ἱδρυμένην, ταχεῖαν ἄφεσιν σημαίνει.

CAPIT. III.

1 *Vrina in febre quæ albam & leuem habet hypostasin atque constantem; citam illius dimißionem ostendit.*

In hoc capite signa sunt omnia quæ in vrinis cernuntur diagnostica, prognostica, critica; primùm quidem febrium, quarum illæ sunt propriæ [illegible], quatenus excrementa venarum vbi sunt febres: mox aliarum partium morbidarum, per quas feruntur, & vbi excipiuntur, videlicet renum, vesicæ, & aliarum etiam superarum, de quibus aut propriè communitérve apparent & fiunt. Itaque nullus feracior locus est ad informandum medicum super natura symptomatis, & crisibus febrium; quàm de vrinis. Nec verò vlla sunt epiphænomena renum, vreterum, vesicæ, quam de vrinis, aut per vrinas. Quinetiam nullum est morbi genus in superis partibus, de quo non aliqua significatio atque præsensio comparetur per ipsas vrinas, vel ex euentu. Sic lethargicorum periculo multum adiicitur, quando vrinæ redduntur inmemotibus, turbulentæ ac iumentorum similes. Sic aluum liberatam ostendit vrinæ cruditatis & impotentia mitificandi cibos, quam largior infert hæmorrhagia, sanguinisve detractio; cocta vrina, cui aquosa opponitur, liquidioris alui prænuncia atque comes. In tuto sunt omnes pleuritici, cùm liberali ac libera anacatharsi accedit bella vrinæ coloratio, qui aliter graui pleuritidis periculo non essent defuncti, ac liberè liberalitérque spuendo parum proficerent, si multa bile saturata aut inflammata esset vrina. Parotidas parum prodest in empyema mutari ac fistulari, quando vrinæ redduntur pepasmi expertes, vt in cuiusdam Syrici fullonis ancilla, Hippocrates annotauit. Ne plura consecter quæ sunt innumerabilia; vnus Galeni locus conficiet atque concludet quod demonstrare institui de vrinarum iudiciis, critque catholicum theorema omnium exemplorum quæ [illegible] huc aduocari possunt. Est autem sic expressum Galeni iudicium de vrinis. Περὶ οὔρων [illegible] i. *De vrinis semper illud meminisse iuuat, inspiciendas esse eas in omnibus etiam ventris, thoracis, pulmonum, neruorúmque morbis, vt quibus laudabiles videbuntur propensionem maximam afferant in partes salutis: at quibus malæ, valeant tum ad perniciem certo significandã.* Nam crises multorum morborum thoracis atque neruorum, vt peripneumoniæ & empyematis, paralyseωn item & conuulsionum, suscipiuntur & absoluuntur per vrinæ meatus. Ac de neruorum morbis qui per conuulsionem sunt in conspectu, solenne est illud Hippocratis. *Conuulsionem sanat exorta febris acuta, quæ priùs non fuit: quòd si priùs fuerit, exacerbata. Quinetiam prodest vrinam fluere albumineam.*

Progn. 62. l. 2.

1. Epid.

Hist 6. part. 1. 6. Epid.

Coac. 19. c. 14. li. 2.

Quæ cùm ita sint; magnum est nomen, magna species, magna quoque vis vrinarum. Ac certè tanta, vt verè videat esse dicturus atque appositè, quod in hanc sententiam scripsit Galenus. *Talis ac tanta vis quidem est earum quæ sunt in vrinis signorum per febres acutas, vt illis soli credatur.* Omnia autem signa quæ ab vrinis petuntur, suis quæque locis in earum examine proferentur. Hîc certè sufficiet vrinarum historiam recensere, tum in liquore ipsarum & iis quæ intrà sunt aspectabilia: tum verò in locis vbi gignuntur, vnde veniunt, quà feruntur, & vbi excipiuntur. Primùm scire licet id omnium vrinarum, cuiusmodi tandem fuerint esse commune; vt suam quæque ὕρησιν non antè absoluant, quàm ad vesicam peruenerint. Vetus est illud Hippocratis. τὸ συνίσταμενον οὖρον. i. *calculus in vesica*; & περὶ νεφροὺς, i. *in renibus* quorum virtute liquor è venis attrahitur κατ' ὁλκὴν, vel contrà eò cietur; aut sua sponte initus & concitatus, aut aliunde immissus. Itaque nomen vrinæ, quoniam eius liquor est multiplex; nihil aliud planè significat, quàm in vesica collectam colluuiem, ibi stagnantem, & inde meiendo emissam. Enimuero triplex est omnis vrinæ materia, vna quidem de eruditate rerum earum quæ assumuntur; altera de liquore seroso eorum qui sunt in venis humorum, tertia de humoribus atque corporibus quæ liquuntur. Atque hæc triplex consideratio in vrina, his verbis expressa est à præceptore. οὖρον ὁμόχροον βρώμασι καὶ πόμασι, καὶ οἷον εἴωθεν ἔον, καὶ ὅταν τι ὑγρὸν συντήκηται, i. *Vrina concolor cibo & potui, item qualis esse solet, item cùm humidi colliquatio est.* Quæ ratio est Hippocraticæ breuitatis ac sapientiæ: sed breuitatis illius fœcunditatem ac sapientiam quæ hic ponentur appositè, Hippocratis placita explicabunt.

6. Epid. part.

Ergo iam constat, opinor, quòd omnis vrina quæ in conspectu est; apparet huiusmodi aut illiusmodi, vt erat collecta & stagnans in vesica colluuies, vel potionis crudæ, vel seri humorum qui sunt in venis, vel humidorum etiam liquefactorum. Potiu cruda cernitur in vrina quæ est potioni concolor. Est autem eiusmodi, cùm id quod bibitur, nihil à se mutatum, suam absoluit τὴν οὔρησιν. Ac talis vrinæ colorratio est qualis erat eius quod potione quis assumpsit: vt si aquam biberit, vinúmve album, ac tenue; albam quoque reddat vrinam meiendo ac tenuem: sin autem crassum fuerit vinum ac nigrum quod haustum est, ipsa etiam crassior nigriórque appareat: quemadmodum item flauior, si vetus & fuluum sit vinum. Sed potionis à se nihil mutatæ, proptereáque crudæ, causa est coctionis prærepta occasio, vel impotentia ipsa coquendi ea quæ assumuntur in officina vtraque coctionis, i. in aluo & hepate. Præripitur autem occasio coctionis: vel quia potio est prorupta, & suo impetu concitata κατ' ὁρμὴν; vel eò

rapta priusquam mitificari cœperit. Nam liberalis potio vini albi Germanici, calce ac sulphure saporati: Leodiensium item aquarum siue Spadiensium, calcantho medicatarum; præcipitem facit vrinam [illegible] & ad vesicam transmittit concolorem potioni. Sed inexplebilis renum sitis, diabeten facit [illegible] qui fundit vrinam similem potioni, ac sanguinem omni suo sero exhaurit, ac nullus bibendi atque meiendi finis fit, donec ad vltima ventum sit. Effœta coquendi potentia in officina vtraque, concolores edit vrinas potioni & cibo, nisi colorentur à bile morbifica: tametsi neque [illegible], neque [illegible], ad exitum præcipitentur. Nam quæ sunt pellucidæ & aquosæ in morbis acutis; eò certè apparent, non quatenus potioni concolores, sed biliosæ tincturæ expertes; vel ob anadromen bilis in cerebrum; ad phrenitidem & hæmorrhagiam, vel ob deriuationem eius in aluum, ad dysenteriam.

Sequitur altera vrinæ collectio in vesica, de iis corporibus atque humidis quæ liquuntur. Nam de vrina ducta, non rapta è venis à renibus ad vesicam, quę sola omnium naturalem retinet œconomiam, ac sola omnium naturaliter est constituta, vltimus erit dicendi locus. Quemadmodum autem liquantur & transeant ad vesicam, vnde collecta meiendo redduntur; operæ precium fuerit declarare, testibus ex Hippocrate loco adductis. Primus hic erit: *Crebrò vrina redditur, cùm incaluerit multùm caput. Liquitur enim pituita in eo: liquefacta autem partim ad nares abit, partim etiam ad os ipsum, partim per venas confluit, quà ducitur ad pudendum: quò simulatque appulit tum meit is quem lacessit, eandemque molestiam experitur cuiusmodi esse solet à stranguria.* Testis est item locus Hippocratis de stranguriosa vrina, cuius materia toto prorupta corpore ad vesicam, multis restituit appetentiam pridem collapsam. Tum ille quo peris rhœam vrinæ biliosam, purulentam, & stranguriosam, simili diarrhϾ ac dysenteriæ adiungit; prorupto humore morbifico vel ad intestina, vel ad vesicam, sine vllo partium illarum vitio quæ vel vrinis vel deiectionibus sunt dicatæ. Nam de corporibus quæ liquuntur, & liquefacta, foras eduntur, tum per aluum, tum per vesicam; solennis commentarius præceptoris Galeni ad locum Hippocratis de maxilla luxata quæ inflammationes mouet lethales in musculis qui tempora continent, & inde in cerebro, vnde accenditur febris acuta. Sic autem Galeni iudicium est; quòd nouum non est in febribus peracutis bilem synceram nasci, quando & adeps, & caro tenera recens pressa liquitur ab iisdem, & vnà sanguis assatur. Ex quo efficitur, vt partium omnium febris ardore liquefactarum colorem exhibeat ipsum vrinæ colliquamentum. Nam si quid orobeum, aut aliquid simile crassioris farinæ redditur cum vrinis; id planè acceptum iecori tabescenti ferendum est: quemadmodum si quid carniforme apparet, vel si fundantur carunculæ cum vrinis; fundus ipsarum est in renibus qui exoluuntur: similiter vt laminea, item furfurea in crassis vrinis, vesicæ corruptionem scabiémque denunciant; sicut in tenui, furfurea sunt venarum scabie obsitarum. Sic pingues vrinæ sunt adipis colliquati. Sed tamen orobea quæ sunt eiusmodi magnitudine ac duritate, sunt argumenta carnium liquefactarum: sicut & eadem nigra, lienis.

lib. 2. περὶ νούσων.

2. Epid. part. 2. ibid.

lib. 2. [illegible]

Penè omiseram quod est grauissimum super vrinæ materia, & super crisi per eam suscepta & edita. Est autem notabilis illa sententia præceptoris quæ sic legitur in aphorismis. *Quibus inter aluum & septum transuersum collecta est pituita, doloremque infert acerbum, nec exitum habet per alterutrum ventrem; iis per venas ad vesicam conuersa, morbum exoluit.* Atque hæc de vrinis quarum origo est vel cruditatis ipsa rerum earum quæ assumuntur, vel humidi colliquatio, vel etiam quæ mixtione partium liquefactarum in vitio sunt. Omnes illæ quidem sunt è natura egressæ: sed inter eas multum interest ad ineundam prognosin, quo quæque euentu appareant. Nam purulentæ, pituitosæ & albumineæ non rarò sunt criticæ, vt iam attigimus. Quæ autem sunt conspurcatæ de partium ipsarum liquamine, vt hepatis, renum, lienis, & cæterarum, omnes ad vnum pro se quæque feruntur exitio ægrotantium. Quinetiam omnes concolores potioni, si nulla sit excusatio potionis proruptæ antequam mitificari cœperit, vt aquarum Spadensium: sed ostentatio raptæ illius à dipsaco renum; vel etiam ductæ à renibus bene valentibus effœta potentia mitificandi, pessimis ægri rebus veniunt in conspectum. Est enim leuior prærepta in nobis mitificandi occasio quam impotentia: si tantùm hic inexplebilem renum sitim exceperis, quæ potionem auidè rapiendo, ipsam in aluo & venis mitificari non sinit. Cætera autem quæ pertinent ad hunc locum, suis quæque locis ponentur.

Tertia restat vrina, cuius materia est liquor serosus eorum qui sunt in venis humorum. Sic enim video placuisse Galeno qui eam sic definiuit, ex doctrina Hippocratis. Καὶ μὴν [illegible] χυμῶν τὸ ὀρρὸν αὐτὸς ἡμᾶς ἐδίδαξεν. i. *Quòd vrina sit serum eorum qui sunt in venis humorum, nos ipse docuit.* Quæ ratio nomen dedit venæ vrinæ, quam veteres nominauerunt [illegible], vt annotauit Galenus ad locum illum Hippocratis. [illegible] Verba Galeni sunt hæc. [illegible] i. *Lingua indicat aut quale sit, [illegible] Sanè aut illud verè dictum & propriè, quod singulis diebus excernimus. i. vrinam; aut humorum serum. Vtraque ratio eòdem redit; linguam esse indicem humorum affectus, sicut & vrinas ipsas.* Hoc vnum genus vrinæ venit è bonis, vt cætera duo è malis. Hæc sola omnium venit [illegible], cætera verò [illegible]: proptereáque illa quidem [illegible]; hæc verò [illegible]. Nam illud Hippocratis, [illegible] pertinet [illegible] i. *ad consuetudinem naturaliter institutam.* Ac talis quidem vrina, de naturali est œconomia, quæ coquendo, distribuendo, & excernendo absoluitur: cùm scilicet bene constitutum est corpus; vnde consuetudo est meiendi naturaliter instituta. Nec verò si potionis & cibi excrementitia est talis vrina; iis calorario tribuenda: nisi quatenus potio cum humoribus qui à natura gignuntur mutata & colorata, differentias exhibet vrinarum; non eas quidem de qualitatibus potulentorum, aut corporum quæ liquuntur: sed de humorum ideis qui sunt Hippocrati τὰ συγγενέα; quòd simul de chylo, virtute sanguifica iecoris enascantur. Ergo serosus liquor humorum [illegible] in venis, dum in vrinam transit; in conspe–

conspectum adducit cuiusmodi sint eorum ideæ. Atque vt ille ὄρρος ideam ostendit humorum sic & τὸ οὖρον τοῦ ὀρροῦ. Vetus est illud; quòd [illegible], i. *affluentiam similem esse oportet subiectæ substantiæ*. Ex quibus efficitur, verum esse quod in hanc sententiam scripsit Galenus. *Vrina ostendit affectionem hepatis, renum, vesicæ, ipsorúmque vasorum sanguinem continentium: tum facultatis humorum procreatricis virtutem & infirmitatem.* Hîc penè dixerim, sunt hypocritæ homines qui se vrina certam scientiam profitentur grauiditatis quæ in conspectu non est: tum etiam sexus & partus futuri. Quæ ostentatio soboles ignorantiæ, fundamentum aliud nullum habet quàm aucupandi luci & inanis gloriæ cupiditatem. Est enim ratum illud quod à Galeno est positum in aphorismis, quòd scilicet ducta è venis vrina, pérque anfractus renum ad vesicam transmissa, & ibi collecta; si quid in ea sit præter naturam; tum necessariò venas, aut renes, aut vesicam ipsam malè habere denunciat. Secus est in prorupta quæ partium superarum affectiones ostendit; vt iam attigimus. Atqui prorupta nihil habet diagnosticum grauiditatis, aut sexus: neque prognosticum partus futuri. Sola quæ ducitur inoffenso cursu è venis, si quid de locis ostenderet; fortasse aliquam diagnosin atque prognosin muliebrium rerum adferret. Qualis earum est quibus menstrua detinentur intus cohibita, quorum tenuior quædam portio è locis in vesicam exudat; vnde redduntur vrinæ cruentæ. Sed ostentatio talis hypocritarum, superstitionis veneno fucata, contemptu potiùs digna esset, quàm mea reprehensione: nisi fautores haberet quosdam indoctos qui suam crudelitatem nugarum garrulitate vulgo suadent, quò aliquid esse videantur.

Vrina prorrh. 2.S.2.2.

Hactenus de vrinæ materia, déque illius ductu. Superest vt quorsum appareat, tum in liquoris substantia, qualitate, & copia, tum verò in iis quæ intrà sunt aspectabilia, ὑποστάσεις Græci vocant; hoc loco dicendum sit. Quæ omnia quoniam suas quæque habent prognoses; in earum examine dicentur verè & facili orationis stylo, per Dei gratiam.

Vrina.] Οὖρον: non illud quidem quod lingua denunciat, dum eo fucatur, sed illud [illegible] quod positum in sero humorum qui sunt in venis, non antè obtinet nomen vrinæ, quàm ad vesicam, renum ductu, transierit. Non enim prorupta hîc ponitur aut rapta vrina, & sic ad vesicam transmissa: sed illa solùm quæ naturaliter ducta est renum virtute. Ergo vrina, quæ οὖρον dicitur ἀπὸ τοῦ ὀρροῦ, i. *à sero* eorum qui sunt in venis humorum.

In febre.] Simpliciter & absolutè dicta, quæ ibi focum habet, vnde vrina ducitur, vel vbi fons est vrinæ, i. in venis; à motu, collectione, & corruptione humorum qui sunt in vitio ipsi per se, ac febrem accedunt quæ homines malè habet, [illegible], i. *sine insigni partis cuiusquam affectione*: cuiusmodi esse solet inflammatio, erysipelas, aut sæui doloris acerbitas. Nemo enim pleuriticum dixerit febre correptum & occupatum; sed potiùs, inflammatione systrophica tunicæ costis intextæ: tametsi pleuritidis symptomatica est ipsa febris. Ergo febres positæ in domicilio τοῦ ἐμφύτου, καὶ τοῦ συγγενοῦς, i. *caloris viuifici & humerum*, quod est in corde.

Galen. ad aph. 74. 4.

Quæ habet hypostasin albam et lævem.] i. In cuius liquore, fundo tenus residit quædam substantia excrementitia, cuius est puri analoga generatio, posita inter illud atque humores naturæ dicatos nutriendi causa: quòd scilicet quicquid de succo alibili virtutem naturæ effugit in sanguinis confectione, id in vrina residit. Est autem eiusmodi, neque à natura similiter mutatum vt sanguis: neque, similiter vt pus, in sui confectione particeps alicuius causæ contra naturam. Atque hæc summa descriptio est rerum earum quæ naturaliter sunt intra vrinam febricitantium, & ὑποστάσεις nominantur. Hominum enim qui bene valent, vt loquitur Aristoteles, τῇ φύσει καὶ τῇ ὑγιείᾳ, *natura & valetudinis cura*, nihil eiusmodi cernitur in vrina, quod vim naturæ effugerit. Sed rerum earum quæ intra vrinam sunt aspectabiles, ortæ ab iis quæ vim naturæ in confectione sanguinis effugerunt, nec sunt excrementa corporum quæ liquuntur, sanguinisve perusti; distinctio varia esse solet colore, substantia, quantitate, loco, & situ: ex quibus etiam varia prædicendi ratio comparatur. Nam corporum & humidorum quæ liquuntur aut peruruntur, ex quibus apparent τὰ ὑποστάσεις in vrinis; vt omnia toto genere praua sunt: sic prauitati multum suo quæque loco & situ adiiciunt. Est enim nubecula nigra & enæorema [illegible], peioribus ægri rebus, quam rerum earum hypostasis quæ in fundo residat. Sed illa non pertinent ad hunc locum, vbi agitur de vrina quæ ad securam & citam crisin apparet ex iis quæ ipsi bona insunt, & absunt mala. Omnia autem quæ insunt bona, cum exceptione malorum, his vocibus continentur. Quæ hypostasin habet lævem et albam. Est enim descriptio hypostaseos quæ parem ostentat salubritatem loco vbi residit, & situ atque materia. Nam illa demum hypostasis est fidæ salutis, quæ numeros omnes explet bonæ materiæ, loci, & situs. Ac primùm quidem, alba materia bonitatem succi ostendit qui vim effugit naturæ in sanguinis confectione, qui est pepasmi capax, & iam nunc particeps. Eadem quoque denunciat integritatem partium solidarum, similiter colorata vt illæ quæ sunt natura albæ; proptereáque fundunt naturaliter excrementa colore similia sobiectæ substantiæ; vt semen, pus, & hypostasim albam. Inter quæ tria nihil interest efficiendi virtute: sed tantùm materiæ ex qua gignuntur capacitate ad capiendam impressionem partium solidarum albarum. Nam seminis causa est πέψις: reliquorum autem πεπασμός. Semen autem est τῶν σπερμάτων: cætera verò τῶν ἀπόντων. Sed tamen pepasmi & pepseos, naturę vis eadem, est causa effectrix, diffusa per solidas partes albas, quæque illarum virtus existit. Ergo iam constat, quòd alba hypostasis, materiæ bonitatem, pepasmi capacem denunciat, vnaq; virtutem mitificandi, vnde albescit, positam in partibus solidis, quæ natura sunt albæ. Sed opportunitas loci quem occupat, i. vrinæ fundum; vt certum est argumentum caloris natiui, quo τὰ ὁμόφυλα congregantur, & suo quæque loco apparent: ita pepasmi perfectionem ostendit, cũ cruditatis vacuitate ac spiritus flatulenti: quo duce, τὰ ὑποστάσεις quæ sunt grauiora vrinis, in

Gal. ad finem li. 1. progn.

Idem Gal. ad prorrh. 1. l. 3. 1.

ctis volitant velut nubila. Tum lævitas hypostaseos, & ipsa æqualitas maximum signum exhibet situs imprimis expetendi, ex eo quòd magna vis lucet natiui caloris in suo subiecto naturaliter constituto, quod suo dominatu sic tenet, imperióque regit, vt nihil illius intactum relinquat, & in quamcunque partem æqualiter se insinuet. Secus est in æqualitate spuri spumantis optimatúmque deiectionum æqualium, quarum æqualitas non quidem virtute naturæ perficitur, sed vi caloris contra naturam. Vt igitur nihil melius æqualitate rerum naturaliter constitutarum: ita nihil peius ea quam ardor febrilis inuexit. Quæ cùm ita sint, planè efficitur; illam demum hypostasin, omnium præstantissimam esse; in cuius colore, loco, & situ perspicitur materiæ bonitas, partium solidarum integritas, & vis natiui caloris, τὸ ὁμαλὸν suo quæque loco ponentis, ac sese in omnes materiæ segregatæ partes æqualiter insinuantis. 10

Etiam constantem.] Græcè ἱδρυμένην: qua voce non significatur suo immota loco, i. fundo hypostasis vbi residit, sed assiduitas residendi exactú ad morbú, in quo talis apparet: quemadmodum apertissimè planissiméq. indicant verba Hippocratis in prognostico super hac re conscripta. Παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἐς ἂν κριθῇ ἡ νόσος. i. toto morbi tempore, donec is fuerit iudicatus. Atq. hæc significatio ἱδρυμένης eò legitur in illa prognosi. Γλῶσσα τρομώδης σημεῖον οὐχ ἱδρυμένης γνώμης. i. Lingua tremula signum est non solidæ mentis, sed inconstantis, quæque diu non est apud se. Ergo descripta hypostasis quæ talem perpetuò non edit ideã, parum habet securitatis, ac semper longioris est morbi. Sic enim iudicium est præceptoris cum ait, Εἰ δὲ διαλείποι καὶ ποτὲ μὲν καθαρὸν οὐρέοι, ποτὲ δ' ὑφίσταιτο τὸ λευκόν τε καὶ λεῖον, χρονιωτέρη τε γίνεται ἡ νόσος, καὶ ἧσσον ἀσφαλής. i. Sin quandoque deficiat, ac nonnunquam pura sit vrina, nonnunquam quid album subsideat & læue; longior hic erit morbus minúsque tutus. Et verò quæ hîc catholica sunt in febribus theoremata; particulatim leguntur ad malas tumorum crises qui assurgunt sub auribus, & parotides nominantur. Sic enim supra iam legimus & ad examen adduximus. Οὖρα τοῖσι παρ' ὦτα ταχὺ καὶ ἐπ' ὀλίγον πεπαινόμενα, φλαῦρα. i. Vrinæ in parotidibus citò & paulisper contocta, mali sunt ominis. Nam coctionis & cruditatis vicissitudo, parem naturæ & morbi arguit dominatum: ac certè huius maiorem, qui vires acquirit eundo, ac tandem naturæ præsidia labefactat. Hæc autem vicissitudo cruditatis, partim est contumacia materiæ, partim fatiscentis naturę. 20

Citam illius dimissionem ostendit.] Quia vbi regnat virtus naturæ, cita exclusio esse solet causæ morbificæ. Atqui regnantis naturæ ac mitescentis morbi firmissimum illud adferri potest, quod in proprio excremento, i. vrina, pepasmi appareant: quorum significatio est citæ crisis quæ salutem suscepit. Notum est illud Hippocratis. Πεπασμοί, ταχυτῆτα κρίσιος, καὶ ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσι. Nec solùm virtus pepasmi, ad certam crisin atq; securam febrium est in vrina: sed etiam in abscessuum empyemate, vt annotauit præceptor his verbis. Πᾶν τὸ ἐκπυΐον οὐκ ἐπιστρέφει· ἑωυτοῦ γὰρ πεπασμός ἐστι, καὶ κρίσις ἅμα, καὶ ἀπόστασις. i. Omne quod suppurat, metuit reuerti. Ipse namque pepasmus est crisis & abscessus simul. Igitur in pepasmo constanti, vis est naturæ, libertas meatuum, & causæ morbificæ mitificatio, quæ tria sunt ad citam crisin necessaria. Testis est illa sententia præceptoris. Οἷσιν ἑβδομαίοισι κρίσις, τουτέοισι νεφέλην ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρήν, &c. i. Quibus septimo die crisis venit; illis sub quartum, in vrina nubecula fuit rubra. Nam de secura crisi, certissima securitas est, quòd in descripta vrina significatio est fracti morbi, & triumphantis naturæ: vnde cita salus ac certa vitæ ostenditur. Et qui cum vrinæ constanti pepasmo; a febre obierit suum diem, Hippocrates vidit neminem. 30

prorrh. 20. l. 1. 1.
lib. 2. progn.
Coac. 7. c. 4 lib. 2. & l. 3. 1. prorrh.
aph. 71. 4.

2 Ταχεῖαν δὲ καὶ τὸ ἐξ ἀκρίτου λίπος ἴσχον πεξυδατούμενον. 40

Ac etiam quoque dimißionem febris ostendit vrina quæ ex confusa, quippiam pingue ostentans, aquescit.

Iam constat opinor quòd nihil æquè est criticum, nec æquè certam ac citam dimissionem febris ostendit, atque pepasmus, quem læuis & alba ostentat hypostasis in colorata bellè vrina. Hic certè fidissima spes est secundi iudicij atque salutis propinquæ, iuxta vetus prouerbium quo dici solet, εὔσκοπον quò qui intendit, nunquam aberrat. Sed vt victricis naturæ signa sunt in vrina primùm descripta, quæ cæterarum est omnium veluti canon quidam ac regula, de more Hippocratis cuius ea fuit consuetudo sic exordiri ab eo quod ille vocat τὸ ἄριστον: ita secundo loco hic posita est vrina decertantis adhuc naturæ, viámque ad lætam victoriam sedulò affectantis. Est autem sic posita. 50

Ac citam quoque dimissionem febris ostendit vrina.] Non quidem duce pepasmo, sed cita excretione humoris morbifici qui per vrinæ ductus cursum inflectit, ac liberaliter exitum foras habet: cùm antea paucæ, grumosæ, & crassæ essent vrinæ. Nota est illa sententia Hippocratis. Πεπασμοὺς τῶν ἀπιόντων πάντας σκοπεῖν ἐπικαίρους, ἢ καλὰς καὶ κρισίμους ἀποστάσιας σκοπεῖν. i. Pepasmos omnes abeuntium omnium opportunos, bellósque & criticos abscessus conspicere conuenit. Non enim morborum quorumlibet sunt pepasmi: sed eorum imprimis qui expertes orgasmi, symptomata inferunt partium obsessarum, & humoris morbifici propria. Scitum est illud præceptoris. Ἄγειν ἃ ῥέπει διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων, πλὴν ὧν οἱ πεπασμοὶ ἐν τῷ χρόνῳ. i. Ducendi humores quò illi per commoda loca cursum inflectunt, nisi quorum per tempora sunt pepasmi. Ac fuit illa tẽpestas ab authore posita in Epidemiis, ex qua humores morbifici qui tum regnabant, quacunque & quotiescunq; liberum & liberalem exitum inuenirent; dimissionem morborũ adferebant. Atq. inter cætera excretionum genera memorantur aquosæ vrinę multę, ac tenues atque puræ: cuiusmodi etiam quid de confusis & crassis hoc loco ponitur. Nec verò finem solùm 60

2. Epid. part. 2.
lib. de humorib.
1. Epid. part. 3.

adferebant

adferebant morborum qui homines occupabant: sed etiam illos periculis liberabant quos inclinatio morbi periculosè habebat. Nam de mortiferis icteris sexto die obortis, annotauit præceptor; quòd eorum periculis illi demum icterici sunt defuncti, quibus purgatio incidit per vesicam, aut perturbatio alui. Cæteris autem qui eo beneficio non sunt adiuti, vt quidam Phanagareon, fuere mortiferi atque funesti.

Qvæ ex confvsa] Non ea quidem quæ apparet huiusmodi, perturbato ipsius liquore à flatulento spiritu & febrili ardore, quam [illegible] Hippocrates nominauit, *i. perturbatam, confusam, similem iumentorum, quæ diu deposita, nunquam residit, neque clarescit.* Sed ea quæ prima omnium ad examen adducta est lib. 4. aphorismorum, quam vocat præceptor [illegible] *i. vrinam crassam, grumosam, & paucam.* Nam ex vrina confusa & perturbata similiter

10 vt iumentorum, sperabilis esse nequit cita febris dimissio, de qua illud iudicium fuit Galeni; quod in virtute virium, diuturni est morbi, cum infirmitate, mox adfuturæ mortis: vt in Dromeadæ vxore quæ obiit suum diem sexto ipsius morbi, & ante obitum tentata est conuulsionibus à capite. Et verò cum tali vrinis cephalalgiam adesse vel adfuturam testatur Hippocrates, & præter eam conuulsiones venisse à capite Polyphanto. — hist. 11. 1. Epid. — 7. Epid.

Qvippiam pingve habens, aqvescit.] Bene fit quidem, cùm vrina crassa, grumosa, & pauca, mutatur in tenuem, claram & multam, quod est aquescere: vnde significatur naturæ vis, libertas meatuum, & contumacis materiæ mitificatio, ex quibus veniunt crises optatæ. Sed quod adiicitur, [illegible] *i. quippiam pingue habens* planè aberrat à scopo ad quem prognoseos author intendit, nempe ad citam dimissionem febris. Non enim quod pingue est in vrina, discessionem febris ostendit, sed vitæ

20 ipsius. Nam pingue illud, est corporis liquefacti à febre tabifica: quemadmodum annotauit præceptor in illo prognostico, [illegible]. Vt certè quod hic scribitur, [illegible], videatur eò referri, quò illud prognostici, [illegible], atque nubeculam tenuem indicare supernatantem vrinæ: similiter vt araneæ subtilissima tela, vel pingue illud quod in carnium iusculis [illegible] nominatur. Quod si est verum; profectò ironica est prognosis in verbo [illegible] & superiori contraria, in hoc sensu, quemadmodum priùs descripta vrina, citam dimissionem febris ostendit: ita hæc citam dimissionem vitæ. Ac breuiarij quidem huius occasio esse potuit historia Dromeadei vxoris, de qua sic legitur apud Hippocratem in Epidemiis, [illegible] *i. Secundo die vrinæ crassæ, albæ, turbatæ, cuiusmodi illæ sunt quæ cùm subsederint, agitata ac diu depositæ, ampliùs non resident.* — hist. 11. 1. Epid.

30 Tum illud adiecit. [illegible] *i. Tertio vrinæ similiter vt secundo turbata.* Et paulò pòst. [illegible] *i. Quarto vrinæ pauca, tenues oleosa.* Vbi non est dubium quin vrinis tenuibus apposuerit [illegible], pro pingui quod in vrina cernitur: similiter vt [illegible] in iusculis carnium.

3 Τὸ δὲ ὑπέρυθρον, καὶ τὴν ὑπόστασιν ἔχον ὑπέρυθρόν τε καὶ λείην ἄρξ μὲν τῆς ἑβδόμης γινόμενον, ἑβδομαῖον ἀπολύει. μετὰ δὲ τὴν ἑβδόμην, χρονιώτερον, ἢ πάντως χρόνιον.

40 *Quæ autem subrubra est, habétque subrubram hypostasin atque leuem; si quidem ante septimum diem fuit huiusmodi; septimanam febrem exoluit: sin autem seriùs; longiorem, vel omnino longam.*

Vt certa & cita est crisis ad ægri salutem, quam colorata bellè vrina denunciat, habétque hypostasin albam & leuem: sic in subrubra, cum pari coniuncta hypostasi, multum est quidem securitatis; sed tamen vt ea celeriùs seriúsve apparet: sic breuioris aut longioris est morbi. Nam propria febrium

50 [illegible], cuiusmodi sunt vrinæ, quæ citò sunt bona; citam quoque ipsarum dimissionem ostendunt. Nec solùm in propriis febrium excrementis id locum habet: verumetiam in qualitate partium, quando earum redintegratio est de sua è naturali norma egressione, quam morbus intulerat. Sic. *Oculorum nitor, eorúmque alba nitentia ex nigris aut liuidis salutarem crisin denunciant. Et quò celeriùs pura redduntur, eò citiorem crisin ostendunt: quò autem seriùs, tardiorem.* Sic. *Lingua ad medianam lineam delibuta velut alba saliua; febris dimissionem denunciat: idque eodem die si quod superinducitur crassius est: sin autem tenuius, postridie: quod si etiam tenue adhuc magis, perendie.* Quemadmodú autem vrinæ subrubræ cum pari coniunctæ hypostasi, argumenta ducantur, primùm quidem securitatis, mox breuioris aut longioris morbi: sic ad iudicium ipsam prognosin, quam ea de re author hîc posuit, deducemus. — Coac. 1. c. 6. lib. 2. — Coac. 2. cap. 7. eiusd. lib. 2.

Qvæ avtem svarvbra est.] i. Vrina quæ modicè rubet, de sanguinis non accuratè con-

60 fecti copiosiore sero, vel etiam de bile ipsa, quæ qualitate est mitis, non effeta, nec syncera: sed modica, tum quantitate pauca. Ac sanè coloratio huius vrinæ, procul ab illa est quæ saturatam exhibet multa bile; vel etiam multùm rubet inflammatione seri acerrimi biliosi, incendio conflagrantis in hepatite, cæterísque venis hæmorrhoidibus, quæ sunt inter axillas & ipsos bubones, vbi est focus ardentium febrium. Ergo subrubra vrina, quæ est huiusmodi ducta è venis vbi serum abundat sanguinis redundátis, nec dum perfectè confecti: vel cuius coloratio est a bile pauca, quæ domita feritate mansuescit in venis

HABETQVE SVBRVBRAM HYPOSTASIN ATQVE LÆVEM.] Cuius materia illud est quod vim effugit naturæ in sanguinis confectione: non de corporibus quæ liquantur, vt hepatis, renum, lienis; quod læuitas ipsa declarat, & fundum matulæ vbi residit. Quæ duo sunt à calore natiuo & partium solidarum virtute: quorum auspicijs veniunt pepasmi & crises. Ac certè quoties illa in promptu sunt commoda mitificantis naturæ, & humoris mitificandi; planè efficitur quod subiungit.

SI QVIDEM ANTE SEPTIMVM DIEM FVIT HVIVSMODI.] Vel, vt idem clariùs in aphorismis, & ad prognosin magis appositè quàm de diebus indicibus inire oportet. *Si quidem quarto die talis appareat*: quoniam quarti diei prima laus est ad indicandum, iuxta illud Hippocratis. τῶν ἑπτὰ ὁ τεταρτος ἐπίδηλος. i. *Septenorum quartus est index*. Nam cæterorum à primo quaternatio indicia, non sunt criseos intra septimum expectandæ, i. cæteri quaternarij qui sunt à primo, quinque, intra vigesimum; non æquè certi sunt indices criseos affuturæ proximo die quarto ab illis, atque is qui numeratur primus in febris historia. Sic enim nota pepasmi, si primum secundo appareat quaternaria, i. die septimo; crisin venturam non antè promittit, quàm decimoquarto, non autem vndecimo, qui est quartus ab illo. Itaque dies quartus, indicandi virtute ad citam crisin pariter atque certam, cæteros omnes præcedit. Et verò si de subrubra nubecula posita in aphorismis, indicia comparantur crisis futuræ proximo die quarto, qui septimus erit totius historiæ; certior expectatio debet videri criseos die septimo affuturæ, quoties die quarto subrubra hypostasis cernitur in vrina pro nube sublimi. Est enim hypostasis, loco melior & fida magis ad expetendam crisin citò & certò venturam, quàm ipsa nubecula: quoniam, illa quidem, virtute caloris natiui residit in fundo; hæc autem, leuibus venti alis volitat in vrina. Quæ cùm ita sint, difficilis ratio certè non erit quamobrem vrina subrubra quæ habet subrubram hypostasin atque læuem.

SEPTIMANAM FEBREM EXOLVIT.] Quia in promptu sunt commoda quibus ad salutem cita & certa crisis, duce natura suscipitur atque absoluitur. Sunt autem, humoris mitificandi suauitas, & facilis circa initia redintegratio; tum proritatio ipsa naturę, quam infert morbi acuti celeritas, vehementia, & assiduitas. Nam fundamentum & ratio excretionis criticæ, qua id adimitur quod intus lædebat: tum ipsa corporis è natura egressi redintegratio comparatur in bonitate pepasmi, & erethismo naturæ consistit. Atque hæc duo quoties ex æquo certant inter se; dimissio quidem est morbi seriùs aut celeriùs, vt illa serò aut cito sunt in procinctu. Ergo si quarto die, i. prima periodo, signum fit, in pepasmo, victricis naturæ, secunda periodo, i. septimo die, per criticam ἔκκρισιν, dimissionem febris ostendit. Et quamvis vrina subrubra hic posita, non sit exacti pepasmi, vt ea quæ albam & læuem habet hypostasin: tamen hæc sufficit ad criticam excretionem, vbi est fortis naturæ contentio, nec irritam finit esse τὴν ὁρμὴν, quæ septimo die, i. secunda periodo ab indice prima suscipitur. Est enim tum maior naturæ vis & concitatio ad ea cienda & excludenda, quæ intus lædebant: tametsi non tam exactè mitificata sunt, quàm cæteris morbi temporibus, in perfecto pepasmo. Quæ ratio mouit Hippocratem, vt septimo crisin fore censuerit, quibus nubecula rubra est die quarto. Vbi Galenus author est; quòd in acutis morbis qui & celeriter, & vehementer, & continenter mouentur, bene res eunt ad crisin septimo die venturam, de colorata bellè vrina, vel etiam de rubra nubecula, si talis appareat quarto die. Quod certè in cæteris morbi temporibus minimè locum habet. Tum enim crisis perfecta esse non potest ab inchoato pepasmo. Nec solùm quarti diei epiphænomena σημεῖα, sperabilem septimo crisin denunciant, apparentque, vt dici solet, ad tempus: verumetiam speciem ipsam crisis ostendunt. Sic enim visum est præceptori, vbi sic ait. *Quibuscunque circa initia febrium, oborta sterni tatione, sanguinis stillanda sunt è naribus; si quidem quarto die vrina hypostasin habet albam, dimissionem morbi per hæmorrhagiam septimo fore ostendit.* Est igitur quarti diei magna vis ad indicandum: & inde septimi magnæ vires ad iudicandum, præ omnibus aliis qui sunt de numero criticorum dierum. Sequitur enim,

SIN AVTEM SERIVS, LONGIOREM VEL OMNINO LONGAM.] Nam si, exacto septimo, primùm esse cœperint ἐπιφαινόμενα febris infractæ; ipsa naturæ infractio, vix ὁρμὴν patem mouebit, qua se expediat causa omni morbifica. Est enim perceptum illud catholicum de iis omnibus quæ sunt cuiusq; morbi propria ἐπιφαινόμενα, vt quæ apparent circa initia [illegible], suum quæq. morbum abbrenient. quæ autem seriùs, ipsum ad diuturnitatem producant. Est autem perceptum id, seu theorema, positum in exemplo sputi pleuritici, de quo hæc verba leguntur apud Hippocratem. *Paroxysmos & statum, ipsi pro se quisque morbi denunciant.* Deinde subiungit. *Quinetiam epiphænomena, rerum earum notitia comparatur: vt in pleuriticis quæ statim circa initia sputa eduntur, sunt breuiorum morbi: quæ autem seriùs, longiorum.* Sed veritatem catholici theorematis ad hanc hypostasin de vrina subrubra, quatenus breuis morbi aut longi prænuncia esse solet, sic nos appositè accommodare videbimur, cùm persuasum fuerit eam vrinam circa initia, seri esse mitis natura, i. sanguinei, pòst autem illius quod priùs efferum, iam, domita feritate, mitescit. Ac seri quidem sanguinei, proptereáque mitis, vt certa & cita est vitæ securitas ab ineunte morbo, tum quia mitificatur ex facili, tum quia mouetur σὺν ἤθει; nihil autem facit ἀήθως, i. *contra natura consuetudinem*, cuius virtuti primis periodis facilè morem gerit: ita illius quod non antè mitescit quàm exacti fuerint septem dies, & cui domando natura periodos illas consumpsit; non æquè facilis concoctio est, nec facilis item exclusio. Et verò vt concedam, τὸ ἐπιφαινόμενον vrinæ subrubræ post septimum diem, duci de sero sanguinis crudioris; tametsi multum habet securitatis, quia tum est nimia eius, qui humorum est omnium vtilissimus, abundantia: tamen quia se tum humidius est atque tenuius, ob eamque causam pepasmi difficilis, qui non perficitur nisi cum tempore; propterea iure optimo talis vrina, seriùs exolutum iri morbum testatur quàm prior. Quò enim longiùs itur in cruditatis egressione, ac maior naturæ infractio est post irritas primas ὁρμὰς, eò tardior esse solet redintegratio & febris dimissio.

4 Τό τε ἐν τετάρτῃ λαβὸν ἐπινέφελον ὑπέρυθρον ἑβδομαῖον ἀπολύει, τῶν λοιπῶν κατὰ λόγον ἐχόντων.

Quinetiam si vrina nubeculam quarto die subrubram assumpserit; septimanam exoluit, si cætera conuenienter sint constituta.

10 EPIPHÆNOMENA febrium naturaliter constituta quæ in vrinis cernuntur, non solùm securitate salutis medicum consolantur: sed etiam fida spe ipsum recreant citæ crisis, cùm ea citò apparent prima periodo quarti diei. Est enim par & æqualis ratio causæ mouentis & eius quod mouetur, ad crisin breui venturam. Atque hæc superiore prognosi accuratè sunt disputata in subrubra hypostasi quæ cum vrina subrubra editur quarto die, ad crisin septimo die futuram. Vt nihil inter hanc & citimam huic prognosin aliud interueniat præter nubeculam, loco iam positæ hypostaseos: cui adiicitur obseruatio rerum omnium quæ primis periodis conuenienter naturæ apparent, aut secus ab ea, vnde vel expectatæ crisis impeditio, vel adiumentum. Quæ omnia cuiusmodi sint, & quorsum ab authore ponantur, sic aggredior ad docendum.

QVINETIAM] Quod est eiusmodi ac si diceret; non solùm de subrubra hypostasi edita quarto die,
20 argumenta petuntur crisis futuræ septimo: verumetiam.

SI VRINA NVBECVLAM QVARTO DIE SVBRVBRAM ASSVMPSERIT] Tametsi nubecula iudicandi potentia cedat hypostasi: quia huius firmiora sunt argumenta de virtute caloris ipsam deponentis in fundum vrinæ, quàm illius quæ magisterio flatus volitat in vrina: tametsi vtriusque materia est æqualis, & plena securitatis, orta ex fonte humoris κατὰ φύσιν, proptereáque χρονιμωτάτου, i. *ad crisin maximè idonei.*

SEPTIMAM EXOLVIT] Quia tum sufficit ad crisin perfectam inchoata concoctio materiæ suauissimæ, faciléque domabilis, cum in procinctu est summa naturæ contentio ad coquendum & excernendum.

SI CÆTERA CONVENIENTER SINT CONSTITVTA] Quæ scilicet sunt, quæque apparent
30 ad crisin eo die sperabilem, omniáque sint ἐπιφαινόμενα eò spectantia in qualitate corporis, actionibus, & excrementis, vt nulla impeditio sit criseos feliciter ineundæ. Nam quæ initio bona sunt epiphænomena, sæpe mutantur in peius: tum inconstantia bonitatis, quæ suo statu firmiter bona hærent, sæpe vincuntur à malis. Ergo signorum omnium quæ cernuntur in qualitate corporis, in actionibus, & excrementis, ea conspiratio esse debet ad crisim prædictam, vt certò promitti possit quando ventura, & quid ex illa sit euenturum.

5 Τὸ δὲ λεπτὸν καὶ χολῶδες, καὶ μόλις σμικρὴν ἔχον ὑπόστασιν, καὶ τὸ μεταβάλλον ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ χεῖρον, χρόνιον. ἐπὶ πλεῖον δὲ τοῦ ἐπακολουθὸν,
40 ἢ περὶ κρίσιν χρονίων γινομένων, οὐκ ἀκίνδυνον.

Tenuis autem & biliosa, ac ne vix quidem exiguam habens hypostasin, tum quæ in melius, modò in peius mutatur; longi est morbi. Sin autem hæc longiùs inuicem consequantur, & circa crisin tardiora sunt omnia; periculo certè non vacant.

50 TENVIS AVTEM] Cuius tenuitas proximè aquam contingit, à cruditate: non quidem prærepta occasione coquendi, vt in vrina de nimio potu prorupta; vel etiam rapta, vt in diabete: sed facultate coquendi collapsa; cuius, dum viget, officio modicè crassa redditur; nunquam autem crassescit eximiè, vt iumentorum vrina.

ET BILIOSA] Multa bile saturata. Nam τὸ χολῶδες, bilis est multum è naturali egressæ, quam febris genuit ἐκ τοῦ πίονος, i. *è pingui*: sicut de lingua dictum est, quæ virescit, quia χολώδης: τὸ δὲ χολῶδες, ἀπὸ πίονος. Est igitur biliosa vrina, non quidem μετρίως ὠχρὰ, qualis est naturaliter constituta, vt Galeno visum est, vbi hæc scripsit. τὸ κατὰ φύσιν οὖρον, μετρίως ἐστὶν ὠχρόν. Sed ea cuius tinctura & coloratio est de copiosa flaua, vel de syncera eximia: proptereáque exhibet fuluum colorem, quem in prognostico πυῤῥὸν
60 Hippocrates nominauit. Ergo vrina tenuis consistentia, & fulua colore quæ fit, authore Galeno, ὅταν ἤτοι πλεονάζῃ ἡ ξανθὴ χολὴ τοῦ δέοντος, ἢ ἄκρατος ἰσχυρῶς οὖσα συγκαταμιχθῇ τῷ οὔρῳ, i. *cùm bilis flaua nimia abundantia, vel ipsa syncera eximiè permixta est cum vrina.*

port. el 6. Epid. progn. 30. lib.

AC NE VIX QVIDEM EXIGVAM HABENS HYPOSTASIN] De nullis chyli reliquiis ab hæmatosi quæ vim naturæ effugerint, vel in hepate, vel in venis, quibus quidem nihil aut parum apponitur πρὸς τὴν αἱμάτωσιν, i. *ad sanguinis confectionem.* Est enim hypostasis, reliquarum materię sanguifi-

candæ, cùm inchoata est redintegratio, & febris mitescit: quemadmodum altera contra naturam de corporibus quæ liquuntur. Atque illa quidem, subrubra, vel alba est, quia itur ad crisin, de inchoato vel absoluto pepasmo, duce natura, cuius officium est ipsa concoctio, quæ cernitur; inchoata quidem, in vrina subrubra, & subrubra quoque hypostasi; perfecta verò & absoluta, τῆ ἀκρίτῳ, in colorata bellè vrina, crassa cum pari coniuncta hypostasi, videlicet alba & læui. At verò cruditatis aperta, miniméque obscura significatio est in tenui & biliosa vrina, quæ glutinosam vis habet hypostasin. Est enim tenuis, vacuitate pepasmi: biliosa, ob febris indomitam feritatem: vacua hypostaseos, etiam glutinosæ; quia de chylo nihil aut parùm apponitur πρὸς τὸν αἷμα τοῖς, quæ sola est vnicum naturæ perfugium quo se tuetur & pugnat cum morbo.

Tvm qvæ in melivs, modo in peivs mvtatvr] Cùm scilicet pari magisterio certant inter se natura & morbus, ac modò huius, modò illius dominatu res eunt: sed tamen vis maior est morbi qui vires acquirit eundo, ac tandem naturæ præsidia labefactat. Hæc autem mutatio melioris in peius, partim est contumacis materiæ, partim fatiscentis naturæ.

Longi est morbi] Cùm scilicet par est vicissitudo atque mutatio melioris in peius, & contra huius in melius, de pari certamine, paribúsque viribus naturæ & morbi: exemplo gladiatorum pariter dimicantium quorum virtute pari, diu victoria manet anceps.

Si avtem hæc longivs conseqvantvr] i. Si ægri res diutiùs eant ἐπὶ τῶν αὐτῶν, i. *ijsdem quæ dictæ sunt conditionibus.*

Et circa crisin tardiora sint omnia] Diuturna fit acrisia, de cruditate ac segniore natura: aut si crebrò fuerit irrita protitatio & erethismus ad crisin, nec fatiscente natura, nec mitescente morbo.

Pericvlo certe non vacant] Nam longa tempora & multi labores morbi infracti, tum colliquatio mala naturæ; abscessuum causæ sunt vel minorum quàm vt prodesse possint, vel etiam sæpe maiorum quàm vt perferri queant. Ipsa autem irrita protitatio in nulla spe crisis, nec indicata priùs; vt certè indicari non potest sine morbi infractione diebus indicibus, semper cietur ὑποτροπαί, non rarò etiam θανάτους.

6 Ὑδατῶδες ἢ καὶ λευκὸν διατελέον ἐν χρονίοισι δύσκριτον γίνεται, καὶ οὐκ ἀσφαλές.

Aquosa verò & alba exactum ad morbum, in vetustis quidem; difficilis est, nec secundi iudicij.

In hac vrina, cruditatis summa sunt omnia, non maleficio quidem morbi, sed infirmitate summa naturæ, vt propalam explicabitur hoc nostro examine.

aph. 72. 4.

Aqvosa vero et alba] i. Quæ aquam tenuitate & splendore contingit, ac nominatur alibi pellucida & aquosa, expers tincturæ biliosæ: cuius originem atque causam cur sit huiusmodi quoniam magni refert cognoscere ad prædicendum de morbis in quibus apparet, mea sic ratio est ad scopum authoris, quò mea omnis attentio esse debet. Igitur aquosa vrina & alba, quæ est huiusmodi ab initio morbi vetusti ad eum exactum (sic enim posuit noster præceptor) causam profectò ostendit, incredibilem cruditatem seri eorum qui sunt in venis humorum, collapsa virtute coquendi. Est enim sic ducta è venis: renum potentia secretrice; non eò prorupta, concolor vino albo, vel aquæ liberaliùs haustæ. Nec verò inexplebili renum siti ad eam explendam, illuc est rapta. Tum verò ex euentu sic esse non potest, sed ipsa per se, quia in morbo vetusto, & comparata sic eius historia; nihil est planè criticum vel symptomaticum, quod bilis tincturam deleat ex vrina. Sic enim præceptor posuit in hac prognosi.

Exactvm ad morbvm in vetvstis] Vbi tum nulla excusatio esse potest albæ vrinæ, ac tenuis & aquosæ, vel de translata bile ad cerebrum; vnde vel hæmorrhagia moueatur, vel ipsa phrenitis, quia febris vetusta est; nec vlla etiam de bile ad aluum delata, vnde futura sit dysenteria, ob febrem vetustam, & in vetustis. quoniam talis fluxit vrina exactum ad morbum. Nam in acutis morbis, saturata bile vrina, postquam pepasmo mitiuit, si ea repentè bilis coloratio deleatur, ac tum vrina sit aquosa & alba; iuuenibus quidem, hæmorrhagiam mox proruptum iri testatur; senioribus autem, dyssenteriam affuturam. Exempla sunt in Epidemiis, ac super his theoremata quæ sic leguntur. *Vrinæ fluebant tenues, aquosa, & pura post crisin, & multam hypostasin, cæteráque omnia bellè comparata ad crisin. Memorabo eos quibus hæc facta sunt. In iis erat Bion qui apud Silenum iacebat. Gratias apud Xenophanem: vxor Mnesistrati, &c.* Deinde subiunxit. *His per aluum facti sunt omnes dysenterici. An quia vrinas miserunt aquosas, id verò considerandum.* Vbi Galenus hæc verè posuit atque apposité. εἰκὸς γὰρ μὴ ὄντος ἐν τοῖς οὔροις ἐκκενουμένου τοῦ χολώδους ἐπὶ γαστέρα φέρεσθαι δυσεντερίας ἐργάτην, i. *Credibile est, cùm vrinis expurgatum non sit biliosum, dysenterias ab eo induci.* Nam hæmorrhagiæ similis ratio est in iuuenibus, quorum vrinæ similiter sunt constitutæ vt prædictorum: dissimili tamen bilis μεταστάσει segregatæ ab ipsis. His enim sursum μετάστασις esse solet: vt illis deorsum. De iuuenibus quidem, cùm iis anadrome biliosa non ciet hæmorrhagiam, sed contrà in cerebro mouet delirium, vbi subsistit, illud est positum à præceptore. *Oborta sunt plurimis hæmorrhagiæ, præsertim adolescentibus atque iuuenibus. Ac certè inter eos plurimi moriebantur, quibus non sanguis fluebat è naribus. Nam senioribus inclinatio erat bilis ad icterum, vel ad dysenteriam, vt Bioni qui apud Silenum iacebat.* Ergo vt tenuis & aquosa vrina ἐξ ἀρχῆς, non parum habet

cõment. 2. lib. 3. Epid.

securitatis:

securitatis: ita quæ sine pepasmo, de saturata bile facta est aquæ concolor; multum periculi subesse testatur à sæua phrenitide, vt annotauit præceptor hoc aphorismo. Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα λευκὰ πονηρά. μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται, i. *Omnibus vrina alba pellucida praua. Maximéque phreniticis tales apparent.* [aph. 72. 4.] Atque hæc de vrinis tenuibus & aquosis quæ apparent huiusmodi ἐν τοῖσι συμβεβηκόσιν in morbis acutis; quòd scilicet deposuerint bilis tincturam. Sed in vetustis morbis cùm tales incumunt ὠμότητος i. authore Galeno, δι' ὅλης τῆς νόσου μέχρι παντός, ad vltima veniunt cruditatis: vt in amplissimo Cardinale Biraguio, Franciæ Cancellario, qui octogesimo die morbi, & anno ætatis octogesimo, animam exhalauit, crebra exhaustus & liberali phlebotomia. [cōment. ad hist. 9. part. 3. Epid.]

DIFFICILIS EST EVOICII, NEC ITA SECVRE] Collapsis naturæ præsidiis, quibus homines morbo defuncti conualescunt. Est enim desperata salus, vbi sperabilis non est pepasmus.

7 Νεφέλαι δὲ ἐν οὔροισι, λευκαὶ μὲν καὶ κάτω λυσιτελέες· ἐρυθραὶ δὲ καὶ μέλαιναι, καὶ πελιδναὶ δύσκολοι.

At verò nebulæ in vrinis, albæ quidem & fundum versus; vtiles: rubræ autem, & nigræ, liuidæ item; difficiles.

DE VRINARVM liquore sinistri iudicij aut certè parum securi dictum est, primùm quidem in tenui & biliosa vrina, mox in aquosa & alba. Nunc vrinarum τὰ ἐφιστάμενα in hac prognosi ponuntur, quatenus illa bonis aut malis ægroti rebus apparent.

AT VERO] i. Iam loco dicendum περὶ τῶν ὑφισταμένων, i. *de iis quæ volitant intra vrinas, vel in earum fundo resident* segregata ab ipso liquore, postquam de illo iam dictum est. Nam vrinarum est omnis contemplatio circa liquorem, & ea quæ continentur intra liquorem. Sunt autem, sublimes nubeculæ, media enæoremata, & imæ hypostases: tametsi distinctio illa nominum sæpe confunditur apud Hippocratem, vt mutuò alia pro aliis vsurpentur: sicut in promptu erit videre & intelligere in hac prognosi, cuius hoc primum est ἐναιώρημα.

NEBVLÆ IN VRINIS] Quo nomine omnia continentur ὑφιστάμενα. Declarat illud, quòd nebulis author apposuit, κάτω, i. *fundum versus* Vt certè hic nebula suo velut ambitu complectatur τὸ ἐναιώρημα, καὶ τὴν ὑπόστασιν: quemadmodum in Epidemiis non rarò Hippocrates nominauit τὸ ἐναιώρημα [illegible], in Pythione: & idem [illegible] pro hypostasi quæ in fundo residit in historia de Philisco.

Ergo NEBVLÆ IN VRINIS] Quarum materia excrementum illud est quod vim effugit naturæ in sanguinis confectione, cùm incipit redintegrari iam mitescente morbo: sicut eodem sæuiente, colliquatio est humorum aut partium quæ liquuntur.

ALBÆ QVIDEM] Duce natura quæ sibi iam succum apponit, & partium solidarum integritate. Est enim excrementi coloratio ipsarum similis.

ET FVNDVM VERSVS] Virtute viuifici nectaris, cuius imperio τὰ ὁμογενῆ congregantur, καὶ τὰ ἑτερογενῆ segregantur.

VTILES] Quoniam inde significatio est mitescentis morbi, & cœptæ redintegrari naturæ; vt ex hoc signo salus vitæ ostendatur.

RVBRÆ AVTEM] Quæ sunt eiusmodi, à multa bile qua saturantur vrinæ, vel à corporibus quæ liquuntur.

ET NIGRÆ] Ab incendio quo sanguis conflagrat, & nigra fundit enæoremata, vnde phrenitidis & insaniæ argumentum sic positum in illo prorrhetico. Τὰ ἐπὶ ταραχώδεσιν ἀγρύπνοισιν, οὖρα ἄχροα, μέλανα ἐναιωρεύμενα, ἰδρῶτι φρενιτικά, i. *Quibus aluo fluente, vigilibus, vrinæ sunt nigro enæoremate præditæ, euadunt phrenitici.* [prorrh. 4. l. 2. 1.] Sed tamen vrinarum nigrarum, enæorematum quoque nigrorum, excusatio est de nullo earum maleficio quale hìc ponitur, si fortè mulier ægrotare cœperit à menstruorum suppressione: vt annotauit præceptor in quadam muliere Thasia multùm morosa, de cuius vrinis hæc scripta sunt. Οὖρα μέλανα λεπτά, ἐναιώρημα στρογγύλον οὐχ ἱδρύετο· περὶ δὲ κρίσιν γυναικεῖα πολλὰ ἐχώρησε, i. *Vrina nigra, tenues; enæorema rotundum non residebat: sub crisin autem muliebria multa foras emissa.* Vbi Galenus apposite sic locum Hippocratis enarrauit. *Vrinarum autem coloratio, quamuis nigra fuerit, nihil periculi secum attulit: quia tum aderat muliebrium melancholicorum suppressio, de quibus meritò illa mulier fuit morosa & mœsta: nonnunquam etiam delirauit, & è potestate mentis exiuit.*

LIVIDÆ ITEM] Soboles partium emortuarum, &c.

DIFFICILES] Vel potiùs funestæ.

8 Κινδυνώδες τῶν οὔρων ἐστὶ τὸ χολῶδες, καὶ μὴ ὑπέρυθρον· καὶ τὸ κριμνῶδες, λευκὰς ἔχον ὑποστάσιας. καὶ τὸ ποικίλον χροιῇ καὶ ὑποστάσει. καὶ μάλιστα τοῖσιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥευματιζομένοισι.

Periculosa inter vrinas quæ biliosa est nec subrubra; tum similis amylo, cum illa hypostasi. Quinetiam ea quæ & colore & hypostasi variegata est: idque potissimùm, quando è capite sunt rheumatismi.

IAI DAMVM vrina pessimis ægri rebus emittitur, vnde significatio est inualescentis atque immitis morbi, & partium corporis quæ liquuntur. Hæc ita esse denunciat quæ in hac prognosi est posita: vt planum faciet ac propalam explicabit analytica eius recensio quam sic aggredior.

PERICVLOSA INTER VRINAS] Non quidem periculo eximia præter cæteras: sed quæ inter alias metum adfert sinistri exitus atque ipsius exitij.

QVÆ BILIOSA EST] i. Quæ ex ardore nata τοῦ πίονος. i. *pinguis*, quod vnica est bilis materia, nihil aliud præ se fert, nec in conspectu habet quàm bilem synceram. Sic enim τὰ χολώδεα dici reperio quæ sunt vel ipsa bilis, vel saturata sunt multa bile: quales adducti sunt ἰκτεριώδεες χολοχόροι, *i. icterici multa bile fœdati.*

Ergo. BILIOSA VRINA] i. Quæ funditur de bilis regno in hepate & hepatite, ex ardore τοῦ πίονος vel in hepate, vel in venis. Ac talis vrina, periculi multum habet, nihil ante securitatis: quia est immitis morbi, τὸ ἐκμάλιον καὶ τὸ ἐκμαλοῦν corrumpentis. Nam bilem flauā nasci à febre acuta, similiter vt febris ipsa primùm à bile nata est; planè testatur illud solenne Galeni ad locum Hippocratis de bilis vomitu qui malè habet miseros à luxata maxilla. (lib. 2. περὶ ἀρθρων.) Sic autem Galeni iudicium est. *In febribus peracutis biliosa gigni syncera per corpus, mirum videri non debet: si quidem ab his febribus, tum adeps liquitur, tum caro tenera & recens coacta, tum sanguis ipse assatur.* Sed multum interest inter biliosam vrinam febrium acutarum, & eam quæ venit ab ictero symptomatico bilis obstructæ (nam icteri critici non est biliosa vrina, sed colorata bellè.) Est enim febrium acutarum biliosa vrina, de bile ἀπὸ τοῦ πίονος: icteri autem, de naturali bile non segregata, sed mixta cum sero futuræ vrinæ. Ergo biliosa vrina febris acutæ, nata ex pingui hepatis à febrili ardore, multum ostendit periculi, de magisterio febris in ipsam naturam.

NEC SVBRVBRA] Quæ sit eiusmodi; modica bile tincta, vel etiam multa, de vitio simplici obstructæ bilis vesiculæ; qualis in ictero cernitur sine febre, ac sine iecoris inflammatione.

TVM SIMILIS AMYLO CVM ALBA HYPOSTASI] Polentæ similis hordei frictī, cum parte aliqua molæ trituram effugit. Hoc enim dicitur Græcis τὸ κρίμνον: proptereàque consultò, appositè vertimus, quod in vrina est amylo simile. (libr. 2. progn.) Non enim liquori vrinæ tribuendum est τὸ κριμνῶδες sed eius hypostasi. Quò spectat illud prognosticum. Κριμνώδεες ἐν τῇσιν οὔροισιν ὑποστάσιες. (progn.) Nec verò illud obstat quod author apposuit. CVM ALBA HYPOSTASI] Quæ est huiusmodi, non de materia quidem laudabili à pepasmo: sed potiùs de liquefacta, febris incendio quo partes ipsæ conflagrant, & inde liquuntur. (28. lib. 2.) Atque illa calamitas, febrium est acutarum, non autem earum quæ mitiores sunt: in quibus vrina genituralis apparet, de albuminea pituita. Solenne est illud Hippocratis. Ἐν Περίνθῳ τὸ γονοειδὲς τὸ οὖρον ἦν, οἷον κρίσιμον, i. *Perinthi vrina genituralis, erat eiusmodi quale quippiam criticum esse solet.* (6. Epid. part 2. aph. 31.) Et verè Galeni iudicium est; tali vrina, febrium diuturnarum pituitam emitti quæ ipsas fouebat. Vide historiam de Sileno. (7.)

QVINETIAM COLORE ET HYPOSTASI VARIEGATA] Quia multarum est soboles affectionum, siue illa colorum varietas & hypostaseo, modò diducta, modò permixta sit. Atque illa varietas multum infert difficultatis pepasmo, vel etiam multum habet periculi, vt causa eius in cruditate aut colliquatione ipsa consistit. Talem vrinam refert Hippocrates emissam fuisse à quodam qui apud Dealcem iacebat. Ipsius verba hęc sunt. Οὖρα λεπτά, ποικίλα, ἐναιωρήματα ἔχοντα κατὰ σμικρά· γονοειδέα. *i. Vrinæ tenues, variæ, enæorematibus prædita exiguis similibus genituræ.*

IDQVE POTISSIMVM QVANDO È CAPITE SVNT RHEVMATISMI] Nam febris & catarrhi è capite, mutua est συμπάθεια.

9 Κινδυνῶδες δὲ καὶ τὸ ἐκ μέλανος μεθιστάμενον ἐς λεπτὸν καὶ χολῶδες· καὶ τὸ ἐκ τῆς ὑποστάσιος διασπώμενον.

Periculosa quoque vrina quæ transit de nigra in tenuem biliosam: tum illa quæ ex hypostasi sua diuellitur.

PERICVLOSA QVOQVE VRINA] Quæ scilicet metum adfert sinistri exitus, atque ipsius exitij.

QVÆ TRANSIT] i. Quæ mutatur, deposita priore idea quam exhibebat in sui liquoris colore & consistentia.

DE NIGRA IN TENVEM BILIOSAM] Non eò quidem quòd atri coloris in flauum mutatio sit, quod est ἀδύνατον, propterea quòd ἀμετάβατος in eodem subiecto. Est enim flaui coloris de nigro, dictu absurda μετάβασις: quemadmodum ratio philosophica est, καὶ ἐμπειρικῶς de transitu bilis flauæ in nigram. Erit igitur illud scitum, quod sicut bilis flaua transit in nigram: sic hæc vicissim non redit in flauam

uam. Vt sanè hîc verbum μεθίσταται, & inde nata μετάστασις, μεταχωρεῖ: vsurpari videatur pro ipsa mutatione quæ in vrinam cadit de alio statu naturæ. Et quamquam vrinarum nigra est pessima, cum talis emittitur de sero petusto à febrili ardore; vt eius mutatio in flauam & tenuem præ se ferat speciem mutatæ in melius: tamen in hac etiam periculo locus est de pari naturæ infirmitate quam ostendit tenuitas eum febre inuicta, nec mitescente adhuc; vnde ipsa bilis perennitas, quæ biliosam facit vrinam. Et verò, si vrina sit nigra, nigro humore perfusa & saturata, de menstruis melancholicis, vt in muliere Thasia vultuosa, minus habebit periculi quàm tenuis & biliosa quæ illi succedet. Ac sanè vrina tenuis & biliosa, ex æquo certant pariter è natura egressæ, non tamen similiter; quod illa tenuitas infra naturam est quæ languet effœta in officio coctionis: coloratio autem supra naturam, est à dominatu morbi, vnde bilis perennitas, qua multùm fucatur cruda vrina. Vt enim coctione crassescunt omnia excrementa: sic cruditate manent tenuia. Est autem positum à Galeno theorema catholicum ad illam sententiam præceptoris. Quòd viris deterrimæ sunt inter vrinas nigræ: pueris autem, aquosæ. Est, inquam positum hoc theorema; quòd ea quæ cum natura pugnant supra modum, perniciosa quoque supra modum esse solent. At puerorum aquosa vrina tam est contra naturam ipsorum (qui facultate coquendi, vnde crassescunt omnia, cæteros omnes præcedunt) vt nihil magis contrarium esse possit.

TVM QVOD EX HYPOSTASI DIVELLITVR] Tale est enæorema, quod vocat Hippocrates διεσπασμένον, quod cùm substantia prauum sit, multum ipso loco quem occupat, & sua diuulsione adiicit prauitati atque periculo. In eo enim vis morbi pariter lucet, atque natiui caloris imbecillitas.

10 Καὶ τὸ ἐκ στρεφώδους ὑπόστασιν ἔχον ὑποπέλιον ἆρα ἐκ τοιούτων ὑποχόνδριον ὀδυνᾶται; δοκέω δὲ δέξιον· ἢ καὶ χολώδεες γίνονται; καὶ τὰ παρ' οὖς ὀδυνώδεα; τούτοισιν ἐπὶ βραχὺ κοιλίη καταῤῥαγεῖσα· ὀλέθριον.

Quinetiam quæ ex glomerata subliuidam habet hypostasin, etiámne tum in dolore est hypochondrium? idque opinor dextrum: aut sunt præterea biliosi? atque assurgunt parωtides dolorificæ? His breui prorupta aluus; pestifera.

EST ILLVD iam positum ac demonstratum, nec ita pridem, quod modò attigimus; quòd scilicet inter vrinas periculosa est colore & hypostasi variegata. Vrinam eiusmodi variegatam hypostasi, suo exitio minxit Philiscus, qui sextum morbi diem agens, interiit. Varietas autem sic recensetur à præceptore. *Vrinæ autem variæ exhibebant enæoremata, partim rotunda, partim genituræ similia, partim dispersa.* Igitur ad examen primùm adducta sunt enæoremata κριμνώδεα γονοειδέα, i. *quæ amylo similia, seminis modo sunt alba.* Sic enim τὸ κριμνῶδες λευκὸν ἔχον ὑπόστασιν, legitur apud eum qui in Dealcis horto iacebat. Tum superiore prognosi, vrinæ vitia sunt explicata, cuius diuulsum est enæorema. Superest vt rotundum hîc positum, cuiusmodi sit, & quorsum appareat, explicemus.

Coac. 8. huius c. hist. 1. 1. Epid.

QVINETIAM] i. Hîc etiam non minori periculo locus est, quàm in cæteris enæorematis, quæ pariter loco, materia, & idea in vitio sunt.

QVÆ EX GLOMERATA] Ἐκ στρεφώδους: quæ lectio mihi melior visa est quàm illa vulgata, ἐκ στροφώδους, i. *è torminosis*: de cui formula hæc loquendi opinionem faciat de alui torminibus positam esse prognosin. Tametsi Capito ac Dioscorides, qui eam lectionem probarunt, ipsam de vrina recensuerunt, hac ratione adducti, quòd hypostaseωs nomen hîc scriptum, in omni doctrina Hippocratis pertinet ad vrinam, non autem ad deiectiones, quas fortè quis existimarit nasci de antegressis alui torminibus. Ac sanè Dioscorides author est, referente Galeno, τὰ στρεφώδεα οὖρα λέγεσθαι τὰ ἔχοντα τινα ἐν αὐτοῖς ἐναιωρήματα, συνεστῶτα, i. *vrinas quæ intra se habent innatantia quædam coacta.* Ex quibus efficitur quòd enæoremata hîc coacta, eiusmodi sunt vt ea quæ in Philisco nominauit στρογγύλα, i. *rotunda*: tametsi vrina Philisci, modò rotundis atque coactis, modò dispersis, modò similibus genituræ variegata fuerit. Et verò nos, vt videmur, verè & appositè vertimus τὰ στρεφώδεα, glomerata: quòd στρέφεσθαι verbum non tam cogendo, quàm circumagendo, videatur efficere τὸ στρεφῶδες, exemplo filorum quæ glomerantur, i. circumaguntur in glomos, telæ texendæ causa.

prorrh. 64. l. 3. 1.

Ergo. QVÆ EX GLOMERATA] i. Coacta, si credimus Dioscoridæ, qui verbum, τὸ στρεφῶδες, positum esse dicit ἀντὶ τοῦ συνεστῶτος Est vrina coacta, rotundo enæoremate: quod in Philisco nominauit στρογγύλον; cuius contrarium est τὸ διεσπασμένον, i. *dispersum*, quod ad figuram attinet, non ad materiam. Etenim glomerati siue coacti enæorematis atque diuulsi, aut, si mauis, dispersi; eadem materia esse potest de iis quæ partim assantur, partim liquuntur in hepate, renibus aut liene, à febrili ardore. Ac dissipantur aut diuelluntur quidem, velut ἀποψαθυρά, i. *frustulatim diuulsa*, vt carnes emortuæ, quas vulgus nominat mortificatas. Glomerantur autem, & velut in orbem coguntur à calore spissante.

SVBLIVIDAM HABET HYPOSTASIN] Quæ signum edit partis emortuæ, vnde liquefacta excernitur.

ETIAMNE IN DOLORE EST HYPOCHONDRIVM, IDQVE OPINOR DEXTRVM?] Sanè quidem: quia inflammatione tandem liuescit, funditque λιπαρὸν similem per vrinas. Sanè inflammati iecoris, i. incendio conflagrantis λιπαρὸν similis cernebatur in glomerato enæoremate. Nunc verò eiusdem ab inflammatione liuentis, liquefacta ex eo liuet hypostasis, quæ vt emortua, fundum petit & occupat; nec ampliùs, vt solebat, volitat in vrina : similiter vt phthisicorum sputa muriam conspuentium, subeuntia fundum alieni tanquam emortua, cùm in propinquo mors est. Hic facilè, *dextri* adiectione vox *hypochondrij* caruisset: cùm ipsa per se sufficeret ad hypochondrij dextri notationem.

AVT SVNT PRÆTEREA BILIOSI] Ab hepate inflammato. Sunt autem biliosi tum ἄνω, tum κάτω, tum ἔξω : cuiusmodi sunt icterici multa bile fœdati.

ATQVE ASSVRGVNT PAROTIDES DOLORIFICÆ] Quales assurgunt ἀγρύπνοις καυσώδεσιν atque vigilibus : quando anadrome sanguinis biliosi ad caput, ibi subsistit, nec foras emittitur per hæmorrhagiam; tum in parotidas mutatio esse solet.

HIS BREVI PRORVPTA ALVVS; PESTIFERA] Non illa quidem qua defunguntur periculo sæuarum parotidum caturium empyemate: sed illa quam fundit hepatis ἀτονία, quam diuturna intulit inflammatio, significata priùs hypochondrij dextri dolore & ictero. Sic enim Galeni iudicium est de hac proluuie alui. *Accidit autem vt æger mortiferè habeat de profluente aluo: quòd scilicet illud profluuium non lege critica moueatur, ope naturæ, humores qui sunt in vitio deijcientis: sed propter summam virtutis quæ est in hepate infirmitatem.*

11 Οὖρα ἐξαίφνης παραλόγως ἐπ' ὀλίγον πεπαινόμενα· φλαῦρα. καὶ ὅλως τὸ παραλόγως πέπον ἐν ὀξεῖ· κακόν.

Quæ ex improuiso immeritò paulisper vrinæ coquuntur; prauæ. Atque omnino, quicquid immeritò coctum est in acuto; malum.

DE PAROTIDIBVS prorrheticum legitur καθ' ὑπόθεσιν huius catholici theorematis. Sic autem scriptum est. Οὖρα ἐν παρωτίσιν ὅτι ταχὺ ἐπ' ὀλίγον πεπαινόμενα φλαῦρα, i. *Vrinæ in parotidibus quæ citò atque paulisper coquuntur; prauæ.* Ad quam sententiam, Galeni hæc fuit logica obseruatio. *Quod in hac oratione dictum est particulatim, vniuersalis subiacet huic sententia; quòd scilicet quouis in morbo, quæ citò & paulisper coctæ sunt vrinæ, sinistri aliquid præ se ferunt.* Est autem hîc posita vniuersalis sententia de vrinarum cita, inmerita, & fugaci concoctione, proptereáque non fida, sed insidiosa.

Prorrh. 61. l. 3. 1.

QVÆ EX IMPROVISO] ἐξαίφνης : quod idem est atque τὸ ἄνευ φανερᾶς αἰτίας, i. *de improuiso*, quod in prorrhetico scripsit ταχὺ, i. *citò*: non tamen eò scriptum, vt breue tempus ostendat incipientis morbi, cùm hæc apparent & fiunt. Nam illa vox, *de improuiso*, non minùs est morbi vetusti, quàm inchoati, vel incuntis; modò res fuerint ἐπὶ τῶν αὐτῶν, i. *pari ratione symptomatum, & caussis ijsdem*: vt scilicet maneat par & æqualis cruditas τῶν ἀποκρινομένων, donec repentè præter spem cocta appareant.

IMMERITO] i. Non domita feritate humoris morbifici, nec dolorifici mali, cuius indomitam cruditatem intus subesse, modò vrina denunciauit: proptereáque falsò putatur nunc esse particeps concoctionis, cuius antea fuit expers. Non enim credibile est tam citò edi pepasmum eximiæ cruditatis. Notum est illud, οἱ πεπασμοὶ ἐκ τῶν χρόνων. Atque in pepasmo certi sunt gradus; primùm quidem inchoati, mox manifesti: tum autem perfecti. Vt sanè tam cita & repentina concoctio, & falsò credita de vi naturæ, cum pari humoris obedientia, & insidiosa esse videatur. Sic pus emissum secti thoracis aut perinæi, ferramento chirurgi, sæpe nos fallit, cùm falsò creditur idem esse quod in thorace vel in vesica subest. Sic in vrina prompta aut rapta in morbis acutis, magna discessio esse solet ab ea quæ consueto ductu è venis transmittitur ad vesicam : cùm scilicet illic prærepta occasio est coquendi, vel inflammandi vrinam.

ET PAVLISPER COQVVNTVR] Cùm scilicet illa coctio est exigui temporis, id enim significat, ἐπ' ὀλίγον; vt in illo. Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παραφροσύναι θηριώδεες, i. *Deliria paulisper ferocia, transeunt ad immanitatem.* Ergo vrinæ coctæ paulisper, quę mox funduntur crudæ & inflammatæ, ac multa bile saturatæ, quales initio apparuerant.

PRAVÆ] Sunt autem huiusmodi, mali præsentia, & boni absentia: quoniam inde significatio fit inualescentis morbi, & fatiscentis naturæ.

ATQVE OMNINO, QVICQVID IMMERITO COCTVM EST IN ACVTIS; MALVM] Non quidem vitio coctionis quæ mala esse nequit ; vt neque aliud quippiam quod sit reapse bonum, qualis est ipsa coctio : nunquam enim de bonis auguria mala sunt, neque de malis, bona. Sed quòd fugax coctio versa in pristinam cruditatem, eiusmodi fit vel de collapsa virtute coquendi, vel de humoris morbifici succrescentis perennitate. Nam illud positum ; παραλόγως, non est pepasmi, beneficio naturæ carentis; sicut leuatio μὴ κατὰ λόγον : sed eius materiæ quæ vel morbifica non est, vel succrescendi perennitate respuit omnes conatus naturæ. Qualem accepimus Thasi regnasse catarrhum. De

quo

quo hæc scripsit Hippocrates. Ἔπτυον δὲ σμικρὰ πυκνὰ πέπονα κατ' ὀλίγον μόγις ἀνάγοντες, οἷσι δὲ τὰ δυσκολώτατα ξυμπίπτοντα, οὐδὲ ἐπ' ὀλίγον πέπονα, ἀλλ' ὡμὰ διετέλεον ἅμα πτύοντες, i. *Spuebant pauca quædam coacta cocta, quæ vix educebantur. Quæ autem pessime habebant, coctis nihil exhibebant, sed finem nullum faciebant spuendi.* 1. Epid.

12. Φλαῦρον δὲ καὶ τὸ ἐξέρυθρον ἐκ τούτων, ἐπάνθισμα ἰῶδες κατεχόμενον.

10 *Praua autem & illa quæ ab his prærubra, virulenti quippiam efflorescentis continet.*

QVALIS mutatio sit à coctione fugaci in pristinam cruditatem quàm fundit ardor febrilis, penes quem bilis assidua generatio est; tum autem quàm periculosa sit hæc cruditatis successio, in hac prognosi docetur.

PRAVA AVTEM ET ILLA] Multum ostentat periculi de causa ipsius vnde talis apparet. Est autem calor febrilis quo incandescunt hepar & hepatitis: quibus à causa eadem adiicitur πλεονεξία μοχθηρῶν χυμῶν, i. *prauorum humorum nimia abundantia*, potissimúmque bilis ipsius qua saturantur vrinæ, proptereáque nimium rubræ, vt mox dicetur.

20 AB HIS] Quas scilicet modò posuit. Posuit autem coctas vrinas de improuiso, immeritò, & paulisper; quas malè fidas censuit ægrotantibus, & insidiosæ leuationis. Causæ cur ita sint, aduocandæ ex commentariis nostris. Illud verò adiiciendum, quòd ea quæ cum salutaribus signis nihil concedunt, periculo locum esse denunciant. Huc igitur spectat prorrheticum illud. Καὶ οὖρα πέπονα πονηρόν. Quam lectionem Galenus hoc nomine reprobat, quòd nulla coctio in malis ducenda: & pro hac voce, πέπονα, censet legendum, δύσπονα parum attentus ad scopum authoris, cuius eadem est diauœa in prorrhetico, quæ fuit hoc loco exposita; si tantùm adieceris τό, οὖρα πέπονα ταχὺ, ἐπ' ὀλίγον. Nam illi prorrhetico idem planè subiecit, quod huc ad examen adduximus. Antea verò scripserat; quòd δίψα ἀπηλλαγμένη καυσώδης κακόν. Et mox, οὖρα ταχὺ καὶ ἐπ' ὀλίγον πέπονα πονηρόν. Quæ sunt eiusmodi ac si diceret; vt omnis leuatio falsò credita, cum prauis signis, mortifera: sic nulla cum bonis fugacibus, periculosa. prorrh. 25. Lat.

30 PRÆRVBRA] i. Eximiè rubra, qualis est multa bile saturata, & vitio cruditatis eximia: secus ab illa subrubra quæ tantum habet securitatis, quantum hæc prærubra periculi.

VIRVLENTI QVIPPIAM EFFLORESCENTIS CONTINET] i. Ad verbum, *quæ continet efflorescentiam æruginosam.* Ibi Galenus ansam arripuit emendandi τὸ ἄγαν πέπονα, ac pro eo, legendi δύσπονον, i. *vrinam valde molestam:* quòd nemini vnquam venit in mentem putare aliquid virulenti, sed ne rubri quidem efflorescere in cocta vrina. Quod vt concedam ipsum verè dixisse: tamen non dixit appositè ad scopum authoris, vt iam admonui ac demonstraui. Est autem illud ἰῶδες ἐπάνθισμα ortum de bile mutata in viridem & æruginosam, vnde pepasmi; proptereáque crisis desperatio est. Non enim sine pepasmo, febris exoluitur, nisi sit ἰσοδυναμοῦσα, ac signis firmata securissimis, quæ intra quartum diem finitur. Iam verò participium illud, κατεχόμενον; tametsi aucupio dictionis significat ipsum quod vix & ægrè emittitur, vel quod omnino sistitur: tamen quia nefas est dictu, illud videri æruginosum ἐπάνθισμα, quod non apparet, intus cohibitum; visum est potiùs aucupari quod rationi consentaneum est, quàm leges Grammaticæ consectari. Nisi fortè quis dicat, tandem notitiam & cognitionem rei cohibitæ & in occulto latentis, facilè comparari, cùm in conspectum venerit tandem emissa vel summo ægri conatu vim patientis, vel adiumento medici. lib. 3. progn.

13 Λευκὸν δὲ καὶ καταχεόμενον διαφανὲς οὖρον πονηρόν. μάλιστα ἐν φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

50

Vrina autem quæ alba funditur atque pellucida; mali est ominis: atque potissimùm hæc in phreniticis.

NIHIL MINVS est ægri quem occupat febris acuta, quàm fundere albas vrinas atque pellucidas. Huiusmodi enim sunt aquosæ, i. aquæ ideam præ se ferentes, colore pariter & liquore, proptereáque in malis ducendæ: quia sunt contra naturam morbi & ægri.

60 Ergo. VRINA AVTEM] i. Periculo etiam locus est, sicut in cæteris, modò ad examen adductis & explicatis in hac vrina.

QVÆ ALBA FVNDITVR ATQVE PELLVCIDA] i. Quæ talis emittitur ὑπὸ μετακρίσεως. i. à morbi pepasmo, cuius mutatio repentina de bello colore & bella hypostasi; iuuenibus quidem ad hæmorrhagiam, vt Antiphonti: senibus verò ad dysenteriam apparet, vt Bioni. Sed quæ inoffenso cursu morbi totius, nec interrupta, continenter visa est reddi aquosa: id enim significat participium in præ- 1. Epid. part. 2.

aph. 75. 4. lenti, ὁ [illegible], vt aphorismo illo. [illegible], *i. si sanguinem aut pus quis meiit ; vesicarum renum exulcerationem ostendit.* Vbi Galenus fundamentum statuit veritatis in verbo præsenti, [illegible] scilicet fiuis non fiat meiendi sanguinem aut pus, alioqui [illegible] non esset aphorismus. Sic etiam veritas non constaret huius prognoseus, si non perpetua esset [illegible], sed interrupta; eiusmodi fuit illa quam sic describit. [illegible], i. *Vrinæ tum erant aquosæ tenues, multa, pura ; idque post crisin, & cum iam edita esset multa hypostasis, ac cætera conuenienter apparuissent ad crisin.* Et mox. [illegible], i. *Postea verò quàm hæc ita fuerunt, dysenterici omnes hi facti sunt : an quia vrinas reddiderunt aquosas, considerandum.* Est igitur posita in hac prognosi vrina aquosa; non quidem similiter vt illa Bionis & cæterorum quæ ad speciem crisis emissa est post signa pepasmi ad tempus : sed ea quæ vel fugaci & citæ concoctioni successit, vel quæ ad morbum exactum, nullo modo à se mutata, meiendo expressa est. Atque hæc quidem sic accipienda, vt nullam habeat excusationem proruptæ à nimia potione, aut raptæ vrinæ, ob inexplebilem sitim renum : sed quæ à renibus de instituto ipsorum ducta è venis [illegible], infrà mittitur ad vesicam. Talis vrina, de morbi & ægri natura multùm egressa, cur ita sit, considerandum. Enimuero in hac vrina, summa cernuntur omnia cruditatis. An quia crudus humor toto prorumpit corpore, vel catarrhus è capite ? An verò quia venarum & hepatis virtus coquendi collapsa est. Etiamne quia deriuatio bilis ad intestina, vel eiusdem [illegible], colorationem vrinæ deleuit. De causa postrema, authoris hæc ratio est.

Atqva potissimvm in phreniticis] Quem locum vt breuiter sic verè & appositè Galenus enarrat, causásque aperit vrinæ aquosæ, cur ita sit, his verbis. [illegible], i. *Aquosæ vrinæ, eiusmodi enim sunt pellucidæ albæ, & magnam cruditatem ostendunt, & vniuersæ bilis translationem ad caput.* Idem Galenus ad locum de albis deiectionibus phreniticorum hæc scripsit. *Deiectiones albæ huiusmodi sunt in ictericis, interclusa bile ad aluum: in phreniticis autem,* [illegible], i. *propter magnum incendium superiorum partium iecoris, quo sanguis vnà cum bile absorbetur.* Quàm autem periculosa sit in morbis acutis aquosa vrina dictum est circa initia comment. huius nostri. Sed de phreniticis est audire Galenum, cuius hæc verba sunt. *Qui è phreniticis conualuerunt, cui talis vrina fuerit in conspectu, nouit adhuc neminem.*

14 Πονηρὸν δὲ καὶ τὸ μετὰ ποτὸν ταχέως διερχόμενον καὶ μάλιστα πλευριτικοῖσι καὶ περιπνευμονικοῖσι.

Praua est item quæ mox à potu effluit : maximéque pleuriticis & peripneumonicis.

Continvata hîc recensio est vrinarum prauarum, de quarum numero illa est etiam quæ mox à potu effluit.

Prava est item] i. De numero vrinarum prauarum illa est etiam, sicut cæteræ iam explicatæ. Vbi coniunctio separatiua, δὲ, rectiùs legeretur per coniunctiuam τε.

Qvæ mox a potv effluit] Non quidem [illegible], i. *quemadmodum consueuit,* de instituto renum ducta è venis, [illegible], i. *lege naturæ* : sed vt symptoma præreptæ occasionis coquendi, rapta in renes, ob inexplebilem sitim ipsorum : vel eò prorupta ex nimia potione : vt sit vrina concolor potioni, quam suprà diximus ex Hippocrate, [illegible]. Ac talis vrina proportione respondet lienteriæ, quam impotentia ciet coquendi aut continendi ea quæ assumuntur in aluo. Atque hîc certè nobile est quod scripsit præceptor ταχέως διερχόμενον, i. *quæ citò emittitur,* veluti diuretico quodam citata : quamuis eiusmodi non sit diuretica qualitate id quod bibendo assumitur. Igitur mox à potu meiendo emittitur id quod bibendo assumitur : aut quia prærepta est coquendi occasio de impotentia continendi, tum ventriculo, tum in venis, [illegible], i. *propter incendium vehemens venarum, quod ad se rapit quicquid serosi est humoris.*

Maximeqve plevriticis et peripnevmonicis] Enimuero hæc appendix quæ adiicit prauitati vrinæ expositæ, non est causarum [illegible], nec idem efficientium. Nihil enim facit pleuritis ad proruptam vrinam vel raptam, cùm talis à potu emittitur. Nam perirrhœam vrinæ strangu-riosæ & purulentæ quam fundit empyema pulmonis ; iam non est peripneumonici à phymate crudo : sed potiùs empyici, ab eodem phymate cocto : tum nihil facit potio ad eam perirrhœam. Ne quis dicat multum adiici pleuriticorum periculo ab hoc vitio naturalis œconomiæ : quia quò plures principatus
„ in vitio sunt eò res ægri peiùs eunt.

15 Πονηρὸν τε καὶ τὸ πρὸ ῥίγους ἐλαιῶδες οὐρούμενον.

Praua est illa etiam quæ ante rigorem oleosa meiendo emittitur.

Histo-

HISTORIA est apud Hippocratem de Dromadei vxore puerpera: cui cùm puerperia respondissent vt decet: nihilominus tamen febre oborta secundum partus diem agenti, sexto post die illius febris acutæ interiit: nihil adiuta nec puerperiis conuenienter purgatis, nec etiam liberali sudore quem rigor denunciarat: quòd hypochondrium illi esset autsò retractum, & vnà spiratio magna & rara: tum verò quòd vrinæ primùm turbatæ, vt iumentorum, quas nominat ὑπ᾽ ἀραιάς, secundo ac tertio diebus meiendo emissæ, quarto & quinto ante rigorem, in oleosas ac tenues transiissent. Ex quibus apparet, nihil opis, nec adiumenti posse ad morbos funestos adferri, ne lochiorum quidem purgatione, quæ vxorem Epicratis ab interitu vindicauit, quando ipsorum funesta vis cernitur in excrementis quæ liquuntur è partibus, tum in earum etiam inflammatione, quarum officiis vitam carere non potis est. Hoc igitur spectat prognosis, hoc vult Hippocrates, quòd nulla critica, siue sint crises ipsæ, siue signa eò spectantia, bene fieri nec apparere possint in signis & causis mortiferis.

[hist. 11. 1. Epid.] [hist. 5. 1. Epid.]

PRAVA EST ILLA ETIAM.] i. Inter cæteras hæc est de numero vrinarum pestiferarum, quotiescunque tandem meiendo emittitur, nec vlla bonorum signorum accessione, de sua prauitate concedit: sed maleficio superat omnia beneficia.

QVÆ ANTE RIGOREM.] Illum scilicet qui mouet sudorem, vel illum etiam qui frustra cietur. Est enim rigoris sudoriferi critici ferè prænuncia vrinæ suppressio, cùm incidit ἐν τῷ ῥίγει. Hic autem periculo semper est locus: nunquam autem securitati, cùm hæc vrina sistitur ante rigorem. Nam ea emissa cùm rigor incidit sudorificus, nihil ab eo sperari, nec expectari potest præter incommoda corporis inflammati, vel exoluti: quoniam rigor & sudor veniunt ἐκ τῶν κακῶν ἐ malis. Omnia autem orta è malis, ipsa quoque sunt mala: sicut è bonis bona. Sin autem hic rigor frustra cietur, quoniam ἀνάδοσιν facit ad diaphragma & caput; multum adiiciet præsenti periculo, ex grauiorum symptomatum accessione, cùm signa eduntur corporis liquefacti.

[6. Epid. part. 1.]

OLEOSA VRINA MEIENDO EMITTITVR.] Quæ scilicet pinguis est de liquefacto adipe, qualem in eo commemorat qui cùm à febre incaluisset, liberaliter se inuitauit cibo & potu. Memorauit autem præceptor, cùm ab initio febris vrinam fecisset turbatam, crassam & rubram, similem iumentorum, ipsum die quinto, atque labentibus inde diebus, minxisse λιπαρὰ λευκά, i. *oleosam leuem vrinam*, μικρὰς δ᾽ ἔτι συνεστηκυίας. Est enim genus alterum oleosæ vrinæ, i. colore & consistentia oleum referentis, quam facit ardor febrilis, non ipsa συντήξεως. vnde qui homines ἐν τοῖς ἄλλοις ἀσφαλῶς ἔχουσι σημείοις ἐν τάχει κρίνονται, *i. ex aliis omnibus salutariter habent, citò iudicantur.*

[hist. 11. 1. Epid.] [cõment. ad hist. 1. sect. 3. 3. Epid.]

16 Πονηρὸν δ᾽ ἐν τοῖσιν ὀξέσι καὶ τὰ χλωώδεα μὴ ἐπὶ χροιῇ οὖρα.

Malum est etiam in acutis, cùm virescentes vrinæ sunt, nec superficie tenus.

ÆNIGMATICÆ huius prognoseos in virore, non in colore, vt ipsum nomen τῆς χροιῆς ostendit, hęc mihi videtur non minùs vera, quàm apposita explicatio. Vrina quæ toto liquore virescit, nec tantùm in superficie, est febris acutæ ipsum periculosè habentis quem semel inuasit: secus ac oleosa toto liquore quæ spem non adimit secundæ crisis, ac sæpe ad eam citò venturam apparet, cùm cætera bene sunt bonis ægroti rebus. Nam oleosa vrina superficie tantùm conspicua, cuiusmodi est χροιὴ in iusculis carnium; quoniam talis funditur de pingui quod liquitur à febris συντήξεως, secus ab altera quæ est febrilis ardoris bilem gignentis, ipsámque cum sero vrinæ admodum permiscentis, & instar olei quodammodo facientis, nihil omnino sperabile post se relinquit, nihilque securitatis ostendit; multum autem periculi, vt demonstratum est superiore prognosi. Atque inter vrinam superficie tenus viridem, & politam sic oleosam; tantum profectò interest, quantum inter virilem & oleosam, cùm toto liquore sic ambæ cernuntur. Vrina enim quæ superficie tenus virescit, febris est quidem acutæ, sua vi totam vrinam non immutantis, proptereáque spem non adimentis penitùs. Similiter oleosa vt χροιὴ dominatu febris malignæ, ipsum etiam corpus quod liquitur, teneri ostendit: vt iam nihil spei reliquum sit in natura. Vrina viridis toto liquore, bilis est in hepatite & in aorta incendio conflagrantis: vnde ipsius primùm flauæ in viridem mutatio est. Ex quibus apparet, quòd varia consideratio est certi periculi & incertæ securitatis in vrina herbacea & oleosa, vt ambæ huiusmodi sunt in superficie, vel in toto liquore. Nam in vrina viridi toto liquore, maiori periculo locus est quam superficie tantùm tenus. At secus est in oleosa.

Ergo. MALVM EST ETIAM.] Vel potiùs, *malum est autem*: vt ille pericula, δ᾽, superiori prognosi præsentem opponere videatur super iis quæ sunt epiphænomena maioris aut minoris periculi; prout illa cernuntur vel toto liquore, vel superficie tantùm tenus. Ergo. MALVM EST AVTEM.] Quo scilicet nihil est peius profectum à febris incendio: si tantùm exceperis vnam nigredinem inde natam.

IN ACVTIS.] Scilicet febribus, quæ & celeritate & vehementia eximiæ sunt, de quibus ea succrescunt, tanquam de fonte perenni, quæ hic ponuntur mala, quæque vt emittuntur meiendo, nullam adferunt leuationem febris acutæ, quam solum intus subesse testantur, ac vires eundo acquirere. Non sic in morbo regio febris experti, nec tamen critico: sed obstructorum bilis meatuum symptomatico, quem sæpe vrina toto liquore virescens atque etiam nigra euoluit.

Cvm virescentes vrinæ svnt.] χλοώδεες, i. *herbaceæ*: sunt autem herbæ χλωραὶ, i. *virides*: quam distinctionem præceptor semper apponit humori aut corpori saturato virore: vt demonstrauimus commentario ad γλῶσσαν χλωράν, contra Galenum.

Nec svperficie tenvs.] Vt scilicet toto liquore vrina virore perfusa sit: nec tantùm habeat ἐπάνθισμα, de quo iam diximus non ita pridem. Quòd si cuipiam nouum sit & inauditum, nomen τῆς χροιῆς pro superficie, audiat Aristotelem, cuius hæc verba sunt. Τὴν ἐπιφάνειαν σώματος ἐκάλουν οἱ Πυθαγόρειοι χροιάν. i. *Cuiuscunque corporis superficiem veteres Pythagoras vocabant* χροιάν. Et verò apud Hippocratem frequens est nomen τῆς ὁμοχροίας & τὸ ὁμόχροον, pro æquali planicie. Pergamus ad reliqua.

17 Ολέθριον δέ ἐστι τῶν οὔρων, τό τε μέλαιναν τὴν ὑπόστασιν ἔχον, καὶ τὸ μέλαν· μᾶλλον δ' ἐν τοῖσι παισὶ τὸ λεπτὸν ἢ παχέος.

Pestifera autem est inter vrinas quæ & hypostasin habet nigram, & ipsa quoque est nigra. Sed pueris pestifera est magis aquosa.

Ad nigram vrinam de viridi transitus esse solet, vt bilis æruginosæ in atram, quando ad vltima ventum est synceri liquoris vrinam fundentis, & perustorum corporum quæ intra vrinam sunt aspectabilia; siue illa residant, ὑφιστάμενα; siue suspensa sint, ἐναιωρήματα; siue superuacent, ἐπινεφέλα. Omnia enim pariter æqualitérque nigrescunt, suis quæque locis distincta, & inde sic nominata, vt posui: quamvis eorum nominum significatio non semper de loco sit vbi apparent, in Epidemiis & aphorismis, tum in prognosticis apud Hippocratem, vt suprà ostendimus.

Pestifera avtem est inter vrinas.] i. Quæ signo pessima est inter omnia febrium ἐπιφαινόμενα, vt est in illo prognostico. Ἐστι δὲ τοῖσι μὲν ἀνδράσιν, ὅτι καὶ τοῖσι γυναιξὶ τὰ μέλανα τῶν οὔρων κάκιστα. i. *Sunt autem mulieribus pariter atque viris vrinæ nigræ pessimæ*. Sic enim τὰ ὀλέθρια dici reperio, vnde salutis desperatio est: tum ipsos ægrotos nominari pariter ὀλεθρίους, cùm desperati sunt. Prorrheticum est apud Hippocratem περὶ τῶν ὀλεθρίων, quod mentis aciem Galeno exacuit in comment. Est autem sic positum. Τὰ ὀλέθρια ὅσοισιν ῥᾳστώνη ἄνευ σημείων. i. *Perniciosa quorum sine signis leuatio est, mortem subesse testantur.* Quod certè prorrheticum est de morbis in quibus est multitudo prauorum signorum: proptereáque cùm meritò essent terrifici; nunc planè funesti sunt quando eorum leuatio est ἄνευ λυτηρίων σημείων, i. *sine salutaribus signis*. Ergo pestifera est inter vrinas, de qua sperabilis nulla curatio est febris acutæ, cuius ardore talis meiendo emittitur.

Qvæ et hypostasin habet nigram.] Non quidem natam de succi reliquiis, naturæ vim effugientibus in sanguinis confectione: sed de confecti eius incendio, ipsum in cineres conuertente.

Et ipsa qvoqve est nigra.] Suo liquore, quem habet de sero eorum qui sunt in venis humorum: quod quidem pari conflagrat incendio.

Sed pveris pestifera est magis aqvosa.] Quod est eiusmodi ac si diceret; omnium quidem deterrima est nigra vrina, quam facit ardor febris, perurendo serum & sanguinem: ac tum ad vltima ventum est humorum incendio conflagrantium, vt in propinquo sit ipsa naturæ alienatio: Sed tamen in pueris vrina aquosa, proptereáq; tenuis, longiùs abest à natura eorum, quàm nigra vrina virorum atque mulierum: ac propterea peior censenda in illis, quàm nigra in cæteris. Scitum est illud Galeni ad hoc prognosticum. Τὰ ἐναντιώτατα τοῖς κατὰ φύσιν ὀλεθριώτατα ὑπάρχει. i. *Vrinæ naturalibus maximè contrariæ, pessimæ*. Qua de re dictum est nuper in aquosa vrina. Quin etiam vrinarum nigrarum distinctio adducta iam fuit.

progn. 33. lib. 1.

18 Τοῖσι δὲ λεπτοῖσιν. τὸ ἀνάπαλιν ἢ συνεστραμμένοις. & τὸ χαλαζῶδες, γονοειδὲς, διακεχυμένον· τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἐπίπονον.

Contra est de vrinis tenuibus, quàm de concretis. Sed & grandinosæ; geniturales, continenter effusæ; laboriosum.

Eadem tamen mali significandi vis: etsi causa est contraria; concretarum, insignis ardor; tenuium, caloris imbecillitas deiecti. Grandinosæ & geniturales hypostases, eadem causa quæ liquoris crassi ac velut concreti: sicut antea audiuimus. Malum autem quodque continuatione fit peius.

19 Ολέθριον δ' ἐστὶ καὶ πᾶν τὸ λαθραίως οὐρεόμενον.

Quinetiam perniciosa est omnis vrina quæ clam emittitur.

Hacte-

HACTENVS de vrinarum pernicie in earum liquore, colore, & iis quæ intra ipsas apparent. Nunc ad meiendi modum transitus est; cùm scilicet ea sine sensu ac voluntate meiendi emittitur: vbi periculo locus est maior quàm in vrinæ vitiis quæ intra matellam fuit iussu meientis emissa, & ibi excepta.

Ergo. QVIN ETIAM PERNICIOSA EST OMNIS VRINA.] i. Pernicie vincit cæteras illa vrina, cuiusmodi tandem fuerit, liquore, colore, & iis quæ intrà sunt.

QVÆ CLAM EMITTITVR.] i. Sine sensu ac sine vlla voluntate meiendi: secus ab ea quæ contra voluntatem ægrè meiendo redditur, ob impotentiam continendi, vel à vesicæ morbo, vel a symptomate; ac dicitur strangutia, quæ est inuita vrina, quemadmodum hæc iniussa. Huius iniussæ vrinæ quæ tum ἀναισθήτως, tum ἀπροαιρέτως clam excidit, duplex est omnis ratio atque causa: vna quidem διὰ τὴν ἀναισθησίαν τῶν μορίων δι' ὧν ἡ ἔκκρισις γίνεται, i. *ob sensus amissionem partium quæ illi excretioni dicata sunt.* Altera vero διὰ τὸ τὴν γνώμην πονεῖν, i. *quòd in labore sit animus.* De sensus amissione in excernendo, solenne est illud prorrheticum. Ἀπὸ κοιλίης λεπτὰ μὴ αἰσθανομένου διιέναι, ὅτῳ παρ' ἑωυτῷ γνώμη, i. *Ex aluo tenuia infrà transmitti, nec sentienti, cùm sit apud se, malum.* De mentis labore in meiendo, scriptum est etiam illud prorrheticum. Τὰ οὐρήματα μὴ ἐπιμνημονευομένως ἀπιόντα ὀλέθρια, i. *Quæ immemoribus vrinæ redduntur, perniciosæ sunt.* [prorrh. 46. l. 1. 2.] Quòd autem & sensus amissio, & mentis labor appareat in hac vrina iniussa, declarat illud, λαθραίως aduerbium, quod nos *clam* vertimus: cùm scilicet nulla vrinæ sensio excitatur, tum ex amisso sensu partium per quas elabitur; tum ex abolita seu deperdita phantasia. Est igitur iniussa vrina, iure optimo præter cæteras perniciosa, vnde ostenditur ipsa naturæ alienatio. Sed ibi demum alienatio magis lucet in omni corporis principatu, quando vrina clam reddita, iumentorum est similis: de qua in illo prorrhetico quæsitum est à præceptore. Ἆρά γε τούτοισιν οὐρέεται οἷον τῶν ὑποζυγίων ἀναταραχθείσης; i. *An his vrina redditur plena velut perturbatæ hypostaseos?* [prorrh. 28. l. 1. 1.] Huius vrinæ clam redditæ, summa pernicies in illa prognosi expressa est, *Quibus vrina clam illabitur ad pudendum; exoluuntur desperati.* [Coac. 7. cap. 12. lib. 2.] Exoluuntur enim, collapsis omnibus naturæ præsidiis in animalitate sensus & motus: tum in nutricatu partium nutritiarum; & principatu cordis vitali. Sunt autem desperati, vacuitate cuiusque vitalis officij: ob eámque causam, sine vlla spe potiundæ & perfruendæ salutis.

20 Περιπλευμονικοῖσι δ' ἐστὶν ὀλέθριον, καὶ τὸ ἐν ἀρχῇ μὲν πέπον. μετὰ δὲ τὴν τετράδα, λεπτυνόμενον.

Peripneumonicis autem perniciosa est etiam quæ principio quidem cocta, post quaternarium tenuatur.

QVÆRENDA explicatio analytica huius prognoseos, Coaca 53. cap. 16. lib. 2. Nunc adducenda est omnis exposita ratio vrinarum, & apponenda morbis acutis qui sunt in phlegmone viscerum & cum febre: quorum tametsi vrinæ, propria non sunt epiphænomena, sed συνεδρεύοντα, plurimum tamen eorum periculo aut securitati adiiciunt, prout apparent bonæ aut malæ. Theorematis huius catholici authoritatem firmabit veritas hypotheseos de primùm cocta, mox cruda vrina, cùm sic meiendo emittitur in peripneumonia, vnde hic positi peripneumonici nominantur.

PERIPNEVMONICIS.] i. Illis quos occupat peripneumonia, quæ est pulmonis systrophica inflammatio: cuius symptomata hæc sunt, febris assidua; difficilis respiratio, parua, & frequens; calida expiratio; pectoris grauitas; dolor sub omoplata qui prorepit ad iugulum & ad mammas; angustia & anxitudo; delirium quoque ipsum.

PERNICIOSA EST ETIAM.] i. Multum periculo adiicit peripneumoniæ, signo & causa: tum propter μετάστασιν ad pulmones; tum propter collapsam virtutem coquendi, cùm hæc mutatio incidit coctæ in tenuem.

QVÆ PRINCIPIO QVIDEM COCTA.] Non quidem de febre mitificata, quæ nulla subest, nisi quatenus peripneumoniæ symptomatica: sed cocta, de more institutóque naturæ, in bene morata chyloseos & hæmatoseos officina. Sic enim res eunt principio peripneumoniæ, vt in pulmonis vitio maneat sæpe integritas naturalis œconomiæ.

POST QVATERNARIVM.] In qua periodo nihil adhuc criticum peripneumoniæ, foras exire cœpit, sicut exire debuit, cuiusmodi sputum est pauco permixtum sanguine: sed contrà pulmonis phyma est crudum, crescitque sicca eundo peripneumonia, & propagatur in vitium naturalis œconomiæ.

TENVATVR.] i. Aquescit cruda, eo periculo peripneumoniæ, quo ipsius paratidis etiam coctæ: cùm paulisper vrina cocta transit in crudam, vt suprà iam vidimus.

21 Πλευριτικοῖσιν οὖρον αἱματῶδες ζοφῶδες, μεθ' ὑποστάσιος ποικίλης ἀδιακρίτου θανάσιμον ἐν τέσσαρσι καὶ δέκα ἡμέρῃσιν, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Pleuriticis vrina prærubra, caliginosa, cum varia hypostasi, nec discreta: maximam partem mortifera est quatuordecim intra dies.

Coac. 7. & 8. c. 16. lib. 2.

IAM PRIDEM constat, quòd pleuriticorum res sunt in tuto cùm liberalis est atque libera citò anacatharsis. Sed ei securitati multum prodest; aluum mollescere, sputum colorari, strepitus in pectore nullos edi, vrinam conuenienter meiendo emitti. Nam horum contraria difficilia sunt. Atque vt ea tantùm attingam quæ sunt vrinæ contraria, qualis adducta est in hac prognosi; pleuriticorum non est tam certa leuatio ex anacatharsi, quàm grauis offensio ex hac vrina, siue ipsius causa vnde mouetur. Enimvero nihil prodest vrinam conuenienter emitti, si manet sicca pleuritis, vel malè humescit, cum prauitate sputi. Sed non minora pleuriticum manent incommoda ex causis quæ adsunt prauæ vrinæ, quàm ipsum beant commoda ex bona & facili anacatharsi. Tantum enim pleuritidi accedit causæ morbificæ ex domicilio prauæ vrinæ quantum spuendo detrahitur. Est quidem ἀναγωγὴ libera è thorace. Verùm quid prodest pleuritico si eò anadrome est perennis è foco prauæ vrinæ? Et verò pleuriticis de praua vrina similiter accidit vt pictoris ancillæ quæ à parotide cocta interiit, quòd faceret crudas vrinas. Quòd si pleuritidis cruditas, aut sputi prauitas, ex æquo certet cum prauitate vrinæ, de vitio, naturalis œconomiæ, aut partium quæ liquuntur, aut etiam de febris ardore, longa non erit vitæ permansio: sed cita eius discessio, vbi collabitur vel impedita cessat œconomia, tum spiritus, tum nutricatus, per quam vita hominum sustentatur.

Ergo. PLEVRITICIS.] Quos malè habet periculosè inflammatio tunicæ costis intextæ: cuius hæc signa sunt pathognomonica; lateris dolor pungens; difficilis respiratio, parua, & frequens; febris assidua; sicca tussis. Posita inflammatio tunicæ costis intextæ, systrophica est: quam ibi facit rheuma consistens, de rheumate concitato sanguinis biliosi. Nam cætera signa quæ fiunt, quæque apparent pleuriticis, veniunt propagata per διάδοσιν rheumatis concitati & consistentis.

6. Epid. part. 1. aph. 7a. 4.

VRINA PRÆRVBRA.] Non quidem cruentata de sanguine mixto vrinæ, qualis est calculosorum qui οὖρον αἱματῶδες, vt annotauit Hippocrates: nec verò cruenta, quam fundit venula rupta in renibus: sed αἱματῶδες, quæ instar sanguinis colorata nominatur οὖρον ἐξέρυθρον, i. *vrina prærubra*, quæ sic apparet ex inflammato sero, vel ex syncera bile qua multùm saturata, similiter rubet vt sanguis. Ac generatio quidem vrinæ prærubræ quorsum appareat, suprà iam dictum est in prauis vrinis.

3. Epid. part. 3.

CALIGINOSA.] i. Vmbrosa. Sic enim reperio τὸ σκιῶδες apud Hippocratem; authore Galeno, idem significare quod τὸ ζοφῶδες. Verba Galeni hæc sunt. Σκιῶδες εἶπεν ἀντὶ τοῦ ζοφῶδες, ὅπερ σημαίνει τὸ μὴ λαμπρὸν, μηδὲ καθαρὸν, μηδ᾽ ἀκριβῶς αἴθριον· ἐπεὶ δὲ τὰ σκιώδη καὶ σκοτεινὰ πάντα ὀνομάζουσι τὰ πρὸς τὸ μέλαν ἐκτετραμμένα· τοῖς τοιούτοις δὲ καὶ τὸ ζοφῶδες ἐπιφέρουσι ὄνομα, καὶ τὸ φαιὸν ἐγγὺς τοῦ μέλανος ὄν. i. *Vmbrosum dixit pro eo quod est ζοφῶδες, quod quidem significat id quod non est clarum, nec purum, nec exactè serenum. Et verò quæ sunt vmbrosa, quæque opaca, omnia sic nominantur ad nigrum tendentia, quibus & ipsum nomen ζοφῶδες imponunt, ipsúmque adeo fuscum quod in propinquo est nigri.* Illic de aëre sermo est caliginoso, nigro aut fusco, cuius appellatio de simili causa, vrinæ tribuitur. Ergo vrina caliginosa, fusca, vmbrósa, simili ratione vt aër, de nube opaca suam agnoscit opacitatem ex fusco enæoremate, vel ex fuligine sparsa per totum illius liquorem.

CVM VARIA HYPOSTASI] Cuius varietas, variarum quoque affectionum præ se fert argumenta.

NEC DISCRETA] Vnde fit ἀκατάστατος: qualis est vrina θρομβώδης, à flatulento spiritu, & summa infirmitate caloris natiui.

MORTIFERA EST] Mortem subesse testatur; collapsa vtraque tam spiritus, quàm nutricatus œconomia; tum succrescente noua in horas recrudescentis morbi materia, ex vitio hepatis & hepatitis.

VT PLVRIMVM INTRA XIV. DIEM] Qui finis est acutorum morborum, vel ad interitum, vel ad salutem. Sic autem non accidit pleuritico Anaxioni, quem scribit Hippocrates reddidisse οὖρα εὔχροα πολλά, λεπτά, idque circa initia: sub crisin verò, cùm expurgasset multa concocta, exhibuisse multam & albam hypostasin in vrinis, atque ita fœliciter conualuisse.

22 Θανάσιμον τε καὶ ἐν τοῖσι πλευριτικοῖσι συντόμως, τὸ πρασοειδὲς, μέλαιναν ἔχον ὑπόστασιν, ἢ πιτυρώδεα.

Sed illud confestim mortiferum est in pleuriticis; vrinam reddi porraceam, cum nigra hypostasi aut furfuracea.

NIHIL ERAT necesse huc aduocare signa funesta quæ in vrinis cernuntur ad calamitatem mortiferam sæuæ pleuritidis; & sputo carentis, vel ἀνακαθαίροντος prauam edentis; cùm ipsa pleuritis homini necando per se sufficiat. Et verò in secura pleuritide, meritò ἀνακαθαίρονται, tantum illius securitati detrahunt signa hîc posita, quantum periculo periculosæ adiiciunt. Sed fuerit operæprecium demõstrare, cur hîc tam citò siue confestim mortiferum sit, vrinas reddi porraceas, ac nigra furfureáve hypostasi præditas: cùm supradictæ in pari casu pleuritidis, vitam vix antè finiant, quàm ventum sit ad decimum-

quartum

quartum diem. Enimvero, vrinarum viridium toto liquore coloratio est ab æruginosa bile per venas diffusa: hypostaseωs nigræ aut nebulosi enæorematis materia est sanguis perustus incendio; furfuraceæ autem cruda vrina, porrigo venarum, similiter vt cum crassa, vesicæ. Ex quibus apparet, quòd in pleuritide partem spirabilem occupante citò ventura mors est, vbi colliquatio est & conflagratio partium nutritiarum atque humorum: sicut hic positæ vrinæ testantur.

23 Καυσώδεσι ἢ κατόχως· κάκιστον οὖρον ἐστὶ τὸ ἔκλευκον.

Iis autem quos occupat febris ardens, aut iis qui cum febre sunt catochi; vrina est pessima, multum alba.

Hic de vrina sermo est, quæ contra naturam morbi, aquosa emittitur: siue illius comparata sic ratio est de cruditate: siue tincturam eius deleuerit transitus bilis ad caput, & ipsam aquosam reliquerit. Nam raptæ vrinæ nulla hic mentio, nec item proruptæ, quæ faciat opinionem aquosæ.

Iis autem quos occupat febris ardens] Qui febris ardentis dominatu tenentur. Sic enim ponitur aduerbium illud κατόχως, pro eo quod firmiter fixum est. Sed alia quoque illius significatio est. Igitur, iis quos occupat febris ardens quæ inter acutas eximia est; rapto in venas ichore vbi conflagrat incendio: tum quia ichoris feta est qualitas : tum quia venæ labore & siti exaruerunt. Nam de natura causi & causis dictum est supra in febribus, ex Hippocratis lib. 4. de acutorum morborum diæta. lib. 1. huius operis.

Aut iis qui cum ea sunt catochi] Non quidem illi propriè qui stupent attoniti, & quibus est impotentia conniuendi à siccitate, & frigida intemperie contraria comati, quod cernitur in conniuentia penè inuita, planéque iniussa: sed illi potiùs qui, catochorum more, palpebris nunquam conniuent, oculósque ostentant firmiter fixos atque immobiles; tum cœptis immanibus efferi, somnum inire non possunt, oculis sve aut pectore noctem accipiunt, & sunt phrenitici, quales descripti sunt illo prorrhetico. Οἱ κεφαλαλγικοὶ κατόχως, παρακρούοντες, κοιλίης ἐπιλαμβανόμενοι, ὄμμα θρασύνοντες, ἀνθηροὶ ἐόντες, ὀπισθοτονώδεες γίνονται. i. *Caput vehementer dolentes, deliri, aluo suppressa, oculis ferocientes, rubentésque facie, opisthotonici fiunt.* De quibus aliàs multa sunt à nobis conscripta.

Vrina est pessima] Periculo reddita citò venturæ mortis, quòd ea morbo adiiciat ex euentu, & signo infirmitatis summæ caloris natiui ac virium.

Multum alba] Cuius adducta est ratio & explicata nuper cur ita sit, cùm in febre acuta, tum verò in phrenitide.

24 Οὖρον δὲ ὠμὸν, πλείονα χρόνον γινόμενον, τῶν ἄλλων σωτηρίων ἐόντων ἀπόστασιν, καὶ πόνον σημαίνει καὶ μᾶλλον ἐν τοῖσιν ὑπὸ φρένα.

At verò vrina cruda iam diu sic reddita, si cætera sint salutaria; abscessum denunciat cum dolore: idque in partibus quæ infrà sunt sub diaphragmate.

Crises morborum quibus eorum discessio est, suscipiuntur & absoluuntur; aliæ quidem excretione humoris morbifici; aliæ verò abscessu, cùm de humoris pepasmo & partium neoterismo natura τῷ νόσῳ ἐν mouet in paroxysmo. Ac sanè diuturniorum morborum, nisi pòst exacerbentur, vt in Cleanactide octogesimo; proprij sunt abscessus ad inferas partes, quando eorum diuturnitas in pepasmi difficultate consistit, meatuúmque angustia; validæ autem sunt adhuc vires naturæ: alioqui pro abscessu, corruptio expectanda, quæ cachexiam inducit. Nam acutorum crises, potissimùm excretione suscipiuntur ἔξω & ἄνω, tum per sudores; tum etiam per hæmorrhagiam: idque iuuenibus, quorum meabiles sunt humores, meabile item corpus; ac iuueniles motus naturæ. Quæ tria sunt ad vacuationem criticam liberalem & liberam necessaria. Longa morborum historia est à cruditate humoris morbifici, deficiente pepasmo. Non enim hîc cæteras diuturnitatis causas agnosco. Cruditas autem cernitur in proprio excremento; quod est vrina, cùm diu tenuis & aquosa emittitur, qualem iam posuit superioroptognosi. Ac ἀπόστασις quidem morboris est, atque scopus intelligetur examinando prognosin quæ sic conscripta est.

At vero] Disiunctiua periculi, alio me conuertit ad iudicandum de simili signo.

Vrina cruda] i. Expers omnis pepasmi, qualis est alba: nec ea quidem sic colorata de bile aliò deriuata, sursúmve ad caput transmissa, vt modò vidimus; sed coctionis vacuitate alba & aquea, nec verò id vitio coquentis naturæ; sed multum oppressæ.

DIV SIC REDDITA] Vt nulla sit excusatio nec ineuntis morbi, nec paroxysmi: quibus temporibus cruda meiendo redditur & aquosa.

SI CÆTERA SINT SALVTARIA] Non quidem quæ certam discessionem morbi ostendant; vt certè ostendi non potest in cruditate proprij excrementi, quod est vrina: sed quæ sperabilem vitæ salutem denunciant ex mitiori morbo: vbi nec inflammatio, nec venenata qualitas, nec item nobilium partium occupatio, interitus metum adferunt: cætera autem votis naturæ respondent ac medici, quæ sunt; libertas spirandi, cibi ac somni benignitas, sæui doloris & cruciatus vacuitas. Denique signa omnia quæ cernuntur in qualitate corporis, in actionibus & excrementis, proximè abiunt à naturali statu.

ABSCESSVM DENVNCIANT CVM DOLORE, &c.] Non eum quidem qui fit κατ' ἐυθεῖαν, sed κατὰ μετάστασιν, ab vna parte in aliam: quod vocat præceptor ἄνω καὶ κάτω. De quo est illud præceptum. *Abscessus rarò iis fiunt, quibus rigores tum critici, tum periodici.* Nam calidorum morborum qui cient rigores, excretio critica esse solet. Tum illud etiam. Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι γίνονται. i. *Quibus longæ sunt febres, iis tumores ad articulos, aut dolores exoriuntur.* Vbi Galenus febrium diuturnitatem agnoscit ductam ex crassis aut multis, aut frigidis humoribus, vnde nascuntur febres, quibus ad concoctionem longo est opus tempore: propterea in iis consentaneum est phymata exoriri, & quod redundat, prolabi ad articulos.

[6. Epid.] [aph. 44. 4.]

25 Ἀλγημάτων δὲ ἐν ὀσφύϊ πλανωμένων· ἐς ἰσχίον, καὶ ἐν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετοῦ.

Dolorum per lumbos oberrantium, & cum febre, & sine febre; ad ischium transitus esse solet.

QVONIAM de abscessu dictum est, qui de vrinis crudis futuris ostenditur in articulis qui sunt infra septum transuersum; hic signum est eius abscessus qui occupando ischium, facit ischiadem. Nam criticorum abscessuum communis præsensio comparatur, primùm ex morbi specie, vt in assidua febre lenta laboriosa, nam intermittentium longiorum mutatio est in quartanam: mox in ætate constanti, cùm iam in promptu non sunt tria commoda excretionis, vt in adolescentia & iuuentute: tum in tempestate hybetna: præterea in iis quæ sunt epiphænomena, tam excrementa, vt crudæ vrinæ; quam ipsa qualitas faciei, cùm est turgidula, decolor, & venæ micantes: postremò si lassitudo sit alicuius partis aut dolor. Quibus accedit febrium acutarum inchoata excretio quæ ad ἀπόστασιν se conuertit.

Ergo. DOLORVM QVI PER LVMBOS OBERRANT] Vt oberrandi causa in lumbis posita esse videatur, nec aliunde profecta: quod certè abhorret à sensu prognoseωs. Sed hic loquendi modus, ἐν ὀσφύϊ, pro κατ' τὴν frequens est apud Hippocratem.

ET CVM FEBRE, ET SINE FEBRA] Tum à catartho simplici prolabente ad lumbos: tum facta illuc metastasi humoris morbifici.

AD ISCHIVM TRANSITVS ESSE SOLET] Quoniam rheumatis propagatio è lumbis ad ischium, facillima est, tanquam à parte qua ischium continetur. Ac de humoris transitu sine febre à lumbis ad ischium, solennis est illa prognωsis iam pridem exposita. *Quibus rectè valentibus, hyeme frigus est circa lumbos atque grauitas leui de causa, tum aluus subsistit infera, & supera in officio est conuenienter; iis vel ischius, vel renum dolor continget, vel etiam stranguria.* Cum febre autem, de lumbis ad ischium humor prorepit, quemadmodum scripsit præceptor his verbis. Τοῖσι πολλάκις ὑποστρεφομένοισιν ἐκ ... ἑξαμήνου ... ἰσχιαδικαὶ φθίσιες ... γίνονται. i. *Quibus autem eodem & inde sunt crebri relapsus, exacto semestri labore, ischiadica tabes venit.*

[Coac. 530. lib. 2.]

26 Τὸ δὲ ἐκπεμπόμενον λίπος ἴσχον οὖρον ἐν ὑποστάσει· σημαίνει πυρετόν.

Vrina autem liberaliter meiendo emissa, quæ habet pinguem hypostasin; febrem abire denunciat.

INCHOATA est Græca lectio ἐν τῷ ἐκπεμπομένῳ, cùm ait, πυρετὸν σημαίνει, i. *febrem denunciat.* Non enim hoc spectat ipsa prognωsis, vt tantùm nos doceat febrem denunciari ab vrina descripta. Nec verò id nouum est, nec etiam febri tantùm denunciandæ appositum: sed eius qui ægrotat periculo aut securitati. Et quoniam τὸ ἐκπεμπόμενον orationis, renouat mihi memoriam secundæ prognoseωs in hoc capite positæ, visum est ipsum accommodare τῷ ... illius iam suprà expositæ. Est autem sic positum. ταχέως δὲ καὶ λύσιν σημαίνει. i. *Ac etiam quoque dimissionem febris ostendit,* &c. Hanc igitur ita scribendam & examinandam censeo ad normam & præscriptionem illius.

VRINA

Vrina avtem liberaliter emissa] Quæ olim parcè reddita multùm spissa ac [illegible], nunc pleno meatu, plenáque manu emittitur, facta tenuior. Qualem fluxisse accepimus illi Pericli, de quo hæc scripsit Hippocrates. [illegible] i. *Secundo exacerbata sunt omnia. vrinæ nihilominus erant crassæ, & subsidentia multa.* Et mox. [illegible] i. *Tertio, febris mitius, vrinarum copiá coctarum, multas hypostasim habentium.* Ac de vrina pauca & crassa, mox autem multa & tenui, solennis est ille aphorismus. [illegible] i. *Quibuscunque stillant primùm vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ, non febris expertibus; mox copiosæ fluunt; magnopere prosunt. Maximéque si iam ab initio, aut non ita multo pòst, hypostasin exhibent.*

Qvæ habent pingvem hypostasin] Non autem velut araneæ telam, enatantem in superficie: quod pinguis est proprium liquefacti, nec residentis in fundo, sicut hic dicitur de pingui hypostasi, multa & crassa, vel etiam simili genituræ, in qua τὸ [illegible] agnouit Hippocrates, cùm febris est mitior. Quod etiam suprà iam diximus.

Febrem abire denvnciat] Signo & causa discessionis. Signo quidem mitificati humoris morbifici, liberiorúmque meatuum. Causa autem, de copia vacuati humoris, quæ cernitur in liberali vrina, quæ fuerat antè pauca; tum in copiosa hypostasi quæ pinguis apparet similitudine; non reuplè: cuiusmodi est χυμὸς pinguium iusculorum.

27 Τὸ δὲ αἱματῶδες ἐν ἀρχῇ οὐρηθὲν χρόνιον. τὸ δὲ ἀνατεταραγμένον, ἀνυφιστάμενον ὑποστρεπτικόν. τὸ δὲ λευκὸν, οἷον ὑποζυγίων κεφαλαλγικόν· τὸ δὲ ὑμενῶδες σπασμόν.

Cruenta verò vrina principio reddita; longi est morbi: at perturbata, quæ non subsidit; recidiuæ: sicut & alba, qualis est iumentorum; cephalalgiæ: pelliculosa autem; conuulsionis.

Parvm fideliter scripta est hæc prognosis, ex aphorismis: verbáque ipsa, nec verè, nec appositè possunt referri ad ea de quibus dicuntur, si quis ipsorum aucupió velit attendere: tum quædam sunt addita, quædam detracta minùs conuenienter suo quæque [illegible]. Faciam tamen sedulò vt veritas luceat ex diorismo verborum & rerum.

Crventa vero vrina] Cruenta, inquam, si de cruore qui vel vrinam tingit, vt in nephriticis calculosis; vel qui meiendo syncerus emittitur, rupta in renibus venula; aut qui proluuiem refert prærubram carnium quæ allauado liquuntur (id enim propriè significat τὸ αἱματῶδες οὖρον) certè non video quomodo hæc vrina longi est morbi, quin potiùs citò mortiferi. Sin autem cruentæ vrinæ significatio ad prærubram refertur, quæ sit eiusmodi, vel multa bile saturata, vel etiam rutila inflammatione serosi liquoris; profectò hæc potiùs breuis est morbi, quàm longi. Ergo vt vera sit clausula morbi longi de vrina quæ initio cruenta emittitur; significatio erit subrubræ quam fundit liquor serosus è sanguine, qui admodum mitis, facilè mitificari se sinit: non tamen citò; quòd eius pepasmo resistat humiditas nimia.

At pertvrbata qvæ non svbsidet; recidivæ] Hîc recidiua non est in metu quæ incidit ab inchoata crisi, non autem perfecta. Qui enim sperabilis esset crisis in perturbata vrina simili iumentorum, de qua formidabilis est vitæ discessio, aut grauiorum malorum accessio, vt cephalalgiæ & conuulsionis? Vide Galenum ad aphorismum 70.4. Ac satis iam de hac prognosi.

28 Τὸ δὲ πτυαλώδεις ἔχον ὑποστάσιας οὖρον, ἢ ἰλυώδεις· ῥῖγος δηλωτικόν.

Vrina autem quæ sputiformes habet hypostases, aut limosas; rigorem denunciat.

Enimvero criticus rigor qui ad hæmorrhagiã vel ad sudorẽ semel tantùm cietur in febre ardenti, non nisi cohibita spõte vrina, cietur, cùm ea cohibitio venit ἐκ χρόνου. & ad speciẽ crisis apparet de signis pepasmi quæ index quartus exhibuit ad septimũ inde præuisũ. Periodici autẽ rigoris nulla præuisio est, nisi de specie ac de periodo atq; typo febris ipsius rigoriferæ, qualis est tertiana exacta. Quæ igitur signa ponũtur in hac prognosi, nõ aliũ certè rigorem denunciant, quàm symptomaticũ; si modò vllum denunciant. Etenim rigoris vnus idemq; index, qui & illius causa. Nã vbi est empyema conclusũ in vomica, vel effusũ; ibi cietur rigor: & vbi cietur, ibi empyema subesse testatur. Vetus est illud Hippocratis.

lib. 6. Epidem. & 5. aph.

Φύσ[illegible] ... ἀγγεῖον, ἐκ δὲ ἰσχίων. Quæ cùm ita sint, huc reuocanda est lectio ipsa prognoseos, vt veritas inde luceat.

Ergo. VRINA AVTEM QVÆ SPVTIFORMES HABET HYPOSTASES] Fortasse meliùs, ὠοειδέας, i. albumineas, quæ valent plurimùm ad exoluendam conuulsionem, quando materia conuulsifica fertur de neruis ad venas, vnde funduntur illæ vrinæ. Sed non satis ad rigorem mouendum; nisi conuulsio priùs neruorum transeat in concussionem, forti conatu naturæ. Ac tum rigor ille prænoncius esset hypostasis albumineæ: non hæc rigoris. Nam sputiformis hypostasis, non nisi de vitiis renum aut vesicæ apparet, quæ illis in partibus sæpe sunt rigorifera.

AVT LIMOSAS] E limo partium quæ liquuntur, aut quibus per totam substantiam diffusum est empyema cœnosum vel amurcosum: non autem in membrana collectum. Hic non est mirum, rigorem moueri ἐν σύμπτωμα, qui empyema illic subesse testatur, vbi crebrò cietur, sicut in cæteris empyematis.

29 Τὸ δὲ ἀραχνῶδες συντήξιος.

Illa verò quæ habet velut telam araneæ, colliquamentum ostendit.

PARTIVM quæ liquuntur signa sunt in vrinis funesta, vt suprà ostendimus, vbi exposita colliquatio est quæ apparet in oleosa & pingui vrina quæ instar araneæ cernitur in ipsius superficie: velut χνόος pinguium iusculorum. Nam oleosæ vrinæ distinctio est adducta. Huius prognoseos sic lectio est in prognostico. Καὶ τὰς λιπαρὰς δὲ τὰς ἄνω ἐφισταμένας ἀραχνοειδέας μέμφεσθαι· συντήξιος γὰρ σημεῖα, i. *Et pingues quoque suspensas araneosas hypostases improbare decet, vt colliquationis signa.*

30 Τὰ δ᾽ ἐν πλανώδεσι πυρετοῖσι μέλανα νεφέλια τεταρταῖα.

Quæ in erraticis febribus sunt nigræ nubeculæ, quartanas denunciant.

HIC PRIMVM in febribus quæ sint erraticæ, & cur ita, quærendum: mox exponenda est ratio signi huius quod in vrina cernitur erraticarum quæ transeunt in quartanas. Enimuero hic sunt πλανώδεες πυρετοὶ, quas idem alibi vocat πλανήτας, i. *febres erraticas*: ob eam sanè causam, quòd illæ, vt idem author est, διαλείπουσι καὶ ἐπιλαμβάνουσι, πεπλανημένῳ τρόπῳ, i. *intermittunt ac denuo inuadunt, modo erratico.* Erratica autem ratio intermittendi & inuadendi, sic ponitur à Galeno vbi enarrat qui sint πλανώδεες πυρετοί. Sic enim ait. *Erraticæ febres inordinatos ac certo typo carentes habent paroxysmos particulares.* Cur autem sint ita; primùm ex lib. 3. prognost. tum ex lib. 1. Epid. & ex 1. lib. Coac. in tritæophya erratica ostendimus. Igitur febres erraticas ita esse, ob eámque causam paroxysmos habere incertos, narrat Galenus, cùm vniuersi corporis non vna est, eadémque affectio: sed in quibusdam partibus humor cietur, in aliis manet immotus: tum verò in aliis quidem putrescit atque feruere incipit. Huiusmodi quoque sunt tritæophyæ febres, de quibus hæc scripsit præceptor. *Igitur longæ erant ac difficiles, tum sine ordine vagæ & errabundæ; tum sine crisi, exactum ad morbum, fiebant quæ illis in febribus apparebant, videlicet rigores sudores, vrina.* Atque rigoris quidem incerti causam ostendimus ad illam prognosin. *Tritæophyarum febrium incerti rigores qui medio febris cursu exacerbantur, valde maligni.* Ex cuius notitia demonstratur illa prognosis. *Tritæophyæ febres erraticæ in pares mutatæ, sunt contumaces.* Certissima autem securitas est, quòd ἀταξία paroxysmorum typi expertium, inde venit, cùm ex multiplici cacochymia, quam tempestates intempestiuæ, atque diætæ vitia pepererunt; retro sublapsa refertur naturalis œconomia; tum ipsa æqualitas labefactatur partium gignentium, trahentium, aut suscipientium excrementa, quæ non sunt ampliùs æqualia quantitate, similia qualitate, nec item ampliùs tractu eodem temporis, iisdémque collecta periodis, & exclusa vt solebant, dum bene esset morata œconomia, similitérque partes affectæ. Sed inter febres erraticas, continuarum quidem longarum, proprij sunt abscessus; intermittentium verò diuturnarum, μετάστασις in quartanam. Quemadmodum autem id fiat, causa & ratio adducetur.

1. Epid. lib. 3. progn.

Coac. 27 libr. 1.

Coac. 39. eiusdem lib.

Ergo. IN ERRATICIS FEBRIBVS] Quarum incerti sunt paroxysmi, & ipsæ periodi sunt typi expertes, ob multiplicem cacochymiam, variámque partium affectionem.

NVBECVLÆ NIGRÆ] Ductæ è venis, in quibus tum omnibus eadem prorsus affectio est in dominatu nigri humoris.

QVARTANAS DENVNCIANT] Quæ ortus principia ducunt ex nigro humore quem genuit biliosus & varius febris erraticæ intermittentis: cùm scilicet affectionum varietas in variis partibus, vbi aliter atq; aliter humor putrescens mouetur, aut primùm feruescit, vel contrà immotus; cùm, inquam, varietas affectionum transit in vnam venarum affectionem. Sic enim μεταπτώσιων distinctio est quæ cadunt in febres, apud Hippocratem in hac prognosi. Χρὴ δὲ καὶ περὶ ἀποστάσιος προσδέχεσθαι, συνεχέος ἐόντος τοῦ πυρετοῦ. ἐς δὲ τεταρταῖον καθίστασθαι, ἢν διαλείπῃ τε, καὶ ἐπιλαμβάνῃ πεπλανημένῳ τρόπῳ, καὶ ταῦτα ποιέων τῷ φθινοπώρῳ προσπελάζῃ, i. *Porrò abscessum expectare oportet, si continua sit febris: transituram verò in quartanam, si intermittat, prehendátque erratico modo, idque faciat propinqua autumno.*

lib. 3. progn.

31 Τὰ

31 Τὰ δ' ἄχροα μέλανα ἐναιωρεύμενα, μετ' ἀγρυπνίης καὶ ταραχῆς· φρενιτικά.

Decolores autem quæ nigra ostentant enæoremata, idque cum vigiliis & perturbata mente; phrenitica.

VETVS EST illud Hippocratis. *Positis duobus magnis, orienda inde sunt magna.* Et, *Quando affectæ causæ excipienti accedit vis magna efficiendi; magnum est quidpiam quod exurgit.* Nam τὸ ὑποδεκτικὸν, τὸ ποιητικὸν ex æquo certant ad id quod instituunt efficiendum. Ergo si vrinæ decolores nigris appensæ enæorematis, parem nactæ fuerint affectionem cerebri ad excipiendam vim summam ardoris & bilis cuius [illegible] eò cieri tales vrinæ denunciant; certum est illic phrenitidem mox excitatum iri, domicilio inflammationis ipsius. Ac præparatio τοῦ ὑποδεκτικοῦ ad excipiendam vim summam ardoris & bilis, cernitur in vigiliis & perturbata mente. Quemadmodum autem hæc fiant & inde appareant; declarabit examen ipsius prognoseos quod sic aggredior.

6. Epid. part. 4.

DECOLORES AVTEM] i. Coloris expertes, cuiusmodi sunt τὰ ὑδατώδεα, i. *aquosæ*, vt nominantur in aphorismis eo euento phrenitidis quem author hic posuit. Sunt autem decolores & aquosæ, non quidem per se coloris expertes, cuiusmodi esse dicuntur proruptæ aut raptæ, quibus prærepta fuit occasio coctionis: sed quibus deleta est coloratio illa bilis qua prius saturatæ fuerant de concitata bile sursum ad caput, vnde non habet exitum per hæmorrhagiam: sed inflammationem ibi mouet, vbi subsistit, quæ ipsam bilem è venis denuo ad se rapit.

QVÆ NIGRA OSTENTANT ENÆOREMATA] i. Ad verbum, *nigris appensæ*. Quam dialectum Galenus exagitat vt solœcismum, qui frequens est apud Hippocratem, nec Hippocraticam minuit maiestatem. Metonymia est rei quæ continet, pro ea quæ continetur. Nec verò absurda est hypallage, vrinam dicere nigris appensam, pro iis quæ in vrina cernuntur appensa. Sed hæc indigna sunt tanto authore Galeno, qui ad nauseam vsque, hoc ipsum repetit. Ergo vrinæ decolores quarum deleuit colorem concitatio bilis ad caput quæ ipsas antea colorabat, mirum videri non debet si nigra ostentant enæoremata, iis appensa de nigro humore quem genuit ardor febrilis in sanguine torrefacto, vel in corporibus quæ ab eo liquuntur. Talis est ratio vrinarum tenuium oleosarum, quæ oleosæ non sunt proprio ipsarum liquore atque colore: sed enatante in ipsis velut araneæ tela de pingui quod liquitur, qualis apparet χλιαρὰ in carnium iusculis; vt supra monuimus ex præceptore. Et verò de nigris vrinis, déque illis omnibus quæ vel subsidunt intra vrinas, vel appenduntur, vel enatant nigra, vnde ducantur & quorsum appareant, nihil necesse est plura hîc scribere: quando iam omnia, duce Hippocrate, suprà conscripsimus.

IDQVE CVM VIGILIIS] Vacuitate somni, quem cerebri calida intemperies & perturbatio mentis initi non finit, nec vlla suppetit conciliando somno materia, quæ tota est fumida, minimèque suauis, vt decet. Atque hoc vitium τοῦ ὑποδεκτικοῦ i. *excipientis* cerebri, vel ipsum per se satis est phrenitidi excitandæ, in regno febris acutæ. Plurimum autem periculo adiicit efficientis causæ, ipsa præparatio excipiendi summam vim eius quam diximus esse positam in concitata bile ad caput vbi subsistit, nec exitum inde habet. Cernitur illa præparatio excipiendi, cùm ait.

ET PERTVRBATA MENTE] i. Cum pertorbatione: quæ vox, cùm legitur ἁπλῶς, mentis est perturbatę: sicut & μετ' ταραχῆς, modò est alui, modò vrinę, cęterarúmque omnium excretionum quę & cum impetu & cum morsu cieutur. Est igitur nomen τῆς ταραχῆς mentis emotę, quà itur ad ipsam phrenitidem, cum inflammatio cerebri est in propinquo, ab efferata bile illuc transmissa.

PHRENITICÆ] i. Signo phrenitidis, quæ est delirium intermissionis expers, quod morum ferocitas contra consuetudinem ægri denunciat, cum impotentia dormiendi, & febre acuta. Sed multa iam aliàs de phrenitide.

32 Τὰ δὲ κονιώδεα, μετ' δυσπνοίης· ὑδατώδεα.

At verò lixiuia, cum dyspnœa; sunt hydropifica.

SICVT VRINÆ aquosæ decolores factæ ex concitata & segregata bile ad caput, signo apparent phrenitidis; ob eámque causam dicuntur phreniticæ: ita lixiuiæ cum dyspnœa, sunt hydropificæ ex euentu, quatenus hydropificam iecoris labem testantur atque denunciant.

AT VERO] Quod est eiusmodi ac si diceret. Non sic res cunt de vrinis quæ hîc ponuntur, vt obseruatum est in superiore prognosi de aquosis phreniticis. Nam

VRINÆ LEXIVIÆ] i. Lixiuio similes, quia liquore atque colore similitudinem effingunt lixiuij facti ex lixe, quam κονίαν Græci vocant. Non enim vrinæ sunt κονιώδεες, de ipso cinere vnde dicuntur: sed de lixiuio facto ex lixe vel cinere. Ac tales vrinæ, vt iam non ita pridem attigimus, nominantur similes iis quas edunt iumenta, quæ diu depositæ non residunt, quas etiam vocat Hippocrates οὖρα θολερά.

aph. 70. 4

ἀδιαταραγμένα, i. turbatas. Sunt autem eiusmodi, perturbato sero in venis à spiritu flatulento, & intus incluso febrili ardore. Atque in illis cernitur cùm in conspectu sunt, id quod prudenter Hippocrates annotauit, ἡ πάντων σύγχυσις καὶ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσία, i. confusio rerum omnium, vasorúmque impuritas.

6. Epid. part. 3. Odyss. 10.

Cvm dyspnoea] Quæ est difficilis respiratio, siue spirandi angustia frequens & praua, quam facit oppressio diaphragmatis ab inflammato hepate, supera eius parte, i. connexa. τὰ ὑπὸ φρένας ἥπατος. Quæ inflammatio superatum hepatis partium, irritam mouet tussim, lacessito diaphragmate ab exundante sero: rapta scilicet bile quæ hinc per venas diffusa, saturatas bile facit vrinas atque confusas: tum verò à phlegmone τῶν ἀνωμερῶν τοῦ ἥπατος, planè id accidit quod refert Hippocrates in illa prognosi. *In biliosis aluus turbata, quæ pauca exhibet genitura similia, atque mucosa, & circa hypogastrium dolorifica; tum nec vrina faciles in meiendo, ex talibus desinunt in hydropem.*

Svnt hydropificæ] i. Abdomen aquis repletum iri denunciant & vtriforme futurum: quod est hydropis causa & signum. Hæc autem nascuntur ab hepate alienato per [illegible], cum extinctione caloris sanguifici, vnde perennis aquarum generatio est quæ per lienem in omentum depositæ transeunt in amplitudinem alui; & ibi stagnantea, ipsam faciunt vtriformem. De qua iam illud scriptum est. *Si cui aquoso cum febre, vrina sit pauca & turbida, perniciosum.*

Coac. 7. c. 19. li. 2.

33 Οὖρα ὑδατώδεα ἢ τεταραγμένα ψαφαρῇ τρηχύτητι κοιλίην ὑγρὴν ἐσομένην σημαίνει.

Vrina aquosa vel conturbata arenida asperitate liquidam fore aluum denunciat.

Qvorsvm appareant vrinæ aquosæ decolores, ex euentu bilis concitatæ ad caput, nullo præeunte pepasmo ad crisin per hæmorrhagiam; quid item præsagiant perturbatæ cum spirandi angustia; dictum est illis prognosibus quæ huic sunt citimæ: ac demonstratum, quòd illæ quidem sunt phreniticæ; hæ verò hydropificæ, ob iecorariam labem quam intus subesse testantur. Hîc vero ambarum noua est instituta prognosia, quæ aliò nos conuertit quam supradictæ: cùm scilicet illæ vrinæ cum certis quibusdam signis coniunctæ, liquidam fore aluum denunciant. Quemadmodum autem id fiat, faciam vt optimus quisque studiosus intelligat.

Vrina aqvosa] Non quidem coloratione bilis amissa, ob eius ad caput anadromen, sine spectabili vlla crisi: sed quæ, collapsa virtute coquendi, summa præ se fert omnia cruditatis.

Vel contvrbata] De spiritu flatulento in venis, déque insigni æstu quo incandescit hepar.

Cvm asperitate arenida] Cuiusmodi fiunt carnes, quando iam dudum emortuæ sic tenerescunt, vt facilè lacerentur, ac frustulatim quodammodo discerpantur, quas vulgus nominat bene mortificatas. Vel etiam cùm de venis porriginosis quidam velut furfures cum vrina feruntur, & in fundo residunt. Quæ sunt hypostases de iis quæ intus liquuntur: & nominantur; hæ quidem, πιτυρώδεες, i. *furfuraceæ*; quemadmodum illæ κριμνώδεες, de quibus abundè suprà. Iam pridem constat, quòd furfuracea omnia vrina, si quidem est tenuis, venit de venis: sin autem crassa, de ipsa vesica. Pertinet autem τὸ πιτυρῶδες καὶ τὸ κριμνῶδες ad vrinarum prauam hypostasin. Asperitas verò ψαφαρή, teneritatem significat rei asperæ quæ in vrina subsidit, éstque, vt ita dicam, friabilia. Nam illud, ψαφαρὸν, idem est quod in prorrhetico nominauit ψαθυρὸν, i. *tenerrimum atque friabile*, vel etiam, *quod frustulatim discerpitur facilè*. Qualem putauit esse pulmonem, quem alibi vocat ψαφαρόν.

aph. 77. 4.

lib. πρὸς ῥητικῶν.

Liqvidam fore alvvm denvnciat] Quoniam seri cruditas quæ ex ventriculo manet in hepate & hepatite; tum perturbatio ipsa ob imbecillum calorem & flatus, cœptam ventriculi ἀπεψίαν, multùm auget fouétque; vnde lienteria, quæ ex infirmitate orta naturæ, ipsam denuo infirmiorem facit.

34 Τὸ δὲ ἐκ λεπτοῦ οὖρον δασυνόμενον ἆρα ἱδρῶτα δηλοῖ; γενόμενον δὲ, τὸ ἀφρῶδες ἐφ' ἑωυτὸ ὑφιστάμενον;

Quæ ex tenui, crassa efficitur vrina; an sudorem prænunciauerit? an præcessisse spumosa in séque subsidens indicauerit?

ΔΑΣΥΝΟΜΕΝΟΝ οὖρον, vrinam hîc toto importare liquore & crassam, & confusam; subsidentis oppositione comprobatur. Huiusmodi fieri ex tenui & aquosa non potest; nisi permixtis sero, quod vrinæ materia est, sanguinis inquinamentis, vel residentibus antea, vel abundè ex partium cuiusuis ergastulo deportatis. Sed permixta inquinamenta crassam efficient, cuius proinde vel simplici effluuio multi præter conuulsionem morbi depelluntur: turbidam autem, nihil nisi perturbatio effecerit, quæ comite & ministro flatulento spiritu, omnibus omnia permixta continet, leuibus grauia; se-

cerni

cerni quid quam, suásque in sedes abire, magnopere prohibens. Eam autem perturbationem in vrina superstitem esse oportet illius quæ in venis antecessit, vnde vrina effluxit. Iam igitur si omnis sanguinis intra venas perturbatio duplex est, symptomatica vna, altera critica; cùm symptomaticæ abesse signa oportere intelligeret, antequam de critica concludatur; incertam fore prædictionem sciens tantisper dum id inspicitur, interrogando illam dubitanter proposuit, quam affirmando non potuit absolutè extulisse. Symptomatica perturbatio erit a cephalalgia, vel simplici cuius accuratissimam Galenus demonstrationem repetiuit à confusis vrinis & perturbatis; vel cum insignis febris ardore vehemente coniuncta. Critica contrà quæ huc aduocata est, naturæ est, morbificum succum ex sanguinea massa in sudores elicientis. Itaque ergo sæpe fit vt serum ibi cohibitum inhibeat vrinas, part. 1. sect. 2. 6. Epid.

Pars propositionis altera lucem ex priore admittit. Commotionis criticæ quæ in sanguinea massa sudorem promouendo præcessit, argumentum erit in spuma, stabili illa quidem, vt quæ fundamentum in crassiore materia habet; proptereaque δυσλύτω, i. *solutu difficilis* Remissionis autem quæ a commotione habetur, quietisque iam penè quæsitæ & partæ, fiducia ex eo est, quòd quæ commixta manebat antè, nunc aliquantisper deposita residere, i. quod crassius, in fundum depositum, à liquido secretum ostentare incipit. Sic intentos capitis dolores relaxari, febrilis ardoris incendia mitigari, eadem edocere vrina consueuit. De sanguinis perturbatione ad sudorem proliciendum in febribus curandis, audi quid dicat Hippocrates lib. 2. de Diæta. *Incalescente & citato intra venas sanguine, vehemens in corpore perturbatio est, ipsúmque partim spiritu abeunte expurgatur; partim, quod concretum erat, attenuatum atque ad cutim appellens excluditur: atque id sudor appellatur. Tum eo excluso, sanguis redditur priori conditioni & quieti, dimittitque febris.*

35 Τὰ δὲ ἐν τριταίοισι μετὰ φρίκης, οἷα νεφέλια μέλανα· φρίκης ἀκαταστάτου δηλωτικά.

Cùm in tertianis horriferis velut nubeculæ nigræ sunt; incertum horrorem denunciant.

Hvivs prognoseωs explicatio repetenda ex 30. huius cap. quæ sic expressa est. Τὰ δὲ ἐν πλανώδεσι πυρετοῖσιν νεφέλια μέλανα· τεταρταῖα. i. *Quæ in erraticis febribus nubeculæ nigræ sunt, quartanas denunciant.* Ad illam igitur velut normam sic emendanda & examinanda videtur, quæ nunc adducta est ad examen.

Cvm in tertianis horriferis] Proptereaque nothis: nam tertianæ exactæ cient rigores de bilioso humore ad cutim expresso ἐκ τῶν ἀγγείων. Materia autem notharum, permixtione bilis & pituitæ constat: qui sanè humores non sunt ὁμοιόῤῥοποι in pari tempore collectionis, corruptionis, & motus; proptereaque mouent paroxysmos incertos, vnde nominantur erraticæ. Ac de natura erraticarum, cur sint huiusmodi, satis iam dictum est ad prædictam prognωsin. Iam verò ille horror tertianæ appositus, aliò referri non potest, quàm illuc vbi discessio est paroxysmi diuturni, & ipsa febris diurnæ vacuitas, quam Græci vocant ἀπυρεξίαν. Etenim semitertianæ horriferæ vel hemitritæi, quæ est reapse νοθώδης, esse non potest, ob febris assiduitatem quæ intermittit nunquam, nec habet ἀπυρεξίαν diurnam. Nec verò tritæophyæ febris incerti rigores, vnde est ipsa quoque erratica, eò spectare possunt quò instituta prognωsis. Nam febres illæ sunt intermissionis expertes; proptereaque non transeunt in quartanas, vt solæ erraticæ tertianæ: quod in prognosticis annotauit præceptor.

Velvt nvbecvlæ nigræ svnt] Ratio signi huius, suprà iam dicta est, nec ita pridem.

Incertvm horrorem denvnciant] Hic locus non caret suspicione mendi, ac pro ἀκαταστάτου, legendum καταστάτου, ὅ ἐστι τεταγμένου. Nam ex incertis paroxysmis, vnde sunt febres erraticæ, nascuntur certæ quartanæ, quarum est etiam certa ἐπισημασία periodicus horror ac typicus: vt exactarum tertianarum rigor. Ratio autem cur febres erraticæ transeant in certas quartanas atque constantes, nuper audita est de Galeno ad illud prognosticum præceptoris de transitu febrium in quartanas. Fbr.3. progn.

36 Αἱ ὑμενώδεες οὐρήσιες, καὶ αἱ μετὰ φρίκης ὑφιστάμεναι· σπασμώδεες.

Membranaceæ vrinæ, & quæ cum horrore subsidunt; conuulsionis prænunciæ.

Membranaceæ vrinæ dicuntur, non quidem liquore: sed iis quæ intra sunt; & sunt eiusmodi de partibus quæ à febrili ardore liquuntur. At partiū quidem illarum colliquamenta sunt ὑμενώδεα, vel eò quòd referant tenues quasdā membranas, qualia posuit in prognosticis πεταλώδεα, i. *lamineas*: vel quòd è partibus membranosis, putà è venis inæqualiter liquefactis, πιτυρώδεα, i. *furfuracea* emittantur cum ipsa vrina. De quib. colliquamētis, sic ratio est Galeni. *Primùm quidē liquatur tener ac recēs adeps per adurētes febres;* lib. 2. progn.

inde mox durior atque vetustior:tum carnes sequuntur tenera ac recentes; post illas,dura & veteres:tandem nouissimè illis succedunt solida partes corporis,qua inaequaliter liquefacta,corpuscula quadam laminosa cum vrinis effundunt. Nam de furfuribus qui residunt in fundo vrinæ, vetus est illud positum a Galeno; quòd cum vrina tenui labuntur è venis porriginosis,quarum virtutem atque substantiam labefactauit ὁ δυσμενὴς φλογώδης τοῦ πυρετοῦ ἢ συντηκτικός. i. *flammeus febris calor atque tabificus.* Hîc venit in mentem mihi quod ex prorrhetico suprà iam exposui & emendaui, vbi,similiter vt hic, scopo eodem leguntur οὖρα ὑμενώδεα: reposui autem pro iis ἀφρώδεα,i.*spumantes.*Quam lectionem Galenus sic enarrauit.*Spumantes quidem vrina vndecunque gignantur,siue à spiritu flatulento turbata,siue à colliquamento,vtrinque pariter conuulsionis mouent suspicionem.*Decisio Coaca ex prorrhetico simili emendata, sic legitur. Αἱ ταραχώδεες θρασύτητες, ἐξ ὕπνων ... ἀφρώδεα· ἄλλως τε καὶ μεθ' ἱδρώτων. ἀφρώδεα δὲ καὶ τραχήλου καὶ μεταφρένου ἐπίψυξις, ... i. *Qui cum feroci turbatione animi, somno excussi, non sunt apud se,grauissimum habent malum, & conuulsificum: idque cùm aliàs,tum si prorumpant sudores. Conuulsifica sunt etiam ceruicis & dorsi perfrixiones;cuiusmodi planè videntur corporis vniuersi. Ac tum vrina sunt membranacea.* Ex quibus efficitur, quòd magis conuulsificæ sunt membranaceæ,quàm spumantes. Nam si hæ quidem spumantes, authore Galeno, sunt conuulsificæ, vt liquamenta corporis; maior profectò vis conuellendi erit de membranaceis,in quibus maior est colliquatio partium solidarum.

Coac.88. lib.1. prorrh. 20.f.5.1.

prorrh. sup.citata.

Et quæ cum horrore subsidunt] Græcè est ὑφιστάμενα μετὰ φρίκης: tametsi aliter scriptum reperio, ἰσχόμενα,i.*qua intus subsistunt cohibita* vel intro raptæ,& inde ad caput transmissæ. Atque hæc ratio vera est conuulsionis, cùm scilicet vrina quævis cum horrore subsistit, intus cohibita: nec minùs illa suppressio conuulsifica est quàm illa quæ spumans aut membranacea meiendo emittitur. Sic enim video placuisse Hippocrati cùm ait. Οὔρων ἐπίστασις οἷσι ῥῖγος, καὶ ἐπὶ τούτοισι σπασμὸς... i.*Vrina suppressio quibus rigores;quibus obortis, conuulsio incidit.* Quod est eiusmodi ac si diceret. Quoties vrinæ suppressio rigorifera est, vt symptoma;mox conuulsifica esse solet. Nam *posticarum partium symptomatica refrigeratio, conuulsionem mouet.* Quinetiam vt rigor vrinæ soppressæ: ita rigoris vrinæ suppressio ferè symptoma est: vt constat ex illa prognosi. Ἐκ κατοψύξιος οὔρων ἀπολήψιες γίνονται. Est autem vrinæ suppressio, rigoris ad κρίσιν prænuncia,cùm illa venit ἐκ χρηστῶν:vt annotauit præceptor lib. 6. Epid. his verbis. Πρὸ ῥίγεος αἱ ἐπισχέσιες τῶν οὔρων,ἢν ἐκ χρηστῶν ἴωσι.i. *Ante rigorem vrina suppressio si ex bonis ducatur.* Ergo tum vrinæ membranaceæ quæ cum horrore subsidunt;tum quævis aliæ quæ cum horrore subsistunt;conuulsionis prænunciæ.

prorrh. 17.f.3.1.

Coac.7. l.1.

sent. 10. part.1.6 Epid.

38 Οὖρον χρηστὴν ἔχον ὑπόστασιν, ἐξαπίνης μὴ ἔχον πόνον καὶ μεταβολὴν σημαίνει.

Vrina qua vtilem habet hypostasin,& mox non habet;laborem & mutationem ostendit.

De coctionis & cruditatis vicissitudine quæ cernitur in vrinis, quæ modò habent bonam hypostasin,modò nullam aut malam;vnde illa veniat vicissitudo & quorsum appareat; dictum est abundè suprà. Sufficiet igitur explicare hoc loco, quid per laborem & mutationem intelligat, quibus tribuitur illa vacuitas hypostaseως repentina quæ paulò antè paulisper vtilis in vrina apparuit.

Ergo. Laborem at mutationem ostendit] i. Inualescentis morbi, & succrescentis humoris morbifici:tum fatiscentis naturæ, vel occupatæ imperio ac dominatu morbi;certissimum est argumentum. Nisi quis fortè diætam accuset rerum earum quæ assumuntur,quale inter cætera numeratur τὸ νέον χελῶδες carnium colliquatarum. Ac sanè labor est, cùm per sympathiam symptomata veniunt insueta quæ priùs non aderant. Mutatio autem cernitur in humoris & morbi μεταβολῇ, de non sperabili antè crisi. Nam insperabili,sæpe vrina limpida & aquosa caret hypostasi: ac tum vel dysenteriam in senibus,vel hæmorrhagiam iuuenibus mox affuturam ostendit.

38 Τὸ δὲ ὑπόστασιν ἔχον, ἐκταραχθὲν, κατιστάμενον ῥῖγος περὶ κρίσιν· τάχα δὲ ἐς τριταῖον ἢ τεταρταῖον μετάστασιν.

Qua autem perturbata hypostasin habet, residens; rigorem circa crisin denunciat: fortasse etiam transitum in tertianam aut quartanam.

Vrinæ quam ægri meiendo emittunt,vt liquor est constans aut varius in tenuitate, crassicie, puritate, confusione:ita constantis aut variæ coctionis, aut cruditatis perfectæ vel inchoatæ,& quorsum illa sic in conspectu sit medici, argumenta profectò certissima esse solent. Nam recens facta vrina quæ primo conspectu cernitur & colorata bellè,& modicè crassa, & bona hypostasi prædita,idq; constanter;

tem, vt fractâ est morbi, & cœptæ redintegrari naturæ : ita securæ crisis mox affuturæ. Ac ne adducam cætera, nec longiùs mea excurrat oratio; quæ primo aspectu confusa est ac perturbata modò emissa, mox autem residit, paulisper deposita; quorsum illa fiat siue appareat, in hac prognosi docetur, his verbis.

QVÆ AVTEM PERTVRBATA] i. Turbulenta vrina, quæ sic meiendo emissa est: nec tamen sic confusaneâ mixtione humoris cum sero, vt maneat eo statu, nec segregari possit. Qualem accepimus illam fuisse, quam Dromeadei vxor reddebat, quæ diu deposita non residebat, nominaturque ἄρα καθιστάμενα, ἢ θολερά. Nam residendi habilitatem, & segregati humoris distinctionem in ea quæ traditur in hac prognosi, planè hæc docent.

HYPOSTASIN HABET RESIDENS] i. Quæ suam veluti fæcem deponit, vt vinum in cella vinaria, quod agitatum in dolio priùs turbatum erat. Sunt autem vinorum θολερῶν duo genera. Nam alia quidem residunt quæ mustea diu fuere : alia verò à tonitru perturbata sunt, in perpetuum ἀκατάστατα. Sic vrinarum quæ perturbatæ meiendo redduntur, quarundam similiter est perturbatio constituta, vt illarum quas in Dromeadei vxore ita descripsit Hippocrates. Οὖρα παχέα, λευκά, θολερά, οἷα γίνεται ἐκ τῶν καθισταμένων, ὅταν ἀναταραχθῇ· καὶ ταῦτα χρόνον πολλὸν οὐ καθίστατο i. *Vrinæ crassæ, albæ, turbidæ, quales ex residentibus fiunt cùm perturbantur : hæ diu depositæ non resident.* Secus est illis quæ cùm emissæ fuerint perturbatæ, mox puræ & claræ redduntur, fæce in fundum deposita, quam segregat virtus caloris natiui: sicut in illis manet confusio firmiter fixa & stabilis de paupertate huius natiui caloris, & summa vi spiritus flatulenti.

hist. II. lib. 6. Ep.

RIGOREM CIRCA CRISIN DENVNCIAT] Expressa febris cacochymia è vasis ad cutim, vodecietur rigoris concussio critica, die critico: postquam turbatæ huius vrinæ, mox residentis, inchoata concoctio transierit in manifestam. Ac tum rigoris certissima significatio est, cum talis vrinæ suppressio Incidit ἐν τῷ χειμῶνι.

6. Epid. part. 1.

FORTASSE ETIAM TRANSITVM IN TERTIANAM] Cùm scilicet bilis regnum in vasis, migrat in habitum corporis; ac tum rigorem excitat periodicum tertianæ, non autem criticum febris continuæ, de non sperabili antè crisi ex coctione perfecta. Ex quo apparet, quòd eadem febris acutæ & tertianæ materia, distinctionem alterutrius infert, vt illa introrsum per hepatitin & per aortam mouetur; aut contra è venis ad cutim excurrit, vbi rigorem ciet. Sanè rigor omnis qui benè fit, ac duce natura suscipitur, aut febris acutæ in totum, aut paroxysmi diutni discessionem prænunciat.

AVT QVARTANAM] Non quidem primùm & per se : sed interuentu febris erraticæ, quæ sola omnium degenerat in quartanam.

39 Ἐν πλευριτικοῖς οὖρον ὑπέρυθρον, ἔχον λείην ὑπόστασιν ἀσφαλέα κρίσιν σημαίνει.

In pleuriticis vrina subrubra quæ hypostasin habet leuem; securam crisin denunciat.

VT BONA vrina, morborum omnium securitati: sic mala, periculo multum adiicit. Nec verò sperabilis vitæ salus de crisi propria morbi cuiusque, certa & fida spe medicum consolari potest, nisi adiuncta sit laus vrinæ quæ crisis ipsius securitatem ostendat. Exemplum adducit in hac prognosi.

IN PLEVRITICIS] Quos occupat inflammatio tunicæ costis intextæ. Qua de re multa iam ipsi suprà conscripsimus.

VRINA SVBRVBRA] Cuius non ita pridem causa & ratio in hoc capite scripta est.

QVÆ HYPOSTASIN HABET LÆVEM] De constituta bene ac bene morata hepatis & hepatitis œconomia.

SECVRAM CRISIN DENVNCIAT.] Quæ tum naturæ mitificantis ope, tum pari opera thoracis affecti suscipitur per anacatharsin liberalem & liberam sputi boni. Tum enim credibile est, nihil de vitio partium inferiorum succrescere, & ad thoracem confluere quod ei se fortiter morbo explicandi, negotium nouum facessat.

40 Τὸ δὲ ὑπόχλωρον εὐανθές, λευκὴν ἔχον ὑπόστασιν καὶ ταχεῖαν.

Subuiridis autem & florida, cui est alba hypostasis; ipsam quoque citam crisin ostendit.

VERITAS quidem lucet superioris prognoseωs quæ ponit vrinam subrubram, ac leui præditam hypostasi, ad securam crisin pleuritidis, cùm ea per ἀναχρέμψιν liberam & liberalem suscipitur. Hæc autem quàm verè sit posita & apposite ad crisis illius celeritatem cum securitate coniunctam, vix videor posse animo ac mente complecti. Etenim citæ crisis fiducia stat in exacto pepasmo humoris pleuritici, & validis viribus partium spirabilium. Ei celeritati, quæ fundamentum habet in laude τῆς ἀναχρέμψεως

ὑπαρχόντων, i. *rerum earum quæ præsto sunt* ad citam crisin, multum adiicitur ἐκ τῆς ἀπουσίας τῶν συμφερόντων ῥεῦμα, i. *absentia rerum earum quæ nocent*, quæque impediunt celeritatem crisis. Absentia rerum illarum cernitur in vrinis quæ commendantur laude coloris, liquoris, & hypostaseως. Quæ tria, vtrùm sint commendabilia in vrina huius prognoseως, planum faciet ipsius examen quod sic aggredior.

Svbviridis avtem] i. Vrina quæ instar succi herbarum virescit, non tam exactè tamen, nec tam saturati viroris, neque id toto liquore, sed superficie tenus vrinæ; cuiusmodi iam esse dixit οὖρον χλοῶδες ἐπὶ χροιῇ, i. *vrinam herbaceam superficie tantùm tenus*: quæ quidem, febris est totam vrinam sua vi non immutantis; proptereàque spem non adimentis pepasmi. Nam quæ vrina toto liquore virescit, bilis est in hepatite & in aorta incendio conflagrantis, vnde ipsius primùm flauæ in viridem mutatio est. Hæc sanè non est capax candidæ hypostaseως. Iam verò idem planè est τὸ χλωρὸν quod illic τὸ χλοῶδες, i. *herbaceum*. Sunt enim herbæ χλωραί: quam dictionem præceptor semper apponit humori aut corpori virescenti. Ergo. Vrina svbviridis] i. Modico tincta virore, atque id superficie tantùm tenus.

(Coac. 36. huius c.)

Et florida] i. Quæ χλώρασμα οὐκ ἔχει λαμπρόν, i. *quæ non est saturata virore toto liquore*: sed habet ἐπὶ χρώματα tantùm ὑποχλοῶδες, siue ὑποχλωρόν.

Cvi est alba hypostasis] Quæ loco & situ, omne tulit punctum pepasmi.

Citam qvoqve crisin ostendit] Quod est eiusmodi ac si diceret; non solùm ad securitatem crisis apparet pleuriticæ, vt modò dicta suhtuhta: sed etiam ad celeritatem. Quod sanè an sit verum, viderint sapientes.

41 Τὸ δὲ ἐρυθρὸν σφόδρα καὶ εὐανθὲς, ὑπόστασιν χλωρὴν ἔχον λείην, εἰλικρινέα· πολυχρόνιον σφόδρα ταραχώδεα νόσον, μεταβαλλούσης ἐς ἄλλην, οὐ μὴν ὀλέθριον.

Sed admodum rubra & florida, quæ viridem habet hypostasin, leuem, exactam; longi & valde turbulenti est morbi, in alium transeuntis, non tamen funesti.

Prognoseως huius prognosticum ex incerto certum, vt spero, efficiet fida hæc mea enarratio, quam sic aggredior.

Sed admodvm rvbra] Quæ saturata est multa bile quam genuit ardor febrilis in hepate & & hepatite; nec dum, feritate domita, mansuescit: sed contra incandescit.

Et florida] i. Eximio rubore suffusa, nec tamen turbata & confusanea iis quæ intrà sunt: qualis conditio est subiugalium, quorum vrinæ semper sunt θολεραί, nec vnquam residunt: sed quæ apparet pura & limpida in suo liquore.

Qvæ viridem habet hypostasin] i. Quæ habet χλοῶδες τὸ ὑφιστάμενον in eximie rubro liquore. Non enim τὸ χλωρὸν aliò referendum quàm ad herbaceum, vt nuper & pridem iam posui ex Hippocrate contra Galenum, vbi agitur de linguæ coloribus. Hæc autem hypostasis venit ex bile quæ iam de flaua migrauit in viridem à febrili ardore.

Lævem, syncerам] Cuius non bona materia, tantùm in laude est loci quem occupat, nempe fundi: non autem situs, in læuitate quam ei non peperit calor natiuus, sed ardor febrilis. Quæ causa est quamobrem rerum malarum æqualitas maiore in vitio fit quàm inæqualitas.

(Ib. 2. progn.)

Longi et valde tvrbvlenti est morbi] Nam diuturnitati locus est in δυσαλθείᾳ humoris morbifici, & visceris æstu incandescentis afflictione. Tum perturbatio venit animi, ex humoris ad caput anadrome, quam mouet orgasmus ex partium iecoris superarum phlogωσι, cuius fit particeps diaphragma.

In alivm transevntis] Κατὰ μετάστασιν, ἢ ἐπιγένεσιν, i. *successione alterius de primigenio, & propagatione illius qui manet, in partes vicinas & socias.*

Non tamen fvnesti] Vnde salutis veniat desperatio. Quod certè incertum est. Nam μετάστασις praua μετάστασις esse solet: vt bona ἀπόστασις. Sed ἐπιγένεσις nunquam est bona, ac multum periculo adiicit, quæ cœptis immanibus effetum esse morbum ostendit. Scitum est illud Hippocratis. Τῶν νοσημάτων ὅ, τι ἂν ἐφ' ἑτέρῳ γίνηται ὡς τὸ πολλὰ ἀποκτείνει. i. *E morbis quicunque superueniunt alter alteri maximam ille partem interficit.* In promptu ratio est præceptoris. *Cùm enim fractis iam viribus à præsente morbo, alter superuenit, priùs interit homo, quàm qui nuper aduenit morbus desierit.*

(lib. πεοὶ νούσων.)

42 Τὸ δὲ λευκὸν ὑδατῶδες κεγχρώδεα πυῤῥὴν ἔχον ὑπόστασιν· πόνον καὶ κίνδυνον σημαίνει. Καὶ τὸ χλωρὸν πυῤῥὴν ἔχον ὑπόστασιν κεγχρώδεα· χρόνον καὶ κίνδυνον σημαίνει.

Aquosa

Aquosa verò & alba quæ similem habet indomitæ molæ farinæ rubram hypostasin;periculo & labori locum esse significat. Ipsa autem viridis,quæ rubram & instar crassioris farinæ habet hypostasin;longi & periculosi est morbi.

MVLTVM adiicitur vitio crudæ vrinæ,cùm intra se continet excrementa prauitate eximia,vel de corporibus, vel de humoribus quæ liquuntur aut peruruntur. Atque hæc quamvis primo aspectu videantur [illegible];non ratò tamen exiitunt: vt planum fiet in ipso examine.

AQVOSA VERO ET ALBA] Non quidem illa quæ cruditatem summam ostentat, vel de prærepta occasione, vel de collapsa virtute coquendi. Sed quæ albescit vacuata bile qua fucabatur, vel deriuata in aluum,vel concitata sursum ad caput;verè & apposite huc aduocari debet,cùm ea deriuatio vel concitatio symptomatica est: non autem fit [illegible] ad salutarem dysenteriam in senioribus, vel ad hæmorrhagiam in iunioribus.

QVÆ SIMILEM HABET HYPOSTASIN GRANDINOSÆ FARINÆ, ET RVBAM] Colliquamento hepatis vel etiam renum. Nam [illegible] vrinarum [illegible], similiter sunt colorata vt partes quæ liquuntur: quod suprà iam posui ex Galeno. Itaque non est absurdum,ponere colliquamenta in vrinis aquosis & albis,quæ sunt eiusmodi de bilis metastasi, qua priùs saturabantur. Et verò etiam colliquamento locus est in diabete renum ipsorum,qui auiditate sitis explendæ,summa vi,vrinæ materiam ad se rapiunt;proptereáque coquendi occasionem venis præripiunt.

PERICVLO ET LABORI LOCVM ESSE SIGNIFICANT] Est enim demum ibi fœtura dolorum atque laborum,quò & quà bilis relicta vrina,cursum inflectit. Exempla in promptu sunt torminum,dysenteriæ,phrenitidis, & aliorum quoque symptomatum grauissimorum quæ ibi mouentur, quò anadrome bilis, vel alia quævis [illegible] transitum habet atque subsistit. Periculo autem locus est in sæui doloris cruciatu;in abscessu maiore quàm vt perferri possit,& occupatis partibus quarum officiis vitam carere non potis est.

IPSA AVTEM VIRIDIS] Non superficie solùm tenus : sed toto liquore vrinæ, cuius adducta est non ita pridem ratio cur ita sit colorata.

QVÆ RVBRAM HABET, &c.] Argumento viscerum quæ ab eadem febre liquuntur, vnde est bilis conflagratio ac transitus etiam de flaua in viridem.

LONGI ET PERICVLOSI EST MORBI] Ac certè tam periculosi, vt periculosè diu citra mortem,ipsum quem inuasit & occupat,habere non possit. Nam talis vrina, mox affuturam mortem ostendit.

43 Οὖρα τοῖσι παρ' ὦτα ταχὺ καὶ ἐπ' ὀλίγον πεπαινόμενα· φλαῦρα· καὶ τὸ κατεψύχθαι ἐνταῦθα πονηρόν.

Vrina iis quibus tumores assurgunt sub auribus,citò & paulisper mitificata;praua. Ibi tum perfrigerari;pestiferum.

QVANTVM periculi,& quàm parum,aut nihil omnino securitatis habeat,coctionis & cruditatis vicissitudo quæ cernitur in vrinis,tum fixa firmiter coctionis in cruditatem mutatio dictum est abundè suprà, ac demonstratum quamobrem ita fiat. Hîc verò, sicut nuper in peripneumonia factitauit; mutationis illius incommoda iis accommodat quibus assurgunt tumores sub auribus à febre acuta, qui sunt eiusmodi vt cum empyemate solo, periculo locus tollatur,tamen præsidio locus non sit in empyemate,nisi vrinæ sint bonæ [illegible] Atque huius prognoseως documentum statuit illa historia de pictoris ancilla, cui obortæ parotides fuerunt mortiferæ, quamvis in empyema mutatæ: quòd febris,vnde venerant,careret pepasmo. Huius autem prognoseως ratio & explicatio huc aduocanda ex sect.3.1.prorrh. vbi similiter legitur vt hoc loco. IBI TVM PERFRIGERARI; PESTIFERVM. Quod argumentum est febris ardentis indomitæ, vt Galeno visum est ad idem prorrheticum. Verba Galeni hæc sunt. *Hoc sanè symptoma extremum est ardentium febrium. Nam cùm illæ sint perurentes, & vià malignæ,partes extimas non accendunt similiter vt mansuetæ,quæ totum corpus incendunt æqualiter.* Quàm autem pestiferum sit perfrigerari foris, visceribus æstu incandescentibus : declarat illa sententia præceptoris. [illegible] *In morbis acutis, extimarum partium refrigeratio, malum.* Quò spectant plurimi apud Hippocratem aphorismi, quos aduocare nihil necesse est,ac [illegible] manus causam cur ita sit,pluribus explicare.

1.Epid. part. 3.

prorrh. 63. f.3.1.

Sic ex prorrh. 28. f. 3. 1.

44 Κύστις ἀπολειφθεῖσα, ἄλλως τε καὶ μετὰ κεφαλαλγίης ἔχει τι σπασμῶδες· τὰ ναρκώδεα ἐν τούτοισιν ἐκλυόμενα· δύσκολα, μὴν ὀλέθρια. ἆρά γε καὶ παρακρουστικὸν τὸ τοιοῦτο;

Vesica intercepta, quippiam habet conuulsificum: idque cùm aliàs, tum si accesserit cephalalgia. Quæ ibi torpidè exoluuntur; morosa sunt: non tamen mortifera. An verò idipsum est mentis emotæ?

VRINÆ incommoda plurima circumueniunt homines de vitiis partium quæ ipsi ducendæ, excipiendæ, ac transmittendæ suam dicarunt operam, & quarum officiis ipsa suscipitur atque perficitur οὔρησις. Ergo hic transitus est ab vrinis ad vrinarias partes quarum præcipuæ sunt vesica & renes.

VESICA INTERCEPTA] Non quidem ipsa, cuius certè nulla interceptio esse potest: sed quæ intercipit cursum vrinæ, cui excipiendæ ac transmittendæ per eolem dicata est. Itaque cùm intercipiendæ vrinæ, partium quoque aliarum conspiratio fit; quæ hîc vesicæ tribuitur interceptio, μετωνυμικῶς, interceptæ vrinæ causam ibi subesse ostendit. Nam interceptæ vrinæ plures sunt causæ, de quibus dictum est alibi, quas nihil necesse est hic recensere. Ac noua non est, nec inaudita significatio τοῦ ἀπολήψεως, αὐτὶ τοῦ ἐπισχέσεως. Sic apud Hippocratem legitur κοιλίη ἀπολελαμμένη ἢ ἀπολελαμμένη i. *aluus cohibita siue suppressa*, quæque nihil infrà transmittit. Tametsi verbum ἀπολαμβάνειν, propriè accommodatur iis quæ vel in via subsistunt, vel retrahuntur. Sic enim reperio dici ἀπόληψιν τῆς ἀναδόσεως, de chylo cui ad iecur interclusum est iter, inflammato ieiuno, vel oppilatis venis quà itur ad hepar. Sic etiam apud Hippocratem locus est περὶ ἀπολήψιος τῶν πνευμάτων ἀνὰ τὰς φλέβας. Nam illud retracti humoris est de suo cursu: quod ita legitur apud eundem authorem, τὰ ἐκκεχυμένα, μὴ ἔσω ἀπολαμβάνειν, i. *quæ foras effusa sunt, intrò retrahere non oportet*. Ergo. VESICA INTERCEPTA] i. Quæ non transmittit vrinam, vel de amisso sensu, cùm scilicet nulla sensio excitatur stabulantis vrinæ, vel quia vis excernendi languet effœta; vel etiam quia vrina non habet exitum, obstructo meatu per quem meiendo emittitur. Sensus quidem amissio in vesica, tum excernendi vis exoluta, hîc demum appositè locum habent, cùm illæ causæ sunt positæ in frigida intemperie quam intulit ardor febris acutæ. Nam si quis obiiciat, cur in vesica id fiat, alibi verò nusquam, cùm idem calor æqualiter occupet totum corpus; obiectionis solutio, inquit Galenus, in partis ipsius proprietate consistit, cuius membrana est planè ἄναιμος, planéque ἄσαρκος. Itaque iudicium est Galeni, ὅτι ἡ καταψύξις ἐν τῇ κύστει γίνεται, τοῦ κατὰ φύσιν ἐν αὐτῇ θερμοῦ ὑπὸ τοῦ παρὰ φύσιν διαφορηθέντος, i. *quòd refrigeratio eximia tum in vesica fit, cùm illud quicquid in ipsa est caloris natiui, totum ab eo qui contra naturam est, fuerit dissipatum*. Hinc duplex illa vesicæ affectio, nempe ἀτονία τῆς ἀποκριτικῆς δυνάμεως vnde impotentia excernendi; & ἀναισθησία, vnde nulla voluntas meiendi, & inde posita interceptio. De qua est illud prorrheticum. *Intercepta à frigore in acutis vrina; pestifera.*

lib. 4 acut. lib. περὶ χυμῶν.

prorrh. 16. f. 2. 1.

QVIPPIAM HABET CONVVLSIFICVM] Quod est eiusmodi ac si diceret; potest nonnunquam conuulsionem inferre.

IDQVE CVM ALIAS] Per sympathiam quæ societatis iure intercedit illi cum neruis.

TVM SI ACCESSERIT CEPHALALGIA] Vnde neruorum principio malè est, vicinia & societate partis afflictæ, videlicet capitis in sua membrana cerebro adiacente. Nam cùm afflictio nobilium partium facilè vnà secum afficiat τὰ κοινὰ καὶ τὰ ἐγγύς. i. *vicina & sociata*: tum verò id maximè locum habet in sæua cephalalgia, cùm ei multum adiicitur de suppressa vesicæ aut alui purgatione, vt planum facit illud prorrheticum. Κεφαλαλγικοὶ μετὰ κώματος, παρακρούοντες, κοιλίης ἀπολελαμμένης, ὄμμα θρασὺ ἔχοντες, ἀνθηροὶ, ὀπισθοτονώδεες γίνονται. i. *Cephalalgici cum sopore delirantes, aluo suppressa efferi, rubentésque facie, opisthotonici fiunt.*

QVÆ IBI TORPIDE EXOLVVNTVR] Quorum torpida exolutio cernitur in pigro motu, nec benè percepto appulsu τῶν αἰσθητῶν, i. *rerum sensilium*: vt sæpe accidit ipsis manibus, vel etiam cruribus, ex ea calamitate suppressæ vrinæ, lumbis molesta & graui: neque id facultate amissa, vel potiùs impedita meandi spiritui animali, ob interclusum iter neruorum à cerebro: sed ab oppressione lumborum atque ceruicis, quam facit venarum & arteriarum distentio, ex ipsa humoris anadrome, dum viam ad caput affectat: quo simulatque appulit, paraphorica edit symptomata; vt præceptoris opinio est in quæstione hîc posita.

AN VERO IDIPSVM EST MENTIS EMOTÆ] Quod profectò non esset, si torpida exolutio de impedita veniret libertate meandi, ab intercluso neruorum meatu in cerebro. Id enim potiùs esset cataphoricum quàm paraphoricum. Ac talis quidem ratio est illius prognoseos. *Quibus ex dolore lumborum, anadrome fit ad caput; torpidæ manus; cardialgia, auriúmque flatus sonori; hæmorrhagia larga: tum aluo profusè feruntur, ac mentes turbatæ vt plurimùm.*

45 Νεφρῶν ἐξαπιναῖον ἄλγημα μετ' οὔρων ἐποχέσιος· λιθιδίων οὔρησιν ἢ παχέων οὔρων σημαίνει.

Renum repentè dolor obortus, cum vrina suppressa; lapillos, aut crassam vrinam meiendo reddendam ostendit.

VRINA suppressa de vitio renum cuiusmodi sit, & vnde nata, in hac prognosi docetur; sicut in proxima dictum est de vesica: ametsi propria vrinæ suppressio, quæ ischuria dicitur, pertinet ad vesicam: quia vrinæ materia, ducta è venis, vi secretrice renum, antè non habet nomen vrinæ, quam ad vesicam peruenerit, eò transmissa è renibus. Itaque μετ' ἐποχῆς cohibita erit vrina in renibus, quando eorum vitiis interclusum est iter vrinæ, quà ipsam solent transmittere ad vesicam. Vitia autem sunt hæc, quibus impeditio est transmittendi vrinam & emittendi meiendo: quia tum vesica est vacua, nec eius vitio vrina supprimitur.

RENVM REPENTE DOLOR OBORTVS] i. Sensio naturæ tristis, acuta aut grauis, vt rei molestæ in renibus generatio est, motus, aut mansio. Est enim dolor grauis, mansione calculi, acutus autem, in motu. Atque dolores illi repentè in renibus enascuntur, i. de improuiso, ac sine illorum præuidentia intus aut foris: nisi cùm iis obortis mutua quædam ipsorum est vicissitudo. Nam grauis doloris in peracutum, & rursum huius in grauem, transitus esse solet: vt occupati renis à calculo motus est & concitatio, aut quies à motu. Nec verò antè calculi perceptio est acuta aut grauis, quàm cœperit coagmentari. Coagmentatio autem fit de improuiso. Vt veritas ibi luceat catholici theorematis, quod est huiusmodi. *Non enim quemadmodum repentina est morborum generatio: sic & ipsius generationis causa.* Nam causa morbifica sensim accrescit & oppugnat ipsum ἀντίρθωμα: impressio autem morbi, in puncto fit temporis. Gal. ad hist. 4.

CVM VRINA SVPPRESSA] Cuius suppressio est vel occupati renis à calculo, vel inflammati cruciatu doloris; propterea que in segregandi seri officio laborantis: vel impediti meatus quà ducitur ad vesicam. Atque id mirum videri debet in renis vnius afflictione, sisti vrinam, vel micturiendo stillatim ægrè transmitti: cùm ita comparata sit ratio amborum renum, vt cessante vno, alter officium suum faciat. Sed magna vis est sympathiæ in societate officij. Propterea in sympathia renis alterius, crebrò & parcè vrina emittitur. Nam occupati calculo & inflammati cessat officium. Et quibus ren socius languet effœtus & marcidus, iis in sæua nephritide vrina supprimitur: vt nuper vidimus in Præside Fabro Pibracio, iurisperitorum eloquentissimo, & eloquentium iurisperitissimo. P. 11 I. Ep. & ad prorrh. 17. l. 1.

LAPILLOS] Coagmentatio in renibus crasso & glutinoso humore, cuius coagmentatio est lapidosa, & nominatur λιθίασις, vt in vesica. Sed tamen hoc interest, quòd in vesica non semper est ὁ πώρωσις lapidis, sicut in renibus. Ac renum quidem ἡ σύμπηγμα, i. coagmentatio, dicitur περὶ τὸ οὖρον: vesicæ autem, μετὰ τῶν οὔρων.

AVT CRASSAM VRINAM] Mixtione crassi humoris, & pituitæ cuiusdam tenacis: quæ vel indigena est renum, vel aduena, idque prolapsu catarrhi è capite, vel humoris morbifici, aut conuulsifici, ad renes è venis, vel è neruis per venas, appulsu, quo ductus vrinæ non sunt meabiles.

MEIENDO REDDENDAM OSTENDIT] Quæ vacuatio libertatem meandi vrinæ restituit. Ex quo efficitur necessariò faciendum quòd medicinæ dictator edicto sanciuit. Οὐρητικοῖς καθαίρειν, ἀπαλύνειν, λεπτύνειν. i. *Diureticis purgare, leuare, attenuare.* Sed hæc sufficiant. 6. Epid. par. 1.

46 Τρομώδεα πρεσβυτέροισιν ἐν πυρετῷ, καὶ οὕτως ἐπιφαινόμενα· λιθίδια ποσῶς οὐρέει.

Tremores qui senioribus tum in febre, tum insuper sic apparent, fortè lapillos meiendo emittunt.

QVONIAM senioribus calculi facilis est coagmentatio stabulantis in rene, nec facilem exitum inde habentis, ἀσχολεῖν illis erit concussio tremorifera excutiendo calculo cum vrina. Ex cùm tremoris natura & causæ iampridem sint explicatæ, ipsum verò nomen tremoris hoc loco sit positum pro rigore qui concutiendo cietur, concussionis illius commoda videri possunt in excussione rei molestæ, modò rigendi & calescendi crebra & cita non sit vicissitudo, nata ex inflammatione spinalis medullæ & membranarum eius, vnde non rarò ac ferè semper contingit vrinæ suppressio. Coac. 3. l. 1.

TVM IN FEBRE] Appulsu cacochymiæ per venas expressæ ad cutim, è lumbis, per dorsum, ad caput.

TVM INSVPER SIC APPARENT] Cùm etiam sine febre cientur ab iis quæ dicta sunt: nempe à renum dolore, & vrina suppressa, repentè obortis.

FORTE LAPILLOS MEIENDO EMITTVNT] Qualis autem conuulsio est sanandæ para-

hypo concutiendo; quale sternutamentum hystericis ac difficulter parientibus: talis & rigor nephriticis calculosis inflammatione carentibus: cuiusmodi seniores habentur, quorum natura in excernendo pigra, quodam velut μοχλευτῷ, i. vectiario hîc opus habet.

47 Οὔρου ἀπόληψις καὶ βάρος ἐν νειαιρῇ σημαίνει ὡς τὰ πολλὰ, στραγγουρίην ἐσομένην. εἰ δὲ μὴ ἄλλην ἀρρωστίην, ἣν εἴωθεν ἀρρωστεῖν.

Vrina intercepta & grauitas in aqualiculo, stranguriam futuram fore denunciat: sin minùs, alium morbum quo laborare consueuit.

QVEMADMODVM actio læsa, partis cuiusque afflictæ certissimum est argumentum: sic læsionis species; tum ipsa doloris proprietas atque locus, cuiusmodi sit afflictio planè ostendunt. Hîc ponitur intercepta vrina & grauitas in imo ventre: quæ quorsum appareant, sic in hac prognosi docetur.

VRINA INTERCEPTA] Non quidem criticè, nec vitio renum, vel emortuorum, vel etiam calculo aut pituita crassa occupatorum: sed cuius interceptio est vel occupatæ, vel exolutæ vesicæ. Nam sensus amissio, vnde vrina supprimitur in vesica, eò spectare non potest, quò instituta prognosis.

lib. 2. de acut. ET GRAVITAS] Quæ semper ibi causam ipsius subesse testatur, vbi percipitur: vt annotauimus in pleuritide, cùm ei grauitatis sensio est ad brachium & ad mammam.

aph. 80. & 4. IN AQVALICVLO] Ἐν νειαιρῇ. i. *in imo ventre*, quem hypogastrium nominauit in aphorismis. Hypogastrium autem continet ipsam vesicam: vt sensio grauitatis in eo percepta, pertineat ad vesicam quæ continetur: sicut hypochondrij tumor, ad hepar.

STRANGVRIAM FVTVRAM FORE DENVNCIAT] i. Vrinæ stillantis inuitam & ægram meiendo emissionem: atque id morbo vesicæ; non autem symptomate. Nisi quis fortè dixerit, humoris collectionem, vnde vesica tumens, grauitatis molestiam exhibere hypogastrio; tandem à nimia oppressione expressam, facere stranguriam ipso symptomate, non morbo vesicæ. Sed tamen hic tumor, est morbus vesicæ, non hypogastrij. Quòd si quis obiiciat, sæpe à tumido hypogastrio reddi vrinam γονοειδῆ, qua ille tumor exoluitur; vt illud concedam: tamen id non est huius prognoseos, quæ interceptam ponit vrinam, priusquam veniat stranguria. Nam interceptæ vrinæ nulla est illic mentio, vnde adducitur illa obiectio. Hippocratis verba hæc sunt. *Periurlo vrina feminiformis, eiusmodi erat quale criticum quippiam. Et verò hypogastriorum ferè talia esse solent. Nam illa quæ meiendo redduntur; ibi demum exoluunt & liberant, vbi nec flatu, nec aluo transmissa multis fecibus & glutinosis, pars tumefacta non adæquatur, nec restituitur æqualitati.* (sent. 37. part. 2. 6. Epid.)

SIN MINVS] i. Si inde non incidit stranguria, manétque grauitas hypochondrij, & intercepta vrina.

ALIVM MORBVM QVO LABORARE CONSVEVIT] Cuiusmodi esse potest vesicæ repletio per impotentiam emittendi vrinam, quæ ab effœta vi expultrice fibrarum illata est, vel cùm impeditio est vrinæ ductus à calculo aut caruncula in fistula vrinaria: vt iam expressa vrina foras transmitti non possit.

48 Ἐν εἰλεώδεσιν, οὔρου ἀπόληψις· κτείνει συντόμως.

Cùm ileosis interceptio est vrinæ; cita mors venit.

STRANGVRIÆ & ilei frequens adinuicem transitus esse solet, quando nec ileum facit inflammatio, nec stranguriam morbus vesicæ, cuiusmodi est calculus, inflammatio, vlcus. Sed cùm ilei causa est pituita putris & glutinosa fecibus inuoluta, vnde fit reuolutio intestini motu contrario naturali, i. infernè sursum, & cibus remeat qui permeare non potest; tum idem accidit vesicæ ab ileo in stranguria, quod à vesica intestinis in ileo: efficitúrque vt quemadmodum stranguriæ ileus superueniens, septimo die interimit: ita periculo ilei primùm nati multum adiiciat nouissima stranguria; nisi oborta febre, vrina fluxerit cumulatè. Transitum verò hîc diximus, non κατὰ μετάστασιν vnius in alterum, vt verè est transitus: sed κατὰ συγχύσιν καὶ τὴν ἐπίχυσιν cùm scilicet pituitæ illabentis in vtrumque alueum, propagatio est, aut pariter in vtroque cumulata congeries. Nisi quis fortè adferat & opponat illam sententiam præceptoris. *Quòd pituitæ collectio dolorifica inter diaphragma & ventrem exitu denegato per alterutram aluum: si forte per venas ad vesicam cursum inflectit, morbum exoluit.* (aph. 44. 4. & Coa. 2. cap. 22. lib. 2.; aph. 53. 7.)

49 Οὖρον ἐν πυρετῷ δάσος ἔχον διεσπασμένον ὑποστροφικὸν, ἢ ἱδρῶδες.

Vrina

Vrina in febre quæ asperum quid habet diuulsum; recidiuæ nuncia est, aut sudorum.

NVPER QVÆSITVM est de sudore cuius prænuncia est vrina, his verbis. τὰ δ' ἐκ λεπτῶν ἐπαντρωμένα· ἆρα ἱδρῶτα μέλλοντα δηλοῖ; i. *Quæ verò ex tenui asperatur; vtrum sudoris futuri prænuncia est?* Quid autem sit illud asperum, cuius hic mentio est, declarat quod sequitur in eadem prognosi. τρηχυνόμενα δ' ἀφρώδεα ἐφ' αὐτῷ ἐφιστάμενα, i. *Quod veluti spuma enatat in vrina.* Sed illud ἀφρῶδες eò dicendum, vt nihil ostentet colliquamenti: sed natum potiùs ex crassiore humore quem agitauit spiritus flatulentus; 10 vnde origo spumæ δυσλύτου. i. *quæ non vanescit facilè*. qualem præceptor nominauit bullatam, cùm ait. *Quicunque vrinas meiunt bullatas; ostendunt nephritica, & longam fore infirmitatem.* Existunt & aliæ in vrinis asperitatum ideæ, quales sunt illæ. τῶν οὔρων τεταραγμένων λευκοῦ πεπύσμεν. Tum illæ. κεγχρώδεις, πιτυρώδεις, ἰχθυώδεις: de quibus iam multa non ita pridem audiuimus. Ergo vrinæ spumantes bullatæ à flatulento spiritu ex crassiore materia, sunt recidiuis crebræ; ab inchoata crisi, cuius perfectio sperari nequit cum tali vrina. Tum inde sudor expressus, finem non adfert morbi, nec eius remissionem: quia est soboles oppressionis. Quo tempore autem natura morbificis causis opprimitur, estque humorum cruditas; tum nihil bene fit excernendo.

(Coac. 34. huius cap. — aph. 34. 4. — Coac. 38. huius cap. — aph. 56. 4. — aph. 21. 4.)

20 50 Ἐν μακροῖσι πυρετοῖσι, λεπτοῖσι, πλανώδεσι· λεπτῶν οὔρων οὔρησις σπληνώδεες.

In longis febribus, exiguis, & erraticis; vrinæ tenues meiendo emissæ; lienosa.

DIVTVRNARVM febrium quas fecit humoris morbifici contumacia, vnde pepasmus difficilis; & vnà difficilis vacuatio; vrinæ sunt crudæ ac tenues & aquosæ. de quibus si cætera sint salutaria, 30 mouetur abscessus ad inferas partes sub diaphragmate, vt nuper ostendimus. An verò tales vrinæ sint lienosæ, id certè in quæstionem adducitur. Ac primùm de lienosis dicendum. Enimuero illi demum verè sunt lienosi, quibus iam pridem viscus ipsum lienis induruit. Sic enim placere video præceptori Galeno. Sed ea descriptio lienosi tumoris apud Hippocratem sic est. *Quibus magnus est lien; si quidem biliosi sunt, fœdati multùm apparent, vlceribúsque obsiti, quæ difficulter sanescunt. tum illis ab ore fœdus expirat odor, atque macrescunt. Lien verò durus percipitur, manétque sui similis in magnitudine, nec cibos deiiciunt. Sin autem pituitosi sunt, multò minora sunt illis prædicta incommoda: tum ipse lien aliàs atque aliàs maior aut minor est.* Sed illa duritas, vnde sunt homines lienosi, est κατάῤῥοπος lienis, non ἀνάῤῥοπος. Sic enim visum est præceptori cùm ait. *Lien durus non sursum deorsum, rotundus, latus, crassus, longus, tenuis.* Quod est eiusmodi ac si diceret. Quotiescunque lien induruit, non est sursum illa duricies quæ ortum habet à veteri con- 40 gestione humoris, vnde paulatim tumor accreuit: quemadmodum illa quam repentina fluxio excitauit, quæ & ipsum lienem facit ἀνάῤῥοπον, & omnia quæ inde mouentur, ἀνάῤῥοπα: vt hæmorrhagiam & faciem multo calore & colore suffusam. Sed illa duricies vetustæ congestionis, vnde homines propriè sunt lienosi; deorsum percipitur, facitque lienem κατάῤῥοπον, & omnia inde nata κατάῤῥοπα.

(aph. 43. 6. — lib. περὶ παθῶν. — 6. Epid. part. 2.)

Ergo. VRINÆ TENVES LIENOSÆ] i. Apparent signo lienis qui cœpit iam pridem durescere, ac tandem κατάῤῥοπος factus est: non autem repentino affluxu sanguinis melancholici, qui phlegmonem edit systrophicam, ipsumque facit ἀνάῤῥοπον cum duritate, ac sæuo dolore: sed cui congesta sensim pituita aut melancholicus humor; duritatem attulit tensionis, oborto scilicet eius tumore rotundo, aut lato, longo, & crasso; itémque longo ac tenui. Quæ omnes differentiæ sunt in κατάῤῥοπῳ liene; vel potiùs singulæ cadunt in lienem κατάῤῥοπον per congestionem humoris pituitosi aut 50 melancholici. Quò spectat instituta prognosis, sicut & illa. *Dysenteria lienosis, non longa quidem, vtilis: longa verò, pestifera. Nam quiescente illa, si vel hydropes veniunt, vel etiam lienteria; mortiferum.* Sunt autem vrinæ tenues lienosis, tum per se, tum ex euentu. Per se quidem, debili calore sanguifico hepatis, à tumore lienis, vnde & hydropes assurgunt. Ex euentu autem

IN LONGIS FEBRIBVS, EXIGVIS ET ERRATICIS] Quarum humores varij, variéque affecti, meatuúmque angustia, & magna oppressio, patem pepasmo difficili difficultatem adferunt τῆς φυσικῆς πέψεως, i. *coctionis naturaliter institutæ.* Tum biliosæ tincturæ vacuitatem adfert bilis tum genita ῥέουσα ad ipsum lienem: vnde vix aluus transmittitur: sicut annotauit Hippocrates de lienoso tumore à bilis congerie in lienem.

60

51 Ἐν πυρετῷ, ἄλλοτε ἀλλοίων οὔρησις μηκύνουσι.

In febre, interdum varias reddi vrinas; longi est morbi.

Illa demum vrina longi est morbi, quæ certis quibusdam, vel omnibus sui partibus, variorum humorum variarúmque index est affectionum: ex quibus difficilis est redintegratio, difficilis item pepasmus. Nam difficultas redintegrandi partes è natura egressas, & concoquendi humorem, morbos inde natos facit partim ἀκρίτους, partim δυσκρίτους. nonnullos etiam θανατώδεις. Talis vrinæ calamitas & contumacia, legibus & exemplis iterum atque iterum suprà est posita & explicata.

52 Τὰ οὐρήματα μὴ ὑπομιμνησκομένων ὀλέθρια. ἆρά γε τουτέοισιν οὐρέεται, οἷον εἰ τὴν ὑπόστασιν διαταράξειας;

10

Quæ immemoribus fluunt vrinæ; pestiferæ. An verò sic redduntur, vt si hypostasin perturbaueris?

Dictum est nuper de vrina inuita, quæ scilicet ægrè distillat: idque tum morbo vesicæ, tum eius symptomate. Nunc de iniussa dicendum, quæ sine sensu ac sine voluntate clam effluit; vel, vt suprà dixit præceptor, λαθραίως. Sed cùm iniussæ vrinæ duplex omnino sit causa, videlicet impotentia & exolutio, & occupatæ mentis obliuio; vtriusque hîc ratio lucet in eo quod posuit, μὴ ὑπομιμνησκομένων, i. *immemoribus*: cuiusmodi planè sunt qui ex phreniticis fiunt lethargici, quibus iam nulla est cura decori. 20

Ergo. Quæ immemoribus] i. Quibus memoria non renouatur eorum quæ fiunt, quæque dicuntur ab illis, [illegible], i. *siue quas laborat mens; siue quia sunt exolutæ partes.* Sic enim comparatum est, vt à phrenitide quam excipit lethargus, effœta vis langueat cerebri, omniúmque neruorum & membranarum, vt pariter voluntatis & sensus amissio inferatur. Nam & iniussæ deiectiones, suprà sunt positæ in lethargicis.

Fluunt vrinæ] Videlicet obliuiosis & sensu carentibus musculi ianitoris, quem vocant sphincterem. Tametsi non cuicunque sphincteris exolutio est; eidem quoque obliuio est decori. Sic enim accepimus, cuidam hepatico aluum transmitti solitam sine sensu, cùm esset apud se. Quem locum sic expressit præceptor. [illegible]. i. *Liquida ex aluo secedere non sentienti, quamuis apud se sit, malum, vt hepatico.* 30

pror. 46. l. 2. 1.

An vero sic redduntur, &c.] Quod idem est ac si diceret. Periculosum est certè, vrinam λαθραίως καὶ ἀπαγορευομένως effundi: sed ei periculo multum adiicitur, nec solùm in angusto spem esse, verumetiam mortem in propinquo esse, illud denunciat; si vrina iniussa, iumentorum similis emittatur. Sic in lethargis deiectiones iniussæ & liquidæ, sunt magis terrificæ, ac desperatæ salutis. Sic etiam proluuies alui prærubra periculosum coma reddit funestum. Nam vitio animalitatis accedit effœta vis œconomiæ naturalis. Quò autem plures principatus in vitio sunt; eò res ægri peiùs eunt.

53 Οἷσιν οὖρα ὀλίγα θρομβώδεα οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐκ τούτων ἐλθὸν ὠφελέει. ἔρχεται δὲ τοιοῦτον ἐξ ἀρχῆς, ἢ διὰ (ταχέων) ὑπόστασιν ἴσχει. 40

al. διὰ βραχέων, vel διὰ ταχέων.

Quibus vrinæ paucæ, grumosæ, febre non carentibus; tenuium copia ex his emissa prodest. Tales autem emittuntur ab initio, vel (citò) habent hypostasin.

al. crassam,

In hac prognosi mutationum gradus ponuntur ad crisin, quæ ab vrinis primùm significata, mox ab iisdem suscipitur. Mutationum gradus ad crisin, ibi demum cernuntur cùm de vrina crassa & pauca primùm quidem statim grumosa, mox autem tenuior & copiosa emittitur, idque circa initia; vel quæ non multò pòst, hypostasin habet pro grumis qui antea sparsi & appensi erant vrinis. Hæc autem prognosis, loco exempli scripta est in aphorismis, quo theorema catholicum continetur de transitu cruditatis in coctionem; & impediti humoris morbifici, præ contumacia, meatuúmque angustia in liberalem & liberam excretionem. 50

aph. 69. 4.

Quibus febre non carentibus] Vnde hæc veniunt quæ hîc ponuntur: vt omnis tollatur suspicio morbi nephritici, vel ab vrinis crassis ibi cohibitis, vel à lapillis qui renum earum vacuatione liberali exoluitur, vt nuper audiuimus in illa prognosi. *Renum repentè dolor obortus, cum vrina suppressa; lapillos aut crassam vrinam missum iri testatur.* Ac nisi me animus fallit, verè hîc videor esse dicturus, eò dixisse Hippocratem οὐκ ἀπυρέτοισιν, i. *haud febre carentibus*, ipsísque vrinas hîc positas apposuisse, non quidem studio minuendi acerbitatem febris: sed iudicandi potiùs [illegible] ipsius: vt scilicet nullam recipiat ἀπυρεξίαν, i. *febris vacuitatem*, donec ad crisin ventum sit. Nam huic crassæ & paucæ vrinæ, quam dominatu caloris natiui paulò pòst agnoscit grumosam; mox tenuiorem, copiosam, & residentem; opponit in simili febre alterum genus crassæ vrinæ [illegible] iumentorum similis, quæ diu deposita non residit. 60

aph. 69. & 70. 4.

resīdit. Ergo. Qvibvs febre non carentibvs] Qui sunt in febris assiduitate, nec vllam habent discessionem paroxysmi diurni, quam vocant ἀνυσεξίαν.

Vrinæ crassæ] Non quidem liquoris mediocritate parta, virtute caloris natiui, crudas ac tenues vrinas mitificantis: sed quæ sunt eiusmodi, crassamenti excessu, de copia crudi & crassi humoris, vnde spissantur atque crassescunt.

Pavcæ] Quia non sunt meabiles, & in via subsistunt: aut quia vis renum laborat in officio secernendi; præ contumacia feri, crasso humore perfusi.

Grvmosæ] i. Veluti grumis obsitæ toto liquore sparsis, atque quodammodo appensis, nec dum in fundo residibus; à flatulento spiritu, & inchoato pepasmo quem vis natiui caloris nondum absoluit, nec dum humoris domuit contumaciam. Atque vt cœlum verè θρομβῶδες dicitur in μεταβολῇ, cùm in conspectu est par serenitati opacitas: sic & vrinæ fiunt θρομβώδεις, cùm de confusis & perturbatis partim liquorem purum ostentant, partim humorem crassum liquori appensum, quo antea spissabantur confusæ.

Tenvivm copia ex his emissa] Quod idem est ac si diceret; si quæ priùs fuerant crassæ & paucæ, mox autem grumosæ ob causas adductas; nunc fiunt tenuiores, propterea que mediocres consistentia, parta liquoris mediocritate ipso pepasmo qui à virtute caloris natiui de inchoato transiit in perfectum; si, inquam, tenuiores vrinæ ex vitiosis crassis & inde grumosis ab inchoato pepasmo; & copiosæ ex paucis liberè emittantur; per libertatem humoris, meatuum, & ipsius naturæ.

Probant] Ad salutarem crisin quæ liberali & libera excretione humoris morbifici victi a natura suscipitur. Atque illa excretio sic habetur optima; si cum iis quæ in promptu sunt bona, nulla subesse vitia ostendantur. Nec verò vrinarum posita liberalitas meliorum factarum, dimissionem tantummodo febris adfert: sed etiam vendicat ab abscessu partium inferarum, cuius prænuncia erat humoris morbifici contumacia, ac difficultas coquendi & excernendi.

Tales avtem qvammaxime initiis apparent, avt crassam habent hypostasin] i. Vt sint eiusmodi vrinæ, crassæ & grumosæ, aut saltem crassa hypostasi præditæ; quoniam in causa est ardor vehemens; maximè circa initia: quanquam & progrediente in peius morbo, fieri possit. Quam commemorat hypostasin, est verè γονοειδής. i. *genituralis*, eamque Galenus negat esse probam: sicut illa esse solet quæ causa concrescit cocti & mitificati morbi.

54 Οἷσιν οὖρα ταχέως ὑπόστασιν ἴσχει· ταχέως οὗτοι κρίνονται.

Quibus vrina citò hypostasin habet; celeriter illi iudicantur.

In interitvm scilicet aut salutem: vt illa cum secundis aut aduersis notis apparuerit. Secundæ & laudabiles notæ sunt; læuitas, æqualitas, & albedo: nigredo autem, asperitas, & dissipatio, concretióque; sinistræ & prauæ. Ardoris hæ violentiam febrilis, morbifici succi corruptionem, naturæ denique imbecillitatem referunt: vim illæ contrà caloris natiui, æqualiter sese in omnes materiæ partes insinuantis; & materiæ bonitatem, cum robore coniunctam solidarum partium, quarum ipsa virtus, natura est. Vtrinque crisis est mutatio, celeriter à celere motu adueniens, in eam partem casura, in quam motrix causa inclinatam eam compulerit; hinc natura; & illinc morbus. *Indicandi septimo morbi; quarto hypostasin per vrinas vel adhuc rubentes ferunt: de cæteris eodem modo.* Vbi Galenus illa verba, *de cæteris eodem modo*, in eum sensum accipit vt existimet, quæcunque quarto die coctionis corruptionisve signa inualescentis dantur; crisin promittere septimo; conualescendi morbo, vel succumbendi: quemadmodum contrà, iudicium in decimumquartum diem dilatum iri admonent, quæ die septimo indicia aduenerint. aph. 72. 4.

55 Ἐπιληπτικοῖς οὖρα λεπτὰ καὶ ἄπεπτα παρὰ τὸ ἔθος, ἄνευ πλησμονῆς ἐπίληψιν σημαίνει· ἄλλως τε κἢν τις ἐς ἀκρώμιον, ἢ τράχηλον, ἢ μετάφρενον πόνος ἢ σπασμὸς ἐμπεπλέκῃ, ἢ νάρκη περιγίνηται τοῦ σώματος, ἢ ταραχῶδες ἐνύπνιον ὁρέῃ.

Epilepticis vrinæ præter morem tenues & crudæ, si repletio nulla adsit; de instante casu admonent: idque cùm aliàs, tum si ad acromium, ceruicem, aut dorsum dolor & tensio vrget, vel corporis obrepit stupor, vel perturbata insomnia obuersantur.

Epilepticos appellat, non eos quorum natura & conformatio corporis, in epilepsiam vergit; qualiter ἐπιληπτικὸς dici est obseruatum: sed epileptica symptomata iam expertos. Instante his casu; vel trãslata bilis ad cerebrum, vrinam tinctura destituit; vel ventriculo inter stagnandum debilitato,

impeditam concoqui, tenuem dimittit, & crudam, i. albam, colorísque aquei. Vt epilepticæ conuulsioni committendæ, arcem bilis cerebri petat; intellectu est vulgatum: nec ignotum profectò, ob læsi ventriculi sympathia, nexus neruorum sexti communione inducta, eandem conuulsionem inferri. Non est tamen omnino necesse, vt vel casum vrinæ cruditas comitetur; vel vrinæ cruditatem nouus casus necessariò consequatur. Nam si biliosi satis humoris corpore conclusum continetur, quantum cerebro irritando sufficit, & quantum vrinæ tingendæ; non erit ipsa vrina decolor. Et si ciborum cruditas assumptorum, cruditatis fuerit in vrina parens; non est necesse vt quis ab ea in epilepsiam incidat. Non igitur demonstratio hæc, sed coniectura fuerit, quam robustam faciunt symptomata mox deinde subiuncta; tensiuus ad acromium, dorsum, & ceruicem dolor, læsione exortus rhomboidis musculi, à ceruice ad octauam dorsi vertebram recta linea deducti; ad acromium autem obliqua: qui quidem hîc, vel ab excurrente ad caput materia, vel consortio cerebri afficitur. Sequitur corporis stupor in mouendo & sentiendo, cerebri soboles iam vapore offusi. Perturbata sunt denique insomnia, pectus ab Ephialte gigante opprimi, guttur laqueo constringi, certamen inire, in barathrum etiam præcipitari existimantium. De quibus, vide repletionem secundam libri 3. de diæta, & finem libri περὶ ἐνυπνίων.

56 Τὰ σμικρὰ ἐπιφαίνεσθαι, οἷον στάξιας, ἢ οὖρον ἢ ἔμετον, ἢ διαχωρήματα· κακὸν μὲν παντός. κάκιστον δὲ ἐγγὺς ἀλλήλων ἰόντα.

Exigua quadam superapparere, velut sanguinis substilla; vrinas, sudores, vomitus, deiectionésque eiusmodi; est quidem omnino malum: sed eò quò frequentiùs reuerterint.

DE SANGVINIS substillo antea fuit illud. Στάξις ἐκ ῥινὸς ὀλίγη πονηρόν. i. *Substilla sanguinis perexigua, praua.* Sudatiunculam quoque antecedens caput condemnauit propositione prima. Et eo proximè priùs σμικρὰ ἐμέσματα, i. *vomitus exiguos.* Deiectiones eiusmodi, insequens tractatio: vrinas guttatim stillantes, præsens hæc improbauerit. Omnibus ratio proferenda communis. Quia nihil paucum est criticum. Sed cùm semper id malum, inquit; tum maximè, si crebrò repetitum: vnde nimium naturæ imbecillitas oppressæ in summa excernendi necessitate declaratur. Ego vim magnam esse puto in dictione τοῦ ἐπιφαίνεσθαι, i. *superapparendi*, qua designatur; ibi demum exiguam vacuationem valde fuisse noxiam, cùm larga, velut necessaria, expectata est.

DE DEIECTIONIBVS.

CAP. IV.

ΔΙΑΧΩΡΗΜΑ τῆς κοιλίης βέλτιστον, μαλθακὸν, συνεστηκὸς, ὑπόπυῤῥον, μὴ σφόδρα δυσῶδες. διαχωρέειν δὲ τὴν εἰθισμένην ὥρην· πλῆθος δὲ, πρὸς λόγον τῶν εἰσιόντων.

1 *Deiectio alui est optima, mollis, coagmentata, subrufa, nec valde graueolens. Ipsam verò transmitti oportet qua consueuit hora, & ea copia quæ assumptis respondeat.*

ERAT EX ILLIS omnibus quæ proposita sunt in hoc amplissimo Medicinæ theatro, illud extremum; vt omnis ratio deiectionum explicaretur. Est autem consilium explicandi primùm ea quæ insunt bona, quæque naturaliter sunt constituta, procul ab iis quæ mala sunt: mox ea quæ sunt egressa de norma & præscriptione naturæ; proptereáque in malis ducuntur: maximè verò quando non adimunt id quod totus lædit, sed illud ipsum magis læsurum, intus subesse ostendunt.

DEIECTIO ALVI] Deiectionem hîc ponit alui, vel potiùs aluum deiectioni apposuit, quam absolutè simpliciterque posuit in prognostico, religione ductus fortasse distinctioni: quòd sciret quòd ὑποχώρησις, solius alui non esset, vt in illo. Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως· ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται. i. *Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt; celeres quoque sunt deiectiones.* Vbi non est dubium quin nomen illud τῆς διαχωρήσιος, illic ponatur ἀντὶ τῆς ἀναλώσεως: sicut eidē visum est, quādo scripsit, τὰ ἀλλοιούμενα εὐαναλωτότατα, i. *quæ alterantur ex facili, sic etiā facilè consumuntur.* Et verò Galeni iudiciū est in cōmentario ad

aph. 18. 2. lib. περὶ τροφῆς.

tio ad aph. prædictum, τὰ ὑποχώρημα, tametsi de aluo transmissa ferè dicatur: tamen de aliis quoque dici excretionibus. Quod non admittit ὑποχώρησις, quæ soli aluo transmissæ semper tribuitur. Testis est illa sententia præceptoris. Τὰ ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν. i. *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger.* Ergo DEIECTIO ALVI] Qua sponte fertur aluus, non coacta, nec ægrè, vt se exoneret fæcibus rerum earum quæ assumuntur, ope adiuta fibrarum, in quibus vis est circumagendi fæces atque ciendi peristaltico motu intestinorum proprio, donec transmissæ fuerint & exclusæ. Quòd autem hîc nomen sit τῆς κάτω κοιλίης, non autem τῆς ἄνω, quæ est thoracis; nemo est omniũ quem nescire persuasum habeam.

aph. 21. 4.

EST OPTIMA] Numeris omnibus absoluta. Sic autem est optima deiectio mox describenda, cùm vel redintegratio est functionum alui de statu naturæ incolumi egressarum, vel vniuersi corporis à febre sanatio: quoniam in ea lucet naturalis œconomiæ integritas restituta in digerendo, coquendo, & 10 excernendo. Nec verò minus adiicitur periculosę febris periculo, de prauis deiectionibus, quam de vrinis prauis. Scitum est illud. Κοιλίης ταραχὴ, ἡ τῶν ὅλων σύγχυσις, καὶ ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσία. i. *Ventris segnicies; omnium confusio, vasorúmque impuritas.* Optimæ autẽ deiectionis hæc sunt indicia syllogistica siue τεκμήρια.

6. Epid. part. 3.

MOLLIS] Quæ scilicet tacta subsidit, neque circumfluit, media inter duram & liquidam: quarum illa siccioris est alui; hæc verò humidioris, quæ vel diarrhœa, vel impotentia coquendi ea quæ assumuntur, continendíve humescit. Sed mollitudo signum est alvi constitutæ vt decet, tam in calore suaui, non igneo, nec effœto; quàm in firma & solida complexione partium aluinarum.

COAGMENTATA] Figuratam dici reperio apud Celsum, qui eam coagmentationem, molliter & naturaliter constitutam, visus est expressisse, dictionis aucupio quam sic præceptor posuit inter signa 20 hydropis sanabilis. Τὴν δὲ κοιλίην χρὴ καὶ τὰ σιτία, ἐξιέναι ἐς τὸ ἄλλον χρόνον, ὑποχωρίων μαλθακῶν ἐντυπωσάντων. i. *Aluum morigeram esse decet, ac cito ferri; cùm datur opera purgationi: aliàs autem, ducatur mollibus excrementis & figuratis.* Sed figuratæ dejectionis absurda est vsurpatio ad laudem illius, si mollitudo absit. Quod plerique faciunt medicinæ ignari, qui duras & pilulatas, vt ita dicam, more caprini stercoris dejectiones, eo commendant nomine, quòd figuratæ sint: quarum incommoda de siccitate alui, cum pari æstu conjuncta, suo dicentur loco. Sed ad rem. Est igitur dejectio molliter coagmentata, quæ suo termino continetur, non alieno; ac suis, vt ita dicam, limitibus est compressa: qualis est vaccini stercoris coagmentatio: ne figuratam quis putet à tereti & rotunda intestinorum figura. Sed mollis illa coagmẽtatio, sicut caloris est mitis ac mansueti, vegetarúmque partium aluinarum: sic eo nihil omnino testantur confluere, quod ipsis facessat negotium in opere faciundo, aluúmque præcipitet in transmit-30 tendo.

lib. 2. prorrh.

SVBRVFA] Quæ colorata est mixtione bilis, pituita permixtæ, ab hepate confluentis in aluum, ne pigra sit in excernendo, éstque quodammodo vice clysteris, ad ὑποκίνησιν δύναμιν intestinorum ciendam supernè deorsum; neque committit vt eadem intestina motu peristaltico, naturali contrario, sursum internè moueant quæ infrà sunt transmittenda. Ex quo efficitur, dejectionem subrufam sic naturaliter colorari à bile subrufa quæ moderata est qualitate, & quantitate pauca. Nam rufa aut fulua deiectio (nihil interest vtrum dicatur) in vitio est de bile immodica vnde fucantur fæces, atque id signo hepatis æstu incandescentis. Sic enim facie fului sunt atque capillis Scythæ: ob eam sanè causam quòd, vt Hippocrati visum est, ὑπὸ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται, καὶ γίνεται πυῤῥή. i. *alba cutis à frigore peruratur, & fulua euadat.* Ergo descriptâ coloratio dejectionis, multum ipsius adiicit bonitati, facitque vt optima iure 40 dicatur, cùm ita mollis est & coagmentata, vt modò diximus. Non sic res eunt dejectionis albæ ictericorum & phreniticorum: tametsi bona est eius coagmentatio & mollitudo: sed ne id quidem fieri posse arbitror; & vt concedam sic esse: qui tamen phreniticus cum dejectione alba euaserit, Hippocrates vidit neminem. Nulla est igitur firmior indicatio dejectionis optimæ, quàm de ipsius colore hic posito, quem ab Hippocrate prætermissum fuisse, vbi deiectio optima recensetur, iure hoc loco miratur Galenus; censétque illud prognosticum de subrufo colore, cum primo illius tractatus ponendum, vbi notarum dejectionis optimæ recensio continetur: alioqui mancam videri & imperfectam descriptionem quam priùs ille probauerat. Hîc certè Galeni iudicium libens amplector: sed inconstantiam hominis fortiter opposuerim τῷ ἀπὸ κακοζηλίης in has prognoses, ex quibus retexuit illud prognosticum quod erat mancum, & hanc prognosin vt absolutam, pro illo reposuit: quòd ea, vt idem ait, contineat notas 50 omnes dejectionis optimæ in consistentia, qualitate, copia, tempore; & excernendi modo.

lib. de aërib. loc. & aquis.

NEC VALOR GRAVEOLENS] i. Minimùm fœdi odoris. Nam fœdus odor, est κακὸν σημεῖον, quod à putredine natum, signo & causa malum est. Accidit autem illa putredo, fœdi odoris parens, tum ex cacochylia rerum earum quæ assumuntur, tum ex calore igneo corrumpente, tum à quiete intestinorum quæ pigra sunt in excernendo; vel cùm exoluta vis est ipsorum peristaltica; vel cùm à bile non proritantur ad egerendum. Sed tamen, vt liberè dicam; hic fœdi odoris nulla occasio esse potest, vbi dejectio est molliter coagmentata atque subrufa. Coagmentatio enim mollis & figurata, opinionem tollit caloris ignei corrumpentis: coloratio autem subrufa, pigra esse non sinit intestina in egerendo, quæ bilis ipsa sollicitat: Nisi fortè supersit cacochylia rerum earum quæ assumuntur, vnde odoris fœditas inferatur. Omnia enim δυσώδη, sunt planè κακόχυλα.

Theoph. lib. περὶ ὀσμῶν.

60 IPSAM VERO INFRA TRANSMITTI OPORTET] Διαχωρεῖν: quo verbo, transitus significatur eorum quæ excluduntur διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων, i. *per loca commoda exclusioni dicata*: sed, vt iam attigi, pertinet κατ' ἐξοχὴν, ad ventris deiectionem. Nam simplex verbum; χωρέειν, exitus omnes continet exeuntium: sicut est in aphorismis, τὰ χωρέοντα οὐ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, &c.

aph. 25. 1.

QVA CONSVEVIT HORA] Quod est firmissimũ secundæ valetudinis argumentum, ex inoffenso cursu æqualium periodorũ ingerendi, digerendi, & egerendi, ex bene constituta naturali œconomia in

vacuatione, suctione, & suctionis sensu. Nam vacuatio causa est suctionis; suctio, digestionis; suctionis sensus, ingestionis. Ac bene res eunt quando sic comparata est ratio deiectionis, vt partes quæ aluntur, quoad naturaliter constitutæ fuerint, ab eodem nutritæ alimento; æqualia quantitate, similia qualitate, ac temporis tractu eodem colligunt excrementa, & eadem periodo infrà transmittunt. Talis autem consuetudo est naturaliter instituta καθ' ὁμαλὰ naturæ, & κατ' ἀκρίβειαν hominum sui diligentium, ac valetudinem suam vt decet curantium.

Et ea copia quæ assumptis respondeat] i. Pro ratione ciborum qui assumuntur, vt scilicet pleniore aut parciore manu, sæpe aut rarò, hyeme vel æstate, in pueritia, iuuentute, aut senectute, consuetudo est instituendi diætam. Vt enim de more institutóque, aut etiam contra consuetudinem, cibi sumuntur: sic maior aut minor excrementi deüciendi copia esse solet. Ex quo euenit, vt semel, bis, tèrve ad summum, aluus feratur; vt consuetudo est ingerendi & egerendi. Certum est autem, quòd assumendi cibi occasio commoda esse nequit, priusquam feces pridianæ infrà transmissæ fuerint. Sic enim visum est præceptori de acutorum diæta, & alio loco, vbi hæc scripsit. Ἀποπατεῖν γὰρ τὰ ἔνδον κόπρον ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην, ἢν μέλλῃ ὑγιαίνειν ὁ ἄνθρωπος. i. *Nam pridianas feces singulis diebus excernit qui valet, aut valere debet.*

2 Παχύνεσθαι δὲ πρὸς κρίσιν.

Crassescere autem decet ad crisin.

Hoc vere quidem scriptum: sed loco minimè, nec appositè. Et verò verbum illud, παχύνεσθαι i. *crassescere*, quod infinitiui est modi; cùm apponatur priori sententiæ vnde ipsum dependet; verè illius subiecto accommodari nequit. Quæ enim crassitudo ampliùs requiri potest in optima deiectione quæ molliter est coagmentata & figurata? Sic igitur verè & appositè scopo authoris sententia hæc ponetur. In desiderio deiectionis optimæ, qualem descripsimus, profuerit aluum ferri liquidis excrementis subrufis: sed ita tamen, vt neque stridula sit, nec pauca, aut multa & frequens; sed multa & rara: nec torminosa, nec ægra deiectio: tum vt appetente crisi, crassescat. Talis deiectio planè id adimit quod intus lædit & magis læsurum, nec ampliùs illud subesse restatur. Quæ omnia sunt profectò fidæ salutis. Sed ea fiducia maior est atque firmior, si toto morbi tempore aluum gerit ægrotus λαπαρὴν καὶ ὑπόχων, i. *solidam, fucci plenam, & molliter constitutam.* Quæ cùm ita sint de scopo ac mente Hippocratis; iam ad examen prognoseωs accedamus.

Crassescere autem decet] Non quidem id excrementum quod siccitate obduruit, aut etiam quod iam est molliter coagmentatum & figuratum: sed humidum, quo ab initio fertur aluus in diarrhœa, vt scilicet quod antea circumfluebat ἄμορφον, iam fiat quodammodo τετυπωμένον. Quæ figuratio posita in crassitudine circumscripta, causam agnoscit virtutem partium solidarum, quæ est ipsa natura, cuius iam incipit fieri redintegratio, quæ cernitur in excrementi pepasmo qui proprium munus est partium solidarum.

Ad crisin] i. Ad morbi discessionem; comparata scilicet ἐπανορθώσει partium solidarum, & excrementi pepasmo: vnde crisis ipsa suscipitur atque absoluitur ad ægri salutem, ab eadem natura quam diximus esse virtutem partium solidarum. Sic enim Galeni iudicium est, ita scribentis. Διατέτατα ἡ φύσις διὰ τῶν στερεῶν μορίων, δύναμις ἐκείνων οὖσα, &c. i. *Diffusa est natura per solidas partes, virtus illarum existens.*

1. Epid.

3 Χρήσιμον δὲ καὶ ἕλμινθας στρογγύλας ξυνεξιέναι μετὰ τοῦ διαχωρήματος, πρὸς τὴν κρίσιν ἰόντος τοῦ νόσου.

Profuerit etiam teretes vermes vnà exire cum excrementis, dum morbus ad crisin progreditur.

Vnde infractio] significatur morbi, & viscerum recreatio; firmissimum illud adferri potest ad ægri salutem: vt in vrina bellè colorata cum bona hypostasi, nuper ostendimus. Qualis autem vrinæ ratio est in humoribus excrementitiis venarum, vbi sunt febres, ob quam causam febrium est vrina [illegible]; talis est etiam deiectionum in morbis aluinis, ac cæteris omnibus quorum excrementis alui feruntur. Bene est aluo cùm figurata & mollis deiectio est, atque subrufa. Bene est item, cùm excrementa liquida per aluum ducta crassescunt & figurantur; quæ antea circumfluebant minimè coagmentata. An non hoc satis est; nisi etiam vermes rotundi vnà exeant cum excrementis, tam indigenis, quàm aduenis alui? Enimuero lumbricorum nulla sunt commoda, vbi deiectio est naturaliter constituta. Sed veniunt exoptati cùm itur de corruptione in coctionem eorum quæ assumuntur. Qualis est transitus in morbis acutis, cùm ægri periculo defunguntur, móxque morbo.

morbo. Quò spectat illod Hippocratis, περὶ κρίσιν ἰόντος τῆς νόσου, i. *dum morbus ad crisim procedit.* Examinanda est igitur causa & ratio lumbricorum in morbis acutis, quorum infractio cernitur in lumbricis qui vnà exeunt ac transmittuntur infrà cum alui deiectione mitificata, vt dictum est.

Ergo. PROFVERIT ETIAM] i. Multum adiicitur commodis humidarum deiectionum quæ à natura mitificatæ crassescunt. Hinc salus sperabilis, etsi nondum fida spes: quoniam τῶν εἰσιόντων, ἡ πέψις, καὶ τῶν ἀπιόντων πεπασμός. i. *eorum quæ assumuntur, coctio; & exeuntium mitificatio* vnà ostenditur.

TERETES VERMES] Lumbricos, quorum ortus & mansio est in tenuibus intestinis: ibi enim aluntur & manent vbi gignuntur. Nam lumbricorum ἡ ἐντελέχεια venit ab ἐνδελεχείᾳ excrementi chylosi, quod nusquam est nisi in ventriculo & tenuibus intestinis. Cernitur ea ratio in pueris & infantibus, quibus copia est lumbricorum, de superuacaneo chylo, ab eorum nimia edacitate.

VNA EXIRE CVM EXCREMENTIS] Non quidem cibi fæcibus: id enim esset satietatis: sed cum spissatis deiectionibus quæ antea circumfluebant humidæ; tametsi cum fæcibus esse possunt.

DVM MORBVS AD CRISIN PROCEDIT] Vel cùm itur ad crisin de morbi pepasmo: tum enim maior fiducia est mox affuturæ salutis, cùm in eadem deiectione cernitur cibi coctio, & humoris morbifici mitificatio, cum recreata virtute partium solidarum, quæ antea fractæ à morbo iacebant. Cernitur cibi coctio in excremento chyloso vnde gignuntur lumbrici: nam tæniarum quæ toto sunt ambitu intestinorum; & ascaridum, quæ in ano catulliunt, alia ratio est. Gignuntur autem lumbrici, cùm excrementi chylosi putrescere incipientis, endelechia est à spiritu & calore intestinorum, sese in eam materiam insinuante. Humoris autem mitificatio siue pepasmus apparet in spissa & figurata deiectione quæ antea circumfluebat termini expers proprij, ac tantùm particeps alieni. Ergo profuerit vnà lumbricos exire cum excrementis, dum itur ad crisin. Nam quod obiicitur ex Hippocrate, quòd homo quidam qui febre correptus, liberaliter se potu & cibo inuitauit in cœna; cùm ei lumbricis ducta fuisset aluus die septimo, tandem vndecimo vitam finiuit: objectionis solutio est, quòd in concursu signorum omnium funestorum id accidit; tum quòd eidem deiectio erat humida & torminosa, non sicut & hìc, facilis & figurata de crassitudine parta coquendo Scire autem licet, quòd Aurelianus putauit lumbricis mortuis perniciem significari: sed falsò; quia vix est alibi locus viuendi lumbricis, quàm in tenuibus intestinis. At simulatque in crassa descenderint, cita mors venit; nisi erethismo prorumpant: vt annotauit Hippocrates in illa prognosi. Τὰ καρδιαλγικὰ μετὰ ἕλμινθων κάτω στρόγγυλων θανάτια [illegible]. Vide comment. ad eam. Sed Dioclis opinio est; viuis exeuntibus denunciari mortem. Herophilus autem sustinet neutros graue quippiam ominari. Apollonius & Glauco aiunt, initio cruditatem, pòst appetentem crisin ostendi. Antiphanes, sine stercore malos esse defendit. Sed ita statuendum. Vermes tum viui, tum mortui, principio quidem sunt mali: nam illinc cruditas; hinc putredo ostenditur. Cùm verò itur ad crisin, victrice natura; sic exeunt vt ponitur in hac prognosi.

Coac. 15. capit. 11. lib. 2.

4 Ἐν ὀξέσι τὸ ἀφρῶδες περίχολον διαχώρημα· κακόν. κακὸν δὲ καὶ τὸ ἔκλευκον.

Spumans deiectio in acutis vndiquaque biliosa; mala: mala item præalba.

DVO AVDIVIMVS deiectionum genera quæ fida spe nos consolantur in morbis quorum illa sunt [illegible]; vel quæ adiiciunt securitati, quando sperabilis est vitæ salus de signis bonis quæ cuiusque morbi sunt propria: vt in pleuritide, verbi causa, de anacatharsi, qualem iam sæpe suprà ostendimus. Nunc audienda sunt multa malorum genera quæ apparent in cæteris alui deiectionibus, quæ nos ad normam earum quæ adductæ sunt bonæ, examinabimus. Ac primùm de iis dicendum quæ prauis coloribus atque situ, in vitio sunt. Earum primæ occurrunt biliosæ, admodum saturatæ viridi aut flauo colore; & omnis coloris expertes, præalbæ. Quæ omnes cur ita sint, & quorsum appareant; sic aggredior ad docendum.

SPVMANS DEIECTIO] i. Bullis minimis obsita quæ assurgunt in superficie, tum à flatu, tum à calore contra naturam eximio. Ac biliosa quidem syncera, spumat ardore visceris vnde manat, qualem accepimus illam esse quam ciet melicratum ἄκρητον in biliosis. De qua sic positum est à præceptore. Τὰ μὲν γὰρ ἀφρώδεα διαχωρήματα, καὶ μᾶλλον τοῦ καιροῦ κατακορέως χολώδεα, καὶ μᾶλλον θερμὰ τὸ ἄκρητον μᾶλλον τοῦ ὑδαρέος ἄγει. i. *Sanè spumantes deiectiones, at magis quàm decet colore saturo biliosas, magisque calidas; syncerum melicratum ciet potiùs quàm aquosum.*

3. acut.

IN ACVTIS] Quorum est bilis propria generatio, sicut iidem à bile nascuntur: de quibus hæc scripta sunt à Galeno. *In acutis febribus biliosa gigni syncera per corpus, nihil est mirum.*

MALA] Vt causa & signo. Signo quidem inualescentis morbi, & ad exitium conspirantis, aut certè non facilè concessuri naturæ, nec medico. Hìc enim duo cernuntur quæ sunt grauissima, bilis eximiè saturata, & spuma: quæ sunt eiusmodi, vt ex ardore nata, non priùs ipsum extingui posse testentur; quàm partium viuacitatem atque natiuum calorem extinxerit: nisi assiduo neoterismo intus & foris viscera recreentur. Atque vt breui complectar incommoda bilis hìc positæ; sufficiet illud quod

lib. 2. περὶ φύσ.

iam attigimus ex Hippocrate, & quod idem bili descriptæ apposuit. *Huiusmodi autem deiectio syncera bilis atque spumantis, alia quoque habet mala insignia. Nam hypochondriorum ardorem non extinguit, sed magis attendit: tum anxitudinem, artuúmque iactationem infert: præterea intestinis & sedis vlcerifica est.*

Mala item præalba] Quæ non est eiusmodi de assumptorum colore, vt pultis ex farina & lacte, tum lactis ipsius: qualem accepimus ductam fuisse cuidam Apollonio ex vsu lactis caprini. Sed quæ præalba est, vacuitate omnis biliosæ tincturæ: quod ferè ictericis accidit; nonnumquam item phreniticis. De quibus est illud prorrheticum. ἐν φρενιτικοῖσι λευκὰ διαχωρήματα κακόν. i. *Phreniticis alba deiectio mala est:* quoniam ex euentu talis apparet, διὰ φλεγμασίαν τῶν ἄνω τοῦ ἥπατος μερῶν, ἀναρπάζοντος τὸ αἷμα σὺν τῇ χολῇ, i. *propter inflammationem superarum hepatis partium, quæ vnà cum sanguine bilem rapit.* Scite autem licet, quòd in hac prognosi, ἀντιθέτως notæ sunt positæ χρώματος malarum deiectionum, colore saturo biliosarum & præalbarum. Nam illud prorrheticum, nauseam mouet Galeno, verborum confusione, vbi sententia hæc sic recensetur. Τὰ ἐν ὀξέσι χολώδεα ἔκλευκα, ἀφρώδεα, ὑπόχολα διαχωρήματα κακόν. Sed tamen vtriusque vitij ratio continetur in eo quod author apposuit. Ἆρά γε τούτοισιν ἧπαρ ἐπώδυνον; i. *An non his est dolorificum hepar?*

prorr. 13. l. 1.
prorr. 18. l. 1.

5 Ἔτι δὲ κάκιον τὸ ἀλητοειδὲς κοπρῶδες.

His peior est pultacea deiectio stercorosa.

Sensvm opposuio, mentémque scripti denudatam obscuritatis velo exponit. Plurima bile ad saturitatem tincta deiectio, est mala; peior quæ omnis est tincturæ biliosæ expers. Saltem enim cum excremento bilioso, humoris tantum abit morbifici: bilis autem quæ fæces destituit, regreditur in corpus atque venas; vbi sanguinem mixtura inficit, donec febrili eum ardore accenderit. Sed à qua bilis secernitur, omnino est duplex; diffluens vna, altera figurata. Diffluens, chylosa est: quoties chylus ergastulo exclusus mesaraicarum inflammatarum, plenarum, obstructarum; effluit intestino: de qua traditur Coaca huius cap. 24. Λευκὸν τι καὶ ὑγρὸν μετὰ κοιλίης μετεώρου. Consistens est ac figurata quæ hîc ponitur, quæque dicitur ἀλητοειδές, i. *pultacea*, seu pultis similitudinem ipso colore referens; nec solùm eiusmodi qualis etiam chylosa esset: sed vna quoque κοπρῶδες, i. *stercoracea*. Talia icterici, obstructo vel scirrhoso iecore, deiiciunt. Ἄλητον autem communiori acceptione, farina est cuiuscunque generis, inde triticea, indéque hoc ipsum quod ex ea in aqua aut lacte, cum melle, aut sine melle bullita & cocta confectum esitatur. lib. 2. de diæta, & lib. περὶ παθῶν.

6 Κάρος ἐπὶ τούτοισι, κακόν· καὶ αἱματώδης διαχώρησις, καὶ κενεαγγείη παραλόγως.

Adhæc, si carus eueniat; malum: cruenta item deiectio, omnísque adeo immerita vacuatio.

Qvorsvm hæc omnia sint ab authore posita; palam aperiet ipsa prognoseως explicatio. Atque imprimis constat; carum, symptoma esse grauissimum amissæ phantasiæ, quod infertur cerebro admodum refrigerato. Siue autem sit verè carus, siue coma, siue νωθρότης; periculo locum esse testantur mox adfuturæ mortis: cùm iam exacta phrenitide enascuntur, quæ priùs adjunctam habuit accessionem dejectionis præalbæ, quam in prorrhetico narrat esse funestam, cùm ei succedit νωθρότης διὰ τὴν νέκρωσιν, i. *emortua facultate*, vitioque portantis, non autem portati.

Crventa item deiectio] Non ea quidem quam ciet hepatis εὐφορία quæ non est πολυήμερος, καὶ οὐ κατεπείγουσα ἰητροῦ δεῖται, i. *quæ diuturna non est, nec opem requirit à medico*: sed illa potiùs quam continenter fundit hepatis ἀτονία, qua ipsum tædet sui officij. Atque hæc nominatur à præceptore, δυσεντερικὴ ὑπέρυθρος τῆς κοιλίης, i. *proluuies alui prærubra*. Vtraque autem cruenta deiectio, hepatica est dysenteria, ea lege distincta quæ dicta est. Hîc scite licet, hepaticam dysenteriam, quæ ὡς σύμπτωμα, οὐ λόγῳ τῆς φύσεως, i. *vt symptoma funditur, non lege naturæ*; scopo eodem, prædictæ prognosi fuisse appositam, quo in prorrhetico, vbi de comate agitur: quòd ea non minus adiiciat cari periculo nati ex phrenitide, quàm vigilis comatis in phrenitidem transeuntis. Quem locum iam pridem examinauimus in tractatu de comate.

capit. 2. lib. 2. huius operis.

Omnisqve adeo immerita vacvatio] i. Quæ fit, vt dixi, ὡς σύμπτωμα, οὐ λόγῳ τῆς φύσεως; proptereáque non adimit quod intus lædit: sed illud ipsum, vacuationis huius accessione, magis læsurum testatur: vt interim taceam vacuationis adiuncta incommoda, quæ ab infirmitate orta naturæ, ipsam denuo infirmiorem facit. Quò autem plures in vitio sunt facultates; eò res ægri peiore sunt loco.

7 Κοιλίης

7 Κοιλίης ἀπόληψις, μικρὰ μέλανα σπυραθώδεα πρὸς ἀνάγκην χαλῶσα, μυκτὴρ τούτοισι ῥηγνύμενος κακόν.

Cùm intercepta est aluus, & quæ coacta, globulis paruis ducitur, atque nigris, velut caprarum pilulis; tum malè est sanguinem profundi è naribus.

QVEMADMODVM symptomatica omnis excretio, periculosi morbi periculo adiicit, vt modò vidimus in phrenitide quam comitatur primùm præalba deiectio, tum carus excipit, cui accedit proluuies alui prærubra, ex hepatis ἀτονίᾳ. Sic vacuatio nulla, quantumuis critica, recreationem potest adferre: sed contrà ægrotum damnis augere, cùm vires languent effœtæ. Atque hoc theorema catholicum est harum prognoseon quas author adduxit de rubra proluuie caro adiuncta: item de narium hæmorrhagia quæ cadit in globulosas & nigras deiectiones, velut caprarum pilulas stercoraceas. Ratio autem talium deiectionum, & hæmorrhagiæ incidentis, similiter analyticῶs exponetur, vt ceterarum iam adductarum.

CVM INTERCEPTA EST ALVVS] i. Siccitate astricta, quod frequens est apud Hippocratem, κοιλίας ξηραίνεσθαι, καὶ ἵστασθαι: cùm scilicet nihil reddit nisi coacta; & quæ redduntur, sunt dura & vi expressa. Quod vitium in excernendo, tribus de caussis accidit. Ac prima quidem ed diligenti vbertas de chylo accuratè confecto virtute natiui caloris in aluo solida & robusta: vnde natura sui negligens in excrementis ducendis, quæ parca manu collecta supersunt, ipsa cunctando siccari & indurari sinit. Altera est ἡ ἄνω εἴλησις τῶν ἐντέρων. i. *ea quæ sursum fit reuolutio intestinorum*, cùm scilicet intestina suam habent περισταλτικὴν naturali contrariam inferne sursum, à sedis musculo iani.ore constricto & clauso. Tum enim fæces sursum transmisisse ad colum, ibi subsistunt, & indurantur aridæ; de negato exitu & excundi via quam prius ad exitum affectabant, cùm esset peristole intestinorum naturaliter constituta. Sed positæ astrictionis in hac prognosi, neutra est caussa earum quæ dictæ sunt, quæque à frigore ortum habent aeris ambientis in aquilonia tempestate. Nota sunt illa solemnia præceptoris. Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι κοιλίας ξηραίνουσι. i. *Ex quotidianis cæli constitutionibus; aquilonia aluos exsiccat.* Et ψύξις τὰ κατὰ κοιλίαν σκληρύνει. i. *Frigus aluum exsiccat.* Nec verò aluus, quam fecit astrictiorem frigida & sicca tempestas aquilonia, fæces coacta reddit more caprarum nigras & globulosas. [aph. 17. 3.] Nam aquilonio frigore, alui natura sunt calidissimæ, febris expertes, ac sine morbo, quem vocat Hippocrates νόσημα ξηρόν. i. *morbum siccum*; nisi aliunde incideret vt sæpe accidit. Accidit autem vt siccata sit aluus & dura, nihilque egerat nisi nigrum, caprarum more quando, vt ait Galenus, ὅταν φλεγμαίνῃ ἧπαρ, ἢ μεσάραιον, ἢ τι τῶν κατὰ γαστέρα, οἷον νῆστις ἔντερον, ἢ σπλὴν. i. *cùm hepar laborat vitio siccitatis atque caloris, aut mesaraeum, aut aliud quippiam quod sit in ventre; putà ieiunum intestinum, aut lien.* [1. de acut.]

ET QVÆ COACTA] i. Non sua sponte, vt solet naturaliter constituta, in tempore atque ordine periodorum coquendi, digerendi, & egerendi: sed proritata clystere aut balano, fæcibus vi ducitur.

GLOBVLOSIS PARVIS ET NIGRIS, VELVT CAPRARVM PILVLIS] Quæ notæ omnes apparent in fæcibus vi ductis, authore Galeno, *quæ globulosa redduntur more caprarum; aut quia diutiùs detinentur; aut propter ignei vim caloris. Quòd si ad eam figuram nigrities quoque accesserit; igneam planè affectionem intus subesse ostendunt in corpore: ob eámque caussam sunt malæ.* [progr. 6. l. a. 1.] Sic autem sunt malæ, vt eius egressionis vnde veniunt, vix vlla redintegratio sperari posse videatur: sed contrà, partium diu multúmque alteratarum alienatio insanabilis.

TVM MALE EST SANGVINEM PROFVNDI E NARIBVS] i. Sanatio nulla sperabilis ex vlla, quæ multis in morbis critica esse solet, proruptione bilis, quam morbo exhausti perferre non possint: ac tantum abest ægrum leuari, vt opinione celeriùs moriatur. Scire autem licet, quod nihil benè fit vacuando, in summa virium infirmitate; cùm firmiter fixa hæret infirmitatis caussa.

8 Γλισχρὸν, ἄκρητον, ἢ λευκὸν διαχώρημα· φλαῦρον. φλαῦρον δὲ καὶ τὸ ἄλις ἐζυμωμένον, ὑποφλεγματῶδες. πονηρὸν δὲ καὶ ἐκ προφασιωδέων ἐπίστασις ὑποπέλιον, πυώδης, μετὰ χολώδεος.

Glutinosa, syncera, & alba deiectio; praua est: praua est item quæ multùm est fermentata, subpituitosa. Pestifera autem quæ ex concretis enatat sublimida, purulenta simul & biliosa.

In hac prognosi recensio est siue catalogus deiectionum prauarum, quæ sunt eiusmodi, magnis incommodis ac pessimis ægri rebus; colore, substantia, loco, & situ. Ac primùm.

Glvtinosa] i. Vix vi auulsa è fundo, vbi contumaciter adhærescit.

Syncera] Olim serosa humiditate vacua, & vi ardoris exhausta, nec vllo permixta humore. Sic enim τὸ ἄκρητον dici reperio; tum per se; tum ex eueotu.

Et alba] Non quidem pituitæ concretæ quam genuit cruditas, rerum earum vitio quæ assumuntur: non enim pauca esset: sed Galenus author est, quæ gignitur πιμελῆς τηκομένης ὑπὸ πυρώδους μὲν θερμότητος, οὐ μὴν κακοήθους γε σφοδρῶς, i. adipe liquefacto ab igneo quidem calore; sed non ita maligno, vt esse solet τὸ θερμὸν συντηκτικόν, pestilentiæ parens vnicus: vnde apparet alia liquefacti adipis in deiectione, idea videlicet pauci, opimi, læuis, & albi; mox autem subflaui. Accidit autem & huius idea deiectio, adipe quidem liquefacta: sed tamen qui vel incendio conflagrarit; vel qui quodammodo vetustate semiputris euaserit. 10

Prava est] Sic expressa, vel ab incendio simplici, vel cum putredine.

Prava est item mvltvm fermentata] i. Quæ ostentat ζύμωσιν toto humoris corpore, vt in atra bile: vel quæ minutulis bullis est obsita in superficie, vt flaua spumans, quæ habet τὸ ἀφρῶδες ὑπόστημα; sicut & æruginosa. Talium enim deiectionum indicia non minùs terrifica sunt, quàm symptomata ipsa pestifera. Vt enim apparent viscerum signo, æstu incandescentium, quem fermenta illarum deiectio non extinguit, sed magis accendit: sic abradendo & exasperando, inflammationes & vlcera sæpe mouent intestinorum grauissima, quæ sunt ab atra bile insanabilia.

3. acut. & aph. 28. lib. 4.

Pestifera avtem] i. Quæ nulla oppositione bonorum signorum vinci se patitur, pestiferique signi & causæ vim habet. 20

Qvæ ex concretis] Græcum illud, ἐκ τετριμμένων, consultò emendatum reposuimus ἐκ στροφώδων, i. ex torminosis: quoniam deiectiones hæ fermentatæ, sunt fœtæ torminibus dysentericis; non sicut vrinæ, quarum στροφώδη suprà vertimus, glomerata: quòd στρέφω verbum, idem sit Dioscoridi & Capitoni, quod πήγνυσθαι, i. cogi & coagmentari. Locus est in prorrhetico & suprà his verbis expressus. Κινδυνώδεις καὶ ἐκ στροφώδων, ὑπόστασιν ἔχει ὑπεστηκός. i. Periculosa etiam quæ ex glomerata, hypostasin habet sublimdam. Vbi demonstratum est, τὸ στροφῶδες, pro tormine, non cadere in vrinam: quod proprium est aluini symptomatis, ibi demum pestiferi, cùm eò progressum est vt excrementa liuida emittantur ex intestinis quæ humor efferus exulcerauit, perduxitque ad σῆψιν. Cernitur autem hic liuor enatans in deiectione, quæ non admittit hypostasin: similiter vt vrina, cuius est propria, vt visum est Capitoni ad locum illum prorrhetici, ex Galeno. 30

pror. 64. l. 1. & Coac. 10. cap. superioris.

9 Αἷμα λαμπρὸν διαχωρέειν κακόν. ἄλλως τε κἢν πόνος τις ὀδύνη παρῇ.

Sanguinem deiiciendo clarum emitti; malum: idque cùm aliàs, tum si quis dolor adest. 40

Sangvis emittitur deiiciendo clarus & splendidus; rupta, exesa, vel aperta vena in aluo. Talis deiectio est cruenta, non cruentata: vt esse solet aluina dysenteria quam mouet exulcerando, vel pituita putris & falsa, vel atra bilis, aut flaua syncera. Omnis autem cruenta deiectio, pestifera est: si eam tantùm exceperis quæ stata periodo, duce natura, cietur λαύρως καὶ ἰσχυρῶς κατὰ τοῦ ἥπατος ἐκκρίσιος τῆς φύσεως. i. larga manu & fortiter à forti hepatis contentione: vt in iis qui altero crure fuot mutili. Tum si excepetis hæmorrhoidas conuenienter fluentes. Scitum est illud. Αἷμα ἄνωθεν μὲν, ὁποῖον ἂν ᾖ, κακόν. κάτω δὲ ἀγαθόν, τὰ μέλανα ὑποχωρέειν. Cùm discesseris; nulla occurret cruenta deiectio, quæ non sit pestifera.

lib. 4. meth. & aph. 25. 4.

Idqve cvm alias] In ἀτονίᾳ hepatis, vnde ἀδιαπαύστως ὑποχωρεῖ. i. proluuies alui prærubra.

Tvm si qvis dolor adest] Qualis infertur, venis mesaræi exesis: vt ipsi vidimus in Polemarcho Brissacio, cui suppressa in aluo materia quæ olim mouebat sæuam arthritin; venis exesis in mesaræo, deiectiooes mouit cruentas quatriduo ante obitum. 50

10 Τὸ ἀφρῶδες περίχολον διαχώρημα· φλαῦρον. ἐκ ἰκτεριοῦνται δὲ ἐκ τούτων.

Spumans deiectio eximiè biliosa, aut circumfusa bile; praua. Tum inde fiunt icterici. 60

Spvmæ idea cernitur in humido circumtenso à spiritu flatulento. Sic enim Galeni iudicium est vbi pompholygum siue bullarum causam recenset io vrinis bullatis. Et quamuis hæc ita sint καθ' ὑπόστασιν bullarum quæ io vrinis emicaot: tamen καθ' ὅλου id locum habet in omni humore bullato, vbi

vbi coitio densa minutularum bullarum, spumam edit. Nam in humore calido nulla bullarum generatio est à calore, nisi cum flatu, sine quo non est humidi circumtensio, proptereáque nec spuma. Quod superest; causa & ratio huius prognoseωs repetenda & aduocanda ex ea quæ iisdem ferè literis, & scopo eodem scripta est 4. huius cap.

11 Ἐπὶ τοῖσι χολώδεσι τὸ ἀφρῶδες ἐπάνθισμα· κακὸν. μάλιστα δὲ ὀσφύος πεπονηκότι καὶ παρενεχθέντι ἆρα δὲ τούτοισι τὸ ἄλγημα;

10

In biliosis cùm spuma enatat efflorescens; malum: idque potissimùm, si lumbi doluerint, & mens emota fuerit. Etiámne dolores in metu sunt?

OMNIS DEIECTIO graue malum subesse ostendit, cùm ei naturâ iam efferæ, feritas maior adijcitur, ipsáque tantum abest vt morbi leuationem adferat vnde manat, vt ei multum adijciat, & grauiorum malorum accessione damnis augeat. Ecce biliosa deiectio in biliosis, peior est spuma rutila quæ ab incendio viscerum efflorescit. Tum exudante cacochymia in aluum è lumbis dolentibus;
20 vel ea demissa è cerebro in æstu dementiæ; biliosa & spumans deiectio inde nata, non illud adimit quod intus lædit, sed illud ipsum eò magis læsurum ostendit, quò ipsa peior apparet. Postremò talis deiectio non minùs calamitosa est intestinis & sedi exulcerando, quam cerebri, lumborum, & hepatis vnde venit calamitatem ostendit. In cruditate & feritate humorum, nihil criticum esse potest: tum vacuatio nulla, doloris aut morbi leuationem est allatura, cùm ea cietur κατὰ τὴν ὑπερβολήν. Vetus enim opinio est, sapientum consensu pridem firmata, quòd οὐδὲν τῶν κατὰ συμπάθειαν, λύτικόν ἐστι τῶν ἐξ ἀρχῆς παθῶν, i. *Eorum quæ sympathia fiunt; nihil soluit priores morbos.*

12 Λεπτὸν ἐπαφρον διαχώρημα, ὑδατόχολον ἔχον ὑπόστασιν πονηρόν.

30

Tenuis valde spumans deiectio, cuius est aqueabiliosa hypostasis; praua.

ATQVE HIC significatio est cruditatis eximiæ quam edit naturæ infractio, febris æstu incandescentis. Ac tenuis quidem, indicium est cruditatis, διὰ τὴν στέρησιν τῆς πέψεως, *coctionis priuatione*: vel de prærepta occasione coquendi, vel de collapsa virtute. Sed valde spumans deiectio, spumam habet æqualem, proptereáque prægrandem & pessimam à spiritu flatulento quem in spumantis materiæ partes omnes pariter æqualiterque mouet calor febrilis. Declarat idipsum aqueabiliosa hypostasis, quæ quidem tenuitate ipsa, cruditatis sobole, planè est aquea: sed bilioso colore, est viscerum febris
40 calore ardentium. Aqueam verò & biliosam dixit hypostasin, pro liquida consistentia quæ à febrili calore, bilis parente, spumat & liquitur: nec ab effœta virtute partium solidarum crassescit. Nam hypostaseωs nomen, tantùm vrinis tribuitur apud Hippocratem: vt annotauit Galenus ad illud propheticum. Ἐκ συστάσιος ὑπόστασις λευκὴ ὑγρὰ, ὑποπέλιος· κακόν. i. *Ex concreta, hypostasis cænosa subliuida; mala.* Quàm autem calamitosa sit, ne dicam funesta, tenuis & valde spumans deiectio biliosa in morbis acutis; passim docetur in Epidemiis, & in historia de Sileno, vbi tenuem & minutissima spuma obsitam deiectionem biliosam, ἄκρητον nominauit, i. *Synceram.*

prorr. 64. t. 3. 2. & Coac. 10. cap. superioris.

13 Πονηρὸν δὲ καὶ τὸ πυῶδες· καὶ τὸ μέλαν αἱματῶδες πονηρὸν, σὺν πυρετῷ, καὶ ἄλλως.
50

Praua est etiam purulenta, & sanguinis atri deiectio: idque tum in febre; tum aliàs.

ENIMVERO prior pars huius prognoseωs de purulenta deiectione, quòd absolutè simpliciterque praua sit, verè dici non potest. Hic certè opus est diorismo. Ac diorismus sic erit. Nam purulenta hepatica de cocto phymate aut corrupto, erit sinistri iudicij vel incipientis: vt apparebit pus ipsum meiendo emissum. Ac cœnosum quidem & fœdi oris, funestum est: quia visceris vnde manat, corruptionem
60 ostendit. Ac verò album, æquale, minimúmque graueolens; ancipitem habet euentum; non quidem suo pepasmo & visceris vnde manat integritate: sed partium offensione, per quas non tutò infra transmittitur: quamuis non rarò eueniat vt comparato sic empyemate, multi periculo defungantur, cùm in angusto spes esset a phymate crudo cauatum hepatis partium. Nec verò semper aluina deiectio purulenta, est praua, quæ finem adfert optatum crudelis dysenteriæ. De qua Hippocrates ita censuit.

Coac. 3. cap. 10 lib. 2.

Quibus è dysenteria fauis ieur ad puriformia, quę superstat humor; multùm albus erit & multus. Sed illa demum praua est omnis purulenta deiectio, quæ puris formam ostentat, partis corruptæ indicem, vnde venit. Tum ea quæ à laudabili empyemate, nobilium partium officia labefactat, quà puri deiiciendo ad sedem est transitus. Talis est illa deiectio empyicorum, quorum ab ea deiectione calamitatem Hippocrates sic expressit. *Empyicis à pulmone pus duci per aluum lethale.* Est autem lethale id, non semper signo pulmonis corrupti a phymate peripneumonico; sed vitio partium outriolarum, quod à pure infertur, dum illac fertur πρὸς ἕδρην. Idem similiter accidit iis quibus à vulnere brachiorum in empyema mutato, purulentæ sunt deiectiones. Nam vxor Beriotij periit lienterica, cum ei brachium erysipelate occupatum, & ab empyemate purulentum atque corruptum, pus effudisset in aluum. Secus est in peripneumonia quæ phyma in pus mutatum, & intra vomicam adhuc conclusum, ad purulentam & stranguriosam perirrhœam conuertit. Similiter etiam periculosa est ab hypochondrij empyemate, puris deiectio, tum per se; tum ex euentu, cuius periculum continetur in commentariis nostris ad hanc prognosin. *Abscessus siue empyematum hypochondriacorum, lethalia sunt illa quæ pus effundunt intrò.* Sed mesaræi, pancreæ, & epiploi, tum hypogastrij empyema, intrò conuersum, & illac deiectum; spem vitæ adimit, quam priùs iniecerat dum phyma crudum transiret in coctum. Id enim medium est inter citam crisin atque perfectam, & desperatam salutem. Lumborum τὸ κύστωμα quod iis intulit phyma ibi conceptum, sine præsidiis quæ sunt in manu sæpe sanatur, cum cœpto fieri empyemate, purulenta fortis & longa succedit dysenteria: sed ea curatio tuta est, nec cita, nec facilis. Nunc loco se offert purulenta deiectio quam mouent vlcera intestinorum: quæ quia σηπεδόνα partis obsessæ corrumpit, vlceri multum adiicit, nec illud naturæ præsidiis finit curari, quæ posita sunt generando ac restaurando.

1575. Iul. — 2. Epid. — Coac. 8. capit. 11. lib. 2.

ET SANGVINIS ATRI DEIECTIO] Vt eo nomine non sit conscripta nec comprehensa purgatio hæmorrhoidum, sanguine atro suscepta; de qua est illud præceptum. Κατω δὲ ἀγαθὸν τὸ μέλαν ὑπιχωρεῖν. Nam hæmorrhoides infrà ducuntur sine vlla peristole intestinorum: nulla autem deiectio caret peristole. Quò fit vt nulla deiectio atri sanguinis, bene fiat vel ipso deiiciendi modo: quia peristole intestinorum sæpe grumescit periculo ægrotantium. Sed atræ bilis nulla concretio esse potest, nec grumus. Quod vt concedam; certum est tamen, grauiora mala inferri dum bilis atra exulcerat intestina, quàm cùm sanguis niger grumescit: qui tantum feritate bili atræ concedit; quantum, vt ita dicam, frigidum ferrum candenti. Ac certè bilis atræ nulla hîc mentio. Sanguinis autem nigri deiectio praua est atque pestifera: quoniam insanabili vitio exolutorum viscerum hepatis & lienis, infrà transmittitur: idque tum in febre à tempestate pestifera, vnde viscera ipsa liquuntur: tum aliàs ac sine febre, illata paulatim visceribus ἀτονίᾳ, cuius impressio est repentina cum ipso symptomate: sicut & causæ morbificæ alterantis inueteratio esse solet.

aph. 25. 4.

14 Καὶ τὸ ποικίλον κατακορὲς διαχώρημα· φλαῦρον.

Varia item, saturatáque deiectio; praua.

QVEMADMODVM syncera omnis deiectio sanguinis atri, per se ipsa ducitur vitæ exitio: sic aliorum quoque humorum, synceritate insignium, pestifera esse solet infrà per sedem exclusio; quæ etsi quàm illa seriùs exitiosa est, minúsque præceps exitio, quod sæpe est postridianum: tamen non minus periculum subesse ostendit. Quò spectat illud Hippocratis. *Æquè periculo locus est deiectionibus synceris & variis, atque nigris à sanguine: sed tamen hæ ocyùs; illæ verò seriùs præcipitant homines ad exitium.* In promptu ratio est: quia deiectiones atri sanguinis opimæ, tum liuidæ & æruginosæ fœdi odoris; omnes ducuntur partim ex ἀτονίᾳ viscerum; partim ex iis partibus quæ liquuntur, aut sunt emortuæ: Talium autem grauiores sunt casus, magísque funesti, quàm earum quæ ab incendio, dum alterantur, nec dum, vt illæ, sunt alienatæ; synceras & varias edunt deiectiones. Sed quænam sint variæ & synceræ deiectiones, paulò pòst aperit idem præceptor his verbis. Ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα, ξυσματώδεα, καὶ χολώδεα, καὶ αἱματώδεα, καὶ πρασοειδέα, καὶ μέλανα, ποτὲ μὲν ὁμοῦ διεξερχόμενα, ποτὲ δὲ κατὰ μέρος, i. *Sunt autem eiusmodi, abradentia, biliosa, cruentata, porracea, nigra; eáque partim simul descendendo emissa; partim ipsa per se deducta ab aliis.* Scire autem licet, quòd harum omnium deiectionum consideratio, ineundæque huius prognoseos ratio est in iis quæ sua sponte ducuntur, non nostra, i. artificio medici dantis operam purgationi: vt visum est præceptori. Causæ adductæ sunt alibi.

aph. 23. 4. — prog. 23. lib. 2. — aph. 21. 4.

15 Καὶ χεῖρον ὅσῳ φοβερώτερον τῇ χροιῇ.

Ac tantò peior coloris est magis horrendi.

QVANTO humoris cuiusque maior est è natura egressio: tantò est magis colore terrificos. Vt si bilis flaua syncera eò deueniat synceritatis, vt iam appareat nigra; dubitari certè non potest, quin metu maiore exterreat medicum, signo & causa, quàm olim cùm esset flaua. Ac signo quidem: quòd iam ad vltima ventum sit viscerum igne ardentium, siue incendio conflagrantium. Causa autem: vitio insanabili quod

bili quod intestinis infertur, dum aluus infrà transmittit humorem tam efferum. Sunt enim acriores morsus bilis atræ quàm flauæ.

16 Πλὴν ἐν φαρμακείῃσιν. ἐν γὰρ ταύτῃσιν ἀκίνδυνον, μὴ πλήθει ὑπερβάλλον.

Secus in pharmacia. Tum enim periculo locus non est, nisi sit nimia abundantia.

CLARA EST lectio sic recensenda. Est quidem syncera omnis deiectio praua; & eò peior, quò eius color est magis terrificus, atque imprimis niger. Hoc certè ratum est persuasúmque omnibus: sed ea lege, vt sponte sua, non medici, niger hic humor deiiciendo exeat. Causæ adductæ sunt. Qui autem ducitur pharmacia melanagoga, cùm scilicet datur opera purgationi ad melancholiam, vel ad insaniam; καλῶς ducitur καὶ κεκρίμενως: non secus atque varices & hæmorrhoides, quæ finem adferunt illorum symptomatum, conuenienter, sponte ac duce natura obortæ. Nam illud, τὸ μέλαν αἷμα τὸ ἀποχωρέον, quod ἀγαθὸν esse dixit Hippocrates, beneficio fit hæmorrhoidum; minimè autem deiectionum. Nulla enim, quæ sua sponte mouetur, sanguinis atri deiectio, in bonis ducenda: semper omnino pestifera est, ac citra mortem non rarò funesta. Nam qui à morbo emacruerunt; cùm nigra deiecerint, postridie moriuntur. Sed mirum illud, ac, penè dixerim, miraculo apponendum, quòd hæmorrhoicus ater sanguis, tot commodis beat ægrotum, & idem deiectus augeat multis damnis, tantúmque periculo vitæ adiiciat, vt cita inde mors veniat. Tum illud etiam subit mirari; quòd nigra deiectio sponte ducta, periculo & maleficio est apponenda: sperabili autem saluti ac beneficio, quam mouet pharmacia conuenienter præscripta. Enimvero sanguinis atri iniussa deiectio, hepatis ἀτονίαν denunciat; quod officij sui tædet, nec sanguini vacuando præit ampliùs, vt solebat, per sua παραφυάδας, i. *per suas propagines*, quæ sunt venæ. In hæmorrhoide ius suum retinet, potens adhuc humoris atque suarum propaginum i. venarum. Tum sanguis ater de vitio suæ stationis, mesaræo vim adfert; & è venis egressus, intestina peterrat: vbi magis corrumpitur, ipsisque suam corruptionem impertit. vt locis incommodis vbi suam φυλακὴν, quam in venis habebat, prorsus amittit. Hinc finis non fit exitus exitiosi. Hinc etiam summæ infirmitatis & corruptionis amplificatio, donec ad vltima ventum sit, & ad vitæ exitium. Sed atri sanguinis iussa deiectio per pharmaciam melanagogam, secus ab illa quæ est iniussa, excipitur bonis ægrotis rebus, vt signo & causa. Nam ea perficitur viscerum εὐφορία, & simul adimit & expurgat id quod lædebat intus, & magis læsurum erat: præsertim si non pigro lapsu & continenter, & largiter & paucis horis, qualis est critica deiectio.

aph. 20. 6.

NISI SIT NIMIA ABVNDANTIA] Quæ est ὑπερβάλλουσα. vt in vacuatione critica: ὑπέρκρισις. aph. 51. 4. Nam omne nimium est inimicum naturæ.

17 Καὶ τὸ ψαφαρὸν μαλθακὸν ἐν πυρετῷ διαχώρημα· φλαῦρον. φλαῦρον δὲ καὶ τὸ ξηρὸν, ψαθυρὸν, ἄχλοον καὶ ἄλλως, καὶ ἢν κοιλίην καθυγραίνει. μελαίνων δὲ προδιελθόντων, κτείνει.

Quinetiam mollis friabilis in febre deiectio, praua est. Praua item sicca, discerpta, expers caloris: idque cum aliàs, tum verò si liquidam aluum reddit. Tum enim perimit, cùm nigra prodierint.

VT OMNIS deiectio naturaliter coagmentata, i. figurata & colorata vt decet, est optima: sic vbi abest quæ priùs aderat coagmentatio; magnum subesse malum testatur; ob eamque causam est pessima. Est enim coagmentatio omnis naturaliter constituta, soboles natiui caloris atque humoris: quemadmodum eius dissipatio quæ est quodammodo frustulatim discerpta; in mollitudine quidem, putredinis; in ariditate autem, summi ardoris, humorem quo velut glutino coagmentata erat deiectio, exhaurientis. Quæ omnia cuiusmodi sint, propalam explicabit ipsum examen.

QVINETIAM MOLLIS FRIABILIS] Exemplo carnium pridianarum, & asseruando tenerescentium, atque quodammodo emortuarum, proptereáque ex facili discerptarum, quas Galli vocant mortificatas. Nam ψαφαρὸν, idem est quod in prorrhetico ψαθυρὸν: vt suprà iam diximus. Est autem id, referente Galeno, quando τὰ κρέα τοῖς σκληροῖς καὶ ἰνώδεσι, καὶ δυσδιαλύτοις, καὶ δυσμασσήτοις, ἐναντίως ἔχει διακείμενα, *cùm scilicet carnes similiter non sunt affecta, vt esse solent, duræ, fibrosæ, quæque nec facilè dissoluuntur, nec facilè item manduntur.* Quarum dissimilis est caro pulmonis, quem vocat Hippocrates ψαφαρὸν. Huiusmodi carnes vocantur à Græcis, τὰ ἕωλα κρέα, vt iam attigimus cùm pridianas diximus. Cernuntur eiusmodi deiectiones in nucibus, pyris, & malis præmansis, quorum firma non est, nec tenax coagmentatio:

Coac. 33. c. superioris. prorrh. 24. f. 3. 1. lib. 1. ἀφόρισμοι.

Aaa

ſed quæ diſcerpitur ſiue diuellitur, deiiciendo emiſſa. Sed id locum habet in ſanis qui fructibus illis tantum veſcuntur & victitant. Non ita in febre fit, vbi nulla manſorum de pomis excuſatio eſſe debet.

Ergo. IN FEBRE] Cuius eſt τὸ θερμὸν συντῆκον, quod corrumpendo diſſociat atque reſoluit coagmentatas & figuratas fæces, ipſáſque reddit fruſtulatim diſcerptas in putri humore: ſimiliter vt cùm arena in aquam coniicitur, quæ ibi reſidit.

PRAVA EST] Sicut omne colliquamentum, quo nihil à febre calamitoſius eſſe poteſt.

PRAVA ITEM SICCA DIVVLSA] i. Quæ antea fuit globuloſa & dura, more caprarum; nunc eſt fruſtulatim diuulſa & incoibilis, vacuitate humoris quem ardor febrilis exhauſit, vel de viſceribus quodammodo iam emortuis & ſanioſis ichor exudans diſſoluit.

EXPERS CALORIS] Sic enim rectè videmur interpretari quæ idem poſuit in prorrhetico, τὰ ἀπὸ ψαθυρὰ ὑγρὰ διαχωρήματα περιψύχεται, &c. tametſi Galenus eam περίψυξιν refert ad cutim qualitate illa perceptam, viſceribus æſtu incandeſcentibus: quia ſcriptum eſt, ἐν ἀπύρῳ. Sed pace viri dixerim; pertinet illud potiùs ad frigidam viſcerum intemperiem & ἀπυρίαν partam febrili ardore viſcera occupante, vnde priùs fuerat globuloſa & nigra deiectio. Et verò τὰ περιψυχόμενα in habitu corporis, non ſunt eorum qui febre non carent, nec habent ἐν ἀπύρῳ: ſed eorum potiùs quorum eſt illud prorrheticum. Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα καύματα πυρετοῦ περιψυχθέντος ἐν ὑποχονδρίοις κακόν. i. *Incendia quæ ſuperſunt in hypochondrio, perfrigerata febre ad manum in cute, malum ſubeſſe teſtantur.* Eſt igitur expers caloris deiectio, quæ antea fuit καυσῶδες διαχώρημα: ſimiliter vt frigida expiratio ab extincto cordis calore, quæ antè fuit calida, dum cor incendio conflagrabat.

prorrh. 7. ſ. 2. 1.

IDQVE CVM ALIAS] i. Cùm ſemper diuulſa deiectio prius eſt, quæ fuerat ſiccitate arida, globuloſa.

TVM VERO SI LIQVIDAM REDDIT ALVVM] Quod eſt ſymptoma partium morbo calido effœtarum, & καυσῶδες excrementa, more caprarum parua & globuloſa, ichoris quem fundunt nimia abundantia diſſoluentium, & vnà mouentium diarrhœam ex aluo quæ fuerat antè ſicca, nec niſi πρὸς ἀνάγκην, i. coacta ducebatur fæcibus globuloſis ac duris.

TVM ENIM PERIMIT CVM NIGRA PRODIERINT] Quod eſt huiuſmodi ac ſi diceret. Globuloſa & dura deiectio verſa in liquidam, cum illis fæcibus fruſtulatim diſcerptis, ſi ex ardore nimio nigra fuerit; quia nihil æquè facit corpus infirmum, nec ipſum calorem natiuum extinguit atque febrilis ardor, vnde illa nigricies in fæcibus globuloſis; tum in propinquo mors erit, cùm liquida illa deiectio duram & nigram excipiet: quoniam diu ferri non potis eſt vllam excretionem, ne criticam quidem, cùm vires languent effœtæ.

prorrh. 6. ſ. 2. 1.

Ὑγρὸν διαχώρημα, καὶ ἀθρόον, καὶ κατὰ μικρὸν κακόν· τὸ μὲν γὰρ ἀγρυπνίην· τὸ δὲ ἔκλυσιν τάχ' ἂν ποιήσῃ.

Deiectio liquida quæ multùm ac ſæpè mouetur, aut ſæpe ac parum; malefica: hæc enim vigilias; illa autem virium exolutionem fortè intulerit.

DEIECTIO liquida etſi longè abeſt ab ea quæ eſt naturaliter coagmentata, figurata, & colorata; hæc quoque tamen bona ſpe recreat medicum & conſolatur, ſi copioſè, liberè, ac tarò ducatur, craſſeſcentibus excrementis, dum itur ad criſin; idque in aluo ſolida & ſucci plena, quam ἰσχυρὰν vocat & ἀσυμπλεᾶ, i. *neque contractam, neque diſtentam.* Hæc prima lex fuit ſancita de humida deiectione ſecundi euentus, initio huius cap. Quòd ſi euenerit vt ea deiectio humida, ſæpe ac multùm, aut ſæpe ac parum, ſemper eodem modo, eodémque liquore atque colore ducatur; quid inde ſit euenturum, docetur his verbis.

DEIECTIO LIQVIDA] Siue ſit ventris indigena, de impotentia coquendi aut continendi: ſiue illius aduena, de humore prorupto, tum è viſceribus, vel è venis, totóque corporis habitu; tum ex capite ipſo. Quò ſpectant omnia lienterica, diarrhoica, & dyſenterica. Quorum incommoda quæ hic ponuntur: veniunt merito deiectionum malè euntium, non cauſa ipſarum. Ergo. DEIECTIO LIQVIDA] Quæ ſui ſemper eſt ſimilis, colore, liquore, copia, & exeundi modo; nec vllo craſſeſcit pepaſmo.

QVÆ MVLTVM AC SÆPE CIETVR] Prorupta è capite vel è viſceribus atque venis, totóque corporis habitu: quamvis hæc ſæpe ducatur ad criſin morborum; qualis aquoſa eſt diarrhœa, quæ circa hydropis initia morbum exoluit; qualis eſt etiam quæ ſanat leucophlegmatiam, ducta è venis in aluum, vt dictum eſt in hydrope: modò ne vires exoluat frequentia deiiciendi, & nimia abundantia. Quò ſpectat illud præceptum, quòd frequens omnis & plurima vacuatio eſt periculoſa: quia omne nimium, naturæ eſt inimicum.

aph. 51. 2.

AVT SÆPE AC PARVM] Quæ ratio vacuandi, nunquam fit κατὰ τὸ κρίσιμον: quia nihil paucum & criticum, vt in teneſmo & aluina dyſenteria, vbi eſt crebra & irrita cupiditas egerendi; nec vllus penè finis ſit deiiciendi ab expreſſione quam facit oppreſſio & proritatio inteſtini & ani.

MALEFI-

MALEFICA] Ipso symptomate deiiciendi, quod multum periculo adiicit periculosi morbi, vnde symptomatica venit deiectio.

HÆC ENIM VIGILIAS FORTE INTVLERIT] Tum impotentia dormiendi, vacuitate causarum somniferarum: tum quia somnus adimitur crebra & ægra deiiciendi cupiditate. Id autem grauissimis damnis auget ægrotum. Nam somni de noctu vacuitas, cùm ipsa per se morbus est; tum vero ad hoc malum illud accedit etiam, quòd, vt præceptor docuit *fortis vigilia potionem & cibos, omniaque quæ assumuntur, cruda omnino reddit, & coctionis expertia.* Tum illud etiam, quòd ægra & crebra deiectio, cum somni vacuitate; & vnà corpus facit infirmum, & feritatem humoribus maiorem adiungit. Hinc noua seges & vicissitudo symptomatum grauiorum. (4. de acutis.)

10 ILLA AVTEM VIRIVM EXOLVTIONEM] Quoniam diarrhœa omnis prompta, nec iussa imperio facultatum, ab infirmitate primùm orta naturæ, ipsam denuo infirmiorem facit, & ad lipothymiam præcipitat, vel potiùs ἔκλυσιν, præcipiti lapsu virium. Scire autem licet, quòd eo spectant incommoda liquidarum deiectionum hîc posita: vt cùm perspecta fuerit mala earum mutatio ex coagmentatis; quantum periculi etiam symptomate ipso inferant, dum ita deiiciuntur, intelligamus, ac mente atque animo complectamur.

19 Ευγγρον ὑποψαφαρὸν διαχώρημα, περιψυχόμενον, μὴ ἀπύρῳ φλαῦρον. τὰ ἐπὶ τούτοισι ῥίγεα· χύσιν, κοιλίην ἐπιλαμβάνει. ὑδατῶδες δὲ 20 σφόδρα· διαχώρημα μὴ παυόμενον ἐν ὀξέσι κακὸν καὶ μᾶλλον εἰ καὶ ἀδιψέσι. (al. περιψυχόμενον.)

Egestio subdiuulsa in multo liquore, perfrigescens, nec febre carenti; pestifera. Tum si rigores veniant: sistent vesicam & aluum. Perliquida autem deiectio, neque quiescens in morbis acutis; mala: idque potissi- 30 *mùm sitis expertibus.* (al. perfrigescenti.)

MALE RES eunt cùm fæces duræ, globulosæ, paruæ, & nigræ transeunt in diuulsas, velut minutal quoddam; à multo liquore, quo primùm dilutæ, post modum discerpuntur in ea frustula similia minutalis. Tum enim ventum est de ventris ardore ad vltima τῆς ἀτονίας, vnde liquuntur & emittuntur liquores, qui τὰ σκυβαλώδεα faciunt ὑποψαφαρά. Est autem grauissima pestiferáque siccitatis mutatio in ἀτονίαν quæ fundit ichorem, vnde symptomatica omnis deiectio est; cuius incommoda modò vidimus, nata ex ipso symptomate quod multum adiicit maleficio atque periculo causæ ipsius.

Ergo. DEIECTIO SVBDIVVLSA [Cuius diuulsio est inæqualis, frustulatim dispersa. Ex quo 40 apparet τὸ ὑποψαφαρὸν idem esse quod in prorrhetico ὑποψαθυρὸν; vt iam attigimus.

IN MVLTO LIQVORE] i. Ichoris copia quam continenter fundit ventris & viscerum ἀτονία quam peperit inueteratio cæci cuiusdam ignis, humidum primigenium seu vitale principium, ipsántque adeo viuacitatem exhaurientis. Huius ichoris nimia abundantia quæ priùs fuerat σκυβαλώδης, nunc est deiectio ὑποψαθυρά; proptereáque ipsam vocauit ἔγχυγρον. i. *liquore flagnatam.*

PERFRIGESCENS, NEC FEBRE CARENTI] Περιψυχόμενον, iure syntaxeos, hîc deiectioni apponitur: quod tamen Galenus tribuit ægrotanti, quem nulla mouit religio solœcismi, qua nec ipse moueor: sed tamen adductus maiore religione, non dubitaui hoc refrigerium ad excrementum referre, quod priùs erat καυσώδες. Sit ita sanè, vt video placere Galeno: sed illud videor verè dicturus, refrigerij foris percepti causam non esse positam in ardore intus accenso, sed potiùs in paupertate natiui caloris 50 atque viuifici nectaris quod est in corde. Sed hæc sufficiant: plura enim iam diximus.

PESTIFERA] Ipso symptomate, & causa ipsius. Ac symptomate quidem ipso quod cernitur in deiiciendi modo: vnde vel tædia vigiliarum intolerabilia, vel cita morte funesta virium exolutio, vt crebrò & multùm; aut crebrò & parum aluus transmittitur. Causa autem: quia subest vitium insanabile partium quarum iam nulla sperabilis redintegratio esse potest in alienatione ipsarum quam longa & fortis intulit alteratio.

PERLIQVIDA AVTEM DEIECTIO] i. Aquosa liquore atque colore, quam alibi vocat διαχώρημα ὑδατῶδες κάρτα, i. *deiectionem valde aquosam*, vnde summa cruditas denunciatur, vt refert Galenus. (lib. 2. progn.)

NEQVE QVIESCENS] i. Quæ nihil à se mutatur liquore, colore, copia, & exeundi modo.

IN MORBIS ACVTIS] Quorum naturæ contraria est decolor atque tenuis: quod signum est 60 raptæ bilis ab inflammata parte conuexa & supera hepatis, vel bilis eiusdem concitatæ sursum ad caput, quæ ibi mouet inflammationem phreniticam, vnde non rarò præalba est phreniticorum deiectio. Tum illa deiectio tenuitatis aquosæ in morbis acutis quæ non crassescit, ac similis manet sui; cruditate illa, collapsam ostendit facultatem coquendi, proptereáque spem adimit omnis pepasmi: quo vno, morbi acuti, duce natura, inueniunt viam ad crisin, per criticam excretionem.

MALA] Inualescente morbo, & fatiscente natura.

IDQVE POTISSIMVM SITIS EXPERTIBVS] Quibus in causa sitifera, nulla est sitis sensio; non tam à partis vitio quæ potionis est appetens, quàm occupata mente: vt in phreniticis qui ab Hippocrate ἄδιψοι nominantur, i. *sitis expertes* in sensione ipsius; non autem in causa sitifera, quæ in phreniticis eximia esse solet.

20 Ἐξέρυθρον ἐν περιπλύσει διαχώρημα· φλαῦρον.

In alui proluuie, prærubra deiectio: praua.

HÆC ETIAM sunt maleficia & mala signa deiectionum quæ cernuntur in proluuie saturata rubro colore. Hæc autem proluuies saturata rubro colore, signo & causa pugnat cum ea quæ modo descripta est præalba & tenuis, instar aquæ. Sed pari exitio, vtraque formidabilis.

Ergo. IN ALVI PROLVVIE] Qua venter proluitur, sicut in diarrhœa aquosa, fertúrque liquido excremento.

PRÆRVBRA] i. Saturata rubro colore à sanioso sanguine quem continenter fundit hepatis ἀτονία, facítque dysenteriam hepaticam vulgò dictam, de qua iam pridem multa conscripsimus quæ nihil necesse est hîc denuo recensere. Sunt enim in promptu, paténtque omnibus ad legendum, cùm alibi passim, tum in cap. de dysenteria.

PRAVA] Cuius quidem prauitas in signo & causa, illic expressa est, vbi iam diximus.

21 Φλαῦρον δὲ καὶ τὸ σφόδρα χλωρόν, ἢ λευκόν, ἢ ἀφρῶδες, ἢ ὑδαρές. καὶ τὸ μικρόν τε καὶ γλισχρόν, καὶ λεῖον, καὶ ὑπόχλωρον κακόν.

Praua est etiam multùm viridis: item alba, vel spumans, vel aquosa. Tum ea quæ parca & glutinosa est, vel eadem læuis atque subflaua, graue malum ostendit.

SYMPTOMATICARVM quæ hîc ponuntur deiectionum (nulla enim earum ducitur λόγῳ τῆς φύσεως) incommoda, signa, & causæ quorsum & vnde appareant atque fiant; non ita pridem sunt ad Momi lucernam examinata: vt iam fore neminem persuasum habeam qui hæc nesciuerit, cùm huc appulerit ad ea discenda quorum memoria renouatur in hac prognosi. Nam deiectionum viridium, albarum, spumantium, & aquosarum calamitates, penè ad nauseam sunt disputatæ ac demonstratæ. Quæ autem leguntur in altera parte huius prognoseωs, sunt illæ quidem aluinæ deiectionis indigenæ ac dysentericæ, quibus ostenditur summa illius dysenteriæ calamitas, quam inflammatio solet inferre partis obsessæ, vel colliquatio. Vtriusque distinctio nuper adducta est; illius quidem, in pauca & glutinosa; huius verò in pauca opima, læui, subflaua, & alba.

22 Καὶ τὸ κωματώδεσι νενωθρευμένοισιν ὑγρὸν διαχώρημα· κάκιστον.

Ac liquida quidem deiectio veternosis iacentibus; pessima esse solet.

ILLA DEMVM deiectio periculosè habet ægrotum, ne dicam mortiferè quæ aquosa fluit ex aluo in veternosis, eo iacendi habitu collocatis vt dilabantur subinde ad pedes: nam eo sensu apponitur κωματώδεσι νενωθρευμένοισιν: vt planum faciet ipsum examen.

AC LIQVIDA QVIDEM DEIECTIO] i. Aquosa, soboles cruditatis eximiæ; de facultate collapsa coquendi, à vitio partium naturalis œconomiæ, quæ digerendo, coquendo, & excernendo absoluitur.

VETERNOSIS] i. Somno sepultis; vel quibus est inclinatio veternosa in somnum, quæ cernitur in conniuentia palpebrarum inuita, quam peperit exolutio; non autem oppressio simplex, aut mixta, ex pari magisterio pituitæ & bilis, vnde sunt κωματώδεες ἀγρυπνητικοί.

VETERNOSIS IACENTIBVS] Νενωθρευμένοισι, i. *iacentibus tanquam emortuis*: id enim iacere est patiendo, non autem decumbere; in quo agendi vis lucet. Cernitur autem potissimùm ille iacendi habitus, omni sublata vi decumbendi, in iis qui dilabuntur subinde ad pedes, præ impotentia decumbendi; non tam portati corporis plumbea grauitate, quàm vitio facultatis effœtæ, ipsum portare amplius non valentis. Tametsi enim verbum, νωθρεύεσθαι, & ipsa νωθρότης; de pigro corpore in mouendo à plumbea grauitate quæ facultati vix morem gerit, non minùs dicatur, quàm de mouendi facultate effœta: hîc tamen coniuncta cum comate & alui profluuio, tribuenda potiùs exoluto corpori, quàm oppresso. Et verò comatosis & pigris à pondere & oppressione, profuerit aluum ferri liquidis excrementis. Hîc autem secus, vbi νωθρότης & κῶμα veniunt ab exolutione, quorum periculis multum apponitur ex diarrhœa, quæ ab infirmitate orta naturæ, ipsam denuo infirmiorem facit, donec ad vltima ventum sit. Hoc spectat autem prognosis, vt quisque intelligat tum in angusto spem esse, cùm illa duo præsidia sunt collapsa, nutricatus & motus.

IOAN-

IOANNES DVRETVS, LVDOVICI FILIVS, LECTORIBVS S.

PAVCAS, quæ de tot superſunt, Coacas prognoſes, prærepti morte parentis mei ſtylo non excultas, quòd à me elaborari poſſe deſperarem; dolebam profectò, & ægrè ferebam, hoc opus tam alacriter ſuſceptum, tam acriter & laborioſè perductum & affectum, perfici tandem minimè potuiſſe. Sed illam tamen aut ſuſtulit aut leuauit ægritudinem meam quorundam honeſtiſſimorum hominum ſtudioſa & diligens opera, quorum è ſcriptis mecum benignè communicatis, partem eorum aliquam excipere potui, quæ author in has eaſdem prognoſes optimè ſibi meditata, publicè olim diſſerebat. Quod quidem videre mihi ſi datum maturiùs fuiſſet; quem ſententiis ſermonem, & verbis ordinem, ex enarrantis ore manus tardior ſeruare non potuit, accuratiùs longè reſtituiſſem. At enimuero in re plus æquo difficili, facultatem agendi gnauiter, quæ ocium denegabant, negocia ademere. Ad rem verbis meis ſubornandam cùm acceſſi, excudebatur pagina huius operis triceſima ſuprà quadringentas, 13. Cal. Decembr. 1587 quo tempore, etſi ſubducebam me ſponte oneri profitendi grauiſſimo; aſſiduus tamen ſcripta parentis mei, priuſquam tranſcriptori, indéque typographo committuntur, cognoſcendi & recognoſcendi labor (vt interim ægrotos taceam) improbè adeo vrgere me non deſtitit, vt parum admodum ſpacij ad cogitandum reliquerit. Fore igitur vt huic vos neceſſitati, ac feſtinationi veniam errorum, vel ætati detis; ſpem habeo in veſtra æquitate & humanitate certiſſimam.

23 ΘΑΝΑΤΩΔΕΣ, ἢ αἱμοῤῥοεῖν αἱματῶδες πολὺ θρομβῶδες.

Eſt verò, ſanguineum multum grumoſum fundere, lethale.

HVMOREM grumoſum, ſeu concreſcendo conglobatum ac veluti coagulatum qui poſuit, corruptum voluit. Propterea etſi grumeſcere, proprium eſt ſanguinis: quia tamen à corrupto forma abeſt, denominandi cauſa & auctrix; *ſanguinis* ipſum non vſurpauit nomen: ſed *ſanguineum* maluit, αἱματῶδες, terminatum ſimiliter vt ea quæ rerum magis ſimilitudines, quàm res ipſas repræſentant: Sanguinei iſti grumi ſi nigreſcunt, deteriores erunt, vel potiùs deterrimi: cùm peior nigro ſanguis non ſit. Sed enim vt ne nigreſcrant (neque enim nigreſcunt ſemper) adeo mali indicantur, vt mortem intentent. Quò namque grumeſcat ſanguis, in inteſtinis commorari neceſſe eſt: itaque ex alto per eorum gyros & anfractus deuolui, quod propriè eſt ἐς κοιλίην ἐκχεῖσθαι, i. *in ventrem effundi* aph. 21. 6. non ex infima inteſtini parte, vnde celeritas delabendi, anteuerteret grumeſcendi ſpacium; multóque ex hæmorrhoide, minùs; ad quam quidquid attinet, 20. capitis lib. 2. diſputatio completa eſt, quę de ipſa fuit, veluti eſt hæc de deiectionibus. Nam verbum αἱμοῤῥοεῖν, vt ſæpe aliàs; ita hoc loco, largitatem & copiam annotat effundendi: ſic magnæ venæ αἱμόῤῥου dictæ: ſic veterinæ, Ariſtoteli αἱμοῤῥοΐδες. Et hæc nimirum eſt copia

Gal. ad aph. 21. 6.
Idem ad 21. 4.
Gal. ad aph. 14. 4.
Idem ad aph. 21. 6.

libr. 2. de ortu animal.

& largitas quæ ad malum accedit per grumos significatum. Reseratas grumi demonstrant, vt ex iis patet quæ comprobata sunt, mesaraicas venas; ac reserandi occasionem datam esse à putredine, per quam retinendi facultas mittitur. Huius vitij eò suspicio maior est, quò maior est copia effluxus, qui naturam hoc quoque nomine deiicit, quæ sibi prodesse aliter non potest quàm commeatus effluuio. Quàm grande malum, sanguinem copiosè efflueret si hydropicorum aquas, si empyicorum pus confertim exire est mortiferum ? Non est hic tamen omnino deplorata salus, quæ retrahendo, abstergendo, putredinem corrigendo, & corrobotando potest nonnunquam retineri. Quod quidem hoc anno experti sumus, dysenteriis huiusmodi non infrequente, vt nec pestilentium plerique solent.

aph. 27. 6.

Porro huic prædictioni non est quòd opponat quisquam clausulam illam aphorismi 25. 4. ἀγαθὸν, τὰ μέλανα ὑποχωρέοντα, i. *bonum est nigra duci deorsum*: cùm ipsa, Galeno iudice, vel de hæmorrhoïdibus intelligantur quæ melancholiam sanguine nigro excluso abigunt; vel priori clausulæ (quæ *sanguinem, cuiusmodi is tandem fuerit, per superiora*, i. ore *excerni, malum esse* proposuerat;) ita opponuntur, vt satius esse iudicet, pessimum nigrum deiici (etsi id in malis ducendum est) quàm omnium optimum, qui floridus est, ore, spuendo aut vomendo, reiici.

24 Λευκὸν τε καὶ ὑγρὸν ἐκ κοιλίης μετεώρου.

Si album liquidum, ventre intumescente.

Svbstitvendvm ex antecedente, θανατῶδες i. *lethale*: fortassis etiam & τὸ αἱμορρῶδες, si sic accipimus; sanguinem qui in alueum alui effunditur, in pus esse conuersum, ἐκπυΐσκειν, ex aph. iam adducto 21. 6. Ita namque album videbitur & liquidum, quod excernitur. Sic coniungebat 13. huius cap. Πονηρὸν δὲ καὶ τὸ πυῶδες, καὶ τὸ μέλαν αἱματῶδες, i. *Malum quod purulentum: sanguineum item nigrum, malum*. Sed quia salutaris est omnis, vndecunque sit, puris boni & laudabilis exitus: nec cur exeunte pure, aluus intumesceret, ratio vlla appareret: loco τοῦ αἱμορρῶδες, fuerit satius, τὸ ἄχρωμον, ex capitis instituto, reposuisse. Quod si est; vinculum aliud nullum, quo quidem cum præcedente coniungatur, hæc propositio habebit, quàm mortis ex deiectione qualicunque denunciatæ. Affirmationis autem istius vis est tota in verborum nexu minimè dissoluendo. Exempli causa, alba deiectio est contra naturam omnis: sed συνεστῶσα esse potest, i. *figurata*, qualis ἀλφιτώδης, i. *pultacea*, quæ propria est ictericorum: hic liquida proponitur. Et liquida, vt ex natura non sit, per eandem prognosin, potest esse alia quàm alba; & alba quidem, à cerebro fiet nonnunquam vt fit, ipsa quidem longa, sed nequaquam lethalis. Iam igitur ita componito; cùm alba & liquida deiectione venter intumescit atque in molem attollitur, quod est μετεωρίζεται: illa igitur neque simplicem biliosæ tincturæ priuationem arguit, neque cruditatem ventriculi solam, neque catarrhi prolapsum; his enim descendentibus, saltem aluus subsideret; sed elabentem chylum quem inflammata tenuia intestina transitu ad hepar prohibent, dum prostrata dolent attactu rei quamuis mitum, totúmque ex continuitate abdomen. Hincque versantur homines in discrimine vitæ magno, tam chyli elapsu, vnde alimento priuantur quo vitam sustentent; vt illis comedisse, nulli rei nisi labori sit: quàm elabendi causa, quæ ardor est qui postquam hepatis & intestinorum calorem extinxerit, nisi mors fortè præuertat, ipsorum substantiam in aquas resoluet, ad hydropis, morte peioris, generationem. Sic enim Hippocrates prænuncias hydropis posuit διαρροίας πολυχρονίους οὐ λαπασσούσας τὴν κοιλίην, i. *diarrhœas diuturnas per quas venter non detumescit*: in quarum exponenda generatione ex causa, quæ proposuimus, cum Galeno consentiunt.

progn. 20. 1.
Coac. 4. huius c.

progn. 2. libr. 1.

25 Διαχώρημα μέλαν οἷον αἷμα, καὶ σὺν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετοῦ πονηρόν.

Deiectio nigra velut sanguis, cum febre, & sine febre; mala.

Nihil est quod adferam ad prognosticum hoc demonstratum à Galeno in libris aphorismorum, præter lumen explicandi quoddam: vt candidatis pareant quæ ipse in illius commentario, non sine attentione magna, perspexi. Ergo de quinq; conclusionibus quas super deiectionibus nigris, aphorismorum quartus extulit, in quibus hæc quoque habetur, sic statuendum animaduerti. Quæcunque sede pelluntur; illa vel intestinum, vel hæmorrhois capiebat. Hæmorrhoidem attigit pars posterior 25. ad vacuationem intestini, superiores referuntur. Iam verò cùm ea quæ intestino excreta nigrescunt (exceptis fæcibus, excrementis alui propriis, quæ sæpe ab ardore iecoris conglobantur in similitudinem pilularum veruecinarum) omnia aut sanguis sint, aut purgamentum sanguinis: de sanguinis purgamento sunt omnes illi; de sanguine, eorum nullus: vt plus sit quod in aphorismis, quam quod in Coacis desideres, quæ super sanguine priorem huic proxima ediderunt. Purgamentum sanguinis nigrum

grum vt sit duplex; melancholicus succus, dictus Græcè μέλας χολικὸς χυμός; & atra bilis, eadem lingua μέλαινα χολή; vt non solùm ex illo hęc, verùm etiam ex flaua bile gignatur, terrámque, in eam effusa, fermenter, ac veluti excoriet, acida, erodens, mordax; vt commune sit vtrique, nunquam concrescere, in quo à sanguine secernuntur, vt splendeat hæc, ille obscurior sit; si cætera perierint, supereris ex libro de atra bile Galeni testimonium quod annotari cupio ad fidem eorum quæ habeo necesse dicere. Fortassis enim, & libro de humoribus aduersari, & libro de hominis natura, illa sententia videbitur, vbi inter humores congenitos ἡ μέλαινα χολή. i. *bilis atra*, auditur. sed hoc perpendam aliàs. Nunc institutum dicendi meum secutus, non erubebo dicere, eorum quidem quos retuli aphorismorum cum vicesimosecundo & vicesimotertio, vicesimumquartum atræ bili à Galeno cum dubitatione nulla esse tributum; de vicesimoprimo, nihil certi habuisse authorem tantum quidquid constitueret, eidémne atræ bili ascriberet, an melancholico succo. Nam quod per initia negauit, bilem esse atram, affirmare videtur cùm ait, μεγάλην κάκωσιν ἐνδείκνυσθαι τοῦ σπλάγχνου, i. *magnam visceris labem indicare*; quod esse melancholici succi qui dicet nemo erit. Deinde cùm ait, medio apparere morborum decursu deiectiones huiusmodi, ἤ τοί γε ὑπεροπτηθέντος αἵματος, ἢ σηπεδόνα τινὰ λαβόντος, i. *sanguine aut superassato, aut putredinem quandam adepto*. Et quidem stabo ab interpretatione priore, atque ita vt principio iussit accipiam.

Deiectionem positam esse nigram ad instar sanguinis, sanguinis autem *nigri*, ex fide exemplaris à Galeno descripti; nec solùm nigri, verumetiam fusi ac minimè concreti; vt succi obscuritas, qualis est sanguinis crassi atrique, bilem atram excluderet, cuius splendorem lib. de morbis mulierum obseruauit. De illa porro vt mala fuisse iudicatum, præsertim si dio sua sponte fluit, vt ferunt aphorismi verba quibus agendum prognosticum, ἀπὸ ταὐτομάτου ἰόντα: quòd arguatur hinc, vel magnam lienis segnitiem præcessisse, qui sanguinem, vt decet, perpurgare nescierit; vel vitium iecoris, quem generat sanguinem, melancholici succi maiore copia conspurcantis. Hoc tamen malum quantò sit mitius eo quod atra bilis inferre solet, declarat τὸ πονηρὸν, cuius loco, de atra bile disserens, θανάσιμον reposuit.

26 Πονηρὸν δὲ καὶ πάντα τὰ ποικίλα· καὶ τὰ κατακορέα· πονηρά.

Variegatæ deiectiones omnes, sunt prauæ: prauæ item quæ pleniùs colorantur.

Qvæ qvovis tandem colore pleniùs fucantur, vt de posteriore dicam priùs, κατακορέες dicuntur, i. *tales ad satietatem vsque*. Sic enim Dioscorides vocitauit [illegible]. Iudicio meo sunt illæ quas continet 22. lib. 2. prognost. μέλανα, λιπαρά, πελιδνά, ἰώδεα, δυσώδεα, i. *nigra, pinguia, liuida, æruginosa, fœdi odoris*. quibus adde ἐξέρυθρα καὶ ὑπόξανθα i. *prærubras & plusquam flauas*. Sunt autem omnes ἄκρητα, i. *syncera*; idcirco prauæ: quia cùm seri naturalis exhausto eiusmodi sint; ardoris vim denuncient quem viscera suo damno experta sunt. Hæ simul exhibitæ, variegatam efficiunt, malam; si ex malis nihil est boni quod componitur; si perniciosum ducitur signum affectionis prauæ in visceribus multiplicis, variasque partes occupantis: eoque igitur peiorem illam, quò deteriores illæ fuerint, καὶ ὅσῳ ἂν χρώματα πλείω, πονηρότερα ᾖ. Itaque iuxta verba aph. in prognostico proposito, syncera si misceantur, [illegible] dicuntur: ex quo apparet τὸ ὕστερον πρότερον huius dicti quod ordini suo reposuimus.

Excipit tamen aphorismus, ξὺν φαρμάκῳ δὲ ἄμεινον, καὶ οὐκ ἂν χρώματα πλείω ᾖ, οὐ πονηρόν. i. *A medicamento autem fatim: nec verò esse peius videatur, quòd plures colores fuerint*. Vt intelligamus retinendum esse hîc verbum ἰόντα, quod superiore vsurpauimus, diuturnum significans humoris defluxum spontaneum, ex generatione perenni quæ absque viscerum intemperie firmiter fixa esse nequit. Quod secus est in purgatione medicamento suscepta, per quam exclusus humor quod vitium habet, cunctando concepit, non à visceribus accepit, neque dum cum illis communicauit. Itaque breui mutatur in melius. Hæc omnia exposita esse suprà hoc capite, 14. 15. 16. Coacis non memineram, cùm scribebam. Itaque lucubrationem meam, quamvis sit inutilis, tamen nolo perire.

27 Τὰ ἐς ἀφρώδεα, ἄκρητα, τελευτῶντα διαχωρήματα παροξυντικὰ μὲν πᾶσι τοῖσι δὲ σπασμώδεσι. καὶ παρὰ ἐκ τούτων τὰ παρ' οὖς αἴρεται.

Quæ in spumosas, & synceras desinunt, deiectiones; morbos exacerbant omnium: maximè autem, conuulsorum. Atque ex his sæpe assurgunt parotides.

Hvivs capitis Coac. 4. & 10. ἀκρήτου διαχώρημα, 8. ἄκρητα 11. ἀφρῶδες ὑπόστημα, 12. [illegible] 14. & 26. κατακορὲς damnarunt: quæ omnes eòdem redeunt cum prognost. 22. & 23. lib. 2. & prorrh. 21. 52. lib. 1. Hæc autem propositio desumpta est ex prorrheticorū lib. 1. cuius in partis 2. particula 15. cùm scriptum esset, Τὰ τελευτῶντα ὑποχωρήματα ἐς ἀφρώδεα ἄκρητα παροξυντικά. i. *A deiectionibus quæ in spumantes*

synceras desinunt, ingrauescit morbus: 17. & 18. part. 3. ita legitur. Οὖρα ἐπίσχεται, οἷσι ῥῖγος, καὶ οἷσι σπασμώδεα. ἧ ἡ αὐτὴ φρίξασα ὑπέδρωσε. εἰ ἄκρητοι διαχωρήσιες ... τὰ μὲν παροξύνουσι, τὰ ... & τούτων ... i. *Supprimitur autem vrina, quibus rigor adest, & quibus conuulsio: sicut ei contigit quæ, cùm abhorruisset, sudatiunculam habuit. Purgationes synceræ, ad finem descendentes, alicubi morbum irritant, illisque inter reliquos, & eis maximè, vnde & parotides assurgunt.* Erga quod prorrheticum si vt se gessit Galenus: ita erga hanc prognosin gerere me voluero; iam sum officio functus. Sed quò plus difficultatis in proposito fuerit, eò animi mei vim irritare magis decreui, vt ad facilitatem conuertatur.

Deiectiones initio pallidæ, in febre aut citra eam, flauescunt; dierum lapsu æruginosæ meræ fiunt, spumántque; intellectu est facile, ex mitibus acres & efferas esse factas, ab incremento ardoris in visceribus concepti: quamobrem exacerbatum esse morbum. Maximè autem si conuulsionis aliquid adest; καὶ σπασμώδεα: legi posset σπαράδεα: i. *maculentis*, rarioris texturæ, quorum natura vergit ἐπὶ τὸ χολῶδες, i. *ad biliosum* vt intemperiei præcalidæ actas esse radices altas demonstrent, quæ vitio accedentis morbi altiores factæ, gratiosum hepatis humorem absumpserunt, & exsuccum dederunt. Vel melius ἀνώδεα, vt deiectionem accipiamus omnino pro symptomatica adaucti plurimùm morbi, quæ non faciat vt æger alacriùs ferat morbum: sed contrà vt magis inquietè iactetur. Legamus tamen σπασμώδεα, & conuulsionem interpretemur leuem, à cerebro leuiter prouitato & contracto, aut neruis similiter affectis: qualis conuulsiuus motus, σπασμότρομος dicitur, simillimus πάλμῳ, & comatosis est familiaris, quorum cerebrum aut bilioso humore acerrimo imbuitur, aut vapore eius, infernè sursum educto, lacessitur. Sic enim quæro; si spumans omnis & sincera deiectio, biliosas antecedentes multas excipiens, ad exacerbationem apparet cuiuscunque morbi; annon præsertim illius febris, cuius progressum esse factum à venoso ad neruosum genus, vel leuissima conuulsio declarat; præsertim si ea conuulsio manet adhuc cuiusmodi antè fuit: sic enim ἐπιγενομένην ἐπιγίνεσθαι adiunctam esse ostendit: secus μετάστασιν argueret, i. *transitum*, dimissa priore sede. Ex quo iniquius factum videtur habuisse ludibrio prorrheticum 1. sect. 3. lib. 1. quod ita proponit. Οἷσι κῶμα, ἐν ἀφρώδεσι διαχωρήσεσι πυρετοὶ παροξύνονται ὀξεῖς. i. *Quibus sopor; iis à spumante deiectione morbus exacerbatur:* nimirum si humoribus istis ducta aluo, istiusmodi sopor perseuerat. Quod cuiusmodi sit, patebit magis explicando quæ sequuntur.

ATQVE EX HIS SÆPE ASSVRGVNT PAROTIDES] Primùm τοῖσι ἀνώδεσι, quibus, ex iis qui ardent & febricitant, potissimùm exoriri parotides, dictum est in prorrhetico & in Coacis suprà. Tum leuiter conuulsis, si ita legi necesse est, ex propositione 6. cap. 14. lib. 2. Coac. Τὰ σπασμώδεα πρὸς τὴν ἐπίδοσιν κωματώδεα ... τὰ παρ' οὖς ἐπαίρει. i. *Qui cum febris incremento comatosi, quodammodo conuelluntur; iis assurgunt parotides.* Et quoniam conuulsiuos motus, comatosis familiares esse diximus, reuocemus in memoriam quæsitum fuisse, vt ratione exposita affirmaretur. *Anne parotides comatosis fluente aluo?* Magna profectò copia humoris cerebrum opprimitur, cuius oppressio fluxu alui nulla ex parte leuatur & imminuitur. Hic locum habet vetus illud, ὅτι ἐξ ἀμφρμύντων, τὰ παρ' οὖς, i. *ex inchoata fluxione, nec perfecta, parotides:* quod reliquum est humoris, in partes vicinas natura deponente, & vacuationem effluxu susceptam, decubitu perficiente: naturæ commodo an incommodo nihil dicam; ne iam pridem confirmata, hoc tempore disceptentur.

Coac 5. c. 4. lib. 2.

28 Τὰ δὲ ἐξυγραινόμενα, καὶ πάλιν συνιστάμενα ἄκρητα, κοπρώδεα· μῆκος νόσου σημαίνει.

At quæ ex diffluentibus liquidis figurata fiunt, in modum stercoris; longitudinem morbi significant.

SVPRA expositionem doctissimi & clarissimi viri Iacobi Hollerij, nihil hîc habeo noui quod adferam, si verbis hæremus prognoseos. Sic enim commentatur. In febre aut citra eam, si quantum humidi, venarum & alui excrementa diluebat, tantum profluuio vacuatur, remanente crassiore parte quæ subest (id autem factum esse indicat succedens exsucca deiectio, tantò minùs frequens, quantò minus quàm antè liquida) contigit idem quod phymatis vnde tenuior pars, superstite crassa exhalauit; vt in diuturnitatem morbus protrahatur. Id accidere iis qui cum aluo astricta, per longum tempus vsi sunt æstatis fructibus, quorum recrementis tum primum exoluere se natura gestit, cùm penè oppressa fatiscit: ab oppressione autem exprimitur magis per initia quod tenuius; crassamentum subsistit.

Sed nomen τῶν ἀκρήτων, i. *syncerum*, appellat in examen deiectiones nigras, paruas, verueccinarum similes, quæ siue omnium primæ, siue superaduenientes liquidis, aluinorum viscerum ardorem celare non possunt: nec igitur magnitudinem morbi dissimulare, si præsertim adiunctam febrem habuerit. Audiamus loquentem Galenum. *Spyrathos appellant deiectiones caprarum. Sunt autem sicca illa rotunda, figura sua quaque & propria circumscripta. Iis similiter sicca & circumscripta si quis excreuerit, spyrathosa dicetur excreuisse. Porro euadunt huiusmodi, suppressa diutius, & propter caloris vim ignei. Sed si nigra insuper fuerint, ardorem ostendunt in visceribus medijs accensum: atque idcirco sunt praua.* Et paulò pòst, vbi quàm prauæ sint, declarat. *Qui sic exsiccatis fuerint, vt hæ ferunt deiectiones pilulatæ, illi neque rigorem, neque alui solutionem, neque parotidas magnas, neque aliam quamuis decubitum suo commodo ferre possunt,* i. nullo abscessu, nulloq; in vniuersum modo iuuari.

29 Τὰ

29 Τὸ δὲ ἐξέρυθρον ἐν πυρετῷ· παρακοπήν.

Prærubra in febre deiectio; delirium.

SVPPLE, arguit: delirium autem phrenitidis; nec solùm illius, sed etiam τ μανίης. ἐξέρυθρον namque accipimus, non illud τὸ ἐν αἱματώδει: sed de vitellina bile assata, quam quidem transferri in cerebrum nihil necesse est vt delirium faciat, cui ereando satis est viscerum & venarum sympathia, tum ardore conflagrantium. Sunt autem hæc febris pestilentis, de quibus infrà eodem proposito ampliùs.

30 Τὸ δὲ λευκὸν κοπρῶδες ἰκτέρῳ δύσκολον.

Sed alba stercorosa; ictero difficilis.

ΚΟΠΡΑΝΑ, κοπρώδεα deiectiones sunt duriores, ductæ in formam intestini cylindraceam; Latinè *stercus*. Hac consistentia si ictericus albas deiicit; duo de se ostendit: albedine, magnitudinem & contumaciam obstructionis ἐν πόρῳ χοληδόχῳ, *i. meatu effundente bilem in intestina*; vnde ne tantillum ipsius bilis in ipsa intestina descendere permittitur, ad deiectionem flauo leuiter inficiendam: consistentia autem cylindracea, siccitatem à febre ictero adiuncta & copulata. Id tamen cuiusmodi tandem fuerit quia mortem non concludit δύσκολον appellari meruit; minimè θανατῶδες. Quibus sit necessariò mortiferum; require ex propositione 1. cap. 26. lib. 1. quod caput de phymatis fuit.

31 Τὸ δὲ ὑγρὸν ἐν τῷ τεθεῖναι λαβὸν ἐρυθρόν.

Tum quod liquidius redditum rubet.

malè fuit λαβὸν quod antè parens meus, quàm Hollerij commentaria, viderat.

SVBAVDI, malum est ictericis: opponendo stercoroso liquidum; rubens, albo. Est enim λαβὸν ἐρυθρὸν idem quod antè ἐν αἱματώδει ἐξέρυθρον, argumentum exoluti hepatis, in quo inchoatæ exclusionis fuit bilis diffusio, per visceris imbecillitatem, à sanguine non secretæ: vnde & defœdatio icterica, longè proxima peior, quæ existebat à meatu obstructo.

32 Αἱμορραγέσι γλίσχρον διαχώρημα μέλασι διαποικίλον κακοῆθες· μάλιστα δὲ (ἐκλεύκοις.)

αλ. ὡς λευκοῖσι.

Qui sanguinem profudere è naribus, viscida illis deiectio, nigro sparsa, maligna: maximè subalbidis.

LIBRO SECVNDO scriptum de hæmorrhagia caput est, quo admonitum diligenter, istud ipsum nomen absolutè positum, pertinere ad sanguinem effluentem naribus. Illa igitur si morbum non imminuit, periculum adauget, vt cætera omnia iudicatoria quæ non iudicant. Arqui morbum minimè imminuit, si deiectione excipitur viscida nigricante, seu nigro sparsa, quæ est, authore Galeno, ἐκ τ πιμελῆς παλαιᾶς ἢ ἡμισαπροῦ ὅση θερμασίας σφοδροτέρας ἢ κακοήθους, *i. ex adipe vetusto & semiputrido, quem liquauit calor vehemens & malignus*. Maligna ergo & malefica ipsa hæmorrhagia est. Quod sequitur. MAXIME SVBALBIDIS] Mente duplici constat; vel pituitosos indicans, quorum in corpore, minimè perspirabili, redundant hic posita excrementa putria biliosa, vel, quod puto esse satius, ad eos intendens quos implacabilis sanguinis effusio reliquit exangues pallidos: ex quo effici & concludi puto, præter significationem maioris mali, periculum maius deiectis viribus esse creatum. *Quibuscunque morbo acuto vel longo, aut vulnere, aut aliter extenuatis, nigra bilis siue simile quid sanguini nigro secedit, illis postridie est moriendum.*

33 Ἔκλευκον διαχώρημα ἐν πυρετῷ· οὐκ ἀγαθόν.

Prealba in febre deiectio, non est iudicij fausti.

AVDIVIMVS decisione tricesima, quid alba deiectio statuat de ictericis: quid de febricitantibus in vniuersum concludat, hæc prædictio adducit. Malè suo nomine illis esse, quæ contrà naturam appareat & morbi, & ægri. Est verò huiusmodi, biliosæ tincturæ expers: translata ad cerebrum bile; vel in

venis suppressa: quorum hoc mitius, vuam obstructionis contumacissimæ querelam relinquit, vnde nouus putredinis febriferæ fomes: illud grauius, non tam phrenitide aut consectaria aut comite timendum, quam febrilis ardoris extinguibili vehementia expauescendum, quæ omnia sursum violenter rapit, quibus subductis ad salutem recuperandam opus fuit.

34 Κοιλίη ταραχώδης σμικρῇσι πυκνῇσιν ὑποστάσεσι· σιηγόνας ἐντείνει. λύει δὲ καὶ ἐπὶ προσώπου ἐξανθήματα (ἐξανθήματα.)

al. ἵστησι.

Sic perturbata aluus, vt pauca sæpissime subducat; distendit buccas. delet autem faciei exanthemata, vel, *sistitur autem faciei exanthematibus.*

QVID TENNIAT verbum ταραχώδης κοιλίη, si aphorismo tantùm 2. lib. 1. explicatum Galenus reliquisset, non alibi sæpe, dicerem pluribus. Contentus ero verbis positis. ALVI PERTVRBATÆ QVÆ PAVCA EGERIT SÆPISSIME: Qui egerendi vitiosus est modus, siue intestina muco abraduntur, siue humore æruginoso vruntur, à tantillo proinde ad excernendum sollicitata & coacta. Pauca igitur sic sæpe excerni, præter malum quod conceptum ostendit, illud producit etiam; quòd vires vigiliis & exurgendi molestia frangit, corpus denique extenuat: cuius quidem extenuati signa omnium maxima in facie conspicua dantur: inter cætera contractis buccis quas σιαγόνας vocat, Gallicè *les ioues creuses*: vt hic ad propositum nihil faciat, cutis laxitas vel corrugatio, ab extenuatione inchoata aut perfecta. Annon eò referendum putamus prognosticum 14. lib. 2. quod deiectionem vetat [illegible] *i. frequentem esse & paucam* (nam copiosa frequens de lipothymia, vt pessima metuitur:) *propterea quòd in crebra exurgendi labore vigilandum ægro est.*

Iam verborum prognosin claudentium, quemadmodum interpretationem duplicem instituit, sic duplicem enarrationem dabo quæ vtrinque subsistat. DELET, inquam, HOC ALVI PROFLVVIVM, FACIEI EXANTHEMATA subducta vnde assurgunt & incrementum capiunt, materia. Aristoteles ait, mulierum facies menstrualium vt decet, nec maculari, nec verrucis fœdari, lib. 3. hist. animal. λεῖα γίνεται *i. politas, leues, illustres.* Hippocrates lib. 2. de diæta, causas in medium adducit faciei, ab exercitatione matutina quæ aluum deficit, nitidioris & splendidioris factæ, [illegible] *i. Extenuata aluus, humorem ex reliquo quidem corpore vniuerso, ex capite autem præsertim, ad sese attrahit, simul incaluit. Vacuatione autem capitis expurgantur tum oculi, tum aures: ipsa autem facies clarior fit ac nitidior.*

Vel (vtrumque enim Græca dictio per amphibologiam admittit) SISTITVR AVTEM EXANTHEMATIBVS] Vel potiùs sisti per ea declaratur, velut argumento humoris sursum auocari, & retrahi incipientis. His analogum fuit illud. *Surditas in febre aluum sistit.*

Coac. 1. c. 1. lib. 2.

35 Κοπρώδης μετὰ τόνου διαχώρησις· κοιλίης πονηρὴν σημαίνει.

Stercorosa cum tensione deiectio, laborem alui denunciat.

EIVSDEM esse tensio intelligitur, cuius κοιλίη ponitur; ponitur autem ἡ κοιλίη, i. *alui*, seu vastitatis illius quæ ensiformi cartilagine, pubisque osse, & nothis costis circumscribitur; &, cùm aliis quibusdam, tum ex magna parte intestinis oppletur, quorum liquidior subductio, κοιλίη vocata est, vnde [illegible] verbum, eiusdem cum τῷ [illegible] significati. Ergo capacitas illa abdomine tegitur, cuius si distentio fuerit, eáque simplex, cuiusmodi animo capitur ea in qua neque scirrhi, neque inflammationis mentio vlla auditur; etsi tum stercorosa, siue durius cula, eaque pauca egeruntur: diarrhœam tamen affuturam expectamus, distentionis molestæ leuamento. *Hypochondriorum dolores, tumorésve, recens obortos, inflammatione carentes, borborygmus tollit auditus sub hypochondrio: maximeque si cum stercore, vrina, & flatu aberit:* progn. 25. lib. 2. progn. & Coaca 11. cap. 11. lib. 2. Neque ab his aliena fuit species Coacæ 164. lib. 1. [illegible] *i. Aluo inflata, pauca reddente:* & paulo pòst; *hi alui profusè feruntur.*

36 Φλεγματώδης δὲ ὀξέως, μετὰ καρδιωγμοῦ δυσεντερίην τάχα δὲ καὶ ὀσφυαλγίην.

At

At pituitosa facta protinus, cum pectoris morsu: dysenteriam: fortè & lumborum dolorem.

PROOIGO. Hippocratis magistro, in more loquendi fuit, flauam bilem & æstantem humorem omnem appellare φλέγμα, ἀπὸ τοῦ φλέγεσθαι: author Galenus lib. de facultatibus natu. 2. lib. Græcorum quibusdam eadem religio fuit, ne humorem frigidum, pituitam, ardoris nomine donarent, quod est φλέγμα: sicut Aristoteli vsu venisse comperi, qui frigidam humidam portionem sanguinis: ἰχῶρα dixit; quod autem crassum atque viscidum, βλένναν, ἢ μύξαν: lib. 3. hist. animal. Contrariam tamen sententiam maior pars secuta est, atque in consuetudinem recepit, vt φλέγμα esset vnum ea congenitis & congenerantibus humidis, à sanguine, & bile vtraque partum. In his Hippocrates fuit, in eo, vt in aliis pluribus, à præceptore discedens: lib. de hominis natura. Excidit ei tamen nonnunquam, vt φλέγμα haberet καύματος loco & sensu, vt Galenus ad secundum prognostici annotauit: obseruauimus ipsi semel atque iterum in τῶν ἐπιδημιῶν lib. vbi, ne alia consecter, πυρὸς ἄνευ, ἢ σπασμῶν, ἢ φλεγμονῶν vocitantur, quæ lib. 2. de diæta agnita inter καυσώδη fuerant. Vtroque sensu accepta propositio erit. Patet enim, compertum vsu, quòd quibus cum torminibus pituitosa seu mucosa, aut contrà biliosa flaua, viridiáve excrementa se produnt, dysenteriam illa secum adducunt: intestinis abradendo exulceratis, siue à pituita putri & salsa, siue à flauo humore bilioso qui tormina priùs faciebat, vnáque morsum pectori, i. tenuibus intestinis & stomacho inferebat. Idem ille humor, si non solùm intestinis coërcetur, sed mesenterio quoque ipso; indè vi eatirpatus & auulsus, dolorem ex distentione facit lumbis, quorum è neruis mesenterium originem ducit.

37 Τοῖσι τούτοισι κοιλίης περίστασις πρὸς ἀνάγκην ὑγρὰ χαλῶσα, τάχιον κυλλομένη· ἔχει τι σπασμῶδες. τὸ ἐπιῤῥιγοῦν τούτοισι ὀλέθριον.

His distenta aluus quæ coacta & ægrè liquida reddit, ocyúsque intumescit: habet aliquid conuulsorium. Iisdem superrigere mortiferum.

HVIC SIMILE quid adferebat 91. lib. 1. *In diuturnis moles alui sine causa assurgens; habet aliquid conuulsificum.* Cæterum ea prorrh. 8. f. 3. 4. ἀείστου emendo, & ἀείστου repono: & κυλλομένη per ὀγκουμένη interpretor. Sed illud ipsum, ὀγκουμένη, & illud, τάχιον χαλῶσα, hîc & illic, aut in casum gignendi verto, aut ad ἀείστου conuerto. Iam propositi sensum sic accipio.

HIS] i. Dysentericis, vel sanè quibus distenta est aluus cum torminibus & pectoris morsu, his, inquã, si quæ liquida biliosa vel pituitosa fuêre statim apparuere, non nisi paulatim & ægrè cum tenesmo, idque necessariò per clysterem, demittuntur; vnaque aluus magis ac magis intumescit: humoris efferi translatione facta, ad cerebrum quidem, conuulsio epileptica, ad neruosum autem genus, propriè dicta continget. Sic euenit, inquit, Aspasij filio. Ac de dysenteria quidem biliosa, quæ pituitosam cum salsilagine continet, auditum est suprà, si intempestiuè supprimatur, vel artificio medici, vel sponte naturæ, vt hoc loco, abscessum in articulos facere: per progressum ad mesenterium ab intestinis, à mesenterio autem ad lumborum neruos qui propagantur ad femur & vltrà. Sed quæ ratio dysenteriæ, eadem est biliosi profluuij, & torminum quorum materia bilis, diarrhœam erat allatura, nisi suppressa & translata. Atque hæc quidem de conuulsione propriè dicta. Iam vt ipsa vtrinque suppressio & translatio, à dysenteria, inquam, & torminibus, epilepsiam afferant, videndum. Ergo si dolores circa lumbos & ilia diuturni, qui ad hypochondria prorepunt cum febre & cibi fastidio, vbi fortiter ad caput transeunt, epileptico modo necant: cur mirum id videri debeat de obortis repentè torminibus & stomachi morsu, ac lumborum doloribus, cum intumescente aluo ab excrementis quæ statim biliosa conspecta, statim substitere? Excrementorum huiusmodi suppressio, hydropem facit: hydropis propagatio, epilepsiam. [prorr. 9. f. 3. 1.] [Coac. 5. c. 19. ll. 2.]

IISDEM SVPERRIGERE; MORTIFERVM] Iisdem, inquam, vel iam conuulsis; vel dysenteria aut tormine laborantibus. Nam superrigere, si rigorem indicat superuenientem; ducetur in malis, vt crisis non propria mali quod profluuio vel vomitu sanandum est: sin crebrò rigorem repeti, condemnabitur sentẽtiis 1. libri, vbi de rigoris crebrò repetiti significatione & causis est philosophatum. Nec dubium esse debet quin ab eiusmodi rigore frustra citato, irruptio in neruos facta, conuulsionem accersat: vt antiquos interpretes Hippocratis, super conuulsione proposita rigorem causantes, Galenus iniuria reprehenderit, vtilitates frustra prætexens rigoris cuiuscunque periodici. [ad prorr. 1. f. 3. 1.]

Nunc vide quo nexu & vinculo propositiones tres contineantur. Intumescit aluus cum deiectione stercorosa, non magni incendij teste, sed excrementi copiosi; alui profluuium expecta. Intumescit cum biliosis mucosísve; à dysenteria verendum, si illa excerni pergunt: sin subsistant & transferantur, lethalis conuulsio expectanda; si præsertim intercidat atque interueniat rigor.

38 Οἷσι μέλανα διαχωρέει, ἐφιδροῦσι ψυχροῖς.

Qui nigra egerunt frigidum illi exudant.

Mentionem fecit cum 32. huius c sectio 3. lib. 1. prorrh. nigrarum deiectionum excipientium hæmorrhagiam; 24. aph. lib. 4. earum quæ fractis iam diuturnitate morbi viribus adueniunt: hic de iis refertur ad nos, qui nigra egerendi finem non faciunt, in verbo διαχωρέει: quod est priuilegij eiusdem cum τῷ οὐρέει aphorism. 79. lib. 4. Generationem perpetuam vacuatio ostendit: perpetua autem generatio viscerum alienationem, quam exolutio tandem sequitur, frigido exudante nunciata. 10

39 Οἷσι, κοιλίη κατ' ἀρχὰς ταράσσεται, τὰ δὲ οὖρα μικρὰ, προαγόντων κοιλίη μὲν ξηραίνεται, τὸ δὲ οὖρον πληθύνει λεπτὸν τοῖσιν ἀποστάσιες ἐς ἄρθρα.

Aluus initio perturbata cum paucis vrinis labentibus inde diebus facta siccior, cum vrinis copiosis & crudis; abscessum in articulos praeuidendum exhibet. 20

Cum ex more dicendi, tum ex oppositione sicciotis, intelligimus aluum perturbatam esse profusam, ductam multis & liquidis excrementis. Eam procedente morbo astringi sic vt sicciora deponat, ad longinquitatem ægrotandi apparere monuit huius capitis 28. Hoc loco in considerationem vrinæ proferuntur, initio paucæ, quanquam alui profusio ex colluuie erat excrementorum: sed hæ nimirum vicissim fiunt: mictio noctu multa exiguum secessum habet; secessus largus mictionem paucam. Itaque etiam progressu temporis, subsistit aluus, vrinæ profluunt: quæ si crassiores essent, morbum, exclusa materia, abigerent (sic enim conuulsionem liberant è crassis frigidis humoribus natam:) sed existunt tenues & crudæ à repletis humore immodico venis, per cuius spissitudinem vt transcolentur, suam ipsæ deponunt. Vbi necesse est morbificam materiam vel à calore retineri, vel naturæ virtute & potentia alio conuerti. Hic igitur futurum est, si superesse æger debeat, nec diuturnitate morbi aut vehementia absumi, vt quas in partes morbifica materia inde nata recubuerit; calida quidem in aures; frigida in articulos femorum & tibiarum, abscessus fiat. *Quibus vrinæ diu tenues & cruda fluunt, vnaque adsunt cætera salutis signa; abscessum expectare decet in partes diaphragmate inferiores.* Vbi Galenus illam abscessus distinctionem, pro humorum dissimilitudine quibus morbi constant, loco produxisse visus est. 30

progn. 34. lib. 2.

40 Αἱ κατὰ μικρὰ ἀναστάσιες ῥιγώδεες, καὶ οἷς φλαῦρον διαχώρημα· δυσκολώτατον, τεταρταίοισιν ἀρχόμεναι. 40

Qui crebrò paucam ad egestionem surgendo perhorrescunt, si quidem ipsa deiectio praua fuerit, in periculo sunt sinistri iudicij: præsertim si quarto die id fieri incipiat.

Si perturbata *aluus, pauca sæpissimè subducat, distendit buccas,* i. extenuationem parit: *quia crebrò exurgendo, vigilandum ægro est.* Hæc sunt quæ superfluorum redundanti copia oppressa multùm natura exprimit. Quòd si vitiosa insuper excrementa fuerint, tenuia, fœdi odoris, glutinosa, viridia, vitellina, aut nigra, quorum tanta feritas fuerit, vt membranosa intestina vellicando, rigorem cieant, vel profectò horrorem (frustra namque est illa hypothesis; *qui surgendo perhorrescunt, si quidem ipsa deiectio vitiosa fuerit:* cùm aliter quàm à vitiosa deiectione, perhorrescere exurgendo non possint) res est difficillimi negotij, quæ ad efferam vim morbi, magnam sic parat virium imbecillitatem. Præsertim si quarto die id fieri incipiat: quo tempore cupienda, non expectanda materiæ concoctio fuit: vt res humoris impetu, non naturæ imperio regatur eo die quo quæcunque fiunt, vt cæteris criticis, maximi esse solent ponderis ac momenti. 50

Coac. 34. huius c. progn. 24. lib. 1.

60

Αἱ πυκναὶ

41 Αἱ πυκναὶ κὶ μικρὰ ἀιαςάσιες ὑπόγλισχροι, (ἔχουσαι) μικρὰ [al. ὀλίγα] κοπρώδεα μεθ' ὑποχονδρίου ἀλγήματος. ἰκτερώδεες. ἆρα ἐπιςάντων ἔτι ἐκχλοιοῦνται;

Qui crebrò, ad paucam egestionem surgunt, aluúsque fertur partim veluti viscidis, partim exiguis stercorosis, cum hypochondrij dolore; fiunt icterici. An his illi subsistentibus, viridi colore inficiuntur?

Hic ATIAM] crebra, penéque inanis exurgendi cupiditas, certos facere nos debet de natura plurimùm oppressa. Additur hypochondrij dolor, & hypochondrij quidem dextri, quandoquidem vis ea est istius nominis, quoties absolutè ponitur: vt qua ex parte oppressio sit, designatum habeamus; ex iecore nimirum, cuius siue contumacem obstructionem, siue magnam inflammationem, bene est quod icterum putat adducere. De conceptati non ὀλιγωνυ, saltem φλεγμῶν admonent excrementa stercorosa recocta; multóque magis quæ velut viscida simul descendunt. Sic enim à Galeno accepimus ὅτι ὅσα ὑπὸ τῆς θερμότητος ἀλλοιοῦται μεταξὺ τῆς πέψεως γλισχρότητα, καὶ ἐξ ἀρχῆς μηδεμίαν ἔχει, i. *quòd quæcunque à calore alterantur, inter coquendum viscida quodammodò fiunt, cùm talia ab initio non essent.*

Nunc super ictero sciscitatur, an incrementa in peius capiat, & pro flauo, croceo & viridi corpus inficiat, subsistentibus istiusmodi excrementis. Cui quidem quæstioni satisfaciendum affirmando id de quo dubitat; siue subsistere, supprimi est; siue in alia excrementa mutari, vt pro globulentis liquida chylosa, pro biliosis subrubra descendant. Namque illinc, humoris qui intestinis effluere nonnullus consueuerat, maior per corpus restitantis diffusio: hinc alterationis cœptæ, in alienationem facta conuersio. Vtrinque in causa erit, morbi iam pridem concepti noua propagatio, biliosi humoris perenne geniti inexhausta scaturigo. Plura legito in comment. parentis mei ad 23. Coac. cap. 11. lib 2. quæ cum hac eadem, sic vario scopo scripta est: quòd hypochondriorum causa posita illic fuit; hîc autem deiectionum. Cum ambabus conuenit prorrh. 54. s. 3. 1. mutatis paucis, quorum vis eadem est, ὑπόξανθα γλίσχρα pro ὑπόγλισχρα, primùm leue est discrimen. Sed duo quæ sequuntur grauiora, ad quæ mecum sic attendito. Pro eo namque quod explicauimus ἐκχλοιοῦνται, sic habet, ἐκλύονται, ἀλλὰ τι αἱμοῤῥαγεῖν, i. *exoluuntur, vnaque sanguinem fundunt è naribus*: quod idem est ac si diceret, superueniente hæmorrhagia sanantur iuxta Coacam illam 25. c. 11. lib. 2. *Hypochondriorum, hepatis, cordis, partiúmque vmbilico circumpositarum dolores, excluso sanguine, discedunt: non excluso, interimunt.* Vbi *excluso sanguine*, cum parente vertimus, extendentes ἀποχωρήσεως nomen ad vacuationem omnem, ex aph. 18. Et sanè dolores istiusmodi ῥῆξις αἵματος διὰ ῥινῶν χάρτα ὠφελέει i. *sanguinis iuuat è naribus proruptio.* Quod & illa etiam tuetur. *Quibus cum rubore facies, hypochondrium in febribus non est molle, effluente naribus sanguine, conualescunt.* [Coac. 4. c. 11. li. 2.] Et illa etiam. *Sanguinem ex aduersa nare fundere malum vt in liene magno ex dextris, ac similiter in hypochondrio.* Sed & hepatis oppressionem leuat dysenteria larga, breui conquiescens. Quid dicam de hæmorrhoidibus & menstruis? Hæc nota sunt omnibus. Quamobrem rectè idem qui nunquam quidquam malè. *Quibus continuò in febris vacatione, hypochondrij & ventris dolor, crurum, & partium inferiorum, vnaque venter in molem assurgit; phlebotomia exoluit.* [lib. 4. περὶ ἀφορισμ. part. 38. 39. & comment. ad part. 25. lib. de natura hominis.] Ex quibus efficitur, vt probabilis tam sit Coacatum, quàm prorrhetici lectio; vtraque sanè veritatem continens: hoc vnum intererit, quòd si illam retinemus prorrhetici; ἐκλύονται verbum, de excrementis quidem alui accipiemus; & suppressis, vt antè, cùm natura viam aliò conuerterit; & mutatis etiam: modò ne, vt illic in peius, cùm dysenteria adest merè sanguinea.

Hoc iterum Coaca amplius prorrheticum illud attulit, quòd ictero significando, dolorem lateris dolori hypochondrij adiunxit. Id verò in illa Coaca fundamentum habuit. *Quibus lumborum & lateris dolor repentè sine causa manifesta incidit, icterici fiunt.* [Coac. 24. c. 12. lib. 2.] At ille lateris dolor, non punctorius est, qualis pleuritidis: sed tensiuus, symptoma iecoris inflammati: vnde apparet neque prorrheticum redundasse, quòd cum elocutum fuerit, neque mancam Coacam fuisse, quòd siluerit. [Coac. 20. c. 12. lib. 2.]

Quæ omnia sum diligenter ita persecutus, quo lectores cautiores efficiam in adhibenda fide Galeno, quoties de Prorrhetici & Coacarum authoritate detrectat. Non est, inquam, Galeno protinus credendum, si quod prorrheticum falsum esse dixit; multò minùs mihi, si verum. Esto fidei ratio ipsa vindex. Coacas plurimas parens meus ab eius censura vindicauit; ipse quasdam superiùs defendi: nec verò quæ sese deinceps offerent, suo patrocinio destitutas sinam. Tantam apud me authoritatem habet, non Hippocratis modò nomen, sed & eius etiam quæ ab illo profecta, illius fama floruit, Scholæ Coæ: vt veritatem putem, cùm oculis hominum subijci vellet, sese vtriusque & viri & scholæ chartis ac literis credidisse.

42. Τὰ δὲ ἐς ὀσφὺν ἀλγήματα, ἐν τούτοισι αἱμοῤῥοοῦσι· αἷμα διαχωρέει λαμπρόν.

Lumborum dolores, hæmorrhoicis illis, purum sanguinem effundunt.

Hoc est] signum hæmorrhagiæ criticæ iecoris dolentis & oppressi, quod ita exprimebat prorrheticum nuper adductum. Τόνος τόνος ὀσφύος αἱμοῤῥαγικός. i. *His lumborum tensio, hæmorrhagicus est dolor.* Est enim lumborum illa tensio ab oppressione musculorum ipsis adiacentium; oppressio autem ex repletione magnæ, quæ illac excurrit, venæ, in quam omnium primam redundat iecur. Vide comment. Galeni ad prorrh. 37. s. 1. *In lumborum prægrandi dolore, cardialgia & cibi fastidia, signa sunt hæmorrhagiæ aut antegressæ, aut futuræ.* Et quæ parens meus scripsit ad illam Coacam 2. cap. 12. lib. 2. *Dolorifica in lumbis mala; sanguinifluа.* Vt autem oppressioni iecoris, lumborum distentio adsit, non contingit nisi πολυαίμοσι, i. *sanguine abundantibus* (sæpe enim iecoris oppressionem facit simplex humoris biliosi aut pituitosi, quem exitu contumax obstructio impedit, collectio:) nec quibus lumborum distentio ex repleta sanguine est magna vena, illis protinus sanguis erumpit: visuntur plurimi eo suppresso, atque ad caput aut laryngis partes translato interire: præditos esse oportet natura, sanguinis profluuio alicui obnoxia, quales mulieres, quales qui hæmorrhoidas habent, quales quibus familiaris narium hæmorrhagia, quos omnes vno nomine citauit αἱμοῤῥοΐδας. Αἷμα λαμπρὸν non est hic sanguis lucidus, siue suauerubens, siue splendidus, nomine lucidi accipitur; sed sanguis purus: nec purus quidem, segregatus à concretione humoris alieni: sed purus, inquam, i. non cruentum quid, sed ipse larga copia cruor. Gallicè, *ils iettent le sang tout clair.*

43 Μετὰ κάρου καὶ κεφαλαλγίης τὸ ἐπιχλιαίνεσθαι ὀλέθριον.
44 Τὰ γλίσχρα χολώδεα· μᾶλλόν τι τὰς ἀποστάσιας παρ᾽ ὦς ποιεῖ.

Febricula cum comate & capitis dolore; mortifera.
Viscida biliosa, ad aurium magis abscessus prompta sunt.

Sic duas prognoses coniungere visum est, vt mutuò vnius ex altera sensus eliciatur; vtriusque autem, ex antecedente. Docti enim sumus, icterum à iecoris oppressione natum, accedente hæmorrhagia, deleti: sed illo beneficio frui, non esse icterici cuiuscunque: at eorum duntaxat quibus ex naturæ aut beneficio, aut præscripto, vel familiaris aliqua vacuatio sanguinis est, vel sanè facilis accessu: reliquos, si minùs copiosa & laudabili alui solutione curantur, incommoda experiri potiùs maxima; exempli causa, parotidum lethalium. Parotidas illas hæc theoremata docent à bilioso viscido humore aduenire potiùs quàm à pituitoso vel melancholico: significari autem febricula cum comate & cephalalgia coniuncta. De humore quidem bilioso, intellectum est antè, incalescendo glutinosum fieri: inclinatum præterea esse in parotidas, ex Galeno ad progn. 14. lib. 2.

Febriculam autem interpretati sumus τὸ ἐπιχλιαίνεσθαι, quod est ὑποπυρετῶν, prorrh. 50. s. 1. Galeno interprete, οὐκ ὀξὺς καὶ θερμὸς, ἀλλὰ βληχρὸς πυρετός: cuius proprium est, humorem commouere ac ducere sursum in caput, non discutere. Inde igitur contractum coma, parotidas fundit. *Comatosi* enim, *fastidiosi, hypochondrium dolentes, sæpe & parum vomentes, aurium habent abscessus.* Et *Comatosi, fastidiosi, hypochondrium sputa excernentes crebra & pauca; tumorem pone aures præmunt.* Annon est illa prorrh. Ἡ ἐπ᾽ ἰκτέρῳ κάρωσις, *Ictero supernata hebetudo?* Annon & illud cap. 26. lib. 2. Coac. Τὰ ἰκτερώδεα οὐ πάνυ τι ἐπαισθανόμενα, i. *Icterici inde non admodum sentientes?* Est enim coma, debilitatio phantasiæ, sensionem cognoscentis rerum obiectarum.

Coac. 6. & 2. cap. 2. lib. 2.

45 Ὅσα, κοιλίης καθυγραινομένης, οἰδήματα μετεωρίζεται μετ᾽ ἀλγημάτων κακόν.

Quicunque tumores, fluente aluo, dolenter assurgunt; mali sunt.

Vicesimaqvarta huius ad abdomen, fluente aluo, intumescens pertinuit, & hydropem prædixit; tympanitem, ab imbecillitate intestinorum; ascitem, ab eorumdem aut iecoris inflammatione. Hæc decisio est phlegmonarum systrophicarum quæ intrà vel extrà concipiuntur. Quia enim nescis dolorificos tumores esse phlegmonicos? Non philosophabor obscurius. Fundit aluus aut cruda, aut cruditatis expertia. Cruditatis expers est materiæ portio, seu pridem collectæ, seu recens productæ & genitæ quæ ad tumorem attollendum properabat. Hîc & symptomaticus tumor est, & symptomatica diarrhœa; vtrumque, inquam, symptomaticum humoris efferi, impetu potiùs suo concitati, quàm ducti naturæ motu. Natura enim si sua sponte res gerit, abscessum alterutrum procurabit, non vtrumque, & decubitu factum, & effluxu. Cruditatis autem particeps est lienteria, soboles inflammationis magnæ, cuius tanta vis est, vt ipsam deiecerit alui, intestinorum, & iecoris: μετὰ ἥπατος ἢ ἰσχυροῦ τροφὴν ἀδυναμίην τοῦ ἥπατος, μετὰ αἱματώδεα. ὅτι δὲ ὅτι καὶ τὰ κοιλίας ἀποστάσεις αὐτῶν, i. *impotente iecore alimen-*

comment. aph. 16. 6.

alimenti attrahendi, & in sanguinem conuertendi; quod alimentum sæpe hic aluus ipsa corrumpit. Loquitur autem de diarrhœa quæ pleuritidi & peripneumoniæ superaduenit. Quem aphorismum in exemplum illustre relinquam theorematis huius vniuersi: sicut pestilentes bubones qui cum fluente liquidis, maximeque aquosis, cruditatis participibus excrementis aluo, lethales fiunt: vt vidi nuper in quodam chirurgo qui tertio sic morbi die interiit.

46 Κοιλίης ἐπιστάσιες, ἄλλε δὲ τινὸς μὴ ἐπιγενομένου, ταχέως καταῤῥήγνυνται, καὶ κακοηθέστερον.

Eandem aluum si quando supprimi contigerit, illa nisi quid noui fortè superuenerit; deinceps soluetur deteriorem in modum.

SI SVPPRESSA aluus quæ antè cum dolorifica ferebatur systrophica phlegmone, coniunctam adhuc retinet vrinarum cruditatem, qua permanente, excrementa crassescere non possunt ad rationem deiectionem; nec hæmorrhagia, apoplexiæ, aut parotides, translato humore exortæ fuerint; nec verò phymatis crudi facta sit in coctum mutatio: sic enim interpretor illud, μὴ δέ τινος ἐπιγενομένου: tunc spera, vt deinceps illa ipsa aluus perturbata feratur: vel dante inducias labore, cuius acerbitas, quos ad partem affectam spiritus attrahebat, illis destitutam faciebat virtutem expellendi: vel ne dante quidem inducias dolore; sed excrementis, quæ suspensa ad tempus & collecta fuerant, pondere tandem veluti suo excidentibus atque excedentibus, præ retentricis potiùs imbecillitate, quam expultricis facultate & potentia. Fuit igitur aluus, vt antè: sed in deteriorem modum: quo scilicet progressus maior in cruditate & putredine fuit.

47 Τὰ ἐμέσματα ἐπὶ τούτοισι πονηρὰ καὶ θηριώδεα.

Ad hæc solent esse vomitus difficiles & ferini.

FERINVM est, aluo fluente vomere; tam occasione vomendi, quàm noxa cum vomendo illata. Hic enim vomendi causa, redundantia non est, quæ si non tumore exorto, certè alui profluuio imminuitur. Qualitas igitur maligna & venenata, quæ vel chymate, vel vapore suo stomachum inficit ac resoluit. Talis æruginosus humor & atrabilarius, qui sulphuris in modum accensus intra venas, retro cuncta vapore & complet & dispergit. Atque hi quidem aluum vomitus non sistunt. Iam cùm vomendo ea noxa infertur, quòd rumpitur stomachus, cuius dolore, cordis vitalem vim dissipari non est nouum. Huius sanè prognosis, & duarum quæ proximè antecedere, locus est idem, apertus iis qui peste correptis interfuere.

48 Οἷσι, ἐπὶ φλογώδεσι καὶ ἐξερύθροισι λυομένοις, δυσώδεα λαύρως ὑπέρυθρα· ἐλπὶς ἐκμανῆναι.

Quibus, in rutila & rubente facie, soluta aluo, fœtidorum subrubrorum copia secedit; spes est fore vt vehementer delirent.

HANC demonstrabunt relatæ in superiores, propositiones duæ: quarum prior fuit 4. cap. 5. lib. 2. Πρόσωπα εὔχροα καὶ συνεσπασμένα ἐν ὀξέσι κακόν. i. *Egregiè colorata facies in acutis, mala:* desumpta è prorrh. 14. l. 2. i. Προσώπου εὐχροίη, καὶ τὸ μέτωπον συνεσπασμένον, κακόν, i. *Rubore faciei saturato, si caperatio frontis accedat; prauum.* Vbi εὐχροίην interpretatur Galenus ἐρύθημα, cui φλογῶδες hic adiungitur; ἀπὸ θερμασίης πολλῆς, i. *ab ingenti calore,* ait Galenus eodem loco. Quorsum autem spectet illa συνεσπασμένη, documentum Thalia mulier dementata tradidit. Altera propositio est 29. huius cap. Τὸ δὲ ἐξέρυθρον ἐν πυρετῷ παρακρουστικόν. i. *Prærubra in febre deiectio, delirium portendit.* Vbi delirium explicauimus dementiæ summæ, vel à translatione profectum humoris symptomatica; vel à sympathia simplici, inflammatarum venarum & arteriarum quæ à visceribus ad cerebrum ascendunt. Duo sunt igitur hic signa quæ separata delirium promittunt: multò magis si coniuncta, cùm videlicet ad præparationem incipientis causæ, i. cerebri, genarum & faciei insignis rubore testatam; magna vis affertur efficientis, i. bilis à viscerum incendio genitæ & deportatæ. Propterea hanc etiam Coacam prorrheticum imitatum est, vel potiùs prorrheticum Coaca; quòd regulæ iam dictæ de vultuosa facie & rubra, istam ipsam, nulla interposita, subiunxit. Τὰ πολλὰ ταῦτα παροξύνουσιν αἱ διαχωρήσιες ἀφρώδεες, παροξυντικά. i. *Multum* (illud prædictum scilicet) *exacerbant deiectiones spumosæ.*

49 Ὁ αὐχμώδης χρὼς σημαίνει κοιλίην πονηρευομένην. ἐπὶ τούτοισιν, ὑπέρυθρα σαρκόπυα, μάλιστα διεισι.

Squalida cutis, ventris labem significat. His purulentæ carnes prærubræ, vt plurimùm, secedunt.

QVANDOQVIDEM à terra indurescente situ, squaloris nomen transsumptum ad cutim est; terra autem situ indurescens, timis multis finditur, & hiulca redditur: idem sub nomine illo intelligamus de cute. Scabra primùm ea est ἀπὸ κνησμοῦ τε, ψώρας, i. à pruritu & scabie: inde vlceratur: nonnunquam fissa, ex nulla præcedente aut scabie aut prurigine, visitur. maximè in manibus & calcaneis. Pruritum facit affluxus pituitæ putris & falsæ, qua quidem veriùs inficiuntur, quàm nutriuntur partes solidæ, cuius vt appulsus & adhæsio esse possit, nulla perficitur à natura assimilatio. Hinc assurgentes quædam veluti squamulæ. Idem de atrabilario retorrido sanguine statuendum, ea crassicie prædito vt insinuari in cutim nequeat, nutriendi causa: sic illam proinde exuccam & aridam, scindi & rimosam fieri est necesse; præsertimque in manibus ac pedibus: quòd eæ partes omnium primæ destituantur opera caloris natiui, in cuius virtute posita est vitiorum sanguinis emendatio. Eandem etiam cutim contingit, affluente, nec subeunte sanguine, in tuberculos attolli; quibus apertis, sanies quædam exit, haud puri similis, sed putredini valde alienæ. Hæc illa est leprosorum, elephanticorúmve (nihil interest) conditio quorum de alimento, descripto suprà, edita sententia est; quòd suam adduxit speciem atque ideam, priore inducta & obliterata. Vitia autem sanguinis, aliunde non sunt quàm à viscerum labe, quæ τῇ περὶ τροφῆς author est complexus: aliter hic πονηρεύεσθαι, quàm per καθυγραίνεσθαι cupiens explicari. Viscera igitur, aluina quidem omnia, imprimisque autem iecur, eam ob causam per initia non opprimuntur, quòd facultatibus concoctrice & secretrice corruptis, validam retinent expultricem, quia in corporis habitum sese fœda illa & putri colluuie exonerant: donec illa etiam, vt necesse est, postremò languescente, copia obruuntur, quæ flaccida iam, indigena acrimonia multò antè excedebat. Ita per profluuium abeuntis quasi per frusta hepatis, quæ purulentas appellat carnes subrubras, viuendi fit finis.

lib. de alim.

50 Ἐπὶ κοιλίῃ χολώδει μαλθακῇ, κοπρώδει κώματα ἐπιφαινέντα, παρ' οὖς ποιέει.

Biliosis liquidis ex aluo primùm descendentibus, post stercorosis, coma superueniens; tumorem ad aures facit.

PROXIMA huic sententia fuit prorrh. 73. f. 3. 1. Κοιλίης μαλακῆς, κοπρώδεα διὰ[illegible] κῶμα ἐπιφανὲν, τὰ περὶ οὖς αἴρεται. Vtrumque desiderat particulam ὕστερα, quæ succedentia faciat liquidis sicca. Coaca autem prorrhetico meliùs habuit τὸ χολώδει: quod ad demonstrationem quantum faciat, declarant quæ sequuntur. Sic enim visum est mihi; quòd quemadmodum mali vrina est ominis, si ex rubra nuper, mox aquosa decolor euadit: sic aluus liquida, biliosis lata, repentè indurescens. Propterea quòd neque hinc, neque illinc, biliosi humoris cessans generatio: sed aliò facta translatio ostenditur. Maximè si quæ dura, liquidorum loco dantur, dant ardoris adustione notas, qualia κεγχρώδεα, ἄκρητα, σφυραθώδεα. Biliosi autem humoris translatio fit potissimùm ad caput, quod sese in glandulas quæ sunt pone aures exonerans, parotides facit: Coac. 44. huius cap. à qua aliena 27. non fuit, cum prorrh. 18. f. 3. 1. Sed parotides inde assurgere ait, comatis sæpe interuentu. Vide Coac. 5. cap. 4. lib. 2. Ex his insuper apparet huic non idem quod 28. fuisse propositi, quæ aluum posuit exsiccatam, postquam liquida serosa morbi initio profudisset, non biliosa.

51 Χολώδεα διαχωρήματα κώφωσις παύει. κώφωσιν δὲ παύει χολώδες διαχώρημα.

Biliosa profluuia surditas sistit. Et surditatem tollunt profluuia biliosa.

VIDA aphorismos 28. & 60. lib. 4. tum Coacam 3. cap. 3. & 5. cap. 2. lib. 2. Quibus iungito aph. 17. 6. *Lippientem, aluo profluuio corripi; bonum.* Quo nempe familiari exemplo, crisin ait erit symptomatum capitis omnium, à repletione originem ducentium.

52 Τὰ

52 Τὰ ἑρπυστικὰ ὑπὲρ βουβῶνος, πρὸς κτένα καὶ ἰξὺν γινόμενα· σημαίνει κοιλίην πονηρευομένην.

Serpentes pustulæ supra bubonem, ad pubem & ilia; ventrem accusant vitij.

QVO in sensu 49. huius, πονηρὴν κοιλίην, accepit, eodem hæc quoque admittit. Ἑρπυστικὰ autem leguntur, ἀπὸ τοῦ ἑρπυσμοῦ, & eorum quidem ἀρχεῖα ὀλεθρωδέστατα, quæ sunt phymata bilis flauæ tenuioris, quæque supra bubonem ad pubem & illium, imò verò dorsum, pertinentia, ζωστῆρα, i. *zonam* exhibent, à Scribonio Largo inter sacros ignes commemoratam, cap. 62. Hanc igitur propinquam ventri, ventris labem indicare constat: quia incredibile est, bilem illam venis esse exclusam eius loci cuius est in vicinia. *Propinqua quæ sunt, omnium primùm afficiuntur. Et, vbi sudor, ibi morbus.* aph. 30. 4.

53 Ἔκλυσις ὀδύνην λύουσα κοιλίην μάλα καθυγραίνει.

Exolutio quæ dolorem soluit; ventrem humiliorem facit.

ΕΚΛΥΣΙΣ, facultatum vitalium repentina debilitatio, qua quidem cor exiguo velut filo pendere creditur, languescente vita, Gallicè *foiblesse*. Illa si, cessante pulsu, lapsum quoque habet virium animalitatis; citra sudorem, λειποθυμία, λειποψυχία; cum sudore præsertim frigido, συγκοπὴ nominatur, Gallicè *defaillance*. Vide Galenum 1. ad Glauc. & comment. ad aphoris. 41. 2. vbi συγκόπτονται circumloquendo Hippocrates extulit, ἐκλύεσθαι ἰσχυρῶς, i. *vehementer exolui*. Ab exolutionibus huiusmodi, dolores cessant, specie minùs tum repræsentata effingendi virtuti per spiritus qui ad eam, tum dissipati, minimè deferuntur. Quod sponte factum naturæ, imitata ratio est, sedandis doloribus magnis, phlebotomia aut purgatione ad lipothymiam perducta. Ἐν ταῖς ἰσχυροτάταις ὀδύναις, οὐδὲν οἶδα μεῖζον βοήθημα, τοῦ μέχρι λειποθυμίας ἐκκενῶσαι δι' ἑτοιμότητος, εἴ τι φλεβοτομίᾳ, εἴ τι καθάρσει ἄχρι λειποθυμίας προσάγειν. Gal. comment. ad aph. 22. 2. Quamquam hoc non solùm artificio dolor fallitur, adempto sensu: sed ipsa doloris causa tollitur vacuatione & retractione humoris dolorifici. Sed vt ad rem redeam; talis exolutio ventrem humectat: humoribus tum ad aluum vndique concurrentibus, cùm debilitati spiritus eos non retinent, & relaxantur partium retentrices fibræ. Ἐν τοῖς θερμοτάτοις πυρετοῖς ἡ μέχρι λειποθυμίας φλεβοτομία κατάψυξίν τι ἀθρόως ἅπαντος τοῦ ὄγκου ἐργάζεται, καὶ σβέννυσι τὸν πυρετὸν καὶ δὴ καὶ ἡ γαστὴρ διαχωρεῖ τοῖς πλείστοις, καὶ ἱδρῶτες ἐπιγίνονται. i. *In ardentissimis phlebotomia febribus, animi deliquium attingens, totum repentè habitum refrigerat, febrémque extinguit. Et sanè quamplurimis eorum soluitur venter, ac sudores effluunt.* Gal. comment. eodem.

54 Τὰ καθ' ἕδρην ὀδυνώδεα ἐκπυήματα· κοιλίην ἐκταράσσει.

Suppurationes sedis dolorificæ; aluos perturbant.

ILLATA vi motui intestinorum peristaltico, per proritationem crassioris intestini, tenesmi ad instar, qui pro balano esse solet.

55 Θανατώδεα ἐστὶ τῶν διαχωρημάτων, τὸ λιπαρὸν, καὶ τὸ μέλαν, καὶ τὸ πελιὸν, μετὰ δυσωδίης· καὶ τὸ χολῶδες ἔχον ἐν ἑαυτῷ φακῶν ἢ ἐρεβίνθων ἐρίσμασι παραπλήσια.

Lethales sunt deiectiones pingues, nigræ, liuidæ; maximè si graueolentes fuerint: sed & biliosæ permixta velut ramentis lentis cicerisque fresorum.

SVPER prima prognoseos parte, vide progn. 22. lib. 2. cum Galeni comment. ad eam. In altera parte qua subiiciuntur similia ramentis ciceruum, lentiúmve fresorum, seu contritorum & conquassatorum (granula scilicet albicantia;) notatur ingens superassatio facta humoris biliosi, in angustiis in

diu coërciti venæ portæ ad hepar anfractibus: quod esse nequit nisi à viscerum incendio, quo conflagrare ea necesse est; nec nisi cum interceptione chyli deducendi ad hepar: quorum ab alterutro intereundi metus, ab vtroque maior.

56 Ἢ οἷον θρόμβοις αἵματος λαμπρές.

Et quod splendidum, simile est sanguineo grumo.

VIDE QVID agitem animo. Si sanguinem suauerubentem, αἴθριον, lego; in eo fuit Coaca huius 9. si grumosum, 22. Omoino si sanguinem propositio notat, nihil adfert noui. Id fortasse absurdum non est, dici nunc, occasione data, quod iam dictum sit prius: sed grumosus sanguis non floridus est nec lucens, qui multùm obscurus nigricat. Et illud, ἀεί, vel me inuito, designat aliquid simile concreto sanguini, quòd tamen sanguis non sit. Dicet quispiam; adductas fuisse in examen deiectiones ad instar sanguinis nigras, 25. huius. Respondeo illas, Galeno iudice, fuisse humoris melancholici, neque concreti, neque lucentis; sanguinem tamen concretum nigrore referentis, attendere me ad atram bilem, quam lucere nisi Galenus fateretur comment. ad aphoris. 24. 4. probarem ex priore de mulierum morbis. At negat concrescere posse. Infantium igitur recens natorum μηκώνιον, i. papaueraculum, pici simile, cuinam rogo tribui, nisi atræ bili debeat? concreuit tamen. Ego similia huic excrementa proferri iudico: vt prior hæc sit deiectionum in prouectioribus, cum deiectionibus infantium comparatio in colore & consistentia: quemadmodum quæ sequitur, in odore erit.

57 Κατὰ τὴν ὀδμὴν ὅμοιον τῷ τῶν νηπίων.

Et quod odore simile est foriis infantium.

HIC VERO supra commentarium philosophari non decreui doctissimi viri Iac. Hollerij. Is periculosum censet quodcunque alienum à conditione est morbi, & naturæ, & ætatis. Sic periculosa fuit, vt aliena à conditione morbi, sitis immeritò in acutis sedata, extimorum perfrigeratio, tinnitus aurium. Mortiferæ verò ducuntur sordes aurium quæ dulce sapiunt, vt alienæ à conditione naturæ per quam amarescunt. Esse autem in conditione positum ætatis prouectioris, vt fœtidiora excrementa quàm infantia deponat. Horum namque blandior est calor, nascentis sui magis similis; illorum acrior est, à seipso velut discedens in naturam ignei: horum alimentum simplex, nec valde elaboratum; illorum varia edullia, mixtionis præstantis & elaboratæ, quorum perinde putidior corruptio, velut in contrarium profecta, lib. περὶ παθῶν, & cap. 5. 1. physicorum. Sunt autem excrementa, corruptæ partes de iis ex alimento residuæ, quæ solæ coctionem admiserunt, ex 4. Meteor. Πέττεται μὲν ἐν τῇ ἄνω κοιλίᾳ, σήπεται δὲ ἐν τῇ κάτω. Atque hoc quidem si in secunda valetudine locum habet, profectò in aduersa, multò potiorem obtinebit: maximéque in febribus, quarum ardoris est omnia corrumpere & putrefacere. Per eas igitur, si reliquiæ alui egerantur prouectis non magis quàm infantium, foria, fœtidæ; mortem significant, vt signa à conditione ætatis & morbi plurimùm abhorrentia. In prognostico certè vbi fœtor ingens accusatur vt magnæ putredinis quæ ipsa est febris magnæ; de excremento ad salutem poscitur, vt sit μὴ λίαν δυσῶδες, non multùm grauεolens; sed δυσῶδες tamen: secus extingui properantem deferret cum febrili natiuum calorem.

58 Καὶ τὸ ποικίλον τὸ δ' αὐτὸ καὶ χρόνιον. γένοιτο δ' ἂν τοιοῦτον αἱματῶδες, ξυσματῶδες, χολῶδες, μέλαν, πρασοειδές, καὶ ὁμοῦ, καὶ ἐναλλάξ.

Sic & varium: est autem hoc ipsum morbi diuturni. Et huiusmodi quidem fuerit, sanguineum, ramentosum, biliosum, nigrum, porraceum; siue illa exeunt simul, siue vicissim.

VBICVNQVE ingenium Galenus exercuit; in eo reliquorum mentes oportet conquiescere. Est autem ab eo editus commentarius ad hanc Coacam scriptam ordine 23. lib. 2. prognost. vbi quod κατὰ μέρος legitur, hîc audimus ἐναλλάξ.

59 Θανατῶδες

59 Θανατῶδες δέ ἐστι καὶ πᾶν τὸ ἀναισθήτως διεξιόν.

Lethale est etiam quodcunque sine sensu exit.

ADIECIT prorrh. 42. s. 2. 1. ἐόντι παρ' ἑωυτῷ; *manenti apud se*, seu mente constanti: quasi ita indicet, iudicétque; quòd sponte sua, nec iussu ægri elabatur deiectio, si in causa est alienatio mentis agentis aliud, nec intendentis specierum repræsentationi; minus intentari periculum, quàm si, mente sana nec aberrante, ab extincto istud ipsum contingat sensu earum partium per quas excretio illa
10 fit. Propterea quòd alienata mens reuocari potest: sentiendi amissa vis non potest. Sed tamen, quandoquidem certè alterutrum cum periculo vitæ coniunctum; admittitor Coaca vt habet, ipso quamuis amplior & generalior prorrhetico. Non si quid lethale, moriendi hoc ipsum protinus necessitatem adfert. Verumenimuero super excrementis quæ cum nulla cogitationis culpa clam abeunt, exemplum adferebat Hippocrates in commemorato prorrhetico, hepatici cuiuspiam qui tenuia dum aluo egerebat, non sentiebat. Ei in eo Galenus illudit, cùm ait exolutionem iecoris nihil ad sensus hebetudinem facere: si quidem sentiendi vis ad partes reliquas à cerebro influit per neruos, quibus & iecori nulla est commodorum ac vitiorum communicatio. Mihi verò est quod Galeno pro Hippocrate reponam. Iecoris opera cerebrum carere non posse; neque ipsos igitur neruos: omnium minimè intestina, quæ dicata nutritionis officiis, cum reliquis subiiciuntur iecori vt principi. Vt ce-
20 rebri virtus influat, sentiendi vim excitare non posse nisi in partibus ita vt decet concretis & temperatis. Temperiei conseruationem esse à iecore, fonte alimenti & caloris nutricatui conuenientis. Quid est quod elephanticorum sensum hebetat? an cerebri denegatus calor & spiritus? Atqui ille vberrimus affluit, & nullam corporis partem, sui expertem sinit. Vnde igitur, inquam, ille stupor? A deprauato partium temperamento, ex quo ad excipiendam facultatem sensificam adhuc idoneæ, ad eam in suos vsus percipiendam tum ineptæ fiunt. At enim temperamenti illa in vniuerso corpore deprauatio, cuinam tandem attribuenda, nisi ἥπατος πονηρίῃ, de qua extitit 49. huius? His accedit adempta liquidis excrementis acrimonia, quæ hepatici, iecore exoluto, & bilem non gignente, aut aliò deportante, fundunt: res à natiua conditione aliena, non minus quàm perdiuus fœtor, propositione 57. huius cap.

30

60 Ποτὸν χαλεπῶς καταβροχθίζοντι πνεύματι βηχώδει ἔρευγμος ὑποστρεφόμενος, εἴσω κατειλούμενος· σημαίνει πόνον κοιλίης.

Si cui difficulter potum haurienti, cum tussifero anhelitu, ructus est intrò referens ac reuolutus; laborem alui denunciat.

40 PONITVR hîc difficultas hauriendi potum, aliunde ducta quàm à vitio faucium inflammatarum, aut infirmitate musculorum deglutitioni inseruientium: sed inde vnde & tussiferus anhelitus & ructus intrò referens ac reuolutus; nimirum à flatulento spiritu qui humore glutinoso, tanquam ergastulo, continetur, toto eo ductu qui est à ventriculo ad œsophagum & laryngem. Ab eo, inquam, spiritu, exitum sibi moliente per os, nec obtinente, ructus intrò reuolutus; ab eodem laryngem irritante, tussis molesta & anhelosa, quæ tussis est ex materia ascendente dicta; ab occupante autem & obstruente fauces, in modum bullæ cuiusdam assurgentis nec ruptæ, difficultas hauriendi, sorbendi, degluttiendi. Quæret fortasse quispiam; vnde tanta vis spiritus crassi & solutu difficilis? A cruditate & nimia humoris abundantia, ventriculo innatantis & stagnantis: quem si naturæ calor perdomitum vicerit, nec se opprimendo suffocari permiserit; amandabit foras alui profluuio, aut
50 vomitu excitato, quorum vterque vel alteruter est ὁ τῆς κοιλίης πόνος.
Notabis, lector, hæc tria; tussim, ructum referentem intrò, difficultatem spirandi, faucibus nec resolutis, nec inflammatis; quæ singula οἰκεῖα sunt, simul iuncta, esse σημεῖον laborum alui.

61 Πονηρὸν δὲ καὶ τὰ ἐξέρυθρα οὖρα τεταρταίοισι. καὶ αἱ τοιαῦται αἱμορραγίαι κωματώδεες. ἐκ τούτων σπασμῷ τελευτῶσι μελαίνων προδιελθόντων.

60 EX TRIBVS quæ extabant Coacis, feci vnam, ad exemplum prorrh. 35. s. 5. 1. & Coacæ 5. cap. 13. lib. 2. Ex quibus sic reponendum duco.

Μεθ' αἱμορραγίην, μελαίνων διαχώρησις· κακόν. πονηρὸν δὲ καὶ τὰ ἐξέ-

ξυθρὰ ἰώδεα. τεταρταίοισιν αἱ τοιαῦται αἱμορραγίαι κωματώδεες. ἐκ τούτων σπασμῷ τελευτῶσι, μελαίνων προδιελθόντων.

Ab hæmorrhagia, nigrorum deiectio; praua: praua item quæ prærubra æruginosa inde subducentur. Quartam igitur diem agentibus, eiusmodi hæmorrhagiæ sunt soporiferæ. Atque inde conuulsi intereunt; si nigra antè exierint.

Svper quibus omnibus vide tu comment. Galeni & parentis mei; meminerisque vnà eorum quæ ad 32. huius cap. edidimus.

62 Οἷσι μέλανα διαχωρέει· ἐφιδρῶσι ψυχροῖς.

Qui nigra egerunt; frigidum illi exudant.

Lege comment. nostrum ad 38. huius.

63 Αἱ ἐξαίφνης ἄλογοι ἐκλύσιες κοιλίης ἐν τοῖσι τετηκόσι χρονίοισιν, ἅμα ἀφωνίῃ τρομώδει· ὀλέθριαι.

Quibus morbi diuturnitate iam extenuatis, aluus repentè sine causa soluitur, obmutescentibus; tremulis; illis est moriendum.

Hollerio, viro doctissimo, hic assentior: sed quid velim tamen, exponam verbis meis. Si in maxima medici cura esse debet virium conseruatio, quæ sunt naturæ præsentis testes, vt lucis lumen; labantibus illis, omnis est vacuatio periculosa, quippe quæ illas etiam atque etiam frangit ac deiicit. Sponte nata, nullo medici artificio, nec pharmacum propinantis, nec clysterem iniicientis; sine noxa quam inducit, iam actum esse de ægro ostendit, videlicet se natura vix ampliùs capiente & continente. Fatiscentis eius accedunt hæc argumenta. Primùm impotentia fandi, per exolutionem nata vocalium musculorum, materiæque vocalis paupertatem, i. vaporis fuliginosi, quem exiguum facit paucitas aëris ad inspirandum attracti, quo ferè nullo, cordi insitus & natiuus calor iam penè extinctus indiget. Tum deinde totius corporis, omniúmque artuum tremor; quibus ferendis iam esse incipit vis naturæ & facultas impar. Non est pluribus verbis opus; exolutionem facultatis naturalis, diarrhœa, extenuato pridem, sponte nunc nata; vitalis, vocis carentia; animalis, ipse denique tremor confirmat. Quænam igitur supersit viuendi spes, viuendi facultate omni collapsa & perdita? De aphonia cum exolutione, lege ad prorrh. 25. s. 1. 1. & 5. s. 3. eiusdem lib.

ἀφρώδεις. 64 Αἱ λεπταὶ, μελαίνων, διαχωρήσιες αἱ (φρικώδεες·) βελτίους τοῖσι τοιούτοισιν. αἱ τοιαῦται ὠφελοῦσι μάλιστα κατὰ τὴν ἡλικίην ἢ προακμάζουσι.

vel, spumantes. *Potiores his sunt deiectiones tenues (horriferæ) quàm nigræ. Tales ætatem potissimum iuuant, vitæ statui propinquam.*

Cvm omnibvs morbo iam extenuatis malum est omne alui profluuium; tum verò pessimum nigrum, quod quidem moriendi postridie quàm venit, necessitatem summam inducit, aph. 23. 4. Intellectum est bis suprà, quòd qui nigra profundunt; frigidum illi exudant, i. breui est vt syncope correpti moriantur. Itaque his satius est biliosa deiicere, etsi praua illa; túmque maximè, cùm ita ab ardore spumant acerrima, vt neruosas partes horrere vellicando faciant. Saltem gradu vno, à nigris superantur virides æruginosæ, si ab incendio eiusmodi nigræ sunt: sin eas extinctio caloris pepetit, vt credibile sit in corporibus pridem extenuatis & languidis; non est quòd cum iis æruginosarum omnium & viridium pessimæ in maleficientia conferantur. Nunquam non periculosæ sunt deiectiones nigræ: at virides ætate virili quæ constantem proximè antecedit, non semper sunt cum maximo damno coniunctæ: διὰ τὸ ἡλικίης, τὰ μέλαινα οἰκεῖα, aph. 34. 2. Vel ita concipito; vt nigras τοιαύτας referant, eas scito minùs esse viris & iuuenibus tristes, quàm reliquis nigras, seu malum denunciando,

denunciando, seu etiam inferendo. Nam cum robore illi suo, noxæ potentiùs quàm cæteri resistunt. Et in iis probabilius omnino est, nigrum humorem esse sobolem ardoris immensi, quàm extinctionis inductæ: quorum hoc quam illud, longè grauius & lethalius.

65 Πᾶσι τὰ κνησμώδεα, μελαίνων διαχωρήσιων σημαίνει, καὶ ἔμετον θρομβώδεα.

His omnibus prurigo, nigras affore deiectiones significat, & vomitum grumosum.

Prurigo, inquam, nouè adueniens, non antè molesta; corporei habitus macie confecti exolutione nascitur, cum solidarum partium alimentum putridum quod contineri nequit amplius, effunditur in cutim. Tum credibile fit, vt solidas partes, sic & viscera ipsa resolutum iri; ac resoluta iam nunc, relaxatis claustris, ad vitam in profluuium alui terminandam accelerari. Sic extenuatis longo morbo corporibus prurigo; non quidem excrementa quæ demittentur, fore nigra promittit; nam quid habet ea quod nigredinem concludat? sed excrementa nigra, i. ea quæ longo morbo extenuatis frequentiora sunt, breui affutura. Frequentiora dixi longo morbo extenuatis esse nigra excrementa: quia morbum qui remediis optimis tempestiuè adhibitis non cessit, omnium contumacissimum & deploratissimum esse oportuit, cuiusmodi sunt ab humore nigro. Adde quòd crassus & limosus natura sanguis, liene conclusus, morbi ipsius longinquitate magis magisque coinquinatus & conspurcatus, inducta per natiui caloris extinctionem perfrigeratione, quæ horum exitum perpetuò manet, facillimè nigrescit.

66 Καὶ τρομώδεα σὺν δηγμῷ μετὰ κεφαλαλγίης τὰ μέλανα διαχωρήματα. Πρὸ τῶν τοιούτων, ἔμετος διέρχεται καὶ ἐμέσασι, συχνὰ τοιαῦτα προσκαταπατᾶται.

Qui vnà cum morsu & cephalalgia contremiscunt; nigra excernunt. Sed ea vomitus præcedit: quo peracto, copiosa huiusmodi deorsum pertrahuntur.

Δηγμὸς, δῆξις etsi absolutè ponuntur, inferunt tamen illam ἀνάγκαν, περὶ στῆθος, i. *ad pectus*, seu ad xiphoidem, accipienti καρδιωγμὸν; & στομαχικὸν, in ore ventriculi. Mordicatum & lacessitum vehementer os ventriculi, concutit rigore corpus totum, quem rigorem vocat τρομώδεα: cephalalgiam etiam si accersit, tetro accersit expiratu; vel simplici, si quis contendit, sympathia. Quid est quod stomachum acerbè adeo vellicet, vt rigorem eiear commotione, capitis dolorem sympathia, quæ non nisi in eas affectiones cadit quæ sunt inter vehementes eximiæ? Quid, inquam, est præter æruginosa & nigra? Quapropter expressa illa rigendi contentione vt deiiciantur expectandum: sed ita tamen, vt antè eorum quid vomendo excludatur, cùm sint supero ori magis propinqua, vt illac promptiùs exeant. Coaca fuit 107. lib. 1. deprompta ex prorrh. 3. f. 1. 1. *Qui è phreniticis cum perfrigeratione sputatores fiunt: vomitum illi nigrum denunciant.* Vbi secundum Galenum parens meus author fuit, vomitum quidem significari ptyelismo; nigrum autem perfrigeratione. Hunc sæpe vomitum, labri inferioris palpitatio antecedit, quo indicatur; [illegible] *i. mordeni, lancinari, concuti tunicam oris & ventriculo communem.* Eiusdem, eodem authore, καρδιωγμὸς, qui hic δῆξιος nomine comprehenditur, [illegible]. Ab eo vomitu, vt ferè fit aluus laxatur, & larga copia ducitur pessimorum, [illegible] i. *Subsistentem aluum vomitus demittit.* Credo quòd abdominis musculi, per illam vomendi contentionem magnam, aluum potentissimè comprimunt. lib. 2. de diæta.

67 Οἷσι δὲ ἐπὶ ταραχῇς κοιλίης παροξύνεται περὶ κρίσιν· κάτω μέλανα διέρχεται.

Et quibus à perturbatione alui, exacerbatio est sub crisin; nigra infernè prodeunt.

Si toto est morbi decursu, quibuslibet humoribus profusè cum alui tormentibus ducta aluus (*perturbationis* indicat nomen) & adueniente crisi, quam vel vrinæ significant, vel remissus & mitescens morbus; aluinorum torminum exacerbatio est; siffore nigra expectaro. Sic enim fit verisimile, cùm per ea quorum exitus fuit antea, morbi leuationem consequi minimè datum fuerit; morbificum malum fuisse quid illis omnibus deterius: nigrum igitur, omnium quæcunque offerri possunt pessimum. Sed ea tamen sub crisin amandari, non est calamitosum; quemadmodum circa initia morbi aut progressum foret: illinc semel exonerata prodeunt; hinc perenne genita. Κατὰ γὰρ ἀρχὰς εἰ ἀπίῃ, ἐπ' ἀγαθῷ φαίνεσθαι ἐκκρινόμενα τὰ μέλανα, μεγάλου κόσμου ἐνδεικνύμενα τοῦ σπλάγχνου. ταῖς δ' ἀκμαῖς ὅπως αἱ πολλάκις, ὑπαναθυμιᾶσι τὰ φαῦλα τῆς φύσεως.

Gal. Comment. ad aph. 21. 4.

68 Ἐπὶ κοιλίῃ μακρῇ ἐμετώδεσι, χολώδεσιν, ἀποσίτοις, ἱδρὼς πολὺς μετ' ἀδυναμίης ἐξαπίνης κτείνει.

Si cui, post diuturnum alui profluuium, biliosa vomiturienti, & cibos aduersanti, sudor effluit multus; repentè interimit.

Repente interimit] Quia tantam sudoris vim effœtæ vires ferre nequeunt. Atque iis quidem criticum nihil aduenire potest. Hic profectò est sudorum, alter symptomaticorum, natus διὰ τὴν ἔκλυσιν τῆς δυνάμεως, i. *exolutionem corporum.* Idcirco sudorem multum posuit μετ' ἀδυναμίης, i. *cum impotentia*, seu potiùs virium præcipiti lapsu & animi deliquio. Et quid aliud expectari potuit à deiectione appetentiæ, vomitus excipiente crebros, successores longissimæ diarrhœæ? Longa diarrhœa, quæ κατ' ἐπίμονον, quia succedaneum habuit vomitum; morbi magis quàm naturæ ratione, quæ contrariis sine violentia motibus non agitur, data esse ostenditur: itaque ergo ab imbecillitate nata est naturæ, ipsam denuo imbecilliorem fecit: quam longè imbecillimam fecere vomitus vehementes iterati: vt ἀνατροπίας stomachi ναυτιώσας, vel magna infectio intulisse videatur. Hæc sunt maximarum febrium & pestilentium propria.

69 Ἐν φαρμακείῃσιν ἐν περιρρόῳ, λεπτὸν συχνῶς αἷμα ἐκτηκόμενον, ἔπειτα δὲ φλαῦρον.

Ab assumpto medicamento si, tum in ipso purgationis fluxu, tum postea, sanguis liquidus confestim exit; malum.

Ἐκτηκόμενον, i. *liquidum* sanguinem proposuit, quem oporteret ab hæmorrhoidibus effluenti, crasso illi & plerumque nigro. Hunc hæmorrhoicis a medicamento commoueri est promptum: nec mirandum igitur. Ille autem vt aliter quàm venis excisis exprimatur non habet, aut sanè quàm omni reliquo humore exhaustis & vacuis. Ac enimuero venas intestinorum excidi, dysentericum: sanguinem ab iis exhaustis & omni alio humore vacuis relaxari, dum purgante vi medicamenti solicitari non desinunt; id verò est cum primis damnosum. Vacuationem, inquam, arguit, vtilis omnis & profuturi, imò vero & tolerabilis limites egressam, Hippocrates lib. de hominis natura, part. 30. *Qui medicamentum*, inquit, *assumpsere quo ducitur bilis; primam quidem bilem, tum pituitam euomunt, inde & humorem atrum: tum deinde reiecto sanguine intereunt.* Idem eiusdem lib. part. 31. *Experiuntur hoc ipsum*, ait, *qui medicamenta hauserunt, pituitam attrahentia. Primùm namque pituitam vomendo reiiciunt, tum bilem flauam & atram; inde tandem, vbi moriendum fuerit, sanguinem syncerum & purum.* Galenus in comment. *Exclusa humori cum quo medicamentis familiaritas intercedit, succedit alius; is scilicet qui ductu facillimus omnium fuerit. Post hunc, qui habilitate ad exeundum secundus ab eo erit & primus. Postremus omnium venit sanguis, tanquam omnium succus natura charissimus. Quasi hoc verè possit enunciari, quòd vt naturam hominis totam non absoluat: at partem eius sanè præcipuam facit atque summam.* Est igitur iam penè de vita actum & conclamatum, cùm violentia medicamenti sanguinem exprimere non desitit. His superueniunt conuulsiones lethales omnes, vt ab exhausto. Σπασμὸς γὰρ ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον aph. 1.5. Sanguinem, Galenus dicebat, incisa effluentem vena, inhibemus cùm volumus: medicamenti vim effrenem assumpti non coërcemus. Æstimetur igitur à medico, priusquam exhibeatur; ne remedia tuendæ comparata, perdendæ vitæ consulantur.

70 Τὰ μετὰ κοιλίην σκληρύσματα μετὰ πόνου, πυρετοῖσι ἅμα φρενώδεσι, ἀποσίτοις, σμικρῶν ἐφυγραινομένων ἐς κάθαρσιν κοιλίης, καὶ τὰ ἐς ἐμπύησιν.

Meliùs

Meliùs sic, Coaca 33. cap. 11. lib. 2.

Τὰ κατὰ κοιλίην σκληρύσματα μετὰ πόνου, πυρετῷ ἅμα φρικώδεσιν, ἀποσίτοισι, σμικρὰ (ἐφιδρῶσι), καθαρσιν οὐ διδόντα ἐς ἐμπύησιν ἥξει.

male fuit, ἐφο- χαυνο- μένοις.

Alui tumores duri & dolorifici, cum febre horrifera, ciborum fastidio; & ephidrwsi; nisi expurgentur, abeunt in suppuratum.

TVMORES] hoc ipso quòd duri & dolorifici, phlegmonici seu inflammatorij apparent; præsertim si ἀτένεες i. *renitentes*; proptereáque in putamentum proni & prompti existunt. Et abibunt profectò in suppuramentum, nisi expurgentur; alui profluuio, hæmorrhagia, aut insensibili transpiratu: hæmorrhagia quidem magis, si supra vmbilicum fuerint; vacuationes duæ reliquæ sunt totius abdominis æquè communes. Empyematis autem mox affuturi tria subiiciuntur coniuncta signa, febris horrifera, i. crebra horroribus, quorum causa est in parte primùm omnium horrescente, pus scilicet vomicam erodens: cibi fastidium, quem ne quidem in conspectum admittunt, à venenata supputati aura stomachum inficiente, & resoluente: ephidrωsis denique, i. exudans sudatiuncula, indidem commota, per exolutiones frequentes quas ab illo pati vapore tetro necesse est. His iunge, partis quæ dolebat, doloris loco, pondus & grauitatem magnam. Sed plura videto in comment. parentis mei ad citatum locum. Nam commentarij hæc tantùm fuit summa quam proposui.

71 Ἅμα πυρετῷ κοιλίη ταραχώδης τρόπον ἁλμυρώδεα· κωματώδεσι νωθροῖς οὐ παρέπεται.

Alui cum febre salsilaginosum profluuium; non est cwmatosis torpidis frequens.

INTELLECTVRO istam propositionem, necessaria est recordatio distinctionis positæ comment. ad Coacam 1. cap. 2. lib. 2. de cωmate vigili & soporato, ἀγρύπνῳ καὶ ὑπνώδει: quorum illud est quoties commissis inuitò palpebris nec lucem accipientibus, ægri nihilominus vigilant, ἀγρυπνοῦσι, inquieti & iactabundi: hoc autem, quando non minùs cerebro & pectore, quàm oculis dormiunt, qui sunt alibi κωματώδεες καὶ ὑπνώδεες. Illud sanè non sola aut simplex pituita facit: sed vel bili permixta, vel ipsa per se putris & salsa; quarum vtroque quantum copia & crassicie ac viscidítate opprimit ac soporat, tantum exsuscitat temperamento acriore. Hoc à simplici pituita nascitur, viscida & cruda, nihil aliud quàm cerebrum obtundere, & somnos suadente vel coactos inducente. Id animaduertens philosophorum consultissimus, etsi alui perturbationem qua febris non adimitur, propter perennem humoris in hypochondrio generationem, & perennem ad caput appulsum; cωmatis esse posse comitem nouit, iuxta id quod ipse retulit. Μετὰ γὰρ κοιλίας ἐκταραχθείσης, ... i. *An cωmatosis aluo prorupta?* Sociam tamen esse posse negauit cωmatis soporari, si salsilaginosa sunt quæ per eam secedunt, multoque minùs si biliosa: sed fore inde potiùs cωma vigil & inquietum. Biliosorum indicia certa. Salsilaginosa phlegmata acuti colore griso separant à crudis quæ sunt albidiora. Sed hanc fortè diarrhœam, fluxus è palato in linguam pituitæ salsæ aphtásque facientis aut præcesserit, aut comitata fuerit. Ἁλμυρὰ σαρκὶ γευομένῳ ... σημαίνει, i. *Carnes gustanti falsò credita salsa, indicant redundantiam* biliosi humoris, inquit Galenus in commentario: ego etiam putris pituirosi.

Coac. 15. c. 4. lib. 2. (margin note, partly legible)

72 Ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ, κοπώδεες, κεφαλαλγικοὶ, διψώδεες· ἄγρυπνοι, ἐξερυθρεῷ χρώματι λυόμενοι· ἐλπὶς ἐκμανῆναι, ἢν δύσπνοοι ὦσι.

Aluo perliquida, sed vltrò oborta laßitudine, caput dolentes, sitibundi, vigiles, vt facie rubent; spes est fore fanaticos: præsertim si difficultas spirandi adsit.

MORBIFICÆ materiæ, quàm efferæ quàm maxima copia, & quàm continentet in hypochondriis genita; fluente aluo lassitudo adest & capitis dolor. Iam verò vigiliæ exsiccatum fuisse cerebrum confirmant. Ergo redundantis istius efferæ materiæ si translatio fit ad cerebrum, ita vt dixi affectum;

quid tum sequetur deinde? vt in maniam exitus morbi feratur. Atqui rubentes genæ cum spiratione
" sublimi, excursus illius ad superiora neminem ignarum esse sinunt. Quemadmodum quæ pars in se-
" cunda valetudine laborarit, in eam se morbus adueniens infirmat: sic quæ ab insultu morbi doluerit,
" in eam sæpe irruit abscessus. Hic autem indoluit caput. Itaque incalescentes & oppressos si quis dixe-
rit pulmones, genis ruborem ipsos per se conciliare posse, meminerit anteactarum vigiliarum, dolen-
tis antè capitis: tum deinde sciat, per pulmones ab hypochondrio esse ad caput iter. Non dubito im-
butum humore bilioso ab oppressione expresso diaphragma, homines in rabiem & furorem agere, li-
bro narratum περὶ παθῶν: sed hic vbi cerebrum omnia appetunt, eius labem augeat si potest dia-
phragma: sanè eam nec delet, nec vetat agnoscere.

Coac. 33. 16. lib. 2.

10

73 Πρὸς τὸ ἐκχλοιοῦσθαι δύσπνοοι συνόν τε κοιλίης ἐπεισελθούσης.

Desperatio est assequendi mentem magistrorum in proposito: nisi verborum, ἐοῦσαν σύν τε, transmutatio fiat in ἐοῦσιν ὁ τ, &c. atque ita prognoseωs voces simul omnes efformentur.

Πρὸς τὸ ἐκχλοιοῦσθαι δύσπνοοῦσιν, ἢ τ κοιλίης ἐπεισελθούσης.

Virore suffusi non liberè spirant aluo regressa.

20

Vbi regressam aluum, pro subsistente accipimus, ἐπεισελθούσης; cuius est contraria ἐξελθούσα. Icteri-ci, inquit, etiam cò progressi, vt corpore toto viridi esse occipiant; libertatem nihilominus sæpe reti-nent spirandi: nisi fortè à subsistente aluo, iecoris iam onusti oppressio maior fuerit, vnde & impedi-mentum magnum spirandi. Hoc de iis intelligito quos meatuum bilis obstructio ictericos fecit: tali-bus enim nihil esse potest vnde spirandi expirandive commoda adimantur fluente aluo; non intrò compressi cum diaphragmate pulmones; non etiam impedita latera. Sed & eos in eadem iura & pri-uilegia reseruato, quibus iecur velut in silicem induruit. Nam de illis secus est quibus à systrophica iecoris phlegmone ducta icterici primordia fuerunt, effuso per habitum corporis, qui ab immodico ardore supra modum incandescit & bilescit, venarum omnium sanguine. Hic cur difficulter admo-dum spirent, non longè sunt à iecore ipso inquirendæ causæ. Et eas quidem minùs sæpe remouet, sed adesse potiùs testatur, importunum & longum ab intestinis effluuium.

30

74 Τὰ καυματώδεα διαχωρήματα, τόνον ἴσχοντα κοιλίην πονηρευομένην σημαίνει.

Prausta cum tensione alui deiectio; ipsius labem alui demonstrat.

40

Recvrre ad commentarium nostrum in 35. Coacam huius capitis.

75 Τοῖσι χολώδεσι κοιλίη ταραχώδης μικρὰ πυκνὰ διαδιδοῦσα (γονώδεα) μικροῖσι μυξώδεσι, πόνον περὶ τὸ λεπτὸν ποιέουσι· καὶ οὖρον οὐκ ἀλύτως ἰὸν ἐς ὕδρωπα ἐκ τούτων ἀποτελευτᾷ.

malè fuit. πιόνα.

In biliosis aluus turbata quæ pauca exhibet conglobata similia genituræ, atque mucosa, & circa tenue dolorifica; nec vrina faciles in meiendo; ex talibus desinunt in hydropem.

50

Versionem] agnoscis datam à parente meo Coacæ 6. cap. 19. lib. 2. quòd scilicet illa eadem cum hac ipsa est. Itaque libenter illinc γονώδεα transtulit huc, in locum τῶ πιόνα, γονώδεα, χειμώδεα, ὀροβώδεα, φακοειδέα, ἐκτεθειμένα, χαλαζώδεα: penè significantia idem. Cætera pete ab eo qui tibi versio-nis author. Ni quod hic περὶ τὸ λεπτὸν dictum, περὶ ἦτρον fuisse illic, obseruatu dignum putas, & Coacæ 3. tract. 2. huius lib. percipiendæ profuturum. Ex κατόπιν μαθησόμεθα ἀλγήματα ἐς τὸ λεπτόν, &c.

60

Αἰτεραιώδεες

76 Αἱ τρωμώδεες γλῶσσαι σημεῖον ἐνίοισι κοιλίης καταῤῥαγησομένης.

Lingua tremula, nonnullis signum est alui proruptura.

TREMIT lingua, vt reliquæ partes, eodem penè momento subleuata & depressa, dentibus obfirmandi sese impotens, certásque voces signandi & efformandi: qualis ἀφωνίς, aphor. 40. 7. Subleuatur momento atque deprimitur, per inæquabilem motum quem ciet facultas hinc attollens, & illinc grauitas deorsum detrudens. Id accidit, vel lingua facta grauiore & ponderosiore, dum virtus mouendi quæ fuerat antè integra retinetur; vel ipsa quidem lingua æquè at prius apta & habili ad motum, sed facultate infracta & multùm debilitata. Linguæ ponderi pondus adiicitur à defluxu pituitæ, humorisve biliosi aut melancholici; vel à sanguine supra modum opplente venas quæ sunt à radicibus eius in ipsam subtus deductæ. Debilitate facultatis mouendi linguam, est ratio duplex; quòd cerebrum aret ea præsertim parte vnde mouendi sentiendique vis per neruos influit, sermonis gratia & gustatus; quòd spiritu & calore natiuo exhaustum destituitur, vt senectute confectis, vt ardente febre consumptis; quòd nimia humoris abundantia vel imbutum languet, vel oppressum fatiscit. Tolle copiam sanguinis, tolle cerebri exhaustum vndecunque consumpti; reliquæ omnes, quæcunque adductæ sunt & excogitari possunt, linguarum tremularum causæ, accersunt alui profluuium. Eam ob rem, nonnullis dixit, non osi, biliosi, melancholici, quo ipsa vel cerebrum aut imbuitur, aut grauatur; siquidem conualescere ab eo malo debeant. Procliuis est humoris à lingua in aluum descensus, per tunicam communem & continuatam. Sic vomituro obseruata est suprà, inferioris labri palpitatio. Tum quod in conditione cuiusque naturæ, cætera bene habentis, ad sanitatem conseruandam natura posuit, eius ipsius moliendi meminit ad morborum, cùm aduenere, depulsionem. Atqui de balbis aphorismus edixit 32. 6. quòd diarrhœæ obnoxios eos natura fecit plerunque, longæ. τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς. Vbi τὸ τραυλίζειν καὶ ψελλίζειν Galenus definiuit impotentia voces accuratè & distinctè dearticulandi, eas præsertim quæ literas τ ρ coniungunt.

77 Οἷσι κῶμα γίνεται ἐφιδροῦσι, ἢ ἐλθόντων πυρετὸς παροξύνεται.

NON EST dubium quin hæc Coaca ex deprauatione orta sit prorrh. 1. s. 3. 8. quod sic habet.

Οἷσι κῶμα ἐπαφρῶν περιελθόντων πυρετὸς παροξύνεται.

Quos super spumantibus deiectionibus inuadit coma; iis est febris exacerbata.

QVOD RATIONE robustum, & experientia magis ac magis confirmatum, cur exploserit Galenus, omnia disquirens, hercle non inuenio. Quoties humoris biliosi spumantis, proptereàque effeti, vbertas ea corpore toto per venas funditur, vt satis sit quod excludatur aluo, satis quod in capitis arcem à febre subleuatum ascendat; quid mirum si inuadentibus accessionibus, aut si febre supra consuetum modum exacerbata, inde soporantur, & comatosi fiunt? Per accessiones consueuit humor, venarum antè ergastulis coërcitus, commoueri; tum vel affatim assurgens vapor, tenebras cerebro obducere, coma inducere poterit. Itaque sub finem accessionis, veterno excitantur, quo erant antè sepulti. Ac de iis alibi ob eam causam Galenus statuebat, quòd bile soporantur, non tam in cerebro stabulante, quàm alibi, vbi concepta est, putrescente. Quòd autem consueta inducitur exacerbatione, ad spem cum ea discedendi id ab insueta, ad diuturnitatem etiam apparere poterit. Memineris hoc loco spumantium biliosorum, non minùs quàm pituitosorum, materiam esse vaporosam: sed & cerebrum appetere citiùs.

78 Ἐπὶ κοιλίησιν ὑγρῇσι, κατάψυξις μεθ' ἱδρῶτος κακόν.

Perliquida aluo perfrigeratio cum sudore incidens; mala.

IMO LETHALIS, signo naturæ, profusione alui immodica exolutæ. Hîc ego namque perfrigerationem accipio extimarum partium, caloris natiui inopia laborantium, vnde exudat sudor, miliaris ille, atque, vt sentio, frigidus. Non enim perfrigerationem hic commentatur membrorum, febre extincta, suauiter alsiosorum: quæ nihil habet non magnopere laudabile. Non etiam nunc meminit rigen-

tes artus frigore inuadenti: prehendentísque paroxysmi. Id enim frigus, etsi cum sodore insurgens, malum minatur & portendit: tamen sic intelligere certò debemus, nihil hîc appositè nisi ad deiectiones posse de frigore sudoréque excogitari; atque ad deiectiones quidem alui quæ diu multúmque ducta est crudis liquidísque copiosis. Pertinet igitur ad ὑπερκάθαρσιν propositio commotam sponte, aut artificio concitatam.

79 Ἐπὶ κοιλίησιν ὑγρῇσι, τὰ ἀπὸ οὔλων αἵματα ἐπιρρυέντα θανατώδες.

Qui è gingiuis, insuper aluo liquida, sanguis exudat; lethalis.

Vide Coacam 15. cap. 7. libri 2.

80 Διαχώρημα καθαρὸν ἐπιγινόμενον λύει πυρετὸν ὀξὺν μεθ' ἱδρῶτος.

Deiectio pura cum sudore; febrem exoluit.

Deiectionem appellat puram & syncetam, i. expertem omnis alienæ mixtionis & tincturæ; deiectionem, inquam, pallidam, mollem, figuratam, quàm minimùm graueolentem, quæ & naturalis est, & in febre optima censetur, progn. 13. lib. 2 prognost. Ad hanc si sese sudor adiungit calidus multus, per criticum diem toto corpore guttatim roscidus effluens; crisin adferet febris acutæ, certam ac nesciam recidiuæ: vt fit, quam induxit præpotens causa, signu præmonstrata & comitata fidelissimo, quod est in naturali deiectione. *Crassescere*, inquiebat ille, *decet excrementum, progrediente ad crisin morbo.* Huc adesse vnà putato vrinas bellè coloratas, hypostasi præditas alba, læui, & æquali: sed eas siluit de quibus non habebat dicere hoc capite.

COACARVM PROGNΩSEΩN, ET LVD. DVRETI ENARRATIONVM, FINIS.

COMME-

COMMEMORABILIVM IN HIS COMMENTATIONIBVS CONTENTORVM, AMPLISSIMVS & certissimus Index.

Paginam prior numerus; lineam alter indicat.

A

INDEX.

INDEX.

INDEX.

INDEX

graue

INDEX.

Diuturnitati

INDEX

vni

grauius

INDEX.

INDEX.

G

INDEX.

INDEX

Intestinum.

INDEX.

INDEX

INDEX

P

in causis

INDEX.

INDEX.

INDEX

INDEX.

in

INDEX.

V

INDEX

INDEX

INDEX

tia

INDEX.

FINIS.